PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA; DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA.

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS LXVI.

JOANNES II PAPA, AGAPETUS I PAPA, SYLVERIUS PAPA, S. LAURENTIUS NOVARIENSIS, S. P. BENEDICTUS.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM

IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRES LA BARRIERE D'ENFER,

OU PETIT-MONTROUGE.

1847

Anal.

SANCTI

BENEDICTI

MONACHORUM OCCIDENTALIUM PATRIS

OPERA OMNIA,

EX MEMORATISSIMIS EDITIONIBUS MARTENE, QUI SANCTI ABBATIS REGULAM ERUDITISSIME COMMENTAVIT, MARGARINI DE LA BIGNE, LUCÆ HOLSTENII, CARDINALIS MAII, MABILLONII ACCURATISSIME EXPRESSA, MULTIS MENDIS PURGATA, NOTIS QUOTIES OPUS FUIT ILLUSTRATA,

PRÆCEDENTE

SANCTI BENEDICTI VITA EX LIBRO II DIALOGORUM SANCTI GREGORII MAGNI EXCERPTA, CUM GRÆCO TEXTU MAXIMA CURA EMENDATO ET ANNOTATO.

SIMUL EXCUSA SUNT

JOANNIS II, AGAPETI I ET SYLVERII

SUMMORUM PONTIFICUM

NECNON

SANCTI LAURENTII

NOVARIENSIS EPISCOPI

SCRIPTA UNIVERSA.

EX COLLECTIONIBUS MANSI ET MARGARINI DE LA BIGNE MUTUATA.

TOMUS UNICUS.

PRIX : 6 FRANCS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,

IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER, OU PETIT-MONTROUGE.

1847

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

ERRATA.

Col. 38 media, lege EPISTOLA *olim* IV. — Col. 43 desinente, lege EPISTOLA *olim* II. — Pag. 4 -46, lege EPISTOLA *olim* III, EPISTOLA *olim* VI, EPISTOLA *olim* VII.—Col. 77 summa, lege EPISTOLA *olim* V.— In textu Græco Vitæ S. Benedicti, quoties occurrerit vox [illegible], tali per lapsum calami accentu notata, lege [illegible].

Paris.—Imprimerie de Vrayet de Surcy, rue de Sèvres, 37.

JOANNES PAPA II.

Notitia *ex libro Pontificali.*

(Quæ in editione Mansi ad marginem e regione textus notata erant, nos ad calcem columnarum nostrarum, ciffris superioribus præmissis, exscripsimus. EDIT.)

Joannes [a] qui et Mercurius, natione Romanus, ex A patre Projecto de Cælio monte, sedit annos duos [b] menses 4 dies 6. Fuit autem temporibus Athalarici regis et Justiniani Augusti. Eodem tempore vir religiosus [c] Augustus Justinianus summo amore Christianæ religionis misit fidem suam scriptam [d] chirographo proprio ad sedem apostolicam per episcopos Hypatium et Demetrium. Ipsis diebus obtulit Christianissimus imperator B. Petro apostolo scyphum aureum circumdatum gemmis prasinis et albis, et alios calices argenteos 2, scyphum (*a*) pensantem libras 5, calices (*b*) argenteos singulos pensantes libras 6, et alios calices argenteos 2, pensantes libras 15; palliola (*c*) vero auro texta 4. Hic fecit ordinationem in urbe Romæ unam per mensem Decembrem, presbyteros 15, episcopos per diversa loca num. 21. Qui etiam sepultus est in basilica B. Petri apostoli, VI calendas Julias (*d*), post consulatum iterum Lampadii. Et cessavit episcopatus dies sex.

[a] Joannes cognomento Mercurius, Romanus, anno, B ut constat ex vetere inscriptione apud Sanctum Petrum ad Vincula, post consulatum Lampadii et Orestis, qui est 131 Christi nati, imperatoris Justiniani 5, et Athalarici regis Italiæ 6, circa finem anni illius electus est Romanus pontifex. Hujus temporibus Amalaricus rex Hispaniarum Arianus, propterea quod Clotildem filiam Clodovei catholicam sibi matrimonio junctam, ob diversitatem religionis male tractasset, occiditur a Childeberto quarto Clodovei filio, fratre Clotildis, ad quem ipsa sudarium proprio sanguine infectum miserat. Interfecto Amalarico regi Ariano Theudis rex Arianus successit, qui, pace Ecclesiæ Dei concessa, conveniendi ac de fide decernendi licentiam episcopis Hispaniæ indulsit. Origenistæ sæpius damnati rursum invalescentes, corruptisque monachis Palæstinæ, totum ferme Orientem depascentes, edictis imperatorum non potuerunt exstingui: adeo ut horum causa quintum œcumenicum concilium congregare opus fuerit. Justinianus imperator conjurationem et seditionem Constantinopoli contra se motam illam quam Procopius lib. I de Bello Persico describit, feliciter sedavit et compressit. Ab episcopis ex visione quadam victoriam pollicentibus admonitus, Vandalicum bellum diu cogitatum duce Belisario inchoavit, atque spatio trium mensium, rege barbarorum Gelimere bis fugato, copiisque eorum devictis, Carthaginem recuperavit, totamque Africam a tyrannide nonaginta quinque annorum, quibus reges Ariani et barbari eam possederant, liberavit (*Procopius libro primo de Ædif. Justin.*). Pugnabat miraculose pro imperatore catholico Deus, qui pro fide catholica defendenda et amplianda summopere laborans, catholicorum et Severianorum, quos adhuc in Oriente esse sciebat, illam collationem fieri curavit, quam infra suo loco editam hic exhibemus, quique missa legatione ad Romanum pontificem, contra monachos Acœmetas, Nestorianos et Origenistas, orthodoxam fidem propugnans, auctoritate sedis apostolicæ definiri rogavit, utrum, D quod negabatur ab hæreticis, Christus unus de Trinitate esset; utrum in carne natus ac passus esset; et an Maria Dei genitrix dici posset. Athalaricus rex Gothorum, corruptis moribus adolescens, postquam hujus pontificis monitu simoniacos bonorum ecclesiasticorum emptores perculisset edicto illo quod marmoreæ tabulæ inscriptum, ante Sancti Petri atrium cunctis perspicuum apponi curaverat, octavo anno regni sui, qui erat ætatis ipsius decimus sextus, mortuus est. Theodatus vero Theodorici ex sorore Amalafreda nepos, provectioris ætatis, Latinarum litterarum et Platonicorum dogmatum satis peritus, rei autem bellicæ prorsus ignarus, pecuniisque accumulandis enixius intentus, subrogatus est Athalarico, suasu Amalasuntæ matris Athalarici, quam ingratissimus, dum regno potitus est, in carcerem conjecit, et paulo post occidit (*Procopius de Bello Gothorum*). Hæc cum Justinianus accepisset, adversus Gothum bellum parare, et Francos jam ante, vivente adhuc Athalarico, concitatos contra eosdem commovere cœpit. SEV. BINIUS.

[b] Tribus annis munus pontificium administratum C fuisse a Joanne secundo constat ex obitu ejusdem et ex iis quæ supra in principio verbo *Joannes*, et in fine notarum ad vitam Bonifacii diximus. SEV. BINIUS.

[c] Vide quæ de hac legatione infra in notis concil. Romani sub Joanne, ex Baron. ann. 533, dicturi sumus. SEV. BINIUS.

[d] Intelligit illam fidei professionem quæ continetur in epistola Justiniani ad Joannem papam; non vero illud prolixius edictum cui in Suriana editione præfixa reperitur ejusmodi inscriptio mendosa: *Edictum piissimi imperatoris Justiniani fidei confessionem continens, et refutationem hæreseon quæ adversantur catholicæ Dei Ecclesiæ, Joanni papæ secundo transmissam, ut patet in vita ejusdem papæ ex libro Pontificali.* Hanc inscriptionem mendosam esse dixi, quia constat illud edictum, vel potius libellum, tempore Vigilii conscriptum esse, quem adversus tria capitula Theodorus Cæsariensis episcopus ab ipso imperatore edi curavit, ut testatur Liberatus in Breviar. cap. 24. Vide quæ infra notabimus sub Vigilio. SEV. BINIUS.

(*a*) Cod. ms. Vallicel., *argenteum.*
(*b*) In eodem cod. *calices..... et alios* desunt.
(*c*) Idem cod., *pallea oloutrea auro texta IV*
(*d*) Idem cod., *Junias.*

JOANNIS PAPÆ II

EPISTOLÆ.

(Ex Mansi Collect. concil.)

EPISTOLA ATHALARICI REGIS

AD JOANNEM.

Continet confirmationem senatusconsulti adversus Simoniacos editi.

Joanni papæ Athalaricus rex.

Si antiquis principibus studium fuit leges exquirere, ut subjecti populi delectabili tranquillitate fruerentur, multo præstantius est talia decernere quæ possint sacris regulis convenire. Absint enim a nostro sæculo damnosa compendia. Illud tantum possumus verum lucrum dicere, quod constat divina judicia non punire. Nuper siquidem ad nos defensor Ecclesiæ Romanæ flebili allegatione pervenit, cum apostolicæ sedi peteretur antistes, quosdam nefaria machinatione necessitatem temporis aucupatos, ita facultates pauperum extortis promissionibus ingravasse, ut (quod dictu nefas est) etiam sacra vasa emptioni publicæ viderentur exposita. Hoc quantum fuit crudele committi, tantum religiosum est adhibita pietate resecare. Atque ideo sanctitas vestra statuisse nos præsenti definitione cognoscat, quod etiam ad universos patriarchas atque metropolitanas ecclesias volumus pertinere, ut a tempore sanctissimi papæ Bonifacii, cum de talibus prohibendis suffragiis Patres conscripti senatusconsultum nobilitatis suæ memores condiderunt.

Quicunque in episcopatu obtinendo, sive per se, sive per aliam quamcunque personam, aliquid promisisse declaratur, ut exsecrabilis contractus cunctis viribus exueretur [efferretur, *al.* efficeretur]. Si quis autem in hoc scelere deprehenditur fuisse versatus, nullam relinquimus vocem: verum etiam si aut repetendum, aut quod acceptum est, non reddendum esse crediderit, sacrilegii reus protinus habeatur, accepta restituens compulsione judicis competentis.

Justissimæ quidem leges ut bonis aperiunt, ita claudunt malis moribus actionem : propterea quidquid in illo senatus decretum est consulto, præcipimus in eos modis omnibus custodiri, qui se quoquomodo per interpositas quascunque personas scelestis contractibus miscuerunt.

Et quia omnia decet sub ratione moderari, nec possunt dici justa quæ nimia sunt : cum de apostolici consecratione pontificis intentio fortasse prævenerit [pervenerit], et ad palatium nostrum producta fuerit altercatio populorum, suggerentes nobis intra tria millia solidorum cum collectione chartarum censemus accipere, a quibus tamen omnes inidoneos [idoneos] rei ipsius consideratione removemus : quia de ecclesiastico munere pauperibus est potius consulen-

A dum. Alios vero patriarchas, quando in comitatu nostro de eorum ordinatione tractatur, in supradictis conditionibus atque personis intra duo millia solidorum jubemus expendere : in civitatibus autem suis tenuissimæ plebi non amplius quam quingentos solidos se distributuros esse cognoscant. Reliquos accipientes et edicti præsentis et senatusconsulti nuper habiti pœna constringat, et dantes canonum severitas persequatur.

Vos autem, qui patriarcharum honore reliquis præsidetis Ecclesiis, quoniam constitutio nostra ab illicita promissione liberavit, restat ut bona imitantes exempla, sine aliquo Ecclesiarum dispendio dignos majestate pontifices offeratis. Iniquum est enim ut locum apud vos habeat ambitus, quem nos

B laicis divina consideratione præclusimus. Quapropter parentes nobis [nos] servientium quascunque personas aliqua suffragii crediderit ambitione promovendum, et ipsum reddere accepta definimus, et quod est canonibus statutum, eum modis omnibus esse passurum. Si quis vero quæ dederit aut promiserit, eodem superstite, timuerit publicare, ab hæredibus vel prohæredibus ejus Ecclesia repetat, cujus suffragio antistes deprehenditur ordinatus : nota infamiæ nihilominus superstites inurente, reliquos quoque ordines sub eadem fieri distinctione [districtione] præcipimus.

Quod si forsitan dolosæ machinationis invento, sacramentis persona intercedentibus fuerit obligata, ut salvo statu animæ commissam iniquitatem neque approbare possit, neque audeat accusare : damus li-

C centiam quibuslibet honestis personis in singulis quibusque civitatibus apud judices competentes hoc crimen deferre, et quidquid ex ea potuerit reprobatione colligi, ut approbationem [approbatione] insequentes animemus : tertiam partem judicatæ rei ille percipiat, qui tale facinus voluerit publicare; reliqua vero ipsis ecclesiis proficiant quæ videntur extorta, aut in fabrica earum, aut in ministerio nihilominus profutura. Decet enim ad usus bonos convertere, quæ voluit perversitas inimice fraudare. Quiescat igitur malignantium prava cupiditas. Quo tendunt qui a fonte præclusi sunt ? Recolatur et timeatur Simonis justa damnatio, qui emendum credidit totius largitatis auctorem.

Orate igitur pro nobis, edicta nostra custodientes,

D quia divinis noscitur convenire mysteriis. Sed quo facilius principis votum universorum mentibus innotescat, hoc senatui, hoc populis per præfectum urbis præcipimus intimari, ut generalitas agnoscat nos illos prosequi qui majestati divinæ potius viderentur adversi. Vos quoque hoc universis, quos Deo propitio regitis, episcopis intimate; neque sit alienus a culpa qui potuit cognoscere constituta.

EPISTOLA CASSIODORI

AD JOANNEM PAPAM.

Cum a rege præfectus prætorii constitutus esset, pro bono regimine preces pontificis ad Deum implorat.

Supplicandum vobis est, beatissime pater, ut lætitiam quam per vos, Deo largiente, percepimus, custodiri nobis vestris orationibus sentiamus. Quis enim dubitet prosperitatem nostram vestris meritis applicandam, quando honorem adipiscimur, qui a Domino diligi non meremur; et permutatione efficaci bona recipimus, dum talia non agamus? Ecclesiasticis siquidem jejuniis fames est exclusa popularis, decoris lacrymis tristitia fœda discessit; et per sanctos viros acceleratum est, ne traheretur diutius quod gravabat. Et ideo salutans officiositate qua dignum est, precor vivacius oretis pro salute regnantium: quatenus eorum vitam cœlestis princeps faciat esse longævam, Romanæ reipublicæ hostes imminuat, tempora tranquilla concedat; deinde quod ornat pacem, necessariam nobis copiam de abundantiæ suæ horreis largiatur; mihique filio vestro intelligentiæ sensus aperiat, ut quæ vere sunt utilia sequar, quæ vitanda refugiam; vigor ille rationabilis animæ nobis consilium præstet; facies veritatis albescat, ne mentem nostram innubilet caligo corporea: sequamur quod intus est, ne foris a nobis simus; instruat quod de vera sapientia sapit, illuminet quod cœlesti claritate resplendet: talem denique judicem excipiat publicus actus, qualem filium catholica mittit Ecclesia. In suis nos etiam muneribus virtus sancta custodiat: quia graviores insidias antiqui adversarii tunc subimus, quando ejus dona suscipimus.

Nolite in me tantum rejicere civitatis illius curam, quæ potius vestra laude secura est. Vos enim speculatores Christiano populo præsidetis, vos patris nomine universa diligitis. Securitas ergo plebis ad vestram respicit famam, cui divinitus est commissa custodia. Quapropter nos decet custodire aliqua, sed non omnia. Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem; tamen nec ista potestis negligere, quæ corporis videntur substantiam continere: nam sicut A homo constat ex dualitate, ita boni patris est utraque refovere. Primum penuriam quidem temporis, quam delicta promerentur, orationibus sanctis amovere. Si quid tamen (quod absit) acciderit, tunc bene necessitas excluditur, quando contra eam sub ubertate tractatur.

Monete me quæ sunt gerenda sollicite; bene agere vel correptus exopto: quia difficilius errat ovis quæ voces desiderat audire pastoris, nec facile efficitur vitiosus cui admonitor insistit assiduus. Sum quidem judex palatinus, sed vester non desinam esse discipulus: nam tunc ista recte gerimus, si a vestris regulis minime discedamus. Sed cum me a vobis desiderem et moneri consiliis, et orationibus adjuvari, jam vobis est applicandum, si in me fuerit aliter quam optabatur inventum. B Sedes illa toto orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores, quæ licet generalis mundo sit præstita, nobis [vobis] etiam cognoscitur et localiter attributa.

Tenemus aliquid sanctorum apostolorum proprium, si peccatis dividentibus non reddatur alienum, quando confessiones illas quas videre universitas appetit, Roma feliciter in suis finibus habere promeruit. Nihil ergo timemus, talibus patronis, si oratio non desistat antistitis. Arduum quidem est multorum desideriis satisfacere; sed novit Divinitas magna præstare: ipsa retundat invidos; ipsa nobis faciat cives cœlesti aspiratione gratissimos, et supplicationibus vestris tempora tribuat, quibus superna gratia prædicetur indulta.

C

EPISTOLA [a] JUSTINIANI IMPERATORIS

AD JOANNEM PAPAM,

Quam Hypatius et Demetrius episcopi legatione imperatoria fungentes Romam attulerunt.

Victor Justinianus, pius, felix, inclytus, triumphator, semper Augustus, Joanni sanctissimo archiepiscopo almæ urbis Romæ et patriarchæ

Reddentes honorem apostolicæ sedi et vestræ sanctitati, quod semper nobis in voto fuit et est (ut [1]

[a] Hanc Joannis papæ et præcedentem Justiniani imperatoris epistolam, Hotbomannus jurisconsultus libro primo capite primo Respons. amicabilium, et cum eo plures alii novatores leguleii hæretici germanas esse impie et imperite negant. De hac enim epistola Joannes scribens illustribus viris Avieno, Senatori, Liberio, etc.: *Justinianus*, inquit, *imperator, ut ex epistolæ ejus tenore cognovistis, de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse signavit. Utrum unus ex trinitate Christus et Deus noster dici possit*, etc. Quæ si leguleio novatori innotuissent, erubuisset, credo, aliter loqui vel sentire. Doctissimus jurisconsultus Cujacius secundam epistolam Joannis, quam infra subjungo, adeptus, ex eadem cognovit, dictas Justiniani et Joannis epistolas genuinas esse, vereque germanas, secutus hac in re sententiam disertissimi Alciati, qui de his libro primo Parergon cap. 33, hæc scribit: *Sunt et qui suspectam habent Joannis pontificis epistolam quæ sub titulo de Trinitate in Justiniani codice sita est, dicuntque in antiquis codicibus non inveniri: quod, ut arbitror, ideo faciunt, ut illos adjuvent qui pontificis Romani auctoritatem deprimunt: quæ nomine alios quoque auctores ab iis depravatos deprehendi, ut Othonis Frisingensis chronica, et Ligurini* *poetæ carmina quædam. Ego in antiquis plurimis eam exstare scio, nec ulla suspicione convelli posse. Quod si unus aut alter codex non habeat, id scriptorum incuriæ tribuendum, qui eam quandoque omiserint, quod* D *non multum ad legalis scientiæ materiam pertineret, non tamen ideo hæsitandum est, quin genuinus germanusque Joannis sit fetus.* SEV. BINIUS.

Epistola Justiniani ad pontificem scripta est anno Domini 533, sub tertio consulatu ejusdem Justiniani, quando ab eodem imperatore missa est Romam legatio, de qua infra in notis concilii Romani. Etiamsi enim hic sine die et consule epistola Joannis intexta reperiatur, tamen infra in quadam epistola imperatoris ad Agapetum expressa habetur data sub tertio consulatu Justiniani. Accedit quod ejusdem epistolæ mentionem fecerit imperator in constitutione quam scripsit ad Epiphanium Constantinopolitanum sub consulatu suo tertio, VII calendas Aprilis prædicti anni 533. Epistola autem Joannis papæ reddita est ad ipsum imperatorem sub consulatu Paulini, anno Christi 534, quando legati Justiniani Roma dimissi

[1] Ex v. c. corrige sublata parenthesi: *ut et decet patrem, honorantes vestram beatitudinem.*

decet patrem), honorantes vestram beatitudinem, omnia quæ ad ecclesiarum statum pertinent, festinavimus [festinamus] ad notitiam deferre vestræ sanctitatis : quoniam semper nobis fuit magnum studium, unitatem vestræ apostolicæ sedis et statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire ; quæ [qui] hactenus obtinet, et incommote permanet, nulla intercedente contrarietate. Itaque omnes sacerdotes universi orientalis tractus et subjicere et unire sedi vestræ sanctitatis properavimus. In præsenti ergo quæ [hic] commota sunt, quamvis manifesta et indubitata sint, et secundum apostolicæ vestræ sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firme [ferme] custodita et prædicata, necessarium duximus ut ad notitiam vestræ sanctitatis perveniant. Nec enim patimur quidquam quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ [quia] caput est omnium sanctarum Ecclesiarum. Per omnia enim (ut dictum est) properamus honorem et auctoritatem crescere vestræ sedis. Manifestum igitur facimus vestræ sanctitati, quod pauci quidam infideles et alieni sanctæ Dei [sedi] catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ contradicere Judaice atque apostatice ausi [visi] sunt adversus ea quæ ab omnibus sacerdotibus secundum vestram doctrinam recte tenentur, et glorificantur, atque prædicantur ; denegantes Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Filium Dei et Dominum nostrum incarnatum de sancto Spiritu, et ex sancta atque gloriosissima semper Virgine Dei Genitrice Maria hominem factum atque crucifixum, unum esse sanctæ et consubstantialis Trinitatis, et coadorandum et conglorificandum Patri et Spiritui sancto, consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis eumdem ipsum secundum humanitatem, passibilem carne, eumdemque ipsum impassibilem deitate. Recusantes enim Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Filium Dei et Dominum nostrum fateri unum esse sanctæ et consubstantialis Trinitatis, videntur Nestorii malam sequi doctrinam, secundum gratiam dicentis unum Filium Dei, et alium dicentis Dei Verbum, et alium Christum. Omnes vero sacerdotes sanctæ catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ, et reverendissimi archimandritæ sanctorum monasteriorum sequentes sanctitatem vestram, et custodientes statum et unitatem sanctarum Dei Ecclesiarum, quam habent ab

A apostolica vestræ sanctitatis sede [1], nihil penitus immutantes de ecclesiastico statu, qui hactenus obtinuit atque obtinet, uno consensu confitentur et glorificant, prædicantes Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Filium et Verbum Dei et Dominum nostrum ante sæcula et sine tempore de Patre natum, in ultimis diebus descendisse de cœlis, et incarnatum de Spiritu sancto, et ex sancta atque gloriosa Virgine Dei Genitrice Maria natum, et hominem factum, et crucifixum, unum esse sanctæ et consubstantialis Trinitatis, et coadorandum et glorificandum Patri et sancto Spiritui. Nec enim alium Dei Verbum et alium Christum cognoscimus ; sed unum atque eumdem ipsum consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis
B eumdem ipsum secundum humanitatem, passibilem carne, eumdem ipsum impassibilem deitate. Ut enim est in divinitate perfectus, ita idem ipse et humanitate perfectus est : in una enim substantia deitatem suscipimus et confitemur, quod Græci dicunt ὁμοούσιον [2]. Et quoniam unigenitus Filius, et Verbum Dei ante sæcula et sine tempore de Patre natus, idem ipse et in ultimis diebus descendens de cœlis incarnatus de Spiritu sancto, et ex sancta atque gloriosa semper Virgine et Dei Genitrice Maria, homo factus Dominus noster Jesus Christus proprie et vere Deus est ; ideo et sanctam atque gloriosam Virginem Mariam proprie et vere Dei Matrem esse dicimus; non quia Deus Verbum principium ex ipsa sumpserit, sed quia in ultimis diebus descendit de cœlis, et ex
C ipsa incarnatus, et homo factus, et natus est, quem confitemur et credimus (sicut dictum est) consubstantialem esse Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis eumdem ipsum secundum humanitatem ; ejusdem miracula et passiones, quas sponte in carne sustinuit [3], agnoscentes. Suscipimus autem sancta quatuor concilia, id est trecentorum decem et octo sanctorum Patrum qui in Nicæna urbe congregati sunt; et centum quinquaginta sanctorum Patrum (qui in hac regia urbe convenerunt ; et sanctorum Patrum *) qui in Epheso primo congregati sunt ; et sanctorum Patrum qui in Chalcedone convenerunt, sicut vestra apostolica sedes docet atque prædicat. Omnes ergo [namque] sacerdotes sequentes doctrinam apostolicæ sedis vestræ ita credunt et confitentur et prædicant, unde properavimus hoc ad notitiam deferre vestræ sanctitatis per Hypatium et Deme-

fuerunt, acceptamque ante sacram in codice Justinianeo libro septimo sub titulo De summa Trinitate et fide catholica fortasse intexuit. Unde quam inepte Hothomannus objectam in tempore discrepantiam prætendat, atque ex ea utramque epistolam supposititiam esse colligat, nemo non intelligit. Quod ait præter morem et stylum Justiniani imperatoris esse, Romanam Ecclesiam sedem apostolicam nominare, mendacium esse patet ex epistolis Justiniani, quas scripsit ad Hormisdam et Agapetum pontifices. Nihil igitur prætendere potest impostor hæreticus, quod auctoritatem harum epistolarum diminuat atque obscuret. Professio fidei quæ continetur in epistola Justiniani ad pontificem scripta illa est de qua auctor Pontificalis ait : *Misit fidem suam scriptam chi-*
D *rographo proprio ad sedem apostolicam per episcopos Hypatium et Demetrium.* Unde falsum esse constat quod edictum Justiniani adversus tria capitula tempore Vigilii papæ conscriptum ad Joannem (prout in antiquioribus editionibus mendosa inscriptio eidem præfixa habet) transmissum fuerit. Vide quæ dixi supra in notis ad Vitam Joannis, verbis : *Misit fidem suam*, etc. ; item quæ infra notavimus sub Vigilio. SEV. BINIUS.

[1] Ad apostolicam vestræ sanctitatis sedem.

[2] καθ' ὑπόστασιν ὁμολογοῦμεν.

[3] Suscepit, cognoscentes.

* Ansulis inclusa in Labbeo omissa suppleta sunt ex Rom. edit.

trium beatissimos episcopos, ut nec vestram sanctitatem lateant, quæ a quibusdam paucis monachis male et Judaice secundum Nestorii perfidiam denegata sunt. Petimus ergo vestrum paternum affectum, ut vestris ad nos destinatis litteris, et ad sanctissimum episcopum hujus almæ urbis, et patriarcham fratrem vestrum (quoniam et ipse per eosdem scripsit ad vestram sanctitatem, festinans in omnibus sequi sedem apostolicam beatitudinis vestræ), manifestum nobis faciatis, quod omnes qui prædicta recte confitentur suscipit vestra sanctitas, et eorum qui Judaice ausi sunt rectam denegare fidem condemnat perfidiam: plus enim ita et circa vos omnium amor et vestræ sedis crescet auctoritas: et quæ ad vos est unitas sanctarum Ecclesiarum inturbata servabitur, quando per vos didicerint omnes beatissimi episcopi B eorum quæ ad vos relata sunt sinceram vestræ sanctitatis doctrinam. Petimus autem vestram beatitudinem orare pro nobis, et Dei nobis acquirere providentiam. *Item subscriptio* [1]. Deitas te conservet per multos annos, sancte ac religiosissime pater [2].

EPISTOLA (*olim* II) JOANNIS PAPÆ II

AD JUSTINIANUM.

Laudat catholici imperatoris egregiam pietatem debitumque ipsius religionis, quo sedem apostolicam, a qua requirebat evangelicam veritatem, prosequebatur. Rogat Augustum, ut quos a recto fidei catholicæ itinere aberrare sciret, omni studio adhibito revocaret, et inter alios ipsos legatos a monachis Acœmetis Romam missos.

Gloriosissimo et clementissimo filio Justiniano Augusto, Joannes episcopus urbis Romæ salutem donat [3].

Inter claras sapientiæ ac mansuetudinis vestræ laudes, Christianissime principum, puriore luce tanquam aliquod sidus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis studio, edocti ecclesiasticis disciplinis, Romanæ sedis reverentiam conservatis, et ei cuncta subjicitis, et ad ejus deducitis unitatem, ad cujus auctorem, hoc est apostolorum primum, Domino loquente præceptum est: *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI), quam esse omnium vere Ecclesiarum caput et Patrum regulæ et principum statuta declarant, et pietatis vestræ reverendissimi testantur affatus. Patet igitur in vobis impletum fore quod Scripturæ loquuntur: *Per me reges regnant, et potentes scribunt justitiam* (*Prov.* VIII). Nihil est enim quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in principe; nihil est quod ita nequeat occasui subjacere, quam vera A religio: nam cum auctorem vitæ vel luminis utraque respiciant, recte et tenebras respuunt, et nesciunt subjacere defectui. Quamobrem, gloriosissime principum, votis omnibus exorabitur divina potentia, ut pietatem vestram in hoc ardore fidei, in hac devotione mentis, in hoc integræ religionis studio sine defectu sui in longiora tempora conservet. Hoc enim et sanctis credimus Ecclesiis expedire; scriptum est enim: *Labiis regit rex* (*Apocal.* XXII); et iterum: *Cor regis in manu Dei est, et ubi voluerit inclinabit illud* (*Prov.* XXI): hoc est enim quod vestrum firmat imperium, hoc quod vestra regna conservat. Nam pax Ecclesiæ, religionis unitas, auctorem facti in sublime provectum grata sibi tranquillitate custodit. Neque enim parva ei vicissitudo a potentia divina B tribuitur, per quem nullis rugis Ecclesia divisa secernitur, nullis insertis maculis variatur: scriptum est enim quia, *cum rex justus sederit super sedem, non adversabitur ei quidquam malignum* (*Prov.* XX). Proinde serenitatis vestræ apices per Hypatium atque Demetrium sanctissimos viros, fratres et coepiscopos meos, reverentia consueta suscepimus: quorum etiam relatione comperimus, quod fidelibus populis proposuistis edictum [a] amore fidei, pro submovenda hæreticorum intentione, secundum apostolicam doctrinam, fratrum et coepiscoporum nostrorum interveniente consensu [b]: quod quia apostolicæ doctrinæ convenit, nostra auctoritate confirmamus.

Textus autem epistolæ talis est: Reddentes honorem apostolicæ sedi. *ut supra præcedenti epistola.*

C Liquet igitur, imperator gloriosissime, ut lectionis tenor et legatorum vestrorum relatio patefecit [patefacis], vos apostolicis eruditionibus studere, cum de religionis catholicæ fide ea sapitis, ea scripsistis [scribitis et publicatis], ea protulistis, ea populis fidelibus publicastis, quæ (sicut diximus) et sedis apostolicæ [4] doctrina, et sanctorum Patrum veneranda decernit auctoritas, et nos confirmamus in omnibus. Opportunum est ergo voce proclamare prophetica: *Tibi abundet cœlum desuper, et effundant montes jucunditatem, et colles lætitia lætabuntur* (*Psal.* XCV). Hæc igitur in tabulis cordis fideliter scribere, hæc ut pupillas oculorum convenit observare: neque enim quisquam est in quo Christi charitas fervet, qui tam rectæ, tam veræ confessionis vestræ D fidei refragator existat: cum evidenter impietatem Nestorii Eutychetisque et omnium hæreticorum damnantes, unam veram catholicam fidem Domini et Dei nostri Salvatoris Jesu Christi magisterio institutam, et propheticis apostolicisque prædicationibus

[a] Intelligit illud apud Contium exstans edictum, quo Eutychetem, Nestorium, eorumque sectarios condemnat ea intentione ut omnem calumniandi occasionem illis adimat, ne, si Nestorium condemnaret, a Nestorianis (ut plerumque fiebat) Eutychianus vel Apollinarista nominaretur; contra vero, si Eutychetem condemnaret, ab ejusdem sectatoribus Nestorianus appellaretur. SEV. BINIUS.

[b] Hoc loco intelligis Justinianum imperatorem ex sententia episcoporum cuncta de fide edicta statuisse et promulgasse, ipsumque Romanæ Ecclesiæ episcopum velut primarium catholicæ Ecclesiæ antistitem consuluisse, num omnia pie, sancte et orthodoxæ fidei convenienter constituta fuissent. SEV. BINIUS.

[1] *Et alia manu*, Divinitas te servet.

[2] Datum VIII id. Junii.

[3] In v. c. titulus hisce verbis concipitur: *Constantino Justiniano P. F. Augusto* III *consuli Joannes episcopus.*

[4] Sedes apostolica docet.

ubique diffusam, et sanctorum per totum orbem A confessionibus roboratam, Patrum atque doctorum sententiis adunatam, et nostræ doctrinæ consentaneam inconcusse atque inviolabiliter devota Deo et pia mente servatis. Soli etenim professionibus nostris adversantur, de quibus divina Scriptura loquitur, dicens: *Posuerunt mendacium spem suam, et mendacio operiri speraverunt* (*Isa.* XXVIII); et iterum, qui secundum prophetam dicunt Domino: *Recede a nobis, vias tuas scire nolumus* (*Jerem.* XLIV). Propter quod Salomon dicit: *Per semitas propriæ culturæ erraverunt, colligunt autem manibus infructuosa* (*Prov.* IV). Hæc est igitur vera vestra fides, hæc certa religio: hoc beatæ recordationis (ut diximus) Patres omnes præsulesque Romanæ Ecclesiæ, quos in omnibus sequimur, hoc sedes apostolica prædicavit hactenus, B et inconcusse custodivit: huic confessioni, huic fidei quisquis contradictor exstiterit, alienum seipsum a sancta communione, alienum ab Ecclesia judicabit esse catholica. Nos enim Cyrum cum sequacibus suis in Romana invenimus civitate, qui de Cumitensi [Acœmetensi] monasterio fuit: quos apostolicis suasionibus ad rectam fidem, et velut oves quæ perierant errantes ad ovile contendimus revocare dominicum, ut agnoscant secundum prophetam linguæ balbutientes loqui quæ ad pacem sunt. Ad non credentes autem per nos primus apostolorum Isaiæ prophetæ [Isaias propheta] verbum dicit: *Pergite in lumine ignis vestri, et flammæ quam accendistis* (*Isa.* L). Sed obduratum est cor eorum (ut scriptum est) ut non intelligerent: et pastoris vocem oves, quæ meæ non C erant, audire minime voluerunt. In quibus observantes ea quæ ab ipsorum sunt statuta pontifice, eos minime in nostra communione recepimus, et ab omni Ecclesia catholica esse jussimus alienos; nisi errore damnato, doctrinam nostram quantocius sequi habita regulari professione signaverint. Æquum quippe est ut qui nostris minime obedientiam accommodant statutis, ab Ecclesiis habeantur extorres. Sed quia gremium suum nunquam redeuntibus claudit Ecclesia, obsecro clementiam vestram ut si, proprio deposito errore, et prava intentione depulsa, ad unitatem Ecclesiæ reverti voluerint, in vestra communione receptis indignationis vestræ removeatis aculeos, et nobis intercedentibus benigni animi gratiam condonetis. Deum autem et Salvatorem nostrum Jesum D Christum exoramus, quatenus longævis et pacificis vos dignetur custodire temporibus in hac vera religione et unitate et veneratione apostolicæ sedis; cujus principatum, ut Christianissimi et pii, conservatis in omnibus. Præterea, serenissime principum, laudamus legatorum vestrorum personas Hypatii et Demetrii fratrum et coepiscoporum nostrorum, quos clementiæ vestræ gratos fore ipsa manifestavit electio. Nam tantæ causæ pondus non nisi perfectis in Christo potuisset injungi; tantæ vero pietatis, tantæ reverentiæ plenos affatus, nisi per amantes minime dignaremini destinare. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei Patris, et communicatio sancti Spiritus sit semper vobiscum, piissime fili. Amen.

Item subscriptio: Omnipotens Deus regnum vestrum et salutem vestram perpetua protectione custodiat, gloriosissime et clementissime fili imperator Auguste. Data Romæ VIII kalendas Aprilis, domino nostro Justiniano P. P. Augusto IV et Paulino viris clarissimis consulibus [Anno Christi 534].

EPISTOLA (*olim* III) JOANNIS PAPÆ

AD SENATORES.

Fidem de Christi divinitate et incarnatione confirmat; Acœmetas monachos Nestorii sectatores vitandos esse monet.

Joannes episcopus Romanus, illustribus ac magnificis viris Avieno, Senatori, Liberio, Severino, Fideli, Avito, Opilioni, Joanni, Silverio, Clementiano, et Ampelio.

Olim quidem, illustres et magnifici filii, ad hoc sententiæ meæ summa constiterat, ut ante jussionem vestram, postquam epistolæ vel dogmatis tenorem cuncta Ecclesia, hoc est sacerdotum senatus, et populi probavit assensus, sub paginali alloquio vestris etiam sensibus intimanda dirigerem; sed consilii ordinem illa res vertit, quia et dogmati per dies singulos divinæ Scripturæ subduntur, et imperfecta destinari non poterant, et ea quæ per legatos directa sunt, prius non poterant in exemplaribus scripta transmitti. Novimus etenim quod, Domino docente, præceptum est, quod pastor diligens gregem salubria ultro non desistat ingerere: quia res quæ ad salutem animæ pertinet, omnibus necesse est sensibus intimari. Proinde, illustres et magnifici filii, quia festinatio non pertulit portitores, ut ea scribi et dirigi potuissent, incontinenti tamen, si dictus divinus favor arriserit, tam epistolæ quam dogmatis exemplaria destinabimus. Nunc tamen, ne quid de vestris sensibus relinquatur ambiguum, quid epistolæ tenor habeat, quod textus dogmatis contineat, breviter insinuare curavi. Justinianus siquidem imperator filius noster, ut ejus epistolæ tenore cognovistis, de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse signavit, utrum unus ex Trinitate Christus et Deus noster dici possit: hoc est una de tribus personis sanctæ Trinitatis sancta persona. An Deus Christus carne pertulerit impassibili deitate. An proprie et veraciter Mater Domini Dei nostri Christi Maria semper virgo debeat appellari. Probavimus in his catholicam imperatoris fidem, et ita esse propheticis et apostolicis vel Patrum exemplis evidenter ostendimus: unum enim ex sancta Trinitate Christum esse, hoc est unam de tribus sanctæ Trinitatis personis sanctam esse personam, sive subsistentiam, quam Græci ὑπόστασιν dicunt, in his exemplis evidenter ostendimus.

In libro Genesis per Mosen Trinitas ipsa sic dicit: *Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis* (*Genes.* III). Et item Vas electionis Paulus ad Corinthios ita evidenter expressit: *Unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (*I Cor.* VIII).

Et in symbolo synodi Nicænæ : *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unum Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum.*

Item sanctus Augustinus, cujus doctrinam, secundum prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur et servat Ecclesia, in libro undecimo de Civitate Dei dicit : *Credimus et tenemus, et fideliter prædicamus, quod Pater genuerit Verbum, hoc est Sapientiam, per quam facta sunt omnia, unus unum, æternus coæternum, summus bonus æqualiter bonum; et quod Spiritus sanctus simul et Patris et Filii sit Spiritus, et ipse consubstantialis, et coæternus ambobus, atque hoc totum trinitas sit propter proprietatem personarum, et unus Deus propter inseparabilem unitatem, sicut unus omnipotens propter inseparabilem omnipotentiam : ita tamen, ut cum de singulis quæritur, unusquisque eorum et Deus et omnipotens esse respondeatur.*

Ejusdem in libro secundo contra Maximinum : *Et Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus Deus est, et hi simul tres unus Deus est, nec hujus trinitatis tertia pars est unus, nec major pars duo quam unus est.*

In libro sancti Augustini decimo quinto de Trinitate : *Ratione etiam reddita intelligentibus palam est substantia veritatis, non solum Patrem Filio non esse majorem, nec ambos simul aliquid esse majus quam Spiritum sanctum, aut quoslibet duos in eadem trinitate majus esse aliquid quam unum, aut omnes simul tres majus aliquid esse quam singulos.*

Gregorius Nazianzenus ex sermone de Epiphania Domini : *Cum omnino uno lumine illustramur, simul et tribus; tribus quidem secundum uniuscujusque proprietates, sive substantias, sicut placet aliquibus dicere, sive personas : nihil enim pro vocabulorum diversitate dissidendum est, cum ad eumdem sensum nominum diversitas provocet et intellectum. Unum autem secundum substantiam vel deitatis ratione : dividitur ergo, ut ita dicam, indivisibiliter, conjungitur divisibiliter, una est in tribus deitas.*

Item ex epistola Gregorii Nysseni ad Ablamium : *Æstimet hæc opera utrum uni assignentur personæ eorum, quam* [Forte qui] *in sancta Trinitate creduntur, an per tres sit virtutis effectus.*

Item ex epistola Procli ad Occidentales : *Super hæc etiam confitemur unum ex Trinitate increata atque ineffabili Deum Verbum factum hominem.*

Ejusdem : *Quid enim nos sapimus atque sentimus, quia in ipsa divina natura, qua conjunctus et unitus est Filius Patri sanctoque Spiritui, non dicimus eum deitate passum fuisse, sed carne, quam pro nobis assumpsit ex nobis. Unus igitur ex Trinitate crucifixus est carne qua factus est; non tamen deitate, qua unitus est Patri et Spiritui sancto, perpessus est, ne et illos crucifixos pariter asseramus.*

Hæc igitur ex plurimis pauca digessimus.

Deum vero carne passum hic nihilominus roboremus exemplis.

Ex libro Exodi per Moysen Dominus locutus est : *Et videbitis vitam vestram in ligno pendentem* (*Exod.* XXIV). Deum autem esse vitam Dominus noster in Evangelio Joannis prædicat dicens : *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* XIV).

Item propheta dicit : *Si affigit homo Deum suum, quia vos affixistis me* (*Zach.* XII).

Princeps quoque apostolorum beatus Petrus in Actibus ita dicit, dum impietates Judæorum argueret : *Vos autem virum homicidam petistis dimitti vobis, auctorem vero vitæ peremistis* (*Act.* III).

Item Vas electionis et Doctor gentium sic prædicat : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* I). Dominus autem gloriæ est Deus. Sic Psalmographus ante prædixit : *Quis est iste rex gloriæ* (*Psal.* XXIII)?

Item in Actibus apostolorum : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (*Act.* XX).

Cyprianus episcopus et martyr in epistola de patientia : *Judicatur judicaturus, et Dei sermo ad victimam tacens ducitur.*

Gregorius Nazianzenus : *Et indiguimus Deo incarnato et mortificato, ut nos vivamus.*

Ex libro sancti Augustini de Charitate : *Ille enim qui venit per crucis irrisiones carnis perimere corruptionem, et vetustatem vinculi mortis nostræ suæ mortis novitate dissolvere, mandato novo fecit hominem novum : res enim vetus erat, ut homo moreretur, quod ne semper valeret in homine, res nova facta est, ut Deus moreretur : sed quia in carne mortuus est, non in divinitate.*

Cyrillus capitulo XII : *Si quis non confitetur Verbum passum carne* (et crucifixum carne *), *et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod vita et vivificans est et Deus, anathema sit.*

In epistola Leonis ad Juvenalem : *Verum igitur generationem crux vera confirmat, quoniam in carne nostra nascitur, qui in nostra carne crucifigitur.*

Ejusdem ex epistola ad Flavianum : *Impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere.* Ex hac quoque parte plura ex dogmatis lectionum poteritis agnoscere.

Gloriosam vero sanctam semper Virginem Mariam proprie et veraciter Dei Genitricem, Matremque Dei Verbi ex ea incarnati, ab hominibus catholicis confiteri recte esse docemus proprie et veraciter; et idem ipse ultimis temporibus incarnatus, ex sancta et gloriosa Virgine matre nasci dignatus est.

Propterea ergo, quia proprie et veraciter Dei Filius ex ea incarnatus est, ideo proprie et veraciter Matrem Dei ex ea incarnati et nati esse confitemur; et ne Dominus Jesus per honorificentiam vel gratiam Dei nomen accepisse credatur, sicut Nestorius sentit insulsus : veraciter autem ideo ne phan-

* Ansulis inclusa suppleta sunt ex editione Romana, ut pote in Labbeo oscitanter omissa.

tasma, aut aliquo modo non veram sumpsisse carnem A credatur ex Virgine, sicut asseruit impius Eutyches. Cui rei probamenta ex Patrum traditionibus consequenter sanctus Augustinus in libro primo (*cap.* 15) Prædestinationis : *Prædestinatus est ergo Jesus, ut futurus secundum carnem filius David esset, in virtute autem Filius Dei simul et filius hominis propter susceptum hominem, et Filius Dei propter suscipientem unigenitum Domini proprie et veraciter diceretur.*

Leporius in epistola quam Aurelius episcopus Carthaginensis, et beatus Augustinus, et synodus Africana firmavit : *Nascitur ergo nobis proprie de Spiritu sancto et Maria semper virgine Deus homo Jesus Filius Dei.*

Gelasius ex libro adversus Nestorium et Eutychem : « *Propterea quod ex te nascitur sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Matth.* I). » B *Ex te nascitur*, ait, *ut proprietatem de matre sumendam nostræ conditionis exprimeret.* His igitur evidenter ostensum est, illustres et magnifici filii, quid speraverit imperator, quid Romana sequatur et colat Ecclesia. Atque igitur Christum Dominum nostrum unum esse, ut sæpe diximus, sanctæ Trinitatis ex duabus naturis cognoscendum, hoc est in deitate et humanitate perfectum, non antea existente carne, et postea unita Verbo, sed in ipso Deo Verbo initium ut esset accipiens : inde enimvero ex materno corpore caro sumpsit initium, salva proprietate vel veritate utriusque naturæ, hoc est divinitatis atque humanitatis, Dei Filium Dominum nostrum Jesum Christum catholici confitemur, omni posthac commutationis confusione C submota. Neque enim naturas in eo aliter agnoscimus, nisi differentiam intelligentes et confitentes divinitatis atque humanitatis. Sed nec duas personas in Christo intelligimus per id quod dicimus duas naturas, ut adunationis divisionem facere videamur; et sit, quod absit, quaternitas, non trinitas, sicut Nestorius sentit insanus; nec confundimus easdem unitas naturas, cum unam personam Christi confitemur, ut Eutyches impius credit. Tomum vero papæ Leonis, omnesque epistolas, nec non et quatuor synodos, Nicænam, et Constantinopolitanam, et Ephesinam primam, et Chalcedonensem, sicut Romana hactenus suscepit et veneratur Ecclesia, sequimur, amplectimur atque servamus. D Hoc est enim nostræ fidei firmamentum, hæc fidei nostræ petra firmissima. Hæc autem, illustres et magni filii, agens gratias sollicitudini vestræ intimare curavimus : plenius tamen directis exemplaribus poteritis agnoscere. Acœmetas vero, qui se monachos dicunt, qui Nestoriani evidenter apparuerunt, Romana etiam eos damnat Ecclesia; a quibus vos propter canonem qui cum excommunicatis Christianum nec loqui nec communicare permittit, diligentia pastorali admonere non desino, ut eorum etiam simplicem collocutionem vitetis, nihilque vobis cum eis æstimetis esse commune. Quod ideo facio, ne reus silentii inveniar, si hæc ad vestram minime, Christianissimi filii, notitiam pertulissem. Incolumem magnitudinem vestram Deus noster custodiat, domini filii, merito illustres atque magnifici.

EPISTOLA (*olim* IV) JOANNIS PAPÆ

AD EPISCOPOS GALLIÆ

Contumeliosum Galliæ episcopum episcopatu privatum in monasterium redegit ad pœnitentiam : Ecclesiam ejus sancto Cæsario Arelatensi episcopo commendavit.

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Gallias constitutis Joannes

Innotuit nobis a fraternitate vestra missa relatio, in qua Contumeliosus multis legitur criminibus involutus. Et quia hujusmodi persona sacris non potest inhærere mysteriis, ab hodierno vel officio eum nostra censet removere auctoritas, ut in monasterio constitutus delicti veniam a Domino petere non omittat. Nihil est enim impossibile ejus clementiæ qui potest cuncta relaxare quæ facta sunt. Sed ne ejus Ecclesia destituta videatur, in ejus loco visitatorem dari præsenti auctoritate decernimus, qui a se ita noverit omnia exhibenda, ut nihil de ordinibus clericorum, nihil de ecclesiastica facultate præsumat, sed ea quæ ad sacrosancta mysteria pertinent exsequatur. Prædictum autem Contumeliosum, ut habeat pœnitendi licentiam, petitorium dare vobis censemus, ubi errorem suum evidenter allegans sub die profiteatur et consule. Dominus vos incolumes custodiat, fratres carissimi. Data VII idus Aprilis, Flavio Paulino juniore viro clarissimo consule [Anno Christi 534]

EPISTOLA (*olim* V) JOANNIS PAPÆ

AD PRESBYTEROS ET DIACONOS CONTUMELIOSI EPISCOPI.

Joannes presbyteris, diaconibus et cuncto clero Ecclesiæ in qua fuit Contumeliosus episcopus.

Pervenit [a] ad nos a fratribus et coepiscopis nostris missa relatio ubi Contumeliosus de criminibus suis confessus legitur atque convictus. Et quia hujusmodi sceleribus implicatus sacerdotii non potest ministeria jam tractare, necessaria vobis solatia credimus visitatoris adjungere; et ideo in Ecclesia ejus visitatorem dari nostra decrevit auctoritas, ut Ecclesia suo privata præsule summi nequeat pontificis solatiis indigere : cui vos in omnibus parere decernimus, ad ea tantummodo quæ sacris sunt gerenda mysteriis, ita tamen ut nihil de ecclesiastica facultate præsumat, et clerus in eo quo nunc est ordine constitutus nullis gradibus promoveatur, donec proprium sacerdotem possit habere. Omnem vero hanc sollicitudinem Cæsario fratri et coepiscopo nostro injungimus, ad cujus curam cuncta quæ necesse sint pertinere censuimus. Dominus vos incolumes custodiat, dilectissimi filii. Data VII idus Aprilis, Paulino juniore viro clarissimo consule [Anno Christi 534].

[a] Hujus epistolæ in codice Lirinensi hujusmodi est inscriptio : *Præceptum Joannis papæ ad presbyteros, diaconos, et cunctum clerum Regensis Ecclesiæ.* Quo indicio didicimus quo in loco episcopus fuerit Contumeliosus. JAC. SIRMONDUS.

EPISTOLA (*olim* VI) JOANNIS PAPÆ

AD CÆSARIUM ARELATENSEM,

Cum subjectis canonibus ab eo missis ad examinandam causam Contumeliosi episcopi.

Dilectissimo fratri Cæsario Joannes.

Charitatis tuæ litteras animo libenti suscepimus, in quibus corporeas necessitates allegans, etiam quæ sacrius [1] ille qui lapsus est fecerit, indicasti. Dolemus de amissione pontificis, rigorem tamen canonum servare necesse est. Atque ideo prædictum ab episcopatus ordine nostra suspendit auctoritas. Neque enim fas est pollutum criminibus sacris ministeriis deservire. Sed te ordinante in monasterio dirigatur, ubi delictorum memor in pœnitentia lacrymas effundere non omittat, ut ab eo qui omnibus B miseretur Domino nostro Jesu Christo misericordiam valeat promereri. In cujus locum visitatorem constituite, donec proprium Ecclesia quæ evacuata est ejus sacerdotio merere valeat sacerdotem. Communibus tamen precibus exorare Deum nostrum debemus, ut puros cunctos præstet antistites. Si qui tamen pontificatus immemores criminibus se fortassis involverint, et eorum personas vulgus cognoscat: facilius enim a delictis cavent, si non videant etiam hominibus secreta esse quæ fecerint. Quæ vero de his canones præcipiunt, subter adjecimus, ut quæ facienda sunt possitis agnoscere. Deus te incolumem custodiat, frater carissime [Anno Christi 534].

EPISTOLA AFRICANORUM EPISCOPORUM

AD JOANNEM DATA, SED AB AGAPETO EJUS SUCCESSORE ACCEPTA.

Pontificem de dubiis quibusdam consulunt.

Domino beatissimo et honorabili sancto fratri et consacerdoti Joanni, Reparatus, Florentinianus, Datianus, et cæteri 217 episcopi, qui in universis conciliis apud Justinianam Carthaginensem [Carthaginem] fuimus.

Optimam consuetudinem præteriti temporis, quam violenta captivitas per annos centum, dolentibus cunctis, abstulerat, iterum servare cupientes, ad universalem totius Africæ synodum fidei devotione convenimus, in illa Justinianæ Carthaginensis [Carthaginis] basilica congregationis nostræ primitias Domino consecrantes, unde nostros patres tyrannus Hunericus expulerat. Hæc basilica Fausti apud nos dicitur, multis martyrum corporibus insignita, quorum Deus exaudivit orationes, ut daret hujus rei fiduciam sacerdotibus. Ibi igitur quantum singuli lacrymantibus gaudiis flere potuerint, cogitandum potius beatitudini vestræ dimittimus: in omnibus A enim lætitiæ spiritualis unus fuit affectus, agere gratias omnipotenti Deo, cujus gratia peccatoribus sine meritis operum datur, et antidotum fidei salutaris nuper reconciliatis hæreticis obtinetur.

Definitionibus autem Nicæni concilii publica lectione transcursis, inter alia de quibus nancisci debuit, disputatione requiri jam cœperat quomodo Arianorum sacerdotes ad catholicam fidem suscipi oporteat, utrumne in suis honoribus, an in laica communione, sic omnibus nobis unanimiter subito placuit sciscitari primitus beatitudinis vestræ sententiam. Potest enim sedes apostolica, quantum speramus, tale nobis interrogantibus dare responsum, quale nos approbare concorditer explorata veritas faciat. Ex omnium quidem collegarum tacitis motibus B nemini placere sensimus ut in suis honoribus Ariani suscipiantur. Verumtamen convenire charitati credidimus, ut quid habeat sensus noster in publicam notitiam nemo perduceret, nisi prius vel consuetudo nobis, vel diffinitio Romanæ Ecclesiæ proderetur. Hac igitur nostræ salutationis epistola per fratres consacerdotes nostros Caium et Petrum, et per filium nostrum Liberatum diaconum continuo destinavimus, et [2] auctoritatem vestræ beatitudinis et gratiam debitis obsequiis honorantes: talis quippe es, qualem sancta sedes Petri merebatur habere pontificem, dignus veneratione, plenus dilectione, loquens veritatem sine mendacio, nihil faciens arroganter. Unde etiam libera charitas universæ fraternitatis requirendum putavit consilium tuum. Respondeat, obsecro, C mens illa sancto Spiritui [3] serviens affabiliter et veraciter [4]. Non solum enim de sacerdotibus, sed de ipsis quoque parvulis apud eos baptizatis, utrum soleant vel debeant ad clericatum, si petierint, applicari consulimus. Multis enim facere istas frequenter petitiones concedimus, nec negamus, donec habito vobiscum diligentiore tractatu, legatio nostra revertatur. Illud etiam beatitudini tuæ credimus intimandum, fratres aliquantos ex nostro collegio, relictis sine causa plebibus suis, ad transmarinas navigare sæpius regiones. Hos diutius Ecclesia toleravit, accusantes [excusantes] eos violentiam temporis mali. Petimus nunc ut quicunque forsitan episcopus, aut presbyter, sive diaconus, aut cujuslibet inferioris ordinis clericus sine nostra epistola venerit, et non approbaverit se pro utilitate sanctarum D Ecclesiarum fuisse directum, similis hæretico judicetur: neque vestra communione dignus existat, ut in omnibus et per omnia beatitudinis vestræ disciplina laudetur. *Et alia manu :* Vegetem [Vegetum] te, nostrique memorem præstet omnipotens Deus, domine frater

[1] *Hoc est*, exsecratius. HARD.
[2] Citantur ista in v. c. ex epistola 217 Patrum synodi Carthaginensis anno 534.
[3] Sancto Spiritu fervens.

[4] In illo v. c. hæc inseruntur : *Potest enim sedes apostolica quantum speramus tale nobis interrogantibus dare responsum*, etc. ut supra.

APPENDIX
AD SCRIPTA JOANNIS PAPÆ II.

EPISTOLA [1] (*olim* I) JOANNIS PAPÆ II AD VALERIUM EPISCOPUM.

Docet Christum Dominum, secundum deitatis naturam, Patri æqualem, secundum vero humanam naturam, minorem esse.

Reverendissimo fratri Valerio episcopo Joannes.

Scripta tuæ sanctitatis suscipiens, plena ea fidei regula, qua plurimum polles, inveni, et Deo gratias retuli quod anima et corpore te bene vigere didici. Sane ea quæ significasti quosdam dicere quod non sit Filius æqualis Patri, et quod in Evangelio scriptum sit: *Pater major me est* (*Joan.* XIV), scias non recte intelligere tales fidei regulas, nec rectam fidem penes se habere. Paulus apostolus [2] non secundum deitatis naturam Christum creatum insinuat, sed secundum humanæ naturæ substantiam eumdem creatum affirmat, ipso Ephesiis conscribente: *Renovamini*, inquit *spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (*Ephes.* IV). Et ad Hebræos: *In eo enim in quo passus est ille et tentatus, etiam potest his qui tentantur auxiliari* (*Hebr.* II). Unde, fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate apostolum et pontificem confessionis nostræ Jesum, fidelem existentem ei qui creavit eum. Et ad Colossenses: *Nunc autem deponite et vos universa, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpiaque ex ore vestro non procedant. Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit eum* (*Coloss.* III). Nunquid qui universam creaturam, visibilia, propria potestatis virtute procreavit ac fecit, seipsum antea vel postmodum (quod dicere nefas) creavit, vel facere potuit? Filius minor [3] est Patre in assumpti hominis forma, æqualis vero Patri est in deitatis naturæ substantia, eodem protestante: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X). Et iterum: *Qui me videt, videt et Patrem* (*Joan.* XIV). Et iterum: *Qui me odit, odit et Patrem* (*Joan.* XV). Et iterum: *Ut sint in nobis unum, sicut et nos sumus unum* (*Joan.* V). Et iterum: *Tu in me, et ego in eis* (*Joan.* XVII). Et iterum: *Omnia tua mea sunt.* Et iterum: *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* XIV). Et iterum: *Pater in me manens facit opera hæc.* Et Joannes evangelista ait: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I); et iterum ipse ad Parthos: *Tres sunt*, inquit, *qui testimonium perhibent in terra, spiritus, aqua, et sanguis: et tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus: et hi tres unum sunt* (*Joan.* V). Nos itaque in natura deitatis, quia unum sunt Pater et Filius, nec Patrem credimus aliquo tempore præcessisse, nec majorem sit Filio; nec Filium postea natum esse, ut deitate Patris minoretur. Si æqualis [4] Patri Filius non est, cur ita de illo Joannes evangelista testatus est: *Propterea*, inquit, *persequebantur Judæi Jesum et quærebant eum occidere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* (*Joan.* V). Et Paulus apostolus: *Hoc sentite in vobis,* A *quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philipp.* II). Et in Salomone: *Qui genuit me requievit in tabernaculo meo.* Et Ecclesiastico: *Sicut est ab initio, ita usque in sæculum, neque adjectum est ei, neque minuetur illi. Ipse est enim dominus creaturæ suæ, qui nihil eguit ab aliquo* (*Eccles.* XXIV). Et in psalmo LXXII: *Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram?* Hæc omnia Filium non inferiorem natura demonstrant, sed et æqualitatem deitatis annuntiant: quoniam qui utraque locutus est, verum dixit, quia Veritas mentiri non potuit. Taliter, [5] frater carissime, semper age, cæterosque omnes agere mone, ut abolito hoc qui natus videbatur errore, in laudem et gloriam Dei per totum mundum una fides sit, et una eademque confessio; *ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II). B Data nonis [6] Augusti, Justiniano et Athalarico [7] viris clarissimis consulibus [8].

CANONES JOANNI ASCRIPTI.

Hi tituli canonum [a] quos nobis suprascriptus sanctus et domnus meus Joannes papa sedis apostolicæ cum præfata auctoritate direxit.

Ex epistola Siricii papæ urbis Romæ Emerio [Himerio] episcopo Tarraconensi inter cætera ad locum, capitulo VII. *Et quia aliquanti, de quibus loquimur, et tua sanctitas retulit, ignoratione lapsos esse se deflent, id est, ut ad uxores proprias redierint, his ea conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc quo detecti sunt, quandiu advixerint, officio perseverent, si tamen post hæc continentes se studuerint exhibere. Ii vero qui illiciti privilegii excusatione nituntur ut sibi asserant veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni eccle-* C *siastico honore, quo indigni sunt, apostolicæ sedis auctoritate dejectos; nec unquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus se ipsi, dum obscenis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præterita cavere nos præmonent in futuro, quilibet episcopus, presbyter atque diaconus, quod non optamus, deinceps fuerit talis inventus, jam nunc sibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum. Quia ferro necesse est excidantur vulnera quæ fomentorum non senserint medicinam.*

Ex canonibus Apostolorum cap. XXV. — (* Quod episcopus, aut presbyter, aut diaconus, si pro criminibus damnati fuerint, minime communione priventur.) — *Episcopus, presbyter aut diaconus, qui in fornicatione aut perjurio captus est, deponatur, non tamen communione privetur; dicit enim Scriptura:* Non vindicabit Dominus bis in idipsum (*Nahum* I).

Ex canonibus suprascriptis cap. XXIX. — Quod officium pristinum damnati pro criminibus usurpare non debeant. — *Si quis episcopus, presbyter aut dia-* D *conus, depositus juste super certis criminibus, ausus fuerit attrectare ministerium dudum sibi commissum hic ab Ecclesia sibi abscindatur.*

[a] Quæ de hac causa subjiciuntur, non omnia ex uno, sed ex diversis codicibus deprompta sunt: ex Corbeiensi nimirum, Pithœanis duobus, Lirinensi et aliis; sed potissimum ex Rhemensi, qui plura cæteris continebat. JAC. SIRMONDUS.

[1] Hanc adulterinam multa probant.
[2] Ithacius adv. Varimadum seu Marivadum cap. 4.
[3] Idem Ithacius cap. 5.
[4] Idem cap. 6.
[5] S. Leo epist. 15.
[6] Pridie nonas.
[7] Falsa consulum adnotatio.
[8] Anno Christi 533.

* Ansulis inclusa, quæ deerant in Labbeo, suppleta sunt ex cod. 574 Palat. Vatic.

* Ex canonibus Neocæsariensibus xcv. — De presbyteris qui fornicati sunt. — *Presbyter, si fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit amplius, pelli debet et ad pœnitentiam redigi.*

Ex canonibus Antiochenis capitulo iv. — De damnatis et ministrare tentantibus. — *Si quis episcopus damnatus a synodo, vel presbyter aut diaconus a suo episcopo, ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere, sive episcopus juxta præcedentem consuetudinem, sive presbyter aut diaconus, nullo modo liceat ei nec in alia synodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis. Sed et communicantes ei omnes abjici de Ecclesia, maxime si posteaquam didicerunt adversum memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentaverint*

Ex canonibus suprascriptis capitulo xv. — De episcopis ab ejusdem provinciæ episcopis consonanter exclusis. — *Si quis episcopus de certis criminibus accusatus condemnatur ab omnibus episcopis ejusdem provinciæ, cunctique consonanter eamdem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concordantium episcoporum provinciæ manere sententiam.*

Tituli infra scripti ad hoc de canonibus excerpti sunt, ut unusquisque breviter possit agnoscere quod clerici post crimina capitalia non possint ad honorem pristinum revocari.

Ad locum, de synodo Nicæna (*Can.* ix), id est 318 episcoporum. *Si qui forte indiscrete ad sacerdotium provecti, postmodum vel ipsi aliquid de se criminosum professi sunt, vel ab aliis revicti, abjiciantur.*

Incipiunt tituli canonum Gallicani.

De synodo Valentinæ civitatis episcoporum 18, iv Idus Julias, Gratiano iii et Equitio consulibus (*Can.* iv). *Nec illud, fratres, scribere alienum ab Ecclesiæ utilitate censuimus, ut sciretis quicunque sub ordinatione vel diaconatus, vel presbyterii, vel episcopatus, mortali crimine dixerint se esse pollutos, a supradictis ordinationibus submovendos, reos scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neque enim solvi ab his potest, si in ipsos se dixerint, quod dictum in alios puniretur, cum omnis qui sibi fuerit mortis causa homicida sit. Divina vos pietas in æternum protegat, fratres dilectissimi.*

Item ad locum de synodo Aurelianensi episcoporum 30. *Si diaconus aut presbyter crimen capitale commiserint, simul ab officio et communione pellantur.*

Item ad locum de synodo Justinianensi [a]. *Si quis diaconus aut presbyter, post acceptam benedictionem leviticam, cum uxore sua incontinens invenitur, ab officio abjiciatur.*

Item de synodo Epaonensi episcoporum 34. *Si quis diaconus aut presbyter crimen capitale commiserit, ab officii honore depositus in monasterium detrudatur, ibi tantummodo quandiu vixerit communione sumenda.*

Ecce manifestissime [b] constat, quia secundum quod et tituli antiquorum Patrum a sancto Joanne papa transmissi, et trecentorum decem et octo episcoporum sententia, sed et canones Gallicani continere videntur, clerici in adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab aliis revicti, ad honorem redire non possunt. Et quia forte non deerunt, quibus pro nimia pietate suprascripta sanctorum Patrum severitas minime placeat, sciant se et trecentorum decem et octo episcoporum præcepta, et sancti papæ auctoritatem, et illorum pontificum qui ordinantibus trecentis decem et octo episcopis reliquos canones statuerunt, sententias reprehendere vel damnare. Sed forte major in illis est pietas quam in supradictis trecentis decem et octo episcopis: major in illis misericordia quam in sancto Joanne apostolico papa; major charitas quam in reliquis sanctis sacerdotibus qui hoc pro exemplo vel remedio Ecclesiarum suis definitionibus deliberaverunt. Et ideo aut plena [prona] voluntate præceptis illorum consentiant; aut si non fecerint, omnibus se contrarios et inimicos esse cognoscant. Quæ est ista justitiæ inimica benignitas, palpare criminosos, et vulnera eorum usque ad diem judicii incurata servare? Quod si etiam durissimam eos pœnitentiam per plures annos agere videremus, sic nos ipsi et saluti eorum consulere, et canonum deberemus statuta servare. Cum vero in aliquibus nec compunctionis humilitas, nec instantia orandi vel plangendi appareat, nec B. David imitentur, qui dixit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* vi); et illud: *Cinerem sicut panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam* (*Psal.* ci), nec eos jejuniis vel lectioni vacare videamus; possumus cognoscere, si ad honorem pristinum redierint, cum quanta negligentia et cum quanto tempore et inimica animæ securitate permaneant, credentes quod sic eis non acta digne pœnitentia dimiserit Deus, quomodo sacerdotes indulsisse videntur. Vere dico quia illi [ipsi] quibus cum periculosa et falsa misericordia indulgere videmur, cum ante tribunal Christi pro tantis peccatis damnandi advenerint, contra nos ipsos causas dicturi sunt, dicentes: Quod dum aut asperitatem linguæ eorum expavimus, aut falsa blandimenta et periculosas adulationes ipsorum libenter accepimus, nos eos, dum illis inutiliter indulgemus, in peccatis permanere, aut ipsa peccata etiam augere permiserimus, non recordantes illud quod in Veteri Testamento scriptum est, quia *uno peccante contra omnes Dei ira desæviit* (*Num.* xvi). O pietas! o misericordia! uni parcere, et omnes per exemplum malum in discrimen adducere! Non ita suadet sanctus ac beatissimus Cyprianus martyr dicens (*Libro de Lapsis*): *Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec reprimit delicta illius, sed fovet*; et iterum: *Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, et absconditum in profundis recessibus virus dum servat exaggerat.* Unde et sanctus Joannes Constantinopolitanus episcopus arguit dicens: *Imperitus est medicus qui ante digestam putredinem superinducit vulneri cicatricem.* Et ideo diligentius perpendite, si aut potest, aut debet fieri, ut, tantorum ac talium quos supra memoravimus sacerdotum canones contemnentes, aliter quam illi statuerunt observare vel agere præsumamus: præcipue cum si illorum trecentorum decem et octo episcoporum, qui per omnes Ecclesias concilia fieri præceperunt, tam sancta decreta negligimus, non illos solos despiciemus, sed, sicut supra jam dictum est, et Africanos pontifices, et omnes reliquos, qui ipsis ordinantibus per totum mundum pro ecclesiastica disciplina aliquid statuerunt, cum peccato animæ nostræ contemnemus. Ego me in hoc periculo mittere omnino non audeo, quia nec talia sunt merita mea, ut aliorum peccata in me excipere præsumam; nec tantam eloquentiam habeo, ut ante tribunal Christi contra tantos ac tam sanctos sacerdotes qui canones statuerunt, causas dicere possim. Videat unusquisque qui aliter sentire vel observare disponit, qualiter possit in die judicii reddere rationem. Ego, in quantum Deus vires dare dignatur, studere volo eorum præceptionibus obedire, quia cum illis non rixam, sed

[a] Sic appellat, ut ante monui, concilium primum Arausicanum a loco ubi celebratum est. Jac. Sirmondus.

[b] Citatur initium hujus tractatus a Gratiano decr. 50, cap. 25 · *Si quis diaconus*; et perperam tribuitur Hormisdæ. Cujusnam vero sit auctoris veteres libri non indicant. Cæsarii fortasse non immerito videri possit. Jac. Sirmondus.

* Hic totus canon suppletus est ex eod. Vatic. ced.

pacem et qualemcunque partem habere desidero. A Et hoc diligenter attendendum est, quod si, secundum quod supra scriptum est, illi clerici qui ad uxores proprias redeunt, ad integrum ab officio suspenduntur, et si etiam digami, aut internuptarum mariti, qui utique rem licitam faciunt, clerici tamen ordinari non possunt, aut si ordinati fuerint, dejiciuntur, [a] de quibus et Faustus episcopus sanctus in epistola sua dixit : *Perdit gratiam consecrati, qui adhuc officium vult exercere mariti* ; cum hæc ita sint, qua conscientia quisquam dicere poterit, quod ille qui adulterium commiserit iterum ad honorem redire possit? Hoc loco si aliquis fuerit qui dicat : Ergo negas misericordiam Dei qui dixit : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII)? et illud : *Nunquid qui cadit non adjiciet ut resurgat* (*Psal.* XL)? et illud : *Peccator in quacunque die conversus fuerit, omnes iniquitates illius oblivioni tradentur* (*Ezech.* XXXIII). Ad hæc libera voce respondere et possumus et debemus : Absit a nobis ut de istis sententiis B videamur vel leviter dubitare. Definitissime enim credimus quod qui usque ad finem vitæ suæ pœnitentiam egerit, non solum indulgentiam accipiat, sed etiam ad præmia æterna perveniat. Propter regulam tamen ecclesiasticam, et propter antiquorum Patrum statuta, quæ absit a nobis ut reprehendere aut discutere audeamus, eum quem credimus ad vitam æternam post actam pœnitentiam venire, ad honorem clericatus secundum tantorum Patrum præcepta novimus non debere reverti. In tantum ut in canonibus scriptum sit : *Ne ullus unquam pœnitens clericus ordinetur.* Et si ille qui ultro petit pœnitentiam, quamvis perfecte agat, non potest aut episcopus, aut presbyter ordinari, ita ut, etiamsi per ignorantiam ordinatus fuerit, et postea convincitur pœnitentiam accepisse, dejiciatur : ille qui invitus ad pœnitentiam agendam in monasterium mittitur, et utique qui aliud quam pœnitens dicendus est, qua conscientia ad sacerdotium redire permittitur? Nemo mihi alia quælibet contra auctoritatem sedis apostolicæ, C aut contra trecentorum decem et octo episcoporum præcepta, vel reliquorum canonum statuta objiciat, quia quidquid contra illorum definitionem, in quibus Spiritum sanctum locutum esse credimus, dictum fuerit, recipere non solum temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito. Valde enim metuo et contremisco illam damnationem quam Heli sacerdos propter stultam indulgentiam accipere meruit (*I Reg.* IV). Qui pro eo quod filios suos negligenter castigavit, ut eos nec cædere, nec excommunicare voluerit, ipsi filii una die occisi sunt, et triginta millia de populo interfecta sunt, et arca testamenti in captivitate ducta est, et ipse retro cadens fractis cervicibus mortuus est, et nomen ipsius de libro vitæ deletum est. Et econtra Phinees, qui pro eo quod zelo Dei commotus duos adulteros pariter interfecit, totum populum de Dei iracundia liberaverit (*Num.* XXV). Nec hoc ideo dico, ut sicut ille fecit, etiam nunc per mortem corporum sacerdotes Domini debeant vindicare; sed quia melius est ut unusquisque parvo tempore, donec vivit in hoc mundo, verecundiam vel confusionem sustineat, quam postea ad supplicia æterna perveniat; et multo ei utilius est propter aliorum exemplum, quandiu vivit, remotus ab honore pœnitentiam agat, et remedium sibi in die necessitatis acquirat. Quicunque parvitati meæ in hac causa voluerit onerosus existere, aliud ei responsum dare non delibero, nisi quod suprascripti canones continere videntur. [b] Hoc ideo dico, quia dum cito crimina capitalia committentibus indulgemus, plurimi, qui nec Deum metuunt, nec sensus disciplinæ ecclesiasticæ expavescunt, sine ullo pudore ac reverentia, per indignas familiaritates extranearum mulierum, et seipsos decipiunt, et famam Christianæ religionis blasphemari etiam ab extraneæ religionis hominibus faciunt. Et ideo justum est, ut dum eis secundum omnium canonum statuta redeundi ad honorem aditus clauditur, tandem aliquando tam gravi malo finis congruus imponatur. Quia quando, diabolo persuadente, aliqui clericorum in aliquod peccatum, et præcipue in adulterium, lapsi fuerint, [*] quam expedit de animabus statuta canonum cogitant, per falsam pietatem ita totis viribus elaborant, ut aut nec mittantur in monasteriis. Si autem, certe post non longum tempus, importunitate nimia, et disciplinæ ecclesiasticæ inimica, extorquere conantur ut redeant ad honorem; qui chartulam istam cum suprascriptis titulis canonum non fuerit aspernatus, nec eam pro rusticitate sermonis despexerit, contra inimicos ecclesiasticæ regulæ multum eum poterit adjuvare, ut libera fronte dicat, sicut jam suprascriptum est, se contra tam sanctas antiquorum Patrum constitutiones venire nullatenus posse. Ego hæc cum omni humilitate suggerens, absolvo apud Deum conscientiam meam. Quicunque autem aut importunitate, aut adulatione, aut falsis blandimentis inclinatus fuerit, ut censuram ecclesiasticæ disciplinæ non teneat, videat qualiter se ante tribunal Christi expediat, ubi contra eum omnes qui canones statuerunt causas sunt sine ulla dubitatione dicturi. In quorum domnorum meorum sacerdotum manibus chartula ista pervenerit, si eam aliis sacerdotibus non solum ad legendum offerre, sed etiam ingerere transcribendam noluerint, timeant ne inde reddant in die judicii rationem. Nec illud credimus omittendum, ut iis qui pro scelere suo a præsidibus seu a rectoribus populi fuerint interempti, et sepulturam in cœmeterio Christianorum habere, et offerentium pro ipsis oblationis juxta canonum indicamus licentiam non negari. Violatores vero sepulcri licet Augustorum principum capitaliter damnet sententia, tamen si qui in hoc facinore fuerint reperti superstites, ab ecclesiastica communione priventur : quia nefas est ut eis Christianorum non obsecretur consortium, qui temeritatis ausu humatorum cineres reddere præsumpserunt inquietos.

[a] Codex Corbeiensis, *quibus et domnus Faustus in epistola.* Pithœanus alter [nec non c. H], *de quibus et sanctus Faustus in epistola.* Floriacensis, *de quibus et sanctus Faustus episcopus in epistola.* JAC. SIRMONDUS.

D [b] Hucusque codex Corbeiensis, et Pithœani ambo [cum c. H] : cætera ex unico sunt Rhemensi.

[*] Locus in ms. corruptus.

ANNO DOMINI DXXXVI.

AGAPETUS PAPA I.

Notitia *ex libro Pontificali.*

Agapetus [a] natione Romanus, ex patre Gordiano presbytero, clericus ad sanctos Joannem et Paulum,

[a] Anno Christi 535, ipsa hieme, Agapetus archidiaconus apprime eruditus in locum Joannis papæ subrogatus fuit, ut constat ex epistolis Agapeti ad Justinianum imperatorem et Reparatum Carthaginen-

sedit menses 11 dies 18 [a]. Hic in ortu episcopatus A sui [b] libellos anathematis, quos invidiæ dolo extorserat Bonifacius presbyteris et episcopis contra canones et contra Dioscorum, in medio ecclesiæ congregatis omnibus incendio consumpsit, et absolvit totam Ecclesiam ab invidia perfidorum. Hic missus est a Theodato [c], rege Gothorum, ad dominum Justinianum Augustum in legationem, quia eodem tempore imperator dominus Justinianus Augustus indignatus est Theodato regi, eo quod occidisset reginam Amalasuntam [d], filiam Theodorici regis, commendatam sibi, quæ eum regem fecerat. Qui Agapetus pergens Constantinopolim, x calendas Maii ingressus, susceptus est cum gloria. Et primum cœpit

sem episcopum, hoc anno rescriptis. Novella constitutio nona, quæ est Justiniani imperatoris hoc anno sub consulatu Belisarii ad Joannem pontificem, sexto calendas Maii data quidem legitur, sed mendose, ut infra copiosius ostendemus. Justinianus imperator, cognita Agapeti ordinatione, more antecessorum suorum fidei catholicæ professionem transmisit. Ab Africana Ecclesia per legationem ad Joannem prædecessorem hujus destinatam consultus, qua ratione Ariani ad Ecclesiam redire volentes recipiendi forent, respondit, non aliter quam secundum canones et ecclesiasticas constitutiones antiquitus observatas, ad pœnitentiam et communionem admittendos esse, prout videre est ex epistolis Agapeti ad concilium Carthaginense, Reparatum episcopum et Justinianum imperatorem hac de re transmissis. Hujus temporibus, callido occultoque consilio impiissimæ feminæ Theodoræ Augustæ Justiniani conjugis, Anthimus episcopus Trapezuntinus, Eutychianæ hæreseos occultus sectator, monstrum horrendum, post obitum Epiphanii orthodoxi præsulis, in sedem Constantinopolitanam intruditur, Alexandriæ vero defuncto Timotheo, favore ejusdem feminæ, Theodosius subrogatur.

Quos cum Severus ille perditissimus hæresiarcha, tempore Justini sede et urbe Antiochena expulsus, suæ farinæ homines esse cognosceret, seque ejusdem Theodoræ potentia Antiochenæ Ecclesiæ restituendum fore speraret, egressus e latebris ad ipsam Theodoram, et Anthimum patriarcham, in hæresi propaganda collegam, convolavit, Anthimum ibidem in hæresi et impietate Eutychiana confirmavit. Quod cum per rumorem Justiniano imperatori innotuisset, coram ipso se expurgans disertis verbis professus est se in omnibus assensurum iis quæ apostolica sedes sentienda præscriberet; significans nullum evidentius catholicæ et orthodoxæ fidei signum edi posse, quam si se crediturum et facturum polliceretur quidquid Romana Ecclesia credendum proponeret. Scholam sacræ theologiæ Romæ erexisset, teste Cassiodoro in præfat. lib. Div. Lect., nisi bellico tumultu impeditus fuisset. Justinianus indigna nece Amalasuntæ, quam Theodatus rex ingratissimus strangulando vel obtruncando occiderat, provocatus, bellum Gothicum jam ante cogitatum, duce Belisario, inchoavit, Romanoque imperio Siciliam subjugavit. Quare Theodatus tanto terrore perculsus est, ut ad pacem obtinendam universam Siciliam, vel, si aliter fieri non posset, totius Italiæ regnum imperatori per Petrum Justiniani legatum offerret. Quæ deinceps acciderint infra dicemus.

SEV. BINIUS.

[a] Baronius Agapetum plus uno integro anno sedisse probat ex epistolis ad eum scriptis, et ab eodem rescriptis. SEV. BINIUS.

[b] Vide notas in vitam Bonifacii, et concilium Romanum II, sub eodem Bonifacio secundo celebratum, supra. SEV. BINIUS.

[c] Cum Theodatus rex barbarus passus esset dispendium in Dalmatia et Sicilia, timeretque futurum ut translata hieme Belisarius, qui in Sicilia hiemabat, Italiam invaderet, ad imminens vitæ suæ periculum antevertendum, per Petrum Justiniani legatum egit, ut imperator Siciliam universam, et, si ea contentus non foret, totius Italiæ regnum acciperet, et vitæ utriusque regis et reginæ parceret. Dimisso legato, rex ad pugnandum ineptissimus, senatoribus et Agapeto pontifici, teste Liberato in Breviario cap. 2, graviter interminatus est, se eos, uxores eorum, filios et filias interempturum, nisi egissent apud imperatorem, ut destinatum exercitum suum ab Italia amoveret. Hac aliaque quadam de causa, universam Ecclesiam concernente, pontifex legationem suscipiens, Constantinopolim proficiscitur. Cui cum itineris expensæ deessent, vasa sacra arcario regio oppignorare debuit, quæ eadem opera Cassiodori recepit. In itinere positus mutum simul et claudum B magna astantium admiratione in partibus Græciæ curavit. Gregor. 3 dial., cap. 3 : *Ingressus Constantinopolim primum honorifice suscipiens*, inquit Liberatus, *directos sibi ab imperatore, sprevit Anthimi præsentiam, eumque ad salutandum suscipere noluit. Deinde viso principe causam agebat susceptæ legationis. Imperator autem pro multis fisci expensis ab Italia destinatum exercitum avertere nolens* (ideo fortasse quod victoria quadam per Gothos in Dalmatia contra imperatorem parta, Theodatus elatior factus, oblatam promissionem revocavit), *supplicatio es papæ noluit audire*: sed potius Belisario jam in Siciliam trajicere parato, cœptam expeditionem perficere præcepit. Qui improviso agmine perveniens in Campaniam, Neapolim, teste Procopio, valde munitam obsedit. His ita peractis, pontifex legationem illam, cujus causa a Deo missus fuerat, exsequitur: principio ab imperatore, qui propter Anthimi hæretici ordinationem suspicionem hæreseos incurrerat, C secundam fidei professionem infra inter epistolas exstantem extorsit. Deinde vocatos in judicium Acephalorum principes Anthimum, Severum, Petrum et Zoaram, quos episcopi et archimandritæ orthodoxi oblatis libellis de hæresi accusaverant, condemnavit: ea conditione addita, ut si Anthimus, prævia fidei confessione, erroris abjuratione, et delicti commissi pœnitentia ad Ecclesiam redire vellet, episcopatus pristinus Trapezuntinæ Ecclesiæ illi integre servaretur. Quod cum hortatu Severi Acephalorum capitis Anthimus præstare recusaret, pontifex eum simpliciter ab episcopatu deposuit, et in locum ejusdem Mennam magni nominis orthodoxum, genere Alexandrinum, xenodochii majoris præpositum, concilii Chalcedonensis professorem subrogavit. Quæ ut universis episcopis innotescerent, encyclicas litteras de Anthimi depositione et Mennæ substitutione ad orientales episcopos scripsit. *His peractis*, inquit Liberatus in Breviario, capite 21, *constituens papa apud imperatorem apocrisiarium* D *Ecclesiæ suæ Pelagium diaconum suum, dum in Italiam reverti disponit, Constantinopoli obiit*; atque e prælio ad coronam vocatus, consecutus est præmium æternæ vitæ, pro quo obtinendo, brevi temporis spatio Ecclesiæ præsidens plurima beneficia contulit. Unde quæ hoc loco scribit Anastasius de Anthimo in judicium vocato, viso et audito, deque eodem post factam discussionem condemnato, erronea esse videntur, ideo quod præter Nicephorum acta synodalia concilii Constantinopolitani infra subsequentia testantur, ipsam neque citatum, neque visum, ab Agapeto penitus rejectum et condemnatum fuisse. Hæc ex Liberato, Cassiod., Niceph. et actis synod. Baron. anno 536, n. 1 et sequentibus. SEV. BINIUS.

(a) Cod. Luc. *Amalasuentam*.

[d] Anno 536 defunctum esse omnes fatentur. Sed cum XII calendas Octobris ejus memoria celebretur,

habere altercationem cum piissimo principe imperatore domino Justiniano Augusto de religione. Cui beatissimus Agapetus episcopus constantissime fidei apostolicæ responsum reddidit de domino Jesu Christo, Deo et homine, hoc est, de duabus naturis in Christo. Et dum contentio versaretur, ita Dominus adfuit, ut episcopum Constantinopolitanum nomine Anthimum, inveniret Agapetus papa hæreticum. Cumque contentio verteretur cum Augusto et Agapeto papa, dixit ei imperator Justinianus: Aut consenti nobis, aut exsilio deportari te faciam. Tunc beatissimus papa Agapetus respondit cum gaudio, dicens ad imperatorem: Ego quidem peccator ad Justinianum imperatorem Christianissimum venire desideravi, nunc autem Diocletianum inveni. Qui tamen minas tuas non pertimesco. Et dixit ei iterum Agapetus venerabilis papa: Tamen, ut scias tu eum idoneum non esse religioni Christianæ, episcopus tuus confiteatur duas naturas in Christo. Tunc accersito ex præcepto Augusti episcopo Constantinopolitano nomine Anthimo, et discussione facta, nunquam voluit confiteri in doctrina catholicæ responsionis ad interrogationem beati papæ Agapeti duas

A naturas in Domino Jesu Christo. Quem cum vicisset sanctus papa Agapetus, glorificatus est ab omnibus Christus (a). Tunc piissimus Augustus Justinianus gaudio repletus humiliavit se sedi apostolicæ, et adoravit beatissimum Agapetum papam. Eodem tempore ejecit Anthimum a communione, et expulit in exsilium. Tunc piissimus Augustus Justinianus rogavit beatissimum papam Agapetum, ut in locum Anthimi episcopum catholicum consecraret nomine Mennam. Qui Agapetus papa omnia obtinuit pro quibus missus fuerat. Post dies vero aliquantos ægritudine correptus, defunctus est Constantinopoli. Cujus corpus in loculo plumbeo translatum est Romam, usque in basilicam Beati Petri apostoli, ubi et sepultus est XII calendas Octobris. Hic fecit ordi-

B nationem in urbe Roma, diacones 4, episcopos per diversa loca numero 11. Et cessavit episcopatus mensem unum dies viginti octo.

Ex Gratiani decreto desumptum.

Agapetus papa, vas catholicum, evangelii tuba, præco justitiæ, sacra altaris sedisque velamina, sacrilegis Anthimi infecta fabulis, suis catholicis precibus delevit.

in Ecclesia, quod hic de tempore obitus et sedis vacantis refert Anastasius fide caret. Quam historiam de Agapeto refert Sophron. in Prato spirituali cap. 150, apud Baron. invenies anno prædicto, n. 60 et seqq. SEV. BINIUS.

(a) Idem cod., *Christianis*.

AGAPETI PAPÆ I EPISTOLÆ.

EPISTOLA JUSTINIANI AD AGAPETUM.

C *More majorum suorum apud pontificem Romanum recens electum fidei suæ professionem edit, eamdem quam supra ad Joannem papam II miserat.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei imperator Cæsar Flavius Justinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclytus, Victor, ac Triumphator semper Augustus, Agapeto sanctissimo archiepiscopo almæ urbis Romæ et patriarchæ.

Ante tempus in hac regia urbe nostra quorumdam de causa fidei exstitit morbosa contentio; quam nos congrue respuentes interposito edicto repressimus. Et quia studii nostri est emergentes hujusmodi causas ad apostolicæ sedis vestræ referre judicium, ejusdem fidei quam sequendam duximus, D tenorem epistolæ nostræ insertum, ad beatæ memoriæ prædecessorem vestrum Joannem per Hypatium et Demetrium venerabiles episcopos missa legatione direximus. Quam pro integritate fidei memoratus prædecessor vester libenti gratulatione suscipiens, suo ac totius Ecclesiæ Romanæ firmavit assensu. Cujus epistolæ nostræ tenor hujusmodi est:

Victor Justinianus, Pius, Felix, Inclytus, Triumphator, semper Augustus, Joanni sanctissimo archiepiscopo almæ urbis Romæ et patriarchæ.

Reddentes honorem apostolicæ sedi et vestræ sanctitati, quod semper nobis in voto fuit, et est, ut decet patrem, honorantes vestram beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinamus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis: quoniam semper magnum nobis fuit studium unitatem vestræ apostolicæ sedis, et statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, quæ hactenus obtinet, et incommote permanet, nulla intercedente contrarietate. Petimus ergo vestrum paternum affectum, ut vestris ad nos destinatis litteris, et ad sanctissimum episcopum hujus almæ urbis et patriarcham vestrum fratrem, quoniam et ipse per eosdem scripsit ad vestram sanctitatem, festinans in omnibus consequi sedem apostolicam beatitudinis vestræ, manifestum nobis faciatis, quod omnes qui prædictam fidem recte confitentur suscipit vestra sanctitas, eorum qui Judaice ausi sunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam. Plus enim ita et circa vos omnium amor, et vestræ sedis crescit auctoritas, et quæ ad vos est unitas sanctarum Ecclesiarum inturbata servabitur: quoniam per vos didicerint omnes beatissimi episcopi horum quæ ad vos relata sunt sinceram vestræ sanctitati doctrinam. Petimus autem vestram beatitudinem orare pro nobis, et Dei nobis acquirere providentiam. *Exemplar subscriptionis.* Divinitas te servet per multos annos, sancte ac religiosissime pater. Data VIII iduum Juniarum, Constantinopoli,

domino nostro Justiniano perpetuo Augusto III consule [1].

EPISTOLA PRIMA AGAPETI PAPÆ I

AD JUSTINIANUM.

Justiniani fidei libellum, quatenus conformis est sacris canonibus, confirmat.

Agapetus episcopus Justiniano Augusto.

Gratulamur, venerabilis imperator, quod tanto catholicæ fidei ardore succenderis, ut omnibus piissimæ vitæ vestræ temporibus piam sollicitudinem circa servandam augendamque Ecclesiarum concordiam clementer exhibeas, et unam fidem, suaque per omnia firmitate consimilem omnibus populis Christianis cupias prædicari. Nec mirum in ejusmodi clementiam vestram placita Deo cogitatione persistere, cum non alius imperii vestri beat or sit provectus, quam religionis augmentum. Quapropter libenti hoc et prophetica voce cantabo: *Repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione* (*Psal.* CXXV), quod florentissimum principatum vestrum divinis quotidie inspicimus beneficiis adornari. Cupis enim, venerabilis imperator, ut tuæ pietatis epistolam de fidei vestræ expositione nuper ad beatæ memoriæ prædecessorem nostrum Joannem Romanæ sedis antistitem, per Hypatium atque Demetrium episcopos destinatam, et a præfato præsule roboratam nostra quoque auctoritate firmemus: laudamus, amplectimur: non quia laicis auctoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium fidei vestræ patrum nostrorum regulis conveniens confirmamus atque roboramus. Per quod jam et unitas provenit Ecclesiæ, et reliqua catholicæ membra Ecclesiæ ad ejus compagem Christianitatis constantia reditura confidimus. Cujus professionis vel epistolæ vestræ tenorem inferius annectentes, studium, quod circa Deum integre geritis, nostra auctoritate firmamus, prædicantes hujusmodi fidem omnibus patrum nostrorum regulis convenire, et apostolicæ sedis concordare dogmatibus: constituentes ut si quis nostræ catholicæ fidei contraire tentaverit, quam pro submovenda hæreticorum suspicione paternis regulis consonantem præsenti definitione firmamus, sanctæ communionis efficiatur extraneus. Unde et Cyrum, ejusque sequaces, jam ante pro hac insania ab Ecclesiæ catholicæ communione suspensos, et in sua hactenus perfidia permanentes, nisi sub satisfactione canonica doctrinam apostolicam fuerint consecuti, nullatenus patimur eos sacræ communioni restitui: sed etiam ut hæreticos anathemati subjicimus, ut qui nostris constitutionibus parere contempserit, ecclesiasticum statum puritatemque non maculet.

Textus autem epistolæ hic est: In nomine Domini nostri Jesu, etc., *ut supra col.* 35-36. ([a]) Quamobrem petimus sanctitatem vestram, ut memoratam epistolam vestra auctoritate firmetis, et Cyrum vel sequaces ejus a communione habeatis alienos, donec statutis sanctitatis vestræ obtempèrent. *Exemplar subscriptionis.* Divinitas te servet per multos annos, sancte ac religiosissime pater. Data pridie iduum Martiarum Constantinopoli Flavio Belisario viro clarissimo consule ([b]). *Is fuit annus Christi* 535.

Huic igitur, ut prædictum est, confessioni, et huic fidei quisquis contradicere præsumpserit, a catholica communione se noverit alienum. Datum XV calendas Aprilis, Constantinopoli Flavio Belisario viro clarissimo consule [An. Chr. 535] ([c]).

Constitutiones de fide a Justino imperatore sancitæ, pontificis auctoritate confirmantur illæ quæ sacris canonibus innituntur. Unde sicubi aliquid de rebus ecclesiasticis et causa fidei constituisse legitur, id instinctu Epiphanii Constantinopolitani episcopi et Romanorum pontificum fecisse credi debet. SEV. BINIUS.

EPISTOLA IV,

AD JUSTINIANUM.

Justiniano gratias agit, quod sibi de electione in pontificem fuerit gratulatus; illius fidem laudans, ad catholicam fidem tuendam hortatur; lapsos episcopos cum honoribus recipi non posse respondet.

Agapetus episcopus Justiniano Augusto.

Licet de sacerdotii mei primitiis, pietatis divinæ muneribus ad referendas essem gratias multipliciter obligatus, susceptis tamen, venerabilis imperator, per Heraclium venerabilem presbyterum filium nostrum vestræ serenitatis affatibus, quos æterni fructus ubertate plenissimos destinastis, votorum meorum sunt in Domino gaudia geminata, quod adunatis felicitatis vestræ provectibus, tali mentis gloriosæ proposito terrena vobis regna subjicitis, ut simul cœlestia conquiratis. Cujus rei non sunt ambigua documenta, quando ita vestris, quæ direxistis oraculis, catholicæ professionis lumen irradiat, ut etiam beatis operibus enitescat. Siquidem illa est in Deo nostro plena et firma credulitas, quam spiritualium

[1] At ista non cohærent, ut dicimus in notis.

([a]) Inclusa parenthesi reliqua sunt epistolæ Justiniani ad Agapetum.

([b]) Reponendum, *post consulatum Belisarii V. C.*, nempe anno 536, ut legitur in ms. Vaticano, teste Em. Norisio in Dissert. de Uno ex Trinitate carne passo, loco, *Fl. Belisario V. C. consule*, id est 535, ut hic legitur. Hoc enim anno mense Martio Agapetus nondum erat pontifex, et ejus ordinatio, quemadmodum card. Norisius recte disserit, in Januarium sequentem retrahenda foret, ut imperator ex Thracia ad eumdem scribere potuisset; cum tamen Agapetus primæ ad se a Justiniano missæ epistolæ responderit idibus Octobris anni Christi 535, ut patet ex epistola 4 ejusdem sub exordio: *Licet de sacerdotii mei primitiis*, etc.; perperam hic in titulo hujus epistolæ dicitur: *Epistola missa ab imp. Justiniano more majorum ad pontificem Rom. recens electum, cum professione fidei*: siquidem jam ante annum Romæ Agapetus sederat pontifex, aliasque ad eumdem litteras imperator miserat. *Pagius ad an. Chr.* 535, *n.* 5.

([c]) *Post consulatum Belisarii V. C.* Hoc charactere consulari in laudato codice Vaticano a card. Norisio lecto designatur annus 536. In editionibus Conciliorum gravi allucinatione scriptum est, *Constantinopoli Fl. Belisario V. C. consule*, cum collectores non observassent die 18 Martii currentis anni quo Belisarius consulatum gessit, neutiquam fuisse Constantinopoli, qua in urbe diserte signatur hæc epistola Agapeti. *Pag. ad dictum ann.*, *n.* 7.

simul fructuum commendat ubertas, sicut Vas electionis annuntiat dicens : *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* V). Quod enim majus fidei vestræ poterit opus existere, quam quod tantis apostolicam sedem charitatis et munificentiæ titulis elevastis, ut ipsa etiam desideria sperantium transieritis? Et quidem hoc in vobis olim, sicut ego quoque probavi, per Dei gratiam semper floruit institutum, ut possibilitatis vestræ meritum quantitas ostenderet præstitorum, et ad hos provectus indeptæ momenta potentiæ tenderetis, ut benignitas vobis ingenita vota poscentium aut præveniret, aut vinceret. Hinc est, quod usque ad principalis coronæ fastigia, et ultra nunc usque prosperis vestra tranquillitas successibus gloriatur, neque unquam cœlestibus fraudabitur adjumentis; quia scriptum est : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII). Unde ego quoque piissima vestræ liberalitatis eloquia, cum devotione gratulantis Ecclesiæ, sicut præcepistis, divinis scripta feci mysteriis adhærere, ut supernæ majestatis obtutibus indefessis semper precibus ingerantur, et ad impetranda vobis retributionis vestræ præmia sit commemoratio sempiterna. Atque ideo, domine clementissime fili, obsequium salutationis uberrimæ reverenter exsolvens, specialis vos sinibus charitatis amplector, sperans ut de mea devotione, quantum in me est, in iis quæ pro ecclesiasticæ pacis unitate præcipitis, vos vobis potius quæ sunt catholica promittatis, juxta hoc quod dicit Apostolus : *Ita quod in me est, promptum est et vobis* (*Rom.* I). Nec in aliquo eorum in quibus licite possumus obedire, mansuetudinis vestræ nos adhortationibus credatis absistere, quia, sicut gentium Doctor asseruit : *Spem habeo crescente fide vestra, et in vobis magnificari, secundum regulam nostram* (*II Cor.* X); et ideo immensas Deo nostro gratias exhibeo, quod pro populi multiplicatione catholici tanto charitatis ardore fervetis, ut ubicunque vestrum propagatur imperium, regnum mox incipiat proficere sempiternum. Cujus studii benevolentiæ vehementius insistentes, etiam nos in acquirendis eis, quos Arianam significatis vitare velle perfidiam, paternæ traditionis existimatis declinare posse censuram, scilicet ut et in his honoribus, in quibus fuerunt apud hæreticos, perseverent et promoveantur ad alios. Quapropter bonum hoc equidem, et summa laude præcipuum, quod omnes ovili dominico per veram fidem cupitis aggregare : sed non oportet nobis eos qui non recte ingredi moliuntur excipere, beato Paulo apostolo commonente : *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum* (*II Cor.* VI). Quantam autem paternarum constitutionum, si sic recipiantur (quod absit), incurrant offensionem, ne quid pietatem vestram latere contingeret, ipsas quoque regulas credidi subnectendas, quæ specialiter censuerant, ne quis talium reconciliatus, aut ecclesiastici ordinis provectibus augeatur, ut desideret honores ulterius

A possidere, quos se dubitare jam non debet culpabiliter amisisse : ex quibus pietas vestra melius poterit æstimare, si quo modo tam aperta et synodalia sedis apostolicæ licet infringere constituta, cum sententia clamet Apostoli : *Si tamen quæ destruxi ea iterum reædifico, prævaricatorem me ipse constituo* (*Galat.* II). Et ideo securus cum ipsius apostoli voce profiteor quia *confido in vobis, et in Domino, quod nihil aliud sentiatis* (*Galat.* V). Etenim, sicut idem doctor asseruit : *Certus sum et ego de vobis, quod pleni estis bonitate, repleti omni scientia, ut possitis invicem monere* (*Rom.* IV). Si igitur hi de quibus indicastis ad fidem rectam legitime venire festinant, nostræ fidei regulas sequi non abnuant, dicente Domino : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum,*
B *et sequatur me* (*Matth.* XVI). Quod si adhuc vituperandi [recuperandi] honoris ambitionibus excitantur, et pro lucro sanctæ fidei humanæ gloriæ pati damna formidant, ipsi pronuntiant necdum se a vitiis et errore discedere, et nos magis velle suis excessibus implicare. De talibus ergo dicit Apostolus : *Æmulantur autem vos non bene, sed excludere vos volunt ut eos æmulemini* (*Galat.* IV). Quæ cum ita sint, sancto studio vestro, quod Ecclesiam catholicam cupitis ampliari, nihil ex hoc, si tales in clero non recipiantur, credatis imminui, Apostolo præmonente : *Quid enim si quidam eorum non crediderunt? Nunquid incredulitas eorum fidem Dei evacuavit? Absit* (*Rom.* III). Nam licet simili studio charitatis pro multiplicatione fidelium ille beatus Petrus cœlestis regni janitor
C traheretur, qui ut Judæorum plures acquireret a doctrina et tramite regulari in non respuendo omni Judaismo descenderat, huic tamen ille junior vinctus in Domino Paulus se retulit obviasse dicens : *Sed cum vidissem quod non recte ingrederentur ad veritatem Evangelii, dixi Petro coram omnibus : Si tu, cum sis Judæus, gentiliter vivis, quomodo gentes cogis judaizare* (*Galat.* II)? Hæc ergo per omnia Deo cordi vestro assidente pensantes, agnoscere poteritis, non occasionem nos excusationis inquirere, sed ea quæ pro officii nostri ratione transcendere non possumus, vobis humiliter intimare, dicente Apostolo : *Non enim possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate* (*II Cor.* XIII). Unde et de Stephani episcopi persona simul et causa non credatis alicujus nos studio de-
D fensionis impelli. Absit a quorumlibet mentibus Christianis, ut in quacunque persona, aut innocentiam redarguant, aut crimen absolvant. Sed universa quæ apostolicæ sedis nuper hac sunt parte disposita, illo semper studio manaverunt, quæ principatui beati Petri vos quoque cupitis per omnia reservari, scilicet ne in his qui sedis ejus audientiam postulassent, sperata ipsius reverentia alterius sententia proveniret. Et ideo quia clementia vestra salubriter offerre dignata est, ut a legatis nostris omne negotium tractaretur, hanc operam his quos incontinenti dirigimus Deo auctore mandamus, ita tamen ut jam nunc communione nostra vir religiosus Achilles pro vestra jussione debeat gratulari. At vero de sa-

cerdotio perfruendo, cum ad nos universa quæ legati nostri cognoverint plenissima eorum fuerint relatione perlata, consideratis sanctorum canonum regulis, quas servari præcipitis, sequenda firmius censebuntur. Quod autem clementia vestra fratris et coepiscopi nostri Epiphanii dignata est excusare personam, quia in prædicti Achillis consecratione vestra potius jussio quam illius ordinatio prævenisset; credimus quod et ipse cognoverit jure culpatum, qui præter alia quæ deliquit, hoc certe excusare vix poterit, quod tam piissimo et clementissimo principi, beati quoque Petri privilegia defensanti, non vel opportune vel importune suggesserit quid in hac parte sedis apostolicæ reverentiæ deberetur. De quo simul negotio, sed et de Justiniana civitate, gloriosi natalis vestri conscia, nec non de nostræ sedis vicibus injungendis, quid, servato beati Petri quem diligitis principatu, et vestræ pietatis affectu, plenius deliberari contigerit, per eos quos ad vos dirigimus legatos (Deo propitio) celeriter intimamus. Superest ut, sicut a beato Petro indesinenter exposcimus, de salute et prosperitate vestri semper imperii gratulemur. Datum idibus Octobris [anno Domini 531].

PRIMUM EXEMPLAR PRECUM

JUSTINIANI IMPERATORIS AD AGAPETUM PAPAM.

Catholicam fidem apud pontificem profitetur.

Prima salus est, recte [rectæ] fidei regulam custodire, et a constitutis Patrum nullatenus deviare: et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia, dicentis: *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI). Et hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica extra maculam semper est catholica servata religio. De qua spe et fide minime separari cupientes, et Patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes qui contra sanctam Romanam et apostolicam Ecclesiam, etc., *ut supra post epistolam Bonifacii papæ II*, tom. LXV, col. 45.

Imperator ex præcedentis epistolæ pontificiæ censura prudentior factus, non amplius privatam a se editam fidei professionem, sed publicam misit illam, quam olim Hormisda pontifex miserat per legatos Constantinopolim subscribendam ab iis qui catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ communionem consequi vellent. SEV. BINIUS.

OBSERVATIO P. ANTONII PAGI,
ad ann. Christi 535, n. 6.

Justinianus tertio a memorata epistola die, professionem fidei a se signatam, ad Agapetum destinavit. Cardinalis Norisius observat in laudato codice Vaticano pag. 45, grandioribus litteris legi: *Exemplar piissimi domini nostri Justiniani imperatoris, quem dedit Agapeto Constantinopoli de Fide*, et incipere: *Prima salus rectæ fidei*, etc. Labbeus undecim prioribus A Libelli versibus recitatis, addit *etc.*, *ut supra post epistolam Bonifacii II*, *pag.* 735, 736, quo loco ait a callido veteratore eum libellum confictum. Baronius vero num. 35 dicit eam professionem fidei esse illam ipsam quam *Hormisdas* per legatos Constantinopolim missos, tradidit iis qui communionem cum apostolica sede expetebant. Hunc errorem corrigit cardinal. Norisius ex laudato ms., in quo libellus ibidem recitatus idem omnino est cum relato a Labbeo p. 857, 858. Professio fidei ab Hormisda impetrata legitur annexa epistolæ 51 Hormisdæ ad episcopos Hispaniæ, et antea epistolæ 9 ad Joannem Nicopolitanum. Hæc autem prioribus quidem verbis similis est libello a Justiniano oblato, sed postea hoc ipso est brevior, ac tota in anathematizandis hæreticis, eorumque fautoribus consistit; cum tamen in libello Justiniani catholica doctrina contra Nestorium et Eutychen plene exponatur. Hic libellus Justiniani in codice Vaticano signatur: *dat.* XVII *calend. Aprilium P. C.* (id est post consulatum) *Belisarii V. C.* In prioribus B editionibus legebatur: *Fl. Belisario V. C. consule*, quem errorem Binius ac Labbeus expunxerunt, apud quos pro XVIII *calend.* reponendum XVII *cal. Aprilis*, anno Christi 536.

SECUNDA [a] FIDEI CONFESSIO

QUAM JUSTINIANUS OBTULIT PONTIFICI AGAPETO CONSTANTINOPOLI, DUM PER APPROBATIONEM ORDINATIONIS ANTHIMI IN SUSPICIONEM HÆRESEOS VENERAT.

Exemplar libelli piissimi domini Justiniani imperatoris, quem dedit Agapeto papæ ad Constantinopolim de fide. — Fidem catholicam profitetur, et hæreticos anathematizat.

In nomine Domini Dei nostri Jesu Christi, imperator Cæsar Flavius Justinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandali- C cus, Africanus, Pius, Felix, Inclytus, Victor, ac Triumphator, semper Augustus, Agapeto sanctissimo ac beatissimo archiepiscopo almæ urbis Romæ et patriarchæ.

Prima salus est rectæ dei regulam custodire, et a Patrum traditione nullatenus deviare: quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI). Hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio. De hac igitur fide non cadere cupientes, et Patrum sequentes in omnibus constituta, id est trecentorum decem et octo sanctorum Patrum qui in Nicæa sunt D congregati et sanctum anathema, sive symbolum fidei exposuerunt, et centum quinquaginta sanctorum Patrum qui in Constantinopolitana civitate convenerunt, et idipsum sanctum anathema dilucidaverunt, atque manifestaverunt, et sanctorum Patrum qui in Ephesina prima synodo congregati sunt, et sanctorum Patrum qui in Chalcedone convenerunt, et quæ in unaquaque ipsorum de fide continentur sequentes dogmata, per quæ omnis aufertur hæresis impugnans

[a] Post obitum Epiphanii episcopi Constantinopolitani, studio et favore Theodoræ Augustæ Anthimus hæreticus, et Eutychianus occultus in locum defuncti subrogatus fuit. Cui ordinationi cum imperator, hæreseos illius adhuc ignarus, consensisset, suspicionem hæresis apud Ecclesiam incurrit. Dum ergo pontifex ordinatione Dei hac de causa Constantinopolim venisset, post causam Theodati regis propositam, hanc fidei professionem ab imperatore exegit. Nota consularis in fine addita mendosa est, sicque corrigenda: Data XVIII calendas Aprilis, Constantinopoli, post consulatum Belisarii viri clarissimi. SEV. BINIUS.

sanctam et apostolicam Ecclesiam, et probantes per omnia, atque amplectentes epistolas beatæ memoriæ Leonis omnes quas de fide Christiana conscripsit, et confitentes unum eumdemque Christum Dominum Filium unigenitum in duabus naturis, id est, in divinitate et humanitate, inconfuse, incommutabiliter, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ et in unam personam atque substantiam concurrentes, et non in duas personas partitum atque divisum, sed unum eumdemque Filium unigenitum Deum Verbum Dominum Jesum Christum, sicut ante prophetæ de eo, et ipse nos Jesus Christus erudivit et sanctorum Patrum nobis symbolum tradidit : omnes hæreticos anathematizamus, qui præter hæc quæ dicta sunt sapuerunt atque B sapiunt, et præcipue Nestorium hæreticum Constantinopolitanæ civitatis quondam episcopum damnatum in synodo Ephesina a beatæ memoriæ Cœlestino papa urbis Romæ et sancto Cyrillo Alexandrinæ civitatis antistite; et cum eo anathematizamus Eutychen et Dioscorum Alexandrinæ quondam civitatis episcopum, damnatum a synodo Chalcedonensi, quam amplectentes sequimur. His conjungentes Timotheum parricidam, Ælurum cognominatum, ejusque discipulum et sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum similiter condemnatos. Adversamur autem et Acacium quondam Constantinopolitanæ civitatis episcopum cohæreticum, et sequacem horum factum, nec non et participatorem. Quorum enim quis communionem amplectitur, eorum et similem sen- C tentiam in condemnatione consequitur : simili modo et Petrum Antiochenum condemnamus cum sequacibus suis, et omnibus suprascriptis. Quapropter, sicut præfati sumus, sequentes in omnibus sedem apostolicam, quæ ab ea statuta sunt prædicamus. Et profitemur ista inconcusse servari, et compellere ut juxta tenorem libelli istius omnes faciant episcopi, ut sanctissimi quidem patriarchæ ad vestram faciant sanctitatem. Metropolitani vero patriarchis, et alii ut suis faciant metropolitanis, quatenus per omnia sancta catholica nostra Ecclesia suam habeat firmitatem. *Alia manu :* Divinitas te servet per multos annos, sancte ac religiose pater. Datum decimo octavo calendas Aprilis, Constantinopoli, Flavio, Belisario (*a*) viro clarissimo consule [1].

EPISTOLA II.

AD EPISCOPOS AFRICANOS.

Gratulatur quod ab hæreticorum manibus evaserint incolumes, et ad ea de quibus Joannem consuluerant respondet.

Agapetus episcopus Reparato, Florentiniano, Da- A tiano, et cæteris episcopis per Africam constitutis.

Jamdudum quidem, fratres amantissimi, de prosperitatibus vestris *repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione* (*Psal.* CXXV). Sed et nunc cum litteras charitatis vestræ ad prædecessorem nostrum datas accepimus; pridem gaudia concepta renovamus, benedicentes Dominum sempiternum, *qui liberavit nos ab inimicis nostris, et de manu omnium qui nos oderunt* (*Luc.* I). Vobiscum enim recte nos dicimus, cum quibus et tribulati sumus. Nam cum unum corpus ubique sit Ecclesia, et apud nos quoque principalia compatiebantur et membra. Vester enim mœror nostra fuit semper afflictio, et de vestrorum omnium gemitu, imperante charitate visceribus, frequentabamus sæpe singultus. Quæ cum ita sint, redeuntibus Caio et Petro fratribus et coepiscopis nostris, atque Liberato diacono [2] filio nostro proferimus sincerissimam consilii vestri charitatem : quoniam sicut et sapientes facere decebat et doctos, et immemores principatus apostolici non fuistis : sed quæstionis illatæ volentes vincula dissolvere, ab ejus sede requisivistis (sicut decebat) aditum, cui potestas est indulta claustrorum. Unde nos ea quæ de ejusmodi negotio in penetralibus Patrum constituta posuerunt libenter aperimus, et præsentibus alloquiis translata subnectimus, ut sine dubitatione possitis agnoscere, transcendi positos jamdudum terminos non licere. Itaque si vitare volumus offendiculum, quod a senioribus annuntiatum est, hoc sequamur. Carent enim excusatione quos præmonitos contingit excedere, et acerbitatem cumulat excessuum, quos ignorantia non tuetur. Hinc est ut quia in tantum Deus omnipotens *erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui* (*Luc.* I), ut de omnibus quorum iniquitati subjacuimus reconciliatione tractemus, ita sollicite remedia debeamus adhibere, ne incolumitatis nostræ sit incommodum quod curantur, aut medicina subeat maculam de vulnere, cui tribuere vult salutem. Sed ejusmodi (sicut et nobis cautissime visum est) præstemus officium in observatione pastorum, ne cum perdita volumus congregare, pereamus, et cum sub nimia relaxatione absolvimus, obnoxii (quod avertat Dominus) cadamus in culpam : maxime cum priorum nostrorum sententia, D redeuntes ad nos ex Arianis, quolibet modo, in qualibet ætate illius pestilentiæ labe pollutos, tanta charitate in fide complexa est ejusmodi justitia, et sub dilectione redarguit, tanta ratiocinatione de ambitu honoris exclusi, ut erubescerent aliud magis quærere quam redire. De eo vero quod piissima compunctione requisistis, utrum ad officium suum debeant suscipi, aut eos non oportet omnino promoveri, an alimoniorum saltim utilitatibus adjuventur,

(*a*) Legendum XVII *cal. Apr.*, *C. P.*, *post cons. Belis.*, nam mensis Aprilis non plus quam dies 17 ante calendas habet. *Pagius ad an. Chr.* 536, *n.* 4. Pagii emendationem vindicat vetus collectio Avellana in cod. Vatic. quæ ita pariter legit, ut hic Pagius. Vide Ballerinos in dissert. prævia ad tom. III operum S. Leonis Magni, pag. CLXIII.

[1] Anno Chr. 536, quia nullus hoc anno novus creatus fuit consul.

[2] Prioris Romà profectionis meminit Liberatus, capite 20 Breviarii.

laudamus hortamur, amplectimur, ut revera ejus promotionem aut officium in quo fuerint abnegantes, canonum vos reverentia judicent omnes appetere potius quam gerere cupiditatis ardorem. Venientes igitur ad fidem sincerissimam, nutriat humanitas, consoletur, prompta sit omnibus misericordia, in cujus remuneratione dictum est : *Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v). Illud quoque quod catholicos, qui præsunt aut militant Ecclesiæ, sine sacerdotum suorum litteris suscipi a nobis minime debere mandatis, et canonibus est congruum, et disciplinis prodesse judicamus, ac fidei, qui permanendo in Ecclesiis in quibus militant, et ministerii sui poterunt assiduitate in Dei Salvatoris nostri amore fervescere, et quæ in pervagatione reprehensibilia sunt, vitare. (a) Data v idus Septembris.

EPISTOLA III.

AD REPARATUM.

Gratias agit, quod sibi de electione in pontificem fuerit litteris gratulatus, simul significans se ejus consultationibus respondisse, idemque per legatos præstiturum. Interea hortatur, ut quæ pro fide catholica scripsit divulgari curet.

Agapetus Reparato episcopo Carthaginensi.

Fraternitatis tuæ litteris indicasti post epistolam decessori meo dirigendam, inter navigii suscipiendi moras, quas hiemis continuatæ generabat asperitas, ordinationem nostram tibi omnipotentis Dei beneficio nuntiatam, et gratulatum te fraternitatis affectu, quia pontificatus mihi divinitas indulsit officium, quod de sinceritate tua non sumus admirati. Sic enim te nobis alloquii directi præsentavit affectio, ut cum dilectissimas tuas litteras legerem, te viderim. Quapropter ipsa te, quam vidi, mente complectens, postulo misericordiam divinitatis, ut et in vobis quietis reparata gratia fructificet, et Deus omnipotens, qui mihi sacerdotis dedit donum, concedat et meritum. Præterea ad ea quæ Caius atque Petrus fratres et coepiscopi nostri, sed et Liberatus diaconus filius noster, ut apud nos agerent verbo a fraternitate tua sibi injuncta direxerunt, congruum putavimus verbo dare responsum, quod per legatos nostros (si Domino placuerit) reddere non moramur. Universa præterea, quæ inimicorum perversitas invaserat, charitati tuæ metropolitana jura reparantes, hortamur, ut ea quæ tuo vel aliorum nomine rescripsimus, universis debeas innotescere, metropolitani quippe auctoritate suffultum : ne quis se excusabiliter asserat ignorare quod sedis apostolicæ principalitas canonum consideratione perscripsit. Data v idus Septembris post consulatum Paulini viri clarissimi.

EPISTOLA VI.

AD CÆSARIUM EPISCOPUM ARELATENSEM.

Quod prædia juris Ecclesiæ nullo titulo alienari debeant.

Dilectissimo fratri Cæsario Agapetus.

A Tanta est, Deo propitio, et ad ea libentissime concedenda quæ alimoniis proficiunt pauperum, et circa tuæ fraternitatis affectum, nostra devotio, ut onerosum nobis nullatenus esse judicemus, quod annui vestris desideriis postulatis. Sed revocant nos veneranda Patrum manifestissima constituta, quibus prohibemur prædia jure Ecclesiæ, cui nos omnipotens Dominus præesse constituit, quolibet titulo ad aliena jura transferre. Qua in re vestræ quoque sapientiæ credimus esse gratissimum, quod in nullo contra priscæ definitionis constituta vel regulas, pro quallibet occasione, vel sub cujuscunque personæ respectu, venire præsumimus. Nec tenacitatis studio, aut sæcularis utilitatis causa hoc facere nos credatis, sed divini considératione judicii necesse nobis est quidquid sancta B synodalis decrevit auctoritas inviolabiliter custodire. Quod ut charitati tuæ indubitanter elucescat, ad locum de hoc articulo, ex constitutis Patrum fecimus revelari, quæ cum præsentibus pariter affatibus vobis credimus dirigenda. Deus te incolumem custodiat, frater charissime. Data xv calendas Augustas post consulatum Paulini junioris viri clarissimi [Anno Christi 535].

EPISTOLA VII.

AD CÆSARIUM EPISCOPUM ARELATENSEM.

De Contumelioso, cum ad sedem apostolicam appellasset.

Dilectissimo fratri Cæsario Agapetus.

Optaveramus, frater amantissime, ut episcopi Contu- C meliosi opinione integra permanente, nec tibi dudum fieret necessitas judicii, nec nobis causa censendi : maxime quia in supra scripti viri accusatione communis honoris reverentia quodammodo videtur incursata [incusata]. Unde quatenus præsumptione, sicut asserit, innocentiæ ad appellationis voluit auxilium convolare, orationibus assiduis hoc innitamur, ut eum cognitionis iteratæ beneficium gratulationi omnium restituat absolutum. Delegaturi enim, Deo nostro adjuvante, sumus examen, ut secundum canonum venerabilium constituta, sub consideratione justitiæ, omnia quæ apud fraternitatem tuam de hujusmodi negotio acta gestave sunt, diligentissima vestigatione flagitentur. Neque enim prædictum virum convenit eventu prius habitæ cognitionis urgeri, quippe cum et ipse judi- D cium petierit. Non avertatur voluntas animi a precibus infirmorum, cum in necessitate fuerint, ne nobis, quod avertat Dominus, ea quæ leguntur in Proverbiis, dici possint : *Qui obturat aurem suam, ut non audiat infirmum, et ipse invocabit Dominum, et non erit qui exaudiet eum* (*Prov.* xxi). Quid est enim infirmius episcopo Contumelioso, qui in tribulatione positus et de præteriti judicii pudore confunditur, et cognitionis quæ futura est exspectatione turbatur? quia quamlibet ei, quod optandum est, puritas forte suffragetur innocentiæ, non potest judicii sollicitudinem non habere. Et nos quidem, quamvis culpatus

(a) In hac ac sequenti epist., *Quinto idus Novembris* legendum contendit Pagius ad ann. Chr. 535, num. 4.

a nobis Emeritus defensor memoratum episcopum A reversum ad Ecclesiam suam charitatis tuæ voluntate firmaverit, usque ad exitum judicii quod delegaverimus, episcopum Contumeliosum, reddita sibi modo propria substantia, suspensum interim volumus ab administratione patrimonii ecclesiastici, et celebratione missarum : quia id quod sibi viderat judicio fuisse sublatum, gloriosius, si ei veritas suffragatur, judicio receperit, quam usurpationibus occuparit. Melius autem fecerat fraternitas tua, si posteaquam sedis apostolicæ appellatione interposita desideravit examen, circa personam ejus a tempore sententiæ nihil permisisset imminui; ut esset integrum negotium, quod interposita provocatione quæreretur. Nam si in exsecutionem mittitur prima sententia, secunda non habet cognitio quod requirat. Addendum, quia etsi non esset prædictus episcopus judicationi refragatus, privatam magis B potuit secundum canones expetere secessionem, quam severitatem religionis excipere. (*a*) Suspensus igitur, sicut præfati sumus, episcopus Contumeliosus habeat tantum, quam præsumpsisse dicitur, celebrationem missarum, et patrimonio ecclesiæ in gubernatione archidiaconi ejusdem ecclesiæ constituto, ita ut alimonia sufficienter episcopo non negentur, visitatoriam in ejus loco præcipimus ordinari personam, et patienter exspectare judices, quos inspirante nobis Domino constituerimus audire. Præterea, ne quid esset quod charitati tuæ videatur incognitum, studio dilectionis constitutorum fecimus capitula subter adnecti, ut scientia communicemur canonum, sicut participamur affectu. Deus te incolumem custodiat, frater charissime. Data decimo quinto calendas Augusti post consulatum Paulini junioris viri clarissimi [Anno Chr. 535].

(*a*) Hæc cum alieno sensu legantur, sic emendamus ex Reg. cod. ms. : *Suspenso igitur, sicut præfati sumus, episcopo Contumelioso ab ea tantum, quam præsumpsisse dicitur, celebratione Missarum*, etc. HARD.

ΕΡΜΗΝΕΙΑ ΤΗΣ ΣΥΝΟΔΙΚΗΣ ΕΠΙΣΤΟΛΗΣ,

τῆς διὰ Ῥωμαϊκῶν γραφείσης γραμμάτων, ἅ τινα παρέθησαν, διὰ τὴν ἀπειρίαν αὐτῶν.

Τῷ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ Πέτρῳ Ἀγαπητός.

Ἠβουλόμεθα μὲν, ἀγαπητοὶ ἀδελφοὶ, διὰ τὴν τῆς ἡμετέρας ἀγάπης συνάφειαν, πάντας τοὺς τοῦ κυρίου ἱερεῖς κατὰ τὴν ἀποστολικὴν παράδοσιν ἀνεπιλήπτους εὑρίσκεσθαι, καὶ μηδένα ἢ διὰ χάριν, ἢ διὰ φόβον, τῶν ἐκκλησιαστικῶν κανόνων ἐκκλίνειν· ἀλλ' ἐπεὶ πολλὰ πολλάκις παρακολουθεῖ, ἅ τινα μεταμέλειαν τίκτειν δύναται, καὶ νικᾷ τὰ πλημμελήματα τῶν ἁμαρτανόντων τὸ ἔλεος τοῦ Θεοῦ, καὶ διὰ τοῦτο ὑπερτίθεται ἡ τιμωρία, ὡς ἂν τόπον εὑρεῖν ἡ διόρθωσις δυνηθείη, παραινέσαι ἀναγκαῖον ἐκρίναμεν, ἵνα τὰ παραληφθέντα, κἂν τὸ λοιπὸν, ἀπαράβατα φυλαχθείη· ἔχρην μὲν γὰρ τὴν ὑμετέραν ἀγάπην, μεμνημένην τῶν πατρικῶν παραδόσεων, μηδένα συγχωρεῖν τὰ κεκωλυμένα ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ εἴ τις τολμηρὸς φανείη, πάσῃ δυνάμει ἐναντιοῦσθαι. Παραγενόμενοι τοιγαροῦν εἰς τὸ κομιτάτον τοῦ γαληνοτάτου ἡμῶν βασιλέως, τοῦ ἡμετέρου υἱοῦ, εὕρομεν τὴν καθέδραν τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει Ἐκκλησίας, παρὰ τοὺς θεσμοὺς τῶν κανόνων, ὑπὸ Ἀνθίμου τοῦ τῆς Τραπεζουντίων Ἐκκλησίας ἐπισκόπου οὐ προσηκόντως ὑφαρπασθεῖσαν, οὗτινος τὴν ψυχὴν, οὐ κατὰ τοῦτο μόνον τὸ μέρος, ἀλλ' ὅπερ καὶ μεῖζόν ἐστιν, ἐν τῇ τῆς ἀληθοῦς πίστεως ὁμολογίᾳ ἐπεθυμήσαμεν ἐκ τῆς ἀπωλείας ἐπαναγαγεῖν, ἀλλὰ τῇ Εὐτυχέως ἐνιστάμενος πλάνῃ, εἰς τὴν τῆς ἀληθείας ὁδὸν ἐπανελθεῖν κατεφρόνησεν. Ὅθεν, ἐπειδὴ κατὰ τὴν ἀποστολικὴν ἀγάπην, τὴν ἐν τῇ πίστει αὐτοῦ μεταμέλειαν ἀναμένομεν, ἐν τῷ μεταξὺ οὐδὲ καθολικοῦ, οὐδὲ ἱερέως ὀνόματος ἄξιον εἶναι ψηφίζομεν, μέχρις ἂν πάντα τὰ παρὰ τῶν πατέρων παραδοθέντα, δι' ὧν ἀληθῶς τῆς θρησκείας ἡ πίστις, καὶ ἐπιστήμη φυλάττεται, κατὰ τὴν προσήκουσαν πληροφορίαν δέξηται. Τοὺς δ' ἑτέρους ὁμοίως τῆς αὐτοῦ ἀπονοίας τοὺς τῇ ψήφῳ τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας κατακριθέντας, παραπλησίως ἡ ὑμετέρα ἀγάπη ἀποστραφήτω, ὧν αὐτὸς ἑαυτὸν ἀμέτοχον ἐποίησεν. Τῆς δὲ ἐν Κωνσταντινουπόλει καθέδρας τὴν ὕβριν βοηθοῦντες τοῦ Θεοῦ τῇ ἀποστολικῇ αὐθεντίᾳ, καὶ τῶν πιστοτάτων βασιλέων τῇ βοη-

INTERPRETATIO EPISTOLÆ SYNODALIS,

scriptæ per litteras Latinas [e Græco] quæ, quod ignotæ essent, omissæ sunt.

Dilecto fratri Petro Agapitus.

Voluissemus quidem, fratres dilecti, propter conjunctionem nostræ charitatis, omnes Domini sacerdotes, juxta apostolicam traditionem (*I Tim.* III), irreprehensibiles invenisse; et neminem aut per gratiam, aut per metum ab ecclesiasticis canonibus declinare. C Sed quoniam multa multoties subsequuntur quæ pœnitudinem parere possunt, et Dei misericordia delicta peccatorum vincit; et idcirco differtur pœna, ut reformatio [emendatio] locum invenire possit; monere necessarium judicavimus, et ut assumpta de cætero imprævaricata custodiantur. Oportebat enim, vestram charitatem, memorem paternarum traditionum, neminem permittere prohibita facere; sed si quis audax appareret, tota virtute resistere. Cum itaque pervenimus ad comitatum serenissimi nostri imperatoris filii nostri, invenimus sedem Constantinopolitanæ Ecclesiæ, contra omnem canonum honestatem, ab Anthimo Ecclesiæ Trapezuntiorum episcopo inconvenienter usurpatam, cujus animam non solum secundum istam partem, sed, quod majus est, in D confessione veræ fidei a perditione reducere desideravimus; sed Eutychis errori insistens ad viam veritatis venire contempsit. Unde cum ipsius in fide pœnitentiam isto modo exspectemus, neque catholico, neque sacro nomine dignum esse sententiavimus, donec omnia a Patribus tradita, per quæ veræ religionis fides et disciplina custoditur, secundum congruentem satisfactionem suscipiat. Cæteros vero similis contumaciæ ipsius, et sententia apostolicæ sedis condemnatos similiter charitas vestra aversetur, quorum ipse seipsum participem fecit. Constantinopolitanæ vero sedis injuriam, apostolica auctoritate adjuvante, et adjutorio fidelissimorum imperatorum emendabimus. Et modum quemdam admirati sumus, quod istud opus ita aperte contrarium de-

θείᾳ διωρθώσαμεν. Καὶ τρόπον τινὰ τεθαυμάκαμεν, ὅτι A τοῦτο τὸ ἔργον οὕτω φανερῶς τοῖς πατρικοῖς ψηφίσμασιν ἐναντίον ἡ ὑμετέρα ἀδελφότης, οὐ μόνον εἰς γνῶσιν ἡμετέραν ἐνεγκεῖν ἠμέλησεν, ἀλλὰ καὶ ἐπιληψίμῳ ἐβεβαίωσε συναινέσει. Εὐχαριστοῦμεν δὲ τῷ Θεῷ, οὗτινος τῷ πνεύματι τὰ κακὰ πρὸς τὸ βέλτιον ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τρέπεται, καὶ αἱ μικροὶ παραβάσεις, εἰς ὄφελος, καὶ ἀφορμὴν μεγάλης γίνονται χαρᾶς. Τοῦτο δὲ, ὑπὲρ τοῦ διεγεῖραι τῆς ὑμετέρας ὁμοψυχίας τὴν ἀγαλλίασιν σημαίνω, ὅτι Μηνᾶν τὸν ἀδελφὸν, καὶ συνεπίσκοπον ἡμῶν, ἄνδρα πολλοῖς ἐπαίνων τρόποις κεκοσμημένον, ἡ ῥηθεῖσα Κωνσταντινουπόλεως Ἐκκλησία, ἐπίσκοπον ἐδέξατο, ᾧ τινι εἰ καὶ παρὰ τοὺς λοιποὺς, ἡ τῶν γαληνοτάτων ἐπεγέλασε βασιλέων ἐπιλογὴ, ὅμως τοσαύτη παντός τε τοῦ κλήρου, καὶ τοῦ δήμου συναίνεσις προσγέγονεν, ὥστε παρ' ἑκάστου καὶ ἐκλεγῆναι πιστεύεσθαι· καὶ γὰρ οὔτε τῇ εἰδήσει, οὔτε τῇ B ζωῇ, τινὶ ἦν ἄγνωστος, ἀλλὰ καὶ τῇ ἀκεραιότητι τῆς πίστεως, καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν τῇ σπουδῇ, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῆς εὐσεβοῦς διοικήσεως τῇ ὑπηρεσίᾳ, οὕτω τοῦ προλεχθέντος ἀνδρὸς ἡ δόξα διέλαμπεν, ὥστε αὐτῷ βραδύτερον δοκεῖν παραγεγονέναι οὗπερ ἠξίωται. Καὶ τοῦτο δὲ πιστεύομεν τῇ αὐτοῦ ἀξίᾳ προστεθῆναι, ὅπερ ἐκ τῶν χρόνων τοῦ ἀποστόλου Πέτρου, οὐδένα ἄλλον οἱαδήποτε ἀνατολικὴ ἐκκλησία ἐδέξατο ἐπίσκοπον ταῖς χερσὶν τῆς ἡμετέρας καθέδρας χειροτονηθέντα, καὶ τυχὸν ἢ εἰς ἀπόδειξιν ἐπαίνου αὐτοῦ, ἢ εἰς κατάλυσιν τῶν ἐχθρῶν τῆς ἐνστάσεως εἰς τοσοῦτον πρᾶγμα προέβη, ὥστε ἐκείνοις αὐτὸν εἶναι δοκεῖν ὅμοιον, οὓς ἐν τούτοις ποτὲ τοῖς μέρεσιν αὐτοῦ τῶν ἀποστόλων τοῦ πρώτου ἐχειροτόνησεν ἡ ἐπιλογή. Κοινὴν τοιγαροῦν, ἀδελφοὶ, χαρὰν εὐσεβεῖ ἀγαλλιάσει ὑποδέξασθε, καὶ ὁπόσον ὑμεῖς τῆς ἀποστολικῆς C ἡμῶν καθέδρας ἀποδέχεσθε τὴν κρίσιν, τῇ συνήθει σημάνατε ἀντιγραφῇ, ἔχοντες διπλῆν εὐφροσύνης αἰτίαν, ὅτι τε καὶ τὰ φαῦλα διωρθώθη ἄνευ παρολκῆς, καὶ ἀντὶ τούτων τὰ εὐκταῖα παρηκολούθησε, τοῦ λοιποῦ προφυλαττόμενοι, ἵνα μὴ αὖθις τοῖς κανονικοῖς θεσπίσμασιν ἐναντίον τι δι' ὑμῶν, ὅπερ ἀπίστω, γένηται, ἢ τῇ ὑμετέρᾳ στερχθείη συναινέσει. Ἐπειδὴ καθάπερ συγγνώμης ἀξία ἐστὶν ἡ πλάνη τοῦ ἅπαξ ἁμαρτάνειν, οὕτως ἡ συχνὴ παράβασις, κίνησιν αὐστηρίας ἀπαιτεῖ.

Ὁ Θεὸς ἐρρωμένον σε φυλάξει [*Al.* διαφυλάττοι] ἀδελφὲ τιμιώτατε.

ΛΙΒΕΛΛΟΣ ΤΩΝ ΜΟΝΑΧΩΝ

Κατὰ Ἀνθίμου καὶ Σεβήρου.

Τῷ δεσπότῃ ἡμῶν τῷ ἁγιωτάτῳ, καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ Ἀγαπητῷ, παρὰ Μαριανοῦ πρεσβυτέρου, καὶ ἐξάρχου τῶν μοναστηρίων τῆς βασιλίδος, καὶ D λοιπῶν ἀρχιμανδριτῶν τῆς αὐτῆς, καὶ παρὰ τῶν ἐνδημούντων ἐν αὐτῇ Ἱεροσολυμιτῶν καὶ ἀνατολικῶν ἀρχιμανδριτῶν, καὶ μοναχῶν.

Τὰ συνέχοντα τὰς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας κατανοοῦντες, καὶ τοὺς ἐχθροὺς τοῦ Θεοῦ ἐναβρυνομένους κατὰ ταύτης ὁσημέραι ὁρῶντες, τὸν τοῦ Θείου Γρηγορίου ἐπὶ τοῖς τοιούτοις ὀδυρμὸν εὐκαίρως προοιμιαζόμεθα, πρὸς τὴν ὑμετέραν μακαριότητα λέγοντες·

Ἔοικε τὴν παροῦσαν ζωὴν ἐπιλελοιπέναι καθόλου ἡ τοῦ Θεοῦ κηδεμονία, ἡ ἐν τοῖς πρὸ ἡμῶν χρόνοις τὰς ἐκκλη-

A cretis Patrum vestra fraternitas non solum ad notitiam nostram adducere neglexit, sed et reprehensibili consensu confirmavit. Sed regratiamur Deo, cujus spiritu mala ad melius ut plurimum vertuntur, et parvæ transgressiones ad utilitatem et occasionem magni fuerint gaudii. Hoc autem pro excitanda vestræ conspiritualitatis lætitia significo, quod Mennam fratrem et coepiscopum nostrum, virum multis laudum modis ornatum, prædicta Constantinopolitana Ecclesia episcopum suscepit : cui licet præter cæteros serenissimorum imperatorum electio arriserit, similiter tamen et totius cleri ac populi consensus accessit, ut a singulis eligi crederetur. Etenim alicui neque scientia, neque vita fuit ignotus, sed et fidei integritate, et sacrarum Scripturarum stu- B dio, atque etiam piæ administrationis officio sic prædicta viri opinio resplenduit, ut ipsi tardius venire videretur quo dignus habitus erat. Et hoc dignitati suæ additum esse credimus, quod, a temporibus Petri apostoli, nullum alium unquam Orientalis Ecclesia suscepit episcopum manibus nostræ sedis ordinatum. Et forsitan vel ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad destructionem inimicorum instans res tanta pervenit, ut illis ipse similis esse videatur, quos in his quandoque partibus ipsius apostolorum primi electio ordinavit. Commune itaque gaudium, fratres, pia exsultatione suscipite, et quantum vos apostolicæ sedis nostræ judicium comprobatis, consueta rescriptione significate; habentes duplicem exsultationis causam, et quod mala sine mora corri- C gantur, et quod pro his optata subsecuta fuerint : de cætero præcaventes, ne rursus canonicis sanctionibus quid contrarium per vos (quod non credo) fiat, vestro accedente consensu, quandoquidem sicut error ejus qui semel peccavit, venia dignus est, sic frequens transgressio motum austeritatis deposcit.

Deus in bona convalescentia te custodiat, frater honorandissime.

LIBELLUS MONACHORUM

AGAPETO OBLATUS CONTRA ANTHIMUM, SEVERUM, etc.

Domino nostro sanctissimo et beatissimo archiepiscopo antiquæ Romæ, et œcumenico patriarchæ Agapito, Marianus presbyter et primas monachorum D regiæ civitatis, et cæteri archimandritæ ejusdem, et archimandritæ et monachi Hierosolymorum, ac orientales in eadem (*a*) synodo congregati.

Ea quæ sanctas Dei Ecclesias opprimunt considerantes, et inimicos Dei quotidie adversus eam insolescere conspicientes, lamentationem divi Gregorii in his prœmium facimus, opportune ad vestram beatitudinem dicentes :

Visa est cura Dei penitus dereliquisse præsentem vitam, quæ temporibus ante nos Ecclesias custodie-

(*a*) Melius *civitate*.

σίας φυλάττουσα. Καὶ δὴ τοσοῦτον βεβάπτισται ἡ ἑκάστου ψυχὴ ὑπὸ συμφορῶν, ὥστε τὰ μὲν ἴδια τῆς ζωῆς ἡμῶν ἀλγεινὰ μηδὲ ἐν κακοῖς εἶναι λογίζεσθαι, τοσαῦτα καὶ τοιαῦτα ὄντα, πρὸς μόνα δὲ βλέπειν τὰ κοινὰ τῶν ἐκκλησιῶν πάθη, ὧν εἰ μὲν γένοιτό τις ἐν τῷ παρόντι καιρῷ σπουδὴ πρὸς διόρθωσιν, πρὸς παντελῆ ἀνελπιστίαν κατὰ μικρὸν προελεύσεται. Πολυτρόπως μὲν οὖν ἤδη ταῦτα ἐκδιηγησάμενοι, οὐχ ἧττον δὲ καὶ νῦν τὰς μεγάλας, καὶ ἀνυποίστους ἐπιβουλὰς, τὰς κατὰ τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας ἐξαπλώσομεν. Οἱ ἀπὸ τῆς μανίας Διοσκόρου, καὶ Εὐτυχέως καταγόμενοι ἀποσχίσται, καὶ ἀκέφαλοι, οὐκ οἴδαμεν τίνος αὐτοὺς παρακινήσαντος εἰς ἀπόνοιαν, ὥσπερ τινὸς παῤῥησίας ἐπειλημμένοι, τῇ νόσῳ ἑαυτῶν ἐμπομπεύουσιν παρασυνάγοντες, καὶ παραβαπτίσματα καινοτομοῦντες, ὡς ἐξ ἐπιτροπῆς τοῦτο ποιοῦντες, καὶ ὄνομα ἐπισκόπων ἑαυτοῖς ἐπιφημίζοντες, τοῖς καθ' ἡμᾶς τόποις, φανερῶς ἐπιπολάζειν, ἀδεῶς πάντα τολμῶντες, οὐ κατ' ἐκκλησιῶν μόνον, οὐ κατὰ τῶν τῆς ἐκκλησίας τροφίμων, ἀλλ' ἤδη καὶ κατ' αὐτοῦ τοῦ εὐσεβεστάτου ἡμῶν βασιλέως, καὶ τῆς ὑμετέρας τιμίας κεφαλῆς, ὡς πεφανέρωται τῇ ὑμετέρᾳ μακαριότητι, τοσαύτη τῶν εἰρημένων ἡ μανία. Εὑρόντες γὰρ κατά τινα οἶκον σχῆμα ἔχοντα εὐκτηρίου, ἐν ᾧ μοναχοί τινες οἰκοῦσι τῶν τῆς ἐκείνων ἀθεμίτου συμμορίας, τὴν εἰκόνα τοῦ φιλοθέου ἡμῶν βασιλέως, τῇ μανίᾳ τυφλώττοντες, τὸ τοῦ πατρὸς αὐτῶν τοῦ διαβόλου πεπράχασιν, ὃς μὴ δυνάμενος τῷ κτίστῃ, κατὰ τοῦ πλάσματος τὴν αὐτοῦ ἐπιδείκνυται μανίαν· ὁρμήσας γὰρ εἷς ἐξ αὐτῶν, ὁ περίφημος ἐν κακοῖς Ἰσαάκκιος ὁ Πέρσης, ὁ μαγγανείᾳ τινὶ χρώμενος, καὶ ἐξαπατῶν τὰς καρδίας τῶν ἐθελόντων παρ' αὐτοῦ ἐξαπατᾶσθαι, καὶ ἐγκαιόμενος (c) εἰς τὰ Βηρίνης ἐπὶ πεντήκοντα ἡμέρας, ὡς οἱ τούτου συμμύσται καὶ ταῦτα ποιεῖν οἱ αὐτὸν παρασκευάζοντες πρὸς διαφθορὰν καὶ ἐξαπάτην τῶν ἁπλουστέρων διαφημίζουσιν, ἔτυπτε ῥάβδῳ κατὰ τῆς κεφαλῆς τὴν εἰκόνα, ἐπιφθεγγόμενός τινα κατὰ τοῦ ὀρθοδόξου βασιλέως ἡμῶν, μᾶλλον δὲ κατὰ τοῦ Θεοῦ, δι' ὃν καὶ τὴν εἰκόνα ἔτυπτε, τὰ μήτε ἀκοῇ χωρητὰ, μήτε διανοίᾳ δεκτά. καὶ κλασθείσης ἐν τῷ τύπτειν τῆς ῥάβδου, ὥσπερ ἐξαπορούμενος τί ἕτερον πράξει εἰς τὴν τοῦ ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ εἰκόνα, ἐπελθὼν ἀτιμότερον, διεσπάραξε τὴν γεγραμμένην σινδόνα, καὶ τὸ παρ' αὐτοῦ διαῤῥαγὲν ἐκ ταύτης πυρὶ παραδέδωκε. Τί τοίνυν οὐκ ἂν ἔπραξε κατὰ τοῦ ὀρθοδόξου βασιλέως, εἰ τοῦτον μετ' ἐξουσίας ἐν χερσὶν εἶχεν ὁ βίαιος οὗτος καὶ ἀλόγιστος ἀνὴρ, ὅπουγε τῆς ἐν σινδόνι γραφῆς ἀψύχου οὐκ ἐφείσατο; καὶ δὴ τὸ τοῦ προφήτου πρὸς τὸν Θεὸν καὶ πρὸς ὑμᾶς, καὶ πρὸς τὸν εὐσεβέστατον βασιλέα ἡμῶν ἀπολεγομένους, ἁρμόδιον λέγειν, « Ἕως τίνος κεκραξόμεθα, καὶ οὐ μὴ εἰσακούσητε; βοηθησόμεθα πρὸς ὑμᾶς ἀδικούμενοι, καὶ οὐ σώσητε; » Εἰ γὰρ ταῦτα φρονοῦντες, καὶ ποιοῦντες, ὁμοτίμως συνδιάγειν ἡμῖν κατὰ πάντα καιρὸν καὶ τρόπον ἐπιτρέπονται, σκοπεῖτε, μακαριώτατοι, ὅτι μὴ συμβαινόντων ἡμῶν οἷς ἐκεῖνοι φρονοῦσι μηδὲ ἀναστελλομένης τῆς τούτων παροινίας, τὸ λαβεῖν αὐτοὺς ἐξουσίαν συνάξεως, ἢ τὸ συγχωρηθῆναι αὐτοὺς τοιαῦτα τολμᾷν οὐδέν ἕτερόν ἐστιν, ἢ ἀληθεστέρους τοῦ καθ' ἡμᾶς δόγματος νομισθῆναι, καὶ ἀδικωτέρους, καὶ βιαιοτέρους ἀπεργασθῆναι καθ' ἡμῶν. Εἰ γὰρ ὡς εὐ-

A bat. Et jam tantum cujuslibet anima immersa est a calamitatibus, ut ne quidem proprii dolores vitæ nostræ inter mala esse putentur : tot et tanta sunt communia mala Ecclesiarum, ad singula respiciendo; quorum nisi aliqua in præsenti tempore fieret diligentia ad reformationem, ad omnimodam desperationis confusionem paulatim perveniretur. Cum multis itaque modis jam hæc enarraverimus, non minus vero et nunc magnas et incredibiles insidias adversus Dei Ecclesiam factas exponemus. Schismatici et Acephali, qui a furore Dioscori et Eutychis descenderunt (nescimus quis eos ad amentiam moverit), veluti quadam audacia freti, suo proprio morbo triumphant synagogas facientes et parabaptismata innovantes, et tanquam ex eversione hoc facientes,

B et nomen episcoporum sibi ipsis in locis nostris diffamantes, aperte ingruescunt, et licenter omnia audent; non contra Ecclesias solas, non contra alumnos Ecclesiæ, sed etiam contra ipsum piissimum imperatorem nostrum, et vestrum honorabile caput, sicut tanta prædictorum insania vestræ beatitudini manifesta fuit. Nam venientes ad quamdam domum figuram oratorii habentem, in qua monachi quidam de iniquo contubernio illorum habitant, imaginem piissimi imperatoris, furore excæcati, illud patris eorum diaboli fecerunt, qui cum non possit contra creatorem, adversus figmentum suam ostendit furiam. Irruit enim unus ex eis, qui in malis excellens est, Isaacius Persus (a), qui magia quadam utens seduxit corda volentium ab eo decipi, (b) et inurendo

C χαυτηρικὸς (c) usque Veronam ad quinquaginta dies (quia consecrati istius, qui hortantur ipsum facere hæc, ad corruptionem et deceptionem simpliciorum diffamant); percussit virga imaginem, dicens quædam contra caput veri et orthodoxi imperatoris nostri (imo vero contra Deum, propter quem imaginem percussit), quæ nec aure perceptibilia, nec mente susceptibilia sunt; et virga inibi verberando confracta est, et tanquam exaffluens aliquid aliud inhonoratius facere volens in imaginem veri Dei, dilaceravit tunicam inscriptam; et quod ex ipsa ab eo dilaceratum fuit, igni tradidit. Quid igitur non saltem fecisset contra orthodoxum imperatorem, si hunc cum potestate habuisset in manibus iste violentus et irrationabilis vir, ubi nec tunicæ scriptæ inanimatæ

D pepercit? Jam illud prophetæ ad Deum et ad vos, ac ad piissimum imperatorem nostrum dicere convenit : *Usquequo clamabimus, et non exaudietis? Injuria affecti clamabimus ad vos, et non salvabitis* (*Hebr.* I)? Si enim qui hæc sapiunt et faciunt, simul nobiscum omni tempore ac modo degere permittuntur, considerate, beatissimi, quod nobis non occurrentibus his quæ illi sentiunt, neque istorum ebrietate diminuta, ipsos accipere potestatem congregandi, aut ipsos permittere talia audere, nihil aliud est quam veriores putare, quam dogma nostrum, et iniquiores ac violentiores efficere contra nos. Si enim illi, tan-

(a) Al. *Persa.*

(b) Locus obscurus. Verti oportuit : *et encaustica arte inurebat in ædibus Verinæ per quinquaginta dies.*

(c) Vetus interpres legit χαυτηρικός. HARDOUINUS.

σεβοῦντες ἐκεῖνοι διδάσκειν ὡς φρονοῦσι, καὶ κηρύττειν ἐν παῤῥησίᾳ τὸ καθ' ἑαυτοὺς ἐπιτρέπονται δόγμα, δῆλον ὅτι κατέγνωσται ὁ τῆς ἐκκλησίας λόγος, ὡς τῆς ἀληθείας παρ' αὐτοῖς οὔσης. Δύο γὰρ ἐναντίους λόγους, ἀληθεῖς εἶναι περὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματος, φύσιν οὐκ ἔχει, φησὶν ὁ μέγας Γρηγόριος. Ἐπειδὴ οὖν ἐκ ταύτης τῆς αἰτίας, εἰς πολλοὺς οἴκους τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων εἰσδύνοντες, ἄτοπά τινα διαπράττονται, αἰχμαλωτίζοντες γυναικάριά τινα σεσωρευμένα ἁμαρτίαις, ἀγόμενα ἐπιθυμίαις ποικίλαις, πάντοτε μανθάνοντα, καὶ μηδέποτε εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν δυνάμενα, ἀλλὰ μὴν καὶ ἐν αὐτοῖς τοῖς ἰδιωτικοῖς οἴκοις, καὶ ἐν προαστείοις θυσιαστήρια, καὶ βαπτιστήρια ἀντεγείροντες τῷ ἀληθινῷ θυσιαστηρίῳ καὶ τῇ ἁγίᾳ κολυμβήθρᾳ, πάντων ὁμοῦ κατεφρόνησαν διὰ τὴν ἀπονεμομένην αὐτοῖς προστασίαν, παρὰ τῶν ἔντε τῷ δεσποτικῷ οἴκῳ, καὶ τῶν ἄλλῳ τρόπῳ τινὶ δυναστευόντων, μὴ ὑπομείνητε, μακαριώτατοι, μὴ χρήσασθαι τῇ συνήθει παῤῥησίᾳ εἰς διόρθωσιν τοῦ τοσούτου κακοῦ, ἀλλ' ὥσπερ τὸ πρότερον ἐπὶ Ἀνθίμῳ διανέστητε, καὶ τὸν διὰ δορᾶς προβάτου περικαλύψαι τὸν λύκον ἐπιχειρήσαντα, καὶ ὑπερβῆναι τὴν θύραν τῶν ἐκκλησιαστικῶν θεσμῶν, καὶ κανόνων, καὶ λῃστρικῶς ἐπιβάντα τῆς τῶν προβάτων μάνδρας ἀπογυμνώσαντες τῆς δορᾶς ἐφ' ἑαυτὸν ἐπεδείξατε, πόῤῥω που τῆς μάνδρας ἀπελάσαντες· οὕτω καὶ νῦν ἐπαγρυπνήσατε, καὶ διδάξατε τὸν εὐσεβέστατον ἡμῶν βασιλέα, ὅτι οὐδὲν κέρδος αὐτῷ, καθά φησιν ὁ θεῖος Γρηγόριος, τῆς λοιπῆς αὐτοῦ περὶ τὰς ἐκκλησίας σπουδῆς, εἰ τὸ τοιοῦτον κακὸν ἐπὶ καθαιρέσει τῆς ὑγιαινούσης πίστεως, διὰ τῆς παῤῥησίας αὐτῶν κατισχύσοι, καὶ συγχωρηθεῖεν ἔτι οὗτοι πρὸς διαφθορὰν τῆς ἐκκλησίας ἐμφωλεύειν τοῖς δεσποτικοῖς καὶ ἰδιωτικοῖς οἴκοις, καὶ τὰ ἄθεσμα ἐν τούτοις πράττειν. Καὶ ταῦτα μὲν τέως φέρομεν, καίπερ ὑπὸ τῶν δεινῶν κατακαμπτόμενοι, εἰ καὶ ἀνύποιστα, ἐλπίδας ἔχοντες εἰς τὸν φιλάνθρωπον Θεὸν τὸν καιρῷ εὐθέτῳ τὴν ὑμετέραν παρουσίαν ἡμῖν ἀναδείξαντα, ὅτι ὥσπερ Πέτρον τὸν μέγαν, τὸν τῶν Ἀποστόλων κορυφαῖον, τοῖς ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ καθαιρέσει τῆς Σίμωνος γοητείας ἐξαπέστειλεν, οὕτω καὶ ὑμᾶς ἐξαπέστειλεν ἐπὶ καθαιρέσει καὶ ἀποδιώξει τῆς Σευήρου, καὶ Πέτρου, καὶ Ζωόρα, καὶ τὰ ὅμοια αὐτοῖς φρονούντων, καὶ παντοίαις περιβαλλόντων τιμαῖς πρὸς ἀτιμίαν Θεοῦ, βλασφημίας τε καὶ ὑπερηφανίας, δύναμιν ὑμῖν ἐπιχορηγήσει, συνεπισχύοντος ὑμῖν καὶ τοῦ πιστοτάτου, καὶ θεοφυλάκτου ἡμῶν βασιλέως, τούτους ἐξελάσαι πάσης ἔξω ἐκκλησίας, καὶ πόλεως, ὡς ἐπιβούλους, καὶ λυμεῶνας οὐ μόνον τῶν ἁγιωτάτων ἐκκλησιῶν, ἀλλὰ καὶ τῆς πολιτείας ταύτης. Πρὸς γὰρ τὴν αὐτοῦ κακίαν ἐπιτήδεια ὄργανα εὑρὼν τούτους ὁ μισόκαλος, πᾶσαν ἀνάστατον πεποίηκε τὴν οἰκουμένην, καὶ αἵμασιν ἁγίων τὴν γῆν κατεμόλυνε, καὶ πόλεις σφαγαῖς, καὶ θορύβοις συνετάραξεν. Ἐξελάσατε οὖν τούτους, εὖ ἴσμεν, εἰ τὸν εὐσεβέστατον ἡμῶν βασιλέα, καὶ τοὺς τούτου φιλοχρίστους ἄρχοντας διδάξετε, ὡς κοινωνοῦσι τῷ ἀναθέματι ἐν μέσῳ ἔχοντες τὸ ἀνάθεμα, ὥσπερ ἐπέδειξεν ἡμῖν ἡ παλαιὰ γραφὴ ἐπὶ Ἄχαρ, καὶ Ἰωνάθαν, τοὺς ἐν γνώσει, καὶ ἀγνωσίᾳ ὑποπεσόντας τῷ ἀναθέματι, καὶ ταύτῃ τῶν κινδυνευσάντων συναπολέσθαι τούτοις, ἀγνοούντων ὅτι ἐν μέσῳ αὐτῶν ἦν τὸ ἀνάθεμα. Ὑπομνήσατε τὸ φιλόθεον αὐτοῦ κράτος, προσαγαγεῖν τῷ Θεῷ, καὶ τοὺς παρ' αὐτῶν τῆς ὀρθῆς ἀπαχθέντας πίστεως, ἢ τοῦτο μὴ ἀνεχομένους, τοὺς κατὰ

A quam pie sapientes docere sicut sentiunt, et prædicare cum fiducia dogma suum permittuntur, manifestum est quod reprehensa est Ecclesiæ ratio, cum apud cos veritas sit. Nam duas contrarias orationes veras esse de eadem re natura non habet, ut inquit magnus Gregorius. Quoniam igitur ex hac causa in multas domus eorum qui in excellentia sunt intrant, et indecentia faciunt, captivantes mulierculas quasdam peccatis coacervatis, quæ variis ducuntur desideriis, et semper addiscunt, et nunquam ad cognitionem veritatis venire possunt : verum etiam in propriis domibus et suburbiis altaria et baptisteria erigunt in oppositum veri altaris et sancti fontis, et omnia simul contempserunt propter attributum eis patrocinium ab his qui in domo Domini et aliquo B alio modo potentes sunt; nolite pati, beatissimi, non uti solita fiducia ad reformandum tantum malum : sed sicut prius contra Anthimum insurrexistis, et lupum qui conabatur cooperiri per pellem ovis, et transcendere ostium ecclesiasticorum ordinum, sanctionum et canonum, et qui latrocinanter mandram ovium transcenderat, pelle denudastis, et ipsummet demonstrastis, ac procul a mandra expulistis : sic et nunc iterum vigilate, et ostendite piissimo imperatori nostro quod nullum lucrum ei erit (ut inquit divinus Gregorius) studio reliquo suo circa Ecclesias, si tale malum in destructionem sanæ fidei per ipsorum fiduciam prævalebit, et permittentur adhuc isti ad corruptionem Ecclesiæ nidificare in domibus dominorum, et in propriis, et iniqua in ipsis facere. Hæc C quidem duntaxat portamus, licet incredibilia, et a diris doloribus incurvati, spem habentes ad clementissimum Deum, qui in tempore opportuno vestrum adventum nobis ostendit, quod sicut Petrum magnum apostolorum principem his qui Romæ erant in depositionem præstigiarum Simonis Goetici misit : sic et vos misit in depositionem et expulsionem Severi, Petri, et Zoaræ, et eorum qui similia eis sapiunt, et qui omnigenis honoribus circumfoventur ad inhonorationem Dei, blasphemiasque ac elationes; dabit vobis potestatem, coopitulante vobis piissimo et Deo custodito imperatore nostro, istos expellere de omni Ecclesia tanquam insidiatores et violatores non solum sanctissimarum Ecclesiarum, sed et politiæ istius. Nam cum hos ad suam malitiam convenientia organa D insidiator boni invenisset, totum orbem terrarum commotum fecit, et sanctorum sanguine terram contaminavit, et civitates jugulationibus et tumultibus conturbavit. Expellite igitur istos. Scimus bene, si piissimum imperatorem nostrum et ipsius Christo amabiles principes informastis, quod communicant anathemati, in medio habentes anathema : sicut ostendit nobis antiqua Scriptura in Achar et Jonathan (*Josue* VII; *I Reg.* XIV), qui scienter et ignoranter inciderunt in anathema : et hæc ignorando in periculo fuerunt perire cum eis, quoniam in medio eorum fuit anathema. Et si commemorastis a suo Deo amato atque dilecto imperio adducere Deo eos qui ab ipsis a recta fide abducti sunt : aut si hoc non

τῆς ἐκκλησίας ἐπιβούλους, ἀπώσασθαι. Ὡς γὰρ οὐ διέλαθε τὴν σὴν μακαριότητα, καίπερ τοῦ εὐσεβεστάτου ἡμῶν βασιλέως κελεύσαντος, μήτε παρασυνάξαι, μήτε παραβαπτίσαι, Ζωόρας ὅμως γοῦν τῆς τοιαύτης καταφρονήσας κελεύσεως κατεβάπτισεν ἐν τῇ τοῦ πάσχα ἡμέρᾳ οὐκ ὀλίγους, ἐν οἷς ἦσαν καὶ παῖδες τῶν τῷ δεσποτικῷ παραμενόντων οἴκῳ, ὡς κατέθετο ὁ ἀπ' αὐτῶν δυνηθεὶς Θεοῦ χάριτι ἐκσπασθῆναι, καὶ εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν ἐπαναδραμεῖν, καὶ ἐν ἄλλοις δὲ τόποις, καὶ οἴκοις τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων τὰ αὐτὰ τούτοις πέπρακται. Ἀλλ' εἰ οὗτοι μόνοι τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν διετάραττον, καὶ παρελύπουν, ἐστήσαμεν ἂν μέχρι τούτων τὸν ὀδυρμόν· ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ ὑπὸ τῶν δοκούντων ἐντὸς ταύτης εἶναι, καὶ εἰς ἀρχιερέων τάξιν τελεῖν, παντοίως ἐκπορθεῖται, καιρὸς τὸ τοῦ ψαλμοῦ περὶ αὐτῶν εἰπεῖν, « Εἰ ὁ ἐχθρὸς ὠνείδισέ με, ὑπήνεγκα ἄν, καὶ εἰ ὁ μισῶν με ἐπ' ἐμὲ ἐμεγαλοῤῥημόνησεν, ἐκρύβην ἂν ἀπ' αὐτοῦ· σὺ δὲ ἄνθρωπε ἰσόψυχε, ἡγεμών μου καὶ γνωστέ μου, ὃς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐγλύκανάς μοι ἐδέσματα, ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ ἐπορεύθημεν ἐν ὁμονοίᾳ. » Τοιοῦτοι πεφήνασιν ἔνιοι τῶν ἐνδιατριβόντων κατὰ τὴν μεγάλην, καὶ βασιλίδα, καὶ πρώτην τῶν πόλεων, ὄνομα μὲν ποιμένων ἐπιφερόμενοι, τὸ δὲ ὅλον, λύκοι ἅρπαγες, ὧν μάλιστα ὑπάρχει Ἄνθιμος ὁ Τραπεζοῦντος, καὶ ἄλλοι ἄλλων πόλεων. Οὗτος γὰρ καὶ οἱ ὅμοιοι τούτῳ ἐξ αἱρετικῶν Ἀκεφάλων ὄντες πρὸς μικρὸν ὑποκρινάμενοι τὴν ὀρθοδοξίαν ταῖς ἐκκλησίαις εἰσέφρησαν, ὥσπερ τινὲς Αἰγυπτιακαὶ μάστιγες, οἵ τινες, μηδαμῶς ταῖς ἰδίαις ἐκκλησίαις ἐθέλοντες σχολάζειν, τοῦτο μόνον καλῶς φρονοῦντες, ἵνα μὴ τὰς κατακριθείσας αὐτοῖς λυμαίνωνται, τὸ ἕτερον κακῶς ἐφρόνησαν ἐν πλήθει διάγειν τοσούτῳ ἐν τῇ βασιλευούσῃ, ἵνα πολλοὺς συγκατασπάσωσι τῷ ἰδίῳ βαράθρῳ. Ἐξασκήσας γὰρ ὁ εἰρημένος Ἄνθιμος οὐ τὴν εὐαγγελικὴν, ἀλλὰ τὴν πεπλασμένην ζωὴν, ὡς τὸ τέλος ἔδειξεν, ἀπολιπὼν τὴν ἐμπιστευθεῖσαν ἐκκλησίαν αὐτῷ τῶν Τραπεζούντων ἐπέβη τῆσδε τῆς πόλεως, πρὸ τούτων φανερῶν ἐνιαυτῶν ἐκπομπεύων τὴν ἐσχηματισμένην τῆς οἰκείας πολιτείας ἐγκράτειαν, καὶ πορισμὸν ἐκ τούτου ποιούμενος τὴν εὐσέβειαν. Συναρπάσας οὖν διὰ ταύτης, ἠδυνήθη καὶ τοῖς βασιλείοις εἰσδῦναι, ὥσπερ ἐπαύξειν προσδοκῶν τὴν ὕπουλον ὑπόληψιν τῆς οἰκείας ζωῆς, καὶ συνδιαιτηθεὶς ἐπὶ πολλοὺς χρόνους, καὶ τοῖς ἐμφωλεύουσιν ἐνταῦθα αἱρετικοῖς, καὶ τὰ ἐκείνοις κεχαρισμένα πράττων, καὶ λέγων, οἷα νοσῶν τὴν ὁμοίαν αὐτοῖς αἱρετικὴν μανίαν, ἐπειδὴ τὸν τῆς ὁσίας μνήμης Ἐπιφάνιον, ἐν ἐσχάτοις ἀθεώρησι διακείμενον, μηχανᾶταί τι, ὅπερ ἄντικρυς τὸν αὐτοῦ διήλεγξε διεφθαρμένον σκοπόν. Ὥσπερ γὰρ ἐπειγόμενος πᾶσι παραστῆσαι τῆς μακρᾶς ἐνταῦθα προσεδρείας αὐτοῦ τὸν δόλον, καὶ τὸ πολλοῖς ἀπορούμενον, καὶ τοῖς συνετωτέροις μόνον ὑποπτευόμενον εἰς φανερὸν καὶ ἄκων ἐνέγκαι ἐξεβιάσθη· πρὸ πολλοῦ γὰρ προὔτεινε (sic) τὴν μοιχικὴν ἁρπαγὴν τῆς βασιλίδος ἐκκλησίας. Τοῦτο οὖν ἠδυνήθη διὰ τῆς ἐκείνων συνάρσεως καὶ τὸν εὐαγῆ θρόνον τῆσδε ἁρπάσαι τῆς πόλεως, καὶ εἰς τοσαύτην διοίκησιν προαχθῆναι, τῆς ἰδίας ἀμελήσας ἐκκλησίας, καὶ χήραν καὶ ἄνανδρον μέχρι τοῦδε ταύτην καταλιπὼν, ἐξ οὗ καὶ τὸν δόλον τῆς πεπλασμένης πολιτείας προφανῆ πᾶσιν ἀπέδειξε. Μικρᾶς γὰρ ἀντέχεσθαι ἐκκλησίας ὑπερηφανήσας εὐθὺς εἰς τοσοῦτον ἀσύγκριτον ἐκκλησίαν ἐκείνης ἑαυτὸν ἐπέδωκεν, ὡς ἱκανὸν ὄντα ταύτης ἐπιμελεῖσθαι· ἐπειδὴ οὖν δικαίως

A valeat facere, insidiatores Ecclesiæ repellantur. Non enim latuit tuam beatitudinem, quod quanquam piissimus imperator noster mandaverit non reconventiculare neque rebaptizare, Zoaras tamen tale præceptum despexit, et parabaptizavit in die Paschæ non paucos : inter quos erant pueri eorum qui permanent in domo herili, sicut deposuit ille qui ab ipsis gratia Dei potuit evadere et aufugere, et ad Dei Ecclesiam refugere : in aliisque locis et domibus in excellentia existentium, hæc et similia istis facta fuerunt. Verum semper isti soli Dei Ecclesiam perturbaverunt et contristaverunt; et nos usque ad istos fletum utique continuimus. Sed quoniam et ab his qui intus eam esse videntur, ac in ordine pontificum existere, omnino expugnatur, tempus est dicere de eis illud
B psalmi : *Si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem utique; et si qui me odit, magnificasset, abscondissem me utique ab eo : tu autem homo æqualiter animate, dux meus et cognitor meus, qui in idipsum dulcorasti mihi escam, in domo Dei ambulavimus cum consensu* (*Psal.* LIV, 13, 14). Tales fuerunt nonnulli commorantium in magna et regia urbe prima civitatum, nomen quidem pastorum portantes, totaliter autem sicut lupi rapaces : quorum maxime existit Anthimus Trapezuntinus, et alii aliarum civitatum. Iste enim et similes huic ex hæreticis Acephalis existentes, ac paululum religionis pietatem simulantes, in Ecclesias se intruserunt, tanquam quædam Ægyptiaca flagella, qui nullo modo propriis Ecclesiis vacare voluerunt, et hoc solum bene sapientes, ut non devastent sibi
C adjudicatas, aliud male sapuerunt degere in tanta multitudine in hac regia urbe, ut multos sibi amplectantur proprio barathro. Instituit enim prædictus Anthimus non evangelicam, sed fictam vitam, ut finis probavit; et relinquens Ecclesiam Trapezundarum sibi creditam, transcendit in aliam istius civitatis, ante hos proximos annos, ostentande omnibus configuratam continentiam suæ politiæ, et acquisitam ex his faciens pietatem. Cum ergo per hanc subripuerit, potuit et imperialia ibidem induere, ut augere videretur subdolosam opinionem vitæ suæ, conversatusque est multo tempore cum hæreticis ibidem nidificantibus, placita illis faciendo et dicendo, videlicet hæreticam furiam similem eis committendo. Cum autem vidit sanctæ memoriæ Epipha-
D nium in extremis jacentem, machinatus est quid corruptum, quod contra propositum ipsius excogitaverat. Ut enim conaretur omnibus ibidem præbere dolum suæ longæ præstolationis, illud quod multis incertum est, et solum prudentioribus suspicandum, ad certum et invite afferre conatus est. Ante enim multum tempus præcogitavit adulterium et raptum hujus imperialis Ecclesiæ. Hoc ergo potuit, per illorum contubernium et venerabilem sedem hujus civitatis rapere, et in tantam diœcesim adducere : cum propriam neglexerit Ecclesiam, et viduam ac sine viro eousque ipsam derelinquendo, ex quo dolum suæ fictæ conversationis perspicuum omnibus ostendit. Etenim cum parvam Ecclesiam suscipere super-

οὕτως ἐπιτετίμηται παρ' ὑμῶν, καὶ ἐκβέβληται τοῦ θρόνου τῆς βασιλίδος ταύτης πόλεως τοῦ πιστοτάτου ἡμῶν βασιλέως τὴν δικαίαν ὑμῶν ἐπὶ τούτων ἀγανάκτησιν προσδεξαμένου, καὶ συνεπαμύναντος τοῖς τε θείοις κανόσι καὶ τῇ καθολικῇ πίστει, οὐ βούλεσθε δὴ τὴν παντελῆ τούτου ἀπώλειαν, ὡς τὸ ἐπιστρέψαι αὐτόν. Μιμεῖσθε γὰρ Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν, τὸν ἐλθόντα καλέσαι οὐ δικαίους, ἀλλ' ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν, καὶ πάντως πατρικοῖς σπλάγχνοις, εἰ ἐπιγνοὺς τὴν οἰκείαν ἁμαρτίαν ἐπιστρέψει, προσδέχεσθε· ὁρκίζομεν τὴν ὑμετέραν μακαριότητα, εἰ καὶ τολμηρόν τι ποιοῦμεν, κατὰ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου ἁγίας τριάδος, καὶ τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων Πέτρου, καὶ τῆς σωτηρίας καὶ νίκης τοῦ εὐσεβεστάτου ἡμῶν βασιλέως, μὴ περιιδεῖν τοὺς θείους κανόνας, ὑπὸ τούτου καταπατουμένους, μηδὲ περιφρονουμένην παρ' αὐτοῦ τὴν παραδοθεῖσαν αὐτῷ ἐκκλησίαν, ἀλλ' ἐξακολουθοῦσαν ἐν ἅπασι τοῖς πρὸ αὐτῆς διαλάμψασιν ἐν τῷ ἀποστολικῷ ὑμῶν θρόνῳ, πρᾶξαι ἐπ' αὐτῷ, ἔτι καὶ νῦν κατὰ τῆς τῶν κανόνων αὐθεντίας νεανιευομένῳ καὶ προτιμήσαντι τὴν μετὰ τῶν εἰρημένων αἱρετικῶν συνδιαγωγὴν τῆς ἰδίας ἐκκλησίας, ὅπερ ὁ ἐν ἁγίοις Κελεστῖνος ἐπὶ Νεστορίῳ τῷ δυσσεβεῖ φαίνεται διαπραξάμενος, προθεσμίαν αὐτῷ παρέχοντες, ὥσπερ οὖν κἀκεῖνος Νεστορίῳ, ἧς ἐντὸς ἐὰν μὴ ἀπαντήσας τὸν εἰρημένον λίβελλον τῇ ἀποστολικῇ ὑμῶν καθέδρᾳ ἐπιδῷ, τῇ τε ὑμετέρᾳ μακαριότητι, καὶ τῷ ἁγιωτάτῳ τῆς βασιλίδος ἀρχιεπισκόπῳ, καὶ τῆς αἱρετικῆς νόσου ἑαυτὸν ἀπαλλάξῃ, καὶ ἐπὶ τὴν ἐμπιστευθεῖσαν αὐτῷ Τραπεζοῦντος ἐκκλησίαν ἐξορμήσῃ, ὁρίσατε, ἁγιώτατοι, ἀλλότριον μὲν αὐτὸν εἶναι, καὶ γυμνὸν πάσης ἀρχιερατικῆς ἀξίας τε καὶ ἐνεργείας, τῷ κρίματι ὑποβαλόντα ἑαυτὸν, τῶν εἰρημένων αἱρετικῶν, καὶ τὴν μερίδα τούτων ἀσπασάμενον, ἕτερον δὲ ἀντὶ τούτου τῇ ἐκκλησίᾳ Τραπεζουντίων προχειρισθῆναι. Ἐπειδὴ δὲ οὐ μόνον οὗτος, ἀλλὰ καὶ ἕτεροι ἐπίσκοποί τε, καὶ κληρικοὶ, καὶ ἀρχιμανδρῖται εὐαρίθμητοι, ἐπιβουλαῖς χρώμενοι, κατὰ τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, καὶ διὰ τοῦτο καὶ μόνον τῇδε τῇ πόλει ἐνδιατρίβοντες ταραχὰς παρέχειν καὶ ταύτῃ, καὶ ταῖς ἁπανταχοῦ ἐκκλησίαις, κατ' οὐδένα τρόπον παραιτοῦνται, δεόμεθα καὶ τοὺς τοιούτους ἅπαντας, πρὸς ὑμᾶς ἀχθῆναι, καὶ εὐθύνας ὑποσχεῖν τὰς τοῖς κανόσι πρεπούσας, δῆλον ὅτι καὶ ἐπὶ τοῦ προειρημένου Ἀνθίμου, καὶ τούτων δὲ πάντων, γρηγορούσης τῆς δικαιοκρισίας τῶν παρ' ὑμῶν καλῶς φυλαττομένων κανόνων, ἵνα μικρὸν ἀναψύξῃ ἡ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία τούτων ἐλευθερουμένη, καὶ μάθωσιν οἱ τῇ ποιμαντικῇ καὶ τῷ κλήρῳ προσελθεῖν τούτῳ τῷ τρόπῳ βουλόμενοι, ὡς οὐκ εἰς τέλος παρασιωπήσεται κύριος, ἀλλ' ἀπαγρυπνήσει ἐπὶ τοὺς τοιούτους ποιμένας, ἐφ' οὓς κατὰ τὸν προφήτην καὶ παρωξύνθη ὁ θυμὸς αὐτοῦ. Οὗτοι γὰρ οὗτοι, ποιμαίνοντες οὐ τὰ πρόβατα, ἀλλ' ἑαυτοὺς, καὶ βδελυσσόμενοι κρῖμα, καὶ πάντα τὰ ὀρθὰ διαστρέφοντες παρ' οὐδὲν ἔθεντο τὴν κατὰ τῆς ἐκκλησίας ἐπιβουλὴν, καὶ τὴν τῶν ἁγίων πατέρων βλασφημίαν, ἣν ἐκδικοῦντες, μακαριώτατοι, προσδέξασθε τὴν ἡμετέραν ἱκεσίαν καὶ τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ δοθεῖσαν ὑμῖν ἐξουσίαν, ἐπ' αὐτοῖς κινήσαντες, καθαρίσατε τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν τῶν λύκων, ἐπαφέντες αὐτοῖς οὐ τὴν ποιμαντικὴν, ἀλλὰ τὴν παιδευτικὴν ὑμῶν ῥάβδον. Κἂν γὰρ μετανοεῖν ἐπαγγείλωνται, ἡ προλαβοῦσα αὐτῶν ζωὴ ἄλλοτε ἄλλως τοῖς καιροῖς καὶ οὐ τῇ ἀληθείᾳ συμμεταβαλλομένη, πιστεύεσθαι τὰ ποίμνια

A biverit, statim in tantam et incomparabilem illi Ecclesiam seipsum porrexit : tanquam sufficientem existentem ipsius curam habere. Quia igitur iste juste a vobis punitus fuit, et de sede hujus regiæ urbis ejectus, et fidelissimus imperator noster justam vestram super hunc indignationem susceperit, ipso etiam adjuvante divinos canones et catholicam fidem; et non vultis omnimodam hujus perditionem, sed ut convertatur (imitamini enim Christum Deum nostrum, *qui venit vocare non justos, sed peccatores ad pœnitentiam* [*Matth.* IX]), et omnino paternis visceribus suscipitis, si recognoverit proprium peccatum, et convertatur; adjuramus vestram beatitudinem (licet audax quid faciamus) per sanctam et consubstantialem Trinitatem, ac per principem apostolorum Petrum, et salutem ac B victoriam piissimi imperatoris nostri, non contemnere divinos canones, qui ab ipso pessundantur; neque Ecclesiam ei traditam, quæ ab ipso despicitur; sed sequendo in omnibus eos qui ante vestram beatitudinem in sede vestra claruerunt, facere in ipso adhuc et nunc contra auctoritatem canonum invalescentem, et qui prætulit vitam degere cum hæreticis, quam cum propria Ecclesia, ea quæ sanctum Cœlestinum contra Nestorium liquet fecisse, assignando ei terminum, sicut et ille Nestorio; intra quem nisi occurrens prædictum libellum apostolicæ vestræ sedi porrexerit, ac vestræ beatitudini, et sanctissimo archiepiscopo urbis regiæ, et a morbo hæretico seipsum liberaverit, atque ad Ecclesiam Trapezundarum sibi creditam proficiscatur, diffinite, C sanctissimi, ipsum alienum esse et nudum ab omni pontificali dignitate atque efficacia, et seipsum submittere condemnationi prædictorum hæreticorum, et partem illorum accepisse, alterum vero pro isto Ecclesiæ Trapezuntinæ ordinandum esse. Verum quoniam non solum iste, sed et cæteri episcopi, clerici et archimandritæ in magno numero, qui insidiis adversus Dei Ecclesiam utuntur, et propter hoc solum in hac civitate commorantur et et universis Ecclesiis perturbationes dare nullo modo recusant; rogamus et universos tales ad vos adduci, et pœnas sustinere canonibus condecentes, quippe et in prædicto Anthimo et istis omnibus vigilante justo judicio canonum a vobis bene custoditorum, ut paululum refrigeretur Dei Ecclesia, ab istis liberata; et cogno- D scant qui ad pastoralem curam et clerum hoc modo venire volunt, quod non in finem tacebit Dominus, sed evigilavit super tales pastores, *super quos* secundum prophetam *exacerbatus est furor ejus* (*Ezech.* XXXIV). Isti enim, isti pascunt non oves, sed seipsos; et judicium abominantes, et omnia recta pervertentes, ad nihilum posuerunt insidias, quæ fiunt contra Ecclesiam, et blasphemiam contra sanctos Patres. Quam defendentes, beatissimi, suscipite nostram supplicationem, et potestatem vobis a Deo datam in ipsos moventes, purgate Dei Ecclesiam, et a lupis liberate, immittentes ipsis non pastoralem, sed disciplinativam virgam vestram. Nam etsi promittunt se pœnitentiam acturos, præterita vita ipsorum,

τούτοις οὐκ ἐπιτρέπει, τοὺς δὲ τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν A ἀρνησαμένους, καὶ ἔξω ταύτης δικαίως καταστάντας αἱρετικούς, Σευῆρον, καὶ Πέτρον, καὶ Ζωόραν, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια τούτων φρονοῦντας, ἐφ' οἷς τὴν ὑμετέραν κρίσιν ἐξεδέχετο ὁ εὐσεβέστατος βασιλεὺς, ἤδη κατακεκριμένους, ὑπό τε τοῦ ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου, καὶ τῶν ἄλλων πατριαρχικῶν θρόνων καὶ πάσης ἀρχιερωσύνης, μὴ ἀνεχομένους κανονικῶς τῇ τοῦ Θεοῦ προσελθεῖν ἐκκλησίᾳ ἐξελάσαι παντὸς οἴκου δημοσίου τε καὶ ἰδιωτικοῦ συμψήφου ὑμῖν γινομένου ὑπὲρ τῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης, καὶ τοῦ εὐσεβεστάτου ἡμῶν βασιλέως, ᾧ πᾶσα σπουδὴ καὶ φροντὶς, νύκτωρ τε καὶ μεθ' ἡμέραν περὶ ταύτης πρὸ τῶν ἄλλων γίνεται, παῦσαι πᾶσαν ταραχὴν γινομένην ταῖς ἐκκλησίαις παρ' αὐτῶν, καὶ πᾶσαν αὐτῶν ἑτεροδιδασκαλίαν συνιδεῖν τε, μακαριώτατοι, καὶ προτρέψαι τὸν φιλόθεον ἡμῶν δεσπότην, ἐφ' ᾧ νομοθετῆσαι, ὥσπερ τὰ B τοῦ Νεστορίου τοῦ δυσσεβοῦς, οὕτω καὶ τὰ Σευήρου τοῦ φρενολήπτου ψυχοφθόρα συγγράμματα, βλασφημοῦντα, εἴς τε τὴν ἐν Χαλκηδόνι ἁγίαν σύνοδον, καὶ τὸν τόμον τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν καὶ ἀρχιεπισκόπου Λέοντος πυρὶ παραδοθῆναι. Διὰ γὰρ τούτων, ἀμφίβολον τὴν πίστιν ἐν ταῖς τῶν ἁπλουστέρων ψυχαῖς ποιεῖν ἐσπούδαζε, καὶ μυκτηρίζεσθαι παρὰ τοῖς ἔθνεσι τὸ μέγα καὶ σεπτὸν ὄνομα τοῦ Χριστιανισμοῦ πεποίηκε. Καὶ γὰρ τούτου χάριν εἴς τε τὴν Ῥωμαίων πρὸς ὑμᾶς ἐξαπεστείλαμεν, καὶ τὴν ὑμετέραν δὲ εὐκταίαν εὐαγγελισθέντες παρουσίαν, ἐξεδεξάμεθα ταύτην, τοιαύτας παρὰ τοῦ εὐσεβεστάτου ἡμῶν βασιλέως ὑποσχέσεις δεξάμενοι, ὅτι τὰ παρ' ἡμῶν ἐπ' αὐτοῖς κανονικῶς ψηφιζόμενα σπουδάζει ἡ αὐτοῦ εὐσέβεια παντὶ τρόπῳ πέρατι παραδοῦναι, καὶ τῆς χρονίας τούτων ταραχῆς πάντα τὸν κόσμον λοιπὸν ἐλευθερῶσαι, C τὰς δὲ προσηγορίας τῶν εἰρημένων ἐπισκόπων, κληρικῶν, καὶ μοναχῶν, καιρῷ δέοντι ἐξονομάσομεν, παριστῶντες, πῶς οἱ μὲν τὰ Νεστορίου, οἱ δὲ τὰ Εὐτυχέος φρονοῦντες, ἐφ' ἑκάτερα διασπᾶν τὴν ἐκκλησίαν ἐπιχειροῦσιν.

quæ alio et alio tempore et non cum veritate commutatur, non permittit committere eis vere, qui Ecclesiam Dei negaverunt, et hæreticis, qui extra ipsam juste constituti sunt, Severo videlicet, Petro, et Zoaræ, et qui similia his sapiunt, super quos judicium vestrum piissimus imperator suscepit; jamque condemnatos ab apostolica sede vestra, et ab aliis patriarchalibus sedibus, nec non ab omni pontificio, cum non patiantur canonice venire ad Ecclesiam Dei, expelli ab omni publica et privata domo, piissimo imperatore nostro pro pace Ecclesiarum idem vobiscum sentiente, cui omnis cura et studium die noctuque de hac re ultra omnes est: et cessare facere omnem turbationem ab ipsis factam Ecclesiis, atque omnem alienam doctrinam: simul videre, beatissimi, et hortari Deo amatum dominum nostrum, ut sanciat, sicut illa impii Nestorii, ita et illa Severi mente capti animæ corruptibilia conscripta, in sanctam Chalcedonensem synodum edita, et in Tomum sancti Patris nostri Leonis archiepiscopi blasphemantia, igni tradere. Nam per ista dubiam fidem in animas simpliciorum facere studuit, et subsannari fecit apud gentes magnum et venerabile nomen Christianismi. Etenim hujus gratia et Romam ad vos misimus, et vestrum exoptatum adventum enuntiavimus, et ipsum suscepimus. Tales a piissimo imperatore nostro promissiones accepimus, quod ea quæ a nobis canonice sententiata sua pietas omni modo studet mandare executioni, et totum mundum deinceps liberare a temporali horum turbatione. Appellationes vero prædictorum episcoporum, clericorum, et monachorum, tempore opportuno denominabimus, exhibentes quomodo hi quidem ea quæ Nestorii sunt, hi vero quæ Eutychis sentientes, ab utraque parte divellere Ecclesiam conantur.

ΥΠΟΓΡΑΦΑΙ.

Μαριανὸς, ἐλέῳ Θεοῦ πρεσβύτερος, καὶ ἀρχιμανδρίτης, καὶ ἔξαρχος τῶν εὐαγῶν μοναστηρίων, ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀγαπητὸς πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Στουδίου [1] ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Διόσκορος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῆς ἁγίας μάρτυρος Εὐφημίας ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀγάπιος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Θαλασσίου ἀξιώσας ὑπέγραψα. D

Παῦλος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Ῥωμαίων ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀντωνῖνος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τοῦ ἁγίου Εὐσεβίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Στέφανος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Ὀλυμπίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀναστάσιος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Ῥωμαίων ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Δημήτριος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Φωκᾶ ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Κυριακὸς πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Εὐφημίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

SUBSCRIPTIONES.

Marianus misericordia Dei presbyter et archimandrita, ac primas venerabilium monasteriorum, rogans subscripsi.

Agapitus presbyter et prior monasterii Studii, rogans subscripsi.

Dioscorus presbyter et prior monasterii sanctæ martyris Euphemiæ, rogans subscripsi.

Agapius presbyter et prior monasterii Thalassii, rogans subscripsi.

Paulus presbyter et prior monasterii Romanorum, rogans subscripsi.

Antonius presbyter et prior monasterii Sancti Eusebii, rogans subscripsi.

Stephanus presbyter et prior monasterii Olympii, rogans subscripsi.

Anastasius presbyter et prior monasterii Romanorum, rogans subscripsi.

Demetrius presbyter et prior monasterii Phocæ, rogans subscripsi.

Dominicus presbyter et prior monasterii Euphemii, rogans subscripsi.

[1] Lege, τῶν τῆς τοῦ Δίου. Harduinus.

A Ζώϊλος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Θεοδότου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἰουλιανὸς ἐλέῳ Θεοῦ πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Εὐφημίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Στέφανος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Προμότου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ζήνων πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῆς ἁγίας Θεοτόκου τῆς ἐν τῇ πηγῇ ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀλέξανδρος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τοῦ Καλάμου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Δάδας πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος τῶν Καϊουμᾶ ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ῥόδων πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Θεοδώρου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Γεννάδιος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Κυριακοῦ

B ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Θεόδωρος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Μαρωνίου ἐν συκαῖς [Συκᾶν] ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Σίλας πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Ἠλία ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Παῦλος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Σαμουηλίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἰωάννης πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Θεοδώρου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Κυρίων πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Αἰγυπτίων, ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Βασίλειος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Κυρακωνᾶ ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἰωάννης πρεσβύτερος τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Θωμᾶ ἐν τοῖς Μοδέστου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

C Μάρκος ἡγούμενος μονῆς Θεοδώρου ἀπὸ ἐγσικπτόρων, ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Φλαβιανὸς πρεσβύτερος, καὶ δευτεράριος Μοδέστου θεοφιλεστάτου πρεσβυτέρου, καὶ ἡγουμένου τῆς μονῆς ἐπίκλην τῶν Λυκαόνων ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Μαρῖνος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Παυλίνου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Θεόδωρος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Τρύφωνος ἀξιώσας ὑπέγραψα.

[illegible] πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῆς ἁγίας Θεοτόκου πλησίον τοῦ Ἰὼβ ὑπέγραψα.

Κοσμᾶς πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Στουδίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Πέτρος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς ἐπίκλην

D Ἱερουσαλὴμ ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἐλευθέριος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς ἁγίου Κυριακοῦ ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀλέξανδρος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Ἀβραμίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Θεόδωρος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Ἰὼβ ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Τρύφων πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Ἐλπιδίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Στέφανος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Κώνστα, ἀξ. ὑπέγ. χειρὶ διακόνου Ἰακώβου κατ' ἐπιτροπὴν ἐμὴν γράψαντος, προτάξας τῇ ἰδίᾳ μου χειρὶ τὸν τίμιον σταυρόν.

Βαβύλας πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τοῦ ἁγίου

Zoilus presbyter et prior monasterii Theodoti, rogans subscripsi.

Julianus Dei miseratione presbyter et prior monasterii Euphemii, rogans subscripsi.

Stephanus presbyter et prior monasterii Promoti, rogans subscripsi.

Zenon presbyter et prior monasterii Sanctæ Dei Genitricis in fonte, rogans subscripsi.

Alexander presbyter et prior monasterii Calami [Calamii], rogans subscripsi.

Dadas presbyter et prior de Caiuma, rogans subscripsi.

Rhodon presbyter et prior monasterii Theodori, rogans subscripsi.

Gennadius presbyter et prior monasterii Cyriaci, rogans subscripsi.

Theodorus presbyter et archimandrita monasterii Maronii in Sycis, rogans subscripsi.

Silas presbyter et prior monasterii Heliæ [Eliæ], rogans subscripsi.

Paulus presbyter et prior monasterii Samuelis, rogans subscripsi.

Joannes presbyter et prior monasterii Theodori, rogans subscripsi.

Cyrion presbyter et prior monasterii Ægyptiorum, rogans subscripsi.

Basilyus de Cyracona presbyter et prior monasterii de Cyracona, rogans subscripsi.

Joannes presbyter S. Thomæ apostoli in illis Modesti, rogans subscripsi.

Marcus prior monasterii Theodori disceptatoris, rogans subscripsi.

Flavianus presbyter et secundarius Modesti Deo amantissimi presbyteri, et prioris monasterii Lycaonum, rogans subscripsi.

Marinus presbyter et prior monasterii Paulini, rogans subscripsi.

Theodorus presbyter et prior monasterii Tryphonis, rogans subscripsi.

Theotistus presbyter et prior monasterii sanctæ Dei Genitricis Mariæ prope Sanctum Job, rogans subscripsi.

Cosmas presbyter et prior monasterii Studii, rogans subscripsi.

Petrus presbyter et prior monasterii nominati [ἐπίκλην] Hierusalem, rogans subscripsi.

Eleutherius presbyter et prior monasterii Sancti Dominici martyris, rogans subscripsi.

Alexander presbyter et prior monasterii Abraami, rogans subscripsi.

Theodorus presbyter et prior monasterii Job, rogans subscripsi.

Tryphon presbyter et prior monasterii Elpidii, rogans subscripsi.

Stephanus presbyter et prior monasterii de Consta, rogans subscripsi manu Jacobi diaconi, qui scripsit secundum commissionem meam, et ego protendi propria manu mea honorabilem crucem.

Babylas presbyter et prior monasterii Sancti Da-

τούτοις οὐκ ἐπιτρέπει, τοὺς δὲ τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν A ἀρνησαμένους, καὶ ἔξω ταύτης δικαίως καταστάντας αἱρετικοὺς, Σευῆρον, καὶ Πέτρον, καὶ Ζωόραν, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια τούτων φρονοῦντας, ἐφ' οἷς τὴν ὑμετέραν κρίσιν ἐξεδέχετο ὁ εὐσεβέστατος βασιλεὺς, ἤδη κατακεκριμένους, ὑπό τε τοῦ ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου, καὶ τῶν ἄλλων πατριαρχικῶν θρόνων καὶ πάσης ἀρχιερωσύνης, μὴ ἀνεχομένους κανονικῶς τῇ τοῦ Θεοῦ προσελθεῖν ἐκκλησίᾳ ἐξελάσαι παντὸς οἴκου δημοσίου τε καὶ ἰδιωτικοῦ συμψήφου ὑμῖν γινομένου ὑπὲρ τῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης, καὶ τοῦ εὐσεβεστάτου ἡμῶν βασιλέως, ᾧ πᾶσα σπουδὴ καὶ φροντὶς, νύκτωρ τε καὶ μεθ' ἡμέραν περὶ ταύτης πρὸ τῶν ἄλλων γίνεται, παῦσαι πᾶσαν ταραχὴν γινομένην ταῖς ἐκκλησίαις παρ' αὐτῶν, καὶ πᾶσαν αὐτῶν ἑτεροδιδασκαλίαν συνιδεῖν τε, μακαριώτατοι, καὶ προτρέψαι τὸν φιλόθεον ἡμῶν δεσπότην, ἐφ' ᾧ νομοθετῆσαι, ὥσπερ τὰ B τοῦ Νεστορίου τοῦ δυσσεβοῦς, οὕτω καὶ τὰ Σευήρου τοῦ φρενολήπτου ψυχοφθόρα συγγράμματα, βλασφημοῦντα, εἴς τε τὴν ἐν Χαλκηδόνι ἁγίαν σύνοδον, καὶ τὸν τόμον τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν καὶ ἀρχιεπισκόπου Λέοντος πυρὶ παραδοθῆναι. Διὰ γὰρ τούτων, ἀμφίβολον τὴν πίστιν ἐν ταῖς τῶν ἁπλουστέρων ψυχαῖς ποιεῖν ἐσπούδακε, καὶ μυκτηρίζεσθαι παρὰ τοῖς ἔθνεσι τὸ μέγα καὶ σεπτὸν ὄνομα τοῦ Χριστιανισμοῦ πεποίηκε. Καὶ γὰρ τούτου χάριν εἴς τε τὴν Ῥωμαίων πρὸς ὑμᾶς ἐξαπεστείλαμεν, καὶ τὴν ὑμετέραν δὲ εὐκταίαν εὐαγγελισθέντες παρουσίαν, ἐξεδεξάμεθα ταύτην, τοιαύτας παρὰ τοῦ εὐσεβεστάτου ἡμῶν βασιλέως ὑποσχέσεις δεξάμενοι, ὅτι τὰ παρ' ἡμῶν ἐπ' αὐτοῖς κανονικῶς ψηφιζόμενα σπουδάζει ἡ αὐτοῦ εὐσέβεια παντὶ τρόπῳ πέρατι παραδοῦναι, καὶ τῆς χρονίας τούτων ταραχῆς πάντα τὸν κόσμον λοιπὸν ἐλευθερῶσαι, C τὰς δὲ προσηγορίας τῶν εἰρημένων ἐπισκόπων, κληρικῶν, καὶ μοναχῶν, καιρῷ δέοντι ἐξονομάσομεν, παριστῶντες, πῶς οἱ μὲν τὰ Νεστορίου, οἱ δὲ τὰ Εὐτυχέος φρονοῦντες, ἐφ' ἑκάτερα διασπᾶν τὴν ἐκκλησίαν ἐπιχειροῦσιν.

A quæ alio et alio tempore et non cum veritate commutatur, non permittit committere eis vere, qui Ecclesiam Dei negaverunt, et hæreticis, qui extra ipsam juste constituti sunt, Severo videlicet, Petro, et Zoaræ, et qui similia his sapiunt, super quos judicium vestrum piissimus imperator suscepit; jamque condemnatos ab apostolica sede vestra, et ab aliis patriarchalibus sedibus, nec non ab omni pontificio, cum non patiantur canonice venire ad Ecclesiam Dei, expelli ab omni publica et privata domo, piissimo imperatore nostro pro pace Ecclesiarum idem vobiscum sentiente, cui omnis cura et studium die noctuque de hac re ultra omnes est: et cessare facere omnem turbationem ab ipsis factam Ecclesiis, atque omnem alienam doctrinam: simul videre, beatissimi, et hortari Deo amatum dominum nostrum, ut B sanciat, sicut illa impii Nestorii, ita et illa Severi mente capti animæ corruptibilia conscripta, in sanctam Chalcedonensem synodum edita, et in Tomum sancti Patris nostri Leonis archiepiscopi blasphemantia, igni tradere. Nam per ista dubiam fidem in animas simpliciorum facere studuit, et subsannari fecit apud gentes magnum et venerabile nomen Christianismi. Etenim hujus gratia et Romam ad vos misimus, et vestrum exoptatum adventum enuntiavimus, et ipsum suscepimus. Tales a piissimo imperatore nostro promissiones accepimus, quod ea quæ a nobis canonice sententiata sua pietas omni modo studet mandare executioni, et totum mundum deinceps liberare a temporali horum turbatione. Ap- C pellationes vero prædictorum episcoporum, clericorum, et monachorum, tempore opportuno denominabimus, exhibentes quomodo hi quidem ea quæ Nestorii sunt, hi vero quæ Eutychis sentientes, ab utraque parte divellere Ecclesiam conantur.

ΥΠΟΓΡΑΦΑΙ.

Μαριανὸς, ἐλέῳ Θεοῦ πρεσβύτερος, καὶ ἀρχιμανδρίτης, καὶ ἔξαρχος τῶν εὐαγῶν μοναστηρίων, ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀγαπητὸς πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Στουδίου[1] ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Διόσκορος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῆς ἁγίας μάρτυρος Εὐφημίας ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀγάπιος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Θαλασσίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

D Παῦλος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Ῥωμαίων ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀντωνῖνος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τοῦ ἁγίου Εὐσεβίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Στέφανος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Ὀλυμπίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀναστάσιος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Ῥωμαίων ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Δημήτριος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Φωκᾶ ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Κυριακὸς πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Εὐφημίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

SUBSCRIPTIONES.

Marianus misericordia Dei presbyter et archimandrita, ac primas venerabilium monasteriorum, rogans subscripsi.

Agapitus presbyter et prior monasterii Studii, rogans subscripsi.

Dioscorus presbyter et prior monasterii sanctæ martyris Euphemiæ, rogans subscripsi.

Agapius presbyter et prior monasterii Thalassii, D rogans subscripsi.

Paulus presbyter et prior monasterii Romanorum, rogans subscripsi.

Antonius presbyter et prior monasterii Sancti Eusebii, rogans subscripsi.

Stephanus presbyter et prior monasterii Olympii, rogans subscripsi.

Anastasius presbyter et prior monasterii Romanorum, rogans subscripsi.

Demetrius presbyter et prior monasterii Phocæ, rogans subscripsi.

Dominicus presbyter et prior monasterii Euphemii, rogans subscripsi.

[1] Lege, τῶν τῆς τοῦ Δίου. Harduinus.

Ζώϊλος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Θεοδότου ἀξιώσας ὑπέγραψα. A

Ἰουλιανὸς ἐλέῳ Θεοῦ πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Εὐφημίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Στέφανος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Προμότου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ζήνων πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῆς ἁγίας Θεοτόκου τῆς ἐν τῇ πηγῇ ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀλέξανδρος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τοῦ Καλάμου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Δάδας πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος τῶν Καϊουμᾶ ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ῥόδων πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Θεοδώρου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Γεννάδιος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Κυριακοῦ ἀξιώσας ὑπέγραψα. B

Θεόδωρος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Μαρωνίου ἐν συκαῖς [Συκῶν] ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Σίλας πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Ἠλία ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Παῦλος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Σαμουηλίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἰωάννης πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Θεοδώρου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Κυρίων πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Αἰγυπτίων, ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Βασίλειος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Κυρακωνᾶ ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἰωάννης πρεσβύτερος τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Θωμᾶ ἐν τοῖς Μοδέστου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Μάρκος ἡγούμενος μονῆς Θεοδώρου ἀπὸ ἐξσκεπτόρων, C ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Φλαβιανὸς πρεσβύτερος, καὶ δευτεράριος Μοδέστου θεοφιλεστάτου πρεσβυτέρου, καὶ ἡγουμένου τῆς μονῆς ἐπίκλην τῶν Λυκαόνων ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Μαρῖνος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Παυλίνου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Θεόδωρος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Τρύφωνος ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Θεόκτιστος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῆς ἁγίας Θεοτόκου πλησίον τοῦ Ἰὼβ ὑπέγραψα.

Κοσμᾶς πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Στουδίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Πέτρος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς ἐπίκλην Ἱερουσαλὴμ ἀξιώσας ὑπέγραψα. D

Ἐλευθέριος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς ἁγίου Κυριακοῦ ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀλέξανδρος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Ἀβραμίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Θεόδωρος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Ἰὼβ ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Τρύφων πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Ἐλπιδίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Στέφανος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Κώνστα, ἀξ. ὑπέγ. χειρὶ διακόνου Ἰακώβου κατ' ἐπιτροπὴν ἐμὴν γράψαντος, προτάξας τῇ ἰδίᾳ μου χειρὶ τὸν τίμιον σταυρόν.

Βαβύλας πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τοῦ ἁγίου

Zoilus presbyter et prior monasterii Theodoti, rogans subscripsi.

Julianus Dei miseratione presbyter et prior monasterii Euphemii, rogans subscripsi.

Stephanus presbyter et prior monasterii Promoti, rogans subscripsi.

Zenon presbyter et prior monasterii Sanctæ Dei Genitricis in fonte, rogans subscripsi.

Alexander presbyter et prior monasterii Calami [Calamii], rogans subscripsi.

Dadas presbyter et prior de Caiuma, rogans subscripsi.

Rhodon presbyter et prior monasterii Theodori, rogans subscripsi.

Gennadius presbyter et prior monasterii Cyriaci, rogans subscripsi.

Theodorus presbyter et archimandrita monasterii Maronii in Sycis, rogans subscripsi.

Silas presbyter et prior monasterii Heliæ [Eliæ], rogans subscripsi.

Paulus presbyter et prior monasterii Samuelis, rogans subscripsi.

Joannes presbyter et prior monasterii Theodori, rogans subscripsi.

Cyrion presbyter et prior monasterii Ægyptiorum, rogans subscripsi.

Basilyus de Cyracona presbyter et prior monasterii de Cyracona, rogans subscripsi.

Joannes presbyter S. Thomæ apostoli in illis Modesti, rogans subscripsi.

Marcus prior monasterii Theodori disceptatoris, rogans subscripsi.

Flavianus presbyter et secundarius Modesti Deo amantissimi presbyteri, et prioris monasterii Lycaonum, rogans subscripsi.

Marinus presbyter et prior monasterii Paulini, rogans subscripsi.

Theodorus presbyter et prior monasterii Tryphonis, rogans subscripsi.

Theoctistus presbyter et prior monasterii sanctæ Dei Genitricis Mariæ prope Sanctum Job, rogans subscripsi.

Cosmas presbyter et prior monasterii Studii, rogans subscripsi.

Petrus presbyter et prior monasterii nominati [ἐπίκλην] Hierusalem, rogans subscripsi.

Eleutherius presbyter et prior monasterii Sancti Dominici martyris, rogans subscripsi.

Alexander presbyter et prior monasterii Abraami, rogans subscripsi.

Theodorus presbyter et prior monasterii Job, rogans subscripsi.

Tryphon presbyter et prior monasterii Elpidii, rogans subscripsi.

Stephanus presbyter et prior monasterii de Consta, rogans subscripsi manu Jacobi diaconi, qui scripsit secundum commissionem meam, et ego protendi propria manu mea honorabilem crucem.

Babylas presbyter et prior monasterii Sancti Da-

Δανιὴλ τοῦ ἐν τῷ στύλῳ, καὶ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου ἐν τῷ μικρῷ βάθει, καὶ τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Ἀνδρέου πλησίον τοῦ στύλου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἰωάννης πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Ἀναστασίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀνθέμιος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Νέωνος ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἰωάννης πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῆς ἐπίκλην τῶν Χαρισίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἰωάννης πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Μαρᾶ πλησίον τῆς Ἀετίου κινστέρνης, ὑπέγραψα.

Φωκᾶς πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῆς ἐπίκλην τῶν Ἰωνᾶ πλησίον τοῦ δευτέρου, ὑπέγραψα.

Ζώσιμος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Εὐτυχίου τοῦ Λυκαόνων πλησίον τῶν Ματρώνης ὑπέγραψα.

Τιμόθεος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Ἀστερίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Πολυχρόνιος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τοῦ Αἰθρείου, ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Σεβηριανὸς πρεσβύτερος ὑπέγραψα ὑπὲρ αὐτοῦ, ἐπιτραπεὶς παρ' αὐτοῦ.

Στρατόνικος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τοῦ ἁγίου Δομετίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀνδρέας ἐλέῳ Θεοῦ πρεσβύτερος, καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς τῶν Ῥωμαίων ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Μαρτύριος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Πέτρου ἤτοι Οὐάλεντος καὶ Δαυδάτου πλησίον τῶν ἁγίων Ἀποστόλων ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀνδρέας πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς διακειμένης ἐν τῷ σεβασμίῳ οἴκῳ τῆς ἁγίας θεοτόκου πλησίον τοῦ ἁγίου Λουκᾶ ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Μάρκος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τοῦ ἁγίου Κυρίκου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἰάκωβος πρεσβύτερος, καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς Ἀβίβου Σύρος Συριστὶ ὑπέγραψα.

Ἀττικὸς πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῶν Εὐκρατάδων ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἰωσὴφ πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῆς ἁγίας θεοτόκου ἐν τῷ λιθοστρώτῳ ὑπέγραψα.

Παῦλος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀναστάσιος πρεσβύτερος, καὶ δευτεράριος μονῆς τοῦ ἁγίου Φιλίππου τοῦ ἐν τῷ βρεφοτροφείῳ ὑπέγραψα διὰ τὸ μὴ παρεῖναι τὸν ἡγούμενον.

Γεώργιος πρεσβύτερος, καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς τῶν Κύρου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Κυριακὸς πρεσβύτερος, καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς τῶν Σύρων ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ζώσιμος πρεσβύτερος, καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς τῶν Μαξιμίνου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἐλπίδιος πρεσβύτερος, καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς τῶν Βασιανοῦ ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Πολυχρόνιος πρεσβύτερος, καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς τῶν Κρητικῶν ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Παῦλος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῆς ἁγίας Ἑρμιόνης ἀξιώσας ὑπέγραψα.

A nielis existentis in stylo et sancti Joannis [prædicavi] in parvo profundo, et sancti Andreæ apostoli prope stylum, rogans subscripsi.

Joannes presbyter et prior monasterii Anastasii prope Agogum, rogans subscripsi.

Anthemius [Eleutherius] presbyter et prior monasterii Neonis, rogans subscripsi.

Joannes presbyter et prior monasterii quod appellatur Charisii, rogans subscripsi.

Joannes presbyter et prior monasterii Mara prope Aetii cisternam [a], rogans subscripsi.

Phocas presbyter et prior monasterii quod dicitur Jonæ juxta Secundum, rogans subscripsi.

Zosimus [Cosmus] presbyter et prior monasterii Eutychii Lycaonum, prope villam Matronæ, subscripsi.

B Timotheus presbyter et prior monasterii Asterii, rogans subscripsi.

Polychronius presbyter et prior monasterii Æthrii, rogans subscripsi.

Severianus presbyter et prior subscripsi pro ipso, cum commissum sit mihi ab ipso.

Stratonicus presbyter et prior monasterii Sancti Dometii, rogans subscripsi.

Andreas Dei miseratione presbyter et archimandrita monasterii Romanorum, rogans subscripsi.

Martyrius presbyter et prior monasterii Petri sive Valentini [Valentis] et Daudati prope SS. Apostolos, rogans subscripsi.

C Andreas presbyter et prior monasterii jacentis in venerabili domo sanctæ Dei Genitricis prope Sanctum Lucam, rogans subscripsi.

Marcus presbyter et prior monasterii Sancti Cyrici, rogans subscripsi.

Jacobus presbyter et archimandrita monasterii Abibi Syrus, Syriace [Syristi] subscripsi.

Atticus presbyter et prior monasterii Eucratadarum, rogans subscripsi.

Josephus presbyter et prior monasterii Dei Genitricis in Lithostroto, subscripsi.

Paulus presbyter et prior, rogans subscripsi.

Anastasius presbyter et secundarius monasterii Sancti Philippi in Brephotrophio, subscripsi eo quod non adesset prior.

D Gregorius presbyter et archimandrita monasterii Cyri, rogans subscripsi.

Dominicus presbyter et archimandrita monasterii Syriorum, rogans subscripsi.

Zosimus [Cosmus] presbyter et archimandrita monasterii Maximini, rogans subscripsi.

Elpidius presbyter et archimandrita monasterii Basiani, rogans subscripsi.

Polychronius presbyter et archimandrita monasterii Cretensium [Criticorum], rogans subscripsi.

Paulus presbyter et prior monasterii Sanctæ Ermioniæ, rogans subscripsi.

[a] *Mariæ prope Aetiam cisternam* : al. *æream cist.*

Εὐσέβιος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τῆς ἐπίκλην Συμεὼν ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ζωτικὸς πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τοῦ ἁγίου Ἀνδρέου πλησίον τῆς Ζατοργίνου πόρτης ἀξιώσας ὑπέγραψα χειρὶ Μάρκου πρεσβυτέρου καὶ δευτεραρίου, ἐμοῦ προτάξαντος τὸν τίμιον σταυρόν.

Θεόδωρος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς τοῦ ἁγίου Λαυρεντίου ὑπ' ἐμοῦ συστάσης ὑπέγραψα.

Δομετιανὸς πρεσβύτερος, καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς Μαρτυρίου, καὶ ὑπὲρ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς ἁγίας πόλεως μοναχῶν ὑπέγραψα.

Ἡσύχιος πρεσβύτερος μονῆς τοῦ μακαρίου Θεοδοσίου καὶ ὑπὲρ πάντων.

Κασσιανὸς πρεσβύτερος λαύρας τοῦ μακαρίου Σάββα καὶ ὑπὲρ πάντων.

Κυριακὸς πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος τῶν πυργίων τοῦ Ἰορδάνου καὶ ὑπὲρ πάντων.

Νέσταβος πρεσβύτερος λαύρας τοῦ ὁσίου Φιρμίνου καὶ ὑπὲρ πάντων.

Τερέντιος πρεσβύτερος νέας λαύρας καὶ ὑπὲρ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ ὑπέγραψα.

Λεόντιος μοναχὸς, καὶ ἡγούμενος, καὶ τοποτηρητὴς πάσης τῆς ἐρήμου ὑπέγραψα.

Τραϊανὸς πρεσβύτερος τῶν πυργίων τοῦ Ἰορδάνου καὶ ὑπὲρ πάντων.

Πολύευκτος διάκονος μονῆς τοῦ Ἀββᾶ Θεοδοσίου καὶ ὑπὲρ πάντων.

Θεόδωρος διάκονος, καὶ μοναχὸς τῆς νέας λαύρας καὶ ὑπὲρ πάντων.

Σύρικος μοναχὸς, καὶ διάκονος τῆς αὐτῆς νέας λαύρας καὶ ὑπὲρ πάντων.

Ἀναστάσιος διάκονος μονῆς τοῦ Ἀββᾶ Μαρτυρίου καὶ ὑπὲρ πάντων.

Μάμας μοναχὸς μονῆς τοῦ Ἀββᾶ Μαρτυρίου καὶ ὑπὲρ πάντων.

Ἰουλιανὸς μοναχὸς τοῦ Ἀββᾶ Θεοδοσίου καὶ ὑπὲρ πάντων.

Ἰωάννης πρεσβύτερος μονῆς ἰδίας ἐν τῷ πεδιάδι καὶ ὑπὲρ τῶν ἐν αὐτῇ.

Θεωνᾶς πρεσβύτερος τοῦ ἁγίου ὄρους Σινᾶ, καὶ ἀποκρισιάριος τοῦ τε ὄρους τῆς ἐκκλησίας Φαρὰν, καὶ λαύρας Ῥαϊθοῦ ὑπὲρ πάντων τῶν ἐκεῖσε μοναχῶν ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Στρατήγιος διάκονος, καὶ μοναχὸς μονῆς τοῦ μακαρίου Ἰωάννου καὶ ὑπὲρ πάντων τῆς ἐκεῖσε μοναχῶν.

Ἰωάννης μοναχὸς μονῆς τοῦ Ἀββᾶ Μαρτυρίου καὶ ὑπὲρ πάντων ἐκεῖσε μοναχῶν.

Παῦλος μοναχὸς, καὶ ἀποκρισιάριος μονῆς τοῦ μακαρίου Μάρωνος δευτέρας Συρίας.

Σεβηριανὸς πρεσβύτερος, καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς Ζωόρα τῶν θερμῶν Συριστὶ ὑπέγραψα.

Κασσίσας πρεσβύτερος, καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς τῶν Λουκᾶ Συριστὶ ὑπέγραψα.

Ἰωάννης πρεσβύτερος, καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς τοῦ κυροῦ Θωμᾶ Συριστὶ ὑπέγραψα.

Συμεώνης διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος μονῆς τοῦ μακαρίου Ἰακώβου δευτέρας Συρίας καὶ ὑπὲρ πάντων.

A Eusebius presbyter et prior monasterii quod vocatur Symeon, rogans subscripsi.

Zoticus presbyter et prior monasterii Sancti Andreæ prope Saturninam portam, rogans subscripsi, manu Marci presbyteri et secundarii, me protendente honorabilem crucem.

Theodorus presbyter et prior monasterii S. Laurentii, a me Dei gratia fundati, subscripsi.

Domitianus presbyter et archimandrita monasterii Martyrii, et pro omnibus monachis qui sunt in eremo sanctæ civitatis, subscripsi.

Hesychius presbyter monasterii Theodosii, et pro omnibus, etc.

Cassianus presbyter Lauræ beati Sabbæ, et pro omnibus, etc.

B Dominicus presbyter et prior monasterii de Turribus Jordanis [lauræ Pyrgiorum], et pro omnibus, etc., subscripsi.

Nestabus presbyter Lauræ Sancti Firmini, et pro omnibus, etc.

Terentius presbyter Novæ Lauræ et pro omnibus qui in eremo sunt subscripsi.

Leontius monachus et prior et vicarius totius eremi, subscripsi et pro omnibus, etc.

Trajanus presbyter Turrium Jordanis, et pro omnibus, etc.

Polyeuctus diaconus monasterii abbatis Theodosii, et pro omnibus, etc.

Theodorus diaconus et monachus Novæ Lauræ, et pro omnibus, etc.

C Cyricus monachus et diaconus ejusdem Novæ Lauræ, et pro omnibus, etc.

Anastasius diaconus monasterii abbatis Martyrii, et pro omnibus, etc.

Mamas monachus monasterii abbatis Martyrii, et pro omnibus, etc.

Julianus monachus abbatis Theodosii, et pro omnibus, etc.

Joannes presbyter proprii monasterii in campestri, et pro omnibus qui in ipso sunt, etc.

Theonas presbyter sancti montis Sinai, et legatus ecclesiæ Pharan et lauræ Rhaithu, pro omnibus monachis ibidem, rogans subscripsi.

Strategius diaconus et monachus monasterii Beati D Joannis, et pro omnibus ibidem monasteriis subscripsi.

Joannes monachus monasterii abbatis Martyrii, et pro omnibus ibidem monasteriis subscripsi.

Paulus monachus et legatus monasterii beati Maronis secundæ Syriæ, subscripsi.

Severianus presbyter et archimandrita monasterii Zoaræ de Thermis, Syriace subscripsi.

Cassisa presbyter et archimandrita monasterii Lucæ, Syriace subscripsi.

Joannes presbyter et archimandrita monasterii Cyri [Domini] Thomæ, Syriace subscripsi.

Symeones [Simeonius] diaconus et legatus monasterii beati Jacobi secundæ Syriæ, et pro omnibus, etc.

Ἰωάννης διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος μονῆς τοῦ μακαρίου Θεοδώρου δευτέρας Συρίας καὶ ὑπὲρ πάντων τῶν ἐν αὐτῇ μοναχῶν ὑπέγραψα.

Σέργιος πρεσβύτερος περιοδευτὴς τῶν ἁγίων ἐκκλησιῶν ἐπιχωρίων τῆς πρώτης Σύρων ἐπαρχίας ὑπέγραψα.

Στέφανος πρεσβύτερος, καὶ ἡγούμενος μονῆς Εὐξερίου ὑπὲρ πάντων.

Ἰωάννης πρεσβύτερος, καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς Θωμᾶ Συριστὶ ὑπέγραψα.

Θωμᾶς πρεσβύτερος, καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς Ἀαρὼν Συριστὶ ὑπέγραψα.

Φαυστῖνος μοναχὸς, καὶ ἀποκρισιάριος μονῆς τοῦ ἁγίου Στεφάνου Μαουζᾶ Ἰαμνίας, καὶ ὑπὲρ πάντων τῶν ἐκεῖσε κληρικῶν καὶ μοναχῶν.

Θεόδωρος διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Ἐρενδηλανῶν ἀξιώσας ὑπέγραψα.

A Joannes diaconus et legatus monasterii beati Theodori secundæ Syriæ, et pro his qui in ea sunt monachis subscripsi.

Sergius presbyter .ustrator sanctarum ecclesiarum gentilium Syrorum primæ provinciæ, subscripsi.

Stephanus presbyter et prior monasterii Euxerii, et pro omnibus, etc.

Joannes presbyter et archimandrita monasterii Thomæ, Syristi [*id est* Syriace] subscripsi.

Theonas [Thomas] presbyter et archimandrita monasterii Aaron, Syristi subscripsi.

Faustinus monachus et legatus monasterii Sancti Stephani Mauzæ [*al.* Nanze] Jamniæ, pro omnibus clericis et monachis ibidem existentibus.

Theodorus diaconus et legatus sanctæ Ecclesiæ B Erendelenorum, rogans subscripsi.

EPISTOLA SIVE LIBELLUS ORTHODOXORUM EPISCOPORUM ORIENTALIUM,

CONTRA ANTHIMUM, SEVERUM, ALIOSQUE ACEPHALOS, OBLATUS AGAPITO.

Τῷ δεσπότῃ ἡμῶν τῷ τὰ πάντα ἁγιωτάτῳ, καὶ μακαριωτάτῳ πατρὶ πατέρων τῷ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς Ῥωμαίων καὶ πατριάρχῃ Ἀγαπητῷ παρὰ τῶν ἐνδημούντων κατὰ ταύτην τὴν βασιλίδα πόλιν ἐπισκόπων τῆς τε ἀνατολικῆς διοικήσεως, καὶ τῶν ὑπὸ τοὺς ἁγίους Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν τόπους καὶ ἀποκρισιαρίων, καὶ λοιπῶν κληρικῶν.

Ἐξ οὗ Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὑπὲρ τῶν ἐποφειλομένων ὑμῖν γερῶν, τῆς δι' αὐτὸν ἐν παντὶ καιρῷ μετὰ παῤῥησίας ἀληθοῦς δημοσιευθείσης ὁμολογίας τῇ ἀοράτῳ καὶ φοβερᾷ αὐτοῦ δυνάμει ἐπὶ τὴν σεβασμίαν ὑμῶν ἐπανεπαύσατο κεφαλὴν τὸν τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων θρόνον καταπιστεύσας ὑμῖν, μακαριώτατοι, « καὶ ἔστησεν ἐπὶ πέτραν τοὺς πόδας ὑμῶν, καὶ κατεύθυνε τὰ διαβήματα ὑμῶν, καὶ ἐνέπλησε τὸ στόμα ὑμῶν ᾆσμα καινὸν ὕμνον τῷ Θεῷ ἡμῶν, πολλοὶ ἤλπισαν ἐπὶ κύριον, » κατὰ τὸ ψαλμικὸν λόγιον, καταυγασθέντες ὑπὸ τῆς πνευματικῆς ὑμῶν αἴγλης, δι' ἧς, ὡς λύχνος ἐκλάμπων ἐπὶ λυχνίας ἁγίας τὸ ζοφῶδες τῶν ἐν σκότει καθημένων, καὶ τυφλῶν ἐφωτίσατε τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας αὐτῶν διανοίξαντες. Διά τοι τοῦτο, τεθαῤῥηκότες πιστεύοντές τε τῷ θείῳ λογίῳ τῷ διαγορεύοντι, « Ἐν καιρῷ οὐ δειλιάσει καρδία ἑδρασμένη ἐπὶ διανοίᾳ συνέσεως, » πείρᾳ τε μαθόντες ἀκριβεῖς ὑμᾶς φύλακας εἶναι τῶν ἀποστολικῶν θησαυρῶν ἐξωστρακίσαντες ἀρτίως Ἄνθιμον τὸν πρόσχημα εὐσεβείας περιβαλόμενον, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἀρνησάμενον, τὸν τὴν ἁρμοσθεῖσαν αὐτῷ νύμφην ἐξωθήσαντα, καὶ λαβεῖν ἑτέραν κατατολμήσαντα παρὰ τοὺς θείους κανόνας, γινώσκοντες δὲ καὶ τὸν θεοφύλακτον ἡμῶν βασιλέα, καθάπερ Χριστοῦ μαθητὴν δεδοκιμασμένην ἔχοντα ψυχὴν κοινωνὸν ὑμῖν τοῦ ἀγαθοῦ ἔργου τούτου γενόμενον, καὶ σπουδάσαντα μὲν ἐκ προοιμίων τῆς αὐτοῦ βασιλείας μέχρι τοῦ νῦν, τὸ τῆς ἐκκλησίας, ἅπαν σῶμα φυλάξαι ὑγιὲς, καὶ ἀκέραιον καὶ πάσης νόσου αἱρετικῆς ἐλεύθερον, καὶ διὰ τοῦτο νομοθετῆσαι τὰς ἁγίας, καὶ ἱερὰς τέσσαρας συνόδους, ἐν ταῖς ὅτε δήποτε γινομέναις θείαις μυσταγωγίαις, μεγαλοφώνως ὑπὸ τῶν ἱερῶν κηρύκων, ταύτας

Domino nostro per omnia sanctissimo et beatissimo patri patrum archiepiscopo Romanorum et patriarchæ Agapito, ab episcopis Orientalis diœcesis, et ab his qui sunt sub sanctis locis Christi Dei nostri, nec non ambasiatoribus et cæteris clericis in hac regia urbe congregatis.

Ex quo Christus Deus noster, pro debitis vobis præmiis propter ipsius in omni tempore, cum vera C fiducia, sua invisibili ac terribili virtute divulgatam confessionem super venerabile caput vestrum requiescere fecit, cum sedem apostolorum vobis, pater beatissime, commisit, *et firmavit super firmam petram pedes vestros, et direxit gressus vestros, et implevit os vestrum cantico novo hymno Deo nostro : speraverunt in Domino* (*Psal.* XXXVI), secundum psalmicum eloquium, clarificati a spirituali splendore vestro, per quem tanquam lucerna resplendens super sancto candelabro caliginem eorum qui in tenebris sedent, et cæcos illuminastis, et oculos mentis ipsorum aperuistis. Propterea confisi et credentes divino eloquio dicenti, *In tempore non timebit cor confugiens ad intellectum* : et experientia intellectus cognoscentes vos esse diligentes custodes thesaurorum apostolicorum, D exossavimus (*a*) modo Anthimum, *habitum pietatis circumferentem, potentiam vero ipsius negantem* (II *Tim.* III); qui convenientem sibi sponsam dimisit, et aliam contra divinos canones accipere ausus est. Cognoscentesque et (*b*) Deo custoditum imperatorem nostrum, tanquam Christi discipulum, approbatam animam habere, et participem vobis hujus boni operis fuisse, qui a primordiis regni sui usque nunc studuit custodire omne corpus Ecclesiæ sanum et perfecte integrum, et ab omni morbo hæretico liberum : et propter hoc statuit quatuor sanctas synodos in divinis ac sacris initiationibus, quando fiunt, magna voce a sacris prædicatoribus prædicari; quæ fortifi-

(*a*) Forte, *exsulavimus.*

(*b*) Sic mss. ubique.

κηρύττεσθαι, τειχιζούσας τῶν πιστῶν τὰς καρδίας, καὶ τὰς τῶν αἱρετικῶν συμπνιγούσας, ἐλπίζοντα δὲ ἐκ τῆς κατὰ φύσιν αὐτοῦ φιλανθρωπίας, καὶ οἰόμενον καθάπερ τοὺς ἐξ ἁπλότητος ὑπαχθέντας τῇ πλάνῃ εἰκός ἐστιν ἐπιστρέψαι τῷ χρόνῳ, οὕτω καὶ τοὺς ταύτης εὑρετάς, μᾶλλον δὲ τοῦ διαβόλου μαθητάς, καὶ μηδέποτε τὴν ἀλήθειαν ἐπιγνόντας, τὴν τῶν ἐξαρχῆς αἱρετικῶν ἐκβολὴν ὑπερτίθεσθαι (al. ὑπεκτίθεσθαι Hard.), δεόμεθα, μακαριώτατοι, ἀναμνῆσαι τὸν μνημονικώτατον, καὶ θεοφύλακτον ἡμῶν βασιλέα τῆς ἱερᾶς ἐκείνης φωνῆς λεγούσης, « Πᾶν δὲ βδέλυγμα ἐμίσησε κύριος, » ὃ πρῶτον, καὶ μέσον, καὶ ὕστατόν ἐστι Σευῆρος ὁ ἀλιτήριος, ὁ κατὰ Θεοῦ λαλήσας ἀδικίαν ἀεί, ποτὲ μὲν τὰ Ἑλλήνων μυστήρια μυηθείς, καὶ ταῦτα τιμήσας, ποτὲ δὲ τὰ Εὐτυχοῦς διδάξας, καὶ Μάνη, ἐν ὅλῳ δὲ τῷ βίῳ τῇ τῶν Χριστιανῶν πίστει φράσας ἐῤῥῶσθαι, καὶ τὴν Νεστορίου τοῦ ἀνθρωπολάτρου προσηγορίαν, εἰς ἐφόδιον τῆς ἀπάτης τοῖς ἐξ ἁπλότητος πρὸς ὑποδοχὴν ἔχουσιν ἕτοιμα τὰ ὦτα, ἐπινοήσας· τὰ ἐκείνων εἰπὼν ἐναργῶς Νεστοριανούς τε καλέσας τοὺς τῶν ὀρθῶν δογμάτων καθηγητάς, οὐ φεισάμενος μήτε τοῦ βαπτίσαντος αὐτόν, ἀναθεμάτων ἀδυνάμων πάντα τὸν κόσμον ἐπλήρωσεν, ἀποφήνασθαι κατατολμήσας αὐτός, ἐνδυνάμους κληρωσάμενος μετὰ τῶν προσχρησάντων αὐτῷ τῆς χειροτονίας σκιὰν κατὰ τῆς εἰρημένης οἰκουμενικῆς ἁγίας συνόδου τῆς ἐν Χαλκηδόνι, καὶ τῶν ἱερῶν, καὶ θεοφιλῶν ἐπιστολῶν τοῦ ἐν ἁγίοις τὴν μνήμην πάπα Λέοντος τοῦ γενομένου φωστῆρος καὶ στύλου τῆς ἐκκλησίας, τοῦ στηρίξαντος τοὺς πιστοὺς τῇ βασιλικῇ τρίβῳ πορεύεσθαι, ὡς λείπεσθαι τὸ τῇ θείᾳ γραφῇ ῥηθέν, πληρωθῆναι ἐπ' αὐτῷ, « καὶ ἐμπεσεῖται εἰς βόθρον ὃν εἰργάσατο. » Ὅθεν ἀποροῦντες, πῶς ἂν αὐτὸν κυρίως καλέσοιμεν Ἑλλήνων ὁμόφρονα. Εὐτυχοῦς ὁμόδοξον, ὁμότροπον Νεστορίου, ἐκ τῆς κυριωτέρας, καὶ ἐπισήμου προσηγορίας ὀνομάσομεν, τὸ ἐντεῦθεν ὄργανον αὐτὸν σὺν ἀληθείᾳ τοῦ διαβόλου καλοῦντες. Παρέντες τοίνυν τὸ πλῆθος ὑπ' αὐτοῦ τολμηθέντων τά τε κατὰ τὴν ἑῴαν αἵματα τῶν ὁσίων ἀνδρῶν ἐκχυθέντα ὑπὸ τοῦ κατὰ φατρίαν ἐστασιασμένου ὑπ' αὐτοῦ Ἰουδαϊκοῦ συστάντος τότε στρατεύματος, καὶ ἄλλα δὲ τῶν εἰρημένων πολὺ χαλεπώτερα διὰ τὸ μῆκος τοῦ διηγήματος, ἱκετεύομεν, ἁγιώτατε, ἐπειδὴ « νῦν καιρὸς εὐπρόσδεκτος, νῦν ἡμέρα σωτηρίας, » βοῶμεν. Βοήθησον ἡμῖν, καὶ ταῖς φονευθείσαις ὁσίαις ψυχαῖς, ἃς παριστάναι νομίσατε νοητῶς, καὶ δεικνύναι ὑμῖν ὡς διὰ Χριστὸν παρεδόθησαν τῷ θανάτῳ, ὑπὸ τοῦ πολυκεφάλου θηρός, ἵνα μὴ καὶ αὖθις ἐκ τῆς φανερωθείσης πᾶσιν αὐτῷ μαγγανείας, καὶ Μανιχαϊκῆς πλάνης, ᾗ θαῤῥῶν ὁ δείλαιος οὗτος, κατετόλμησεν εἰς τὰς καθαρὰς βασιλείους εἰσδύναι αὐλάς, μηδένα τόπον ὀφείλων ἔχειν, ἢ τὸ βάραθρον εἰς κατάλυμα ἀνατρέψαι, καὶ ἐπὶ τοῦ παρόντος, τὴν μετὰ τοσούτων κόπων, καὶ ἱδρώτων, ὑμῶν τε καὶ τοῦ φιλοχρίστου ἡμῶν βασιλέως φιλοτιμηθεῖσαν εἰρήνην, ταῖς ἁπανταχοῦ τῶν πιστῶν ἐκκλησίαις, ἀπελαθῆναι σπουδάσατε πόῤῥω που καὶ τῆς ἐσχατιᾶς αὐτῆς, φεισάμενοι τῶν τὰς συνουσίας πρὸς αὐτὸν ποιουμένων ψυχῶν, καὶ κοινωνούντων διὰ τῆς ἐντεύξεως τοῖς κατ' αὐτοῦ ἀναθε-

A canit corda fidelium, et hæreticorum compungunt, sperans ipse ex clementia secundam naturam suam, et putans, quod sicut eos qui ex simplicitate errore subducti sunt decet in tempore converti, sic et hujus inventores, imo diaboli discipulos, et nunquam veritatem agnoscentes, jactum (*a*) hæreticorum a principio præviare et præmeditari. Rogamus, beatissimi, rememorari memorato ac Deo custodito imperatori nostro illam sacram vocem dicentem : *Omnem abominationem odit Dominus* (*Psal.* c), quæ prima, media, et ultima est. Severus facinorosus, qui *contra Deum semper locutus est iniquitatem* (*Psal.* xi); et quandoque quidem Græcorum vanidicorum mysteriis imbutus, ipsa honoravit; quandoque vero Eutychis insaniam docuit, et in tota vita dixit bene valere fidei Christia-
B norum; et appellationem Nestorii anthropolatræ, ad decipiendum eos qui in simplicitate paratas habent aures, suscipiendam excogitavit, evidenter illa illius dicendo; Nestorianosque vocabat magistros rectorum dogmatum, et nec illi pepercit qui baptizavit ipsum; invalidisque anathematibus implevit totum mundum, ac arroganter decernere ipse præsumpsit, et validiores sortitus est cum his qui adhærebant ei in ordinando σκιὰν (*b*) contra prædictam sanctam œcumenicam Chalcedonensem synodum, et contra sacras ac Deo dilectas epistolas sanctæ memoriæ Leonis papæ, qui fuit illuminator et columna Ecclesiæ, quique firmavit fideles ambulare in recta semita, sicque illud relinquetur divinæ Scripturæ dictum impleri : *et incidit in foveam, quam fecit* (*Psal.* vii). Unde dubitantes
C quomodo ipsum proprie vocemus, idem cum gentibus sentientem, ejusdem opinionis cum Eutyche, ejusdemque moris cum Nestorio, magis propria et insigni appellatione nominabimus ipsum ibidem, cum veritate organum diaboli vocantes. Prætereuntes igitur multitudinem eorum quæ præsumpta sunt ab ipso, et sanguinem sanctorum virorum in Eoa (*c*) effusum ab estasiasmeno Judaico (*d*), de fratria tunc sub ipso militante, ac alia multa difficiliora prædictis propter longam narrationem; supplicamus, sanctissime, cum *nunc sit tempus acceptabile, nunc dies salutis* (*II Cor.* vi), clamamus, adjuva nos, et sanctas animas occisas (*Apocal.* xi), quas astare cogitate prudenter, et ostendere vobis, quod propter Christum traditæ sunt morti a bestia multi capitis, ne rursus ex sua omni-
D bus manifesta mangania et Manichæo errore, quo confidens iste iniquus ausus est intrare mundas regias aulas, cum nullum locum debeat habere, aut barathrum (*e*) conversandi ad destructionem. Et cum in præsenti pax donata sit omnibus fidelium ecclesiis cum tantis laboribus et sudoribus vestris, ac Deo amantissimi imperatoris nostri, parcentes ipsi extremitati animarum facientium conventiones ad ipsum, et communicantium per interpellationem, anathematibus contra ipsum prolatis, studete longe expellere

(*a*) Hoc est *expulsionem*.
(*b*) Hoc est, *qui umbram ordinationis illi commodarunt contra*, etc.
(*c*) Hoc est in *Oriente*.

(*d*) Hoc est, *ab exercitu Judaico, per sodalitium conflato, tunc sub ipso*, etc.
(*e*) Pro, *nisi barathrum*.

μασι τὸν ἀκάθαρτον, τὸν ἀποκήρυκτον, τὸν ἀναθέμασιν ἐγγράπτοις, καὶ διηνεκέσιν, ὑπὸ τοῦ ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου, καὶ τοσούτων ἀρχιερέων, καὶ ἐν οὐρανῷ παρὰ τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ ἀγγέλων, κατάκριτον ἤδη γενόμενον, κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν ἐκείνην καὶ θείαν φωνήν, μετ' ἐκδικίου τοῦ βδελυροῦ ἄλλου τοῦ Πέτρου, τοῦ καὶ τὴν ἑαυτοῦ προσηγορίαν μέχρι τοῦ νῦν οὐκ ἐρυθριάσαντος ψεύσασθαι τοῦ αὐτοῦ μαθητοῦ, καὶ τὰ τῆς ἀποστασίας καθ' ἑκάστην ῥήματα φθεγξαμένου· καὶ μετὰ Ζωόρα δὲ, τοῦ παντελῶς ἀμυήτου τῆς θείας γραφῆς, καὶ πάσης ἱερατικῆς λειτουργίας, καὶ τάξεως, μετὰ δὲ παῤῥησίας οὐκ ἴσμεν τῆς ὅθεν χορηγουμένης αὐτῷ καταπατοῦντος τὴν κρατοῦσαν ἐκκλησιαστικὴν εὐκοσμίαν τε, καὶ κατάστασιν, ἐκ τῶν καθ' ἡμέραν παρασυνάξεων, καὶ παραβαπτισμάτων ὑπ' αὐτοῦ τολμωμένων, οὗ τὴν συναγωγήν, γύναια κώμοις, καὶ μέθαις, ἀσελγείαις τε, καὶ ἀκολασίαις ἐνδεδομένα πληροῖ. Πείσαντες τὸν εὐσεβέστατον ἡμῶν βασιλέα, θῆρας αἱμοβόρους, ἄρνασι μὴ συγχωρεῖν συναυλίζεσθαι, ἠκριβωμένον σαφῶς τὸ τῷ θείῳ Ἀποστόλῳ ῥηθέν, « ὡς οὐδεμία μετοχὴ δικαιοσύνῃ, καὶ ἀνομίᾳ, ἢ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος, ἢ μερὶς πιστῷ μετὰ ἀπίστου. » Οἷα δὲ οἷα δεδραματούργηται νῦν καὶ παρὰ Ἰσαακκίου τοῦ Πέρσου, βουλομένους ἡμᾶς ἀδακρυτὶ λέγειν, οὐκ ἔστιν, οὐδὲ δέους ἀπηλλάχθαι, διηγουμένους ἃ ταῖς ἀνόμοις αὐτοῦ χερσὶν ἐκεῖνος οὐκ ἔφριξε δρᾷν. Ἐν γὰρ καταγωγίῳ τινὶ τιμίας εἰκόνος ἀνακειμένης τοῦ τῶν εὐσεβῶν ἐπὶ τοῦ παρόντος σκήπτρων κρατοῦντος, ὥσπερ ἁμιλλώμενος ὁ προλεχθεὶς δείλαιος, καὶ ἀλάστωρ ἀνήρ, εἰ μὴ καὶ κατὰ τὸν ῥηθησόμενον νεώτερον τρόπον βλασφημήσοι τὸ θεῖον, ἀνατείνας τὴν βακτηρίαν, ἐν ᾗ τὸ ἄτιμον αὐτοῦ σχηματίζεται γῆρας στηρίζειν, πληρῶν τὴν πεπλανημένην ἐπίθεσιν, ἔμπροσθεν τῶν ὑπ' αὐτοῦ καταγινομένων ἀπάγεσθαι, ἔτυπτεν ἀφειδῶς τὸ τοῦ φιλοχρίστου βασιλέως ὁμοίωμα, αἱρετικὸν ἀποκαλῶν τὸν ἡνωμένον οὕτω Θεῷ, καὶ φρουρούμενον ὑπ' αὐτοῦ, τὸ τῆς ἀληθείας φυλάττοντα κήρυγμα, καὶ οὐκ ἔπαυσε τὸν θυμὸν μέχρι τοσούτου, ἕως οὗ καὶ τὴν φέρουσαν τὸ περιφανὲς ἐκτύπωμα σινδόνα διέῤῥηξε, καὶ μέρος κατέαξεν ἐξ αὐτοῦ, ὃ καὶ πυρὶ παραδέδωκε. Τὸ γὰρ ὅλον ἀφανίζειν οὐκ ἴσχυσεν, φυλαχθὲν ὑπὸ τῆς προνοίας τοῦ κρείττονος εἰς ἔλεγχον ἀκριβῆ τοῦ φονικοῦ τοῦδε τολμήματος, καὶ τοῦ μείζονος πάντων κατηγορήματος. Μάρτυρες ἑστήκασιν ἄνδρες, ὡς ἔγνωτε, ἁγιώτατοι, σαφῆ τὴν ἀλήθειαν συνήγορον ἔχοντες. Ἐπειδὴ τοίνυν ἐκ παραδόξου οἱ προῤῥηθέντες αἱρεσιάρχαι ἀνταλλαξάμενοι τὴν ὀφείλουσαν αὐτῶν ἐκβολὴν γενέσθαι σὺν ἀτιμίᾳ, πρὸ χρόνου πολλοῦ τὸ ἐν τοῖς βασιλικοῖς ταμείοις οἰκεῖν παῤῥησίαν δεδώκασι τοῖς κατ' ἄλλον τρόπον Θεὸν ἀρνουμένοις, ἐγκαταλεγέντων αὐτοῖς πολλῶν ὀνόματι ὀρθοδοξίας ἐπιπλάστου, καὶ κινδυνεύουσιν οἱ πιστοὶ πανταχοῦ γῆς, μηκέτι ἐν ὁμονοίᾳ πορεύεσθαι ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ, ἐξάρατε ταχέως ἀφ' ἡμῶν τοὺς πονηρούς, προσενέγκατε συνήθως ταύτην τὴν θυσίαν, τῷ Θεῷ καὶ σωτῆρι ὑπὲρ τῆς φυλαχθησομένης ὑμῖν ἀγαθῆς ἀπολογίας ἐν τῇ μελλούσῃ κρίσει τῇ φοβερᾷ ἐλευθέραν παντὸς δέους, καὶ τρικυμίας αἱρετικῆς, τὴν κρατοῦσαν εὐκοσμίαν ἐκκλησιαστικὴν φυλάξατε κατάστασιν βεβαιοῦντες, καὶ αὖθις τὰς κατ' αὐτῶν πρώην ἐξενεχθείσας ἐκ τοῦ ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου ἐνθέσμους, καὶ δικαίας, καὶ εὐσεβεῖς ἀποφάσεις εἰσηγούμενοι τῷ ἐννομωτάτῳ βασιλεῖ ἡμῶν, καὶ τὰ ἐκείνων

A ipsum pollutum, et abdicatum; qui anathematibus scriptis, et apertius ab apostolica sede vestra, et a tantis pontificibus, et in cœlo ab angelis electis suis jam condemnatus est; qui secundum evangelicam illam et divinam vocem cum iniquo et facinoroso alio Petro suo discipulo appellationem propriam usque nunc mentiri non erubuit, et verba apostasiæ quotidie locutus est: nec non cum Zoara, qui omnino divinam Scripturam, et omnem sacrum ordinem et missam ignorat: sed cum audacia (nescimus unde) sibi tradita pessundat ecclesiasticum ornatum atque statum, per conventicula et parabaptismata, quæ quotidie temerarie aguntur; cujus synagogam mulierculæ, comessationibus et ebrietatibus, luxibusque et adulterationibus deditæ implent. Persuasimus
B autem et piissimo imperatori nostro, non permittere aggregari bestias sanguinis edaces cum agnis, cum clare et aperte sciat illud divinum Apostoli dictum, *quod nulla participatio est justitiæ ad iniquitatem, vel communicatio lucis ad tenebras, vel pars fideli cum infideli* (II *Cor.* VI). At vero si ea quæ ab Isaacio Persa nunc perpetrata sunt, sine lacrymis dicere non valemus, non est possibile neque metum abjicere, si narrare volumus, quæ suis iniquis manibus facere non horruit. Nam in quodam diversorio reposita honorabili imagine præsentis piissimi imperatoris, prædictus scelestus et arrogans vir, tanquam certans ut secundum noviorem modum diceudi blasphemaverit Deum, extendens baculum, in qua inhonoratam senectutem suam firmare fingit, impleusque simulatum
C stellionatum in conspectu eorum qui ab ipso seducti sunt, percutiebat sine venia similitudinem Christo amantissimi imperatoris, hæreticum denominando sic Deo unitum, et ab ipso custoditum, et veritatis prædicationem custodientem. Nec a furore cessavit, donec divisit tunicam habentem nobilem effigiem; et partem pro se tenuit, quam et igni tradidit; totum exterminare non valuit. Nam conservatum fuit a meliori [numinis] providentia in redargutionem manifestam et notam homicidialis temeritatis, et majoris omnibus accusationibus: testes fuerunt viri (sicut novistis) sanctissimi, manifestam veritatem advocatam habentes. Quoniam igitur præter opinionem hæresiarchæ submutaverunt dejectionem, quæ cum ignominia debebat esse, et ante tempus multum de-
D derunt audaciam habitandi in regalibus cellis, his qui per alium modum Deum negant, multis designatis et annumeratis ipsis nomine fictæ orthodoxiæ; et periculum est fideles nunquam ambulare in domo Domini cum consensu, tollite a nobis cito malos; offerte consuete sacrificium hoc Deo et Salvatori, pro conservanda nobis defensione in futuro tremendo judicio; liberum ab omni timore, et hæretica trifluctuatione armatum, ecclesiasticum conservate statum confirmantes; rursusque suggerite justissimo imperatori nostro pias ac justas sententias contra ipsos prius ab apostolica sede vestra prolatas; statuendo illa impia scripta tradere igni, et habentes in publicum prodere, juxta imitationem eorum qui zelant

A ἀσεβῆ συγγράμματα νομοθετῆσαι πυρὶ παραδίδοσθαι, καὶ τοὺς ἔχοντας δημεύσει καθυποβάλλεσθαι, κατὰ μίμησιν τῶν τὰ Μανιχαϊκὰ κεκτῆσθαι ζηλούντων, καὶ τὰ Νεστορίου τοῦ δυσσεβοῦς, καὶ τὰ Εὐτυχοῦς τοῦ παράφρονος, καὶ Διοσκόρου τοῦ αὐτῶν πατρὸς, καὶ ὑπερασπιστοῦ. Οὕτω γὰρ τοῖς εἰς αὐτοὺς μάτην ἐλπίζουσιν, πᾶσα προσδοκία καταργηθήσεται. Ἀξιοῦμεν δὲ, ἁγιώτατοι καὶ τῇ κατὰ Ἄνθιμον θείᾳ καὶ ἱερᾷ ὑμῶν ψήφῳ, πέρας ἐπιθεῖναι τέλεον, καὶ τοῖς πατρικοῖς ἡμῶν κανόσιν ἁρμόδιον, ἵνα πᾶν ἐκ τοῦ μέσου ἀνέλητε σκάνδαλον, καὶ ἀπὸ τῶν μικρῶν τῶν πιστευόντων εἰς τὸν κύριον, καὶ τὴν εὐκταίαν φωνὴν ἀκούσησθε παρὰ πάντων ἡμῶν· φυλάξῃ κύριος τὸν θρόνον ὑμῶν, καὶ τοῦ φιλοχρίστου ἡμῶν βασιλέως, ὡς τὰς ἡμέρας τοῦ οὐρανοῦ, τὰ τοῦ Πέτρου μιμήματα σώζοντα, καὶ σώσαντα ἡμᾶς ἐκ τῶν θλιβόντων, καὶ τοὺς μισοῦντας ἡμᾶς καταισχύνοντα.

possiuere Manichæa, et illa impii Nestorii, et Eutychis insensati, ac Dioscori patris et protectoris eorum. Sic enim evacuabitur omnis exspecta io his qui frustra sperant in eos. Rogamus etiam, sanctissimi, finem perfectum imponere divinæ ac vestræ sententiæ, contra Anthimum, paternis vestris decretis convenientem, ut omne de medio exstinguatur scandalum a parvulis in Dominum credentibus, et optatam vocem audie is ab omnibus nobis: Custodiat Dominus sedem vestram, ac piissimi imperatoris nostri, tanquam dies cœli; quæ Petri imitationes salvatis, et nos a tribulationibus salvastis (*a*), eosque qui nos odiunt confudistis.

B

ΥΠΟΓΡΑΦΑΙ.

Θαλάσσιος ἐπίσκοπος τῆς Βηρυτίων πόλεως ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Μέγας ἐπίσκοπος τῆς Βεῤῥοιαίων πόλεως ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἰωάννης ἐπίσκοπος Γαβάλων ὑπέγραψα Συριστί.

Αἰθέριος ἐπίσκοπος Μαριάμμης ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Χριστοφόρος ἐπίσκοπος Πορφυρεῶνος ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀρχέλαος ἐπίσκοπος Κωρύκου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Δαυίθος ἐπίσκοπος Κιρκινσίου ἀξιώσας ὑπέγραψα.

C Ἀλέξανδρος ἐπίσκοπος τῆς ποτε Βαρούσον [Lege, Βαρκούσων *Hard*], νῦν δὲ Ἰουστινιανουπόλεως ἀξιώσας ὑπέγρ.

Ἀναστάσιος ἐπίσκοπος Ἰωτάβης, ἀξιώσας ὑπέργραψα.

Δόμνος ἐπίσκοπος Μαξιμιανουπόλεως ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἰωάννης ἐπίσκοπος Ζωορων αξιωσας ὑπέγραψα.

Μάγνος πρεσβύτερος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς κατὰ Θεούπολιν ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Ἡράκλειος διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Ἀθανάσιος διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς κατὰ Τύρον ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

D Παῦλος ἀναγνώστης, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς ἐν Ταρσῷ ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Θωμᾶς διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς κατὰ Ἰουστινιανούπολιν ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Ἀγάπιος διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ἱερᾶς πόλεως μητροπόλεως Εὐφρατησίας ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἰωάννης ὑποδιάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς κατὰ Βόστραν ἁγίας ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Τρόφιμος διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς κατὰ Σελεύκειαν Ἰσαυρίας ἁγιωτάτης ἐκκλησίας ἀξιώσας ὑπέγραψα.

SUBSCRIPTIONES.

Thalassius episcopus Berytiorum civitatis, supplicando subscripsi.

Magnus episcopus Berrhœorum civitatis, supplicando subscripsi.

Joannes episcopus Gabalorum, subscripsi. Syriace.

Ætherius episcopus Mariamnæ [Mariammes], supplicando subscripsi.

Christophorus episcopus Porphyrionis, supplicando subscripsi.

Archelaus episcopus Coryci, supplicando subscripsi.

Davithus episcopus Circesi [Cirsensii], subscripsi. Syriace.

Alexander episcopus quondam Vercusiorum [Barcusorum Pagrasorum], nunc vero Justinianopolitanus, supplicando subscripsi.

Anastasius episcopus Jotapæ, supplicando subscripsi.

Domnus episcopus Maximianopolitanus, supplicando subscripsi.

Joannes episcopus Zoororum, supplicando subscripsi.

Magnus presbyter et ambasiator Theopolitanæ ecclesiæ, subscripsi.

Heraclius diaconus et ambasiator ejusdem ecclesiæ, subscripsi.

Athanasius diaconus et ambasiator ecclesiæ Tyri subscripsi.

Paulus Lectorarius et ambasiator ecclesiæ Tarsi, subscripsi.

Thomas diaconus et ambasiator ecclesiæ Justinianopolitanæ, subscripsi.

Agapius diaconus et ambasiator sanctæ ecclesiæ sacræ civitatis [Hierapoleos] metropoleos Euphratesiæ, supplicando subscripsi.

Joannes subdiaconus et ambasiator sanctæ ecclesiæ de Bostra, subscripsi.

Trophimus diaconus et ambasiator sanctissimæ ecclesiæ Seleuciæ de Isauria, supplicando subscripsi.

(*a*) Vel *salvat*: et mox *confundit*.

A Εὐσέβιος διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς κατὰ Ἀμιδὰν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας ἐπιστάμενος τὰ ἀνωτέρω εἰρημένα κατὰ Σευήρου, Πέτρου, καὶ Ζωόρα, καὶ Ἀνθίμου ὑπέγραψα.

Μάρκος διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Ἐμέσης ὑπέγραψα.

Συμεώνης διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς κατὰ Ἁγιόπολιν ἁγίας ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Σέργιος διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς κατὰ Πτολεμαΐδα ἁγίας ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Κοσμᾶς μοναχὸς. καὶ ἀποκρισιάριος τῆς κατὰ Ἀντάραδον ἁγίας ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Ἡσαΐας διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς κατὰ τὴν Ἀρεθουσίων ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

B Ἰουλιανὸς διάκονος, καὶ ξενοδόχος τῆς Παλμυρέων ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Ἰονὰς διάκονος καὶ ἀποκρισιάριος τῆς Ἡλιουπολιτῶν ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Ἀβράμιος διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας ὑπέγραψα

Συμεώνης πρεσβύτερος τῆς κατὰ Κύπρον Κωνσταντίας ἁγίας ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Ἰωάννης ἀναγνώστης, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς κατὰ Σελεύκειαν Συρίας ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Μαρτύριος ἀναγνώστης τῆς ἐν Βηρυτῷ ἐκκλησίας ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Ἀρσένιος ἀναγνώστης τῆς κατὰ Μαριάμμην ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Σέργιος πρεσβύτερος, καὶ περιοδευτὴς μονῆς Γινδάρου ἀξιώσας ὑπέγραψα. C

Συμεώνης διάκονος τῆς ἁγίας τοῦ Χριστοῦ ἀναστάσεως ὑπέγραψα.

Ἀναστάσιος πρεσβύτερος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς Καισαρέων ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Ἀλέξανδρος ὑποδιάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς Καισαρέων ἐκκλησίας Παλαιστινῶν ὑπέγραψα

Ἰωάννης διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς κατὰ Ἐλευθερόπολιν ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Θεοδόσιος διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς ἐκκλησίας τῆς Γαζαίων ὑπέγραψα.

Πάμφιλος διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς κατὰ Νεάπολιν ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Εὐνόμιος πρεσβύτερος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς κατὰ Πέτρον ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

D Ἀναστάσιος διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Βίκτωρ διάκονος, καὶ ἀποκρισιάριος τῆς κατὰ Ἀρεόπολιν ἐκκλησίας ὑπέγραψα.

Φιλούμενος ἀναγνώστης τῆς Ταρσέων ἐκκλησίας, ἀξιώσας ὑπέγραψα.

Καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τῶν λιβέλλων ὁ θεοσεβέστατος ἀναγνώστης, καὶ νοταρίων σεκουνδοκήριος τῆς πρεσβύτιδος Ῥώμης προκομίσας τὸ ἄκτον τῆς γραφείσης παρὰ Ἀγαπητοῦ τοῦ τῆς ἁγίας μνήμης συνοδικῆς ἐπιστολῆς, ἀνέγνω διὰ Ῥωμαϊκῶν λέξεων· τὴν δὲ ἑρμηνείαν ταύτης ἀνέγνω Χριστόδωρος διάκονος, καὶ νοτάριος σηκρητάριος ἔχουσαν οὕτως.

Eusebius diaconus et ambasiator sanctissimæ ecclesiæ Amidanæ, sciens superius edicta contra Severum, Petrum, et Zaoram, ac Anthimum, subscripsi.

Marcus diaconus et ambasiator sanctæ ecclesiæ Emisenæ, subscripsi.

Symeones diaconus et ambasiator sanctæ ecclesiæ Hagiopolitanæ [Ægyropolitanæ vel Areopolis], subscripsi.

Sergius diaconus et ambasiator sanctæ ecclesiæ Ptolemaidis, subscripsi.

Cosmas monachus et ambasiator sanctæ ecclesiæ Antaradenæ, subscripsi.

Esaias diaconus et ambasiator Arethusianæ ecclesiæ, subscripsi.

Julianus diaconus et hospitalarius ecclesiæ Palmyrenæ, subscripsi.

Jonas diaconus et ambasiator Helenopolitanæ [Heliopolitanæ] ecclesiæ, subscripsi.

Abraamius diaconus et ambasiator ejusdem ecclesiæ, subscripsi.

Symeonius presbyter sanctæ ecclesiæ Constantiensi in Cypro, subscripsi.

Joannes lector et ambasiator ecclesiæ Seleuciæ Syriæ, subscripsi.

Martyrius lector ecclesiæ in Beryto, supplicanda subscripsi.

Arsenius lector ecclesiæ Mariamniæ [Mariamnes] subscripsi.

Sergius presbyter et lustrator monasterii Sandari [Gindari], supplicando subscripsi.

Simeones diaconus sanctæ resurrectionis Christi, subscripsi.

Anastasius presbyter et ambasiator ecclesiæ Cæsareæ, subscripsi.

Alexander subdiaconus et ambasiator ecclesiæ Cæsareæ Palæstinæ, subscripsi.

Joannes diaconus et ambasiator ecclesiæ Eleutheropolitanæ, subscripsi.

Theodosius diaconus et ambasiator ecclesiæ Gazæorum, subscripsi.

Pamphilus diaconus et ambasiator ecclesiæ Neapolitanæ, subscripsi.

Eunomius presbyter et ambasiator ecclesiæ Petri, subscripsi.

Anastasius diaconus et ambasiator ejusdem ecclesiæ, subscripsi.

Victor diaconus et ambasiator ecclesiæ Areopolitanæ, subscripsi.

Philumenus lector ecclesiæ Tarsenæ, supplicando subscripsi.

Et post lectionem libellorum, Menas venerabilis lector ac secundicerius notariorum antiquæ Romæ protulit actum synodalis epistolæ scriptæ a sanctæ memoriæ Agapito, et legit per dictiones Latinas: interpretationem autem legit Christodorus diaconus et notarius secretarius, quæ sic habet.

APPENDIX.

EPISTOLA V [a].

AD ANTHIMUM CP. EPISCOPUM [1].

Ostendit in Christo duas perfectas esse naturas : Anthimum contrarium asserentem damnans.

Agapetus Anthimo episcopo salutem.

Multo gaudio essem repletus [2], si te talem circa Ecclesiæ pacem et gloriosissimi imperatoris atque populi doctrinam reperissem, qualem te in primordio esse audivi. Sed nunc, quia didicimus a reverendissimis fratribus, te contra statuta Patrum, imperatorem et reliquos populos docere, ita ut negata humanæ carnis [3] atque animæ veritate, tantum Dominum nostrum Jesum Christum unius asseras esse naturæ, tanquam Verbi deitas ipsa se in carnem animamque verterit, et tanquam concipi ac nasci, nutriri et crescere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resurgere, et ascendere in cœlum, sedere ad dexteram Patris, venire ad judicandos vivos et mortuos, divinæ tantum voluntatis fuerit, quæ nihil horum in se sine carnis recipit veritate : quæ natura unita naturæ Patris, natura est Spiritus sancti, simulque impassibilis, simulque incommutabilis, sempiternæ Trinitatis indivisa unitas, et unius voluntatis æqualitas. Unde si aliquis malæ voluntatis homo, aut infidelis quisque desciscit, ne convincatur deitatem passibilem sentire, atque mortalem, et tamen Verbi incarnati, id est Verbi et carnis unam ausus fuerit pronuntiare naturam, manifeste in apertam et Deo odibilem transit insaniam, qui mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum, simulatorie credit omnia egisse, nec verum in ipso corpus, sed phantasticam ejus corporis speciem, oculis apparuisse cernentium. Quæ impietatis mendacia quoniam olim fides catholica detestatur, et talia assertionum sacrilegia concordibus per totum mundum beatorum Patrum dudum sunt damnata sententiis; non dubium est, cum nos fidem prædicare atque defendere, quam sancti apostoli docuerunt, et hactenus eorum suorumque successorum sequens sancta hæc Romana et apostolica Ecclesia doctrinam tenuit ac tenet, docuit et docet. Si quidam [4] enim ita sunt obcæcati, et a lumine veritatis alieni, ut Verbi Dei a tempore incarnationis denegent veritatem, ostendant in quo sibi Christianum nomen usurpent,

A et cum Evangelio veritatis qua ratione concordent, si per Virginis partum aut caro sine deitate, aut deitas est orta sine carne. Sicut enim negari non potest (evangelista dicente) quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I) : ita negari non potest (beato apostolo Paulo prædicante) *quod Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* V). Quæ autem reconciliatio esse posset, qua humano generi repropitiaretur Deus, si hominis causam Mediator Dei et hominum non susciperet? Qua vero ratione veritatem Mediatoris implet, nisi quia qui in forma Dei æqualis est Patri, in forma servi particeps esset et nostri, ut mortis vinculum unius prævaricatione contractum unius morte, qui solus morti nihil debuit, solveretur? Effusio enim justi sanguinis Christi
B tam fuit dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum diaboli vinculum retineret. Quoniam (sicut Apostolus ait) *ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia* (*Rom.* V). Et cum sub peccati præjudicio nati potestatem acceperint ad justitiam renascendi, validius factum est donum libertatis, quam debitum servitutis. Quam itaque sibi in hujus sacramenti præsidio spem relinquunt, qui in Salvatore nostro negant humani corporis veritatem? Dicant quo sacrificio reconciliati, quo sanguine sunt redempti? *Quis est* (ut Apostolus ait) *qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (*Ephes.* V)? aut quod unquam sacrificium fuit sacratius, quam quod verus et æternus pontifex altari cru-
C cis per immolationem suæ carnis imposuit? *In conspectu Domini pretiosa mors justorum fuit* (*Psal.* CXV); nullius tamen insontis occisio redemptio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas. De fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit, cum Filius hominis unus solus Dominus noster Jesus Christus, qui vere Agnus erat immaculatus, exstiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati. De quibus ipse dicebat : *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (*Joan.* XII). Fide etenim justificans impios, et creans justos, ad humilitatis retracta

[a] Hæc qua Anthimus de hæresi Eutychiana redarguitur, quæque Agapeto ascribitur, imposturæ suspicione laborat. Nam cum Anthimus per litteras Severi, cum quo Constantinopoli diutius egerat, de hæresi diffamaretur, homo callidus se juramento expurgavit, atque coram ipso imperatore professus est, se in omnibus assensurum iis quæ sedes apostolica sentienda proponeret. Accedit quod etiam ex falsa omnino consulum nota Justiniani quartum cum Theodato * seu potius Theodoro collega detegitur impostura; cum reperiatur ipsa epistola data calendis Maii anni 534, quo Joannes ** prædecessor Agapeti adhuc vivebat. Imo ipse stylus ab aliis Agapeti epistolis longe diversus hanc epistolam alterius parentis
D sobolem esse satis indicat. Vide Baron. anno 535, n. 68 ***. SEV. BINIUS.

[1] Falsam hanc multa probant; neque enim tantum suspicione imposturæ laborat.

[2] Hormisdas ep. 80.

[3] S. Leo ep. 97 quod advertere debuerant Baronius, Binius, aliique, ut monuit R. C.

[4] Idem S. Pontifex eodem loco.

* Deodato habet c. Just.

** Obiit 26 Junii anni 535.

*** *Præcedens epistola, quod nec Baronius nec Binius animadverterunt, tota desumpta est ex primo ac sec. capitulo epistolæ 97 Leonis papæ I.* (*Ferme*, dicendum erat regio collectori, cujus est hæc observatiuncula.)

participium, in illo acquirit salutem in quo solo homo se invenit innocentem, liberum habens per gratiam Dei de ejus potentia gloriari, qui contra hostem humani generis in carnis nostræ humilitate congressus, his victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphavit. Licet ergo in uno Domino Jesu Christo vero Dei atque hominis Filio, Verbi et carnis una persona sit, quæ inseparabiliter atque indivise habeat actiones communes, intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates. Et sic veræ fidei contemplatione cernendum est ad quæ provehatur humilitas carnis, et ad quæ inclinetur altitudo deitatis: quid sit quod caro sine Verbo non agit (*Luc.* I); et quid sit quod Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi enim potentia nec conciperet Virgo, nec pareret; et sine veritate carnis obvoluta pannis infantia non jaceret (*Luc.* II): sine Verbi potentia non adorarent Magi puerum stella indice declaratum (*Matth.* II); sine veritate carnis non juberetur transferri in Ægyptum puer, et ab Herodis persecutione subduci: sine Verbi potentia non diceret vox Patris missa de cœlo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite* (*Matth.* III); et sine veritate carnis non protestaretur Joannes: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I): sine Verbi potentia redintegratio non fieret debilium, et vivificatio mortuorum; et sine veritate car-

A nis nec cibus jejuno, nec somnus esset necessarius fatigato: postremo sine Verbi potentia non se Dominus Patri profiteretur æqualem (*Joan*, X); et sine veritate carnis, non idem diceret Patre se esse minorem (*Joan.* XIV); cum catholica fides utrumque suscipiat, utrumque defendat, quæ secundum confessionem beati Petri apostoli unum Christum Dei vivi Filium et hominem credit et Verbum. Christus vero Deus [1] noster ita inter Deum et hominem mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret. Quid igitur? Cum Christus sit Deus et homo [2], loquitur homo, et calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare divinam. Gemina
B ergo est substantia Christi, divina scilicet, quæ æqualis est Patri; humana vero qua minor est Patre. Utrumque autem simul non duo, sed unus Christus, ne sit quaternitas, non trinitas, Deus. Sicut enim unus est homo in anima rationali et carne, sic unus est Christus Deus et homo: ac per hoc Christus Deus, anima rationalis et caro. Christus in his omnibus. Christum in singulis confitemur. Deus te convertat in bonum, frater, et rectæ fidei normam te in omnibus tenere, et docere concedat. Amen. Data calendis Maii, Justiniano IV et Theodato viris clarissimis consulibus [3].

[1] S. Augustinus ep. 3, citatus a S. Leone ep. 97, Theodoreto conc. Chalced., etc.
[2] Id. Aug. tract. 78 in Joan.

C [3] An. Chr. 534, cum Paulino consulatum gessit imperator, nec fasti ulli nomen Theodati Gothorum tyranni præferunt.

ANNO DOMINI DXXXVI.

SILVERIUS PAPA.

Notitia (*ex libro Pontificali*).

Silverius [a] natione Campanus, ex patre Hormisda [b] episcopo Romano, sedit annum unum, menses quinque et dies undecim [c]. Hic levatus est a tyranno Theodato sine deliberatione decreti. Qui Theodatus

[a] Cum in fine anni Christi 536, Romani Agapetum papam mortuum esse cognovissent, Theodatus rex per vim et metum, ut ait Anastasius, intrusit Silverium Campanum. Hunc Romanus clerus a se antea improbatum paulo post recepit et approbavit, ut schisma evitaretur. Quo die et mense creatus fuerit non satis constanter affirmari potest, ut infra patebit. Dum hæc Romæ gererentur, Constantinopoli ea contigerunt inter Augustam et Vigilium, quæ cap. 22 Breviarii sui Liberatus enarrat his verbis: *De Agapeti decessu audiens Romana civitas, Silverium subdiaconum, Hormisdæ quondam papæ filium, elegit ordinandum; Augusta vero vocans Vigilium Agapeti diaconum, profiteri sibi secreto ab eo flagitavit, ut si papa fieret, tolleret synodum, et scriberet Theodosio, Alexandrino episcopo, Anthimo, et Severo, et per epistolam suam eorum firmaret fidem, promittens dare ei præceptum ad Belisarium ut papa ordinaretur, et dari centenaria septem. Libenter ergo suscepit Vigilius promissum ejus amore episcopatus et auri, et facta professione Romam profectus est, ubi veniens invenit Silverium papam ordinatum.* Hæc Liberatus.

D Hujus temporibus Theodosius Alexandrinus episcopus cum sedisset annum unum et menses quatuor, in exsilium missus est, eo quod concilio Chalcedonensi subscribere recusasset. Substitutus est ei Paulus episcopus orthodoxus, qui idem de homicidio accusatus, in exsilium ejectus fuit, subrogato in locum ejus Zoilo. SEV. BINIUS.

[b] Haud dubie legitime ex præcedente legitimo matrimonio natus, alioquin ad tantam dignitatem plane inhabilis fuisset. SEV. BINIUS.

[c] Annis quatuor sedisse, et quintum inchoasse, constabit ex tempore obitus infra.

Qui pauciores annos illi tribuunt tempus sedis ejus computant usque ad intrusionem Vigilii, sed absurde id faciunt, cum Silverius sede pontificia dejectus, et in exsilium relegatus, usque ad consummatum martyrium verus et legitimus pontifex permanserit, actusque pontificios quos potuit exercuerit. Quonam die aut mense anni quingentesimi trigesimi sexti creatio Silverii contigerit, non facile quis definire poterit, propterea quod certus dies obitus Agapeti ignoratur. Vide Baron. an. 536, n. 122. SEV. BINIUS.

corruptus pecuniæ dato, [a] talem timorem induxit A clero, ut qui non consentirent in ejus ordinatione, gladio punirentur. Sacerdotes quidam non subscripserunt in eum, secundum morem antiquum, neque decretum confirmaverunt ante ordinationem. Jam autem ordinato Silverio sub vi et metu, propter adunationem Ecclesiæ et religionis, postmodum subscripserunt presbyteri. Post menses vero duos, nutu divino exstinguitur Theodatus [b] tyrannus et levatur rex Vittigis. Eodem tempore Vittigis ambulavit Ravennam, et cum vi tulit filiam Amalasunthæ reginæ sibi uxorem. Ob hoc indignatus domnus imperator Justinianus Augustus [c], quia reginam sibi commendatam occidisset Theodatus, misit Belisarium patricium cum exercitu, ut liberaret omnem Italiam a captivitate Gothorum. Tunc veniens patricius supra- B scriptus in parte Siciliæ, fuit ibidem aliquantum temporis. Audiens autem quod Gothi sibi fecissent regem [d] contra votum domni Justiniani Augusti, venit in partes Campaniæ juxta civitatem Neapolim, et cœpit obsidere eam cum exercitu suo, quia noluerunt cives Neapolitani aperire ei. Eodem tempore pugnando patricius contra civitatem introivit, et ductus furore, interfecit Gothos et omnes cives Neapolitanos [e], et misit prædam, ut nec ecclesiis parceret prædando, ita ut uxoribus præsentibus maritos earum gladio interficeret, et captivos filios et uxores nobilium exterminaret, nullis parcens, nec sacerdotibus, nec servis Dei, nec virginibus sanctimonialibus. Eodem tempore bellum fuit maximum veniente Vittige contra Belisarium patricium, et contra urbem Romam. Ingressus autem Belisarius patricius in urbem Romam quarto idus Decembris [f], custodiis et munitionibus, vel fabricis murorum, ac reparatione fossati, circumdedit civitatem Romanam, et munivit. Nocte ipsa qua introivit Belisarius patricius, Gothi qui erant in civitate, vel foras muros, fugerunt, et omnes portas apertas dimiserunt, et fugerunt Ravennam. Et post colligens Vittiges rex multitudinem Gothorum regressus est contra Romam, IX calendas Martias [g]. Et fixit castra ad pontem Milvium, et cœperunt obsidere civitatem Romanam. Tunc patricius Belisarius, qui pro nomine Romano erat, inclusit se Romæ intra civitatem. His diebus obsessa est civitas, ut nulli esset facultas exeundi, vel introeundi. Tunc omnes successiones (*a*) privatæ vel ecclesiæ, incendio consumptæ sunt, homines vero gladio interempti sunt. Quos gladius, gladius; quos fames, fames; quos morbus, morbus interficiebant. Nam et ecclesiæ et corpora sanctorum martyrum, exterminata sunt a Gothis. Intra civitatem autem grandis fames erat, ut aqua venundaretur pretio, nisi nympharum remedium subvenisset. Pugnæ autem maximæ erant contra civitatem. His diebus Belisarius patricius repugnando contra regem Vittigem vel multitudinem Gothorum, protexit Romanos, vel civitatem custodia sua liberavit, et nomen Romanum. Tunc obsessa est civitas annum unum, et portus Romanus a Gothis. Patricius vero Belisarius pugnando vicit Gothos. Et postmodum fugerunt Gothi

[a] Quod Anastasius hic scribit de simoniaco in- C gressu Silverii falsum esse colligitur: tum quod Liberatus qui his temporibus vivebat, adeoque majore fide dignus, verbis supra recitatis, ne verbo hujus rei meminit: tum maxime, quod Silverius sedis suæ invasori Vigilio in libello sententiæ quem de ipsius damnatione conscripsit, crimen simoniæ potenter objiciat, quod sane non ita libere egisset, si ejusdem criminis ipse reus exstitisset. SEV. BINIUS.

[b] Anno tertio Theodati regis, qui est Christi 537, occupata Neapoli nobilissima urbe Gothi Vitigem ducem exercitus e Dalmatia evocatum, virum strenuum, bellicis sudoribus ubique spectatum, regem acclamarunt, ideo quod Theodatus rex maxime ignavus, et de proditione totius regni suspectus fuerit, cum nobilissimæ urbis excidium, totiusque Italiæ præsidium munitissimum nequidquam curaret. Quod cum Theodatus damnatione alicujus malefici Judæi cognovisset, ex urbe profugus, dum Ravennam versus abiret, præventus a militibus quos Vitiges D miserat, occisus est, cum regnasset annos tres, ut testatur Procopius. Vitiges Romam progressus filium Theodati regis Theodegiscium ibidem projecit in carcerem. Ad conciliandos omnium animos dum litteras scripsisset, atque Silverium papam cum toto senatu ad fidelitatem admonuisset, relicto Romæ quatuor millium præsidio, ne a Belisario urbis obsidionem machinante intercluderetur, ipse cum toto suo exercitu urbe egressus, vicinorum Gothorum auxilium imploravit. Interea Belisarius urbem obsidione cinxit, quam Romani metuentes, ne paterentur ea quæ passi erant Neapolitani, suasu Silverii pontificis Belisario se dederunt. Claves portarum, vinctumque Leuderem ducem Gothorum, qui capi quam turpiter fugere malebat, tanquam insignia victoriæ Belisarius Constantinopolim misit. Ita urbs Roma Romanis imperatoribus restituta fuit, cum annis sexaginta Odoacri Erulorum, Theodorico, ejusque successoribus Gothorum regibus paruisset. SEV. BINIUS.

[c] Originem belli Gothici supra neci Amalasunthæ tribuimus ex Procopio.

[d] Errat Anastasius. Nam post Neapolim occupatam Gothi a Theodato desciverunt, et Vitigem elegerunt, ut supra ex Procopio enarravi. SEV. BINIUS.

[e] Procopius l. I de Bello Gothorum scribit Belisarium Neapolim deditione accepisse, ideoque cives ejusdem urbis humaniter tractasse. Verum a majoribus invenimus traditum eumdem Belisarium ob nimiam cædem ibidem perpetratam a Silverio Romano pontifice, cum Roma potitus est, acriter fuisse reprehensum, et pœnitentiam agere compulsum, ut auctor Miscellæ Paulus diaconus testatur l. XVI hist. SEV. BINIUS.

[f] Hac de re Evagrius lib. IV, cap. 18, hæc scribit: *Civitas Belisario sine pugna tradita est, et Roma denuo Romanis subjicitur post annos sexaginta, quibus ab Erulis et Gothis occupata fuisset, nono die Apellei, hoc est ad quintum idus Decembris, undecimo anno imperii Justiniani:* qui est annus Christi 537 post devictum ab Odoacre Erulorum rege Augustulum sexagesimus. SEV. BINIUS.

[g] Anno nimirum Christi 538, qua obsidione hoc mirandum est primo, quod integro anno obsidionis nunquam illo loco urbem expugnare conati fuerint, ubi murus ab alto divisus est, et quasi jam jam casurus deorsum inclinabatur. Secundo magis mirandum est, quod hostes Romanæ Ecclesiæ Ariani nihil contumeliæ aut damni intulerint ipsis apostolorum basilicis extra urbem positis: sinentes illic catholico ritu, teste Procopio, libere sacra peragi, aliter sane quam recentes hæretici nostri temporis, a quibus nihil prius cogitatum est unquam, quam ut sacra monumenta sanctorum Deo dicata incendiis et rapinis devastent et amoliantur. SEV. BINIUS.

(*a*) Ms. Luc. *Possessiones*.

Ravennam post annum unum. Eodem tempore tanta fames fuit per universum mundum, ut Datius episcopus civitatis Mediolanensis relatione sua hoc evidenter narraverit, quod in partibus Liguriæ mulieres filios suos comedissent penuria famis, de quibus retulit ex ecclesiæ suæ fuisse familia. Eodem tempore ambulavit patricius Belisarius Neapolim, et ordinavit eam, et postmodum venit Romam; qui susceptus est a domino Silverio benigne. Et abiit Belisarius patricius in palatium Pincianum (*a*) vi Idus Maias, indictione xv. Tunc erat Vigilius diaconus apocrisiarius Constantinopoli. Dolens autem Augusta pro Anthimo patriarcha, quod depositus fuisset a S. Agapito papa, quia hæreticum eum reperisset, et in loco ejus constituisset Mennam servum Dei; tunc Augusta consilio usa [a] cum Vigilio diacono misit epistolam Romam ad Silverium papam, rogans et obsecrans: Ne pigriteris ad nos venire, aut certe revoca Anthimum in locum suum. Et cum legisset B. Silverius litteras, ingemuit, et dixit: Modo scio quia causa hæc finem vitæ meæ adducit. Sed beatissimus Silverius fiduciam habens in Deo et B. Petro rescripsit, dicens: Domina Augusta, ego rem istam facturus nunquam ero, ut revocem hominem hæreticum in sua nequitia damnatum. Tunc indignata Augusta misit jussiones suas ad Belisarium patricium per Vigilium diaconum, ita continentes: Vide aliquas occasiones in Silverium papam, et depone illum de episcopatu, aut certe festinus transmitte eum ad nos. Ecce ibi habes Vigilium archidiaconum et apocrisiarium nostrum charissimum, qui nobis pollicitus est revocare Anthimum [b] patriarcham. Tunc suscipiens jussionem Belisarius patricius, dixit: Ego quidem jussionem facio, sed is qui interest in nece Silverii papæ, ipse reddet rationem de factis suis Domino Jesu Christo. Et urgente jussione exierunt quidam falsi testes, qui dixerunt: Quia nos multis vicibus invenimus Silverium papam scripta hujusmodi mittentem ad regem Gothorum: Veni ad portam quæ vocatur Asinaria juxta Lateranas, et civitatem tibi trado, et Belisarium patricium. Quod audiens Belisarius, primo non credebat; sciebat enim quod per invidiam hæc de eo dicebantur. Sed dum multi in eadem accusatione persisterent, pertimuit. Tunc fecit Belisarius patricius B. Silverium papam venire ad se in palatium Pincis, et ad primum et secundum velum retinuit omnem clerum. Ingressis itaque Silverio cum Vigilio solis in Mausoleo, Antonina patricia sedebat in lecto, et Belisarius patricius sedebat ad pedes ejus. Et dum vidisset eum Antonina patricia, dixit ad eum: Dic, domnę Silveri papa, quid fecimus tibi et Romanis, ut tu velles nos in manus Gothorum tradere? Et adhuc ea loquente, ingressus subdiaconus regionarius Joannes regionis primæ (*b*) tulit pallium de collo ejus, et duxit eum in cubiculum; et exspolians eum, induit eum monachicam vestem, et abscondit eum. Tunc Sixtus subdiaconus regionarius regionis sextæ, videns eum jam monachum, egressus foras, nuntiavit ad clerum, dicens: Quia dominus papa depositus est, et factus est monachus. Quod audientes fugerunt omnes. Quem suscepit Vigilius archidiaconus, in sua quasi fide, et misit eum in exsilium [c] ad Pontianas, et sustentavit eum pane tribulationis et aqua angustiæ [d]. (*c*) Qui deficiens mortuus est confessor factus. Qui etiam sepultus est in eodem loco, xii calendas Junii [e] ibique occurrit multitudo male habentium, et salvatur. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembrem, presbyteros 13 (*d*), diacones 5 (*e*), episcopos per diversa loca num. 19 (*f*). Et cessavit episcopatus dies sex (*g*) [f].

[a] Hanc eamdem historiam Procopius de Bello Gothico lib. i et Liberatus in Breviario cap. 22 recensent. Ea quæ ab Anastasio et Procopio prætermissa sunt videre poteris apud Liberatum allegato loco. Sev. Binius.

[b] Adde promissionem duorum auri centenariorum, si remoto Silverio se Vigilium ordinari curaret. Sev. Binius

[c] Quod hæretica femina petierat, ambitiosus diaconus procurarat, Belisarius, Pilato deterior, impie ad finem consummarat. Pœnitu t quidem Belisarium in Christum Domini manus sacrilegas injecisse, cum ad expiandum facinus, et divinum numen placandum, Romæ ecclesiam erigi curaret: sed quia suo ipsius testimonio edixe at futurum ut rationem redderet Christo Domino quisquis neci pontificis cooperaretur, accidit ut qui impia jussa Augustæ implebat, ne in feminæ offensam incurreret, exsequendo sacrilegum ab imperatrice mandatum, imperatorem sibi valde infensum reddiderit, meritoque e summa gloria ad summam miseriam et paupertatem dejici meruit. Quid Silverius exsul pontifex in Vigilium pseudopontificem, munera et officia veri pontificis usurpantem, constituerit, patebit infra ex epistola Silverii ad Vigilium. Sev. Binius.

[d] Liberatus inquit Silverium duobus Vigilii defensoribus et servis traditum sub eorum custodia inedia defecisse. Hanc ob causam pestis, fames, et bella exorta fuerunt, de quibus Baronius anno 539. Sev. Binius.

[e] Anno Christi 540. Nam anno Christi 539, mense Junio litteras dedit ad Vigilium. Unde si verum est, quod ait Anastasius, ipsum mense Maio diem obiisse, non alio quam 540 anno Christi eum defunctum esse affirmare necesse est. Unde constat quod supra dixi, eum quatuor annis et amplius fortasse ab obitu Agapeti hucusque sedem pontificiam tenuisse, ad consummatum usque martyrium: semper legitimum pontificem permansisse, eaque munia pontificis quæ potuit exercuisse, constat ex sententia e carceribus et vinculis illius in Vigilium pronuntiata. Sev. Binius.

[f] Nisi dicamus Vigilium post obitum sanctissimi Silverii seipsum in ordinem redegisse, seque pontificatu, quem per intrusionem occupaverat, abdicasse, non video qua ratione post obitum Silverii sedes apostolica sex diebus vacare potuerit. Valde itaque probabile est quod simul ac Silverium defunctum miracula ędere audivit, seipsum sede apostolica abdicavit, ob simoniæ, expulsi et occisi Silverii, contempti anathematis, crimina a se commissa, donec iterum secreta machinatione Belisarii universi cleri consensu legitime eligeretur. *Baron an* 540 *num.* 4, 5 et 6. Sev. Binius.

(*a*) *Ms.* Luc., v.
(*b*) Idem, *primæ regionis.*
(*c*) Idem, *in Ponzas.*
(*d*) Idem, 14.
(*e*) In eodem deest *Diacones* 5.
(*f*) Idem ms., 18.
(*g*) In eodem deest *dies sex.*

SILVERII PAPÆ EPISTOLÆ.

[1] EPISTOLA PRIMA SILVERII PAPÆ.

AD VIGILIUM PSEUDOPAPAM.

Vigilio ambitionem sedis apostolicæ et simoniæ crimen admissum exprobrat, eumque sententia anathematis condemnat [2].

Silverius episcopus Vigilio.

(*a*) Multis te transgressionibus irretitum sacerdotalis jamdudum novit generalitas: et quia, cruentis humano sanguine manibus decessoribus nostris pervicacia tua subripiens, leviticis præsumpseris exculbare ministeriis [3], plerique noverunt fidelium. Nam quia contra jura canonica temporibus sanctæ memoriæ Bonifacii papæ, ipso vivente, successor ejus designari conabaris, nisi tibi amplissimi senatus obviasset justitia, tunc providentia pastorali ac pontificali auctoritate [tua a pontificali honore] tua exsecranda jam debuerant auspicia detruncari. Sed dum parvum vulnus in te [ante] neglectum est, insanabile accrevit apostema: quod nisi ferro alterius abscindatur, fomentorum sentire non potest [potes] medicinam: quippe qui nequissimi spiritus audacia ambitionis phrenesim concipiens, in illius apostolici medici, cui animas ligandi solvendique collata et concessa potestas est, versaris contumeliam, novumque scelus erroris in apostolicam sedem rursus niteris inducere, et in morem Simonis, cujus discipulum te ostendis operibus, data pecunia, meque repulso, qui, favente Domino, tribus jam jugiter emensis temporibus ei præsideo, tempora mea nitaris [niteris] invadere. Habeto [4] ergo cum his qui
C tibi consentiunt pœnæ damnationis [perpetuæ] sententiam, sublatumque tibi nomen et munus ministerii sacerdotalis agnosce, sancti Spiritus judicio et apostolica a nobis auctoritate damnatus. Sic enim decet fidem sanctorum Patrum in Ecclesia servari catholica, ut quod habuit amittat, qui improbabili temeritate quod non accepit assumpserit.

Data octavo calendas Julii, principe Basilio [a]. Cælius Silverius papa urbis Romæ, huic decreto anathematis in Vigilio pervasore [Vigilium pervasorem] facto ad omnia statuta consensum præbens, subscripsi, pariter quatuor episcopi subscripserunt, id
A est Terracinensis, Fundanus, Firmanus, et Minturnensis. Data ista chartula per Anastasium subdiaconum.

EPISTOLA AMATORIS,

EPISCOPI AUGUSTODUNENSIS, AD SILVERIUM PAPAM [5].

Ad levandam inopiam exsilii mittit pontifici munuscula, petens de statu exsulis certior fieri.

Beatissimo Silverio Amator episcopus.

A quibusdam, pater dilectissime, illis a partibus adventantibus audivimus vos a sede sancti Petri injuste pulsum, exsilio destinatum. Quod nimis grave ferentes, misimus parva munuscula, id est argenti libras triginta ad vestram vestrorumque sustentationem: quæ petimus, ut ita grato animo suscipiatis, sicut grata mittuntur intentione. Precamur quoque
B ut per vestram epistolam nobis remandare non dedignemini qualiter circa vos sit actum, vel modo agitur, ut certam rationem de vobis scire et fratribus valeam nuntiare. Quid enim putas de nobis fieri, pater summe, cum de summo pastore et vicario sancti Petri talia fiunt? Vos tamen nolite multum tristari, sed confortamini semper in Domino: quoniam potens est divinitas [6] immensæ tempestatis incerta bono serenitatis amovere. Ora pro nobis, beatissime papa.

EPISTOLA II SILVERII PAPÆ [7]

NOMINE CONFICTA AD AMATOREM [b].

Amatoris charitatem laudat: quæ contra se acta sunt exponit. De falsis testibus contra episcopum non suscipiendis.

Dilectissimo atque amantissimo Amatori episcopo Silverius.

O quam bona est charitas, quæ absentia per imaginem [8], præsentia sibimetipsi exhibet per amorem. Divisa tangit [jungit], confusa ordinat, inæqualia sociat, imperfecta perficit. Quam recte prædicator egregius vinculum perfectionis vocat (*Coloss.* III); quia virtutes quidem cæteræ pefectionem generant, sed tamen eas charitas ligat, ut ab amantis mente dissolvi jam nequeant. Hac itaque virtute, frater charissime, plenum te reperio, dum non solum de

[a] Surrepsisse videtur adjecta nota consularis, quia tempore Silverii neque Belisarius, neque Basilius ullum consulatum egerunt, inquit ad oram Binius: verum mihi potius hæc arguere videntur impostoris audacem inscitiam qui Basilium anno 541 consulem celeberrimum duobus minimum annis prævenerit. At de hisce Mercatoris aberrationibus chronologicis jam sæpius conquesti sumus. PHIL. LABBE.

[b] Hæc epistola nomine Silverii ad Amatorem episcopum Augustodunensem, fortasse qui his temporibus sanctitate celeberrimus exstitit, rescripta, ab aliquo otioso ex Anastasii scriptis consarcinata videtur. Nota consulum mendaci insignita a veritate historica valde abhorret, ut constat ex Liberato diacono hujus temporis scriptore fidelis imo. Indignam itaque judicantes, quæ sub ipsius Silverii nomine edatur, loco insolito, et inconsueta hac inscriptionis nota, cam hic exhibere placuit. SEV. BINIUS.

D Eamdem quoque par erat inscriptionibus pluribus censuram ascribere, ut pretiosæ merces a vilibus ὑποβολιμαίου mercatoris centunculis separarentur. PHIL. LABBE.

[1] Suspectæ fidei epistolam cum alia probant, tum styli barbaries.

[2] Damnatio Vigilii inscribitur in c. Justelli. Vide notas concilii Romani II, sub Bonif. II.

[3] Felix III, ep. 6 ad Acacium CP. ep.

[4] Idem Felix III cit.

[5] Hanc quoque suspectæ fidei censent viri docti, nec immerito, cum iisdem atque sequens vitiis laboret.

[6] Ennodius ep. 24 lib. IV.

[7] Bar. Binio, aliisque exsecrata.

[8] Greg. ep. 50, lib. IV.

(*a*) De hujus et sequentis epistolæ suppositione vide Pagium ad An. Ch. 539, n. 3 et 4.

me sciscitando et visitando curam habes, sed etiam bonis tuis me fulcire et sustentare non desinis. Quanta autem mala in me peracta sunt, nec enarrare, nec scribere tibi per omnia possum. Ante omnia vero patricia infesta mihi erat [1], eo quod non restituebam Anthimum dudum patriarcham Constantinopolitanum, quem sanctæ memoriæ Agapetus prædecessor meus suis meritis damnavit. Urgente quoque ejus jussione, exierunt quidam falsi testes, dicentes adversum me crimina, quorum nunquam particeps fui. Sed dum multi in eadem accusatione persisterent, timuit Belisarius patricius noster [2], et mandavit me ad se venire pacifice pro quibusdam ecclesiasticis dispositionibus in palatium Pincis [3], et ad primum et secundum velum retinuit omnem clerum et populum qui mecum veniebat, et nullum permisit introire nisi me solum, et Vigilium diaconem meum. Me vero vi retento et ante prædictam patriciam deducto, miserunt in exsilium, in quo modo sustentor pane tribulationis, et aqua angustiæ. Ego tamen propterea non dimisi, nec dimitto officium meum : sed cum episcopis, quos congregare potui, eos qui talia erga me egerunt, anathematizavi [4], et una cum illis apostolica et synodali auctoritate statui, nullum unquam taliter decipiendum, sicut deceptus sum ; et si aliquis deinceps ullum unquam episcoporum ita deciperet, anathema maranatha fieret in conspectu Dei et sanctorum angelorum. Similiter sanctorum Patrum roborantes decreta statuimus (licet sæpissime jam statutum fuerit) nec falsos, nec inimicos suspectos accusatores vel testes unquam super episcopos suscipi, eisque nocere nullatenus posse : quia falsam aut suspectam, aut odiosam vocem, aut funestam, potius interdici quam audiri sanctis Patribus placuit. Summopere, charissime, tales cavendi sunt [5], et avertendi atque rejiciendi, si nocentes apparuerint : quia non solum ecclesiasticæ, sed etiam sæculi leges tales non suscipiunt, sed repellunt. Unde scriptum est : *Os impiorum devorat iniquitatem* (*Prov.* XIX). Et Dominus per prophetam loquitur, dicens : *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocenter agês. Cum electo electus eris, et cum perverso perverteris* (*Psal.* XVII). Et Apostolus inquit : *Pervertunt mores bonos colloquia mala* (*I Cor.* XV). Idcirco, ut jam prælibatum est, mali semper cavendi, et bonis atque benevolis est inhærendum, ut periculum desidiæ, quantum possumus, [6] devitemus, et ne pestis hæc latius divulgetur, severitate qua possumus abscindamus : quoniam non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis. Agat semper unusquisque vestrum hac informatione [7], apostolica fultus auctoritate, juxta vires suas, et fraterna dilectione, ac sancta religione mores proprios conservare, et in communi alterutrum adjuvare, et in charitate permanere, et Dei voluntati indesinenter studeat inhærere, ut simul laudantes Dominum, indefessas illi gratias semper agamus. Vale in Christo, charissime semper, et prædicta prout melius poteris, Domino opem ferente, adimplere, et reliquos fratres apostolica auctoritate informare studeto. Data IX calendas Decembris, Justiniano quintum [8], et Belisario [Vuilisiario] viris clarissimis consulibus.

[1] Jussu Augustæ Theodoræ.
[2] Anastasius aut quis alius auctor pontificalis.
[3] Alias *principis*, ut in c. Just.
[4] Sent. illa in Vigil. lata merito suspecta, ut paulo ante observavimus.
[5] Hæc jam sæpe sæpius ab Isidoro in fictis epistolis decantata.
[6] S. Leo ep. 2, 4, 92.
[7] S Bonifac. Mog. archiep. 17.
[8] Consulum nota falsa.

ANNO DOMINI DXL.

S. LAURENTIUS NOVARIENSIS EPISCOPUS.

Notitia Margarini de la Bigne.

Hunc esse suspicor Laurentium priorem, qui ex Novariensi factus sit Mediolanensis archiepiscopus vigesimus quintus, ad annum Christi 507, cujus encomia videatur celebrare Ennodius (*a*). In Dictione missa Honorato episcopo Novariensi in dedicatione basilicæ Apostolorum. Qui etiam Honoratus administrato Novariensi episcopatu annis triginta octo (quibus in Mediolanensi throno sederunt post Laurentium priorem, S. Eustorgius ann. 7, S. Magnus, ann. 3, S. Datius ann. 22, S. Vitalis ann. 4, S. Auxanus ann. 2), ad archiepiscopatum Mediolanensem evectus sit, non ita multo ante Longobardorum in Italiam adventum.

(*a*) *Veni*, inquit, *piissime Domine*, etc., *evocatus sanctorum sacerdotum merito, electi seorsim præsentis patris nostri Laurentii conscientia, qui tot plenus dotibus ad Ecclesiæ fastigium crevit, quot fecissent summum singula quæque pontificem in quo vernat boni operis princeps et honestatis mater verecundia, religionis sanctæ nutrix patientia, Deum semper placatura pietas, et quæ Ecclesiasticis membris non sermone vitæ instituta tribuet, sed exemplis*, etc.

S. LAURENTII HOMILIÆ

(ex Biblioth. PP. Lugd.)

HOMILIA PRIMA
De pœnitentia.

Duo sunt tempora ab Altissimo præstituta, in quibus datur duplex hominibus remissio peccatorum. Est namque remissio publica et est remissio privata. Publica tempus suum habet, privata suum exercet tempus. In publica fons est indulgentiæ, in privata fructus est pœnitentiæ. In illa donum Dei, in ista labor hominis. In illa baptisma, in ista pœnitudo. Et quæ sunt ista tempora debent agnosci. Tempus primum est ab Adam usque ad Christum. Tempus secundum est a Christo usque ad consummationem sæculi. Hæc sunt duo tempora. In primo quid est? Peccatum Adam, quod Christus solvit. In secundo? quid? peccata propria, quæ labor hominum et sollicitudo exstinguit : illud generale est, hoc speciale. Adverte quod dicitur : Peccatum Adam quod in filiis ejus permansit, divina clementia abstulit, Sarcinam illam in se suscepit Salvator, et evertit : quando? In primo tempore. Ubi? In fonte baptismatis, fluvioque Jordanis. Ibi clamabat Baptista, digitoque ostendebat cœlestem Principem, dicens : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Peccatum mundi quid est? Delictum Adam per traducem seminis ad filios devolutum. Agnus igitur Dei Christus; tinctus in flumine, tulit noxiam sarcinam a Patre in filios derivantem. Nefas illud pessimum, a serpente suggestum, in fonte intinxit, in flumine abolevit, in carne cremavit. Tulit debitum unius, et donavit indulgentiam cunctis. Caput curavit et sana sunt omnia membra. Verum ab hoc fonte vel indulgentia generali aliud jam exoritur tempus : commissa peccata non aqua delet, sed pœnitudo remittit. Et hoc tempus utrumque psalmista David in quinquagesimo psalmo notavit. Primum tempus posuit, ubi per Christum loquitur in persona Adam. Et quid dicit? *Incerta*, inquit, *et occulta sapientiæ tuæ manifesta mihi*. Et quæ sunt ista? Incertum fuit salvari Adam lapsum in mortem, sed manifesta facta est, et redemptio ejus in carne et remissio ejus in aqua, vidi in spiritu quomodo clementia tua missa per unigenitum, et patrem recepit de crimine, et filium donavit saluti. Ecce incerta sapientiæ tuæ, quæ mihi tua dignatio revelavit? Quid ergo Adam? Ipse est qui per Christum exsultat in David dicens : *Domine, asperges me hyssopo, et mundabor* (*Psal.* L). Culpa enim mea me obruit, imo crimen prævaricationis fœdavit. Sed, *asperges me hyssopo*, id est aqua viva, *et mundabor. Asperges me* aqua Filii tui sacro sanguine mixta, *et mundabor. Lavabis me, et super nivem dealbabor*? Lavabis me in illo venturo fonte et mystico flumine in quo, non solum crimen meum exstinguetur, sed et candor meus quem recepturus A sum, etiam super nivem excellet. Futurum est, Genitor, ut mittas Filium tuum unigenitum, qui auferat malum de mundo, quod per me introductum est, et non fraudentur filii in facinore patris. Ille aperiet viam salutis, ille reserabit remissionem fontis, et crimen meum abolebit in aqua et Spiritu. Asperget me gratiæ suæ guttis, et mundabor. *Lavabit me* ignifero lumine, *et super nivem dealbabor*. Hæc est primo tempore remissio generalis : videamus quid in secundo. Item Psalmi declarant : *Usquequaque lava me ab injustitia mea, et a delicto meo munda me* (*Ibid.*), Ecce tempus, et tempus superius Adam, inferius David. Ibi lavacrum est aquæ, ubi dicit : *lavabis me et super nivem dealbabor*. Hic lacrymæ sunt pœnitentiæ, ubi dicit David, *usquequaque lava me ab injustitia mea* B *et a delicto meo munda me*. Illud publicum, hoc privatum. Illud gratiæ, hoc clementiæ. Illud omnium, hoc singulare. Illud mysticum, hoc morale. Abluitur Adam corpore Christi, ut veterem abjiciat hominem et induat novum. Abluitur David in corde compuncto, ut reformet in se speciem quam crimen fuscavit. Ille renovatur in fonte, iste reparatur in fletu. Illum gratia curavit, istum gemitus reformavit. Qui commissum suum hirsuto corpore dolet; et lugens peccati sui ante se pingit imaginem, ita asserens : *Usquequaque lava me ab injustitia mea*. Quare *usquequaque?* Quia *iniquitatem meam agnosco, et delictum meum contra me est semper*. Tanquam si ita diceret : Sanaveras me, Domine, jam ante in patre meo Adam, quando membra illius in te suscepta tinxisti C in fonte, abluisti in flumine. Liber existebam beneficio tuo, nec potui indultam mihi gratiam retinere. Iterum enim in me ipsum erravi. A patris delicto liber effectus, proprium commisi delictum, de publico ereptus laqueo, privatum incurri. Non est jam fontis nec aquæ præsidium. Quid faciam, aut unde piabor? Nunquid mereor iterum indulgentiæ tuæ imbre perfundi, generalique lavacri flumine dilui? Absit. Non ego jam aquæ munus repetam quod ablui. Semel petam quod semel concessum est. Ex mea me inopia redimo, ex meo me labore perfundo. Est in me exiguus quidam humor, qui non me more torrentis infundit, sed modico sudore inrorat. Laboris mei me guttis ablui quæro, verborumque scintillis virus in me conceptum exuri desidero. Usquequaque lava me D ab injustitia mea : non jam aqua, sed opere lava me; non baptismatis fonte, sed pœnitentiæ rore. *Quia delictum meum contra me est semper*. Vidi me : cognovi factum meum, stat ante me delictum quod me deformavit. Usquequaque lava me ab injustitia mea, quia cognovi quod feci : quod ego cognovi, tu diligenter ignosce. Despice, tu, quod ego inspicio. Sufficit me videre hoc. Tibi displicui : *averte faciem*

me sciscitando et visitando curam habes, sed etiam bonis tuis me fulcire et sustentare non desinis. Quanta autem mala in me peracta sunt, nec enarrare, nec scribere tibi per omnia possum. Ante omnia vero patricia infesta mihi erat [1], eo quod non restituebam Anthimum dudum patriarcham Constantinopolitanum, quem sanctæ memoriæ Agapetus prædecessor meus suis meritis damnavit. Urgente quoque ejus jussione, exierunt quidam falsi testes, dicentes adversum me crimina, quorum nunquam particeps fui. Sed dum multi in eadem accusatione persisterent, timuit Belisarius patricius noster [2], et mandavit me ad se venire pacifice pro quibusdam ecclesiasticis dispositionibus in palatium Pincis [3], et ad primum et secundum velum retinuit omnem clerum et populum qui mecum veniebat, et nullum permisit introire nisi me solum, et Vigilium diconem meum. Me vero vi retento et ante prædictam patriciam deducto, miserunt in exsilium, in quo modo sustentor pane tribulationis, et aqua angustiæ. Ego tamen propterea non dimisi, nec dimitto officium meum: sed cum episcopis, quos congregare potui, eos qui talia erga me egerunt, anathematizavi [4], et una cum illis apostolica et synodali auctoritate statui, nullum unquam taliter decipiendum, sicut deceptus sum; et si aliquis deinceps ullum unquam episcoporum ita deciperet, anathema maranatha fieret in conspectu Dei et sanctorum angelorum. Similiter sanctorum Patrum roborantes decreta statuimus (licet sæpissime jam statutum fuerit) nec falsos, nec inimicos suspectos accusatores vel testes unquam super episcopos suscipi, eisque nocere nul-

A latenus posse: quia falsam aut suspectam, aut odiosam vocem, aut funestam, potius interdici quam audiri sanctis Patribus placuit. Summopere, charissime, tales cavendi sunt [5], et avertendi atque rejiciendi, si nocentes apparuerint: quia non solum ecclesiasticæ, sed etiam sæculi leges tales non suscipiunt, sed repellunt. Unde scriptum est: *Os impiorum devorat iniquitatem* (*Prov.* XIX). Et Dominus per prophetam loquitur, dicens: *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocenter agês. Cum electo electus eris, et cum perverso perverteris* (*Psal.* XVII). Et Apostolus inquit: *Pervertunt mores bonos colloquia mala* (*I Cor.* XV). Idcirco, ut jam prælibatum est, mali semper cavendi, et bonis atque benevolis est inhærendum, ut periculum desidiæ, quantum
B possumus, [6] devitemus, et ne pestis hæc latius divulgetur, severitate qua possumus abscindamus: quoniam non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis. Agat semper unusquisque vestrum hac informatione [7], apostolica fultus auctoritate, juxta vires suas, et fraterna dilectione, ac sancta religione mores proprios conservare, et in communi alterutrum adjuvare, et in charitate permanere, et Dei voluntati indesinenter studeat inhærere, ut simul laudantes Dominum, indefessas illi gratias semper agamus. Vale in Christo, charissime semper, et prædicta prout melius poteris, Domino opem ferente, adimplere, et reliquos fratres apostolica auctoritate informare studeto. Data IX calendas Decembris, Justiniano quintum [8], et Belisario [Vuilisiario] viris clarissimis consulibus.
C

[1] Jussu Augustæ Theodoræ.
[2] Anastasius aut quis alius auctor pontificalis.
[3] Alias *principis*, ut in c. Just.
[4] Sent. illa in Vigil. lata merito suspecta, ut paulo ante observavimus.
[5] Hæc jam sæpe sæpius ab Isidoro in fictis epistolis decantata.
[6] S. Leo ep. 2, 4, 92.
[7] S Bonifac. Mog. archiep. 17.
[8] Consulum nota falsa.

ANNO DOMINI DXL.

S. LAURENTIUS NOVARIENSIS EPISCOPUS.

Notitia Margarini de la Bigne.

Hunc esse suspicor Laurentium priorem, qui ex Novariensi factus sit Mediolanensis archiepiscopus vigesimus quintus, ad annum Christi 507, cujus encomia videatur celebrare Ennodius (*a*). In Dictione missa Honorato episcopo Novariensi in dedicatione basilicæ Apostolorum. Qui etiam Honoratus administrato Novariensi episcopatu annis triginta octo (qui-
D bus in Mediolanensi throno sederunt post Laurentium priorem, S. Eustorgius ann. 7, S. Magnus, ann. 3, S. Datius ann. 22, S. Vitalis ann. 4, S. Auxanus ann. 2), ad archiepiscopatum Mediolanensem evectus sit, non ita multo ante Longobardorum in Italiam adventum.

(*a*) *Veni*, inquit, *piissime Domine*, etc., *evocatus sanctorum sacerdotum merito, electi seorsim præsentis patris nostri Laurentii conscientia, qui tot plenus dotibus ad Ecclesiæ fastigium crevit, quot fecissent summum singula quæque pontificem in quo vernat boni operis princeps et honestatis mater verecundia, religionis sanctæ nutrix patientia, Deum semper placatura pietas, et quæ Ecclesiasticis membris non sermone vitæ instituta tribuet, sed exemplis*, etc.

S. LAURENTII
HOMILIÆ
(ex Biblioth. PP. Lugd.)

HOMILIA PRIMA
De pœnitentia.

Duo sunt tempora ab Altissimo præstituta, in quibus datur duplex hominibus remissio peccatorum. Est namque remissio publica et est remissio privata. Publica tempus suum habet, privata suum exercet tempus. In publica fons est indulgentiæ, in privata fructus est pœnitentiæ. In illa donum Dei, in ista labor hominis. In illa baptisma, in ista pœnitudo. Et quæ sunt ista tempora debent agnosci. Tempus primum est ab Adam usque ad Christum. Tempus secundum est a Christo usque ad consummationem sæculi. Hæc sunt duo tempora. In primo quid est? Peccatum Adam, quod Christus solvit. In secundo? quid? peccata propria, quæ labor hominum et sollicitudo exstinguit: illud generale est, hoc speciale. Adverte quod dicitur: Peccatum Adam quod in filiis ejus permansit, divina clementia abstulit. Sarcinam illam in se suscepit Salvator, et evertit: quando? In primo tempore. Ubi? In fonte baptismatis, fluvioque Jordanis. Ibi clamabat Baptista, digitoque ostendebat cœlestem Principem, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Peccatum mundi quid est? Delictum Adam per traducem seminis ad filios devolutum. Agnus igitur Dei Christus; tinctus in flumine, tulit noxiam sarcinam a Patre in filios derivantem. Nefas illud pessimum, a serpente suggestum, in fonte intinxit, in flumine abolevit, in carne cremavit. Tulit debitum unius, et donavit indulgentiam cunctis. Caput curavit et sana sunt omnia membra. Verum ab hoc fonte vel indulgentia generali aliud jam exoritur tempus: commissa peccata non aqua delet, sed pœnitudo remittit. Et hoc tempus utrumque psalmista David in quinquagesimo psalmo notavit. Primum tempus posuit, ubi per Christum loquitur in persona Adam. Et quid dicit? *Incerta*, inquit, *et occulta sapientiæ tuæ manifesta mihi.* Et quæ sunt ista? Incertum fuit salvari Adam lapsum in mortem, sed manifesta facta est, et redemptio ejus in carne et remissio ejus in aqua, vidi in spiritu quomodo clementia tua missa per unigenitum, et patrem recepit de crimine, et filium donavit saluti. Ecce incerta sapientiæ tuæ, quæ mihi tua dignatio revelavit? Quid ergo Adam? Ipse est qui per Christum exsultat in David dicens: *Domine, asperges me hyssopo, et mundabor* (*Psal.* L). Culpa enim mea me obruit, imo crimen prævaricationis fœdavit. Sed, *asperges me hyssopo*, id est aqua viva, *et mundabor. Asperges me* aqua Filii tui sacro sanguine mixta, *et mundabor. Lavabis me, et super nivem deabbabor*? Lavabis me in illo venturo fonte et mystico flumine in quo, non solum crimen meum exstinguetur, sed et candor meus quem recepturus A sum, etiam super nivem excellet. Futurum est, Genitor, ut mittas Filium tuum unigenitum, qui auferat malum de mundo, quod per me introductum est, et non fraudentur filii in facinore patris. Ille aperiet viam salutis, ille reserabit remissionem fontis, et crimen meum abolebit in aqua et Spiritu. Asperget me gratiæ suæ guttis, et mundabor. *Lavabit me ignifero lumine, et super nivem dealbabor.* Hæc est primo tempore remissio generalis: videamus quid in secundo. Item Psalmi declarant: *Usquequaque lava me ab injustitia mea, et a delicto meo munda me* (*Ibid.*), Ecce tempus, et tempus superius Adam, inferius David. Ibi lavacrum est aquæ, ubi dicit: *lavabis me et super nivem dealbabor.* Hic lacrymæ sunt pœnitentiæ, ubi dicit David, *usquequaque lava me ab injustitia mea* B *et a delicto meo munda me.* Illud publicum, hoc privatum. Illud gratiæ, hoc clementiæ. Illud omnium, hoc singulare. Illud mysticum, hoc morale. Abluitur Adam corpore Christi, ut veterem abjiciat hominem et induat novum. Abluitur David in corde compuncto, ut reformet in se speciem quam crimen fuscavit. Ille renovatur in fonte, iste reparatur in fletu. Illum gratia curavit, istum gemitus reformavit. Qui commissum suum hirsuto corpore dolet; et lugens peccati sui ante se pingit imaginem, ita asserens: *Usquequaque lava me ab injustitia mea.* Quare *usquequaque?* Quia *iniquitatem meam agnosco, et delictum meum contra me est semper.* Tanquam si ita diceret: Sanaveras me, Domine, jam ante in patre meo Adam, quando membra illius in te suscepta tinxisti C in fonte, abluisti in flumine. Liber existebam beneficio tuo, nec potui indultam mihi gratiam retinere. Iterum enim in me ipsum erravi. A patris delicto liber effectus, proprium commisi delictum, de publico ereptus laqueo, privatum incurri. Non est jam fontis nec aquæ præsidium. Quid faciam, aut unde piabor? Nunquid mereor iterum indulgentiæ tuæ imbre perfundi, generalique lavacri flumine dilui? Absit. Non ego jam aquæ munus repetam quod ablui. Semel petam quod semel concessum est. Ex mea me inopia redimo, ex meo me labore perfundo. Est in me exiguus quidam humor, qui non me more torrentis infundit, sed modico sudore inrorat. Laboris mei me guttis ablui quæro, verborumque scintillis virus in me conceptum exuri desidero. Usquequaque lava me D ab injustitia mea: non jam aqua, sed opere lava me; non baptismatis fonte, sed pœnitentiæ rore. *Quia delictum meum contra me est semper.* Vidi me: cognovi factum meum, stat ante me delictum quod me deformavit. Usquequaque lava me ab injustitia mea, quia cognovi quod feci: quod ego cognovi, tu dignanter ignosce. Despice, tu, quod ego inspicio. Sufficit me videre hoc. Tibi displicui: *averte faciem*

tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele. Quare? *quia delictum meum contra me est semper.* Scriptum est in corde meo, exaratum est sub oculis meis, fixum est in conscientia mea. Ablue, tu, quod ego scripsi, exime quod ego depinxi. Hæc in figura plorata sunt; hæc induxi in speculum quinquagesimi psalmi, in quo ad aspectum nostrum et primi temporis et secundi gemina imago resultat: primi in Adam, secundi in David. Licet ambo, sive Adam, sive David primi temporis spatio concludantur. Spiritus est sanctus qui loquitur in prophetis, et tempus utriusque a se distinguit, et prævaricationis venia signetur in Adam, pœnitentiæ manus exsolvat in David; sermo namque propheticus, et præcedentem faciem temporis et sequentem depingit in psalmo. Vobis igitur (dilectissimi) sermo iste componitur, ad B vos dirigitur ista assertio. Vobis hæc disputatio clarum profectum habitura ingeritur; in quibus calor fidei peccato forte interveniente perfrixit. Mens perdita obstupescit, spes depravata liquescit, omnisque futurorum intentio aporiata torpescit, dum secum unusquisque perpendit, sibique reputat, ac intra se loquitur ita: Quid facturus sum modo, quid superagendum est mihi, aut quid restat sperandum? Redemptus fui, et factus sum servus; liber fueram, factus sum servus peccati; perdidi gratiam largitoris, amisi beneficium redemptoris; claro corpore egressus de fonte, cœno me iterum immundo perfudi, limoque fœdavi. Purus de gratia Dei, factus sum de propria intemperantia perditus. Error meus de filio famulum, de intimo inimicum, de hærede exterum [*Suppl.* fecit]. C Violavi symbolum meum, corrupi pactum in ipso vestibulo fontis conscriptum. O quam infelix conditio! O quam miseranda consilia! Operibus diabolicis me renuntiaturum spoponderam, et implere non valui! Malis quibus carui, in ipsis relapsus contaminor! Evangelicam tunicam rursus in pellicia commutavi. Stolam meriti, quam mundam texueram, labe vitiorum fuscavi' et novum hominem iterum vetustate contexi. Quid nunc requiro, aut quid exspecto adhuc: ubi quæro fontem, aut ubi invenio baptisma? Nunquid est respectus ad aquam? nunquid recipiet me adhuc unda, ut me reformet in utero aquæ et pariat innocentem? Aut forte quærere debeo adhuc dexteram sacerdotis, quæ me mergat in fontem; D et inde iterum purificet! Hæc tecum loqueris; tu hæc tecum tractas, conscientiæ tuæ onere prægravatus! Sed quæ sunt hæc verba tua, O homo, cognosce te esse imaginem Dei. Sapientem te fecit Deus, providum animo, mente mysticum, sensibus sublimem, et vult te non perdere sed salvare; non perimere, sed protegere: quare tu desperas, quando ille non despicit? Conscientiam tuam formidas, et ad caput indulgentiæ non festinas? Quid putas esse fontem qui concepit, aut quid æstimas esse undam aquæ quæ te peperit? Nunquid aqua est media, aut unda in causa? Absit! sed disce mysterium. Prudentia tua fons, et in te intellectus tuus aqua est inundans, habens aspectum cordis, ut videas temetipsum. Accepisti mentem altiora petentem; sta in altitudine mentis tuæ quasi imago Dei, et de speculo hoc deifici operis profunda rimaberis. Habes arbitrium et sensum de Deo concessum. Delibera apud te, cum sis imago Dei, quomodo non possis exstingui. Si est in te prudentia, si habes consilium, et proprium mentis arbitrium, Deus in te est. Ipse tibi erit pœnitentia, et fons et baptisma, et remissio, qui nunquam in te nec desinit nec deficit. Quid ambiguus æstuas: quid resolveris animo, et inter inepta tædia conscientiæ tuæ fatigatus torpescis? Peccasti post fontem, lapsus es post baptisma, fecisti crimen post indulgentiam generalem: quid nunc? perit jam spes? nunquid intercepta est retributio? Non est ita homo! Quid circumduceris? signum accepisti de fonte, non desperationis sed miserationis, non defectionis sed remissionis, non ut unquam desperes. Signum acceperunt Judæi: quale? circumcisionis. Signum acceperunt et Christiani: quale? miserationis. Ecce signum in Judæis: circumcisio carnis; in Christianis circumcisio cordis. Sed satis hæc illa præstantior. In illa sanguis incisionis, in hac aqua remissionis. Ibi plaga carnis, hic palma pietatis. Ibi observantia rigida, hic indulgentia regia. Et hoc utrumque signaculum Christus pendens in patibulo prænotavit, quando de vulnere suo et aquam eduxit et sanguinem (*Joan.* x). Ut sanguinis signaculum daret Judæis, aquæ vero indicium gentibus Christianis. Signum ergo tu accepisti de fonte, non Judaicum sed evangelicum. Ex illa die illaque hora qua egressus es de lavacro, ipse tibi es fons jugis et diuturna remissio. Non opus habes doctore, non dextra sacerdotis. Mox ut ascendisti de sacro fonte, vestitus es veste alba, et unctus es unguento mystico: facta est super te invocatio, et venit super te trina virtus, quæ vas novum hac nova perfudit doctrina. Exinde te ipsum statuit tibi judicem et arbitrium; deditque tibi notitiam ut possis ex te discere bonum et malum; id est inter meritum et peccatum. Et quia non poteras, manens in membris corporisque compage, liber existere a peccato, immunisque esse a noxa, post baptisma remedium tuum in te ipso statuit, remissionem in arbitrio tuo posuit, ut non quæras sacerdotem cum necessitas flagitaverit; sed ipse jam, ac si scitus perspicuusque magister, errorem tuum intra te emendes, et peccatum tuum pœnitudine abluas. Itaque desinat duritia, cesset desperatio, desinat ignavia, fons nunquam deficit, aqua intus est, ablutio in arbitrio est, sanctificatio in solertia est, remissio in rore lacrymarum. Nolite solvere in segnitiam: fons est in homine conservatus perpetua pœnitudo. Ibi est pœnitentia ad vocem Baptistæ, qui sic vociferatur in eremo, et penetrabili clamore desertas hominum mentes exaggerat dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III).

Nemo potest superni imperii habere apicem, habere fastigium, nisi fuerit pœnitentiæ suffragio fultus. Ad regni superni penetrabilia non pervenit quis-

quam, nisi egerit pœnitentiam. Repetit adhuc Baptista: *Ego* (inquit) *baptizo vos aqua in pœnitentiam, sed alter est post me veniens, qui vos baptizabit in Spiritu sancto et igni*. Noli tu jam quærere neque Joannem, neque Jordanem: ipse tibi esto Baptista. Pollutus es post lavacrum, vitiata sunt viscera tua, contaminata est anima? tinge te in aqua pœnitentiæ, ablue te abundantia lacrymarum, exuberet fons compunctionis in extis tuis: exundent aquæ vivæ in fibriis tuis. Para te venienti Domino, et ipse te baptizabit in Spiritu sancto et igni, *habens ventilabrum in manu sua* (*Ibid.*): quod est inspectio vel ponderatio pœnitudinis ac peccati. Ipse perpendit in te utrumque pondus, ipse inspicit in te molem et molem: unam pœnitentiæ, et unam pestilentiæ. Et pœnitentiæ quidem fructus, ac si triticum, congerit in tuum profectum; peccata vero tua, quasi pestilentiæ paleas, comburit igni inexstinguibili (*Luc.* II). Hæc est privata remissio, intimo corde provocata, et pœnitudine acquisita. Multa sunt repetenda, plurima replicanda. Genus hominum fragile est, et lubrico semper gressu incedit. Natura corporalis obnoxia est rebus contrariis: passionibus etenim diversis ac vitiis subjacet: nec tantum de propria puritate, quantum de divina pietate dirigitur. Et, si hodie quis confidat de merito, de robore animi, de vigore viscerum, crastino fallitur ac decipitur. Sic enim protestatur Apostolus dicens: *et qui se putat stare, videat ne cadat* (*I Cor.* III). Carcer est vero qui animæ fortitudinem premit et claritatem contaminat. Laqueus est semper imminens jugiterque insidians; laqueus est pestifero lapsu protensus in via. Et inde est quod clamat propheta: *In via hac qua ambulabam, occultaverant laqueum mihi* (*Psal.* XXXIX). Et iterum: *Juxta semitam, scandalum posuerunt mihi* (*Psal.* CXXXIX). Implicatur plerumque anima in hoc corporeo laqueo, et si velit, et si nolit, nec liberatur sponte, priusquam divino suffragio per pœnitudinem supplicans, ut ait iterum propheta: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captione dentibus eorum: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, adjuvante Domino, et nos liberati sumus* (*Psal.* CXXIII). In laqueo hærebat anima: erepta est non suis viribus, sed divino præsidio. Et quis est iste laqueus, nisi caro quæ animam in proposito suo bene currentem vexat semper, carpit jugiter, capit frequenter? est enim unus stimulus per membra insidians. Dico, quomodo in oculis est laqueus gravis. An non cognovisti quemadmodum anima (non dicam, sæpe, sed semper) captivatur in aspectu? Unde avaritia insidiatur, unde libido incenditur, nisi de corporali aspectu? Vidisti laqueum fortem! nec immerito scriptum est: *Nequius oculo quid est factum in homine* (*Eccl.* XXXI)? Et iterum: *Intrabit mors per fenestras* (*Jer.* IX). Et lingua tua laqueus est insanabilis; spargit enim venenum maledictionis, blasphemiæ, susurrationis, detractionis; et non solum corda, sed etiam exulcerat animam. Et inde est quod obsecrat ille præsul pœnitentiæ dicens: *Pone, Domine custodiam*

A *ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis*. Nec minus interserit alter: *quis dabit cogitationi meæ flagellum, aut quis imponet super labia mea signaculum?* certe ut tunc loquar quando non est tacendum, et quod prompserit lingua non mordeat, sed nutriat animam; sonabit vox adversa in auribus, et homo interior stimulatur in ira, concitatur in cæde. Vides quia et in auribus laqueus permanet? et inde illa Scripturæ commonitio sonat: *Sepi aures tuas spinis; noli audire linguam nequam* (*Eccl.* XXVIII). Laqueus est in manibus: ut dictum est: Iniquitatem manus vestræ concinnant. Et iterum: *Utquid mihi jejunastis quando subditos vobis compungitis, et percutitis pugnis humilem* (*Isai.* LVIII)? Quid dicam de noxio pedum incessu, cursuque cruore infecto, ut est illud: *Veloces pedes*
B *eorum ad effundendum sanguinem* (*Psal.* XIII, *Rom.* III). Has namque insidias corporales, hos laqueos singulorum membrorum de corpore eruendos, sententiis suis decernit Salvator: *Si oculus tuus dexter, si manus tua vel pes scandalizat te* (*Matt.* V; *Marc.* IX): id est animam tuam divina desiderantem, cœlestia cogitantem, depravant. Si laqueis suis te implicant, aut fraude sua nituntur visus eruere: abscinde non manum aut pedem, sed pestilentiam tibi per hæc membra morbumque illatam. Quamobrem dictum est: *Si oculus tuus dexter te scandalizat, si manus dextera vel pes*: nisi quia omne quod bonum est dextrum dicitur, similiter malum appellatur sinistrum? Et est pars dextra, et est pars sinistra. Dextra suos retinet probatos; sinistra suos æque reprobatos. Ad
C dextros quid dicit Christus? *Venite, benedicti Patris mei, possidere regnum paratum vobis ab origine mundi* (*Matt.* XXIII). Quid ad sinistros? *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum*. Vides quanta distensio est in sinistro et dextro? quid igitur si oculus tuus dexter scandalizat? disce quid est quod quando committis peccatum, oculo tibi ministrante, dulce tibi et dextrum videtur. Et dextrum hoc tunc corrigitur in sinistrum, quando residente Domino et discutiente peccata cœperis inter multos alios et ipse audire: *discedite a me, maledicti*, peccatores injusti, *in ignem æternum*. Scandalizavit te oculus, subripuit, delinquis, per visum te implicavit? *erue eum*. Quid jubet eruere? oculum, an peccatum? Oculum suggerentem commissum. Nunquid oculus peccavit quia vidit; an
D magis animus deliquit quia concupivit? Cæterum si per cuncta peccata vel scandala non animi cupiditas reprimenda est, sed effodiendus est oculus quia vidit, nullus jam habiturus est oculos.

Non est quisquam (ut arbitror) cui oculi remanebunt, quia non est inter mortales qui non concupiscit, aut scandalizatur, aut peccat. Homo, inculpaveris oculum ad gratiam tibi concessum, cujus beneficio lumen vides? ornatus est capitis, speculum est membrorum, totiusque corporis fenestra gratissima! Noli hunc inculpare quia cernit, sed inculpa quæ cernit; sed inculpa tibi ipsi, quia concupisti! Erue, non oculum de capite, sed errorem de corde; evelle, non aspectum corporeum,

sed concupiscentiæ crimen: non est jussum oculum delere, sed crimen evellere. Dexter fuit oculus quando tibi obduxit scandalum: hoc est quod dicit quando te inquinavit et polluit. Sed erue cum contraria fortitudine. Noli te vulnerare cogitare, sed ad vincendum te præcinge. Esto armiger pœnitentiæ, et protinus evertes peccatum. Dulce fuit vitium cum delectavit animam; sed fiat tibi nunc dulcior pœnitudo, quæ non solum delectet, verum etiam nutriat animam. Concupisti malum, vicit te cupiditas, perpetrasti nefas! erit animus tuus dexter oculus, id est dulcedo peccati. Erue oculum istum, sinistro conspectu consertum, qui te non illuminat, sed contenebrat, et de dextro transfert te in sinistrum. Sed dicis: malum hoc quod asseris a me extirpandum, oculus iste nefandus, intus est! Non videtur in pectore, habetur in corde conscientiæ fixus, quali arte valebo eum eruere qui nec manu contingi potest, nec digito erui aut evelli? Vis ostendam tibi manum, et digitum, et artem qua possit evelli? Quando percussisti pugnis humilem, induxisti in te peccati oculum. quando porrexisti manum tuam ad sublevandum humilem, ad satiandum inopem, eruisti de corde tuo nequitiæ oculum qui te scandalizavit. Vides quali manu, digitoque et arte noxius ille evellitur oculus qui de dextro dirigit in sinistrum? Dulcia sunt vitia dum in actu sunt, sed sunt protinus amara post actum. *Mel*, inquit, *stillat ex labiis meretricis* (*Prov.* v), et hoc dulce. Ad tempus quidem ungit gulam, impinguat fauces, novissime vero convertitur in amaritudinem fellis; et quod fuit dulce ad tempus, fit amarum in fine. Festina igitur, et ne tardus existas ad corrigendum te de sinistro in dextrum. Cecidisti per oculum: contaminavit te aspectu suo? abluat te aqua sua. Induxit in te laqueum? eruat te de laqueo: habet enim in se magnum lacrymarum auxilium. Impulit te obscenis sordescere actibus, turpique mucrone caput abscidit, id est avaritia aut libidine? Age, tu, exerce te contra talem oculum; erige te contra aspectum tuum, agita cordis tui venas quæ tendunt ad oculum, et dic illi: Ocule, ad te recurro, tibi imputo! exue quod implicasti. Tu me vulnerasti, tu me sana; tu me polluisti, tu me purifica: ablue quod inquinasti, erige quod elisisti, corripe quod evertisti, absolve quod per scandalum obligasti. Tu vidisti, ego concupivi; tu inspexisti et ego peccavi. Vidisti aurum, vidisti possessiones aliorum et prædia: cæcavit ambitio. Cœpi velle quod meum non erat, cœpi auferre aut argumento invadere aliena. Tali me scandalo obcæcasti. Quid dicam de feminea specie, quantum intuendo eam collapsa est anima, effeminata sunt viscera, et quasi concupiscentiæ sagitta percussus de quodam præcipitio corrui? Da modo liquorem tuum, et dele peccatum meum. Irriga me imbribus tuis? irruant aquæ tuæ et obruant crimina mea. Hæc loquere cum oculo tuo qui te scandalizavit. Præterea percipe te in futurum judicium. Punge venam cordis tui pœnitentiæ stimulis, et de imo corde atque de intima mente educas aquam vivam in capite profluentem.

A Fiat caput tuum fons remissionis et fluvius indulgentiæ; et exinde non solum per dexterum oculum, sed et per sinistrum gemini rivi currant, fluantque tibi ambo oculi pariter, sanctitatis rorem ac indulgentiæ imbrem. Vult enim indulgentissimus cognitor, ut fletus purget quod visus polluit, et quod fœdavit cupiditas, reformet compunctio: ut eruas de corde pestiferum oculum plangens et ingemiscens et dolens sicut dolens Jeremias propheta, cum populum plangeret transmigratum, sic dicens: *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum* (*Jer.* IX)? Et ille quidem populum deploravit captivum: tu autem ingemisce pro anima quam cupiditas violavit, et oculus dexter fecit degenerem. Sic eruendus est oculus, sic abscindenda est manus, vel noxia B membra. Nam ubi avaritia, ibi manus dextra dentibus venenatis armata ut percutiat, ut affligat, ut auferat aliena. Ubi libido, ibi dexter oculus noxio aspectu armatus, qui modicum delectat et multum nocet. *Qui viderit* (inquit) *mulierem ad concupiscendum eam adulteravit eam in corde suo* (*Matth.* v). Vidit oculus, concupivit caro? peccavit anima. Flevit iterum oculus? abluta est caro, absoluta est anima. Avaritia infandum est vitium in hominibus: radix est una in præcordiis fixa ex qua pullulant omnia mala. Quid est avaritia? *Cupiditas radix omnium malorum* (*I Tim.* VI). De ista radice exsurgunt mendacia, oriuntur perjuria. Qui enim est aut distractor, aut emptor; qui lucri gratia habet de cupiditate tractatus, nonne plerumque pejerat, sæpe mentitur? sine hoc vitio negotiator aut C rarus aut nullus est. Et quid dico negotiatorem, impostorem usum commerciis? Videamus quæ res facit prædones, aut unde erumpunt proditores. Nonne de avaritia prædo fuit rex Achab, quando per factionem dolosæ mulieris, falsa sub proditione justum trucidavit ut vineam ejus violentus invaderet? Avarus fuit et Judas cum proderet Christum Judæis (*Matth.* XXVI), cum acciperet ab eis trigenta argenteos. Tolle avaritiam et non est discordia; aufer avaritiam, et solus amor regnat; desinat avaritia, et cessat ambitio. Tolle cupiditatem, et nemo dicit: hoc meum, aut hoc tuum. Fraus inde germinat, dolus inde consurgit, factio inde concinnatur: iræ quoque, insidiæque, homicidia, bella ipsa, sive publica, sive intestina, cupiditatis et avaritiæ fructus sunt; ut si quando vel D armis vel argumentis, alter alterum vel superaverit vel truncaverit, res ejus velut victor diripiat suamque avaritiam suppleat. Et hoc est quod Scriptura testatur Apostolus, dicens: *Radix omnium malorum avaritia* (*I Tim.* VI). Disce diligenter quid sit in homine. Duas habet in se duorum malorum fixas radices; quibus repugnando intra vexatur et carpitur. Et quæ sunt istæ radices? Una est avaritia, et una est luxuria. Avaritiæ radix ubi est? In cupidine mentis. Luxuria ubi est? In voluntate membrorum. Cupiditas namque mentis in avaritia inardescens armat manus pedesque, et facit in his forense peccatum, et crimen extra corpus: radix vere luxuriæ, quæ succis membrorum nutritur venarumque humoribus irrigatur, co-

git ipsa viscera in obscena cupiditate delinquere, et facere peccatum intestinum. Igitur est peccatum avaritiæ, et est peccatum luxuriæ in membris. Duo sunt in homine capitalia crimina : unum intus, et unum foris; unum in membris, et unum extra membra. Est peccatum luxuriæ in membris, et est peccatum avaritiæ extra membra. Et ut credas hoc ita esse quod dicitur, audi eumdem Apostolum prosequentem : *Omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est ; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* (*I Cor.* VI). Sed dicis: si pedes currunt ad prædam, si manus diripiunt, quomodo potest absque corpore esse peccatum? Non est quidem dubium quod omne peccatum membris ministrantibus perpetratur : sed aliud est per membrum committere, et aliud in membra delinquere. Per membra enim quod committitur, in hoc animus delectatur; carnis autem voluptas hoc nec sentit nec recipit. Et ideo dictum est : *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est ;* libidinis vero faces, ardentesque furias intra se continet caro, ex radice luxuriæ pullulantes. Dulcibus namque illecebris ad modicum excitatus vel expressus humor, trahit ad se ex imis viscerum venarumque medullis totius corporis voluptatem. Quod ubi Apostolus intentissime inspexit, absolute fixit sententiam dicens : *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Væ mihi ! quid acturus sum, homo fragilis! qua virtute valebo tantæ atrocitati resistere! duorum in me consistentium venena qua forte possum vitare? Si radix avaritiæ (multiformé crimen) exulcerat animam ; si radix luxuriæ ignitas ministrat libidinum faces, quibus viscerum medullas exurit, quid faciam? quæ virtus in me? aut quæ substantia mea? Vivunt in me duo serpentes pariter, avaritia et luxuria. Mordent semper, exulcerant jugiter, collidunt frequenter, et stare contra tales bestias propria virtute non possum. Si aquæ jam adminiculum non est, si Spiritus sanctus deest, *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* quis me eruet ab hac nequitiæ mole morsuque ferali? Homo, noli diffidere : res in promptu est, vita in manu est, virtus in voluntate est, victoria in arbitrio est. Si voluisti, vicisti; si nolueris, victus relinqueris. Qui vult vincere conatur ut vincat; qui desperat, amisit victoriam. Quid times cupiditatis crimen, vel avaritiæ facinus? Noli timere! Radix ista omnium malorum, id est avaritia, habet aquam propriam. Et aqua ista, quæ est, nisi eleemosyna? Non audisti quid scriptum est? *Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccata* (*Eccl.* XXIII). Magna hæc sententia, desinat querela, desinat dubitatio. Nam ubi eleemosyna, ibi aqua; et ubi aqua, ibi Spiritus; et ubi Spiritus, ibi remissio. Desinat desperatio : aqua, et ablutio, et remissio in eleemosyna largientis est. Ne differas abluere inquinatum corpus et animam fontibus eleemosynæ, ut redeas rursus in præmissi baptismatis formam : *Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccata.* Tanquam si ita et dictum esset : sicut aqua exstinguit ignem ardentem, sic eleemosyna discerpit avaritiam : funera hominum-

A que crimina vincula funesta disrumpit. Vidisti aquam eleemosynæ! Vis scire quod et luxuria et libido in aqua est? Peccatum corpus incestat, nunc aquam habet contrariam. Ubi? nonne in oculis? et merito de corpore. De oculis stillat aqua quæ totius corporis contractus dissolvit et abluit fœditatem. Nam sicut peccatum quod extra corpus est eleemosyna fulminat et exstinguit, sic vitium libidinis quod membra incestat lacrymarum ubertas exstirpat. Ergo peccatum quod extra corpus est proprium habet fontem eleemosynæ, et flagitium quod intra corpus committitur suum habet fontem ex oculis profluentem : ut scias tu quia eleemosyna flammas avaritiæ restinguit, et libidine fuscata viscera profusis iterum fletibus albent meritumque recepteat. Sed quandiu verba B innui? Accipe evangelica documenta ; accipe duos duorum criminum indices. Habes publicanum, habes et meretricem : publicanum in avaritia, meretricem in luxuria. Criminum præsules facti sunt divinæ misericordiæ indices : vis scire quomodo isti duo vicerunt, et criminosa contagia evaserunt? Salvatus est publicanus : qua manu? nonne per eleemosynam? Recepta est meretrix : quo præsidio? nonne per lacrymas? Sed causam replicemus. Agnitus, inquit, *Dominus Jesus perambulat in Jerico : et ecce vir nomine Zachæus* (*Luc.* XIX), homo peccator, avarus, *dives* ex rapinis, *et hic quærebat videre* Dominum Jesum, ut sciret qualis esset; nec poterat eum videre, turbarum obstirpatione seclusus; modicæ namque staturæ erat. Contigit invenire eum arborem C sycomorum; ascendit festinus, et vidit. Quid vidit? Salvatorem sæculi. Bene festinavit, optime ascendit; qu dum avidus cupit videre Salvatorem, salutem ipsam quam ignorabat invenit. Et quid dicam vidit? ante visus est quam videret. Transivit (inquit) Dominus Jesus, vidit illum, dixitque ei : *Zachæe, festina, descende, hodie namque in domo tua me manere oportet.* Domine, quid est hoc quod dicis? Nunquid non sunt fideles, quid ad talem hominem applicas? Publicanus est Zachæus : imo princeps publicanorum, peccator est et prædo; videre te voluit tantum : nunquid de sola visione jam debet salvari? Ascendit in arborem ut videret ; si autem necdum vidit actusque necdum ingemuit, nunquid confessus est maculam suam, aut flagitia replicavit? Nunquid flevit ante te, D aut fecit eleemosynam in peccatis suis? est adhuc homo profanus; et dicis illi : *Hodie in domo tua me manere oportet?* vix adhuc vel videre te meruit, et jam angulos ejus visitas hospitiumque amplecteris ! verum hoc officii tui est, et indulgentissimæ curæ; qui non venisti justos invitare, sed peccatores corrigere. Manes cum publicanis, manducas cum peccatoribus, jungeris cum injustis, ut hac societate quasi arte quadam eos convertas, et corrigas ad salutem. *Zachæe, descende*, inquit, *quia hodie apud te me manere oportet.* Et quid Zachæus? descendit confestim de arbore, jam verbo Domini emendatior. Aspectus enim emendavit prædonem; et solo sermone mutavit sensum ejus. Descendit, perniciter properavit,

exsultans paravit hospitium; suscepit vitæ præsulem, et factus est filius Abrahæ. Mansit apud illum Christus, inspiravit illi ignem secretorum, ignem fidei, Spiritus sancti occultum ardorem, ut amore Dei et calore fidei flagrans, talia verba depromeret: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Audisti quid dixit? Ecce dimidium bonorum meorum dispergo pauperibus. Tanquam si ita diceret: modo vidi, modo cognovi. Salvator, non ex me, sed ex te facta est correctio mea; persensi prædas meas, pensavi actus pestiferos quos in avaritia perpetravi. Oro, obsecro, adjuva me miserum et peccatorem! Ecce erogo quod abstuli; reficio indigentes quos læsi, ecce vestio quos nudavi; et si quid alicui fraude abstuli, in quadruplo reddam. Vidisti largitionem raptoris? instat adhuc dicendo: Adesto, Domine; ego in quadruplo reddo quæ inique abstuli. Tu cura criminosum, tu suscipe votum meum, et sana vulnera mea. Eruat eleemosyna, quæ obruit avaritia. Indignantur quidem, imputare conantur Domino cur ad peccatorem diverterit, et in domo publicani mansitare voluerit: sed quid Dominus ad eos? Nunquid vos ita? nolite sic de me sapere: an nescitis quoniam publicanorum sum et peccatorum salvator? Amen dico vobis quod hodie salus facta est domui Zachæi, quoniam et hic filius est Abrahæ. Salus illi facta est quoniam Salvatorem et vidit et cognovit, et recepit, et præceptum ejus implevit. Non audistis quid dixit? Dimidium substantiæ meæ do pauperibus, et si cui aliquid defraudavi, reddo quadruplo! Quid vos indignamini talem operarium? Tam mature conversum possum repellere, et non libenter recipere, et hunc despicere tam cito translatum de malo in bonum, de præda ad palmam? Non vidisti quia publicanus factus est indigentium præsul et homo forensis meruit esse filius Abrahæ? Non meministi *quia Filius hominis venit quærere quod erraverat, salvare quod perierat* (*Matt.* XVIII)? Aspicite, publicani; intueamini, peccatores; pertendite, avari, fures, atque raptores. Videte exemplum Zachæi: inspicite qualem invenit fontis venam aquarumque fluenta: quibus se per eleemosynam sponte perfudit, sordesque suas omnes in publica functione contractus distruxit. In Zachæo sententia illa absoluta processit: *Sicut aqua exstinguit ignem, eleemosyna purgat peccatum* (*Eccl.* III). Pusillus corpore, factus est præclarus opere; flagitiosus conceptus felix subito de eleemosyna nascitur. Modicus ascendit arborem ut videretur a Christo, et vulgaretur in mundo. Arbor optabilis, salubri medicamine plena, quæ in solo aspectu subvenit peccatori, et sanctificavit profanum. Non talis inventa est arbor ista qualis illa principalis de qua dictum est, *qua die manducaveritis ex ea, morte moriemini* (*Gen.* III). In illa serpens decepit simplices, in ista Salvator subvenit peccatori. Imitare et tu Zachæum, ascende in arborem animæ tuæ. Arbor est in te alta, fides tua, et specula excelsa. Sta in cacumine hujus arboris hujusque speculæ, ut valeas videre Deum Christumque transeuntem, sicut vidit

A Zachæus. Ille ascendit in arborem, quia non poterat videre præ turbis; te non turba hominum retinet, aut caterva excludit, sed habes inter vitiorum silvam et cogitationis catervas quæ mentem tuam obumbrant, et aspectum aporiant. Sed tu convelle de corde tuo silvam istam male umbrantem. Repelle noxias cogitationes, et conscientiæ strepitum. Relinque in animo tuo unam arborem limpidam fructiferam, crucis stigmata præferentem: in quam ascendens, videas et ipse Christum sicut vidit Zachæus, et dicat tibi: *Amen dico vobis quod salus hodie homini isti facta est, quoniam et hic filius est Abrahæ.* Compungere protinus in affectu verborum ejus, et concipe animo cum magna alacritate facere eleemosynam. Porrige modicum, et promerere multum. Eroga terrena, et exige sempiterna, sicut fecit Zachæus, qui

B dum terrenam dispergit substantiam, non solum congestam molem fontibus eleemosynæ diluit, sed et jam hæres regni cœlestis et filius Abrahæ esse promeruit. Vidisti elegantissimum documentum; vidisti Zachæum nefas avaritiæ eleemosynæ imbribus expiantem. O quam singulare salutis compendium, erogare pauperibus, et ablui de peccatis! Eleemosyna subito conversum hominem de peccatis, non solum purificavit, sed etiam coronavit et fecit de publicano paradisi civem. Si suppleta est ratio, si cumulata est de stipendiis pauperum remissionis mensura: et sufficit tibi exemplum publicani qui miserabiles actus transacti temporis per eleemosynam quasi per flumen in indulgentiam traxit atque mundavit, seque avaritiæ laqueo per erogationem eripuit.

C Accipe nunc aliud pietatis exemplum in muliere meretrice propositum, ut possis evadere luxuriæ crimen et fornicationis capturam. Retine quod præmisimus, quia duo sunt in homine capitalia crimina, avaritia et luxuria, et docuimus quod avaritiæ crimen calcaverit publicanus. Audistis enim quia erogavit esurientibus, et evasit; pavit pauperes, et meruit esse quod non erat. Nunc de luxuria erit sermo in meretrice memoratus. Mulier, a te exigimus quod multis prosit. Meretrix, da nobis exemplum, ut sciamus quomodo stuprata membra tua non sunt a Deo despecta, sed magis recepta. Dic nobis, criminosa, qualenus effecta es casta! noli tacere, publicana, sed prode nobis beneficium Christi, et doce nos quo genere facta es de meretrice virgo.

D Audite causam, discite curam, quia princeps misericordiæ mirabilia fecit. Accepit meretricem, purgavit publicanum, clarificavit corruptam. Pharisæus quidam nomine Simon Christum rogavit in domum suam; et paravit illi convivium, ut ederet apud illum. Ingressus, inquit, Dominus, dignanter discubuit. Et hoc quoque miranda humanitas, ut Deus in domo Pharisæi et discumberet et ederet! Apud Zachæum mansit, apud Pharisæum manducavit. Et hoc quare, nisi quia publicanorum erat et amicus et salvator? Sed discumbente illo, etiam edente in domo Pharisæi, quid factum est? Ecce mulier peccatrix quæ erat in illa civitate, ubi cognovit quia intravit

Christus, et recubuit in domo Pharisæi, subito quasi meretrix audax intravit in domum, et attritam publicis aspectibus frontem obtulit Salvatori. Audacter intravit; non jam meretrix, sed modesta; non libidinem expletura, sed lucem visura. Intravit non ad libidinis formam, sed ad indulgentiæ fontem. Intravit non ubi jam ultra sordesceret, sed ubi contractas deponeret sordes et stuprata viscera Domino miserante purgaret. Supergressa est a vita nec respexit ad Pharisæum, sed recto limite direxit ad fontem, pudore privata et pœnitudine armata. Et quid fecit? contulit se ad pedes Christi in toto recumbentis: stetit anxia; curatoque corpore, pedes Domini tenet rea, et remedium elicit. Utitur, animo loquitur, tacet et gemit silenter; instat importune, pœnitudine stimulata; subrigit ad cœlum animum, aspectumque defigit in terra. Illum solum videt quem tenet, illi pandit peccatum suum, illi peccata detegit, et criminosam reserat conscientiam. Cor suum supra pedes ejus mistum cum fletibus fundit. Capillis etiam mollibus lacrymis perfusos pedes quasi linteo quodam detergit. Nec solum lacrymis abluere satis est et crinibus tergere, insuper de alabastro quod in manu tenebat ungento perfudit; ut pedes quos rigaverat, unguento liniret. Atque in his tribus speciebus, immunda mulier, in lacrymis et capillis et unguento, quasi fontem baptismi sui de pedibus Christi extraxit. Nam in fonte baptismi quid aliud est quam aquam, et chrisma, et vestis alba? Huic mulieri pro aqua fletus fuit, pro chrismate unguentum, pro veste capilli. O mulier peccatrix, multa adinventio tua! Quis tibi monstravit talem, aut invenire aut proponere artem, ut congesta in te crimina momentaneis lacrymis vinceres, crinibus raderes, unguento stirpares? Quid ergo? *Intravit*, inquit, *mulier peccatrix, cum alabastro unguenti, stetit juxta pedes Christi.* Et quid Salvator? Nunquid ignorabat eam? nunquid nesciebat quod esset publicana? hoc nefas est dicere. Verum ubi vidit compunctam, jam non repulit quasi publicanam aut sprevit importunam; sed recepit dolentem, et amplectitur pœnitentem. Non ei imputavit ut erat imputandum. Non ei dixit Dominus: Meretrix, adultera, fornicaria, fluida, tu venis ad me, tu proximasti, tu ausa es pedes meos manibus pollutis contingere? non vides massam malorum tuorum? calent adhuc in te crimina, membra tua fervorem libidinis spirant, corpus tuum criminosis maculis plenum est! Animam ipsam intus contaminationis tuæ funesta sarcina premit; et tu tantis sceleribus depravata, ausa es venire ad me? Non illi sic Christus nec imputavit, nec dixit. Qui etsi dixisset, illa talis mulier parata erat sine dubio contraria respondere. Si dixisset illi Christus: Immunda mulier, fœdissima, contaminata, cessa, a me discede, nullam habeo cum meretricibus causam; habuit illa respondere, ut hoc illi opponeret: Domine rex cœlestis, Redemptor mundi, quæ sunt hæc? quid descendisti de cœlo propter justos tantum? Et quanti sunt justi? sic peccatores repudias? Ubi populus

A tuus, aut quos medicus venisti curare, nunquid sanos? Absit! sanis non est opus medicus, sed meretricibus opus est medicina. Publicani te pulsant, ut curam accipiant: peccatoribus venisti porrigere manum, elisos erigere, cæcis reddere visum. Medice, non me repellas vulneratam, et si me repellis, ego non recedo, sed jure meam de te exigo sanitatem, quia sanare venisti saucios, non repellere. Teneo pedes tuos, nec ante discedo quam percepero curam. Omnipotens, suscipe importunam, et noli despicere pulsantem meretricem. Ecce pretium tibi offero pro redemptione mea: porrige ad me aspectum tuum. Et quid est quod offero? Indigens sum, inops sum, nihil habeo in substantia præter lacrymas, et hoc satis tibi est. Scio ego quod grata sit ista oblatio.

B Non quæris pecuniam, sed exigis pœnitentiam: nec libamina tantum quæris, quantum lacrymis delectaris. Sacrificium tibi est cor contribulatum, et spiritus compunctus. Suscipe itaque pretium pœnitentiæ meæ, et da mihi præmium indulgentiæ tuæ. Pastor bone, dic mihi, quæso, nunquid non sum de ovibus tuis? Sed erravi de grege, et facta sum sicut ovis perdita: quære ancillam tuam, et fac me de meretrice pudicam! Noli me despicere, non sum sola, multas habeo compares, et quam maxima pars ovium tuarum in me est. Pastor excelse, quære oves dispersas et scabie contractas. Collige eas in unum, et imple ovile tuum. Tu namque dixisti: *Habeo et alias oves quæ non sunt ex hoc ovili; has oportet me aggregare ut fiat unus grex et unus pastor.* Quæ sunt istæ

C oves quæ non sunt de mandra tua? nunquid non meretrices et publicani? nunquid peccatores, adulteri, et injusti? Cæterum si hos repudiaveris vel excluseris, qui remanebunt qui impleant ovile tuum? Prophetæ et apostoli, martyres, virgines et continentes? Quanti sunt ad integrum populum! Si igitur præscribitur peccatoribus, pauci intus, et multi foris erunt. Sed quoniam redemptor es generalis, et pastor communis, qui venisti non perdere sed salvare, collige et scabie corruptas oves, et dispersas reduc ad caulas cœlestes. Fac de omnibus unum gregem et esto omnibus unus (sicut promisisti) et Salvator et Pastor. Obsecro te ego mulier ut indigna, et tacita intra me prece deposco, sciens te esse errantium

D medicum. Dolorem meum verbis ingemino, et actionem meam secretis singultibus premo. Esto mihi advocatus: suscipe causam meam, et solve compedes meos. Multum est quod merui tangere pedes tuos. Ego fletibus pœnitentiæ perfundo pedes tuos. Tu lumen indulgentiæ, dele crimina mea. Tango te, Salvator, ego immunda mulier, et osculor pedes tuos: non ut inquinem quod tango, sed ut abluar ab eo quem tango. O meretrix, magna est fides tua, mira conversatio, clara confessio! Non te jam dicimus meretricem, sed omnium meretricantium medicam: de te enim capiunt multi recuperationis exemplum. Sed cœpti capituli ordinem replicem. Pharisæus interea qui rogaverat Dominum, ubi vidit velut indignam mulierem, ait intra se: *Hic si esset prophe-*

ta, non sineret hanc mulierem tangere se, cujus sciret infamiam. Illo sic intra se perpendente et prosperum actum obscurare nitente, cogitatum ejus comprehendit Dominus, et detexit : *Simon*, inquit, *habeo tibi aliquid dicere. At ille respondit : Magister, dic. Fœnerator aliquis duos habebat debitores; unus debebat quingentos denarios, alter quinquaginta : isti dum non haberent unde redderent, dimisit utrique. Dic, quæso, quis de istis duobus diligere plus debuit? respondit Simon, et dixit : Quantum ego æstimo, ille cui plus donavit. Dixit ei Dominus: recte judicasti.* Simon hospes Pharisæe, collige ad te parabolam istam; nescis quia propter te illam protuli? cur indignaris, cur venenum versas in pectore tuo? cur contra factum bonum subrigis caput serpentis? Indignum judicas me suscipere mulierem fornicariam lacrymarum fontibus inundantem : sed facis hoc quasi incredulus Pharisæus, dum non vis me esse aut credere Deum! Amice, fecisti rem bonam; parasti mihi convivium, et prandium exhibuisti : sed quid ad istam mulierem? Anima ejus plus est quam tua humanitas, amor ejus vicit tuum convivium. Non vidisti quid fecit? *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti : hæc autem lacrymis rigavit pedes meos. Osculum mihi non dedisti : hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo non unxisti caput meum; hæc pedes meos unguento perfudit : propter quod dico tibi, remissa sunt illi infinita.* Pharisæe, ex malo fermento indignaris. Angit te quod salvaverim peccatricem, et a peccatis absolverim : et quid hoc ad te? Mala intentio tua; nunquid non licet mihi facere in meis quod volo? *an oculus tuus nequam est quia ego bonus sum* (*Matt.* xx)? Sed, si tibi placet, collige ad te parabolam meam; aperi oculos tuos et vide. Tu fecisti convivium, et meretrix coronata est. Quare? quia multum dilexit, multum ploravit, multum pœnituit. Plus valuit apud me fletus meretricis quam tua fercula. Et inde duplo tibi prælata est fornicatrix; quando tu quinquaginta, illa quingentis compensata est nummis. Nec immerito de vobis prædictum est, *Quia meretrices et publicani præcedent vos in regno Dei. Et conversus Dominus Jesus dixit ad mulierem : Fides tua te salvam fecit, vade in pace* (*Matt.* xxi). Ecce quomodo patuerunt proposita in duobus exemplis. Ecce quomodo crimina contrariis collisa sunt armis. Avaritiæ tela retrudit eleemosyna; luxuriæ crimina lacrymæ restrinxerunt. Feneravit publicanus, et factus est justus; flevit fornicaria, et facta est sancta. Quid tu ad hæc, libidinose, provocatus exemplis desperas? Forte dum duplices tibi ipsi; desine desperare, et disce quid agas.

Quando vis orare pro luxuria quæ est in te, aut erogare aliquid pro peccatis, scio quia resistit tibi conscientia tua et revolvit tibi infinitum numerum peccatorum. Obstrepit tibi silenter, dicens : Quid est quod oras, aut quid est quod erogas? Clades est intra te; scelerum te cumulus urget : et quanta est obsecratio tua, vel erogatio? Quando sic objurgat conscientia tua, tu noli terreri; sed oppone illi pu- A blicanum, objice meretricem, et dic : Cessa, conscientia; noli mihi obstrepere, noli obsistere. Est accessus ad Deum, et locus remeandi ad Christum.

Impius fuit publicanus, sed non desperavit : feneravit publicanus, et factus est intimus; flevit meretrix, et facta est felix. Ut quid me corripis, conscientia? Ut quid me confundis, et depravare contendis? Si Deus recipit, quis est qui rejicit? si Deus justificat, quis est qui condemnat? Christiane quid, tardas : publicanum vides antequam adhuc pœniteret receptum, et ambigis : quid metuis? Vitio libidinis quo corpus polluitur et membra maculantur, si toto animo gemueris, absolveris.

Homo, si cor tuum vides, vides uno momento per solas lacrymas ablutum, et dubitas? Sed dicis : Ecce B compunctus oravi, aut flevi pro his quæ male gessi; aliquatenus merui a Domino indulgentia absolvi; post hoc, ut est ipsa conditio, si rursus peccavero, quid facturus sum? Nunquid iterum flere debeo, aut indulgentiam flagitare? aut nunquid est adhuc repetere remedium? Respondeo tibi : si quidem radix peccati in membris tuis aresceret, vel ab animis tuis discederet, recte hoc diceres. Si enim stimulus carnis quiesceret, securus esses nec peccatum faceres, nec pœnitentiam quæreres; sed semper quasi angelus illibatus incederes. Quod si te naturalis concupiscentia urget et pungit libido, quid facturus es fragilis? Vinceris subinde, flecteris frequenter et facis aliquid quod Deus non vult.

Facis illud quod forte tu ipse horrescis, ut ait C Apostolus : *Non quod volo ago, sed quod odi hoc facio* (*Rom.* vii, 15). Quid nunc? ecce orasti, et annuit Dominus. Adjuvit pius, indulsit misericors, evasisti peccatum. Sed qui jam absolutus est a stimulo carnis, ecce iterum cogit conditio cadere post veniam impetratam, delinquere post indulgentiam, et post lacrymas iterum lapsus incurrere.

In hoc plane jam magnum intervenit odium, et inestimabilis difficultas. Conari quidem debes toto animo, et pugnare pertinaciter contra carnis stimulos et concupiscentiam cordis, ut vincas et non pecces. Sed si forte contra votum tuum conditio carnis vicerit, et cupiditas straverit in peccatum, quid facturus es? debes jam despicere aut desperare salutem? Noli sic cogitare : surge iterum, homo, surge; noli D timere, noli jacere. Est qui recipiat et qui te non despiciat, si surgis.

Mox ut surgis, mox ut te erigis, jam non errorem tuum Deus, sed animum respicit; nec peccatum computat, sed pœnitentiam pensat. Odit plane si te viderit negligentem, aut resolutum, aut pigrum, si te viderit non laborantem in pœnitudine, sed remanentem in crimine. Talis namque est Deus erga homines. Odit peccantem, amplectitur pœnitentem. Ergo cecidisti? noli diffidere aut differre, sed surge. Si per singulos dies erraveris, per singulos dies convertere, et emenda : hoc est enim quod a te exspectat et exigit Deus. Aut non audisti quomodo ejus vox resonat per Jeremiam prophetam? *Nunquid qui cadit*

non resurget? aut qui adversus est non revertetur? Hoc non de uno casu dicit, sed totius temporis lapsus testatur. Si enim contigerit sæpe cadere, plerumque delinquere, clamat ille semper et dicit: Surge, homo. Quid dicit? *Nunquid qui cadit non resurget?* Surge, peccator, et converte ad me, quia nolo mortem peccatoris. Quantum et quoties peccaverit, convertat se a via sua maligna, et vivet. Hoc ita dicit, ut non tu per multas ruinas ac si despectus, ac si desperatus deficias, sed subrigas te sollicitior, ac per singulos lapsus stes contra peccatum. Opponas illi lacrymas, objicias eleemosynam, interseras orationis excubias, ut pondus peccati, pœnitudinis pondere obruas et evertas. Sic persistentem nunquam deserit divina clementia. In isto agone positus homo non per latam incedit viam, sed angusto itinere pergit. Latam plane tenet viam qui non vult resurgere de ruinis: angustam conficit semitam qui, quoties peccaverit, redarmatur, et plangit, et tenet semper pœnitentiam in via angusta quæ ducit ad vitam, huic dicitur sine dubio: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

HOMILIA II.

De eleemosyna.

Fratres charissimi, omnis Scriptura divinitus inspirata et salubriter ordinata (ut ait Apostolus [*I Tim.* III]), utilis est ad audiendum, apta ad instruendum, necessaria ad retinendum, suavis ad perfruendum. Sed inter multa utilia et salutaria præcepta quæ scripta sunt in divinis paginis, nulla est alia tam efficax, tam valida et velox nostrorum vulnerum medicina, quam præceptum eleemosynæ. Siquidem eleemosyna non solum peccata purgat, et vulnera conscientiæ curat, sed etiam animam ipsam de morte revocat, regnorumque cœlestium facit esse consortem. Hujus præceptionis vel operis auctor est justissimus Tobias, cæcus corpore, et clarus opere; tentatus ad tempus, et non mortificatus; temporali aspectu paulisper privatus, et perpetuo bonorum operum lumine plenus. His talibus monitis filium perstruebat: *Fili, de substantia tua fac eleemosynam, et ne avertas faciem tuam ab omni paupere, sic fiet ut a te non avertatur facies Dei* (*Tob.* IV). Tulit etiam scrupulum de animo trepide vel dubie largientis, ut sive de multo, sive de modico, quispiam largiri non desinat: *Fili, secundum quod tibi est facito: si largior est substantia, largius eroga; si modica, porrige modicum.* Et noli dubitare dum erogas, noli diffidere, dicens: ne forte non sufficiat nobis; sed esto lætus dum erogas, quia hilarem datorem diligit Deus. *Præmium bonum thesaurizas tibi*, quod de te subrigat *in die necessitatis; quoniam eleemosyna de morte liberat, et non permittit intrare in tenebras*: præmium est vitæ perpetuæ. Probasti eleemosynæ efficaciam, vidisti fidum ac singulare solatium. Hæc namque si fuerit fideliter impertita, non solum peccatum evertit, sed etiam mortem exstinguit. Quam validus est ignis quando ardet! et tamen validior est adhuc aqua quæ ignem exstinguit. Quid igitur peccatum? ignis A habet vigorem; eleemosyna aquæ habet liquorem. Sic comparatum est. Stat materia contra materiam, stat aqua contra ignem, stat eleemosyna contra peccatum. Audistis quid scriptum est? *Sicut ignem ardentem exstinguit aqua, sic eleemosyna exstinguit peccata* (*Eccl.* III). Homines cum simus in lubrica natura plerumque peccantes, non cesset anima justitiæ aqua exuberans. *Radix omnium malorum*, quid est? *Avaritia* (*I Tim.* IX). Radix omnium bonorum quid est? Eleemosyna. Et qui nunc vulneratus es per avaritiam, cura te per eleemosynam. Mortuus es per avaritiam? vivifica te per eleemosynam. Exulcerata est peccatis anima tua? unge eam pietatis ac justitiæ opere. Audisti commonitionem justi? *Eleemosyna de morte liberat, et non permittit intrare in tenebras* (*Tob.* XII). B Implicavit te cupiditas, habes multa piacula? Jaces avaritia præditus, depravatus luxuria? derogasti, blasphemasti, quia plurimis sæpe mentitus es, plerumque pejerasti? his nequitiæ partibus, aliisque similibus obruta est mens, convulsa est conscientia? quid modo? Nunquid desperandum est inter hæc? Non sic jubet Dominus. Sed quid præcipit? *Facite*, inquit, *eleemosynam, et fiunt in vobis omnia munda* (*Luc.* X). Noli temetipsum in talibus desperare; sed *declina a malo, et* accelera facere *bonum* (*Psal.* XXXVI). Deus te non despicit; et tu desperas? Errasti in avaritia? emenda te in eleemosyna. Polluit te immunditia? purificet justitia. Si enim ex animo erogaveris, non solum mundaberis peccato, sed etiam laudat te propheta justitiamque tuam prædicat, di- C cens: *Jucundus homo qui miseretur et fenerat; hic enim in sæculo non commovebitur.* Quare? quia *dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria* (*Psal.* CXI). Si sic sapit homo peccator, et intelligit sollicitus pro se; si alit indigentes et adjuvat miseros, addit illi propheta ampliorem laudem, dicens: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus* (*Psal.* XL). Nec liberat tantum, sed liberatum conservat, vivificat ac beatificat. Si justum invenerit eleemosyna, cumulat eum meritis; si peccatorem, absolvit a peccatis; si ægrotum, sublevat a doloribus. *Dominus* (inquit) *adjuvet eum super lectum doloris ejus* (*Ibid*). Quem? illum scilicet *qui intelligit super egenum et pauperem.* Hæc quæ diximus Davi- D dica sunt. Ecce Salomonis adhuc validiora solatia; quæ misericordiæ medicina fovent ægrotantes, fulciunt titubantes. *Conclude* (inquit) *eleemosynam in ore pauperum, et ipsa exorabit pro te in die malo* (*Eccl.* XXIX). Quid est hoc quod dicit? fiat apertum. Habes multarum offensionum et peccatorum congestam molem. Quam cum solus non potes ab animis tuis depellere, noli tædiari, adest auxilium. Si vis, prope sunt adjutores. Aperi oculos tuos, et respice in pauperes, ipsi enim sunt in tali opere adjutores. Eroga quantum valuerit manus tua: conclude eleemosynam in sinu pauperum, et ipsa te eruet. Fac eleemosynam, moles illa criminum quam timebas, momento minuitur et a conscientia labitur. Studiosus

agricola vicinos suos ad opus plerumque invitat, ut agris suis vineis tempore opportuno adhibeat competentem culturam : ne si neglexerit, dum solus non evincit aut prævalet, aut ager spinis sordescat, aut vinea sarmentis silvescat. Ille adjutores sibi adjungit operarios, et multiplicat in terrena cultura, et tu agrum cordis tui vineamque animi, dum solus colere vis, relinquis desertam? Homo, adverte quod dicitur. Spiritalis est ista, non carnalis cultura. De eleemosyna conduc operarios. Quos? cæcos, claudos, debiles, et alios his similes. Hi sunt operarii parva mercede conducti; qui purgant agrum cordis tui, et renovant vineam, ut flant in te (per culturam eleemosynæ) et ager frugifer, et fructifera vinea. Conclude eleemosynam in ore pauperum, etc. Dies malus vel malorum quis est, nisi dies judicii, dies terribilis futuri examinis. Provide tibi, homo; compone vineas tuas, colloca te hic in ore pauperum. Conclude eleemosynam tuam in esurientium victu, ut dies ille tremendus non tibi in metu veniat, sed in voto. Ille namque dies properat qui strictis hominibus amarus emergit, misericordibus vero optabilis est et affabilis. Conclude eleemosynam in ore pauperum, et ipsa exorabit pro te in die malorum. Tu taces, et eleemosyna quam fecisti deprecatur pro te. Quod in silentio fecisti, in ore pauperum publicatur. Bonum quod latenter fecisti, in lingua indigentium prædicatur. Remissio delictorum tuorum in ore eorum resultat. Conclude eleemosynam in ore pauperum, et ipsa pro te mitigat iram Dei. Mitigat iram, dum abluit crimina; os pauperum corrigitur tibi in baptisma, et venter esurientium satiatus indulgentiæ tibi aquam exundat. Parum est quod eis impartitur, et multum est quod ab eis nascitur. Hortatur ipse Dominus per prophetam : *Frange esurienti panem tuum* (*Isai.* LVIII). Quid pro hoc recepturus? accipe evangelicam sponsionem : *Venite, benedicti Patris mei; possidete regnum paratum vobis ab origine mundi* (*Matth.* XXV). Quare? non quia superbi aut divites fuistis, aut potentes in mundo prædiis ; sed quia *esurivi, et dedistis mihi manducare.* O commutatio! Panem dedisti esurienti, et percepisti regnum. Quantam pecuniam profundit homo in hoc mundo, ut aut mancipia aut prædam comparet! Regnum supernum tibi vendit Christus tam vilissimo pretio, et comparare dissimulas! Noli diffidere : frange esurienti panem tuum, nutri indigentem, vesti nudum, fove peregrinum, et posside regnum, non terrenum, sed supernum. Clamat Pater de præcedente volumine : *Frange esurienti panem tuum :* respondet et Filius de evangelica pagina, *esurivi, et dedisti mihi manducare.* Concordat sibi uterque sonus. Quod Pater anticipavit in prophetis, hoc Filius in sua persona susceptum implevit. Factus est pauper, ut tam pauperes foveret quam divites commoveret. Factus est pauper, ut culpas divitum in pauperibus emendaret, et vitia eorum in eleemosynis expiaret. Ob hoc dicet : *Esurivi, et dedistis mihi manducare;* et quia me refecistis, recipite e contrario regnum. Quale regnum? In regno justo quod Christus donat, quod est paradisus. Et in paradiso quid est? Lignum vitæ. Et in ligno vitæ quid? Manna absconditum. Hoc ipse Dominus in alia scriptura promittit : *Vincenti dabo lignum vitæ, et manna absconditum quod est in paradiso Dei* (*Apoc.* II). Qui sunt autem victuri, quam illi quibus dixit : *Venite, benedicti Patris mei; possidete regnum paratum vobis ab origine mundi : esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; nudus fui, et dedistis mihi indumentum?* Ecce palma et præmia. Pro pane modico quem dedisti, accepisti manna absconditum : potum porrexisti, et paradisum recepisti. *Si ergo videris esurientem, frange illi panem tuum* (*Isai.* LVI); si videris nudum, da illi vestimentum ; et hoc cum feceris, non donas, sed debitum solvis. Quid jubet Dominus? *Si videris* (inquit) nudum, vesti, et hoc tu cum fenore facis. Qui jubet te hoc facere, tibi vult mederi, et vicem tibi rependit ille qui utrumque rependit. Videt enim ille in paupere quidem corporis nuditatem, in te autem animi fœditatem. Ergo si videris nudum, vesti. Et quando illum texeris, ornasti animam tuam, peccato spoliante nudatam. Tu illum texisti corporea tunica, ille de te expulit fœditatem. Mox veste tua cum texeris viscera indigentium, reformat ille in te baptismatis vestem, et retexit tunicam quam acceperas ex aqua et spiritu. Non enim potest homo munera lavacri illibata servare, nec purus semper persistere, noxia sibi incumbente natura. Verum cum sæpissime lubricus incedat, et offensas incurrat, opera faciunt indulgentiam, pœnitentia reformat puritatem, oratio præstat abolere remissionis fontem. Lacrymæ abluunt fuscam tunicam; eleemosyna reddit candorem. Hæc exercens erit tibi intra te quotidiana oblatio, quotidiana remissio. Ille est fons refrigerii; ille est remissio tuorum criminum, qui dixit tibi : *Esurivi, et dedistis mihi manducare; nudus fui, et dedistis mihi indumentum.* Noli tu intendere mendicum aut peregrinum, captivum aut nudum; sed Christum, qui in his loquitur, contemplare. An non audisti quid ait : Quandiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis? Sed dicis : Christus Dei Filius qui in pauperibus pascitur, cur non magis ipse opulentat inopes, exaltat humiles, erigit indigentes, cum ipse sit omnium provisor et largitor? Qui hoc opponit, audiat e diverso. Forte æstimas, homo, esse illi aliquid impossibile? Non æstimes, homo; sed audi quid est. Si enim omnes homines fecisset æquales, ubi erat fidei exercitium, ubi experimentum virtutis? Si fecisset omnes divites, omnes licenter delinquentes. Et si ita esset, unde veniret remedium, aut unde maneret remissio? unde erat indulgentia exspectanda? Providentia ergo divina aperuit nobis peccantibus medicinæ armarium, ut faceret (sicut scriptum est) et divites et pauperes, et humiles et excelsos : ut quoniam divites per exuberantiam rerum proni sunt ad vitia, ac per intemperantiam plerumque labuntur, haberent conjunctos sibi indigentes, velut fontem lavacri : aut (ut plus dicam) velut flumen Jordanis, ubi Christus tinctus est. in quo per elee-

mosynæ largitatem diurna superent delicta. Et quidem in Jordane semel tinctus sanctificavit aquas : in pauperibus autem semper manet, et assidue abluit crimina largientium. Dedit itaque Christus nobis velut indulgentiæ indices. Quos? cæcos, claudos, debiles, paralyticos; quin etiam orphanos et viduas, peregrinos, proselytos et advenas, atque hujusmodi homines omni auxilio indigentes ; ut in his, quicunque sunt opulentiores, pium prætendant affectum : flectantur faciles ad ægra ac debilia corpora, animasque vexatas; faciant sibi tales amicos (juxta evangelicam doctrinam) de infideli mammona (id est de brevibus rebus), ut cum defecerint hic, *recipiant eos in æterna tabernacula* (*Luc.* XVI). Et idcirco, divites, nolite despicere inopes, nolite respuere indigentes, scientes quod amici sunt animarum et medici vulnerum internorum. Ager est juxta te; sparge semen tempore competenti, et esto fidus, quia non te fallit ista cultura. Hic seris, et alibi metes; spargis modicum, et colliges multum. Quidquid dederis colligitur ibi in superno cellario : quidquid porrexeris proficit in futuro. Nunquid non potest Christus ditare mendicum? nunquid non valet modo illuminare cæcum, curare claudum, stringere paralyticum, mundare leprosum? valet quidem, sed dissimulat in te; ut per hos aliorum debilitates excludat, et ægritudines effugiat. Nam cum sint debiles, fiunt tamen delinquentium medici : non ipsi, sed ille qui dixit, *quandiu fecistis his, mihi fecistis*. Christus est in eis medicus, qui per eos sanat divitum delinquentium vulnera; ut cum tempus exspectatum venerit, et pauperes suos exaltet in gloria, et divites justis operibus deditos recipiat (sicut dixi) in æterna hospitia. Unde (fratres dilectissimi et optandi amici) retinete hæc, et super hæc adhuc discite alia. Necdum enim patuit mea doctrina : replicanda est evangelica forma, ut inde pandamus quod perfectum est; eleemosynæ perfectionis typum nondum ostendimus. Typum eleemosynæ suis præceptis decrevit Salvator : *Attendite* (inquit) *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*. Si mercedem speratis cœlestem, humanum debetis declinare aspectum. Sufficit illum videre opus in secreto, qui operæ pretium reddit in publico. Quid quæris, hominem scire quod Deo reservas? aut quid opus est homini videre quod Deus remunerat? Sufficit conscientia tua, habes testem operis tui. In te patet illi quod latet homini. Si plaudis, non places : si hominibus placere vis, displices illi qui docuit. Si displices, minorasti justitiam, vulnerasti gratiam, violasti mercedem. Denique sic subjungit idem doctor : Si hominibus placere vultis, mercedem non habebitis apud Patrem cœlestem. In simili negotio etiam pronuntiavit Apostolus : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem*. Cum igitur *facis eleemosynam, noli tuba canere ante te*, sed tace, et supprime intra te factum tuum. Noli tibicinare, ne vulneres opus tuum : noli prodere quod fecisti. Operæ pretium perdidisti, si laudari ab hominibus voluisti. Sufficit tibi hoc; habes mercedem tuam. Tales ho-

A mines hypocritas appellavit sermo divinus. Sic, inquit, faciunt hypocritæ in synagogis et in vicis. Erogant publice, ut publice præferantur, non a Deo, sed ab hominibus. Dedit itaque Dominus pulchram ac verecundam operis formam, quando tales prohibet imitari, et jubet in silentio operari. Et quid dico in silentio? nunquid quando facis eleemosynam aut opus aliquod gratum, potest latere? absit. Nam te tacente, ipsa opera clamant et publicant factum tuum : te enim ignorante, præferunt multi justitiam tuam, et eleemosynam prædicant. Geminatur tibi gratia, quia silenter egisti. Ab hominibus accipis plenam laudem, quia tacuisti a Deo perfectam mercedem; quia quod jussit fecisti. Quid jussit aut quid præcepit? ut non tuba caneres ante te : id est, ut non ipse præferas, sed alii. Nam et fructifera arbor non

B loquitur quidem, et tamen ex fructu cognoscitur. Et apes quando cerarum cellas intexunt, quando mel conficiunt et dulci distendunt nectare favos, non in publico opus exercent, sed sub vili cortice clusæ laborant, et inde postmodum gratia dulcoris erumpit in publico; nec immerito dictum est quia *brevis in volatilibus apis* (*Eccl.* I), et tamen primatum dulcoris habet fructus ejus. Retine ergo præceptum modicum : Fac eleemosynam, absconde penes te. Sit intra te cella tua, ut quod tu tegis ab aliis prædicetur : et tunc remunerabitur a Christo qui dicit : *Quando facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Matth.* V). Discutiendus sermo, requirenda sententia. Quid est hoc? nunquid dispar est homo intra se in uno corpore, ut sit alter in dextra, alter in si-

C nistra? absit! Idem homo est qui habet et dextram et sinistram. Et quomodo potest fieri, ut ignoret sinistra quid faciat dextra? nam etsi manus duæ sunt in corpore, dextra lævaque, sed animus unus est in homine, qui tegit utrumque latus in dextra et sinistra. Liquet igitur et non est ambiguum, quod in hoc præcepto altius aliquid introducitur et sublimius intelligitur. Duplex est plane homo intra se. Et cum sit unus, divisus est tamen in dextra et sinistra. Divisus? quomodo? non animo, sed opere; non mente, sed moribus. Habetque bonum et malum : bonum in dextra, malum in sinistra. Præcipit Dominus, *nesciat sinistra quid faciat dextra* : quod a nobis sic intelligi solet tanquam si ita dictum sit : Sinistra facit malum; non illi consentiat dextra; id est, si corpus tuum de-

D linquere cogit, non illi assentiat anima. Quid est in homine dextra? nonne pars animæ? quid est sinistra? nonne pars corporis? Disce quid introducit : *nesciat sinistra quid faciat dextra*. Nunquid quando bonum geritur caro ignorat, aut quando malum facit caro, anima nescit? non est ita. Aliter intellige de sinistra et dextra. Tale est, quod dicit : Quando bonum aliquid conatur facere dextra, id est anima, non illam impediat sinistra, quæ est caro; sed tanquam dormiente sinistra festinet dextra furtivo more operari bonum, et expellere malum de membris, quod dicitur sinistrum : hic est sensus, et hic est intellectus dextræ et sinistræ. Exponatur apertius, et luceat sermo in

opere. Sinistra tua, id est caro, erravit? dextra, quod est anima, emenda errorem. Potuit enim in homine dextrum fieri utrumque latus, sed ideo dispar factus est in utroque, ut tam boni quam mali in se fermentum retineret. Boni fermentum in dextra, mali in sinistra ; quod sic distingui potest : sinistra tua induxit te in peccatum ? dextra tua eruat te de peccato. Sinistra peccavit in aspectu? dextra propitiet in secreto. Sinistra fecit prædam ? dextra faciat eleemosynam. Quod illa fecit imprudenter, hæc emendet silenter. Sinistra rapuit vestitum? dextra vestiat nudos. Illa percussit crudeliter ? ista sublevet et sanet humiliter. Illa congessit impietatem ? ista sit plena pietate. Illa impressit vulnera ? ista imponat medicinam et adhibeat curam. Reatus est in sinistra ? remissio sit in dextra. Malum quod sinistra ingessit, dextra repellat; venenum illius ista exstinguat. Et quid plura ? ignis est in sinistra, et est aqua in dextra. Quando flagrat in sinistra ignis peccati, pluat in dextra justitiæ aqua, et nihil est tunc quod noceat. Dum imples illud quod dictum est, *Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit crimina* (*Eccl.* III). Hic manifestum est, quia nec peccatum desinit in homine, nec fons, nec remissio deficit unquam. Sed divisus homo in sinistra et dextra ; ipse sui arbiter est, aut perdit, aut invenit : quid tu ad hæc ? times forte ne sinistra superet ? Noli vereri : plus valet, si voluerit dextra. Et si inimica est sinistra quæ damnat, sed amica est dextra quæ salvat. Et si illa inquinat, protinus ista sanctificat. Validior est aqua in dextra quam ignis in sinistra. Nam exuberaverit illa, mox istius damna subigitur. Scito itaque quia etsi flamma est delicti in corpore, sed fons est divinus in corde : flammas membra ministrant, fontem mens exprimat. Sic fiet ut quod inquinaverit sinistra, sanctificet dextra. Sinistra diurnum habet inquinamentum, et dextra diurnam habet absolutionem; ut quod polluitur in sinistra, purificetur in dextra. Homo sapiens intelligit hæc. Esto providus, esto proficus sanctis; quoniam continuo venturus est supernus judex discutere actus servorum suorum, et nudare secreta. Sanctis quomodo feneratur cœlestis, venit erogatam pecuniam exigere cum usuris. Et quæ est ista pecunia, quam evangelica observantia ? verba sunt vitæ seminata. Venit sator ille seminis sui colligere fructus, pecuniæque suæ exigere pensas. Si fecisti quod mandatum est, tibi dicit : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam ; intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV). Vis scire qualis quantusque sit iste qui venit ? par est trinæ virtutis, princeps est angelorum, imperator est supernæ militiæ, Dominus est cœlorum, gubernator est terrarum ; super cherubin sedet, et abyssi profunda rimatur. Qui carne vestitus, fecit quidem remissionem generalem in baptismate, in aqua et Spiritu ; sed venturus est nunc exigere debitum, non illud quod prius indulsit, sed quod post lavacrum aquæ ab unoquoque contractum est, et non est pœnitudine deletum. Habet judex iste in manu sua stateram in qua perpendit inter duo pondera, unum meriti, et unum peccati. Prævide te, homo : senti pondus tuum, antequam veniens ille in sua statera te suspendat. Considera statum tuum, et esto tibi ipse statera. Sat tibi de corpore tuo statera. Duæ manus tuæ, duo sunt calculi hinc atque inde in statera pendentes. Vides quomodo ipse tibi es statera ? perpende cor tuum et conscientiam. Perpende animam tuam membraque ipsa in statera, prius quam divinum examen incurras ; sit animus tuus arbiter factorum tuorum, ponderumque inspector tuorum. Inspice diligenter quid tenet dextra, aut quid gerit sinistra. Habes scilicet malum in sinistra conditum, meritum in dextra collectum. Vide quid plus est in opere tuo, aut quæ pars in actibus tuis exuberat ; sinistra an dextra ; et vult te collidere. Noli cedere, quia scriptum est tibi : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (*Rom.* XII). Molesta tibi est sinistra, et quærit te subdere. Intrat opportune, vexat te vehementer, collidit frequenter, et capit jugiter ; pravo pondere urget animam, et morsus ferales infligit, dentes in te concupiscentiæ carnalis infigit, internaque latera tua vitiorum suorum unguibus sulcat. Quando videris tu quod pars ista inimica concrescit in malo, armisque hostilibus stipata sinistra quærit te expugnare, castraque pectoris tui conatur evellere ; tu noli terreri, sed redi in sensum tuum, et ibi invenies adjutorem Deum. Si tamen illum times et futurum ejus judicium reformida ; in hoc loco, in isto certamine non ignoret sinistra, sed sciat magis quid faciat dextera tua. Sciat quod ignorat ; adverte diligenter quando strepit sinistra in malis : id est quando multiplicat caro partes adversas contra virtutem animæ, et exaggerat crimina. Stet dextera tua obnoxia contra partes pestilentiæ, contra arma hostilia, contra effeminata vitia, contra peccata et crimina ; stet dextera tua armata, id est, fides robusta, spes, stabilitas amore copulata. Obducat scutum fidei, inducat loricam spei, objiciat justitiæ hastam, intendat orationis arcum, erigat eleemosynæ tropæum ; et confestim non solum cedit per adversa, sed etiam cadit elisa. Jacet in vulnere et succumbit victoriæ. Quæ diximus, evidentius repetamus. Hostiliter te stimulavit caro ? strinxit conditio, ut delinqueres ? peccasti ? crebro offendisti ? pressa est mens horrore ? tristis est anima usque ad mortem ? Superfluit mensura criminum in sinistra, claudicat in scientia, nutat statera tua, et dextera tua lance suspensa totum pondus divergit in sinistram ? Cum videris, dic ad animam tuam : Anima, ubi es ? quid actura es inter hæc ? quare non clamitas ? malum vides imminere, et taces ? cur non vigilas ? mortem cernis incumbere, et tu non aspicis ? ubi resides pigra ? ubi jaces resupinata ? dextera tua dormitat, et non illam excitas ? pateris ut te vincat sinistra, et portionem tuam jungas cum perituris ? quid factura es, superata a carne, cum cœperis cum ipsa experiri supplicia ? sinistra satagit, et debet dormire dextera ? ibi plena est mensura, et hic debet existere vacua ? sinistra valet in

vitiis, cur non magis dextera in virtutibus viget? cur non magis minuitur ibi peccatum, et hic additur meritum? quare non liquescit nequitia, et augescit justitia? Judicium Dei vides imminere, et stupes? thronus tremendi judicis in flammeis ardet rotis (*Dan.* VII), ut Daniel ait, et non trepidas? fluvius currit flammeus, qui globos flammarum volvit, et tu soluta jaces? an nescis quod fluvius iste peccatoribus permeat, et non in pœnitentibus murmurat? Non audisti quid annuntiat Isaias: *Ecce dies Domini insanabilis, venit dies iræ et indignationis ponere orbem terræ desertum, et peccatores perdere ex eo* (*Isai.* XIV). Plange tua scelera; corrige te confestim, et transfer te de sinistra ad dextram. Non est ambiguum, aperte sonuit quia Deus peccatores exterminat. Peccatores dixi: tu, si pœnitentiam egeris, jam non te perdit, sed protegit. Si compunctus fueris a peccatis, jam non te damnat. Minaci quidem voce et terribili tuba testificatur propheta, dicens: *Ecce dies Domini insanabilis venit ponere orbem terræ desertum, et peccatores perdere ex eo.* Verum non ideo Deus minatur ut perdat, sed testificatur ut corrigat, increpat ut componat, objurgat ut eripiat: insurgit, non perimentis metu, sed miserantis affectu. Cæterum si percutiat urbem et perdat peccatores, ubi populus integer quem sibi acquisivit sanguine suo, et passione redemit? Sed dicis: Ostende mihi, quæso, quo tenore possum exonerare sinistram, et cumulare dextram. Hoc quod interrogas non est incognitum. Nunquid latet aspectum tuum, aut ars est quam nescis? ubi videris quia dominatur tibi lex peccati, imperant vitia, crebrescunt crimina, omnis sarcina declinat in latus sinistrum, noli cedere atque quiescere, sed incita temetipsum; recurre ad arma contraria, et præcinge te in dextra tua, implens illud quod cecinit David psalmista: *Accingere*, inquit, *gladio tuo*, quem vicit sinistra, quem superavit segnitia, quem stravit nequitia; *accingere gladio tuo circa femur, potentissime.* Qualem gladium? *specie tua et pulchritudine tua.* Tibi hoc dicit, qui criminibus cedis; ad te loquitur, qui criminibus vinceris! Te commonet et compungit, peccator! vicit te pars sinistra, percipiet te in factum tuum. Plora compunctus, ut possis recipere speciem cordis tui, et pulchritudinem corporis. Quid vult esse? errasti in lumbis? offendisti in femore? manifestum est quia ubi lumbus, ibi libido, et ubi femur, ibi fornicatio. Quid ergo? fœdasti femur tuum carnali libidine? reforma illud pulchritudine spiritali. Stuprasti lumbos tuos in fornicatione? noli diffidere, sed exstrue bellum contra sinistram et contra corporeum peccatum, contra stuprum vel adulterium. Femur te fœdavit? femur te reformet atque recuperet. Accingere, inquit, gladio circa femur, potentissime. Te corripit sermo propheticus, quia peccasti. Fuisti profusus in libidine? esto potentissimus in virtute. Laxasti membra tua in luxuria? restringe vivacitate armorum. Arma lumbos cordis tui, orna femur animæ tuæ, ut corporei femoris eximas fœditatem, evellasque de visceribus tuis plagas. Accingere gladio tuo

A circa femur tuum, potentissime. Quis est iste gladius? Ipse dicit, *specie tua et pulchritudine tua.* Et quæ est ista species, quam virtus animi, et in ea, plena pœnitudo? quæve est pulchritudo, quam lacrymæ oculorum, et largitas eleemosynæ? Et quid deinde? *Intende*, inquit, *prospere procede et regna.* Aperta sententia est. *Intende*, peccator, quia peccasti; *prospere*, quia pœnituisti; *procede et regna*, quia triumphasti. *Procede* confidenter, quia plorasti pro peccato; vicisti reatum ut pervenires ad regnum, *procede et regna.* Plange hic, ut plaudas alibi. *Procede*, inquit, *et regna.* Propter quid? *propter veritatem et mansuetudinem et justitiam.* Quando sinistra infert et ingerit tibi candentes stimulos avaritiæ, luxuriæ, arrogantiæ vel libidinis, sta contra sinistram tuam, succinctus

B veritate, armatus mansuetudine, ornatus justitia, et cum viceris sinistram, tunc *educet te mirabiliter dextera tua.* Tunc vincit dextra et silet sinistra, cum fugit impietas, et floret rediviva pietas; cadunt crimina, et crescunt merita. Quidquid malum minuit in sinistra, meritum augescit in dextra. Sic te agente, *deducet te mirabiliter dextera tua*, juxta verbum Davidicum. Subduc pondus ex adverso latere, remove plagas de sinistra, ut in die judicii deducat te mirabiliter dextera tua. Imple mensuram justitiæ; quomodo? orando, vigilando, lacrymando, erogando, jejunando: quin etiam parcimoniis pulsando, negligendo delicias, et nutriendo disciplinam; fugiendo festivas dapes, et frugalitatem ferendo; deponendo pinguedinem, et diligendo pallorem. Quando statu-

C tam exerces virtutem, exsultat dextera tua, et latet sinistra: deficiente enim nequitiæ sarcina in sinistra, sanctificatio dexteræ tuæ præponderat, et ipsa te deducet mirabiliter in salutem. Unde, frater charissime, non tædium superet, non subducat ignavia; non inter spem et metum alternis motibus æstuantem desperatio frigida perfundat, sed magis concalescat cor tuum dum dubitas, ferveat spiritus tuus in te cum anceps inter utrumque laboras, id est, ut inter spem et metum meditatione tua exardescat ignis. Erige te in calore cordis tui, et, in zelo pectoris concitatus, abutere dextera tua, et æmulare sinistram, dicens ei: Quid mihi et tibi est, sinistra? desine, cessa, conquiesce; noli mihi suadere ut errem; noli me subdere, ut offendam. Cur implicatum tenes, et

D non permittis exsolvi? noli me capere saporibus tuis, qui brevi tempore dulces et postmodum semper amari: tales sunt sapores tui, qualia dormientium somnia. *Surrexerunt e somno, et obliti sunt quæ viderunt;* sic tuus sapor, sic tua delectatio: in delictis parum inungit fauces, et postmodum urit animam delectatio tua. O sinistra! dolores facis prolixos, nisi fueris repressa, dulce tuum fit amarum; favus tuus in fel convertitur. An non audisti sententiam Salomonis, qui dixit: *Vias quæ a dextris sunt novit Dominus; perversæ autem sunt quæ a sinistris* (*Prov.* IV, 27)? Nescis tu quia *angusta via est quæ ducit ad vitam?* Cur me frangis et flectis ad latam? Cur me ducis ad spatiosam viam quæ mihi aperit

fauces inferni, in quibus picea flamma ardet, et pœnalis caligo exæstuat? Sinistra pars tua planctum ingeminat, provisio tua tartareas habet tenebras. Cellarium tuum corruptas habet species; thesauri tui liquidis ardoribus pleni sunt. Aspis est in opere tuo, antiquissimus ille serpens hydra, multorumque spirans venenorum. Ut spargit pestem auctor scelerum, nequitiæ armiger! Sinistra in parte tua, scandala quibus dictum est: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus.* Ignis ardebit in parte tua, diabole, aspis antique, auctor nequitiæ: tibi præparatus est ignis et angelis tuis; quid hoc ad homines pertinet? Sinistra tua nihil valet. Nihil valet pars sinistra; corrigunt se homines a peccatis, et vivunt. Desinunt delinquere, et carent doloribus; renuntiant tibi, et regnant cum Christo; remansisti solus cum angelis tuis. Diabole, quid regis sinistram partem? ad te corrigo, verbum tibi imputo, te castigo: quid gloriaris de parte sinistra? flamma illa gehennæ tibi, non hominibus flagrat; camini tartarei tibi sunt præparati et angelis tuis.

Quare? quia adversarius Dei es, semper erras, et nunquam emendas; semper impius et seductor, semper prodigus et profanus; atrox in malis, et inimicus in bonis; et quia nunquam te pœnitet, ideo periturus. Quid hoc ad hominem pœnitentem, suaque peccata confitentem? plus est pœnitentia quam tua pestilentia. Plus sunt lacrymæ hominum, quam tui insidiosissimi laquei. Amplius est eleemosyna quam tua inquinamenta. Sollicitudo solvit peccata, vigilantia vincit nequitiam, compunctio eradicat crimina. Inimice diabole, fallax, quid fingis terrorem? parum est, quod vereor donec convertar ad Christum, qui me salvavit. Video peccata mea, et pauca considero commissa mea; et horresco donec convertar ad Dominum. Stant ante me facinora mea quasi turris ferrea ac murus æreus, donec memetipsum videam, et donec sitiens amplectar Christum indulgentiæ fontem, teneamque pedes ejus qui dixit: *Nolo mortem peccatoris, quantum convertat se a via sua mala, et vivat.* Si hoc fecero; murus æreus momento collabitur, turris ferrea fulminata dispergitur. Aries enim pœnitentiæ subvertit peccata et subruit crimina. Cadent ante fletum pœnitentis, quasi caduca folia a vento concussa, aut quasi plumæ volitantes vento impulsæ. Adest Dominus oranti, præsto est excubanti eroganti que Christus, protector excelsus, munificus atque liberalis indultor; et tota illa peccatorum sarcina quam verebaris, ut cera liquescit, ut fumus fugatur, ut vapor exinanitur, aut quasi lanugo combusta deperit. Postquam sic castigaveris sinistras partes, et cum eisdem partibus ipsum diabolum prostraveris, converte te ad dexteram, et loquere illi, multiplicans ad eam exhortatoria verba, sic dicens: Dextera mea Deo sacrata, salvatrix animæ meæ, firmatrix cordis, munimen corporis, tu noli dormire, sed vigila. Opus tuum dulce est, actio tua melliflua est, vigilantia tua vivificat. Expande te ad preces pariter cum sinistra; erige te ad superna subsidia. Commove venas tuas, et conquire remedia, confunde inimicum, et contere peccati ministrum. Quomodo eum confundis, aut quo itinere conteris, nisi in opere Dei, in observatione evangelica, in ordinatione disciplinæ, in ordinatione largitatis? Dextra, fac opus justitiæ: respice famelicos, vesti nudos, visita ægrotos, suscipe peregrinos, solve compeditos, fove captivos, consolare compunctos: si sic feceris, eruisti me de mœrore, liberasti de muscipula. O dextra, non vides? sævit sinistra, et supplicia congerit? sinistra te vincit, et dormis! serpens te mordet, et duras non vides partes adversas turbatas, et insurgentes turbines? venti spirant adversi, mare insurgit super te, peccati pelagus urget animam tuam, strident in membris tuis iniquitatum procellæ; et non excitaris, sed negligis! non stimularis, sed torpes! Dextera gubernatrix, sta in puppe, et dirige proram: extende vela, arma navem. Ecce pericula imminent, ecce scopuli ante te, ecce horrendi cautes, naufragia in latebris instant, et non vigilas? esto pervigil, esto amator bonorum operum, esto bellatrix pœnitentiæ, te enim triumphante, vivo ego in virtute Dei, et evado noxias partes; extende ad justitiam, imple pugillum tuum cœlesti semine: jacta semen pœnitentiæ, et collige fructus indulgentiæ. Noli dormire, dextra, sed fac opera quæ a te Christus exspectat. Emenda errorem meum, dele dolorem meum, collige meritum quod dispersi, repara quod amisi, sed integra quod minoravi. Flammat fornax criminum, et tu siccas operis tui fontem? peccata prævalent, et tu subtrahis pietatis præsidia? Da rorem tuum, et refrigera in me quod æstuat in calore. Timeo namque ne dormientem sinistra superet, et rapiat me. Diripiendo ad funera, sic te excitantem dextram, et objurgantem sinistram, suscipit Christus et amplectitur. Disrumpit vincula tua, et deducit tanquam lumen justitiam tuam, et judicium tuum meridiano splendore illustrat: ut dextra ejus visitatus, gratiaque donatus, sed munere accumulatus, non tristis abscedas aut inutilis, sed gaudeas cum justis ad dextram venientibus in æterna requie permansuris.

LIBER * DE MULIERE CHANANÆA.

Multi quidem confligunt venti sæviuntque procellæ; sed vestrum conventum non dissolvit tentatio, nec studium violavit. Non cessat Ecclesia, quæ semper pugnat, et semper triumphat; tentatur et non superatur. In quantum pulsatur et premitur, in tantum prævalet et augescit: circum sæviunt undæ, sed non movetur lapis.

Sermocinantibus nobis, somnus recessit a vobis; nox se transfudit in diem. O conventus forensis! potest enim et hic esse conventus Ecclesiæ. Fecit nox in foro Ecclesiam, et mentis vestræ strepitus armavit industriam: cessavit omnis pigritia, con-

* In Ms. legitur titulus hoc modo: *Incipit liber primus sancti Laurentii episcopi de muliere Chananæa.* Confer annotationem opusculo subjectam, paulo post initium. Edit.

quievit ignavia. Quis hoc non volvat animo, aut quis A non miretur, eo quod non solum nostri permanserint nobiscum, sed etiam incogniti congregati venerunt, et proficit tentatio in utilitatis augmentum? Nam sicut pluvia descendens nutrit semina germinantia, sic tentatio, cum examinaverit, animam salvat. Verbum Domini est immobile, et portæ inferni non prævalebunt ad eum. Seipsum vulnerat impugnator Ecclesiæ; plebem vero fidelem insigniorem ostendit. Vires collidit proprias qui æmulatur Ecclesiæ; nobis vero triumphi confert dignitatem. Justus erat et antea Job; sed justior postmodum de agone emersit. Sanus validus factus est æger validior: clarus in opere factus est, in opinione præclarior. Nunquam igitur in tentatione formides. Si enim fueris in propria virtute fundatus, nunquam B tibi oberit tribulatio, quæ patientiæ declarat virtutem. Sicut enim fornax cum examinat, augmentum facit in specie auri, sic tentatio addit animæ pulchritudinem. In quo enim noxia est flamma in specie auri? aut in quo humiliat tentatio patientiam, quæ tollit tristitiam, et auget lætitiam, et facit animam hominis in examinata specie refulgere?

Introduxit tentationes, ut excludat adversarios, qui me existimant inimicum. Congregati sunt maligni in unum; sed quid illi in confusione, et quales nostri in compassione? ubi sunt illi? num apparent? aspicio in foro, eo per plateas, et nullum video. Frondes fuerunt, et ceciderunt a vento; plumbum fuit, et liquefactum est; hi vero refulgent in specie auri. Quis eos quam criminosa eorum conscientia C effugavit? Sciunt enim ipsi quid fecerint. Nam et Cain cum cœperat proprium perimere fratrem, perpetrato scelere, timens ac tremens super terram incessit: sic et isti non manibus quidem, sed mente malignati sunt; et illi quidem operati sunt necem, Dominus autem condonavit salutem. Hæc enim locutus sum propter vos, ut exsultet mens vestra in Domino, et nunquam in tentationibus trepidet. Petra est immobilis. O homo, quid flatus vereris? *Super hanc*, inquit, *petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non prævalebunt ad eam* (*Matth.* XVI, 18). Quandoquidem extranea, quandoquidem autem intestina sunt bella; sed nullus potest stabilitatem quassare structuræ. Quod autem expendo tempus, in exprobratione malorum; nec enim fas est insul- D tare diutius inimicis, et filios despicere scientes.

Igitur hesterno nobis Paulus apostolus adornavit convivium, hodie autem Matthæus: hesterno coriarius, hodie publicanus; hesterno blasphemus, hodie raptor. Sed non in blasphemia permansit blasphemus, nec raptor in rapina permansit. Factus est enim Paulus verus apostolus et utilis doctor; factus est enim et Matthæus Evangelii prædicator. Memorabo priora peccata, ut posteriora merita enitescant: ut discas tu quid sit converti de malo in bonum, ne aliquando desis in propria vita. Doctores igitur nostri prius in criminibus sorduerunt, et inde conversi in meritis sonuerunt. Quid blasphemus et publicanus facti sunt? Nonne caput rapinæ et lex violentiæ? Quid est publicanus? prædo sine pudore, medicus exterminii. Nonne immanior est furibus publicanus? fur namque vel timens furatur: hic autem confidenter delinquit; sed hic publicanus repente apostolus; quomodo aut quo tenore? *Transiens Dominus vidit eum sedentem in teloneo, dixitque illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum* (*Matth.* IX, 9). O virtus sermonis! venit crucis palma, et fecit militem de captivo, et lutum protinus convertit in aurum. Venit crucis palma, et surgens publicanus secutus est Christum; de profundo mœroris gurgite super omne decoris fastigium sublimatur. Nemo igitur desperans salute fruitur, non est enim malum in membris vestris naturaliter insitum: de arbitrio nos gratiam libertatemque acquirimus. Publicanus enim factus est evangelista, blasphemus factus est doctor, latro paradisum meruit, seductor factus est verissimus adorator. Non est quidquam in criminibus, quod non pœnitudine resolvatur. Et ideo Dominus ipsius criminis destruxit fastigia, ut nullus vitam suam etiam in sexta ætate desperet.

Ne dicas intra te: Peccavi, et quid faciam? habes imitabilem [F. inimitabilem] medicum qui resecat morbum, et sanat omnem languorem; habes medicum qui adest gemitibus, et nutu imperat sanitatem. Ex tanta te de improviso materia finxit et vivificavit ut esses: nunc factum te et nutritum poterit oblivisci? non erat antea homo, et figuravit illum ex limo. Requiris forte qualitatem: nescio ego, ipse scit artem suam. Nunquid non eras terra? sed accepit partem terræ potens ille opifex, et fecit prius corpus tuum, in quo disposuit et distinxit varia membra, manus et pedes; caput etiam, in quo oculi et aures, os et odoratus, frons et genæ, et reliqua membra inferius. Ille ergo artifex qui sic te proprio finxit arbitrio, non potest tua auferre peccata? Noli sensus ejus rimari, noli nodos examinare virtutis, noli quærere quomodo fecit, sed mirare de facto.

Sed dicis: Feci peccata multa et magna. Et quis est de hominibus qui non peccet? Tu dic: Erravi super omnes homines, sufficit mihi in sacrificio ista confessio; dic tu prius iniquitates tuas, ut justificeris, cognosce quoniam peccator es: habe tristitiam, cum converteris: esto ac si desperatus et mœstus, sed et lacrymas compunctus effunde. Nunquid aliud aliquid fuit in meretrice, quam lacrymarum effusio? et ex hac profusione invenit præsidium, et accepta fiducia accessit ad fontem Dominum Jesum.

Sed veniamus ad causam. Quid ergo evangelista? *Et inde transiens Jesus venit in partes Tyri et Sidonis; et ecce mulier Chananæa* (*Matth.* XV). Miram rem ait evangelista. Ecce mulier caput peccati, arma diaboli, expulsio paradisi, doli mater, corruptio legis antiquæ. Ecce mulier veniebat ad Dominum Jesum, mulier alienigena de gentibus, novella plantatio. Mirum negotium! Chananæa sequitur; Judæi fugiunt, domestici derelinquunt, alienigena hæret! Ecce mulier de finibus illis egressa clamabat dicens: *Miserere*

mei, Domine, fili David. Mulier hæc evangelista efficitur. Probavit enim divini consilii sacramentum, quando et virtutem divinam obsecrat, et carnis naturam confitetur, dicens: *Miserere mei, fili David.* Considera pulchram mulieris mentem; vide quid dicit. Non est in actibus, inquit, meis, non mihi de conversatione justitia: ad misericordiam tuam confugio, ubi non rescdit, nec requiritur locus salvandi. Et quomodo ausa est mulier legis ignara, tam iniqua, sic abrupte accedere ad fontem salutis? non petiit Jacobum, non rogavit Joannem, non accessit ad Petrum; sed hoc intermittens, quid dicit? Non est mihi necessarius fidejussor; suscipit in se pœnitentiæ patrocinium, et sola currit, tenet eum in voce ac dicit: *Miserere mei, Domine, fili David.* Ideo descendisti, ideo carnem suscepisti, ut et ego loquar ad te, et cum fiducia petam. Cherubin aspectu ejus tremunt in cœlo, et in terra mulier non formidat. Angeli metuunt in excelsis, et mulier non veretur; instat importune, et voce sua exaggerat, dicens: *Miserere mei, Domine, fili David.* Non habeo opus sponsoris: per me accedo, per me obsecro, miserere mei. Quid tibi opus est? misericordiam quæro. Quid pateris? dolorem quem non suffero. Quid habes? filia mea captiva tenetur. Quid illi est? male a dæmonio vexatur. Et quid nunc? miserere mei, Domine. Pignus meum consumitur, et pars corporis violatur. Opinio, inquam, exiit de filia mea; noli me videre peccatricem et miseram: tu es Deus qui secreta consideras. *Filia mea male vexatur.* Quid desideras? ut liberetur de plaga. Miserabilis luctus consumpsit uterum meum, et animam meam perturbat sæva tempestas. Quid faciam nescio. Patitur misera, nec sentit tormenta: nec mortem scit timere, nec vitam sperare. *Miserere mei.* Jacet confusa, et causam tormenti ignorat. Me aspice, Domine, me exaudi, vide diurna vulnera mea. Illa patitur, et ego deficio: passio ejus pavorem incutit cunctis, facta sum omnibus spectaculum: quid faciam, aut quo vadam? non possum ab illa quoquam divelli, non potest sola derelinqui. Non enim deforis venit, sed intus est expugnator, in se habet hostem et gladium; navis est quæ de se concitat tempestatem, non invenio nomen passionis ejus. *Miserere mei, Domine, fili David.* Utinam defuncta fuisset filia mea, quam sic viveret! Si enim mortua fuisset et sepulta, exacto jam tempore oblita fuissem, nec meminissem vulneris aut doloris. Nunc vero cadaver semper in domo est: causa mea, sepulcrum ejus; augetur quotidie vulnus meum, et crescit opprobrium. Quomodo? video oculis meis; istorum aspectu, torqueri manus, crinium vittas exsolvi ac spargi, spumas ex ore diffundi, dare mugitum horrendum, sævire intus invisibilem inimicum, improvisum hostem et pugnam manifestam. Miserere mei, Domine, quoniam filia mea erat, et facta est dæmonis esca. Non audeo illi proximare, non possum contingere, prohibet me pavor, expellit ipsa passio dira. *Miserere mei, Domine, fili David.* Qui ex vobis patres fuerunt, adjuvent verba mea: quæ matres, lacryment una mecum. Non sufficio exponere dolorem, quem mulier ista sustinuit. *Miserere mei, Domine, fili David.* O prudentia feminæ! non utitur hominibus seductoribus, non secuta est vates fallaces, non quæsivit inanes ligaturas, aut ad falsa confugit præsidia: sed omnem relinquens diaboli cultum, venit ad Dominum Jesum omnium salvatorem, et dicit: *Miserere mei, filia mea male vexatur.*

Vidisti sensum mulieris probantis sapientiam ejus: sed vide aliud novum et inexpertum negotium. Petit et obsecrat, et lamentum suum producit in clamorem: et amator omnium Deus non ei respondit verbum. Tacet fons vitæ, et pius medicus contulit medicinam, et abnegat curam. Quid est hoc, Domine? nescio, si non suscipis pulsantem mulierem! O sapientia medici! Dominus, inquit, *non respondit ei verbum.* Quapropter, nisi ut detegeret sapientia ejus virtutem? Propterea dicunt discipuli: *Dimitte illam, quia clamat post nos.* Sed humanus Deus vitam mulieris virtutemque pulsabat. Et quid ait? *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierant domus Israel.* Nihil proficiunt, nec ipsi apostoli suggerentes. Verus medicus differt magis curam, exulcerat vulnus, et potestatem suam arte quadam excusat, ut latentia panderet sacramenta. *Non sum*, inquit, *missus, nisi ad oves quæ perierant domus Israel.*

Hinc hunc considerate sermonem, et ad verba mea dirigite intellectum, quoniam profundam volo comparationem exsolvere. *Non sum missus, nisi ad oves perditas Israel.* Quid est hoc verbum? quæ est ista excusatio tua? et multa in te mysteria revelasti, ut unum tantummodo angulum liberares, et integrum relinqueres orbem? Pontum, et Asiam, et Ægyptum, Ciliciam et Cappadociam, et reliquas nationes relinqueres, et de Israel tantummodo curares? relinques terram desertam, nationes despectas, et solis Judæis factus es liberator? Non vides injurias Patris tui in falsis simulacris, et in dæmonum cærimoniis exerceri? Annon hæc etiam prophetæ vulgaverunt? Quid dicit affinis tuus David? *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* XI). Quid Esaias, qui seraphin oculis suis respexit? *Exsurget virga de radice Jesse, qui dominatur omnibus, et in eum fines terræ sperabunt* (*Esai.* II). Quid Jacob patriarcha dicit? *Non deficiet princeps ex Juda, nec de senioribus ejus dominator, donec veniat, cui destinatum est; et hic est exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 10). Quid etiam Zacharias propheta? *Propter vos*, inquit, *claudentur portæ æreæ, quoniam ab ortu solis usque ad occasum glorificabitur nomen Domini, in omni loco effundent libamina ante ipsum* (*Zach.* I, 10, 11). David ipse quid iterum dicit? *Omnes gentes, plaudite manibus, quoniam Deus excelsus terribilis et rex magnus super omnem terram* (*Psal.* XLVI, 1). Denique quando natus es in carne, quos vocasti? nonne Magos? Nunquid prophetas venisti vocare, qui ipsam salutem gentibus cecinerunt? Apostolos etiam cum mitteres,

quid eis dixisti? *Docete omnes gentes, baptizantes eos* A *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* xxviii, 19). Et nunc quando misera hæc mulier acribus doloribus et stimulis coarctata rogat te et obsecrat pro filia sua, ut eam a funesta passione absolvas, modo dicis : *Non sum missus, nisi ad oves perditas domus Israel.* Venit ad te centurio, rogans pro puero suo, et dixisti : *Ego veniens curabo eum.* Pendenti latroni paradisum reparasti, paralytico imperasti dicens : *Surge, tolle lectum tuum et ambula.* Lazarus de monumento te vocans redivivus surrexit, varia quoque languorum genera verbo sanasti, latrones liberasti, meretrices virginibus prætulisti, solam hanc miseram Chananæam respuisti deprecantem. Quid est hoc verbum miraculi inauditum? Nunc intendite, ut sciatis, quale compendium incipit revelare. B Quando liberatus Israel a plagis Ægyptiorum, et a Pharaone extractus transiit populus per desertum, præcepit ei Dominus in lege ut non communicarent Chananæis nec convenirent cum eis, quoniam sine lege erant, idola immunda colentes. Præcepit ergo Deus in lege Judæis ut non mercarentur cum eis, nec connubia in semine eorum miscerent, ne per hæc a suis legitimis privarentur, et profanis idolorum cultibus jungerentur. Aspice, et considera, et intende quæ dico, quia adhuc in textura est tela. Mulier ista Chananæa erat de gente immunda, quibus non licebat communicare cum eis. Quid ergo? sub lege venerat Dominus, ut adimpleret, et non solveret legem. Igitur si ad momentum audisset mulierem, dicerent Judæi : Ideo te non audimus nec C sequimur, quoniam solvis legem. Præcipit enim lex abstinere a Chananæis. Propter hoc tacet Dominus : propter hoc non respondit mulieri. Vide quomodo servat legem, ut Judæos confunderet, dicens : *Quisnam vestrum me arguit de peccato?* Ecce non respicio ad mulierem Chananæam ; ecce clamat sine causa ; ecce obsecrat, et non exauditur : ecce quomodo teneo legis formam, ne dicatis quoniam præterivi legem. Ideo non credimus in te. Non ex me sed ex vobis est error. Obmutescite itaque propter observantiam legis : ecce nationes ad me veniunt, ecce populus quem non novi, mihi servire festinat : nolite argumentosis occasionibus uti. Ecce a non cognoscentibus me cognitus sum, et a cognitis ignoratus : ecce alienigenæ obsecundant, et domestici D sæviunt. Hæc est itaque prima causa, quod distulit Dominus respondere mulieri.

Interea persistit in clamore mulier, dicens : *Adjuva me, Domine.* Et ipse tantum respondit : *Non licet tollere panem filiorum, et mittere canibus.* O prudentia medici! multis difficultatibus suspendit mulierem, ut duplici postremo honore cumularet, dicens: *Non licet tollere panem filiorum, et mittere canibus.* Qui sunt filii? quos vides. Confundens eos hoc dicit, quia fuerunt filii, et facti sunt canes, de quibus Paulus dicit : *Videte canes, videte malos operarios, videte interfectores.* Nos autem qui velut canes eramus, de gentibus facti sumus filii in eorum radice, quos ita exhortatur Paulus : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Accusat ergo Judæos, cum dicit : *Non licet tollere panem filiorum, et mittere canibus.*

Sed quid respondit mulier? *Etiam, Domine, potes, si volueris.* O mulier violenta! Dominus dicit : *Non licet;* et illa dicit : *Etiam, Domine, potes, si volueris.* Oblita est verecundiæ, et intermisso pudore conatur vincere Dominum. Dominus dicit : *Non licet tollere panem filiorum, et mittere canibus;* et illa respondit : Etiam, Domine, sum quod dicis. Canem me vocas, canis sum : agnosco nomen meum : confundis me tu; sed ego non recedo a te. Canis sum, sequar te, quasi canis : porrige mihi aliquid. Non quæro panem filiorum : da mihi vel micas, quoniam et catuli manducant de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. O certamen pietatis! o prudentia feminæ! Canem me dicis, Domine: sum ego. Ergo nutri me velut canem : non possum relinquere mensam domini mei. Canem me appellas : porrige micas. Dixisti causam meam, distulisti petitiones meas, manifestasti conditionem meam : adjuva me nunc, quoniam et *catuli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* O mulier! accepisti subito laudem, et inventa es electis electior. Idcirco tacet Dominus, ideo distulit et protraxit, ut mentem tuam perpenderet, et vivam de te produceret vocem. Si enim, statim ut cœpisti petere, accepisses, recessisses, et nemo fidem tuam probasset, nullus mentis tuæ cognovisset arcanum. Num autem quia intelligis Dei virtutem, et sic te cognoscis ut dicas : *Etiam catuli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum;* laudo te ego et dico : *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.*

Audiant hæc inertes et improbi qui dicunt : Oravimus, et non impetravimus. Quid loqueris, homo? instanter ora, importune obsecra, siquidem pulsanti aperietur. Sed dicis : Deprecatus sum semel, iterum, et ter, et quater, et septies, et decies, et vicies, et non exaudivit Deus. O stulta inventio! et quid nunc, quia nos es exauditus, jam recedis a Domino, et desistis a prece? aut non vides perseverantiam mulieris Chananææ, quomodo magis aporiata insistit, et repulsa importunius obsecrat; nec ante cessavit quam quod quæsivit invenit? Sunt multi quidem qui intrant in ecclesiam, et strepunt in oratione, confuse atque intemperata voce dispergunt verba sua, et egressi foras obliti sunt omnia. Illi sunt qui labiis hinniunt, et corde non concipiunt. Si tu ipse dicta tua et preces ignoras, quomodo te exaudit Deus? Dicis : Inclinavi genua mea, et oravi. Genua tua inclinasti in terram ; et mens tua foris per diversa discurrit. Corpus quidem intus, sed cogitatio foris ; lingua tua pecunias numerat et usuras. Diabolus malus et invidus inimicus, quando oramus, tunc magis incumbit et obstrepit. Non nos pulsat cum securi jacemus in lectulis : venimus ad orationem, et ille nos cogitationum stimulis turbat.

Hujus versutias cogitantes revertimur ad mulierem

Chananæam, quæ sic obsecrat : *Miserere mei, Domine, fili David, filia mea male a dæmonio vexatur.* Dic et tu, Miserere, Domine, quia anima mea pulsatur a dæmonio. Magnus dæmon est peccatum animæ. Nam dæmon exstinguitur; peccatum vero stat, nisi satisfactionibus absolvatur. Grandis sermo est, Miserere mei, Deus; brevis quidem, sed virtute plenus. Nam etsi foris fueris, clama, et dic, Miserere mei, Deus. Clama, non voce, sed mente; nam et tacentes exaudit Deus, nec tam locus quæritur, quantum sensus. Hieremias in carcere confortatur; Daniel inter leones exsultat; tres pueri in fornace tripudiant; Job nudus sub divo triumphat; paradisum de cruce latro invenit. Quid ergo si fueris in publico foro? ora intra te : noli quærere locum; locus ipse es. Ibi, ubi fueris, ora. Si fueris in balneo, ora, et ibi templum est. Si steteris ante judicem, ora; insurgit judex contra te, ora. Mare ante te est, et post te sequitur Pharao, ora. Nihil loquitur Moyses, et Dominus ei dixit : *Quid clamas ad me?* Os ejus tacet, et præcordia clamant. Et tu cum steteris ante judicem furiosum, ubi sunt crudeles ministri, ora intra te, et turbines illi protinus resolventur. Judex contra te est, tu te ad Dominum confer; proximat te pœnis affligere, tu ora intrepidus, et sedabitur insania. Nunquid homo est Deus, ut laborè quæratur per loca diversa? Deus est qui adest ubique. Si quæris hominem, dicitur tibi : Non est hic, aut non illi vacat. Non est sic in causa Dei : hoc tantum est ut dicas, Miserere mei, Deus; et ipse prope est, ut te liberet : et adhuc loquente te dicit, Ecce adsum.

Quid ergo Chananæa? *Utique, Domine, nam et catuli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Et quid Deus? *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Ubi sunt disceptatores iniqui? Nunquid dixit, Exspecta mulier, donec oro Patrem meum. Sed quid dixit? Fiat tibi sicut vis. Quantum elegantior illa in fide, tantum Christus eminentior in virtute, qui gratiam suam sensibus ejus infudit. *O mulier, magna est fides tua.* Quomodo magna? non vidisti mortuos resurgentes, non vidisti leprosos mundari; non cognovisti legem, non audisti prophetas; sed audisti improperia, et meruisti repulsam; refutavi te, et non recessisti a me. *O mulier, magna est, fides tua.*

Mortua est mulier, et laus ejus speciosa est plusquam margaritis intexta corona. Quocunque ieris, audies Christum prædicantem : *O mulier, magna est fides tua.* In Gothorum concilio, in Sidoniorum vel Persarum conventu, clamat hodie Dominus Jesus et dixit, *O mulier, magna est fides tua.* Et quid deinde? *Fiat tibi sicut vis.* Non dixit : Sano filiam tuam; sed, *Fiat tibi sicut vis :* id est, tu ipsa sana filiam tuam; tibi eam trado; tu eam cura, in tuo arbitrio pono et medicinam : vade in pace, et pone super eam manus tuas, et fiat tibi sicut vis, cum tua voluntate a passione purgetur. Non jussit, non imperavit dæmonem ut exiret, sed fiat tibi sicut vis. Voluit enim ut ipsa mater sanaret filiam suam, et dæmonem effugaret. Ubi sunt qui dicunt, non virtute, sed prece

A omnia impetravit? Si minor est Patre, quomodo dicit : *Fiat tibi sicut vis : et sanata est filia ejus ex illa hora?* Veniebat enim mater deforis, sed antequam veniret, sanata est. Intravit et invenit filiam suam ab immundo dæmone liberatam. Consummata est voluntas ejus, et facta est sanitas; et pro eis omnibus gratias agamus Deo vivo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATIO.

Laurentius episcopus, cujus libellum seu homiliam mox retuli ex ms. codice Germanensi, is est quem laudat Sigebertus Gemblacensis monachus in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 120. *Laurentius Mellifluus scripsit librum De duobus temporibus, id est uno ab Adam usque ad Christum, altero a Christo usque ad finem sæculi. Declamavit etiam homilias ore quasi mellito : unde agnominatur Mellifluus.*
B Laurentii liber De duobus temporibus typis vulgatus est in tomo VI Bibliothecæ Patrum, præfixo hoc titulo : *Sancti Laurentii episcopi Novarum homilia de Pœnitentia.* Quæ homilia in exemplari nostro subjicitur superiori libro seu homiliæ cum hac inscriptione : Incipit liber secundus sancti Laurentii de duobus temporibus. *Duo sunt tempora ab Altissimo præstituta,* etc. Nemo igitur ambigere debet eum esse Laurentium qui Sigeberto cognominatur *Mellifluus,* quique utriusque libri seu homiliæ est auctor. At quis iste Laurentius episcopus? Margarinus Binius suspicatur esse « Laurentium priorem, qui ex Novariensi factus sit Mediolanensis episcopus vigesimus quintus ad annum Christi 507, cujus encomia videatur celebrare Ennodius Ticinensis episcopus in dictione missa Honorato Novariensi in dedicatione basilicæ Apostolorum. » Binio facile assentio, quibusdam adductus conjecturis, quæ tum ex libro seu sermone hic edito, tum ex Ennodii dictione prima in
C Natali Laurentii episcopi Mediolanensis desumuntur. Laurentius quippe in sermone de muliere Chananæa, quem de nocte in fore habuit, mentionem facit quorumdam adversariorum suorum, quorum improbitate non solum ipse vexatus sit, sed etiam alii partium ipsius fautores. Atqui Ennodius in dictione primâ Laurentium laudat ob patientiam malorum, quæ ipsi ex adversariorum factione semel et iterum contigerunt : primum quidem cum ab hostibus expugnata civitate inter suas et populi injurias stetit infractus, tum in exsilium missus, ac demum urbi suæ redditus est; deinde vero cum Romam in synodum accitus anno 502 pro absolutione Symmachi papæ, adversantium procellas sustinuit. Expugnatio illa et direptio urbis Mediolanensis, simulque Laurentii exsilium contigere per Odoacrem, uti Sirmondus opinatur, quando Tufa duce adversus Theodericum Ostrogothorum regem rebellavit. Theodorico victoria potito, Laurentius Mediolanum rediit, urbemque ex pristinis ærumnis recreavit. Tum vero superiorem homi-
D liam de muliere Chananæa habuisse mihi videtur, cujus reditum ita celebrat Ennodius in dictione prima : *Cum ex alto benignis oculis cœlestis Dominator aspexit, Mediolanensium urbi lux est proprii reddita sacerdotis. Tunc cum rarus habitator, tunc cum error in domibus, et per dulcia cubiculorum limina confusa discursio; tunc cum ubique pavor et luctus, et Dei templa ferarum habitationi deputata sordebant; cum marcens incuria splendidissima dudum atria situ vetusti humoris obnuberat, lætitiam cæteris tuo dedisti de reditu, tu regressus ad lacrymas,* etc. Melliflui etiam nomen quadamtenus inferius indicat Ennodius ubi ait Laurentium in synodo Romana minantium impetus *blandimentorum melle* domuisse. Porro in homiliis suis Laurentius in id potissimum incumbit, ut peccatoribus fiduciam obtinendæ a Deo remissionis ingeneret; sicque de pœnitentia loquitur, quasi eam solis humani arbitrii viribus ascribere videatur.

ANNO DOMINI DXLIII.

S. P. BENEDICTUS

MONACHORUM OMNIUM OCCIDENTALIUM CAPUT ET SOSPITATOR.

PROLEGOMENA.

Vita S. Benedicti

(Ex libro II Dialogorum S. Gregorii Magni excerpta).

A Fuit vir vitæ venerabilis, gratia Benedictus et nomine, ab ipso suæ pueritiæ tempore cor gerens senile. [a] Ætatem quippe moribus transiens, nulli animum voluptati dedit: sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter libere uti potuisset, despexit jam quasi aridum mundum cum flore. Qui liberiori genere ex provincia Nursiæ [b] exortus, Romæ liberalibus litterarum studiis traditus fuerat. Sed cum in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem: ne si quid de scientia ejus attingeret, ipse quoque postmodum in immane præcipitium totus iret. Despectis itaque litterarum studiis, relicta domo rebusque patris, soli Deo placere desiderans, sanctæ conversationis habitum quæsivit. Recessit igitur B scienter nescius, et sapienter indoctus. Hujus ego omnia gesta non didici, sed pauca quæ narro, quatuor discipulis illius referentibus agnovi: Constantino [c] scilicet reverentissimo valde viro, qui ei in monasterii regimine successit; Valentiniano [d] quoque, qui annis multis Lateranensi monasterio præfuit; Symplicio, qui congregationem illius post eum tertius rexit; Honorato etiam, qui nunc adhuc cellæ ejus, in qua prius conversatus fuerat, præest.

Ἀνήρ τις ὑπῆρχε, τῇ πολιτείᾳ μὲν εὐλαβέστατος, χάριτι δὲ Θεοῦ κεκοσμημένος, τοὔνομα Βενέδικτος· ὃς ἐκ παιδόθεν τῇ τῆς καρδίας καθαρότητι ἐλαμπρύνετο, καὶ τῇ τοῦ σώματος ἁγνείᾳ κεκαλλώπιστο, ἐν οὐδενὶ θελήματι σαρκικῷ τὸ παράπαν τὴν ψυχὴν κατυποτάξας· ἀλλ᾽ ἔτι ἔφηβος ὤν, καὶ [1] σφριγῶν τῷ σώματι ὅπερ ἡδυπαθῶς δρᾶσαι ἠδύνατο, ἑκουσίως ἐβδελύξατο, καὶ λοιπὸν ὡς ξηρὸν τοῦτον τὸν κόσμον μετὰ τοῦ ἄνθους αὐτοῦ ἐλογίζετο. Ὅστις δίκην ἑωσφόρου ἀστέρος ἐκ τῆς Νουρσίας χώρας, τῇ τῶν Ῥωμαίων χώρᾳ ἀνέτειλε· τῇ δὲ τῶν ἐλευθερικῶν γραμμάτων διδαχῇ παραδοθεὶς ὑπῆρχεν. Ἀλλ᾽ ἐν τούτοις πολλοὺς ἀπιέναι διὰ τὰ φθαρτὰ πάθη κατανοήσας, ἐκεῖνον ὃν ἔθετο πόδα ἐν τῇ τῶν μαθημάτων διατριβῇ, εὐσεβεῖ λογισμῷ τοῦτον ἀνθείλκυσεν· ἵνα μὴ εἰς [2] ἀνήκεστον κρημνὸν ὅλως [3] καταπέσειε. Βδελυξάμενος τοίνυν τῶν γραμμάτων τὴν διδαχήν, καταλείψας τε τὸν οἶκον καὶ τὰ πατρῷα αὐτοῦ πράγματα, μόνῳ Θεῷ ἀρέσαι ἐπιθυμήσας, τοῦ ἁγίου καὶ μονήρους βίου τὸ σχῆμα ἐπεπόθησεν. Ἀπέστη τοίνυν τῆς τῶν γραμμάτων παιδεύσεως, γινώσκων ὡς μὴ γινώσκων, καὶ σοφὸς ὡς ἄσοφος. Τούτου τοῦ σεβασμίου πατρὸς τὰ κατὰ Θεὸν κατορθώματα, ἐγὼ μὲν σαρκικοῖς ὀφθαλμοῖς οὐ τεθέαμαι, ἀλλ᾽ ἅπερ ἀκήκοα παρὰ τεσσάρων αὐτοῦ τὸν ἀριθμὸν μαθητῶν διηγουμένων, ταῦτα ἐρῶ· Κωνσταντίνου λέγω δὴ εὐλαβεστάτου πάνυ ἀνδρός, ὅστις αὐτοῦ τὴν ποιμαντικὴν ἡγεμονίαν διεδέξατο· Βαλεντίνου, τοῦ πολλοῖς ἔτεσι [4] τὴν ἐν Λατεράνῃ εὐαγεστάτην μονὴν διιθύναντος· Συμπλικίου, τοῦ τὴν αὐτοῦ συνοδίαν μετέπειτα κατὰ διαδοχὴν [5] τρίτον ποιμάναντος· Ὀνωράτου, τοῦ νυνὶ τοῦ κελλίου αὐτοῦ ἐν ᾧ πρότερον διῆγε, προεστῶτος.

[1] Colb. σφριγγωτάτω σώματι.
[2] Reg. ἀπέραντον κρημνόν.
[3] Colb. καταπεσεῖν.
[4] Colb. τὴν Λατερανῶν.
[5] Colb. τρίτου. Reg. habet τρίτον, quidquid dicat Gussanv. in nota marg.

[a] Simili loquendi modo utitur infra l. IV, c. 47. *Joannes . . . adolescens qui ætatem suam intellectu et humilitate, dulcedine et gravitate transibat.* Et hom. 14 in Evang., ibi pueri qui hic annos suos moribus transcenderunt.

[b] Nursia urbs olim episcopalis in Sabinis, intra montes sita et ad Apennini radices, sub frigido cœlo; hinc de ea canit Maro l. VII Æneid.:

Quos frigida misit
Nursia.

C [c] De Constantino et Simplicio hic memoratis Paulus Diac. de gestis Langob. l. IV, c. 18: *Post beatum Benedictum Constantinus, post hunc Simplicius; post quem Vitalis; ad extremum Bonitus congregationem ipsam rexit.* Quod confirmat abbatum S. Benedicti successorum seriem a S. Greg. hic assertam, contra Baronium, qui ad an. 581 primum S. Benedicti successorum instituit, simulque Lateranensis monasterii abbatem, Valentinianum, cum quatuor præcesserint. Primus tamen rexit Lateranense monasterium, quod post dirutum Cassinense cœnobium sub Bonito abbate teste Paulo Diac. loco laudato, constructum est.

[d] Germ., *Valentiano*, Big., *Valentino*. Consentit Græcus interpres.

ΚΕΦΑΛ. Α'.

Περὶ τοῦ κλασθέντος μαγιδίου. καὶ διὰ προσευχῆς τοῦ ἁγίου σώου γεγονότος.

Οὗτος τοίνυν ὁ [1] πολὺς ἐν ἀρεταῖς διαλάμψας πατὴρ Βενέδικτος, ὡς ἤδη καταλείψας τὴν τοῦ βίου ματαιότητα, ἐπιθυμίαν θεάρεστον εἰσδέχεται τῇ ψυχῇ οἰκῆσαι τὴν ἔρημον· ἡ δὲ τούτου τροφὸς ἥτις αὐτὸν [2] θερμῶς ἠγάπα, μόνη τῷ ἱερῷ τούτῳ ἠκολούθησε νεανίᾳ. Ὁπόταν δὲ τὸν τόπον κατέλαβον, τὸν ἐπιχωρίως ὀνομαζόμενον [3] Ἐνφεῖδε, πολλοὶ εὐλαβέστατοι ἄνδρες, τῇ πρὸς αὐτὸν πνευματικῇ ἀγάπῃ ἑλκόμενοι, ἐκεῖσε παραγενόμενοι, ἐν τῷ τοῦ ἁγίου Πέτρου ναῷ σὺν αὐτῷ διέτριβον· [4] ἡ προλεχθεῖσα τοῦ ἀοιδίμου τούτου πατρὸς Βενεδίκτου τροφὸς ἐπὶ τὸ καθαρίσαι σῖτον ἐκ τῶν πόῤῥωθεν οἰκουσῶν γυναικῶν, ἐν χρήσει μαγίδιν [μαγίδιον] [5] ᾐτήσατο· ὅπερ λαβοῦσα, ἐπάνω τῆς τραπέζης ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχεν ἔθετο. Ὑπὸ τοῦ μισοκάλου B οὖν δαίμονος ῥιφὲν ἐκλάσθη, καὶ εἰς μέρη δύο εὑρέθη διαχωρισθέν. Ὑποστρέψασα οὖν ἡ τοῦ ἁγίου τροφὸς, καὶ εὑροῦσα τὸ αὐτὸ μαγίδιν εἰς δύο διαιρεθὲν μέρη. σφοδροτάτως ἤρξατο κλαίειν, ὅτι τὸ ἐν χρήσει ληφθὲν παρ' αὐτῆς σκεῦος κεκλασμένον ἑώρα. Βενέδικτος δὲ ὁ σπουδαιότατος καὶ Θεοῦ θεράπων, ἡνίκα τὴν ἑαυτοῦ τροφὸν κλαίουσαν ἐθεάσατο. τῷ πόνῳ καὶ τοῖς δάκρυσιν αὐτῆς συμπαθήσας, λαβὼν μεθ' ἑαυτοῦ τὰ ἀμφότερα τοῦ κεκλασμένου μαγιδίου μέρη, ἑαυτὸν μετὰ δακρύων ἐν τῇ πρὸς Θεὸν δεήσει ὑπέστρωσεν. Ὅστις ἀπὸ τῆς εὐχῆς ἀναστὰς, πλησίον ἑαυτοῦ τὸ σκεῦος κείμενον, ἀκέραιον εὗρεν, ὥστε μηδὲ ἴχνος ἐν αὐτῷ τοῦ κλάσματος εὑρεθῆναι· εὐθέως δὲ τὴν τροφὸν αὐτοῦ παρακλητικοῖς τε καὶ παραινετικοῖς λόγοις ἐπαλείψας, τοῦ μὴ ἀθυμεῖν ἐν ταῖς συμβαινούσαις συμφοραῖς, [6] ἀκέραιον αὐτῇ τὸ μαγίδιν ἀποδέδωκεν, ὅπερ C κεκλασμένον ἦν λαβών. Τοῦτο τὸ ἐξαίσιον θαῦμα ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ πᾶσιν ἐγένετο γνώριμον· ὥστε οἱ τοῦ τόπου ἐκείνου οἰκήτορες ἐν τῇ εἰσόδῳ τῆς αὐτόθι ἐκκλησίας τὸ ῥηθὲν μαγίδιν ἐκρέμασαν, πρὸς τὸ θεαθῆναι ὑπὸ πάντων τῶν εἰσιόντων καὶ ἐξιόντων εἰς δόξαν μὲν Θεοῦ, ἔπαινον δὲ τοῦ γνησίου αὐτοῦ δούλου Βενεδίκτου, καὶ τοῦ γνωσθῆναι πᾶσι τὴν ἐν αὐτῷ οἰκοῦσαν ἐκ νεαρᾶς ἡλικίας θείαν χάριν. Ὅπερ σκεῦος πολλοῖς ἔτεσιν ἐν αὐτῇ τῇ εἰσόδῳ τοῦ σεβασμίου ναοῦ κρεμάμενον διήρκεσεν· ὥστε καὶ μέχρι τῆς τῶν [7] Λογγοβάρδων ἐλεύσεως ὑπὸ πάντων ἐθεωρεῖτο. Ἀλλ' ὁ φιλόθεός τε καὶ μισόδοξος Βενέδικτος, πλειόνως τοῖς σωματικοῖς ἑαυτὸν ἐπεδίδου κόποις, βέλτιον εἶναι λογισάμενος τούτοις ἐντρυφᾷν, ἤπερ τοῖς ἀνθρωπίνοις ἐπαίνοις ἐπαίρεσθαι. Εἶτα τὴν ἰδίαν λάθρᾳ καταλιπὼν τροφὸν, ἐν τοῖς τῆς ἐρημίας τόποις σχολάζειν ᾑρετίσατο· καὶ D καταλαβὼν [*F.* κατέλαβεν] τόπον τινὰ, ὃν ἐπιχωρίως ὀνομάζουσι Λάκκον, ὃς ἀπὸ τεσσαράκοντα μιλίων τῆς τῶν Ῥωμαίων διάκειται πόλεως, ἐν ᾧ πληθὺς ὑδάτων ἀναβλύζειν εἴωθεν, ἐξ οὗπερ λάκκου ἡ τῶν ὑδάτων πληθὺς εἰς διεξόδους

CAPUT PRIMUM.

De capisterii fracti reparatione

Hic itaque cum jam relictis litterarum studiis petere deserta decrevisset, nutrix quæ hunc arctius amabat, sola secuta est. Cumque ad locum venisset qui Enfide [a] dicitur, multisque honestioribus viris charitate se illic detinentibus, in beati Petri apostoli ecclesia demorarentur, prædicta nutrix illius ad purgandum triticum a vicinis mulieribus præstari sibi capisterium [b] petiit, quod super mensam incaute derelictum, casu accidente fractum est, sic ut in duabus partibus inveniretur divisum. Quod mox rediens nutrix illius, ut ita invenit, vehementissime flere cœpit, quia vas quod præstitum acceperat, fractum videbat. Benedictus autem religiosus et pius puer cum nutricem suam flere conspiceret, ejus dolori compassus, ablatis secum utrisque fracti capisterii partibus, sese cum lacrymis in orationem dedit: qui ab oratione surgens, ita juxta se vas sanum reperit, ut in eo inveniri fracturæ nulla vestigia potuissent. Mox autem nutricem suam blande consolatus, ei sanum capisterium reddidit, quod fractum tulerat. Quæ res in eodem loco a cunctis est agnita, atque in tanta admiratione habita, ut hoc ipsum capisterium ejus loci incolæ in ecclesiæ ingressu suspenderent: quatenus præsentes et secuturi omnes agnoscerent, Benedictus [c] puer conversationis gratiam a quanta perfectione cœpisset, quod annis multis illic ante omnium oculos fuit, et usque ad hæc Langobardorum tempora super fores ecclesiæ pependit. Sed Benedictus plus appetens mala mundi perpeti [d] quam laudes, et plus pro Deo laboribus fatigari quam vitæ hujus favoribus extolli, nutricem suam occulte fugiens, deserti loci secessum petiit cui Sublacus [e] vocabulum est, qui ab Romana urbe quadraginta fere millibus distans, frigidas atque perspicuas emanat aquas. Quæ illic videlicet aquarum abundantia in extenso prius lacu colligitur, ad postremum vero in amnem [f] derivatur. Quo dum fugiens pergeret, monachus quidam Romanus [g] nomine, hunc euntem reperit, quo tenderet requisivit. Cujus cum desiderium cognovisset, et secretum tenuit, et adjutorium impendit, eique sanctæ conversationis habitum tradidit, et in quantum licuit, ministravit. Vir autem Dei ad eumdem locum perveniens, in arctissimum specum se tradidit, et tribus annis, excepto Romano monacho, hominibus incognitus mansit: qui videlicet Romanus non longe in monasterio sub Adeodati [h] patris regula degebat. Sed pie ejusdem Patris sui

[1] Uterque cod. Reg. sc. et Colb. πολλοῖς ἐν ἀρεταῖς.
[2] Iidem cod. πάνυ θερμῶς.
[3] Mss. Ἐφηδέ.
[4] Hic ponitur titulus περὶ τοῦ κλασθέντος, etc. in Colb. ms.
[5] Reg. μαγίδην, quod etiam sæpe in Colb. legitur. Infra tamen occurrit μαγίδιον, in Reg.
[6] Reg. σῶον... μαγίδιον.
[7] Mss. Λογγιβάρδων.

[a] Germ. Beccens. et secundus Aud., *Fide*. Alii, *Enfidus*, *Effide*. Vulgo *Afide* in Æquicolis, duobus mill. a Sublaco.
[b] Ventilabrum a καπύω *flo*. Cribrum esse putavit interpres Gallicus.
[c] Obscure et corrupte plerique editi: *a quanta Bene l. puer conversationis gratia perfectione cœpisset.*
[d] Gussanvillæus, invitis tribus German. Regio, Norm. etc., addit, *ab hominibus quærere*.
[e] Nunc *Subiaco*, in Æquicolis.
[f] Nimirum *Anienem*.
[g] S. Romanus colitur die 22 Maii.
[h] Aliter *Deodati*, aut *Theodati*.

ῥυάκων ἀποφέρεται. Ἐν δὲ τῷ πορεύεσθαι [1] τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον, μοναχός τις, Ῥωμανὸς τῷ ὀνόματι τοῦτον πορευόμενον θεασάμενος, καὶ ἐν ᾧ τόπῳ ἀπείη [2] καταμαθὼν, καὶ τὴν ἐπιθυμίαν αὐτοῦ ἐγνωκὼς, τὸ μὲν μυστήριον ἐν αὐτῷ ἐφύλαξε, βοήθειαν δὲ καὶ [3] συνδρομὴν παρέσχεν αὐτῷ, ἐν οἷς ἂν ἡ χρεία ἀπῄτει. Ἀμφιάσας [4] αὐτὸν καὶ τὸ τῶν μοναχῶν ἅγιων σχῆμα, καὶ κατὰ τὸ δυνατὸν διηκόνει αὐτῷ ἐν ταῖς σωματικαῖς χρείαις. Ὁ δὲ θεόφρων οὗτος ἀνὴρ, ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ ἐν στενοτάτῳ σπηλαίῳ ἑαυτὸν καθεῖρξε, καὶ ἐν τρισὶ χρόνοις, πλὴν Ῥωμανοῦ τοῦ μοναχοῦ, τοῖς ἀνθρώποις ἄγνωστος παντελῶς ὑπῆρχεν· ὅστις Ῥωμανὸς, οὐ μήκοθεν ἐν μοναστηρίῳ ὑπὸ τὸν τοῦ Ἀδεωδάτου [5] πατρὸς κανόνα διῆγεν. Ἀλλ' εὐσεβῶς ὁ αὐτὸς τοῦ οἰκείου ἀββᾶ τὴν ὄψιν ὑπέκλεπτε, τῇ ὥρᾳ τῆς ἑστιάσεως, καὶ διὰ ῥητῶν τινων ἡμερῶν τῷ τοῦ Θεοῦ ἀνθρώπῳ Βενεδίκτῳ ἄρτον ἐκόμιζεν· ἐκ δὲ τοῦ μοναστηρίου Ῥωμανοῦ ὁδὸς [6] οὐχ' ὑπῆρχε φέρουσα ἐν τῷ τοῦ ὁσίου σπηλαίῳ, διότι ὑψηλότατος ὑπὲρ ἄνωθεν κρημνὸς ὑπῆρχεν, ἀλλ' ἐκ τοῦ αὐτοῦ κρημνοῦ ἐν μακροτάτῳ σχοινίῳ ὁ Ῥωμανὸς κατάγειν αὐτῷ τὸν ἄρτον εἴθιστο. Ἐν ᾧ σχοινίῳ σεμνὸν [7] κώδωνα ἔθετο, δι' αὐτοῦ σημαίνων τῷ ἁγίῳ τὴν αὐτοῦ παρουσίαν καὶ τὴν τοῦ ἄρτου παροχήν. Ἀλλ' ὁ τῶν εὐσεβῶν ἐχθρὸς καὶ τῆς ἀρετῆς ἐπίβουλός τε καὶ βάσκανος δαίμων, τῷ μὲν Ῥωμανῷ διὰ τὴν τῆς ἀγάπης συμπαθῆ φιλοφροσύνην ἀντέκειτο, Βενεδίκτῳ δὲ τῷ σεβασμίῳ ἐφθόνει, διὰ τὴν τῆς χρείας ἔνδειαν, καὶ πρὸς Θεὸν εὐχάριστον γνώμην. Βουλόμενος οὖν ταύτην ἀμβλῆναι [8], καὶ εἰς ῥᾳθυμίαν αὐτὸν ἀγαγεῖν, ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, ἐν ᾗ κατὰ τὸ συνῆθες ὁ Ῥωμανὸς τὸν ἄρτον διὰ τοῦ εἰρημένου σχοινίου τῷ ὁσίῳ ἐπεδίδου, ὁ τῶν ψυχῶν ἡμῶν ἐχθρὸς, ῥίψας λίθον τὸν κώδωνα συνέτριψεν. Ὁ τιμιώτατος δὲ Ῥωμανὸς ταῖς πρεπούσαις κατὰ Θεὸν ἐπινοίαις, οὐκ ἀπέστη τοῦ θεαρέστου ἐκείνης διακονίας. Ὅτε δὲ ηὐδόκησεν [9] ὁ παντοδύναμος Θεὸς τὸν μὲν Ῥωμανὸν τοῦ κόπου τῆς θεοφίλου ἐκείνης ὑπηρεσίας καταπαῦσαι, τὴν δὲ τοῦ μακαρίου πατρὸς Βενεδίκτου πολιτείαν εἰς πολλῶν ὠφέλειαν ἐπιδεῖξαι, μὴ συγχωρήσας ἐπὶ πολὺ τῷ μοδίῳ κρύπτεσθαι τὴν ἐξ αὐτοῦ [10] ἀπαστράπτουσαν τῶν θαυμάτων θείαν χάριν, τοῦτον ὑπεράνω [11] τῆς λυχνίας ἔθετο, ὅπως λάμψῃ πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ. Πρεσβυτέρῳ γάρ τινι μήκοθεν διάγοντι τοῦ σπηλαίου, ἐν ᾧ ὁ ἀοίδιμος ἡσύχαζε Βενέδικτος, ἑτοιμασίαν ἑαυτῷ δαψιλῶν βρωμάτων πεποιηκότι, ἐν τῇ τοῦ ἁγίου πάσχα ἑορτῇ, δι' ὀπτασίας ὁ κύριος ὀφθῆναι κατηξίωσε, λέγων· « Ἰδοὺ σὺ, πρεσβύτερε, ἐδεσμάτων πολυτέλειαν ἑαυτῷ ἑτοιμάζεις, ὁ δὲ δοῦλός μου Βενέδικτος ὑπ' ἐκείνῳ [12] τῷ σπηλαίῳ διὰ τὴν πρὸς ἐμὲ ἀγάπην λιμῷ συνέχεται. » Ὅστις παρευθὺ ἀναστὰς ἐν αὐτῇ τῇ [13] ἑορτῇ τοῦ ἁγίου πάσχα, μεθ' ὧνπερ ἑαυτῷ ἦν πεποιηκὼς ἐδεσμάτων, ἐν τῷ σπηλαίῳ ἐπορεύθη, καὶ τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον ἐν τοῖς τῶν ὀρέων κρημνοῖς, ἐν ταῖς διορυγαῖς τῶν κοιλάδων, ἐν ταῖς ὀπαῖς τῆς γῆς ἐζήτει, ὃν ἐν τῷ σπηλαίῳ εὑρὼν ἠσπάσατο. Γενομένης δὲ εὐχῆς παρ' ἀμφοτέρων, εὐλογήσαντες τὸν Θεὸν ἐκάθησαν, θείοις λόγοις τὰς ἑαυτῶν ἐκτρέφοντες ψυχάς. Ἀναστὰς οὖν ὁ πρεσβύτερος παρεκάλει τὸν ἅγιον, λέγων· « Δεῦρο, πάτερ, μεταλάβωμεν τροφῆς, ὅτι σήμερον πάσχα ἐστί. » Πρὸς ὃν ἀποκριθεὶς ὁ ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ, εἶπεν· « Οἶδα ὅτι πάσχα

A oculis furabatur horas, et quem sibi ad manducandum subripere poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat. Ad eumdem vero specum a Romani cella iter non erat, quia excelsa desuper rupes eminebat; sed ex eadem rupe in longissimo fune religatum Romanus deponere panem consueverat; in qua [a] etiam resti parvum tintinnabulum inseruit, ut ad sonum tintinnabuli vir Dei cognosceret quando sibi Romanus panem præberet, quem exiens [b] acciperet. Sed antiquus hostis unius charitati invidens, et alterius refectioni, cum quadam die submitti panem conspiceret, jactavit lapidem, et tintinnabulum fregit. Romanus tamen modis congruentibus [c] ministrare non desiit. Cum vero jam Deus omnipotens et Romanum vellet a labore quiescere, et Benedicti vi- B tam in exemplum hominibus demonstrare, ut posita supra candelabrum lucerna claresceret, quatenus omnibus qui in domo Dei sunt luceret, cuidam presbytero longius manenti, qui refectionem sibi in Paschali festivitate paraverat, per visum Dominus apparere dignatus est, dicens : Tu tibi delicias præparas, et servus meus illo in loco fame cruciatur. Qui protinus surrexit, atque in ipsa solemnitate Paschali cum alimentis quæ sibi paraverat, ad locum tetendit, et virum Dei per abrupta montium, per concava vallium, per defossa terrarum quæsivit, eumque latere in specu reperit. Cumque oratione facta, benedicentes Dominum omnipotentem consedissent, post dulcia vitæ colloquia, is qui advenerat presbyter dixit : Surge, sumamus cibum, quia hodie Pascha C est. Cui vir Dei respondit, dicens : Scio quia Pascha est, quia videre te merui. Longe quippe ab hominibus positus, quia die eodem Paschalis solemnitas esset ignorabat. Venerabilis autem presbyter rursus asseruit, dicens : Veraciter hodie Resurrectionis Dominicæ Paschalis dies est; abstinere tibi minime congruit, quia et ego ad hoc missus sum, ut omnipotentis dona Dei pariter sumamus. Benedicentes igitur Dominum sumpserunt cibum. Expleta itaque refectione et colloquio, ad ecclesiam presbyter recessit.

[1] Reg. πορευθῆναι τόν.
[2] Idem τόπῳ ἀπῄει.
[3] Ita mss., at editi καὶ συντροφήν.
[4] Uterque cod. ἀμφιάσας αὐτῷ καὶ τό.
[5] Colb. addit ἁγιωτάτου.
[6] Mss. εἴσοδος.
[7] Reg. μικρόν κώδωνα.
[8] Idem ἀπαλῦναι.
[9] Εὐδόκησεν in duob. mss. et paulo post φιλοθέου ἐκείνης.
[10] Reg. τὸν δι' αὐτοῦ. Colb. τὴν δὲ αὐτοῦ.

D [11] Sic mss. unica voce, cum in ed. legatur, ὑπὲρ ἄνω.
[12] Reg. ἐν ἐκείνῳ.
[13] Idem, αὐτῇ τῇ ὥρᾳ καὶ ἑορτῇ τοῦ πάσχα μεθ' ὧν παρ' ἑαυτῷ ἦν.

[a] Becc. et secundus Aud., *in quo etiam resti.*
[b] Secundus Carnot. primus Aud. Bigot. Lyr., *quem accipiens ederet.*
[c] Germ. Gemet. aliique Norm., *horis congruentibus.*

ἐστιν, ὅτι θεωρῆσαί σε ἠξιώθην. » Ἠγνόει γὰρ ὁ ὅσιος, ὅτι ἀληθῶς τῆς ἀναστάσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ ἑορτὴ ὑπῆρχεν. Ὁ δὲ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον εἶπεν· « Ἐπ' ἀληθείας, πάτερ, σήμερον τῆς ἀναστάσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν ἡ ἡμέρα ἐστί, καὶ νηστεύειν σε οὐδαμῶς ἁρμόζει. Καὶ γὰρ ἐγὼ ἐπὶ τούτῳ πρὸς σὲ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἐστάλην [1] ὅπως τῶν δωρεῶν αὐτοῦ ἀμφότεροι μεταλάβωμεν· « Εὐχαριστήσαντες οὖν τῷ Θεῷ, μετέσχον ἑκάτεροι τροφῆς. Τελεσθείσης δὲ τῆς πνευματικῆς εὐφρασίας, καὶ τῆς τῶν γραφῶν ἐπωφελοῦς διαλέξεως, ἀσπασάμενος αὐτὸν ὁ πρεσβύτερος [2], ἀνεχώρησε, δοξάζων τὸν Θεὸν ἐπὶ τῇ τοῦ δικαίου ἀκτημοσύνῃ.

Ἐν αὐτῷ οὖν τῷ καιρῷ βοσκοί τινες τοῦτον ἐν τῷ σπηλαίῳ κρυπτόμενον ἑωρακότες, ἀμφιάσμασι δερματίνοις ἐνδεδυμένον, ἐδόκουν θηρίον τι βλέπειν, καταλαβόμενοι δὲ αὐτὸν Θεοῦ δοῦλον ὑπάρχειν, τὴν ἑαυτῶν θηριώδη γνώμην ἀποβαλόντες, εἰς συμπάθειαν μετετράπησαν. Διέθειν οὖν ἡ περὶ αὐτοῦ ἔνθεος φήμη ἐν τοῖς γειτνιάζουσι τόποις. Ὡς ἐκ τούτου λοιπὸν πλεῖστοι παρέβαλον [3] πρὸς αὐτὸν τὰς τοῦ σώματος χρείας ἐπιφερόμενοι· ὁ δὲ ὅσιος πατὴρ τοῖς πνευματικοῖς τούτους μᾶλλον διέτρεφε διδάγμασιν.

A Eodem quoque tempore hunc in specu latitantem etiam pastores invenerunt : quem dum vestitum pellibus inter fruteta cernerent, aliquam bestiam esse crediderunt : sed cognoscentes Dei famulum, eorum multi ad pietatis gratiam a bestiali mente mutati sunt. Nomen itaque ejus per vicina loca innotuit cunctis : factumque est ut ex illo jam tempore a multis frequentari cœpisset, qui cum ei cibum afferrent corporis, ab ejus ore in suo pectore alimenta referebant vitæ.

ΚΕΦΑΛ. Β'.

Περὶ τοῦ ἐπαναστάντος αὐτῷ σαρκικοῦ πολεμίου.

Ἐν μιᾷ οὖν τῶν ἡμερῶν ἡσυχάζοντι τῷ ἁγίῳ, ἰδοὺ ὁ πειραστὴς παραγέγονεν, ἐν σχήματι ὀρνέου μέλανος, ὅπερ ἐπιχωρίως [4] κόσσυφον προσαγορεύουσι, καὶ τῷ ἡγιασμένῳ αὐτοῦ προσώπῳ περιίπτασθαι ἤρξατο ἀναιδῶς, ὥστε δύνασθαι ταῖς χερσὶ κρατηθῆναι, εἰ ὅλως τοῦτο ὁ ἅγιος ἤθελεν. Ὁ δὲ θεοφόρος οὗτος ἀνὴρ τὴν τοῦ ἐχθροῦ ἐνέδραν κατανοήσας, τῷ σημείῳ τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ ἑαυτὸν καθοπλίσας, τὸν ἐν σχήματι ὀρνέου φανέντα αὐτῷ δαίμονα ἄφαντον πεποίηκε. Τοσοῦτος δὲ πειρασμὸς τῆς σαρκὸς ἐπετέθη τῷ ἁγίῳ μετὰ τὴν ζοφοειδοῦς ὀρνέου ἀναχώρησιν, οἷος οὐ πώποτε [5] τῷ ὁσίῳ ἐγεγόνει· γυναῖκα γάρ τινα ἦν ποτε ἑωρακὼς ἦν ἐν τῷ καιρῷ τῆς νεότητος αὐτοῦ ὁ ἀπαθὴς οὗτος καὶ τίμιος ἀνήρ, ταύτην ὁ τῆς πορνείας δαίμων σχηματίσας, τοῖς τοῦ δικαίου παρεστήσατο νοητοῖς ὀφθαλμοῖς· τοσαύτην δὲ τῆς σαρκὸς πύρωσιν ἐν αὐτῷ ἀντικείμενος ἀνῆψεν, ὥστε παρὰ βραχὺ σαλευθῆναι αὐτὸν ἀπὸ τῆς ψυχικῆς ἀκηδίας, καὶ ἐπὶ τὸν κόσμον παλινδρομῆσαι· ἀλλ' ἡ τοῦ Θεοῦ σωτήριος χάρις τοῦτον ἐνισχύσασα, νικητὴν κατὰ τῶν παθῶν ἀνέδειξε. Τῷ γὰρ βελτίονι καὶ σώφρονι λογισμῷ ἑαυτὸν ῥυθμίσας, τῆς τοῦ ἐχθροῦ πανουργίας [6] περιεφρόνησεν. Ἀναβλέψας δὲ τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, κνιδῶν τε καὶ ἀκανθῶν πλῆθος συνέγγυς θεασάμενος, καὶ ἀπεκδυσάμενος τὸ ἱμάτιον, γυμνὸν ἑαυτὸν ἐν τοῖς τῶν κνιδῶν καὶ ἀκανθῶν ὀξυτάτοις κέντροις ἔρριψε, καὶ ἐπὶ πολλαῖς ὥραις ἐν αὐτοῖς κυλισθεὶς ἐγκαρτερῶν, καὶ ἅπαν τὸ ἑαυτοῦ σῶμα αἵμασι περιῤῥεόμενον βλέπων, γενναίως ὑπενέγκας τὰς τούτων ἀλγηδόνας, λυτρωθεὶς τε τοῦ τοιούτου θανατηφόρου λογισμοῦ, τῷ Θεῷ μεγάλῳ [7] διέμενεν εὐχαριστῶν· καὶ ἀπὸ τότε λοιπὸν, ἐν παντὶ τῷ τῆς ζωῆς αὐτοῦ χρόνῳ, ὁ ἐν σχήματι γυναίου φανεὶς αὐτῷ δαίμων τῆς πορνείας,

CAPUT II.

De tentatione carnis superata.

Quadam vero die dum solus esset, tentator adfuit. Nam nigra parvaque avis, quæ [a] vulgo merula no-
B minatur, circa ejus faciem volitare cœpit, ejusque vultui importune [b] insistere, ita ut manu capi posset, si hanc vir sanctus tenere voluisset : sed signo crucis edito recessit avis. Tanta autem carnis tentatio ave eadem recedente secuta est, quantam vir sanctus nunquam fuerat expertus. Quamdam namque aliquando feminam viderat, quam malignus spiritus ante ejus mentis oculos reduxit : tantoque igne servi Dei animum in specie illius accendit, ut [c] se in ejus pectore amoris flamma vix caperet, et jam etiam pene deserere eremum voluptate victus deliberaret. Cum subito superna [d] gratia respectus ad semetipsum reversus est, atque urticarum et veprium juxta densa succrescere fruteta conspiciens, exutus indumento nudum se in illis spinarum aculeis et
C urticarum incendiis projecit : ibique diu volutatus, toto ex eis corpore vulneratus exiit, et per cutis vulnera eduxit a corpore vulnus mentis; quia voluptatem traxit in dolorem. Cumque bene pœnaliter foris arderet, exstinxit quod intus illicite ardebat. Vicit itaque peccatum, quia mutavit incendium. Ex quo videlicet tempore, sicut post discipulis ipse perhibebat, ita in eo est tentatio voluptatis edomita, ut tale aliquid in se minime sentiret. Cœperunt postmodum multi jam mundum relinquere, atque ad ejus magisterium festinare. Liber quippe a tentationis vitio, jure jam factus est virtutum magister. Unde
D et per Moysen præcipitur (*Num.* VIII, 24 *seq.*), ut levitæ a viginti quinque annis et supra ministrare

[1] Reg. πρὸς σὲ ἀπεστάλην.
[2] Reg. ὁ γέρων.
[3] Idem παρέβαλλον.
[4] Reg. κόσσυφον.
[5] Ibid. οἷος οὐδέποτε.
[6] Uterque cod. περιεφρόνησεν.
[7] Mss. διέμεινεν.

[a] Primus Theoderic. et Bigot. *quæ a vulgo.*

[b] Abest *importune* a Compend.

[c] Ita mss. Germ., Norm., Compend. et alii melioris notæ. At excusi : *ut dum in ejus pectore amoris flamma vim caperet.*

[d] Primus Carnot., Prat., Gemet., *subito sup. gratiæ respectu.* Ita etiam primus Theod. subrogata voce *aspectu* pro *respectu.* Big. *Tum subito sup. gratia repletus.*

οὐδαμῶς τούτῳ παρενοχλῆσαι ἐτόλμησε, καθὼς αὐτὸς ὁ ἐν πειρασμοῖς ἀήττητος πατὴρ τοῖς ἑαυτοῦ μετέπειτα διηγήσατο μαθηταῖς. Πολλοὶ οὖν τὰ τοῦ κόσμου τερπνὰ καταλείψαντες πρὸς αὐτὸν παρέβαλον, οἰκοδομῆς χάριν πνευματικῆς, καὶ ἐδιδάσκοντο παρ' αὐτοῦ ἀνδρείως ταῖς τῆς πονηρίας ποικίλαις δυνάμεσιν ἀντιτάττεσθαι. Ὅθεν διὰ Μωϋσέως κελευόμεθα, τοὺς Λεβίτας ἀπὸ πέμπτου καὶ εἰκοστοῦ τῆς οἰκείας ἡλικίας χρόνου, πρὸς τὴν ὑπηρεσίαν ἐγχειρίζεσθαι, ἀπὸ δὲ πεντηκοστοῦ χρόνου, φύλακας τούτους τῶν σκευῶν εἶναι.

A debeant : [a] ab anno vero quinquagesimo custodes vasorum fiant.

ΠΕΤΡ. Ἐκ τῆς νυνὶ λεχθείσης μοι μαρτυρίας, θαυμαστή τις ἐπίγνωσίς μοι διαλάμπει, ἀλλὰ δυσωπῶ τοῦτό μοι σαφῶς ἑρμηνεῦσαι.

ΓΡΗΓΟΡ. Δῆλον, Πέτρε, πᾶσι καθέστηκεν, ὡς ἐν τῇ νεότητι τῆς σαρκὸς ἡ τοῦ σώματος πύρωσις, καὶ ὁ βρασμὸς τῶν παθῶν τοῖς ἀνθρώποις ἐνοχλεῖν εἴωθεν· ἀπὸ δὲ χρόνου πεντηκοστοῦ ἡ φυσικῶς [1] προσοῦσα τῷ σώματι θέρμη συστέλλεται. Σκεύη δὲ ἱερὰ καὶ τῷ Θεῷ ἀνακείμενά εἰσι τῶν πιστῶν τὰ νοήματα. Οἱ δὲ ἐκλεκτοί, ἐφ' ὅσον ἐν τῷ τῶν παθῶν κλύδωνι χειμάζονται, ὑπηρεσίαις καὶ κόποις σωματικοῖς [2] ἀναγκαῖον αὐτούς ἐστι διαμεῖναι. Ἡνίκα δὲ παλαιωθεῖσα τῶν πάθῶν ἡ νεότης, καὶ εἰς τὸν γαλήνης λιμένα καταντήσῃ, καὶ ἡ τοῦ σώματος ἀποδράσῃ θέρμη, τότε φύλακες τῶν σκευῶν καθίστανται [3], διότι ψυχῶν διδάσκαλοι γίνονται.

Petrus. Jam quidem prolati testimonii mihi aliquantum intellectus interlucet : sed tamen hoc plenius [b] exponi postulo.

Gregorius. Liquet, Petre, quod in juventute carnis tentatio ferveat, ab anno autem quinquagesimo calor corporis frigescat : vasa autem sacra sunt fidelium mentes. Electi ergo cum adhuc in tentatione sunt, subesse eos ac servire necesse est, et obsequiis laboribusque fatigari : cum vero jam mentis ætate tranquilla calor recesserit tentationis, custodes vasorum sunt, quia doctores animarum fiunt.

ΠΕΤΡ. Ὁμολογῶ καὶ ἀρέσκομαι ἐπὶ τοῖς λεχθεῖσιν, ἀλλ' αἰτῶ, ἵνα τῆς [4] προτεθείσης μαρτυρίας τὸ δυσερμήνευτον φανερώσῃς, καὶ περὶ τῆς ζωῆς τοῦ δικαίου τούτου, καὶ τῆς ἐνάρξεως τῆς αὐτοῦ πολιτείας τὴν διήγησιν ἡμῖν ποιήσασθαι.

Petr. Fateor, placet quod dicis : sed quia prolati testimonii claustra reserasti, quæso ut de vita justi debeas ea quæ sunt inchoata, percurrere.

ΚΕΦΑΛ. Γ'.

Περὶ τοῦ προσενεχθέντος αὐτῷ φαρμάκου ἐν ποτηρίῳ ὑελίνῳ.

CAPUT III.

De vase vitreo crucis signo rupto.

ΓΡΗΓΟΡ. Ἐκποδὼν ἤδη γεγονότος ἀπὸ τοῦ [5] ἁγίου τοῦ ῥηθέντος πειρασμοῦ, ὡς ἐξ ἀκανθῶν λυτρωθεὶς ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, οὕτω διέμεινεν ἀταράχῳ λογισμῷ καὶ λοιπὸν ὑπὸ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος χάριτος καλλιεργηθείσης αὐτῷ τῆς καρδίας, εὐφορώτερον διδασκαλίας τὸν καρπὸν ἀπεδίδου, ὡς ἐκ τούτου ἐξάκουστον γενέσθαι πᾶσι τὴν περὶ αὐτοῦ ἀξιοθαύμαστον [6] φήμην. Ἦν δὲ μοναστήριον οὐ μακρὰν τοῦ σπηλαίου τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς Βενεδίκτου, ἐν ᾧ ὁ τῆς ἐκεῖσε συνοδίας ἐτελεύτησε προεστώς. Πάντες οὖν οἱ ἐκεῖσε ὄντες ἀδελφοί, ὁμοθυμαδὸν πρὸς τὸν μακάριον παραγενόμενοι, ἐλιπάρουν αὐτόν, ὅπως γένηται αὐτοῖς πρὸς Θεὸν ὁδηγὸς καὶ ποιμήν. [7] Ὁ δὲ τὴν ἐκπαιδόθεν συνακμάσασαν αὐτῷ θεομίμητον ταπείνωσιν καταλεῖψαι μὴ ἀνασχόμενος, τὴν τοιαύτην αὐτῶν παράκλησιν ἀπε-

Gregorius. Recedente igitur tentatione, vir Dei quasi spinis erutis exculta terra de virtutum segete feracius fructus dedit. Præconio itaque eximiæ conversationis celebre nomen ejus habebatur. Non longe autem monasterium [c] fuit, cujus congregationis Pater defunctus est, omnisque ex illo congregatio ad eumdem venerabilem Benedictum venit, et magnis precibus ut eis præesse deberet, petiit. Qui diu negando distulit, suis [d] illorumque fratrum moribus se convenire non posse prædixit : sed victus quandoque precibus assensum dedit. Cumque in eodem monasterio regularis vitæ custodiam teneret, nullique ut prius per actus illicitos in dexteram lævamque partem deflectere a conversationis itinere liceret;

[1] Ita mss. Ed. habent οὖσα.
[2] Reg. ἀναγκαῖόν ἐστιν αὐτοὺς διαμεῖναι. Colb. ἀναγκαῖόν ἐστιν αὐτοῖς διαβῆναι.
[3] Hæc quæ desunt in ed. Vatic. suppeditarunt mss. Restitui debuisse satis probat textus Lat.
[4] Mss. προλεχθείσης... διήγησιν ποιήσῃς μοι.
[5] Colb. ἁγίου τὸ ῥηθὲν τοῦ πειρασμοῦ. Et paulo post., ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος καὶ χάριτος.
[6] Reg. μνήμην.
[7] Hic interpres liberius exspatiatur extra Latini textus metas; quod ipsi non insolens.

[a] Hic loquendi modus millies occurrit apud Greg. Vide hom. 17 in Evang., *ut ex eadem salis petra lambere debeant.* Lib. II, ep. 33, *Tua fraternitas ad me ante æstivum tempus debeat venire*, id est, *veniat.* Idem recurrit adhuc eadem in epistola, et bis in 34. Eodem loquendi modo usus Gregorius Turon.: *Immisit*, inquit, *ei cogitationem, ut prætermissa eremo, ad seculum reverti deberet*, l. de Vit. Pat. c. 9, et Beda l. I Hist. c. 23 : *Augustinum remittunt, qui a B. Greg. obtineret, ne tam periculosam peregrinationem adire deberent.* In privilegio Adeodati papæ monasterio S. Martini Tur. concesso : *Supplici voce precatus est, ut privilegium... ei concedere deberemus*, id est, *concederemus.* Tom. I Concil. Galliæ, p. 507. Porro similia leguntur l. XXIII Moral. c. olim 6, nunc 11, num. 21, et referuntur a Paterio c. 4 in lib. Numer.

[b] Val. cl., *planius.* Ita quoque duo Theod.

[c] Monasterii i lius vestigia etiamnum supersunt ad Vicum Varronis (*vulgo Vicovarro*) in sinistra Anienis ripa, inter Sublacum et Tibur, ut plures notaverunt, D. Mabillonius in suo Itin. Ital., sed fusius D. Bern. Montfaucon, qui in Diarii Ital. cap. 22, pag. 340, monasterii et loci in quo situm est ichnographiam suppeditat.

[d] Primus Carn., *suos illorumque fr. mores convenire non posse.* Germ., Norm. et pl., *suis illorumque fr. moribus convenire non posse.*

σείσατο, ἁμαρτωλὸν ἑαυτὸν λέγων καὶ ἀνάξιον, ἐπαγαγὼν καὶ τοῦτο· « Ὅτι τὰ ἐμὰ ἤθη οὐ συμφωνοῦσι τοῖς ἤθεσιν ὑμῶν. » Νικηθεὶς δὲ ὑπὸ τῆς συμπαθοῦς φιλαδελφίας, μόλις τῇ τούτων εἶξε παρακλήσει. Ἐν δὲ τῷ τὸν μακάριον ἐν τῇ αὐτῇ μονῇ ἐπαγρύπνως φυλάττειν τὴν τοῦ μοναστηρίου κατάστασιν, καὶ μὴ συγχωρεῖν αὐτοῖς τοῖς οἰκείοις θελήμασι φέρεσθαι, ὡς ἐθεάσαντο [1] τὴν τοῦ ὁσίου ἁγιότητά τε καὶ ἀκριβεστάτην ἄσκησιν μὴ συνᾴδουσαν τῇ ἑαυτῶν πονηρίᾳ, ἤρξαντο ἑαυτοῖς διαμάχεσθαι, καὶ μεταμελεῖσθαι, ὅτι τοιοῦτον ἑαυτοῖς ἀκριβέστατον καὶ ἀσκητικώτατον ἄνδρα ἡγούμενον ἐξητήσαντο· ἐκείνων μὲν οὖν ἡ στρεβλότης τῷ τοῦ μακαρίου διεμάχετο νόμῳ· τοῖς σκολιοῖς γὰρ ἤθεσι βδελυκτὴ ὑπάρχει ἡ τῶν δικαίων πολιτεία. Γνόντες οὖν οἱ στασιώδεις ἐκεῖνοι, ὅτι ἡ αὐτῶν φιλοτάραχος γνώμη κατὰ τὸ αὐτοῖς δοκοῦν οὐκ ἐτελέσθη, φάρμακόν τι θανάσιμον οἴνῳ συμμίξαντες, ἐν ποτηρίῳ τε ὑελίνῳ βαλόντες, ἀνακειμένῳ τῷ πατρὶ κατὰ τὸ σύνηθες ἐν τῇ τῆς ἑστιασέως ὥρᾳ, τὸ τοιοῦτον θανατηφόρον [2] ποτὸν ἐπιδοῦναι τῷ ἁγίῳ ἐτόλμησαν· ὁ δὲ σημειοφόρος καὶ μέγας πάτηρ Βενέδικτος ἐκτείνας τὴν χεῖρα, τὸ σημεῖον τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ πεποίηκε, καὶ παραυτίκα τὸ σκεῦος διαῤῥαγὲν πέπτωκεν ἐπὶ τῆς γῆς· οὕτω δὲ συνετρίβη, τῇ τοῦ τιμίου καὶ πανσέπτου [3] σταυροῦ δυνάμει, ὡς νομίζειν τοὺς θεασαμένους λίθῳ τὸ ὀλέθριον ἐκεῖνο συνθλασθῆναι ποτήριον. Ἔγνω οὖν ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, ὅτι τὸ ποτὸν θανάσιμον ἦν, ὅπερ ὑπενέγκαι οὐκ ἠδυνήθη πεποιηκότος τοῦ ἁγίου τὸ σημεῖον τῆς ζωῆς ἡμῶν. Εὐθέως οὖν ἀναστὰς ἱλαρῷ τῷ προσώπῳ καὶ γαληνῷ τῷ λογισμῷ, προσκαλεσάμενος τοὺς ἀδελφούς εἶπε πρὸς αὐτούς· « Ἐλεήσαι ὑμᾶς, τέκνα, ὁ παντοδύναμος Θεός· διὰ τί ἐν ἐμοὶ ποιῆσαι ταῦτα ἠθελήσατε; οὐχὶ πρώην εἶπον ὑμῖν, ὅτι οἱ ὑμέτεροι τρόποι τοῖς ἐμοῖς ἤθεσιν οὐ συνέρχονται; ἀπέλθετε, καὶ κατὰ τὰ ἤθη ὑμῶν πατέρα ἑαυτοῖς ἐκζητήσατε· ἐγὼ γὰρ μεθ' ὑμῶν εἶναι οὐ δύναμαι. » Τότε μετὰ πάσης προθυμίας ὁ ἅγιος τὸν τόπον κατέλαβεν ἔνθα τὸ πρὶν κατῴκει, τὴν ἀρχῆθεν αὐτοῦ φίλην ἡσυχίαν ἀσπαζόμενος, καὶ ὑπὸ τοῦ ἐν ὑψηλοῖς κατοικοῦντος καὶ τὰ ταπεινὰ ἐφορῶντος Θεοῦ μόνου φρουρούμενος, καὶ ἑαυτῷ προσέχων, κατῴκησε μεθ' ἑαυτοῦ.

A suscepti fratres insane sævientes semetipsos prius accusare cœperunt, quia hunc sibi præesse poposcerant: quorum scilicet tortitudo [a] in norma ejus rectitudinis offendebat. Cumque sibi sub eo conspicerent illicita non licere, et se dolerent assueta relinquere, durumque esset quod in mente veteri cogebantur nova meditari, sicut pravis moribus semper gravis est vita bonorum, tractare de ejus morte aliqui [b] conati sunt, qui inito consilio venenum vino miscuerunt. Et cum vas vitreum, in quo ille pestifer potus habebatur, recumbenti Patri, ex more [c] monasterii, ad benedicendum fuisset oblatum, extensa manu Benedictus signum crucis edidit, et vas quod longius tenebatur, eodem signo rupit: sicque confractum est, ac si in illo vase mortis, pro B cruce lapidem dedisset. Intellexit protinus vir Dei, quia potum mortis habuerat, quod portare non potuit signum vitæ: atque illico surrexit, et vultu placido, mente tranquilla convocatos fratres allocutus est, dicens: Misereatur vestri, fratres, omnipotens Deus; quare in me facere ista voluistis? Nunquid non prius dixi vobis, quia vestris ac meis moribus minime conveniret? Ite, et juxta vestros mores Patrem vobis quærite, quia posthac me habere minime potestis. Tuncque ad locum dilectæ solitudinis rediit, et solus in superni spectatoris [d] oculis habitavit secum.

ΠΕΤΡ. Ὀλίγον, θεόῤῥημον δέσποτα, ἀσαφὲς καθέστηκέ μοι τὸ εἰρημένον· τί γάρ ἐστι τὸ [4] Κατῴκησε μεθ' ἑαυτοῦ;

Petr. Minus patenter intelligo, quidnam sit, Habitavit secum.

ΓΡΗΓ. Ἐφ' ὅσον ὁ ἅγιος οὗτος ἀνὴρ τοὺς μεθ' ἑαυτοῦ ἀδελφοὺς ὁμοψύχους τε καὶ ἓν πνέοντας μὴ εὑρηκώς, ἀλλὰ καὶ τῆς πολιτείας αὐτοῦ μακρὰν ὄντας, καὶ μὴ βιαζομένους ἑαυτοὺς ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ ταπεινῇ ὁδῷ βαδίζειν, πολλάκις δὲ τῆς οἰκείας ἀμελήσαντας σωτηρίας αὐτοὺς ὁρῶν, λίαν ἐσπλαγχνίζετο ἐπ' αὐτούς, καὶ ὑφ' ἑαυτὸν σκέπειν [5] τε καὶ ποιμαίνειν ἔσπευδεν· ἡνίκα δὲ καθ' ἑκάστην ὑπὲρ τῆς ἐκείνων διορθώσεως ἐκοπία, ἑώρα δὲ ἑαυτὸν τῆς πρὸς Θεὸν ἀναβάσεως ἐλαττούμενον, πλεονάκις ἑαυτὸν κατελίμπανεν, ἐκείνους δὲ οὐχ' ηὕρισκεν [6]· ἐπεὶ ποσάκις διὰ κινήσεως λογισμῶν ἀπρεπῶν, ἔξωθεν ἡμῶν ἑαυτῶν ἀπαγόμεθα, καὶ ἡμεῖς μέν ἐσμεν, μεθ' ἑαυτῶν δὲ οὐκ ἐσμέν· τὰ γὰρ καθ' ἑαυτοὺς μὴ σκοποῦντες, εἰς ἕτερα

C *Gregor.* Si sanctus vir contra se unanimiter conspirantes, suæque conversationi longe dissimiles, coactos diu sub se [e] tenere voluisset, fortassis sui vigoris usum et modum tranquillitatis excederet [f], atque a contemplationis lumine suæ mentis oculum declinasset. Dumque quotidie illorum incorrectione fatigatus minus curaret sua, et se forsitan relinqueret, et illos non inveniret. Nam quoties per cogitationis motum nimium extra nos ducimur, et [g] nos sumus, et nobiscum non sumus, quia nosmetipsos minime videntes, per alia vagamur. An illum secum fuisse dicimus, qui in longinquam regionem abiit, portionem quam acceperat consumpsit, et uni in ea

[1] Reg. οἱ δὲ ὡς ἐθεάσαντο.
[2] Idem ποτήριον.
[3] In Colb. additur καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ.
[4] Colb. κατοικῆσαι.
[5] Ita mss. licet in editis legatur σκέπτειν, usurpato σκέπτω pro σκέπτομαι.
[6] Reg. εὕρισκεν.

[a] Excusi plerique, *fortitudo*, quem errorem Bollandiani retinuerunt in textu, emendarunt in notis. Omnes mss. Angl., Gallic., etc., habent *tortitudo*.
[b] Germ. duo, Theod. et Norm., longe alio sensu, *aliquid*. Omnes in Bened. conspirasse persuadet quod infra legitur: *Si sanctus vir contra se unanimiter*

D *conspirantes*, etc. Et pene in fine capitis: *Vir itaque sanctus propter quem custodiendum staret qui omnes unanimiter se persequentes cerneret?* Verum veneni vino infusi fortasse non erant conscii omnes.
[c] Comp. non habet, *ex more*.
[d] Bigot. primus, Aud. et plur. Norm., *inspectoris*.
[e] Secundus Carn., *sustinere*.
[f] Ita mss., cujus verbi loco, excusi habent, *abscinderet*.
[g] In Gilot., *et non sumus*. Gussanv., *et nobiscum sumus*. Melius in Vatic., cui favent Germ., Carnot., Norm. et plerique mss., *et nos sumus*.

περιφερόμεθα [1]. Καὶ γὰρ ἐκεῖνον ἔξω ἑαυτοῦ εἶναι λέγομεν, A τὸν εἰς χώραν μακρὰν βαδίσαντα, καὶ τῆς οἰκείας οὐσίας τὸ μέρος καταφαγόντα, καὶ ἑνὶ τῶν ἐκεῖσε πολιτῶν προσκολληθέντα, χοίρους τε βοσκήσαντα, οὓς ἑώρα κεράτια ἐσθίοντας, ἑαυτὸν δὲ λιμῷ τηκόμενον· ὅστις ἤρξατο ἐν ἑαυτῷ διαλογίζεσθαι περὶ τῶν ἀγαθῶν, ὧνπερ ἀπώλεσε. Γέγραπται γὰρ περὶ αὐτοῦ, ὅτι « εἰς ἑαυτὸν ἐλθὼν, εἶπε, Πόσοι μίσθιοι ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ πατρός μου περισσεύουσιν ἄρτων; » Εἰ τοίνυν μεθ' ἑαυτὸν [melius ἑαυτοῦ] ἦν, πῶς εἰς ἑαυτὸν ἐπανῆκεν [2]; τοῦτον γοῦν τὸν τῆς εὐλογίας φερώνυμον πατέρα μεθ' ἑαυτοῦ κατοικεῖν εἶπον, ὅτι ἐπαγρύπνῳ φυλακῇ ἑαυτὸν διαπαντὸς περιεσκόπει, τῷ τοῦ κτίστου ἀκοιμήτῳ ὀφθαλμῷ [3] ἑκάστοτε ἑαυτὸν θεώμενον ἐπιστάμενος· [4] καὶ τὰ οἰκεῖα ἑαυτοῦ ἐξετάζοντα κατὰ τὸν θεοπάτορα Δαυὶδ προφήτην, τὸν λέγοντα· « Προορώμην τὸν κύριον ἐνώπιόν μου διαπαντὸς, ὅτι ἐκ δεξιῶν μου ἐστὶν, ἵνα μὴ σαλευθῶ. »

civium adhæsit, porcos pavit, quos et manducare siliquas viderit, et esuriret, qui tamen cum postmodum cœpit cogitare bona quæ perdidit, scriptum de illo est: *In se reversus dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus* (*Luc.* XV, 17)! Si igitur secum fuit, unde ad se rediit? Hunc ergo venerabilem virum secum habitasse dixerim, quia in sua semper custodia circumspectus, ante oculos Conditoris se semper aspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non divulgavit [a].

ΠΕΤΡ. Πῶς οὖν περὶ τοῦ μακαρίου Πέτρου γέγραπται B τοῦ Ἀποστόλου, ὅτι ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου διὰ τοῦ ἀγγέλου ἐξεβλήθη; ὅτι ἐν ἑαυτῷ γενόμενος, εἶπε· « Νῦν οἶδα ἀληθῶς, ὅτι ἐξαπέστειλε κύριος τὸν ἄγγελον αὐτοῦ, καὶ ἐρύσατό με ἐκ χειρὸς Ἡρώδου, καὶ πάσης τῆς προσδοκίας τοῦ λαοῦ τῶν Ἰουδαίων. »

Petr. Quid ergo quod de apostolo Petro scriptum est, dum de carcere ab angelo eductus fuisset? Qui ad se reversus dixit: *Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum* (*Act.* XII, 11).

ΓΡΗΓ. Δυσὶ τρόποις, Πέτρε, ἔξω ἡμῶν ἑαυτῶν ἀπαγόμεθα, ἢ διὰ τῶν ἐπισφαλῶν τε καὶ μοχθηρῶν διαλογισμῶν ὑφ' ἑαυτῶν συμπίπτομεν, ἢ δι' ἐπισκοπῆς τῆς θείας χάριτος ὑπὲρ ἄνω [5] ἑαυτῶν ἀνιστάμεθα. Ἐκεῖνος γοῦν ὁ τοὺς χοίρους βοσκήσας, διὰ τῆς τοῦ οἰκείου νοὸς ἀμελείας τε καὶ ἀκαθαρσίας, ὑφ' ἑαυτὸν ὑποπέπτωκεν· οὗτος δὲ ὁ ὑπὸ τοῦ ἀγγέλου λυθεὶς, καὶ ἐκ τῆς φυλακῆς ἐξελθὼν, τοῖς νοεροῖς ὑπ' αὐτοῦ φωτισθεὶς ὀφθαλμοῖς ἡρπάγη ἐν ἐκστάσει, καὶ οὐκ ἔξω ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὑπὲρ ἄνω ἑαυτοῦ γέγονεν. Οἱ ἀμφότεροι τοίνυν εἰς ἑαυτοὺς ἐπανῆλθον· ἐκεῖνος μὲν ἐκ C τῆς τῶν πονηρῶν ἔργων πλάνης ἀναστήσας, ἐν τῇ οἰκείᾳ καρδίᾳ συνήγαγεν ἑαυτόν· οὗτος δὲ διὰ τῆς τοῦ ἀγγέλου ὀπτασίας ἐν ἐκστάσει γενόμενος εἰς τοῦτο ἐπανῆλθεν, εἰς ὅπερ τῇ ἐπιγνώσει τῆς φυσικῆς κοινωνίας τὸ πρότερον ὑπῆρχεν. Ὁ οὖν προωρισμένος ὑπὸ Θεοῦ πατὴρ Βενέδικτος ἐν τῇ τῶν ἠθῶν ἡσύχῳ καὶ μονοτρόπῳ σεμνότητι κατῴκησε μεθ' ἑαυτοῦ δηλαδὴ, ὅταν ἑαυτὸν ἐν τῇ τῶν λογισμῶν θεοπρεπεῖ κυβερνήσει διετήρησεν· ὁσάκις γὰρ τοῦτον τῆς ὀπτασίας τὸ μέγεθος εἰς ὕψος ἥρπασεν, ἑαυτὸν, τουτέστιν ὑφ' ἑαυτὸν κατέλιπεν.

Gregor. Duobus modis, Petre, extra nos ducimur: quia aut per cogitationis lapsum sub nosmetipsos recidimus [b], aut per contemplationis gratiam super nosmetipsos levamur. Ille itaque qui porcos pavit, vagatione mentis et immunditia sub semetipsum cecidit; iste vero quem angelus solvit, ejusque mentem in exstasim rapuit, extra se quidem, sed super semetipsum fuit. Uterque ergo ad se rediit, quando et ille ab errore operis se collegit ad cor, et iste a contemplationis culmine ad hoc rediit, quod in intellectu communi et prius fuit. Venerabilis igitur Benedictus in illa solitudine habitavit secum, in quantum se intra cogitationis claustra custodivit: nam quotiescunque hunc contemplationis ardor in altum rapuit, se procul dubio sub se reliquit.

ΠΕΤΡ. Ἠνέῳκταί μοι ὃ λέγεις, ἀλλ' αἰτῶ ἀποκριθῆναί μοι, τίνος χάριν τοὺς ἅπαξ αὐτῷ ἐμπιστευθέντας ἀδελφοὺς κατέλειψεν, ὧν τὴν φροντίδα ἀνεδέξατο.

Petr. Placet quod dicis: sed quæso respondeas, si deserere fratres debuit, quos semel suscepit.

ΓΡΗΓ. Καθὼς ἐγὼ, Πέτρε, ὑπολαμβάνω, ἑνωθέντες C ὁμοψύχως ἐκεῖ οἱ φατριασταὶ ἐπὶ τῇ ἑαυτῶν λύμῃ, ὑπομονῆς πολλῆς δέον ἐστὶ [6] πρὸς τὸ ὑποφέρειν τὴν τῶν κακῶν ἀντιλογίαν, μάλιστα ἐὰν μὴ προσγίνεταί τις παρηγορία, εἰ συμβῇ ἐν αὐτοῖς ὀλίγους εὑρεθῆναι ἀγαθούς. Ἐπεὶ ἔνθα παντάπασιν καρπὸς ἐκ τοῦ κόπου οὐκ ἔστιν ἐλπιζόμενος, ἀνόητος ἡ συνοίκησις ὅμως συμβαίνει γίνεσθαι ἀγώνων τε καὶ ἱδρώτων εἰς μοχθηροὺς καὶ ἀδιόρθωτον

Gregor. Ut ego, Petre, existimo, ibi adunati æquanimiter portandi sunt mali, ubi inveniuntur aliqui qui adjuventur boni. Nam ubi omnimodo de bonis fructus deest, fit aliquando de malis labor supervacuus; maxime si e vicino causæ suppetant, quæ fructum Deo ferre valeant meliorem. Vir itaque sanctus propter quem custodiendum staret, qui omnes unanimiter se persequentes cerneret? Et sæpe agitur

[1] Idem, περισκοπούμεθα.
[2] Ibid. ἐπανῆλθε; et paulo post, ἐπώνυμον πατέρα.
[3] Colb. τὸν. . ἀκοίμητον ὀφθαλμόν
[4] Multa de suo hic addidit interpres, quæ operosum esset indicare omnia. Certe hujus versus Ps. XV. *Providebam Dom. in consp. meo semp. quon. a dex. est mihi ne commovear*, Græce prolati, nulla in Latino textu sunt vestigia.
[5] Reg. una voce ὑπεράνω, hic et inferius
[6] Reg. πολλῆς χρεία ἐστί. Et paulo post, προσγένηταί τις

[a] Primus Aud. et Lyr., *non elongavit*.
[b] German., *extra nosm. ducimur:* quod optime repræsentat Gr. interpres. Gemet., *sub nosmetipsos ducimur*. Primus Aud. Big. Lyr. cum Theod., *recedimus*.

γνώμην κεκτημένους κάματον πολύν· ἀλλ' οὖν διάκονος εὑρίσκεται. Μέγα οὖν ὑπάρχει, ἐὰν οἱ οὕτω σκολιῶς διακείμενοι, τῷ Θεῷ δυνήσονται προσαγαγεῖν καρπὸν κρείττονα. Ὁ μακάριος οὖν ἐκεῖνος ἀνὴρ τίνος χάριν [1] σὺν αὐτοῖς εἶχε κατοικῆσαι, ὁπόταν πάντας ἐκείνους ὁμοψύχους καταδιώκοντας αὐτὸν ἑώρα; διαφόρως οὖν τελοῦνταί τινα ἐν ταῖς τῶν δικαίων ψυχαῖς, ἅπερ ἀδύνατόν ἐστι [2] σιωπῇ παραδραμεῖν. Ὅταν γὰρ θεάσωνται τῶν οἰκείων κόπων τὸ ἀκερδὲς καὶ ἀνόητον [3], ἐν ἑτέρῳ τόπῳ μεταναστεύουσιν, ἐν ᾧ καρποφορῆσαι δυνήσονται. Καθάπερ καὶ ὁ τῆς ἀληθείας κήρυξ, ὅστις ἀναλύεσθαι ἐπόθει, καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι ὁ εἰπών, « Ἐμοὶ τὸ ζῆν Χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος· » ὁ τοὺς ἀγῶνας τῶν παθημάτων οὐ μόνον αὐτὸς ὑπομείνας, ἀλλὰ καὶ ἑτέρους ταῦτα ὑπομένειν διδάξας ἐν Δαματκῷ ποτε διωγμὸν ὑπομείνας, ἵνα δυνηθῇ ἐκφυγεῖν, τεῖχος, σχοινίον, καὶ σπυρίδιον ἐζήτησε, καὶ αὐτὸν λαθραίως κατενεχθῆναι ἠθέλησε [4]. Μὴ τὸν μακάριον Παῦλον θάνατον λέγομεν δεδοικέναι, ὃς ἑαυτὸν διὰ τὸν πρὸς Ἰησοῦν Χριστὸν πόθον, μαρτυρίῳ ἐπέδωκεν; ἀλλ' ἕως μὲν ἐν Δαμασκῷ ὑπῆρχεν, οὐ πάνυ ἑαυτὸν καρποφοροῦντα ἑώρα. Ὅθεν λοιπὸν ἀναγκαῖον ἐλογίσατο μεταναστεῦσαι ἐν ἑτέροις τόποις, ἐν οἷς καρποφορίαν πλεονάζουσαν σὺν καμάτῳ πολλῷ τῷ Χριστῷ προσήγαγεν. Ὡς ἄριστος οὖν ἀγωνιστὴς ὑπὲρ Χριστοῦ οὐκ ἠνέσχετο ἔνδον τῶν κλείθρων Δαμασκοῦ μένειν, ἀλλὰ τοῦ ἀγῶνος τὸ στάδιον ἐζήτησεν, ἐν ᾧ τὸν ἐχθρὸν ἐνίκησεν. Ὅθεν καὶ ὁ θεόφρων πατὴρ Βενέδικτος, ἐὰν ἀσμένως προσέχῃς τοῖς ῥηθησομένοις, τάχιον γνώσῃ, ὅτι ζῶν πολλοὺς ἐν διαφόροις τόποις κατέλιπε μαθητὰς, καὶ τούτους κατὰ τῆς τοῦ ἐχθροῦ πλάνης ἐνεύρωσέ τε καὶ διανέστησεν.

A in animo perfectorum (quod silentio prætereundum non est), quia cum laborem suum sine fructu esse considerant, in locum alium ad laborem cum fructu migrant. Unde ille quoque egregius prædicator qui dissolvi cupit, et cum Christo esse, cui vivere Christus est, et mori lucrum (*Phil.* I, 23), qui passionum certamina non solum ipse appetiit, sed ad toleranda hæc et alios accendit, Damasci persecutionem passus, ut posset evadere, murum, funem, sportamque quæsivit (*Act.* IX), seque latenter deponi voluit. Nunquidnam Paulum mortem dicimus timuisse, quam se ipse pro amore Jesu testatur appetere (*II Cor.* XI, 22)? Sed cum in eodem loco minorem sibi fructum adesse conspiceret et gravem laborem, ad laborem se alibi cum fructu servavit. Fortis etenim prœliator B Dei teneri intra claustra noluit, certaminis campum quæsivit. Unde idem quoque venerabilis Benedictus, si libenter audis, citius agnoscis, quia [a] non tantos ipse indociles deseruit, quantos in locis aliis a morte animæ suscitavit.

ΠΕΤΡ. Οὕτως ἐστὶ καθὼς διδάσκεις, καὶ ἡ προσενεχθεῖσα ἁρμοδίως μαρτυρία δηλοῖ ταῦτα οὕτως ἔχειν· ἀλλ' ἐκδυσωπῶ, ὅπως ἐν τῇ προτέρᾳ τῆς τοῦ δικαίου πολιτείας ψυχωφελεῖ διηγήσει ἐπανέλθωμεν.

Petr. Ita esse ut doces, et manifesta ratio, et prolatum congruum testimonium declarat. Sed quæso ut de vita tanti Patris ad narrationis ordinem redeas.

ΓΡΗΓΟΡ. Ἐν τῷ τὸν μακάριον ἐκεῖνον ἄνδρα, ἐν τῷ προειρημένῳ σπηλαίῳ θείαις ἀρεταῖς ἐξαστράπτειν δυνάμεσί τε καὶ σημείοις, οἷς ἐποίει δι' αὐτοῦ ὁ Θεὸς, καὶ εἰς ὕψος ἀγγελικῆς δόξης ἀναβιβασθῆναι, πολλοὶ ἐντεῦθεν ἐν αὐτῷ τῷ τόπῳ παραγεγόνασιν, αἰτούμενοι ὑπὸ τὴν αὐτοῦ θεόσδοτον ποιμανθῆναι χάριν. Ὁ δὲ φιλόθεός τε καὶ φιλόψυχος πατὴρ Βενέδικτος δώδεκα αὐτόθι μοναστήρια τῇ τοῦ Χριστοῦ δυνάμει συνεστήσατο, ἐν οἷς ὥρισε δώδεκα [5] μοναχοὺς ἐν ἑκάστῃ μονῇ εἶναι· ὀλίγους δὲ μεθ' ἑαυτοῦ κατέσχεν, οὓς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ διδασκαλικὴν [6] παιδαγωγίαν ποιμανθῆναι ἔκρινεν. Ἤρξαντο οὖν λοιπὸν πλεῖστοι, καὶ ἐκ τῆς Ῥωμαίων πόλεως εὐγενέστατοι καὶ σπουδαῖοι [7] πρὸς αὐτὸν φοιτᾷν, καὶ τοὺς ἑαυτῶν υἱοὺς δι' αὐτοῦ τῷ Θεῷ προσφέρειν. Τότε τοίνυν τῆς καλῆς ἐλπίδος τὰ τέκνα Ἐβίτζιος [8] καὶ Μαῦρος πρὸς αὐτὸν ἀπετάξαντο, καὶ Τέρτουλλος δὲ ὁ πατρίκιος Πλάκιδον παρέδωκεν· ἐξ ὧν ὁ Μαῦρος νεανικώτερος ὑπάρχων, ἡνίκα τοῖς ἀγαθοῖς συνηύξησεν ἤθεσιν, ἤρξατο λοιπὸν συνεργὸς τοῦ διδασκάλου γίνεσθαι· ὁ δὲ Πλάκιδος [9] νέος ἔτι ὑπάρχων ἀσκητικοῖς τὴν πόνοις ἑαυτοῦ νεότητα κατεδάμαζεν.

C *Gregor.* Cum sanctus vir diu in eadem solitudine virtutibus signisque succresceret, multi ab eo in eodem loco ad omnipotentis Dei sunt servitium congregati: ita ut illic duodecim [b] monasteria cum omnipotentis Jesu Christi Domini opitulatione construeret, in quibus statutis Patribus duodenos monachos deputavit; paucos vero secum retinuit, quos adhuc in sua præsentia aptius [c] erudiri judicavit. Cœpere etiam tunc ad eum Romanæ urbis nobiles et religiosi concurrere, suosque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonæ spei suas soboles, Equitius [d] Maurum, Tertullus vero patricius Placidum tradidit; e quibus Maurus junior cum bonis polleret moribus, magistri adjutor cœpit existere; Placidus vero puerilis adhuc indolis gerebat annos. D

[1] Reg. cod. χάριν εἶχε κατοικεῖν. . ὁμοψύχως καταδιώκοντας, etc.
[2] Ibid. ἔστι σιωπῆσαι ἢ παραδραμεῖν.
[3] Mss. καὶ ἀνόνητον.
[4] Colb. ἐκέλευσεν. Reg. κατενεχθῆναι τοῦ τείχους ἐκέλευσε. Μὴ τὸν... λέγωμεν δεδοικέναι ὡς ἑαυτὸν διὰ τὸν εἰς Χριστὸν πόθον μαρτυρίῳ ἀπέδωκεν.
[5] Mss. δὶς δέκα.
[6] Reg. διδασκαλίαν καὶ παιδαγωγίαν ἔκρινεν.
[7] Idem σπουδαῖοι ἄνδρες.
[8] Ibid. Ἐβίζιος.
[9] Reg. Πλακίδας.

[a] Hic mirari juvat mss. codicum invicem pugnantium varios sensus. Germ. secundus Theod. Beccens. Gemet. et secundus Aud. habent: *quia vivos ipse indociles*, etc. Val-cl., *quia si hos ipse ind.* Consentiunt duo Carnotenses. Prat. Lyr. Big. primus Aud., *quia vivus ipse indocibiles deserui.*
[b] Eorum nomina suppeditantur Act. SS. Ord. S. P. Bened. Tom. I, p. 8, in calce.
[c] Val-cl., *altius erud.*
[d] C. Germ. cum Gemet. et pler. Norm., *Evitius.* Primus Theod., *Euticius.*

ΚΕΦΑΛ. Δ'.

Περὶ τινος μοναχοῦ ἰόντος τὴν μονὴν καὶ σχολάζοντος εἰς γηΐνας θεωρίας.

Ἐν ἑνὶ δὲ τῶν αὐτῶν μοναστηρίων, ὧν πέριξ συνεστήσατο ὁ τοῦ Θεοῦ θεράπων Βενέδικτος, ἦν τις μοναχὸς ὑπὸ ῥαθυμίας ὀχλούμενος· ὅστις τῷ τῆς προσευχῆς καιρῷ στῆναι σὺν τοῖς ἀδελφοῖς οὐκ ἐκαρτέρει, ἀλλ' ἡνίκα πάντες οἱ ἀδελφοὶ εἰς γονυκλισίαν ἑαυτοὺς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἐστρώννυον, ἐκεῖνος ἐξήρχετο ἔξω. καὶ τῇ ἀργολογίᾳ καὶ ῥαθυμίᾳ ἑαυτὸν ἐξεδίδου. Ὁ δὲ τούτου ἀββᾶς πολλάκις αὐτὸν νουθετήσας, καὶ μηδὲν ἀνύσας, πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον τοῦτον ἀπήγαγεν· ὅστις αὐτοῦ τὴν ματαιότητα σεμνῶς τε καὶ πρεπόντως διήλεγξεν, καὶ τῇ νουθεσίᾳ τοῦτον στηρίξας ἀπέλυσεν· ὁ δὲ ἐν τῷ μοναστηρίῳ ὑποστρέψας, μόλις δύο ἡμέρας ἐν τῇ τοῦ ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ νουθεσίᾳ διέμεινεν, ἐπεὶ τοί γε τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ εἰς τὸ διαβολικὸν ἔθος ὑποστρέψας, πλάζεσθαι τῷ καιρῷ τῆς προσευχῆς ἤρξατο. Ὁ δὲ τούτου ἀββᾶς θεασάμενος αὐτὸν ὑπὸ τοῦ τῆς ἀκηδίας δαίμονος [1] νικηθέντα, αὖθις πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον παραγινόμενος, διηγήσατο αὐτῷ τὰ κατὰ τὸν ἀδελφόν· ὁ δὲ ἅγιος εἶπε πρὸς αὐτόν· « Ἐγὼ ἐλθὼν δι' ἑαυτοῦ [2] διορθοῦμαι αὐτόν. » Ἐλθόντος οὖν αὐτοῦ εἰς τὴν μονὴν, καὶ τῇ ὡρισμένῃ ὥρᾳ ἡνίκα ἐπληρώθη ὁ τῆς ψαλμῳδίας ὕμνος, καὶ ἑαυτοὺς οἱ ἀδελφοὶ εἰς προσευχὴν δεδώκασι γόνυ κλίναντες, εἶδεν ὁ ἅγιος, καὶ ἰδοὺ νεανίσκος τις αἰθίοψ τῷ εἴδει κρατήσας τὸ πτερύγιον τοῦ ἱματίου τοῦ ἀδελφοῦ ἐκείνου τοῦ ἐν τῇ προσευχῇ καρτερῆσαι μὴ δυναμένου, εἷλκεν αὐτὸν ἔξω τῆς ἐκκλησίας. Τότε ὁ ἅγιος τῷ προεστῶτι τῆς μονῆς ἐκείνης, Πομπηιανῷ τοὔνομα, καὶ Μαύρῳ τῷ δούλῳ τοῦ Θεοῦ μυστικῶς εἶπεν· « Οὐχ ὁρᾶτε τίς ἐστιν ὁ τὸν μοναχὸν τοῦτον ἔξω τῆς ἐκκλησίας ἕλκων; » οἱ δὲ ἀποκριθέντες εἶπον· « Οὐχί, πάτερ, » πρὸς οὓς ὁ ἅγιος εἶπεν· « Εὐξώμεθα ὅπως καὶ ὑμεῖς θεάσησθε ὃν οὗτος ὁ μοναχὸς ἀκολουθεῖ. » Ὡς δὲ ηὔξαντο ἐπὶ δύο ἡμέρας, Μαῦρος ὁ μοναχὸς ἐθεάσατο, Πομπηιανὸς δὲ ὁ τοῦ αὐτοῦ μοναστηρίου πατὴρ θεωρῆσαι οὐκ ἠδυνήθη· τῇ δὲ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ πληρωθείσης τῆς εὐχῆς ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος ἐξελθὼν ἐκ τοῦ εὐκτηρίου ἑστῶτα ἔξω τὸν μοναχὸν εὗρε, καὶ τοῦτον διὰ τὴν τύφλωσιν τῆς καρδίας αὐτοῦ τῇ ῥάβδῳ ἔτυψεν· ὅστις ἀπ' αὐτῆς τῆς ἡμέρας ἠλευθερώθη ἐκ τῆς συνεχούσης αὐτὸν ῥαθυμίας τοῦ δαίμονος, καὶ λοιπὸν ἐν τῇ προσευχῇ προθύμως σὺν τοῖς ἀδελφοῖς μέχρι συμπληρώσεως διέμενε, μηκέτι τοῦ ἐχθροῦ ἐκείνου τῷ ἀδελφῷ προσψαῦσαι τολμήσαντος, ὡς οἷα ὑπὸ τοῦ ἁγίου τῇ πληγῇ τῆς ῥάβδου μαστιγωθείς.

CAPUT IV.

De monacho vagæ mentis ad salutem reducto.

In uno autem ex eis monasteriis quæ circumquaque construxerat, quidam monachus erat qui ad orationem stare non poterat : sed mox ut se fratres ad studium orationis inclinassent, ipse egrediebatur foras, et mente vaga terrena aliqua et transitoria agebat. Cumque ab abbate suo sæpius fuisset admonitus, ad virum Dei deductus est, qui ipse quoque stultitiam ejus vehementer increpavit, et ad monasterium reversus, vix duobus diebus viri Dei admonitionem tenuit : nam die tertia ad usum proprium reversus, vagari tempore orationis cœpit. Quod cum servo Dei ab eodem monasterii Patre quem constituerat, nuntiatum fuisset, dixit : Ego venio, eumque per memetipsum emendo. Cumque vir Dei venisset ad idem monasterium, et constituta hora, expleta psalmodia sese fratres [a] in orationem dedissent, aspexit quod eumdem monachum qui in oratione manere non poterat, quidam niger puerulus per vestimenti fimbriam foras traheret. Tunc eidem Patri monasterii Pompeiano nomine, et Mauro Dei famulo secreto dixit : Nunquid non aspicitis quis est qui istum monachum foras trahit ? Qui respondentes dixerunt : Non. Quibus ait : Oremus ut vos etiam videatis quem iste monachus sequitur. Cumque per biduum esset oratum, Maurus monachus vidit ; Pompeianus vero ejusdem monasterii Pater videre non potuit. Die igitur alia, expleta oratione vir Dei oratorium egressus, stantem foris monachum reperit, quem pro cæcitate cordis sui virga percussit : qui ex illo die nil persuasionis ulterius a nigro jam puerulo pertulit, sed ad orationis studium immobilis permansit : sicque antiquus hostis dominari [b] non ausus est in ejus cogitatione, ac si ipse percussus fuisset ex verbere.

ΚΕΦΑΛ. Ε'.

Περὶ τοῦ ἐξελθόντος χειμάρρου διὰ προσευχῆς αὐτοῦ [3] ἐκ πέτρας ζώσης.

Ἐκ τῶν ῥηθέντων τοίνυν μοναστηρίων, ὧνπερ ἐν αὐτῷ τῷ τόπῳ συνεστήσατο [4] ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ Βενέδικτος, τρία ἐξ αὐτῶν ὑπεράνω τῶν τοῦ ὄρους ἦσαν κρημνῶν, καὶ σφόδρα ὑπῆρχε τοῖς ἀδελφοῖς ἐπίμοχθον [5] τὸ δαπανεκῶς κατέρχεσθαι εἰς τὸν λάκκον, καὶ τὴν τοῦ ὕδατος πορίζεσθαι χρείαν· ἡ γὰρ πάροδος διὰ τοῦ ἐπικινδύνου μέρους τοῦ ὄρους ἦν, ὥστε σὺν φόβῳ πολλῷ κατιέναι αὐτοὺς καὶ ἀνέρχεσθαι. Τότε συναχθέντες οἱ ἐν τοῖς τρισὶν ἐκείνοις μοναστηρίοις κατοικοῦντες μοναχοὶ πρὸς τὸν δοῦλον τοῦ

CAPUT V.

De aqua viri Dei oratione in montis vertice ex petra producta.

Ex his autem monasteriis quæ in eodem loco construxerat, tria sursum in rupibus montis erant, et valde erat fratribus laboriosum, semper ad lacum descendere, ut aquam haurire debuissent [c] : maxime quia e devexo montis latere erat grave descendentibus in timore periculum. Tunc collecti fratres ex eisdem tribus monasteriis, ad Dei famulum Benedictum venerunt, dicentes : Laboriosum nobis est propter aquam quotidie usque ad lacum descendere,

[1] Reg. διαβόλου.

[2] Colb. δι' ἑαυτόν. Et paulo infra, ἐν τῇ μονῇ; quod etiam habet Reg.

[3] Colb. περὶ τοῦ θαύματος τῆς πηγῆς. In Reg. idem est ac in editis argumentum.

[4] Colb. ὁ ἅγιος πατὴρ ἡμῶν Βενέδικτος. Et postea : τῷ τοῦ ὄρους ἦσαν κρημνῷ.

[5] Reg. τὸ διηνεκῶς Colb. τοῦ δαπανεκῶς.

[a] Gemet., *hora orationis psalmodiæ sese fratres.*

[b] Additur, *ulterius*, in duob. Aud. Bec. et Lyr.

[c] Hoc est, *haurirent*. Confer notam [a] supra col. 133.

Θεοῦ Βενέδικτον παρεγένοντο, παρακαλοῦντες αὐτὸν καὶ λέγοντες· « Πάτερ τίμιε, δύσκολον ἡμῖν ἐστι διὰ τὴν τοῦ ὄρους ἀμφίκρημνον διάβασιν ἕως τοῦ λάκκου κατέρχεσθαι, καὶ τὴν τοῦ ὕδατος χρείαν πορίζεσθαι· ἐπάναγκες οὖν ἐστι μετοικῆσαι [1] τὰ μοναστήρια, ἵνα μή τινες τῶν ἀδελφῶν ὀλισθήσαντες βιαίῳ θανάτῳ περιπέσωσιν. » Οὓς παραινετικοῖς τε καὶ παρακλητικοῖς λόγοις ἀπαλείψας ἀπέλυσεν. Αὐτῇ δὲ τῇ νυκτὶ παραλαβὼν νεανίαν τινὰ μεθ' ἑαυτοῦ Πλάκιδον τοὔνομα, οὗ καὶ τὸ πρὶν μνείαν ἐποιησάμην, ἀνῆλθεν ἐν τῷ αὐτῷ τοῦ ὄρους δυσβάτῳ κρημνῷ, καὶ αὐτόθι ἐν τῇ πρὸς Θεὸν δεήσει προσκαρτερήσας, ἀναστὰς ἀπὸ τῆς προσευχῆς, καὶ τρεῖς ἀράμενος λίθους, ἐν αὐτῷ τῷ τόπῳ ἀπὸ διαστήματος ἔθετο, καὶ πάντων ἀγνοούντων τὸ γεγονὸς θαῦμα ἐν τῷ ἑαυτοῦ ὑπέστρεψε κελλίῳ. Τῇ δὲ ἐπαύριον παρεγένοντο πρὸς αὐτὸν οἱ προειρημένοι ἀδελφοὶ διὰ τὴν προτέραν τοῦ ὕδατος αἴτησιν· ὁ δὲ ὅσιος πρὸς αὐτοὺς εἶπεν· « Ἀνέλθετε, τέκνα, ἐν ἐκείνῳ τῷ κρημνῷ [2], ἐν ᾧ εὑρήσητε τρεῖς λίθους ὑπεράνω ἀλλήλων κειμένους, καὶ ἐν αὐτῷ τῷ τόπῳ ὀρύξατε· δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ παντοδύναμος Θεὸς καὶ ἐν ἐκείνῳ τῷ ὕψει τοῦ ὄρους ὕδωρ ὑμῖν δαψιλὲς παρασχεῖν, καὶ τὴν ἐπίμοχθον δυσκολίαν τῆς ὁδοῦ ῥᾳδίαν ποιῆσαι. » Οἱ δὲ ἀπελθόντες ἐν τῷ τοῦ ὄρους κρημνῷ εὗρον οὕτως καθὼς ὁ Πατὴρ εἶπεν, ἐν ᾧ τόπῳ ἡ τοῦ ὄρους ἄνυδρος σκληρότης ἰκμάδας τινὰς καὶ ἱδρῶτας ὕδατος ἀνέπεμπεν. Ποιήσαντες οὖν ὄρυγμα μέγα παραυτὰ ὑδάτων πλῆθος ἀνέβλυσεν, ἅπερ μέχρι τοῦ νῦν ἀφθόνως ὑπερχεῖται, [3] τὴν τοῦ ἁγίου θαυματουργίαν εἰς τὸ διηνεκὲς πᾶσι δεικνύοντα· ἡ δὲ τῶν ὑδάτων περισσεία ὑπὸ τὸ ὄρος διεκτρέχουσα φαίνεται.

A et idcirco necesse est ex eodem loco monasteria mutari. Quos blande [a] consolans dimisit, et nocte eadem cum parvo puerulo nomine Placido, cujus superius memoriam feci, ejusdem montis rupem ascendit, ibique diutius oravit. Et oratione completa, tres petras in loco eodem pro signo posuit, atque ad suum cunctis illic nescientibus [b] monasterium rediit. Cumque die alia ad eum pro necessitate aquæ prædicti fratres rediissent, dixit : Ite, et rupem illam in qua tres super invicem positas petras inveneritis, in modico cavate : valet enim omnipotens Deus etiam in illo montis cacumine aquam producere, ut vobis [c] laborem tanti itineris dignetur auferre. Qui euntes, rupem montis quam Benedictus prædixerat, jam sudantem invenerunt. Cumque in ea concavum locum fecissent, statim aqua
B repletus est, quæ tam sufficienter emanavit, ut nunc usque ubertim defluat, atque ab illo montis cacumine usque ad inferiora derivetur.

ΚΕΦΑΛ. ϛ'.

Περὶ [4] τοῦ ἐκπεσόντος ἐν τῇ λίμνῃ σιδηροῦ ἐργαλείου.

Ἄλλοτε πάλιν ἀνήρ τις τῷ μὲν γένει Γότθος, πτωχὸς δὲ τῷ πνεύματι, ἐν ἐπιστροφῇ μετανοίας πρὸς τὸν ἡγιασμένον Βενέδικτον παρεγένετο, ὃν ὁ ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ προθύμως ὑπεδέξατο. Ἐν μιᾷ δὲ τῶν ἡμερῶν ἐκέλευσεν ὁ ἅγιός τινι τῶν ἀδελφῶν δοῦναι αὐτῷ σιδηροῦν ἐργαλεῖον, ὅπερ ἐπιχωρίως ὀνομάζεται ξυλοκόπιν [5], πρὸς τὸ ἐκκαθάραι ἀκανθώδη καὶ φρυγανώδη τόπον, εἴ πως δυνηθῶσι γεωργῆσαι κῆπον τοῖς ἀδελφοῖς· ὁ δὲ τόπος ἐκεῖνος, ὃν ἐπὶ τῷ καθάραι Γότθος ἐδέξατο, ὑπεράνωθεν τοῦ λάκκου ἦν· ἡνίκα δὲ ὁ Γότθος τὰ τῶν ἀκανθῶν δάση, τῇ τοῦ πατρὸς πειθόμενος ὑπακοῇ, δυνάμει ἐξέκοπτε, τὸ σιδηροῦν ἐργαλεῖον ἐκ τοῦ συμβεβηκότος ἐν τοιούτῳ βαθεῖ τοῦ λάκκου πέπτωκεν, ἐν ᾧ οὐκ ἦν προσδοκία τῆς εὑρέσεως αὐτοῦ. Ὁ δὲ προῤῥηθεὶς Γότθος πρὸς Μαῦρον τὸν μοναχὸν ἔδραμεν, καὶ τὸ συμβὰν ἀνήγγειλεν αὐτῷ, καὶ ὑπὲρ τοῦ σφάλματος μετάνοιαν ἐξῃτεῖτο. Ὁ δὲ μοναχὸς Μαῦρος σπουδαίως [6] τὸ γεγονὸς ἀπήγγειλε τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ Θεοῦ. Ὁ δὲ θαυματουργὸς οὗτος ἀνὴρ ταῦτα ἀκούσας, ἦλθεν εἰς τὸν τόπον ἐν ᾧ ἦν πεσὸν τὸ σιδήριον, καὶ ἄρας τὸ μανούβριον [7] ἐκ τῶν τοῦ Γότθου χειρῶν, καὶ τούτου τὸ μέρος ἐν ᾧ ἦν καθηλωμένον τὸ ἐργαλεῖον ἐν τῷ λάκκῳ χαλάσας, εὐθέως ἐκ τοῦ βυθοῦ τοῦ ὕδατος τὸ ἐργαλεῖον ἀνελθὸν, εἰσῆλθεν ἐν τῷ ἑαυτοῦ τόπῳ. Ὅπερ ἀκανθοκόπον ἐργαλεῖον ἀπέδωκεν ὁ ἅγιος τῷ Γότθῳ, εἰπών· « Ἰδοὺ τὸ ἐργαλεῖον, δεξάμενος τοῦτο, ἐργάζου, καὶ μηδὲν λυπηθῇς.

CAPUT VI.

De ferro ex profundo aquæ ad manubrium reverso.

Alio quoque tempore Gothus quidam pauper spiritu ad conversionem venit : quem Dei vir Benedi-
C ctus libentissime suscepit. Quadam vero die ei dari ferramentum jussit, quod ad falcis similitudinem [d] falcastrum vocatur, ut de loco quodam vepres abscinderet, quatenus illic hortus fieri deberet. Locus autem ipse quem [e] mundandum Gothus susceperat, super ipsam laci ripam jacebat. Cumque Gothus idem densitatem veprium totius virtutis annisu succideret, ferrum de manubrio prosiliens in lacum cecidit, ubi scilicet tanta erat aquarum profunditas, ut spes requirendi ferramenti nulla jam esset. Itaque ferro perdito, tremebundus ad Maurum monachum cucurrit Gothus : damnum [f] quod fecerat nuntiavit, et reatus sui egit pœnitentiam. Quod Maurus quoque monachus mox Benedicto famulo Dei curavit indicare. Vir igitur Domini Benedictus hæc audiens ac-
D cessit ad lacum [g] : tulit de manu Gothi manubrium, et misit in lacum : et mox ferrum de profundo rediit, atque in manubrium intravit. Qui statim ferramentum Gotho reddidit, dicens : Ecce labora, et noli contristari.

[1] Reg. μετοικίσαι.
[2] Reg. τῷ τόπῳ τοῦ κρημνοῦ.
[3] Mss. ὑπερεκχεῖται.
[4] Colb. Περὶ τοῦ Γότθου καὶ τοῦ ξυλοκοπίου
[5] Reg. ξυλοκόπιον. Colb. ξυλοκόπην
[6] Idem, σπουδαίως.
[7] Uterque ms. μανούγριον.

[a] Gemet. et plerique Norm. cum Germ., *blande consolatus*. Alii, *blande consolatos*.
[b] In plerisque excusis, *illis nescientibus*.
[c] Gemet., *et vobis lab.... dignanter auferre.*
[d] Gemet., *quod a falcis similitudine.*
[e] Secundus Theod. Val.-cl. et plur., *quem ad mundandum.*
[f] Id præscribitur Regulæ S. P. Ben. c. 46.
[g] Guss., *ad locum*.

ΚΕΦΑΛ. Ζ'

Περὶ Μαύρου μοναχοῦ τοῦ ἐπὶ τῶν ὑδάτων πεζεύσαντος.

Ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, τοῦ σημειοφόρου [1] τούτου ἀνδρὸς Βενεδίκτου ἐν τῷ ἑαυτοῦ ἡσυχάζοντος κελλίῳ, ὁ προλεχθεὶς μοναχὸς Πλάκιδος ἐπὶ τὸ ἀντλῆσαι ὕδωρ εἰς τὸν λάκκον παραγέγονε· τὸ οὖν σκεῦος ἐν ᾧ τὸ ὕδωρ ἀντλῆσαι ἠβούλετο ἐκ τῆς χειρὸς αὐτοῦ πεσὸν, διὰ τῆς τοῦ ὕδατος ῥύμης ἐπεφέρετο· θέλων δὲ ὁ ἀδελφὸς ἐκ τοῦ ὕδατος ἀφαρπάσαι τὸ κεράμιον, καὶ αὐτὸς ὀλισθήσας, πέπτωκεν ἐν τοῖς ὕδασι καὶ ὑπὸ τῆς τῶν ὑδάτων σφοδροτάτης κινήσεως, ἐπὶ τὰ ἔνδον τοῦ λάκκου, σχεδὸν εἰπεῖν, ὡσεὶ τόξου βολὴν ὁ μοναχὸς Πλάκιδος ἐφέρετο. Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ πιστὸς θεράπων Βενέδικτος ἔνδον τοῦ ἑαυτοῦ κελλίου σχολάζων, διέγνω τὸ συμβὰν, καὶ τὸν ἑαυτοῦ μαθητὴν Μαῦρον συντόμως καλέσας ἔφη πρὸς αὐτόν· « Ἀδελφὲ Μαῦρε, σπεῦσον ὅτι ὁ ἀδελφὸς Πλάκιδος εἰς τὸν λάκκον B ἐνέπεσε, καὶ ἡ τῶν ὑδάτων κίνησις μακρὰν αὐτὸν ἀπήγαγεν. » Θαυμαστὸν πρᾶγμα [2], καὶ μετὰ Πέτρον τὸν Ἀπόστολον ξένη ἐπιτροπή· αἰτηθεῖσα γὰρ παρὰ Μαύρου τοῦ μοναχοῦ πιστῶς καὶ ὑπὸ τοῦ μακαρίου Βενεδίκτου παρασχεθεῖσα, συντόμως ἐβάδιζε τῇ τοῦ πατρὸς κελεύσει, καὶ ἐν τῷ τόπῳ γενόμενος, ἐν ᾧ ἐν τοῖς ὕδασιν ὁ Πλάκιδος ἐφέρετο, ἀδιστάκτῳ τῇ πίστει καὶ ταῖς τοῦ πατρὸς εὐχαῖς θαῤῥῶν, ἐπέβη τοῖς ὕδασι, καὶ ὡς ἐπὶ ξηρᾶς δρομαίως ἐβάδιζεν ἕως τοῦ τόπου ἐν ᾧ διὰ τῆς τοῦ ὕδατος ὁρμῆς ὁ Πλάκιδος ἐπεφέρετο· καὶ δραξάμενος τῶν τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ τριχῶν ὀξυτάτῳ δρόμῳ ὑπέστρεψεν· ὅστις εὐθέως ἐπὶ τὴν ξηρὰν [3] ἐλθὼν, καὶ ἐν ἑαυτῷ γενόμενος καὶ ἐπιγνοὺς ὅτι ἐπάνω τῶν ὑδάτων ἔδραμε, καὶ ὅτι αὐτομολῆσαι τοῖς ὕδασιν ἀδύνατον αὐτῷ ἦν, εἰ μὴ ἡ τοῦ σημειοφόρου πατρὸς εὐχὴ τοῦτον ἐνίσχυσε [4], θαυμάσας ἐτρόμασε (sic) τὸ C γενόμενον, καὶ ὑποστρέψας πρὸς τὸν πατέρα τὸ τελεσθὲν θεῖον τεράστιον ἀνήγγειλεν αὐτῷ. Ὁ δὲ ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ Βενέδικτος τοῦτο τὸ θαῦμα, οὐ τῇ ἑαυτοῦ ἁγιότητι, ἀλλὰ τῇ ἐκείνου ὑπακοῇ ἐπεγράφετο· ὁ δὲ Μαῦρος τὴν τοῦ ἁγίου τιμιωτάτην κέλευσιν ἔφασκεν τοῦτο πεπραχέναι· ἔλεγε γὰρ μὴ εἶναι ἑαυτὸν ἐν αὐτῇ τῇ δυνάμει, ᾗ ἦν ὅτε ἐπέβη τοῖς ὕδασι. Προσχὼν δὲ ὁ μοναχὸς Πλάκιδος τῇ τούτων θεομιμήτῳ ταπεινολογίᾳ [5] καὶ προσφιλεστάτῃ ἀμφιλογίᾳ, ἔλεγεν· « Ἐγὼ ἐν ὅσῳ ἐσυρόμην ὑπὸ τῆς τῶν ὑδάτων ὁρμῆς ἐπάνω τῆς κεφαλῆς μου τοῦ ἀββᾶ μου τὴν μηλωτὴν ἐθεώρουν, καὶ αὐτόν με ἐκ τῶν ὑδάτων ἐκβάλλοντα κατενόουν.

ΠΕΤΡ. Μεγάλα εἰσὶν σφόδρα ἅπερ λέγεις, καὶ μεγίστην ψυχαῖς οἰκοδομὴν παρέχοντα· ἐγὼ δὲ τοῦ ἁγίου τούτου ἀνδρὸς τὰ θαυμάσια [6], ὅσῳ πλεῖον ἐκπίνω, πλειοτέρως διψῶ.

ΚΕΦΑΛ. Η'.

Περὶ τοῦ ζυμωθέντος ἐν τῷ ἄρτῳ φαρμάκου.

ΓΡΗΓΟΡ. Ἐν τῷ τὸν μακάριον διαλάμψαι ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις [7], πολλοὶ διὰ τὸν πόθον τοῦ κυρίου ἡμῶν

A

CAPUT VII.

De Mauro ejus discipulo qui super aquas pedibus ambulavit.

Quadam vero die dum idem venerabilis Benedictus in cella consisteret, prædictus Placidus puer sancti viri monachus ad hauriendam de lacu aquam egressus est : qui vas quod tenuerat in aquam incaute submittens, ipse quoque cadendo secutus est. Quem mox unda rapuit, et pene ad unius sagittæ cursum eum a terra introrsus traxit. Vir autem Dei intra cellam positus, hoc protinus agnovit, et Maurum festine vocavit, dicens : Frater Maure, curre, quia puer ille qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit, jamque eum longius unda trahit. Res mira, et post Petrum apostolum inusitata. Benedi- B ctione etenim postulata atque percepta, ad Patris sui imperium concitus perrexit Maurus; atque usque ad eum locum quo ab unda deducebatur puer, per terram se ire existimans, super aquam cucurrit, eumque per capillos tenuit [a], rapido quoque cursu rediit. Qui mox ut terram tetigit, ad se reversus post terga respexit, et quia super aquas cucurrisset agnovit, et quod præsumere non potuisset ut fieret, miratus extremuit [b] factum. Reversus itaque ad Patrem, rem gestam retulit. Vir autem venerabilis Benedictus hoc non suis meritis, sed illius obedientiæ deputare cœpit. At econtra Maurus pro solo ejus imperio factum dicebat : seque conscium in illa virtute non esse, quam nesciens fecisset. Sed in hac mutuæ humilitatis amica contentione [c] accessit ar- C biter puer qui ereptus est; nam dicebat : Ego cum ex aqua traherer, super caput meum [d] melotem abbatis videbam, atque ipsum me ex aquis educere considerabam.

Petr. Magna sunt valde quæ narras, et ad multorum ædificationem profutura : ego autem boni viri miracula quo plus bibo, eo plus sitio.

CAPUT VIII.

De pane veneno infecto per corvum longius projecto.

Gregorius. Cum jam loca eadem in amorem Domini Dei nostri Jesu Christi longe lateque fervescerent,

[1] Uterque ms. τούτου τοῦ ἁγίου ἀνδρός.

[2] Mss. πρᾶγμα ὅτι καὶ μετὰ Πέτρον τὸν Ἀπόστολον γέγονε· ξένη ἐπιτροπὴ αἰτηθεῖσα παρὰ Μαύρου τοῦ μοναχοῦ πιστῶς, καὶ ὑπὸ τοῦ μακαρίου Βενεδίκτου παρασχεθεῖσα. Συντόμως. — Phrasis, ut est in textu, in gravi mendo cubat. Legendum enim esset, *αἰτηθείσης γάρ... καὶ... παρασχεθείσης εὐχῆς, συντόμως*, etc., nisi manuscriptorum lectio præferatur. Edit.

[3] Colb. τὴν πέτραν.

[4] Reg. ἐνίσχυσε καὶ θαυμάσας τὸ γεγονὸς ἐτρόμαξεν καὶ ὑποστρέψας. Colb habet quoque ἐτρόμαξεν.

[5] Colb. θεολογίᾳ.

[6] Mss. θαύματα

[7] Excusi male πόνοις ἐκείνοις.

[a] Nam primis Ord. nostri sæculis novitii vestem D sæcularem servabant. Vide c. 58 Reg. S. P. Bened., sub finem, et notationem ad vitam Lanfranci, pag. 20, de Floro in vita S. Mauri, *Mabill.* Act. t. 1, p. 9.

[b] Val-cl., *extimuit.*

[c] Secundus Carnot., *in hac humilitatis mutua amicaque contentione.* Duo Theoder., *in hac humilitatis mutuæ amica contentione.*

[d] Per melotem hic intellige cucullam. Paulus Diac. nomine Theodemari abbatis ad Car. Magnum scribens : *Illud*, inquit, *vestimentum quod a Gallicanis monachis cuculla dicitur, et nos cappam vocamus, quod proprie monachorum designat habitum, melotem appellare debemus, sicut et hactenus in hac provincia a quibusdam vocatur.* Mabill. ibid.

Ἰησοῦ Χριστοῦ, μήκοθεν πρὸς αὐτὸν παρεγίνοντο, καὶ τὴν τοῦ βίου ματαιότητα καταλιμπάνοντες ὑπὸ τὸν χρηστὸν τοῦ κυρίου ζυγὸν τὸν ἑαυτῶν καθυπέτασσον τράχηλον. Ὁ δὲ τοῦ φθόνου γεννήτωρ, καὶ τῶν εὐσεβῶν ἀρχαῖος ἐχθρὸς, μὴ δυνάμενος φέρειν τὰς ἀπ' αὐτοῦ ἀπαστραπτούσας τῶν θαυμάτων μαρμαρυγὰς, καὶ ὁρῶν ἑαυτὸν ἡττώμενον ὑπὸ τῆς τοῦ ἁγίου θεοσδότου δυνάμεως, ἐνσκήψας [F. ἐνέσκηψε] ἐν ταῖς τῶν ἀτάκτων ψυχοφθόροις διανοίαις, καθὼς συνῆθες αὐτοῖς ἐστι φθονεῖν ταῖς ἑτέρων κατορθώμασιν· ὁ γὰρ τοῦ καθαρεύοντος ἔπαινος, τῶν ὑπὸ βασκανίας μολυνομένων ὄνειδος τυγχάνει. Ὅθεν τῆς αὐτόθι γειτνιαζούσης ἐκκλησίας πρεσβύτερός τις Φλορέντιος τοὔνομα, ὁ τοῦ ἡμετέρου ὑποδιακόνου Φλορεντίου πάππος, τοῦ παγκάκου δαίμονος τὸ μῖσος καὶ τὸν φθόνον ἐν ἑαυτῷ ὑποδεξάμενος, ἤρξατο σκώπτειν τε καὶ βασκαίνειν ταῖς τοῦ ὁσίου ἀνδρὸς ἀρεταῖς, ἐλπίζων ἐκ τούτου πολλοὺς ἀποσπᾶσαι ἐκ τῆς τοῦ ἁγίου ψυχωφελοῦς διδαχῆς. Ὡς δὲ τῆς φρενοβλαβοῦς ἐλπίδος ἀπέτυχε, καὶ ἐθεώρει πολλοὺς ὑπὸ τῆς αὐτοῦ φήμης ἑλκομένους, καὶ πρὸς αὐτὸν φοιτῶντας, καὶ ταῖς αὐτοῦ διδαχαῖς πληθυνομένους, καθάπερ ὑπὸ βελῶν τιτρωσκόμενος ὁ Φλορέντιος, τὴν μὲν τοῦ ὁσίου πατρὸς πολιτείαν διέβαλλεν [1], ἐπαινετὴν δὲ ζωὴν ἑαυτῷ ἐπισπᾶσθαι δι' ἀσκητικῶν ἀγώνων οὐδαμῶς εἵλετο. Ὅστις ὑπὸ τοῦ διαβόλου σκοτισθεὶς τοὺς τῆς καρδίας ὀφθαλμοὺς μέχρι τούτου ἐχώρησεν, ἵνα τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ δηλητηρίῳ θανατώσῃ· φυράσας γὰρ ἄλευρον, εἶτα ζυμώσας ἄρτον, καὶ ἐν αὐτῷ ἐγκρύψας θανατηφόρον φάρμακον, καὶ ὀπτήσας, ὡς δῆθεν εὐλογίας χάριν τῷ τοῦ Θεοῦ ἀνθρώπῳ ἀπέστειλεν. Ὁ δὲ διορατικ[?]ς ἐκεῖνος ἀνὴρ τὸν μὲν ἄρτον εὐχαρίστως ἐδέξατο· οὐ μέντοι δὲ διέλαθεν αὐτὸν ὁ ἐν τῷ ἄρτῳ κρυπτόμενος [2] δόλος· ἐν δὲ τῇ ὥρᾳ ἐν ᾗ εἰώθει ὁ ἅγιος τροφῆς μεταλαμβάνειν, ὄρνεον, τὸ δὴ λεγόμενον κόραξ, ἐν τῇ σύνεγγυς ὕλῃ τὴν οἴκησιν ἔχον, κατὰ τὸ συνῆθες ἤρχετο πρὸς τὸν ἅγιον, καὶ ἐκ τῶν τιμίων αὐτοῦ χειρῶν ἄρτον πρὸς τροφὴν ἑαυτῷ ἐδέχετο. Ὁ δὲ ἱερὸς ἐκεῖνος ἀνὴρ λαβὼν τὸν θανατηφόρον ἄρτον, ὅνπερ ἦν αὐτῷ ἀποστείλας Φλορέντιος ὁ πρεσβύτερος, ἔθηκεν ἐνώπιον τοῦ κόρακος, καὶ ἐκέλευσεν αὐτῷ, λέγων· « Ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος λαβὲ τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ ἐν τοιούτῳ τόπῳ ῥίψον αὐτὸν, ἵνα μηδεὶς ἀνθρώπων εὑρήσῃ αὐτόν. » Τότε ὁ κόραξ ἀνεῳγμένῳ τῷ στόματι καὶ ἡπλωμέναις ταῖς πτέρυξιν, πέριξ τοῦ αὐτοῦ περιΐπτασθαι καὶ κράζειν ἤρξατο, καὶ τοῖς κινήμασι μηνύειν τὴν ἐν αὐτῷ οὖσαν διαβολικὴν σκευωρίαν. Πρὸς ὃν ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος πάλιν ἤρξατο λέγειν· « Ἆρον τοῦτον, ἆρον ἀμερίμνως, καὶ ἐκεῖ αὐτὸν ἀπόθου ἔνθα εὑρεθῆναι οὐ δύναται. » Τότε ὁ κόραξ τὴν τοῦ ἁγίου κέλευσιν ἐπλήρου, καὶ σὺν φόβῳ πολλῷ λαβὼν τὸν ἄρτον τῷ στόματι, ἀπῆλθε, καὶ τοῦτον ῥίψας ἐν τόπῳ ἀβάτῳ παντελῶς τοῖς ἀνθρώποις, μετὰ τρεῖς ὥρας ὑπέστρεψε, καὶ ἐκ τῶν τοῦ ἁγίου χειρῶν τὴν εἰωθυῖαν τροφὴν ἐδέξατο. Ὁ δὲ ἁπλούστατος καὶ κατὰ πάντα ἐπιεικέστατος ἀνὴρ [3] Βενέδικτος, θεασάμενος τὴν τοῦ Φλορεντίου δολοφονίαν, ὅτι οὐχ οἷός τε γέγονε τὴν τούτου πονηρίαν διορθώσασθαι, ὑπὲρ ἐκείνου μᾶλλον, ἢ ὑπὲρ αὐτοῦ τῷ Θεῷ προσηύχετο.

[1] Mss. τοῦ ὁσίου ἀνδρὸς πολιτείαν διέβαλεν.
[2] Reg. ὁ ἐντὸς κρυπτόμενος
[3] Reg. πατήρ.

A sæcularem vitam multi relinquerent, et sub leni Redemptoris jugo cervicem cordis edomarent, sicut mos pravorum est invidere aliis virtutis bonum quod ipsi habere non appetunt, vicinæ ecclesiæ presbyter, Florentius nomine, hujus nostri subdiaconi Florentii avus, antiqui hostis malitia percussus [a], sancti viri studiis cœpit æmulari, ejusque conversationi derogare : quosque etiam posset, ab illius visitatione compescere. Cumque jam se conspiceret ejus profectibus obviare non posse, et conversationis illius opinionem crescere, atque multos ad statum vitæ melioris, ipso quoque opinionis ejus præconio indesinenter vocari [b], invidiæ facibus magis magisque succensus, deterior fiebat : quia conversationis illius appetebat habere laudem, sed habere laudabilem vitam nolebat.
B Qui ejusdem invidiæ tenebris cæcatus, ad hoc usque perductus est, ut servo omnipotentis Dei infectum veneno panem quasi pro benedictione transmitteret. Quem vir Dei cum gratiarum actione suscepit, sed eum quæ pestis lateret in pane non latuit. Ad horam vero refectionis illius ex vicina silva corvus venire consueverat, et panem de manu ejus accipere. Qui cum more solito venisset, panem quem presbyter transmiserat, vir Dei ante corvum projecit, eique præcepit, dicens : In nomine Jesu Christi Domini nostri tolle hunc panem, et tali eum in loco projice, ubi a nullo hominum possit inveniri. Tunc corvus aperto ore, expansis alis circa eumdem panem cœpit discurrere, crocitare, ac si aperte diceret, et obedire se velle, et tamen jussa implere non posse. Cui vir
C Domini præcipiebat iterum atque iterum, dicens : Leva, leva securus, atque ibi projice ubi inveniri non possit. Quem diu demoratus, quandoque corvus momordit, levavit, et recessit. Post trium vero horarum spatium abjecto pane rediit, et de manu hominis Dei annonam quam consueverat accepit. Venerabilis autem Pater contra vitam suam inardescere sacerdotis animum videns, illi magis quam sibi doluit. Sed prædictus Florentius, quia magistri corpus necare non potuit, se ad exstinguendas discipulorum animas accendit : ita ut in horto cellæ, cui Benedictus inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret, quæ coram eis sibi invicem manus tenentes [c], et diutius ludentes, illorum mentes ad perversitatem libidinis inflammarent. Quod vir sanctus de cella conspiciens,
D spiciens, lapsumque adhuc tenerioribus discipulis pertimescens, idque pro sua solius [d] persecutione fieri pertractans, invidiæ locum dedit, atque oratoria cuncta quæ construxerat, substitutis præpositis [e] adjunctis fratribus ordinavit, et paucis secum monachis ablatis habitationem mutavit loci. Moxque ut vir Dei ejus odia humiliter declinavit, hunc omnipotens Deus terribiliter percussit. Nam cum prædictus presbyter stans in solario [f] Benedictum discessisse

[a] German. duo Aud. et pler. Norm., perculsus.
[b] Gilot. et Vatic., vocare. Alioqui, vacare.
[c] Ita mss. magno consensu Gussanv. cum cæteris fere editis, *manus tendentes*.
[d] Hic etiam mss. codices consentiunt; quod paulisper mutantes ed. habent *pro sui solius*.
[e] Plerique Norm., *sub statutis*.
[f] Solarium editus erat locus in quo veteres hiberno

Ἀλλ' ὁ προλεχθεὶς Φλωρέντιος τοῦ ἁγίου τὸ σῶμα θανατῶσαι μὴ ἰσχύσας, ἑτέραν πάλιν κακόνοιάν τε καὶ σατανικὴν πανουργίαν κατὰ τῶν τοῦ ἁγίου μαθητῶν ἐτεκτήνατο. Αὐτῶν γὰρ ἐν τῷ κήπῳ ἐργαζομένων, ὁ τοῦ διαβόλου ἐργάτης Φλωρέντιος ἑπτὰ κόρας ὡραίας τῷ εἴδει, καὶ γυμνὰς ὅλῳ τῷ σώματι ἐν τῷ κήπῳ ἀπέστειλε, καὶ ταύταις προσέταξε τοῦ στρηνιᾷν καὶ παίζειν ἐνώπιον τῶν μοναχῶν, βουλόμενος καὶ ἐν τούτῳ τὴν τῶν ἀνδρῶν ἀχρειῶσαι παρθενίαν. Ἀλλὰ καὶ ἐν τούτῳ ἡ παμπόνηρος αὐτοῦ διήμαρτεν ἀφροσύνη. Τὴν γὰρ τούτου διαβολικὴν ἐπίνοιαν θεασάμενος ὁ τοῦ Χριστοῦ μιμητὴς Βενέδικτος, καὶ φοβηθεὶς τὴν τῶν μαθητῶν ψυχικὴν βλάβην, ὑπὲρ δὲ μόνου τοῦ καθ' ἑαυτὸν φθόνου λογισάμενος, ταῦτα τὸν μιαρώτατον ἐκεῖνον Φλορέντιον πράττειν, βέλτιον ἔκρινεν ὁ τοῦ Θεοῦ θεράπων διὰ τῆς ἑαυτοῦ ἀναχωρήσεως τὴν τῶν οἰκείων μαθητῶν πολιτεύσασθαι [1] σωτηρίαν. Καλέσας οὖν τοὺς τῶν μοναστηρίων ἀδελφοὺς [2] καὶ οἰκονόμους, αὐτοῖς ἐγκαταστήσας, παραθέμενός τε αὐτοὺς τῷ Θεῷ, λαβὼν μετ' ἑαυτοῦ ὀλίγους τινὰς τῶν μοναχῶν ἀνεχώρησεν ἐκ τοῦ ἑαυτοῦ κελλίου, τὸ μῖσος καὶ τὴν ἐκείνου δυσμένειαν ταπεινοφρόνως ἐκκλίνας. Ἀλλ' ὁ μὲν Φλορέντιος ἐνόμησεν ἁμαρτήσας διακενῆς, ὁ δὲ Θεὸς τὸν οἰκεῖον θεράποντα λυτρωσάμενος εἰς πολλῶν σωτηρίαν διεφύλαξε, πατάξας τὸν ἀλιτήριον. Τοῦ γὰρ θεοστυγοῦς ἐκείνου Φλορεντίου ἐπὶ τῇ τοῦ μακαρίου ἀνδρὸς ὑποχωρήσει ἀγαλλιασθέντος, καὶ ἐν τῷ ἡλιακῷ [3] τοῦ οἴκου, ἐν ᾧ κατῴκει, ἑστῶτος, ἀθρόον [4] σὺν τῷ ῥηθέντι ἡλιακῷ ἀφ' ὕψους μεγάλου πέπτωκεν, ἀξίαν τῆς ἑαυτοῦ πονηρίας δίκην τίσας, καὶ θάνατον ὀλέθριον ἀπενεγκάμενος. Τοῦτο θεασάμενος ὁ ἀνωτέρω πολλάκις μνημονευθεὶς Μαῦρος ὁ τοῦ ἁγίου πατρὸς φοιτητής, ἤδη τῷ ἁγίῳ ἀπέχοντι ὁδοῦ διάστημα σημείων δέκα ἀπέστειλε πρὸς αὐτὸν, λέγων· « Ὑπόστρεψον, πάτερ, ὑπόστρεψον, ὁ πρεσβύτερος γὰρ ὁ μάτην σε καταδιώξας τέθνηκε. » Ταῦτα ἀκούσας ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος Βενέδικτος, ἑαυτὸν ἐν μεγάλῳ πένθει κατέτηξεν, διὰ τὸν ἐκείνου οἴκτιστον θάνατον· ἐλυπήθη δὲ ἐπὶ τῷ οἰκείῳ μαθητῇ, ὡς δῆθεν ἐπιχαρέντι τῷ τοῦ Φλορεντίου ἐλεεινῷ πτώματι, ἐντειλάμενος αὐτῷ μετανοεῖν ὑπὲρ τοῦ τοιούτου σφάλματος, ὡς χαραποιηθέντι [5] ἐπὶ τῷ τοῦ Φλορεντίου θανάτῳ.

ΠΕΤΡ. Θαυμαστά εἰσιν ὄντως καὶ ἐκπλήττοντά [6] με ἅπερ ἔφης. Ἐπὶ γὰρ τοῦ ὕδατος τοῦ διὰ τῆς τοῦ μακαρίου προσευχῆς, ἐκ τοῦ ὄρους ποταμηδὸν βλύσαντος, τὸν Μοϋσῆν κατανοῶ, ἐν δὲ τῷ σιδηρῷ ἐργαλείῳ, τῷ ἐκ βυθοῦ τῶν ὑδάτων τοῦ λάκκου ἀνελθόντι, Ἐλισσαῖον ὁρῶ· ἐν τῇ τοῦ ὕδατος πορείᾳ Πέτρον νοῶ· ἐν δὲ τῇ τοῦ κόρακος ὑπακοῇ, Ἠλίαν βλέπω. Ὡς οὖν ὑπολαμβάνω, ὁ ἀνὴρ οὗτος χαρίσματος τοῦ πνεύματος πάντων τῶν δικαίων τούτων ἀνάπλεως ὑπῆρχεν.

ΓΡΗΓΟΡ. Ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος Βενέδικτος, Πέτρε, ἑνὸς [7] πνεῦμα εἶχεν, ὅπερ διὰ τῆς δωρηθείσης ἀπολυτρώσεως πάντων τῶν ἐκλεκτῶν τὰς καρδίας ἐπλήρωσε. Περὶ οὗ ὁ εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης εἴρηκεν· « Ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Περὶ οὗ πάλιν γέγραπται, « Ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ πάντες ἐλάβομεν. » Καὶ γὰρ οἱ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωποι ἅγιοι ἠξιώθησαν παρὰ κυρίου χαρισμάτων δύναμιν δέξασθαι, οὐ μὴν δὲ καὶ ἄλλοις παραδοῦναι. Αὐτὸς δὲ σημεῖα δυνάμεως δέδωκεν τοῖς ὑποτεταγμένοις, ὅστις ἑαυτὸν δοτῆρα τοῦ κατὰ τὸν Ἰωνᾶν σημείου ὑπέσχετο τοῖς ἐχθροῖς δοῦναι, ὅπως ἐνώπιον τῶν ὑπερηφάνων ἀποθανεῖν καταξιώσῃ, καὶ ἐπ' ὄψεσι τῶν ταπεινοφρόνων ἀναστῆναι, ἵνα ἐκεῖνοι μὲν, ὅπερ καταλεῖψαι [8] ὤφελον, θεάσωνται, καὶ

A cognosceret et exsultaret, perdurante immobiliter tota domus fabrica, hoc ipsum in quo stabat solarium cecidit, et Benedicti hostem conterens exstinxit. Quod viri Dei discipulus, Maurus nomine [a], statim venerabili Patri Benedicto qui adhuc a loco eodem vix decem millibus aberat, æstimavit esse nuntiandum, dicens : Revertere, quia presbyter qui te persequebatur, exstinctus est. Quod vir Dei Benedictus audiens, sese in gravibus lamentationibus dedit, vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus exsultavit. Qua de re factum est, ut eidem quoque discipulo pœnitentiam indiceret, quod mandans talia, gaudere de inimici interitu præsumpsisset.

B *Petr*. Mira sunt et multum stupenda quæ dicis. Nam in aqua ex petra producta, Moysen (*Num*. XX.); in ferro vero, quod ex profundo aquæ rediit, Elisæum (*IV Reg*. VI, 7); in aquæ itinere, Petrum (*Matth*. XIV, 29); in corvi obedientia, Eliam (*III Reg*. XVII, 6); in luctu autem mortis inimici, David video (*II Reg*. I, 11; XVIII, 33). Ut perpendo, vir iste spiritu justorum omnium plenus fuit.

Gregor. Vir Dei Benedictus, Petre, unius Dei spiritum habuit [b] qui per concessæ redemptionis gratiam electorum corda omnium implevit, de quo Joannes dicit : ***Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*** (*Joan*. I, 9). De
C quo rursus scriptum est : ***De plenitudine ejus nos omnes accepimus*** (*Ibid*., 16). Nam sancti Dei homines potuerunt a Domino virtutes habere, non etiam aliis tradere. Ille autem signa virtutis dedit subditis, qui se daturum signum Jonæ promisit inimicis (*Matth*. XII, 39) : ut coram superbis mori dignaretur, coram humilibus resurgere : quatenus et illi viderent quod contemnerent, et isti quod venerantes amare debuissent. Ex quo mysterio actum est, ut dum superbi

[1] Mss. πραγματεύσασθαι.
[2] Reg. μοναχούς.
[3] Idem. ἐν τῷ σωλαρίῳ.
[4] Colb ἀθρόως
[5] Mss. ὡς οἷα χαροποιηθέντι.
[6] Iidem καὶ πάνυ ἐκπλ. quod majori fide Lat. textum repræsentat.
[7] Reg. ἑνὸς πνεύματος ὑπῆρχεν, ὅπερ.
[8] Uterque ms. ὤφειλον θεάσωνται. Sic etiam infra scribitur ὤφειλοι in utroque.

D tempore valetudinis gratia in sole apricari solebant. Hinc a sole Græce dicitur ἡλιακόν.

[a] Alius a S. Mauro Æquitii filio videtur, cum ille commigranti Patri Benedicto semper adhæserit, ex actis S. Placidi, num. 11. Verum actis illis interpolatis vix fides debetur. Censuit interpres eum esse Maurum cujus supra meminit S. Greg.

[b] Val-cl. Lyr. et primus Aud., *unum sp. habuit*. Duo Theoder. Compend. et plerique Norm., *unius spiritum* omisso *Dei*.

οὗτοι ὅπερ σεβόμενοι ἀγαπῆσαι ὤφελον. Ἐξ οὗπερ μυστηρίου γέγονε τοῦτο, ἵνα οἱ μὲν ὑπερήφανοι θεάσωνται τὴν τοῦ θανάτου ἐξουδένωσιν, οἱ ταπεινόφρονες δὲ τὴν δόξαν τῆς κατὰ τοῦ θανάτου ἐξουσίας.

ΠΕΤΡ. Δυσωπῶ οὖν σε, σεβάσμιε δέσποτα, μετὰ ταῦτα· ἐν ποίοις τόποις ὁ ἅγιος ἐκεῖνος ἀνὴρ μετῴκησε, καὶ τίνας ἐν αὐτοῖς δυνάμεις διεπράξατο, γνώρισον ἡμῖν.

ΓΡΗΓΟΡ. Ὁ ὁσιώτατος οὗτος ἀνὴρ ἐν ἑτέροις μετοικήσας τόποις οἴκησιν μὲν ἤλλαξεν, ἐχθρὸν δὲ οὐχί. Μεγάλους γὰρ μετέπειτα καὶ βαρυτέρους πολέμους ὑπὸ τοῦ τῆς κακίας εὑρετοῦ ὑπέμεινεν. Ὅσον δὲ τὰς τῶν πειρασμῶν νιφάδας ὁ ἀδάμαστος [1] οὗτος ἀνὴρ καθ' ἑαυτοῦ ἐπινοουμένας ἑώρα, τοσοῦτον ἔσπευδεν ἀνταγωνιστὴν ἀήττητον ἑαυτὸν ὀφθῆναι, κατὰ τῶν ἐκείνου μηχανημάτων τῷ τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ θυρεῷ καθοπλιζόμενος. Κάστρον τοίνυν ὅπερ Κάσινον λέγεται, ἐν τῷ ὑψηλῷ τοῦ B ὄρους πλαγίῳ διάκειται, ὅπερ ὄρος τῇ ἑαυτοῦ ἐκτάσει τὸ εἰρημένον ἐγκολπίζεται κάστρον, καὶ ἕως τριῶν μιλίων ἡ τοῦ ὄρους ἀκρώρεια ὑπέρκειται, ὥστε παρὰ τοῖς ἀγνοοῦσιν ὡς ἀστέρα ψαύεσθαι. Ἐν ᾧ παλαιότατον ἱερὸν ἑλληνικὸν ὑπὸ τῶν ἀρχαίων ᾠκοδομημένον ὑπῆρχεν· ἐν τούτῳ ὑπὸ τῶν τοῦ λαοῦ ἁπλουστέρων ὁ Ἀπόλλων ἐσέβετο [2]. Κύκλῳ δὲ τοῦ μιαρωτάτου ἐκείνου ναοῦ πλῆθος βωμῶν ἐτύγχανε. Καὶ ἕως τότε τῶν ἀπίστων ἀνήρχετο ἐκεῖσε πλῆθος πολὺ, θυσίαις τε καὶ σπονδαῖς, καὶ κνίσσαις τῷ αὐτόθι τοῦ Ἀπόλλωνος ἀγάλματι λατρεύοντες· ὁ δὲ τὸν νοῦν πεφωτισμένος, καὶ τῆς εὐσεβείας ζηλωτὴς Βενέδικτος ἐπὶ τὸν τόπον παραγενόμενος, καὶ θαρσαλέῳ [3] τῷ φρονήματι εἰσελθὼν, τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἀπόλλωνος συνέτριψε, τοὺς βωμοὺς κατέστρεψε, καὶ τὰ ἄλση ἐνέπρησε, καὶ ἐν αὐτῷ τῷ ναῷ τοῦ Ἀπόλλωνος εὐκτήριον C ἡγιασμένον τοῦ ἁγίου Μαρτίνου πεποίηκεν. Ἔνθα δὲ ὁ βωμὸς τοῦ Ἀπόλλωνος ἵδρυτο, σεβάσμιον εὐκτήριον [4] ἡγιασμένον τοῦ Ἰωάννου συνεστήσατο. Ἐντεῦθεν λοιπὸν τὸ ἐκεῖσε κατοικοῦν τοῦ λαοῦ πλῆθος τῇ αὐτοῦ διδασκαλίᾳ ὁδηγούμενον πρὸς Θεὸν ἐπεστρέφετο. Ἀλλὰ ταῦτα μὴ ὑποφέρων ὁ σκολιὸς τῶν πιστῶν ἐχθρὸς, οὐκέτι λοιπὸν ἀφανῶς, ἢ δι' ἐνυπνίων, ἀλλὰ φανερῶς ἑαυτὸν τοῖς τοῦ πατρὸς ὀφθαλμοῖς ἐπεδείκνυτο, καὶ μεγίσταις φωναῖς ἐβόα, βίαν αὐτὸν ὑπὸ τοῦ ἁγίου ὑπομεμενηκέναι, ὥστε καὶ τοὺς ἀδελφοὺς τῶν φωνῶν αὐτοῦ ἀκούειν, εἰ καὶ τὰ μάλιστα τοῖς σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς τοῦτον οὐκ ἐθεώρουν. Πρὸς οὓς ὁ τῆς ἀληθείας διδάσκαλος ἔλεγε· «Πιστεύσατε, τέκνα, ὅτι τοῖς αἰσθητοῖς μου ὀφθαλμοῖς τὸν ἐχθρὸν [5] φοβερόν τινα, καὶ σπινθηρακώδη ταῖς φαντασίαις φαινόμενον ὁρῶ, ὅστις διά τε τοῦ στόματος καὶ τῶν ὀφθαλ- D μῶν φλόγας πυρὸς ἐκπέμπει.» Εἴ τι οὖν ὁ δόλιος ἐφθέγγετο, ἤκουον πάντες. Πρότερον μὲν γὰρ ἐξ ὀνόματος ἐκάλει [6] τὸν ἅγιον. Ἡνίκα δὲ μηδαμῶς αὐτῷ ἀποκρινόμενον τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον ἐθεάσατο, εὐθέως ταῖς κατὰ αὐτοῦ λοιδο-

A aspiciunt despectum mortis, humiles contra mortem acciperent [a] gloriam potestatis.

Petr. Quæso te post hæc, ad quæ loca vir sanctus migraverit, vel si aliquas in eis virtutes postmodum ostenderit, innotesce.

Gregor. Sanctus vir ad alia demigrans [b] loca non hostem mutavit. Nam tanto post graviora prælia pertulit, quantum contra se aperte pugnantem ipsum malitiæ magistrum invenit. Castrum [c] namque quod Cassinum dicitur, in excelsi montis latere situm est, qui videlicet mons distenso sinu hoc idem castrum recepit, sed per tria millia in altum se subrigens, velut ad aera cacumen tendit: ubi vetustissimum fanum fuit, in quo ex antiquorum more gentilium a stulto rusticorum populo Apollo colebatur. Circumquaque etiam in cultu dæmonum luci succreverant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificiis sacrilegis insudabat. Illuc itaque vir Dei perveniens, contrivit idolum, subvertit aram, succendit [d] lucos, atque in ipso templo Apollinis [e] oraculum beati Martini, ubi vero ara ejusdem Apollinis, fuit oraculum sancti Joannis [f] construxit, et commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat [g]. Sed hæc antiquus hostis tacite non ferens, non occulte vel per somnium, sed aperta visione ejusdem Patris oculis sese ingerebat, et magnis clamoribus vim se perpeti conquerebatur, ita ut voces illius etiam fratres audirent, quamvis imaginem minime cernerent. Ut enim discipulis suis venerabilis Pater dicebat, corporalibus ejus oculis idem antiquus hostis teterrimus et succensus apparebat, qui in eum ore oculisque flammantibus sævire videbatur. Jam vero quæ diceret audiebant omnes: prius enim hunc vocabat ex nomine. Cui cum vir Dei minime responderet, ad ejus mox contumelias erumpebat. Nam cum clamaret, dicens: Benedicte, Benedicte, et eum sibi nullo modo respondere conspiceret, protinus adjungebat: Maledicte, non Benedicte, quid mecum habes? quid me persequeris? Sed jam nunc spectanda [h] sunt contra Dei famulum antiqui hostis nova certamina, cui pugnam quidem volens intulit, sed occasiones victoriæ ministravit invitus.

[1] Ms[s]. ὁ ἀδάμας οὗτος.
[2] Reg. ἐτιμᾶτο.
[3] Mss. cod. θαρσαλαίῳ. Forte θαρσαλέῳ.
[4] Mss. εὐκτήριον τοῦ ἁγίου Ἰωάννου.
[5] Colb. τῶν ἐχθρῶν τ νχ καὶ ὡς σπινθ.
[6] Uterque ms. Gr. τὸν δίκαιον.

[a] Becc., *aspicerent*, suffragatur Gr. interpr.
[b] Ita secundus Carnot. Germ. Lyr. In cæteris fere eodem sensu et servata eadem interpunctione: *ad alia demigrans, locum non hostem mut.* In Becc., *ad alia demigrans loca, locum non hostem mut.*
[c] Ejus descriptionem accuratissimam habes, Itineris Italici p. 120 et seq., et Diarii Ital. pag. 3[?]1 et seq.
[d] Norm. et Val-cl., *succidit*. Cui lectioni favere videtur verbum Gr. ἐνέπρισε, nisi forte legendum sit ἐνέπρησεν, *succendit*.
[e] Idolorum templa non dirui, sed lustrata prius, ad Dei cultum consecrari probavit S. Gregor. Vide lib. olim IX, ep. 71, nunc l. XI, ep. 76.
[f] Idem est ac oratorium. Utrumque hic dicitur Græce εὐκτήριον.
[g] Hoc exemplo utitur S. Thom. opusculo 19, c. 4, ut probet religiosis viris licere concionari et verbum Dei populis annuntiare.
[h] Germ. et plur. Norm. *exspectanda*.

ρίαις τὴν μιαρωτάτην αὐτοῦ ἐκίνησε γλῶτταν, καὶ τὸν τοῦ Θεοῦ φίλον ταῖς ὕβρεσιν ἔβαλλεν· εἶτα πάλιν ἐφώνει τὸν ἅγιον λέγων, « Βενίδικτε, Βενέδικτε »· αὐτοῦ δὲ μὴ ἀποκρινομένου, παραυτὰ προσθεὶς ἔλεγε· « Κατηραμένε, καὶ οὐκ εὐλογημένε, τί ἔχεις μετ' ἐμοῦ; τί με καταδιώκεις; » Ὑπομνητέα εἰσὶν ὄντως τὰ κατὰ τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ πρὸς τὸν ἀρχαῖον ἐχθρὸν νέα ἀγωνίσματα, ᾧ τινι πολέμους τοιούτους παρήγαγεν· ἀλλὰ τῇ ὑποθέσει τῆς νίκης διηκόνησεν ὁ βίος [*Forte* βίαιος].

ΚΕΦΑΛ. Θ'. A

Περὶ λίθου παμμεγέθους διὰ προσευχῆς αὐτοῦ ἐλαφροῦ γενομένου.

Ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν τῶν ἀδελφῶν, κτιζόντων τὴν τοῦ κελλίου οἴκησιν [1] ἔνθα τὸν ἅγιον ἡσυχάζειν ἐχρῆν, λίθος ἐν τῷ μέσῳ ἔκειτο, ὃν ἐν τῷ κτίσματι θεῖναι οἱ ἀδελφοὶ ἐβούλοντο. Ἐν δὲ τῷ ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ κινῆσαι τὸν λίθον τρεῖς τὸν ἀριθμὸν τοὺς ἀδελφοὺς, τοῦτον ἀπὸ τῆς γῆς κουφίσαι οὐκ ἴσχυσαν. Πλεῖστοι δὲ πάλιν συνελθόντες, καὶ μηδὲν ἰνήσαντες [2], διέμεινεν ὁ λίθος ἀσάλευτος, ὥστε δοκεῖν αὐτοῖς ἐρριζωμένον ἐν τῇ γῇ αὐτὸν εἶναι. Τοῦτο δὲ πᾶσι φανερὸν γέγονεν, ὅτι ἐπάνω αὐτοῦ αὐτὸς ὁ διάβολος ἐκαθέζετο, ὃν τοσούτων ἀνδρῶν χεῖρες κινῆσαι οὐκ ἴσχυον. Ἐν ἀπορίᾳ δὲ γενόμενοι οἱ ἀδελφοὶ πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον ἀπέστειλαν, ἐπὶ τῷ αὐτὸν σκυλέντα [3] ἀποδιῶξαι τὸν ἐχθρὸν διὰ τῆς ἑαυτοῦ πρὸς Θεὸν πρεσβείας, B ὅπως τὸν λίθον ἆραι δυνηθῶσι. Ὅστις εὐθέως παραγεγονὼς, καὶ εὐχὴν ποιήσας], ἐπίστρεψε τοῖς μαθηταῖς ἆραι τὸν λίθον. Τοσαύτῃ δὲ εὐκόλῳ σπουδῇ ὁ λίθος ἤρθη, ὥστε νομίζειν αὐτοὺς μηδὲν βάρος αὐτὸν ἐσχηκέναι, τὸ πρότερον ἀκίνητον ὄντα.

CAPUT IX.

De ingenti saxo per viri Dei orationem levato.

Quadam die dum fratres habitacula ejusdem cellæ [a] construerent, lapis in medio jacebat quem in ædificium levare decreverant. Cumque eum duo vel tres movere non possent, plures adjuncti sunt, sed ita immobilis mansit, ac si radicitus in terra teneretur : ut palam daretur intelligi, quod super eum ipse per se antiquus hostis sederet, quem tantorum virorum manus movere non possent. Difficultate igitur facta, ad virum Dei missum est ut veniret, et orando hostem repelleret ut lapidem levare possent. Qui mox venit, et orationem faciens benedictionem dedit, et tanta lapis celeritate levatus est, ac si nullum prius pondus habuisset.

ΚΕΦΑΛ. I.

Περὶ [4] τοῦ εὑρεθέντος χαλκοῦ ζῳδίου, ὅθεν ἐξῆλθεν ἐν φαντασίᾳ τὸ πῦρ.

Ἔδοξεν οὖν τῷ ἁγίῳ τοῖς οἰκείοις ἐπιτρέψαι μαθηταῖς, ἵνα ἐν τῷ τόπῳ ἐκείνῳ, ἐν ᾧ ὁ λίθος τὸ πρὶν ἔκειτο, τὴν γῆν ὀρύξωσι· κατὰ τὸ προσταχθὲν αὐτοῖς οὖν, βαθὺ ὄρυγμα πεποιηκότες, εἴδωλον χαλκοῦν εὗρον ἐκεῖσε, ὅπερ ἐν τῷ μαγειρείῳ ῥιφὲν, αἰφνίδιον πῦρ ἐξῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ, καὶ ἐν ὀφθαλμοῖς πάντων τῶν μοναχῶν ἔδειξε ταῖς ἑαυτοῦ C φαντασίαις, ὡς ὅτι ἅπαν τὸ τοῦ μαγειρείου κτίσμα κατεκαύθη. Ἤρξαντο οὖν οἱ ἀδελφοὶ ἐν θορύβῳ πολλῷ ὕδωρ ἐπιχέειν, ὡς δῆθεν σβεννύοντες τὴν ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτῶν ἀπὸ τοῦ ἐχθροῦ φαντασιώδη φλόγα γεγονυῖαν. Αἰσθόμενος δὲ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος τοὺς ἀδελφοὺς ἐν θορύβῳ πολλῷ γεγονότας, καὶ τὴν αἰτίαν παρ' αὐτῶν ἐγνωκὼς, ἐν τῷ μαγειρείῳ παραγέγονε, καὶ τὸ πῦρ ὅπερ ἔλεγον οἱ ἀδελφοὶ ὁρᾷν, αὐτὸς ἔφασκε μηδαμῶς τοῦτο θεωρεῖν, εὐθέως δὲ τὴν κεφαλὴν τῷ Θεῷ κατὰ τὸ συνῆθες εἰς προσευχὴν κλίνας, ἐδέετο ὑπὲρ τοῦ ἀπελθεῖν [5] ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν τῶν ἀδελφῶν τὴν φανεῖσαν αὐτοῖς τοῦ ἐχθροῦ φαντασιώδη χλεύην. Ἀναστὰς δὲ ἀπὸ τῆς προσευχῆς, τοὺς ἀπατηθέντας τῶν ἀδελφῶν ὀφθαλμοὺς ἐρρωμένους ἐν τῇ τοῦ σώματος φυσικῇ ὁράσει ἀποκατέστησε διὰ τῆς αὐτοῦ πρὸς τὸν Θεὸν ἱκεσίας, ὥστε οὐκέτι ἐθεάσαντο τὸ τοῦ μαγειρείου κτίσμα ταῖς τοῦ διαβόλου φλογαῖς καιόμενον [6]· ἀλλ' ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτῶν ὡρᾶτο ἄφλεκτον καὶ ἀσάλευτον.

CAPUT X.

De phantastico coquinæ incendio.

Tunc in conspectu viri Dei placuit ut in eodem loco terram foderent. Quam dum fodiendo altius penetrarent, æreum illic idolum fratres invenerunt. Quo ad horam casu in coquinam projecto, exire ignis repente visus est, atque in cunctorum monachorum oculis quia omne ejusdem coquinæ ædificium consumeretur ostendit. Cumque jaciendo aquam, et ignem quasi exstinguendo perstreperent, pulsatus eodem tumultu vir Dei advenit. Qui eumdem ignem in oculis fratrum esse, in suis vero non esse considerans, caput protinus in orationem flexit, et eos quos phantastico reperit igne deludi, revocavit fratres, ut oculos suos signarent monuit, ut et sanum [b] illud coquinæ ædificium assistere cernerent, et flammas quas antiquus hostis finxerat, non viderent.

[1] Reg. οἰκοδομὴν ἔνθα ἡσυχάσειν ἐχρῆν.
[2] Reg. ἀνύσαντες. Colb. ἰνήσαντες.
[3] Reg. σκολέντα.
[4] Colb. περὶ τοῦ χαλκοῦ εἰδώλου. Ἔδοξεν, etc. Codex hic in argumentis capitum semper ab editis, et a ms. Regio discrepat.
[5] Reg. ἀπελθεῖν ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν τὴν ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτῶν φαντασιώδη χλεύη. Colb. habet ἀπελαθῆναι pro ἀπελθεῖν.

D [6] Reg. καιόμενον ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτῶν, ἀλλ' ὡρᾶτο λοιπὸν ἄφλεκτον.

[a] Cellæ vocabulum hic pro ipso monasterio usurpari liquet, quod etiam in his dialogis sæpissime occurrit.
[b] Gussanv., cui favent primus Theod. Gemet. et plurimi Norm., *fratres ad oculos suos, ut et sanum*, etc.

ΚΕΦΑΛ. ΙΑ'.

Περὶ τοῦ συντριβέντος παιδὸς ἐν τῷ συμπτώματι.

Πάλιν οἰκοδομούντων τῶν ἀδελφῶν τοῖχον, καὶ εἰς ὕψος τὸ κτίσμα ἄγειν σπευδόντων, ὁ τοῦ Θεοῦ θεράπων εἰς τὸ ἑαυτοῦ κέλλιον σχολάζων ἦν ἐν τῇ προσευχῇ· ᾧτινι ὁ παμμίαρος ἐχθρὸς ἐπιχαιρόμενος τῷ δοκεῖν ὤφθη, καὶ ὅτι πρὸς τοὺς ἐν τῇ οἰκοδομῇ ἐργαζομένους [1] ἐπορεύετο, ἐμήνυσεν. Ὅπερ γνοὺς ὁ θεοφόρος ἀνὴρ διὰ μηνύσεως ταχυτάτης τοῖς ἀδελφοῖς ἐσήμανε λέγων· « Τέκνα, προσέχετε ἑαυτοῖς ὅτι πρὸς ὑμᾶς τῇ ὥρᾳ ταύτῃ ὁ πειράζων διάβολος ἔρχεται. » Ὁ δὲ τὴν ἀγγελίαν τοῖς ἀδελφοῖς ἀγαγὼν, μήπω ταύτην ἐξαγγεῖλαι φθάσας [2], ἰδοὺ τὸ πονηρὸν πνεῦμα τὸν κτιζόμενον τοῖχον κατέστρεψε [3], καὶ ἵνα μοναχὸν ἔτι νέαν ἄγοντα τὴν ἡλικίαν, υἱὸν γενόμενον χοριαλίου [4] τινὸς, τὸ γεγονὸς σύμπτωμα συνέτριψεν. Οἱ δὲ τοῦ ἁγίου μαθηταὶ τοῦτο ἑωρακότες καὶ [5] περίλυποι γενόμενοι, οὐ τοσοῦτον διὰ τὴν τοῦ τοίχου καταστροφὴν, ὅσον διὰ τὸν τοῦ ἀδελφοῦ κίνδυνον, τῷ σεβασμίῳ πατρὶ Βενεδίκτῳ μετὰ δακρύων προσῆλθον, τὸ συμβὰν ἀναγγέλλοντες. Ὁ δὲ συμπαθέστατος πατὴρ προσέταξε τοῦτον πρὸς ἑαυτὸν ἐνεχθῆναι, ὅντινα ταῖς χερσὶν ἆραι οὐκ ἴσχυσαν, καθ' ὅτι οἱ πεπτωκότες λίθοι ἀπὸ τοῦ τοίχου οὐ μόνον αὐτοῦ τὸ σῶμα, ἀλλὰ καὶ τὰ ὀστᾶ συνέτριψαν. Ἀδυνάτως οὖν ἔχοντες ταῖς χερσὶν, ὡς εἴρηται, τοῦτον ἆραι, ἀναγκαῖον ἡτήσαντο [6] ἐν σαγίῳ ἀνακλῖναι αὐτὸν, καὶ οὕτως πρὸς τὸν σημειοφόρον ἀγαγεῖν Βενέδικτον. Παραυτὰ δὲ ἐκέλευσεν αὐτὸν ἀναθῆναι ἐν τῷ ἑαυτοῦ ψιαθίῳ ἐν ᾧ εὔχεσθαι εἰώθει· καὶ ἐκβαλὼν ἔξω τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ τὴν θύραν τοῦ κελλίου ἀποκλείσας, ἑαυτὸν εἰς προσευχὴν ἐκδέδωκε· καὶ κλίνας γόνυ τὸν Θεὸν ἱκέτευεν ὑπὲρ τῆς τοῦ συντριβέντος ἀδελφοῦ ἰάσεως. Καὶ ἦν ἰδεῖν ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ θαῦμα ἀληθῶς φρίκης καὶ ἐκστάσεως ἄξιον· μετὰ γὰρ τὴν τῆς προσευχῆς τελείωσιν, παραυτίκα ὁ νεανίας μόνος ἀνέστη ὑγιὴς ὅλῳ τῷ σώματι. Ὁ δὲ ἅγιος τοῦτον πάλιν ἀπέστειλε πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς, ἐπὶ τῷ σὺν αὐτοῖς ἐργάζεσθαι ἐν τῇ τοῦ συμπεπτωκότος τοίχου οἰκοδομῇ. Ὁ δὲ ἐχθρὸς προσδοκήσας τῇ ἑαυτοῦ πατηλῇ ἐνεργείᾳ, διὰ τοῦ παρ' αὐτοῦ ἐπινοηθέντος κινδύνου θάνατον ἐπαγαγεῖν τῷ ἀδελφῷ, μᾶλλον δι' αὐτοῦ κατῃσχύνθη, καὶ χλεύην, ἥνπερ τῷ μακαρίῳ ἡτοίμασεν ἑαυτῷ ἐπεσπάσατο, ὄνειδός τε καὶ καταφρόνησις παρὰ τοῖς τοῦ ἁγίου μαθηταῖς γενόμενος [7]. Ἐντεῦθεν λοιπὸν ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος προφητείας χάριν παρὰ Θεοῦ ἐκομίσατο τοῦ προλέγειν τὰ μέλλοντα, καὶ μηνύειν ὡς ἐνεστῶτα.

CAPUT XI.

De puerulo monacho parietis ruina confracto, et ejus oratione sanato.

Rursus dum fratres parietem, quia res ita exigebat, paulo altius ædificarent, vir Dei in orationis studio intra cellæ suæ claustra morabatur. Cui antiquus hostis insultans apparuit, et ei quod ad laborantes fratres pergeret indicavit. Quod vir Dei per nuntium celerrime fratribus indicavit, dicens: Fratres, caute vos agite, quia ad vos hac hora malignus spiritus venit. Is qui mandatum detulit, vix verba compleverat, et malignus spiritus eumdem parietem qui ædificabatur evertit, atque unum puerulum monachum cujusdam curialis filium opprimens, ruina contrivit. Contristati omnes ac vehementer afflicti non damno parietis, sed contritione fratris, venerabili Patri Benedicto studuerunt celeriter cum gravi luctu nuntiare. Tunc idem Pater Benedictus dilaceratum puerum ad se deferri jubet. Quem portare non nisi in sago [a] potuerunt: quia collapsi saxa parietis, non solum ejus membra, sed etiam ossa contriverant. Præcepitque vir Dei statim eum in cella sua in psiathio [b], quod vulgo matta vocatur [c], in quo orare consueverat, projici, missisque foras fratribus cellam clausit: qui orationi instantius quam solebat incubuit. Mira res, eadem hora hunc incolumem, atque ut prius valentem ad eumdem iterum laborem misit, ut ipse quoque parietem cum fratribus perficeret, de cujus se interitu antiquus hostis Benedicto insultare credidisset.

ΚΕΦΑΛ. ΙΒ'.

Περὶ τῶν μοναχῶν τῶν μεταλαμβανόντων τροφῆς παρὰ τὸν κανόνα.

Παράδοσις κανονικὴ ὑπὸ τοῦ ἁγίου ἐν τῇ μονῇ ὑπῆρχε νομοθετεῖσα, ἵνα ἀποστελλομένων ἀδελφῶν εἰς διακονίαν, μήτε βρώσεως, μήτε πόσεως μεταλάβωσι, μέχρις ἂν ἐν τῇ μονῇ ὑποστρέψωσι· καὶ οὕτως ὁ κανὼν ἀκριβὴς παρ'

CAPUT XII.

De monachis qui extra cellam comederant.

Cœpit vero inter ista vir Dei prophetiæ etiam spiritu pollere, ventura prædicere, præsentibus etiam absentia nuntiare [d]. Mos etenim cellæ fuit, ut quoties ad responsum [e] aliquod egrederentur fratres, ci-

[1] Additur ἀδελφοὺς in utroque ms.

[2] Mss. τοῦ δὲ τὴν ἀγγελίαν.... ἀγαγόντος, καὶ μήπω ταύτην διαγγεῖλαι φθάσαντος.

[3] Reg. ἐχάλασε.

[4] Colb. κυριαλίου.

[5] Tria verba hæc nostris mss. delentur; deerant enim in excusis ante ed. Guss. qui ea legerat in ms. Regio, in quo legimus et ipsi, nec non in Colb. Alii excusi habent, ἑωρακότες οὐ τοσοῦτον.

[6] Mss. ἠγήσαντο, — quæ vera est lectio. EDIT.

[7] Iidem φοιτηταῖς γενόμενος.

[a] Aliqui ex Norm., *in sacco*, ut etiam in plurimis editis.

[b] Psiathium, cujus apud Hieronymum, Cassianum, et alios frequenter fit mentio, est storea seu teges ex junco. Pro lecto, stragulo, ac sedili monachis erat. Psiathium quoque sibi substernebant oraturi. Supra ad cap. 2, lib. I laudavimus Hieron. in præf. ad Reg. S. Pachomii de Tabennensibus sic loquentem: *Nihil habent in cellulis præter psiathium*, etc.

[c] Hæc verba Mabillonio videntur lemma seu interpretatio e margine in textum invecta. Sane in Græco interp. non leguntur, et a multis codicibus absunt. Verum in antiquissimis mss. habentur, nimirum in Gemet. aliisque Norm., Carnot. primo, qui sæculo nono exaratus videtur; in primo Theod. et in Compend. In laudatis tamen codicibus aliquando legitur *matha et natta* pro *matta*. In Reg. S. P. Bened. c. 55, *matta* inter stramenta lectorum numeratur.

[d] Al., *narrare*.

[e] Hoc est, *ad negotium*. Vide Reg. S. P. Bened. cap. 51, ubi id constituitur de fratribus qui pro quolibet *responso* egrediuntur. Consule etiam notam *b*, initio Moral., col. 1.

A αὐτῶν ἐφυλάττετο. Ἐν μιᾷ οὖν τῶν ἡμερῶν, τινὲς τῶν ἀδελφῶν εἰς διακονίαν ὑπὸ τοῦ τιμίου τούτου ἀνδρὸς ἐστάλησαν· συνέβη οὖν τοὺς σταλέντας μοναχοὺς διάστημα πολὺ τῆς ὁδοῦ διανύσαντας, καὶ μὴ φθάσαντας ἐπαναλῦσαι ἐν τῇ μονῇ ὀψίας ἤδη γενομένης, καὶ τῆς ὥρας κατεπειγούσης, καταλῦσαι πρός τινα σεμνοτάτην παρθένον, καὶ ἐν τῷ κελλίῳ αὐτῆς μεταλαβεῖν τροφῆς. Ἀπέστειλαν δὲ ἕνα τῶν ἀδελφῶν πρὸς τὸν ἡγιασμένον πατέρα Βενέδικτον πρὸς τὸ αἰτήσασθαι εὐχὴν κατὰ τὸ ἔθος, ἵνα μεταλάβωσι τροφῆς· ὁ δὲ προγνωστικὸς ἐκεῖνος πατὴρ ἠρώτησεν αὐτὸν, [1] λέγων· « Ποῦ μετελάβετε τροφῆς; » ὁ δὲ ἀπεκρίνατο, « Οὐδαμοῦ, πάτερ· » πρὸς οὓς ὁ ἅγιος ἔφη· « Ἵνα τί οὕτω ψεύδεσθε; οὐχὶ ἐν τῷ κελλίῳ τῆσδε τῆς παρθένου [2] κατελύσατε, καὶ τροφῆς μετελάβετε; οὐχὶ τούτων κἀκείνων τῶν ἐδεσμάτων ἐγεύσασθε; οὐχὶ τοσαῦτα ποτήρια ἐπίετε; » Τῇ ἐπαύριον δὲ ἐπανελθόντων τῶν μοναχῶν [3] ἐκ τῆς προσταχ- B θείσης αὐτοῖς διακονίας, σοφῶς [4] τε καὶ ἐπιστημόνως ὑπὸ τοῦ πατρὸς διελεγχθέντες [5], τήν τε οἰκίαν τῆς γυναικὸς καὶ τὰ εἴδη τῶν βρωμάτων, καὶ τὸ μέτρον [6] τῶν ποτηρίων φανερώσαντες, ἑαυτοὺς καταγνόντες πρὸς τοὺς τιμίους αὐτοῦ πόδας ἔπεσαν, ἡμαρτηκέναι ὁμολογοῦντες· αὐτὸς δὲ ὁ πρᾳότατος πατὴρ εὐθέως τὸ σφάλμα αὐτοῖς συνεχώρησε, πληροφορηθεὶς τοῦτο. ὡς ἀπόντος αὐτοῦ, οὐ μὴ τοῦ λοιποῦ παραβῶσι τὴν παραδοθεῖσαν αὐτοῖς ὑπὸ τοῦ ἁγίου ἐντολὴν, ὅνπερ ἐν πνεύματι ἁγίῳ συμπαρόντα αὐτοῖς καὶ ἀποῦσιν ἔγνωσαν. [7]

bum potumque extra cellam minime sumerent. Cumque hoc de usu regulæ sollicite servaretur, quadam die ad responsum fratres egressi sunt, et in eo tardiori compulsi sunt hora demorari. Qui manere juxta religiosam feminam noverant, cujus ingressi habitaculum sumpserunt cibum. Cumque jam tardius ad cellam rediissent, benedictionem Patris ex more petierunt. Quos ille protinus percontatus est, dicens : Ubi comedistis? Qui responderunt : Nusquam. Quibus ille ait : Quare ita mentimini? Nunquid illius talis feminæ habitaculum non intrastis? nunquid hos atque illos cibos non accepistis? nunquid tot calices non bibistis? Cumque eis venerabilis Pater et hospitium mulieris, et genera ciborum, et numerum potionum diceret, recognoscentes cuncta quæ egerant, ad ejus pedes tremefacti ceciderunt, et se deliquisse confessi sunt. Ipse autem protinus culpam pepercit [a], perpendens quod in ejus absentia ultra non facerent, quem præsentem sibi esse in spiritu scirent.

ΚΕΦΑΛ. ΙΓʹ.

Περὶ τοῦ σαρκικοῦ ἀδελφοῦ Βαλεντίνου μοναχοῦ.

Ἀνήρ τις ὑπῆρχε, κοσμικὸς μὲν τῷ σχήματι, σπουδαῖος δὲ τοῖς τρόποις καὶ λίαν φιλομόναχος, ἀδελφὸς τυγ- C χάνων Βαλεντίνου μονάζοντος, οὗ καὶ τὸ πρότερον μνείαν πεποίημαι. Ὅς τις κατ' ἐνιαυτὸν παρέβαλε πρὸς τὸν σημειοφόρον πατέρα Βενέδικτον ἐπὶ τὸ ἀπολαύειν τῆς τούτου ψυχωφελοῦς διδασκαλίας, καὶ ἐπισκέψεως χάριν Βαλεντίνου τοῦ ἑαυτοῦ ἀδελφοῦ. Οὗτος τοίνυν ὁ ἀνὴρ νομοθεσίαν ἑαυτῷ ἣν δεδωκὼς, ἵνα ἐξερχόμενος ἐκ τῆς ἑαυτοῦ οἰκίας μηδαμῶς μεταλάβῃ τροφῆς, μέχρις ἂν τῆς τοῦ ἁγίου ἀξιωθῇ εὐχῆς, ἣν καὶ διεφύλαττεν. Ἐν μιᾷ οὖν ὁδεύοντος αὐτοῦ ἐπὶ τὸ μοναστήριον, αἰφνίδιον γέγονέ τις αὐτῷ συνοδοιπόρος, ἄγνωστος παντελῶς, ὅστις ἐπεφέρετο ἐδεσμάτων ποικιλίαν. Βραδυτάτης οὖν ὥρας παρελθούσης, εἶπε πρὸς αὐτὸν ὁ συνοδοιπόρος· « Δεῦρο, ἀδελφὲ, γευσώμεθα, μήπως ἀτονήσωμεν ἐν τῇ ὁδῷ· » πρὸς ὃν ἀποκριθεὶς εἶπεν· « Ἀπέστω, ἀδελφὲ, οὐ μὴ ποιήσω τοῦτο, διότι πρὸς τὸν σεβάσμιον πατέρα Βενέδικτον νῆστις ἔχω συνήθειαν ἀπέρ- D χεσθαι. » Ταύτην τὴν ἀπόκρισιν δεξάμενος πρὸς ὀλίγον ἡσύχασεν· ὁδεύσαντος δὲ ὀλίγον τῆς ὁδοῦ διάστημα, πάλιν ὁ συνοδοιπόρος τοῦτον τροφῆς μεταλαβεῖν προετρέπετο, ὁ δὲ ὑπακοῦσαι τούτου οὐκ ἠνέσχετο, ἀλλὰ τὴν πορείαν νῆστις διήνυσε. Πάλιν οὖν διάστημα πλεῖστον ὁδεύσαντες, ἐκ μήκους δὲ τοῦ μοναστηρίου ὄντες, ἦλθον ἐπί τινα τόπον τερπνὸν, ἐν ᾧ πηγὴ διαυγεστάτου [8] ὕδατος ὑπῆρχε, καὶ λιβάδιον εὐχυθές. Τότε ὁ συνοδοιπόρος τοῦτον αὖθις προ-

CAPUT XIII.

De fratre Valentiniani monachi, quem vir Dei in via comedisse cognovit.

Frater quoque Valentiniani ejus monachi, cujus superius memoriam feci, vir erat laicus, sed religiosus. Qui ut servi Dei orationem perciperet, et germanum fratrem videret, annis singulis de loco suo ad cellam ejus jejunus venire consueverat. Quadam igitur die dum iter ad monasterium faceret, sese illi alter viator adjunxit, qui sumendos cibos in itinere portabat. Cumque jam hora tardior excrevisset, dixit : Veni frater, sumamus cibum, ne lassemur in via. Cui ille respondit : Absit, frater, hoc non faciam, quia ad venerabilem Patrem Benedictum jejunus semper pervenire consuevi. Quo responso percepto, ad horam conviator tacuit. Sed cum post hoc aliquantulum itineris spatium egissent, rursus admonuit ut manducarent. Noluit consentire qui jejunus pervenire decreverat. Tacuit quidem qui ad manducandum invitaverat, et cum eo jejunus adhuc pergere ad modicum consensit. Cumque iter longius agerent, et eos tardior hora fatigaret ambulantes, invenerunt in itinere pratum et fontem, et quæque poterant ad reficiendum corpus delectabilia videri. Tunc conviator ait : Ecce aqua, ecce pratum, ecce amœnus locus, in quo possumus refici et parum quiescere, ut valeamus iter nostrum postmodum incolumes explere. Cum igitur et verba hæc auribus, et loca ocu

[1] Reg. λέγων, « Οὐ μετελάβετε τροφῆς; » ὁ δὲ ἀπεκρίθη, « Οὐδαμοῦ, πάτερ· » πρὸς ὃν ὁ ἅγιος ἔφη, « Ἵνα τί οὕτω ψεύδῃ; οὐχὶ ἐν τῷ κελλίῳ τῆσδε παρθένου, » etc. Colb. ἵνα τί οὕτως ψεύδεσθαι.

[2] Colb. δεσποίνης.

[3] Mss. ἀδελφῶν. Sed corrupte in Guss. post hoc verbum legitur ἐκ τῆς προσταχθείσης. Optima lectio est Colb.

[4] Reg. σαφῶς.

[5] Forsan διελεγχθέντων.

[6] Reg. καὶ τὸν μέτρον τῶν ποτηρίων. — Mox legendum videtur φανερώσαντος. EDIT.

[7] Reliqua dialogorum desunt in Colb.

[8] Reg. διειδεστάτου.

[a] Ita mss. miro consensu, vel *culpæ pepercit*. In Gilot. Vatic. et Guss., *culpæ pœnitentiam præcepit*. Lectioni mss. optime respondet Græca interpretatio.

τρεπόμενος ἔλεγεν· « Ἰδοὺ ὕδωρ, ἰδοὺ λιβάδιον, ἰδοὺ ἐπιτήδειος τόπος, ἐν ᾧ δυνησόμεθα τροφῆς μετασχεῖν καὶ ἀναθῆναι ὀλίγον, ὅπως τὴν ὁδὸν ἡμῶν ἀκόπως ἀνύσωμεν. » Ἀρεσθεὶς οὖν τῇ τοῦ τόπου τερπνότητι, καὶ δελεασθεὶς τῇ τοῦ συνοδοιπόρου τρισσῇ συμβουλίᾳ, ἀναπεσὼν καὶ συνεστιασθεὶς αὐτῷ ἀναστὰς εἴχετο τῆς εἰς τὸ μοναστήριον ἀπαγούσης ὁδοῦ. Ὀψίας δὲ γενομένης κατέλαβε τὸ τοῦ ἁγίου πατρὸς κελλίον, καὶ δὴ μηνυθεὶς ἐδέχθη ὑπὸ τοῦ σεβασμίου ἀνδρὸς Βενεδίκτου [1]. Πεσὼν οὖν ἐπὶ τὴν γῆν, εὐχὴν ᾐτήσατο λαβεῖν. Ὁ δὲ προορατικὸς ἐκεῖνος ἀνὴρ τὸ παράπτωμα ὅπερ κατὰ τὴν ὁδὸν αὐτῷ συνέβηκεν [2], ὠνείδισε, λέγων· « Τί ἐστιν, ἀδελφέ, ὅπερ ὁ ἐχθρός σοι διὰ τοῦ συνοδοιπόρου κατειργάσατο; τὸ πρῶτον πλανῆσαί σε οὐκ ἴσχυσεν, εἰς τὸ δεύτερον δελεάσαι σε οὐκ ἠδυνήθη, εἰς τὸ τρίτον ἐνίκησε καὶ ἐν οἷς ἠθέλησε κατέλαβε. Τότε ἐκεῖνος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ ἑαυτοῦ ἀσθενοῦς λογισμοῦ γνωρίσας, τοῖς τοῦ ἁγίου ποσὶ προσκυλινδούμενος, τοσούτῳ μᾶλλον [3] ἤρξατο θρηνεῖν τε καὶ αἰδεῖσθαι τὸ ἑαυτοῦ σφάλμα, ὅσον ἑαυτῷ [4] ἐπέγνω ἡμαρτηκέναι, καὶ ἐν τῇ τοῦ πατρὸς ἀπουσίᾳ γενομένην αὐτῷ ὑπὸ τοῦ ἐχθροῦ συμφορὰν, ἐπέγνω σαφῶς ἐν τοῖς τοῦ πατρὸς ὀφθαλμοῖς ταύτην πεπραχέναι.

A lis blandirentur, tertia admonitione persuasus, consensit et comedit: vespertina vero hora pervenit ad cellam. Præsentatus autem venerabili Benedicto Patri, sibi orationem dari petiit: sed mox ei vir sanctus hoc quod in via egerat improperavit, dicens: Quid est, frater, quod malignus hostis, qui tibi per conviatorem tuum locutus est, semel tibi persuadere non potuit, secundo non potuit, et tertio suasit [a], et te ad hoc quod voluit superavit? Tunc ille reatum infirmæ suæ mentis agnoscens, ejus pedibus provolutus, tanto magis cœpit culpam deflere et erubescere, quanto se cognovit etiam absentem in Benedicti Patris oculis deliquisse.

ΠΕΤΡ. Ἐγὼ τοῦ ἁγίου τούτου ἀνδρὸς τὰς πράξεις ἀκούων, ἐν μὲν τῷ προορᾷν τὰ μέλλοντα, καὶ τὰ ἐν κρυφῇ δρώμενα εἰς φανερὸν ἄγειν, τοῦ Ἐλισσαίου τὸ πνεῦμα ἐν αὐτῷ ὑπάρχειν ὁρῶ, ὅτι ἀπόντι τῷ μαθητῇ, ὡς παρὼν τὰ κατὰ αὐτοῦ διέγνω.

B *Petr.* Ego sancti viri præcordiis Elisæi (*IV Reg.* v) spiritum video inesse, qui absenti discipulo præsens exstitit.

ΚΕΦΑΛ. ΙΔ'.

Περὶ Τοτίλα τοῦ ῥηγὸς πειράσαντος τὸν ἅγιον.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Δέον ἐστὶ, Πέτρε, ἡσυχάζειν σε τέως, ὅπως ἀκούσῃς [5] τὰ μέγιστα. Ἐν τοῖς τῶν Γότθων καιροῖς, ὁ τούτων ῥὴξ Τοτίλας τὸ ὄνομα, ἀκηκοὼς τὰ τοῦ ἁγίου κατορθώματα, καὶ ὅτι προφητικοῦ χαρίσματος ἀνάπλεως τυγχάνει, ἐπὶ τὸ μοναστήριον ὥρμησεν ἐλθεῖν. Καὶ δὴ μήκοθεν τοῦ μοναστηρίου στὰς, τὴν ἑαυτοῦ παρουσίαν τῷ μακαρίῳ ἐμήνυσεν. Ὁ δὲ ἅγιος ἐπέστρεψε τοῦ παραγενέσθαι αὐτὸν πρὸς αὐτόν. Ἐκεῖνος δὲ λογισάμενος ἐν C ἑαυτῷ ἀδύνατον εἶναι φθαρτὸν ἄνθρωπον ὄντα προφητικῆς χάριτος μετασχεῖν [6], τοῦτον πειρᾶσαι ἐτόλμησεν. Ἕνα δέ τινα τῶν αὐτοῦ σπαθαρίων, Ῥίγγωνα λεγόμενον, ἠμφίασε τοῖς ἑαυτοῦ ἱματίοις, καὶ τοῖς ὑποδήμασιν ὑπέδησεν, καὶ τοῦτον ἐν τῷ ἑαυτοῦ ὀνόματι πορευθῆναι πρὸς τὸν ἄνθρωπον τοῦ Θεοῦ ἐκέλευσεν, ὡς δῆθεν πειράζων αὐτὸν, παρασχόμενος αὐτῷ δορυφόρους πλείονας. Σὺν αὐτοῖς δὲ καὶ κόμητας ἀπέστειλε, τουτέστι Βουλτερῖκον, Ῥουδερῖκον, καὶ Βρινδῖνον, ἐκ δεξιῶν τε αὐτοῦ καὶ ἐξ εὐωνύμων πλήθη ἀρχόντων καὶ στρατιωτῶν πορευθῆναι προσέταξεν [7], οἰόμενος διὰ τῆς ἐπιπλάστου ταύτης καὶ ψευδοῦς θεωρίας ἀπατῆσαι τὸν τοῦ Θεοῦ δοῦλον. Ὡς δὲ τὸ μοναστήριον κατέλαβεν ὑπὸ τῆς τῶν στρατιωτῶν τε καὶ ἀξιωματικῶν δορυφορούμενος τάξεως, συνέβη τὸν ἅγιον ἔν τινι ὑψηλῷ τόπῳ καθήμενον θεωρεῖν τοῦτον ἐρ- D χόμενον· καὶ ἀπὸ διαστήματος ὄντος αὐτοῦ ἐξ οὗπερ ἡ τοῦ ἁγίου φωνὴ ἠδύνατο παρ' ἐκείνου ἀκουσθῆναι, ἔκραξεν ὁ ἅγιος, λέγων· « Ἀπόθου, τέκνον, ἀπόθου τοῦτο ὅπερ

CAPUT XIV.

De simulatione regis Totilæ deprehensa.

Gregorius. Oportet, Petre, ut interim sileas, quatenus adhuc majora cognoscas. Gothorum namque temporibus, cum rex eorum Totila sanctum virum prophetiæ habere spiritum audisset, ad ejus monasterium pergens, paulo longius substitit, eique se venturum esse nuntiavit. Cui dum protinus mandatum de monasterio fuisset ut veniret, ipse, sicut perfidæ mentis fuit, an vir Dei prophetiæ spiritum haberet explorare conatus est. Quidam vero ejus spatharius [b] Riggo dicebatur, cui calceamenta [c] sua præbuit, eumque indui vestibus regalibus fecit, quem quasi in persona sua pergere ad Dei hominem præcepit. In cujus obsequio tres qui sibi præ cæteris adhærere consueverant, comites misit, scilicet, Vult, Ruderic, et Blidin, ut ante servi Dei oculos ipsum regem Totilam esse simulantes, ejus lateribus obambularent; cui alia quoque obsequia atque spatharios præbuit [d], ut tam ex eisdem obsequiis quam ex purpureis vestibus rex esse putaretur. Cumque idem Riggo decoratus vestibus, obsequentum frequentia comitatus monasterium fuisset ingressus, vir Dei eminus sedebat. Quem venientem conspiciens, cum jam ab eo audiri potuisset, clamavit, dicens: Pone, fili, pone hoc quod portas: non est tuum. Qui Riggo protinus in terram cecidit, et quia tanto viro illudere præsumpsisset, expavit: omnesque qui cum eo ad

[1] Ms. τοῦ ἁγίου πατρὸς σεβασμίου.
[2] Ms. παρὰ τὴν ὁδὸν συνέβη.
[3] Ms. τοσοῦτον μᾶλλον.
[4] Ms. ἑαυτὸν ἐπέγνω.
[5] Ms. ἀκούσῃς τὰ ἑξῆς.
[6] Ms. μετέχειν.
[7] Ms. ἐπέτρεψε.

[a] Duo Gemet., persuasit.

[b] Spatharii munus erat spatham sive ensem principis gerere, ejusque latus custodire MABILL.
[c] Calcei olim varii erant pro cujusque statu ac conditione, nam plebei calceis albis, senatores rubris, reges purpureis utebantur, ut observavit Haeftenus. MABILL.
[d] In vet. editis, *cui alia quoque obs. quasi spatharii præberent.*

ἐνδέδυσαι, οὐκ ἔστι γὰρ σόν· » Ὅστις Ῥίγγων ταῦτα ἀκούσας παρ' αὐτοῦ πεσὼν ἐπὶ τὴν γῆν ἐξέστη, μετανοῶν ἐφ' οἷς ἔδρασεν, ὅτι τοιοῦτον ἅγιον, καὶ διορατικώτατον ἄνδρα διαχλευάσαι ἀπετόλμησε. Πάντες οὖν οἱ σὺν αὐτῷ ὄντες τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τὴν γῆν προσεκύνησαν. Ἀναστάντες δὲ οὐδαμῶς τῷ ἁγίῳ πλησιάσαι ἐτόλμησαν, ἀλλὰ πρὸς τὸν ἑαυτῶν ῥῆγα ὑπέστρεψαν τρέμοντες, καὶ ἑαυτοὺς μεμφόμενοι ἐπὶ τῇ οἰκείᾳ κουφότητι.

A hominem Dei veniebant, terræ consternati sunt. Surgentes autem, ad eum propinquare minime præsumpserunt, sed ad suum regem reversi, nuntiaverunt trepidi in quanta velocitate fuerant deprehensi.

ΚΕΦΑΛ. ΙΕ'.

Περὶ ἧς ἐξέθετο προφητείας τῷ αὐτῷ ῥηγί.

Τότε δι' ἑαυτοῦ ὁ αὐτὸς ῥὴξ Τοτίλας πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον παραγέγονεν [1]. Ὃν ἡνίκα μήκοθεν καθεζόμενον ἐθεάσατο, οὐδαμῶς ἐτόλμησε προσεγγίσαι αὐτῷ, ἀλλ' ἑαυτὸν ἐπὶ τὴν γῆν ῥίψας, ἐδέετο τῆς παρὰ τοῦ ἁγίου τυχεῖν συγχωρήσεως. Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ θεράπων τοῦτον δὶς καὶ τρὶς προσφωνήσας ἀναστῆναι, καὶ θεασάμενος τῷ φόβῳ αὐτὸν συσχεθέντα [2] μὴ ἀνιστάμενον, Βενέδικτος ὁ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ οἰκέτης δι' ἑαυτοῦ ἀναστῆσαι τὸν ῥηθέντα ῥῆγα Τοτίλαν κατηξίωσε, καὶ τοῦτον περὶ τοῦ ἑαυτοῦ διήλεγξε πράξεων. Καὶ ἐν ὀλίγοις ῥήμασι πάντα τὰ μέλλοντα αὐτῷ συμβεβηκέναι [3] προεμήνυσε, λέγων· « Πολλὰ κακὰ ἐποίησας καὶ ποιεῖς, λοιπὸν ἀπόστηθι τῆς ἀνομίας, καὶ μετανόησον κἂν ὀψέποτε· καὶ γὰρ ἐν Ῥώμῃ μέλλεις εἰσιέναι, καὶ θάλασσαν περάσαι ἔχεις, ἐννέα ἔτη βασιλεύσεις, τῷ δεκάτῳ δὲ ἔτει τελευτήσεις. » Ταῦτα ἀκούσας ὁ τῶν Γότθων ῥὴξ, καὶ τῇ ἀπροσδοκήτῳ τοῦ μακαρίου προφητείᾳ ἔκθαμβος γενόμενος, ἔρριψεν ἑαυτὸν ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ εὐχὴν αἰτήσας, ἀνεχώρησε τῆς μονῆς· καὶ ἀπὸ τότε τῆς ἑαυτοῦ ὠμότητός τε καὶ ἀπανθρωπίας μετεποιήθη, διὰ τῆς τοῦ ὁσίου διδασκαλίας, καὶ ἐπωφελοῦς παραινέσεως. Καὶ οὐ μετὰ πολὺν χρόνον ἐν Ῥώμῃ εἰσῆλθε, καὶ ἐν Σικελίᾳ παραγέγονεν· δεκάτῳ δὲ ἔτει τῆς αὐτοῦ βασιλείας, ἡ θεία δίκη τοῦτον ζῆν οὐκ εἴασεν, ἀλλὰ κατὰ τὴν τοῦ ἁγίου προφητείαν, τὸ βασίλειον μετὰ τῆς ζωῆς ἀπώλεσεν. Ὅθεν λοιπὸν ὁ τῆς Κανουσίων ἐκκλησίας ἐπίσκοπος πρὸς τὸν μέγαν Βενέδικτον κατὰ τὸ συνῆθες παραβαλών· διὰ γὰρ τὴν τῆς πολιτείας αὐτοῦ ἁγιωσύνην σφόδρα τοῦτον ἠγάπα ὁ σεβάσμιος Βενέδικτος. Καθεσθέντων * οὖν αὐτῶν, καὶ λόγου κινηθέντος περί τε τῆς ἐν τῇ πόλει εἰσόδου τοῦ ῥηγὸς Τοτίλα, καὶ τῆς τῶν Ῥωμαίων πόλεως ἀπωλείας, λέγει πρὸς τὸν μακάριον ὁ ἐπίσκοπος· « Διὰ τοῦ ῥηγὸς τούτου ἡ πόλις Ῥώμη καταλυθήσεται, πρὸς τὸ μηκέτι οἰκισθῆναι παρὰ ἀνθρώπων. » Πρὸς ὃν ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος ἀπεκρίθη· « Ἡ τῶν Ῥωμαίων πόλις ὑπὸ ἐθνῶν οὐ μὴ καταλυθήσεται, ἀλλ' ἀνάγκαις [4], ἀστραπαῖς τε καὶ σεισμοῖς σαλευθεῖσα τακήσεται ἐφ' ἑαυτήν. » Καὶ ἰδοὺ τὰ μυστήρια τῆς τοῦ σεβασμίου ἀνδρὸς προφητείας ἡλίου λαμπρότερα ἐν ὀφθαλμοῖς πάντων πρόκειται· καὶ γὰρ ἐν αὐτῇ τῇ μεγίστῃ πόλει τὴν περικαλλῆ ταύτης κόσμησιν οὐχ' ὁρῶμεν, ἀλλὰ

CAPUT XV.

De prophetia eidem regi Totilæ et Canusinæ civitatis antistiti facta.

Tunc per se idem Totila ad Dei hominem accessit: quem cum longe sedentem cerneret, non ausus accedere sese in terram dedit. Cui cum vir Dei bis terve diceret: Surge, sed ipse ante eum de terra erigi non auderet, Benedictus Christi Jesu famulus per semetipsum dignatus est accedere ad regem prostra- B tum: quem de terra levavit, et de suis actibus increpavit, atque in paucis sermonibus cuncta quæ illi erant ventura prænuntiavit, dicens: Multa mala facis, multa mala fecisti, jam aliquando ab iniquitate compescere [a]. Equidem Romam ingressurus es, mare transiturus, novem annis regnabis, decimo morieris [b]. Quibus auditis rex vehementer territus, oratione petita recessit, atque ex illo jam tempore minus crudelis fuit: et non multo post Romam adiit, ad Siciliam perrexit [c]; anno autem regni sui decimo, omnipotentis Dei judicio regnum cum vita perdidit. Præterea Canusinæ [d] antistes Ecclesiæ ad eumdem Dei famulum venire consueverat, quem vir Dei pro vitæ suæ merito valde diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu regis Totilæ et Romanæ C urbis perditione colloquium haberet, dixit: Per hunc regem civitas ista destruetur, ut jam amplius non inhabitetur. Cui vir Domini respondit: Roma a gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus coruscis, et turbinibus, ac terræ motu fatigata, in semet ipsa marcescet. Cujus prophetiæ mysteria nobis jam facta sunt luce clariora, qui in hac urbe dissoluta mœnia, eversas domos, destructas ecclesias turbine cernimus, ejusque ædificia longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternantur, videmus. Quamvis hoc Honoratus ejus discipulus, cujus mihi relatione compertum est, nequaquam ex ore illius audisse se perhibet; sed quia hoc dixerit, dictum sibi a fratribus fuisse testatur.

[1] Ms. παρεγένετο.
[2] Ms. συσχεθέντα μὴ ἀνίστασθαι... Χριστοῦ δοῦλος.
[3] Ms. συνβαίνειν.
[4] Ms. ἀλλ' ἀνάγκαις τε καὶ ταραχαῖς.... ἐφ' ἑαυτήν.
* Participium aoristi parum usitati καθέσθην, a verbo καθέζομαι. EDIT.

[a] Pler. editi, *conquiesce.*
[b] Inde apparet hunc Totilæ cum S. P. Benedicto congressum accidisse anno octavo belli Gothici pene exacto (quod anno Christi 542 respondet), cum Totilas jam annum integrum regnasset. Nam undecim annis Italiæ principatu potitus est: cui calculo favet Procopius in lib. III de Bello Goth.: *Amne Tiberino* D *transmisso* (Totilas).... *ad Campanos et Samnites divertit.* Casinum autem Campaniæ vicinum, in Samnitibus situm est.
[c] In hac expeditione Siciliæ S. Placidum S. P. Benedicti discipulum martyrium passum, ejusque monasterium flammis devastatum fuisse non levis est conjectura, quam aperuimus l. II. Vitæ Cassiodori, c. 7, pag. prioris edit. 266 et seq., ubi etiam quæ ad Totilam pertinent prosecuti sumus.
[d] Canusium, vulgo *Canosa*, urbs Apuliæ Peucetiæ ad Aufidum fluvium, a Cannis excisis 3 millibus distans. Porro hic Canusinus episcopus *Sabinus* vel *Savinus* vocatur in Actis S. Placidi.

καταχωσθέντας οἴκους, ἐκκλησίας ἐρημωθείσας διὰ τῶν ἐπιγεγονότων σεισμῶν κατανοοῦμεν, καὶ τὰ κτίσματα αὐτῆς παλαιωθέντα· ὑπὸ γὰρ τῶν συμπτωμάτων, καὶ τῶν συνεχῶν σεισμῶν ἡ τῶν οἰκοδομημάτων ποικιλία κατερρυπώθη. Ταύτης τῆς θεοσδότου τοῦ ὁσίου ἀνδρὸς προφητείας τὴν ἐξήγησιν ἐποιήσατο πρός με Ὁνωρᾶτος ὁ τοῦ ἁγίου φοιτητής· ἔλεγε δὲ ταῦτα ὁ αὐτὸς εὐλαβέστατος Ὁνωρᾶτος οὐ παρὰ τοῦ ἁγίου ἀκηκοέναι, ἀλλὰ παρὰ ἀδελφῶν ἀληθευόντων πιστωθεὶς ἐμαρτύρει ταῦτα.

ΚΕΦΑΛ. Ις'.

Περὶ τοῦ δαιμονιοῦντος [1] κληρικοῦ, καὶ διὰ προσευχῆς αὐτοῦ ἰαθέντος.

Ἐν αὐτῷ τοίνυν τῷ καιρῷ κληρικός τις ἐκ τῆς Ἀκυινῶν ἐκκλησίας ἐτύγχανεν ὑπὸ δαίμονος ἀκαθάρτου ἐνοχλούμενος· ὁ δὲ τούτου ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Κωνστάντιος ἐν διαφόροις τῶν ἁγίων κοιμητηρίοις πολλάκις τοῦτον ἀπέστειλεν, ὅπως δυνηθῇ ἰάσεως τυχεῖν· ἀλλ' οἱ ἅγιοι τοῦ Θεοῦ μάρτυρες τῆς ἰάσεως τὸ δῶρον τούτῳ παρασχεῖν οὐχ' εἵλοντο, ἐπιδεῖξαι πᾶσι θελήσαντες τὴν ἐν τῷ μακαρίῳ Βενεδίκτῳ ἐπιπολάζουσαν θείαν χάριν τῶν ἰαμάτων. Ἀπηνέχθη τοίνυν ὁ ἀσθενῶν πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ δοῦλον Βενέδικτον, ὅστις τῷ κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ τὰς δεήσεις προσενέγκας, τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἀπ' αὐτοῦ ἀπελάσας, ὑγιῆ τοῦτον τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι ἀποκατέστησεν, εἰπὼν αὐτῷ· « Ἄπελθε, ἰδοὺ ὑγιὴς γέγονας, κρέα B μὴ φάγῃς, μηδὲ ἱερατικῷ βαθμῷ ἐπιβῇς· οἵαν δ' ἂν ἡμέραν [2] ἱερατικὸν ἀξίωμα ἐφ' ἑαυτὸν δέξασθαι τολμήσεις, εὐθέως ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τοῦ ἀκαθάρτου δαίμονος ἀνελεημόνως ὑποβληθήσῃ. » Ἐπανελθὼν δὲ εἰς τὰ ἴδια ὁ ἰαθεὶς, ἐπελάθετο τῆς παρὰ τοῦ ἁγίου δοθείσης αὐτῷ ἐντολῆς, καὶ μετὰ ἐτῶν πολλῶν περίοδον, ἡνίκα ἐθεάσατο τοὺς προτερεύοντας ἐν τῷ ἱερατικῷ καταλόγῳ ἐκ τοῦδε τοῦ βίου μεταστάντας, καὶ τοὺς ἑαυτοῦ ἐλάσσονος ἐν ἱερατικῷ προβαίνοντας τάγματι, λήθην, ὡς εἴρηται, ὑπομείνας τῶν παρὰ τοῦ ἁγίου πρὸς αὐτὸν γενομένων νουθεσιῶν, ἱερατικῷ ἐπέβη τάγματι· παραυτὰ δὲ εἰς αὐτὸν ὁ δαίμων, ὥσπερ ἀνήμερος θὴρ εἰσοικισθεὶς, ἀνηλεῶς τοῦτον διεσπάραττε μέχρι θανάτου.

ΠΕΤΡ. Ὁ προορατικὸς τοῦ Θεοῦ οὗτος ἄνθρωπος, ὡς C ὁρῶ, ἀποκεκρυμμένα μυστήρια διέγνωκεν, ὅστις ὑπὸ Θεοῦ φωτισθεὶς, τουτονὶ τὸν κληρικὸν διὰ τοῦτο τῷ διαβόλῳ παραδοθέντα συνῆκε, πρὸς [3] τὸ μὴ αὖθις τολμῆσαι τοῦτον ἱερατικῇ ἐγχειρισθῆναι ἀξίᾳ.

ΓΡΗΓ. Διὰ τί ἀγνοεῖν εἶχε τὰ τῆς θεότητος μυστήρια ὁ τοῦ Χριστοῦ τὰ προστάγματα φυλάττων; καθὼς γέγραπται· « Ὁ προσκολλώμενος τῷ κυρίῳ ἓν πνεῦμά ἐστιν. »

ΠΕΤΡ. Εἰ ἓν γίνεται [4] σὺν τῷ κυρίῳ πνεῦμα ὁ τῷ Θεῷ προσκολλώμενος, τί ἐστιν ὅπερ πάλιν ὁ αὐτὸς πάνσοφος κήρυξ εἴρηκεν, φήσας· « Τίς ἔγνω νοῦν κυρίου; ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο; » λίαν ἀσύμφωνόν μοι εἶναι δοκεῖ, εἰ ὁ νοῦς σὺν τῷ κυρίῳ ἓν πνεῦμα γενόμενος τὰ μέλλοντα ἀγνοήσει.

ΓΡΗΓΟΡ. Οἱ ἅγιοι ἄνδρες, ἐφ' ὅσον σὺν τῷ κυρίῳ ἓν

A

CAPUT XVI.

De clerico a dæmonio ad tempus liberato.

Eodem quoque tempore quidam Aquinensis [a] Ecclesiæ clericus dæmonio vexabatur, qui a venerabili viro Constantio [b] ejusdem Ecclesiæ antistite per multa fuerat martyrum [c] loca transmissus, ut sanari potuisset. Sed sancti Dei martyres noluerunt ei sanitatis do um tribuere, ut quanta esset in Benedicto gratia demonstrarent. Ductus itaque est ad omnipotentis Dei famulum Benedictum : qui Jesu Christo Domino preces fundens, antiquum hostem de obsesso homine protinus expulit. Cui sanato præcepit, dicens : Vade, et posthac carnem non comedas; et ad sacrum ordinem nunquam accedere præsumas; quacunque autem die sacrum ordinem temerare præ- B sumpseris [d] statim juri diaboli iterum mancipaberis. Discessit igitur clericus sanus, et sicut terrere solet animum pœna recens, ea quæ vir Dei præceperat, interim custodivit. Cum vero post annos multos omnes priores illius de hac luce migrassent, et minores suos sibimet superponi in sacris ordinibus cerneret, verba viri Dei quasi ex longo tempore oblitus postposuit, atque ad sacrum ordinem accessit : quem mox is qui reliquerat diabolus tenuit, eumque vexare quousque animam ejus excuteret, non cessavit.

C *Petr.* Iste vir Dei Divinitatis, ut video, etiam secreta penetravit, quia perspexit hunc clericum idcirco diabolo traditum, ne ad sacrum ordinem auderet accedere.

Gregor. Quare Divinitatis secreta non nosset, qui Divinitatis præcepta servavit, cum scriptum sit : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* [e] (*I Cor.* VI, 17)?

Petr. Si unus fit cum Domino spiritus qui Domino adhæret, quid est quod iterum idem egregius prædicator dicit : *Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* (*Rom.* XI, 34)? Valde enim esse inconveniens videtur ejus sensum cum quo unus factus fuerit [f], ignorare.

Gregor. Sancti viri in quantum cum Deo unum

[1] Forte δαιμονιῶντος.

[2] Ms. οἵα γὰρ ἡμέρα. . τολμήσῃς.

[3] Ms. πρὸς τὸ μὴ αὐτομολῆσαι τοῦτον.

[4] Ms. διατί ἓν γίνεται.

[a] Aquinum, urbs episcopalis cis Casinum 5 mill. pass. S. Thomæ celeberrimi Ecclesiæ doct. patria.

[b] Colitur S. Constantius 1 Septembris.

[c] Hoc est martyrum conditoria et monumenta, seu sacras ædes eorum reliquiis asservandis aut memoriæ dicatas.

[d] Editi pene omnes, *ad sacrum ord. accedere præsumpseris*, reluctantibus omn. mss. In secundo Carn., *sacrum ord. temerarie præs.* Cæterum tam minores quam majores ordines hic possunt intelligi : D nam in Sacramentorum libro legitur : *Incipit ordo ad sacros ordines benedicendos*; cui titulo subjungitur : *Majores gradus ante Evangelium; minores vero post Commun. dantur*, etc. Deinde sequitur : *Ordinatio ostiarii*, et ita de cæteris minoribus ordinibus. His succedunt ordinationes diaconi, presbyteri, et episcopi.

[e] Vulgati addunt *est cum eo*. His non accensemus editionem Mabill., qui mss. codices magna fide repræsentat. Abest *cum eo* a mss. et a vers. Græca.

[f] In excusis, *cum quo unus unum factus fuerit*. Hic variant mss. Nam Prat. habet, *cum quo unum fuerit*. Consentiunt duo Gemet. At primus Theod. Lyr. et Becc., *cum quo unum factus fuerit*.

εἰσι, τὸν νοῦν κυρίου οὐκ ἀγνοοῦσιν, ὁ γὰρ αὐτὸς [1] Ἀπόστολος λέγει· « Τίς οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τοῦ ἀνθρώπου, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ οἰκοῦν ἐν αὐτῷ; οὕτω καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ οὐδεὶς ἔγνω, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ. » Ἵνα οὖν ἑαυτὸν ἐπιδείξῃ τὰ τοῦ Θεοῦ μὴ ἠγνοηκέναι μυστήρια, προσέθηκεν· « Ἡμεῖς δὲ οὐχὶ τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου τούτου ἐλάβομεν, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ· » ὅθεν εἴρηκε πάλιν· « Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν, ἡμῖν δὲ ἀπεκάλυψε διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ. »

ΠΕΤΡ. Εἰ τῷ Ἀποστόλῳ αὐτὰ τὰ τοῦ Θεοῦ ὑπάρχοντα, διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ ἦσαν ἀποκεκαλυμμένα πῶς πρὸ τούτων ὧν προεθέμην λέγειν, προφθάσας εἶπεν· « Ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ, ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ. » Πάλιν δέ μοι ταῦτα λέγοντι ἑτέρα ὑπεισέρχεται ἐρώτησις· καὶ γὰρ Δαυὶδ ὁ προφήτης τῷ Θεῷ ἐντυγχάνων ἔλεγεν· « Ἐν τοῖς χείλεσί μου ἐξήγγειλα πάντα τὰ κρίματα τοῦ στόματός σου. » Εἰ οὖν τὸ γνῶναι τὰ τοῦ Θεοῦ κρίματα μεῖζόν ἐστι τοῦ ἀναγγεῖλαι, πῶς ὁ μακάριος Παῦλος ἀνεξερεύνητα τὰ τοῦ Θεοῦ κρίματα ἀναγγέλλει, ὁ δὲ Δαυὶδ οὐ μόνον ταῦτα γνῶναι, ἀλλὰ καὶ τοῖς χείλεσιν ἀναγγεῖλαι μαρτυρεῖ;

ΓΡΗΓ. Ἐν ἑκατέραις ταύταις σου ταῖς ἐρωτήσεσιν ἐν τοῖς ἀνωτέρω εἰρημένοις ὡς ἐν συντόμῳ ἀπεκρίθην, λέγων, ὅτι οἱ ἅγιοι ἄνδρες ἐφ' ὅσον μετὰ τοῦ κυρίου ἔνεισιν, τὸν νοῦν κυρίου οὐκ ἀγνοοῦσιν. Πάντες γὰρ οἱ διὰ προσευχῆς ἀπερισπάστου τῷ κυρίῳ ἀκολουθοῦντες, δηλονότι [2] ἐν τῇ εὐχῇ ὄντες σὺν τῷ κυρίῳ εἰσίν· οἱ δὲ τῷ ἐφολκίῳ τοῦ γεώδους τούτου καὶ ἐπικήρου σώματος τοῖς πάθεσιν βαρούμενοι, σὺν τῷ κυρίῳ εἶναι οὐ δύνανται. Τὰ ἀπόκρυφα οὖν τοῦ Θεοῦ κρίματα, ὅταν ἡνωμένοι τῷ κυρίῳ εἰσὶν, ἐπίστανται· ὅταν δὲ ὑπὸ τῆς τοῦ σώματος ἀσθενείας κώλυμα ὑποστῶσι, καὶ ἀπὸ Θεοῦ πρόσκαιρον ἀπασχοληθῶσι τὸν νοῦν, τὰ κρίματα τοῦ κυρίου ἀγνοοῦσι, καὶ τὰ ἀπόκρυφα αὐτοῦ μυστήρια ἄδηλα αὐτοῖς καθίστανται· καὶ λοιπὸν τότε ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα τοῦ Θεοῦ εἶναι λέγονται. Ἡνίκα δὲ τῷ Θεῷ τῇ διανοίᾳ ἑνωθῶσι διὰ τῆς τῶν θείων γραφῶν ἀναπτύξεως, καὶ κρυπτῶν μυστηρίων ἀποκαλύψεως, [3] ὅσον παρὰ Θεοῦ κομίζονται τὸ μέτρον γινώσκουσι [4] καὶ αὐτὸ οἴδασί τε καὶ προμηνύουσι. Τὰ μυστήρια τοίνυν, ἅπερ παρὰ τῷ Θεῷ ἐν ἀποκρύφῳ εἰσὶν, ἀγνοοῦσιν, ἃ δὲ ὁ Θεὸς ἀποκαλύπτει, γινώσκουσιν· ὅθεν καὶ Δαυὶδ ὁ προφήτης φησίν· « Ἐν τοῖς χείλεσί μου ἐξήγγειλα πάντα τὰ κρίματα· » παραυτὰ προσθεὶς ἐπήγαγε « τοῦ στόματός σου· » μονονουχὶ λέγων πρὸς Θεόν· Ἐκεῖνα ἐγὼ κρίματα γνῶναί τε καὶ ἀναγγεῖλαι ἠδυνήθην, ἅπερ λαλήσαντά σε πρὸς μὲ ἔγνων, ἐπεὶ ἐκεῖνα ἅπερ αὐτὸς οὐ λέγεις, παρ' ἡμῖν ἄδηλα ὑπάρχουσι καὶ ἀνέκφραστα. Συμφωνεῖ λοιπὸν ἥ τε προφητικὴ καὶ Ἀποστολικὴ μαρτυρία, ὅτι καὶ ἀνεξιχνίαστά εἰσι τὰ τοῦ Θεοῦ κρίματα, καὶ τὰ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ προερχόμενα τοῖς ἀνθρωπίνοις χείλεσιν ἔσονται προφερόμενα· καὶ γὰρ ὑπὸ ἀνθρώπων ἐκεῖνα λαληθῆναί τε καὶ γνωσθῆναι δύνανται, ἅπερ ὁ Θεὸς ἀποκαλύψει, καὶ πάλιν ἐκεῖνά εἰσι παρ' ἡμῖν κρύφιά τε καὶ ἀφανῆ, ἅπερ αὐτὸς τοῖς ἑαυτοῦ ἀνεφίκτοις κρίμασιν ἐν ἀδήλῳ ἔθετο.

A sunt, sensum Domini non ignorant. Nam idem quoque apostolus dicit : *Quis enim scit hominum quæ hominis sunt, nisi spiritus hominis qui est in ipso? Ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei* (*I Cor.* II, 11). Qui, ut se ostenderet nosse quæ Dei sunt, adjunxit : *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est* (*Ibid.*, 12). Hinc iterum dicit : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se; nobis autem revelavit per Spiritum suum* (*Ibid.*, 9).

Petr. Si ergo eidem apostolo ea quæ Dei sunt, per Dei Spiritum fuerant revelata, quomodo super hoc quod proposui [a], præmisit dicens : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehen-* B *sibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI, 33)! Sed rursum mihi hæc dicenti alia suboritur quæstio. Nam David propheta Domino loquitur, dicens : *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui* (*Psal.* CXVIII, 13). Et cum minus sit nosse quam etiam pronuntiare, quid est quod Paulus incomprehensibilia esse Dei judicia asserit, David autem hæc se omnia non solum nosse, sed etiam in labiis pronuntiasse testatur?

Gregor. Ad utraque hæc tibi superius sub brevitate respondi, dicens, quod sancti viri inquantum cum Domino unum sunt, sensum Domini non ignorant. Omnes enim qui devote Dominum sequuntur, etiam devotione cum Deo sunt, et adhuc carnis corruptibilis gravati pondere, cum Deo non sunt. Occulta ita- C que Dei judicia inquantum conjuncti sunt, sciunt; inquantum disjuncti sunt, nesciunt. Quia enim secreta ejus adhuc perfecte non penetrant, incomprehensibilia ejus judicia esse testantur : quia vero mente ei inhærent, atque inhærendo, vel sacris Scripturæ eloquiis vel occultis revelationibus inquantum accipiunt agnoscunt, et noverunt hæc et pronuntiant. Judicia itaque quæ Deus tacet nesciunt, quæ Deus loquitur sciunt. Unde et David propheta cum dixisset : *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia* (*Psal.* CXVIII, 13), protinus addidit, *oris tui*, ac si aperte dicat : Illa ego judicia et nosse et pronuntiasse potui, quæ te dixisse cognovi. Nam ea quæ ipse non loqueris, nostris procul dubio cognitionibus abscondis. Concordat ergo prophetica apostolicaque sententia : quia et incom- D prehensibilia sunt Dei judicia, et tamen quæ de ore ejus prolata fuerint, humanis labiis pronuntiantur : quoniam sciri ab hominibus et prolata per Deum possunt, et occulta non possunt [b].

[1] Ms. αὐτὸς κύριος διὰ τοῦ ἀποστόλου λέγει.
[2] Ms. δῆλον ὅτι.
[3] Ms. ἀποκαλύψεων.
[4] Ms. γινώσκουσιν αὐτὰ οἴδασί τε.

[a] Ita Germ., duo Gemet. et plerique Norm. Suffragatur versio Græca. In excusis ut in nonnullis mss. legitur, *proposuit.*

[b] Gilot. Vatic. et vet. ed., *prolata prodi possunt, et occultari non possunt.*

ΠΕΤΡ. Ἐν τῇ προσθήκῃ τῆς ἐμῆς ἐρωτήσεως τῶν προῤῥηθέντων μαρτυριῶν τὸ δυσερμήνευτον, λέγω δὴ τοῦ τε προφήτου Δαυὶδ καὶ τοῦ Ἀποστόλου, τηλαυγῶς διεσάφησας· ἀλλὰ δυσωπῶ εἰ ὑπολείπεταί τι περὶ τῆς ἀνεπιλήπτου πολιτείας τοῦ ἁγίου ἐκείνου ἀνδρὸς, δαψιλῶς φράσον ἡμῖν.

A *Petr.* In objectione meæ quæstiunculæ patuit causa rationis [a]. Sed quæso te, si qua sunt adhuc de hujus viri virtutibus, subjunge.

ΚΕΦΑΛ. ΙΖ΄.

Περὶ τῆς ἐρημώσεως τοῦ μοναστηρίου αὐτοῦ προφητείας.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Ἀνήρ τις ὑπῆρχεν εὐγενέστατος, ὁμώνυμος δὲ τοῦ μακαρίου Βενέδικτος [1], ὅστις ὑπὸ τῆς αὐτοῦ θεοσόφου διδασκαλίας παιδαγωγηθεὶς, τὴν τοῦ βίου καταλείψας τερπνότητα πρὸς Θεὸν ἐπανέδραμε· καὶ διὰ τὴν ἐν τῷ ἁγίῳ οὖσαν μεγίστην τῆς πολιτείας τὴν ἀρετὴν, τὴν τῆς πνευματικῆς παῤῥησίας πρὸς αὐτὸν ἐκτήσατο ἀσφάλειαν. Τούτου κατὰ τὸ συνῆθες πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον παραγεγονότος, καὶ ἐν τῷ κελλίῳ εἰσεληλυθότος, εὗρε τὸν θεσπέσιον πατέρα πικρῶς κλαίοντα καὶ ὀδυρόμενον· ἐπὶ πολὺ δὲ ἑστὼς, καὶ θεασάμενος τὴν τῶν ἀκατασχέτων αὐτοῦ δακρύων φορὰν, ἐν ἀμηχανίᾳ γέγονεν, μὴ ἑωρακὼς τοῦτον, καθὼς συνῆθες αὐτῷ ἦν, ἐν τῇ τῆς προσευχῆς ὥρᾳ ἐν ἡσυχίᾳ δακρύειν, ἀλλ' οἰμωγὰς καὶ θρηνώδεις στεναγμοὺς ἐκπέμποντα. Ἔμφοβος δὲ καὶ ἔντρομος γενόμενος, τί ἂν ἦν τὸ αἴτιον παρὰ τοῦ ἁγίου μαθεῖν ἐπεζήτει τοῦ τοσούτου ὀδυρμοῦ, πρὸς ὃν ὁ θεόσοφος [2] πατὴρ ἀπεκρίθη, λέγων· « Ὅλον τοῦτο τὸ μοναστήριον ὅπερ διὰ τοῦ Θεοῦ ᾠκοδόμησα, καὶ πάντα ὅσα τοῖς ἀδελφοῖς ἡτοίμασα, τῇ τοῦ παντοδυνάμου Θεοῦ κρίσει τοῖς ἔθνεσι παρεδόθησαν· μόλις δὲ διὰ προσευχῆς τὸν Θεὸν ἐξιλεωσάμην τοῦ χαρισθῆναί μοι τὰς ψυχὰς τῶν [3] ἐν κυρίῳ μου ἀδελφῶν τῶν ἐν τῷ μοναστηρίῳ οἰκούντων. » Βενέδικτος μὲν ἐκεῖνος ὁ τῷ ἁγίῳ παραβαλὼν, τῆς τῶν μελλόντων προφητείας παρ' αὐτοῦ δεξάμενος τὰ ἐνέχυρα, ἀνεχώρησεν ἐκ τῆς μονῆς θαυμάζων· ἡμεῖς δὲ ὁρῶμεν ἀρτίως ὑπὸ τοῦ γένους [4] τῶν Λογγοβάρδων καταλυθὲν τὸ μοναστήριον αὐτοῦ· ἀναπαυομένων γὰρ τῶν ἀδελφῶν μεσονυκτίῳ, ἄφνω εἰσπηδήσαντες ἐν τῷ μοναστηρίῳ οἱ Λογγοβάρδοι, πάντα τὰ ἐν τῇ μονῇ διαρπάσαντες, οὐ συνεχωρήθησαν παντελῶς τινος τῶν ἀδελφῶν ἐπικρατεῖς γενέσθαι· ἡ γὰρ τοῦ ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ προσευχὴ ἐφρούρει τούτους, πρὸς τὸ πᾶσι δειχθῆναι τὴν ἐνυπάρχουσαν αὐτῷ τῆς θείας δυνάμεως χάριν· ὁ γὰρ πιστὸς ἐν ἐπαγγελίαις Θεὸς, ὅπερ τῷ ἑαυτοῦ γνησίῳ θεράποντι Βενέδικτῳ ὑπέσχετο ἐπλήρωσεν· εἰ γὰρ καὶ τὰ ὑπάρχοντα τῆς μονῆς ἐκ συγχωρήσεως Θεοῦ διήρπασαν, ἀλλ' οὖν ὅμως ἡ τῶν ψυχῶν περιποίησις ὑπὸ κυρίου ἐδωρήθη αὐτῷ. Οὕτως ἔγνωμεν καὶ τὸν μακάριον Παῦλον τὸν Ἀπόστολον ὑπὲρ τοῦ πλήθους τῶν συμπλωτήρων αὐτοῦ ἐκδυσωπήσαντα τὸν Θεὸν ἐν τῇ κατὰ τὸν πλοῦν ζαλώδει ἀνάγκῃ, καὶ τῆς δεήσεως μὴ ἀποτυγχάνοντα· εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα τοῦ ἐν τῷ πλοίῳ ὄντος φόρτου ἡ ἀποβολὴ γέγονεν, ἀλλ' οὖν γε ἡ τῶν ψυχῶν ἐπικερδὴς σωτηρία παρὰ Χριστοῦ ἐχαρίσθη αὐτῷ.

CAPUT XVII.

De destructione monasterii [b] viri Dei ab ipso prædicta.

Gregorius. Vir quidam nobilis Theoprobus nomine, ejusdem Benedicti Patris fuerat admonitione conversus, qui pro vitæ suæ merito magnam apud eum familiaritatis fiduciam habebat. Hic cum quadam die ejus cellam fuisset ingressus, hunc amarissime flentem reperit. Cumque diu subsisteret, ejusque B non finiri lacrymas videret, nec tamen ut vir Dei consueverat orando plangeret, sed mœrendo, quænam causa tanti luctus existeret, inquisivit. Cui vir Dei illico respondit : Omne hoc monasterium quod construxi, et cuncta quæ fratribus præparavi, omnipotentis Dei judicio gentibus tradita sunt. Vix autem obtinere potui ut mihi ex hoc loco animæ concederentur. Cujus vocem tunc Theoprobus audivit, nos autem cernimus, qui destructum modo a Langobardorum gente [c] ejus monasterium scimus. Nocturno enim tempore et quiescentibus fratribus, nuper [d] illic Langobardi [e] ingressi sunt ; qui diripientes omnia, ne unum quidem hominem illic tenere potuerunt : sed implevit omnipotens Deus quod fideli famulo Benedicto promiserat, ut si res gentibus traC deret, animas custodiret. Qua in re Pauli (*Act.* XXVII) vicem video tenuisse Benedictum, cujus dum navis rerum omnium jacturam pertulit, ipse in consolatione vitam omnium qui eum comitabantur, accepit.

[1] Ms. Βενεδίκτου. Porro Græcus hic interpres minime exprimit Theoprobi nomen et plurima in Latino non obscure contenta. Verum ei ab hoc textu recedendi sæpe religio non fuit. Pro omissis etiam plurima de suo attexuit.

[2] Ms. θεοφόρος πατήρ.

[3] Ms. τῶν ἐν Χριστῷ ἀδελφῶν μου τῶν.

[4] Ms. ἔθνους τῶν Λογ. Quam diversam lectionem non annotaremus, nisi alia mendose in ed. Guss. irrepsisset, scilicet ἔθους.

[a] In primo Aud., Bigot. et Lyr., *rationis tuæ.*

[b] In duob. Gemet., *de prophetia destructionis monasterii sui*; quod in Græca interpret. fideliter expressum.

[c] Prat. et primus Gemet., *exercitu.*

[d] Hæc videntur pugnare cum hujusce libri prologo, ubi Gregorius dicit, Valentinianum *annis multis La-* D *teranensi monasterio* (quod post Cassinense dirutum constructum est) *præfui se.* Unde manifestum est ab annis plurimis eversum fuisse Cassinense cœnobium ; proindeque non *nuper.* Verum, ut observat Mabillonius ad hunc locum, *nuper* nonnunquam de longiori tempore dicitur, ut probat Carol. Stephan. in Dictionario. *Imo*, inquit Mabillonius, *Greg. ipse hanc vocem in hunc sensum sæpius usurpat.* Vide l. III, c. 8, in quo ita loquitur : *Vir quoque venerabilis vitæ Constantius Aquinæ civit. episcopus fuit, qui nuper prædecessoris mei tempore beatæ memoriæ Joannis papæ defunctus est.* Joannes hic Papa tertius an. 573 diem clausit. Ergo jam a viginti annis Constantius obierat, quod tamen Gregorio dicitur *nuper.* De tempore eversionis Cassin. monasterii consule Mabill. ad hunc locum.

[e] Pler. ed. habent *illi Longobardi.* In Germ. et aliis leg. *illic Langob.*

ΚΕΦΑΛ. ΙΗ'.

Περὶ τοῦ ἀποκρύψαντος τὸ φλασκίον ἐν τῇ ὁδῷ, καὶ ἐκ προοράσεως τοῦ ἁγίου ἐλεγχθέντος.

Ἐν ἑτέρῳ τοίνυν καιρῷ Ἐξιλαρᾶτος ὁ ἡμέτερος, ὃν αὐτὸς ἐπιστρέψαντα γινώσκεις, ἀπεστάλη ὑπὸ τοῦ κυρίου αὐτοῦ πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον, ἐπιφερόμενος οἴνου γέμοντα δύο ξύλινα σκεύη, ἅπερ τῇ κοινῇ διαλέκτῳ φλασκία [1] καλοῦνται· ὅστις τὸ μὲν ἓν ἀπήγαγε πρὸς τὸν ἅγιον, τὸ δὲ ἕτερον κατὰ τὴν ὁδὸν ἔκρυψεν· ὁ δὲ διορατικὸς ἐκεῖνος ἀνὴρ, ὃν οὐδὲν τῶν ἐκείνου πρακτέων οὐκ ἔλαθε [2], τὸ μὲν ἓν φλασκίον μετ' εὐχαριστίας ἐδέξατο, ἀπολύσας δὲ αὐτὸν παρήγγειλεν αὐτῷ λέγων· « Βλέπε, τέκνον, ἐξ ἐκείνου τοῦ φλασκίου, ὅπερ κατὰ τὴν ὁδὸν ἔκρυψας, μηκέτι πίῃς λοιπὸν ἐξ αὐτοῦ, ἀλλὰ κένωσον αὐτὸ τετηρημένως, καὶ εὑρήσεις ὅπερ ἔνδον ἔχει. » Ὁ δὲ σφόδρα καταισχυνθεὶς ἐνώπιον τοῦ ὁσίου βαλὼν μετάνοιαν, ὑπέστρεψεν· ἐλθὼν δὲ ἐν ᾧ τόπῳ ἦν τὸ αὐτὸ ἀποκρύψας φλασκίον, θέλων δοκιμάσαι εἰ ἀληθῆ εἰσι τὰ παρὰ τοῦ ἁγίου ῥηθέντα πρὸς αὐτὸν, ἔκλινε τὸ σκεῦος ἵνα κενώσῃ αὐτό· καὶ ἰδοὺ παραυτὰ ὄφις ἐξῆλθε, σὺν τῷ κενωθέντι οἴνῳ. Θεασάμενος οὖν ὁ προλεχθεὶς Ἐξιλαρᾶτος τὸ σφάλμα ὃ πεποίηκεν, καὶ ἔμφοβος γεγονὼς κατανυγεὶς μετενόησεν.

CAPUT XVIII.

De flascone abscondito, et a viro Dei per spiritum cognito.

Quadam quoque tempore Exhilaratus noster, quem ipse conversum nosti, transmissus a domino suo fuerat, ut Dei viro in monasterium vino plena duo lignea vascula quæ vulgo [a] flascones vocantur, deferret : qui unum detulit, alterum vero pergens in itinere abscondit. Vir autem Domini, quem facta absentia latere non poterant, unum cum gratiarum actione suscepit, et discedentem puerum monuit, dicens : Vide, fili, ne de illo flascone quem abscondisti bibas, sed inclina illum caute, et invenies quid intus habet. Qui confusus valde a Dei homine exivit. Et reversus volens adhuc probare quod [b] audierat, cum flasconem inclinasset, de eo protinus serpens egressus est. Tunc prædictus Exhilaratus puer, per hoc quod in vino reperit, expavit malum quod fecit.

ΚΕΦΑΛ. ΙΘ'.

Περὶ τοῦ λαβόντος παρὰ μοναστρίας ἐγχείρια, καὶ ὑπὸ τοῦ ἁγίου ἐλεγχθέντος.

Ἐμπόριον ἦν οὐ μακρὰν τῆς τοῦ ἁγίου μονῆς, ἐν ᾧ πολὺ πλῆθος ἀνδρῶν εἰδωλομανῶν [3] ὑπῆρχεν. Οὗτοι οὖν ὑπὸ τῆς τοῦ μακαρίου ψυχωφελοῦς διδασκαλίας φωτισθέντες, ἐπὶ τὴν τοῦ Θεοῦ σωτήριον πίστιν ὑπέστρεψαν. Ἐν αὐτῷ τοίνυν τῷ ἐμπορίῳ ἀσκητήριον ἐτύγχανεν εὐλαβῶν τε καὶ σεμνῶν παρθένων, ὧν διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν ἁγιωσύνην, τοὺς οἰκείους μαθητὰς πρὸς οἰκοδομὴν, καὶ νουθεσίαν αὐτῶν εἰώθει ἀποστέλλειν. Ἐν μιᾷ οὖν τῶν ἡμερῶν κατὰ τὸ σύνηθες, ἀπέστειλεν ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπός τινα μοναχὸν εἰς τὸ τῶν παρθένων ἀσκητήριον πρὸς ψυχικὴν αὐτῶν ὠφέλειαν· ἐκεῖνος δὲ ὁ ἀποσταλεὶς μοναχὸς μετὰ τὴν τοσαύτην παραίνεσιν τὴν παρὰ τοῦ τιμίου πατρὸς γενομένην, παρακληθεὶς ὑπὸ τῶν ἀεὶ παρθένων ἐγχείρια ἔλαβε, καὶ ἐν τῷ ἑαυτοῦ κόλπῳ ταῦτα κατέκρυψεν. Ἐν δὲ τῷ παραγενέσθαι αὐτὸν πρὸς τὸν πατέρα, διελέγξας αὐτὸν περὶ τούτου, αὐστηρῶς ἔφη πρὸς αὐτόν· « Ἀδελφὲ, πῶς ἡ ἀνομία εἰσῆλθεν ἐν τῷ κόλπῳ σου; » Ἐκεῖνος δὲ ἐκπλαγεὶς ὑπὸ τοῦ φόβου, καὶ τῇ ἀπροσεξίᾳ ἐπιλαθόμενος τοῦ οἰκείου [4] σφάλματος περὶ οὗ ὑπὸ τοῦ ἰδίου πατρὸς διελέγχετο, ἠγνόει τί πρὸς αὐτὸν ὁ πατὴρ ἔλεγε. Πρὸς ὃν ὁ ἅγιος ἔφη· « Μήτοι γε ἐγὼ οὐκ ἤμην αὐτόθι παρὼν, ὅτε παρὰ τῶν ἱερῶν παρθένων ἐδέξω τὰ ἐγχείρια, καὶ ἐν τῷ κόλπῳ σου ταῦτα κατέκρυψας; » ὁ δὲ ταῦτα ἀκούσας τοῖς ἴχνεσι τοῦ ἁγίου προσκυλινδούμενος, ἑαυτὸν ἡμαρτηκέναι ἔλεγεν· ἅπερ δὲ ἦν λαβὼν παρὰ τῶν παρθένων ἐγχείρια, ταῦτα ἐκ τοῦ ἑαυτοῦ κόλπου ἐκβαλὼν, ἐνώπιον τοῦ ἁγίου ῥίψας γνησίως περὶ τοῦ πταίσματος τούτου μετεμελήθη.

CAPUT XIX.

De mappularum receptione ab eodem cognita.

Non longe autem a monasterio vicus erat in quo non minima [c] multitudo hominum ad fidem Dei ab idolorum cultu Benedicti fuerat exhortatione conversa. Ibi quoque quædam sanctimoniales feminæ inerant, et crebro illuc pro exhortandis animabus fratres suos mittere Benedictus Dei famulus curabat. Quadam vero die misit ex more; sed is qui missus fuerat monachus, post admonitionem factam, a sanctimonialibus feminis rogatus mappulas accepit [d], sibique eas abscondit in sinu. Qui mox ut reversus est, eum vir Dei vehementissima amaritudine cœpit increpare, dicens : Quomodo ingressa est iniquitas in sinum tuum? At ille obstupuit, et quid egisset oblitus, unde corripiebatur ignorabat. Cui ait : Numquid ego illic præsens non eram quando ab ancillis Dei mappulas accepisti, tibique eas in sinum misisti? Qui mox ejus vestigiis provolutus, stulte se egisse pœnituit, et eas quas in sinu absconderat, mappulas projecit.

ΚΕΦΑΛ. Κ'.

Περὶ τοῦ μοναχοῦ τοῦ κατὰ διάνοιαν ἐξουθενοῦντος τὸν ἅγιον.

Ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν κατὰ τὴν ὥραν ἐν ᾗ τὸν ἅγιον τῆς

CAPUT XX.

De cogitatione monachi superba a Dei viro cognita.

Quadam quoque die dum venerabilis Pater vesper

[1] Ms. φλάσκι λέγονται. Ὅστις.
[2] Deest negatio in ms.
[3] Ms. εἰδωλολατρῶν.
[4] Ms. τοῦ ἰδίου σφ.

[a] Duo Theod. et Val-cl., *quæ a vulgo*.
[b] Primus Theod. et secundus Carnot., *volens probare quod*. Primus Carn., *volens hoc probare*.
[c] Primus Theod., *non magna*.
[d] Hic de mappulis in sacro ministerio adhiberi solitis, quarum in epistolis occurret infra mentio, non agitur; sed de sudariis et linteis, emungendis naribus, purgandæque pituitæ, ac sudori abstergendo aptis.

συνήθους ἐχρῆν μεταλαβεῖν τροφῆς, ἑσπέρας λοιπὸν βαθείας οὔσης, συνέβη τινὰ μοναχὸν υἱὸν γεγονότα δεφένσορός τινος, ἐνώπιον τῆς τοῦ ἁγίου τραπέζης τὸν λύχνον κατέχειν. Ἐσθίοντος δὲ τοῦ ἁγίου, ὁ δαίμων τῆς ὑπερηφανείας ἤρξατο αὐτὸν ἐνοχλεῖν, καὶ ἐπάρσεως λογισμοὺς αὐτῷ ἐπαφίειν [Sic pro ἐπαφιέναι], καὶ ἀλαζονευόμενος ἐν ἑαυτῷ, ἔλεγε· « Τίς ἐστιν οὗτος ᾧ ἐγὼ παριστάμενος ὑπηρετῶ, καὶ λύχνον ἐπὶ χεῖρας βαστάζων δουλεύω; καὶ ἵνα τί τούτῳ ἐγὼ ὡς δοῦλος καθυπουργῶ; » Ταῦτα δὲ αὐτοῦ κατὰ διάνοιαν διαλογιζομένου, ὁ τῷ προορατικῷ [1] κατηγλαϊσμένος χαρίσματι πατὴρ Βενέδικτος, διελέγξας αὐτὸν σπλάγχνοις πατρικοῖς, εἶπε· « Σφράγισον τὴν καρδίαν σου, ἀδελφέ· ἵνα τί ἀλαζονείας λογισμοὶ ἐν σοὶ ἀναφύονται; πρόσεχε σεαυτῷ. » Καλέσας οὖν τοὺς ἀδελφοὺς ἐκέλευσε παραυτὰ τὸν λύχνον ἐκ τῶν χειρῶν αὐτοῦ ἀρθῆναι. Ὁ δὲ ἐξελθὼν ἔξω ἐκάθητο σὺν δάκρυσιν [2]· ὅστις παρὰ τῶν ἀδελφῶν ἐρωτώμενος, τί ἂν εἴη πεπραχώς, καὶ τίς ἡ παρὰ τοῦ ἁγίου πρὸς αὐτὸν ἀγανάκτησις, ἀπεγύμνωσεν αὐτοῖς τὴν ἑαυτοῦ κατὰ διάνοιαν διαβολικὴν πλάνην, καὶ πῶς τῷ τῆς ὑπερηφανείας ἐφυσιώθη πνεύματι, καὶ ὁποῖα [3] ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ ῥήματα ἐν τῇ ἑαυτοῦ καρδίᾳ μελετῶν ἐκορυφοῦτο. Ὅθεν λοιπὸν πᾶσι φανερὸν [4] γέγονεν ὁ ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ κεκρυμμένος ἰός, καὶ τὴν τοῦ ἁγίου πατρὸς προδιορατικὴν ἐθαύμαζον καθαρότητα, ὅτι τὰ ἐν τῇ διανοίᾳ ὑπὸ τοῦ κοινοῦ ἐχθροῦ φυόμενα, τοῦτον λαθεῖν οὐ δύνανται.

tina jam hora corporis alimenta perciperet, ejus monachus cujusdam defensoris [a] filius fuerat, qui ei ante mensam lucernam tenebat. Cumque vir Dei ederet, ipse autem cum lucernæ ministerio astaret, cœpit per superbiæ spiritum [b] in mente sua tacitus volvere, et per cogitationem dicere : Quis est hic cui ego manducanti assisto, lucernam teneo, servitium impendo? Quis sum ego, ut isti serviam? Ad quem vir Dei statim conversus, vehementer cœpit eum increpare, dicens : Signa cor tuum, frater, quid est quod loqueris? signa cor tuum. Vocatisque statim fratribus, præcepit ei lucernam de manibus tolli, ipsum vero jussit a ministerio recedere, et sibi hora eadem quietum sedere. Qui requisitus a fratribus quid habuerit in corde, per ordinem narravit quanto superbiæ spiritu intumuerat, et quæ contra virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat. Tunc liquido omnibus patuit quod venerabilem Benedictum latere nil posset, in cujus auribus tacitæ etiam cogitationis verba sonuissent [c].

ΚΕΦΑΛ. ΚΑ'.

Περὶ τοῦ εὑρεθέντος ἀλεύρου ἐν καιρῷ λιμοῦ ἔμπροσθεν τῆς τοῦ ἁγίου κέλλης.

Ἐν ἄλλῳ τοίνυν καιρῷ ἐν τοῖς τῆς Καμπανίας μέρεσι, λιμὸς γέγονε καὶ τῶν ἀναγκαίων βρωμάτων πάντων στένωσις. Σπάνη οὖν σίτου καὶ τῷ τοῦ ἁγίου φροντιστηρίῳ ὑπῆρχε καὶ λεῖψις τῶν ἄρτων· ὥστε μὴ πλείους πέντε ἄρτων εὑρεθῆναι ἐν τῇ ὥρᾳ τῆς τῶν ἀδελφῶν ἑστιάσεως. Ἰδὼν δὲ αὐτοὺς ὁ τίμιος πατὴρ σκυθρωπάζοντας τὴν ὀλιγοψυχίαν αὐτῶν τῇ ἑαυτοῦ πρᾳοτάτῃ διορθώσει, καὶ ἀληθεῖ ὑποσχέσει διαστήσας, ἔλεγεν· « Ἵνα τί περίλυποί ἐστε ἕνεκεν τῆς τῶν ἄρτων λείψεως; σήμερον μὲν οὖν λεῖψιν ἔχετε, αὔριον δὲ πλησμονὴν τῶν ἀναγκαίων ἀφθόνως ἕξετε. » Καὶ τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ τῇ τοῦ Θεοῦ οἰκονομίᾳ ἀλεύρου μοδίους διακοσίους ἔμπροσθεν τῆς πύλης τοῦ μοναστηρίου ἐν σακκίοις [5] εὗρον, ἅπερ ὁ πρύτανις πάντων Θεός τισιν ἐπιφερομένοις ἐνεφοίτησεν, καὶ τὴν τούτων ἀπόθεσιν ἐνώπιον τῆς τοῦ μοναστηρίου πύλης ἐποίησεν, οἵτινες τὸ παράπαν ἄγνωστοι τοῖς ἀδελφοῖς ὑπῆρχον. Ἀγαλλιασθέντες οὖν ἐπὶ τῇ παραδόξῳ τοῦ ἁγίου θαυματοποιΐᾳ, τῷ Θεῷ δόξαν ἀνέπεμψαν, μαθόντες λοιπὸν μὴ δυσφορεῖν ἐν λιμῷ, εἴποτε τύχοι τοῦτον συμβῆναι, ἐνέχειρον [6] ἔχοντες τὴν τοῦ ἁγίου πρὸς Θεὸν παῤῥησίαν.

CAPUT XXI.

De ducentis farinæ modiis famis tempore ante viri Dei cellam inventis.

Alio quoque tempore in eadem Campaniæ regione fames incubuerat [d], magnaque omnes alimentorum indigentia coangustabat. Jamque in Benedicti monasterio triticum deerat : panes vero pene omnes consumpti fuerant, ut non plus quam quinque ad refectionis horam fratribus inveniri potuissent. Cumque eos venerabilis Pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere, et rursum promissione [e] sublevare, dicens : Quare de panis inopia vester animus contristatur? Hodie quidem minus est, sed die crastina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinæ modii [f] ante fores cellæ [g] in saccis inventi sunt, quos omnipotens Deus quibus deferentibus transmisisset, nunc usque manet incognitum. Quod cum fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt jam de abundantia nec in egestate dubitare.

[1] Ms. προγνωστικῷ.
[2] Ms. uno verbo σύνδακρυς.
[3] Ms. καὶ ὁποῖα κατὰ τοῦ ἀνθρώπου.
[4] Ms. φανερὸς γεγ .. ἰός.
[5] Forte σακίοις. Ubservat Cangius ex Sim. Logotheta σακίον esse *sacculum*.
[6] Forte ἐνέχυρον.

[a] Defensores olim duplicis generis erant, politici nimirum, et ecclesiastici : hi ecclesiarum, pauperum ac viduarum; illi urbium, locorum ac provinciarum causas ac negotia curabant. Vide Haeftenum ad hunc locum, et Angelum de Nuce in cap. 37, lib. IV Chron. Cassin. MABILL. De defensoribus jam egimus, et infra uberius sumus dicturi quæ loca exploratis indicibus poteris adire.

[b] Becc., *cœpit puer superbiæ spiritu.*

[c] Carnotenses, *in cujus aure eliam verba cogitationis sonuissent.*

[d] Anno sc. 538, ex Procopio, l. II de Bello Goth., ubi famem per totam Italiam grassatam esse refertur.

[e] Additur *blanda* in Bigot. primo Aud. et Prat.

[f] Hic ad memoriam revocetur quod S. Paulino contigisse narrat Gregorius Turon. lib. de Gloria Confess. c. 107, nimirum plures naves vino triticoque onustas ex inopinato advenisse, veluti divinitus advectas, ut largis Paulini eleemosynis præmium rependeretur, Terasiæque uxoris fides confirmaretur. Consule locum indicatum.

[g] Compend., *fores ecclesiæ cellæ.*

ΠΕΤΡ. Εἰπὲ, δυσωπῶ, τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας διαπαντὸς ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ Θεοῦ ἦν, ἢ ἐν διαφόροις καιροῖς ἐν αὐτῷ ἐνήργει;

ΓΡΗΓ. Τῆς προφητείας τὸ πνεῦμα, Πέτρε, τῶν προφητῶν τὸν νοῦν οὐ πάντοτε εἴωθεν λαμπρύνειν· καθάπερ γὰρ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος γέγραπται ὅτι «ὅπου θελεῖ [1] πνεῖ,» οὕτω γνωστόν ἐστιν, ὅτι καὶ ὅτε θελεῖ πνεῖ· τοῦτο γάρ ἐστιν ὅπερ ὁ προφήτης Νάθαν παρὰ τοῦ βασιλέως Δαυὶδ αἰτηθεὶς εἰ τῷ Θεῷ φίλον ὑπάρχει οἰκοδομῆσαι αὐτὸν τὸν ναὸν κυρίου, πρῶτον μὲν συνεβούλευσε, μετέπειτα δὲ ἐκώλυσε· τοῦτό ἐστιν ὅπερ Ἐλισσαῖος ὁ προφήτης κλαίουσαν τὴν γυναῖκα ἐθεάσατο, τὸ δὲ πρᾶγμα ἠγνόει, πρὸς δὲ τὸν κωλύοντα αὐτὴν παῖδα ἔλεγεν· «Ἄφες αὐτὴν, ὅτι ἡ ψυχὴ αὐτῆς κατώδυνός ἐστιν, καὶ κύριος ἀπέκρυψεν ἀπ' ἐμοῦ, καὶ οὐκ ἐφανέρωσέ μοι.» Ὅπερ ὁ πρύτανις πάντων Θεὸς ἐκ μεγίστης εὐσπλαγχνίας οἰκονομικῶς κατασκευάζει· τῆς γὰρ προφητείας τὸ πνεῦμα ποτὲ μὲν παρέχων, ποτὲ δὲ σοφῶς ἀφαιρούμενος, τῶν προφητευόντων τὸν νοῦν διεγείρει μὲν ἐν τῷ ὕψει, διατηρεῖ δὲ πάλιν ἐν τῇ ταπεινώσει, ἵνα καὶ δεχόμενοι τὸ πνεῦμα ἐπιγινώσκωσι τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐν αὐτοῖς ἔμπνευσιν, καὶ πάλιν ὡσαύτως ἀφαιρούμενοι, οἰκονομικῶς μάθωσιν, ἀφ' ἑαυτῶν τί εἰσιν.

ΠΕΤΡ. Οὕτως εἶναι καθομολογῶ, καὶ μεγάλως πεπληροφόρημαι· λιπαρῶ δὲ ἵνα τὸ ἔλλειπον τῆς διηγήσεως τῶν κατορθωμάτων τοῦ σεβασμίου πατρὸς Βενεδίκτου ἀναπληρώσῃς, καὶ εἴ τι δ' ἂν ὑπαντᾷ τῇ σῇ ἡγιασμένῃ ψυχῇ, διέξελθέ μοι.

ΚΕΦΑΛ. ΚΒ'.

Περὶ τοῦ κατ' ὄναρ χρηματισμοῦ, ἕνεκεν τῆς οἰκοδομῆς τῆς ἐν Τεῤῥακίνῃ μονῆς.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Ἐν ἑτέρῳ καιρῷ ὁ τὸν νοῦν πεφωτισμένος πατὴρ Βενέδικτος παρεκλήθη ὑπό τινος πιστοῦ καὶ εὐλαβεστάτου ἀνδρὸς, ὅπως διὰ τῆς αὐτοῦ ἐπιτροπῆς καὶ συνδρομῆς, ἐν τῷ ἑαυτοῦ χωρίῳ πλησίον διακειμένῳ τῆς Τεῤῥακίνων πόλεως, * ἵνα ἀποστείλας τινὰς τῶν ἑαυτοῦ μαθητῶν, οἰκοδομήσῃ αὐτόθι μοναστήριον. Καὶ δὴ εἴξας τῇ αὐτοῦ παρακλήσει, καλέσας οὓς ἔδοξεν αὐτῷ ἀποστεῖλαι, ὥρισεν αὐτοῖς, πατέρα καταστήσας δὲ καὶ οἰκονόμον [2], ἀπέλυσεν αὐτοὺς ἐν εἰρήνῃ, οἷς καὶ ὑπέσχετο διαβεβαιούμενος, καὶ λέγων. «Ἀπέλθετε ἀδελφοὶ, καὶ τῇδε τῇ ἡμέρᾳ ἐγὼ παραγίνομαι πρὸς ὑμᾶς, καὶ ὑποδεικνύω ὑμῖν ἐν ποίῳ τόπῳ τὸ εὐκτήριον ὀφείλει [3] οἰκοδομηθῆναι, καὶ ἐν ποίῳ τόπῳ τὸ ἀριστητήριον τῶν ἀδελφῶν, καὶ ἐν ποίῳ τόπῳ τὸ εἰς ὑποδοχὴν τῶν ξένων, καὶ τὰ ἄλλα πάντα ἅπερ ἡ χρεία ἀπαιτεῖ γενέσθαι.» Οἵτινες τὴν τοῦ ἁγίου εὐχὴν λαβόντες εὐθέως ἐπορεύθησαν, καὶ συναγαγόντες [4]

A *Petr.* Dic, quæso te: nunquid non credendum est huic Dei famulo semper prophetiæ spiritum adesse potuisse? an per intervalla temporum ejus mentem prophetiæ spiritus implebat?

Gregor. Prophetiæ spiritus, Petre, prophetarum mentes non semper irradiat: quia sicut de sancto Spiritu scriptum est: *Ubi vult spirat* [a] (*Joan.* III, 8); ita sciendum est, quia et quando vult aspirat. Hinc est enim quod Nathan (*II Reg.* VII, 3) a rege requisitus si construere templum posset, prius consensit [b], et postmodum prohibuit. Hinc est quod Elisæus cum flentem mulierem cerneret, causamque nescisset, ad prohibentem hanc puerum dicit: *Dimitte eam, quia anima ejus in amaritudine est, et Dominus celavit a me, et non indicavit mihi* (*IV Reg.* IV, 27). Quod
B omnipotens Deus ex magnæ pietatis dispensatione disponit: quia dum prophetiæ spiritum aliquando dat, et aliquando subtrahit, prophetantium mentes et elevat in celsitudine, et custodit in humilitate; ut et accipientes spiritum inveniant quid de Deo sint, et rursum prophetiæ spiritum non habentes cognoscant quid sint de semetipsis.

Petr. Ita hoc esse, ut asseris, magna ratio clamat. Sed, quæso, de venerabili Patre Benedicto quidquid adhuc animo occurrit, exsequere.

C
CAPUT XXII.

De fabrica monasterii Tarracinensis per visionem ab eo disposita.

Gregorius. Alio quoque tempore a quodam fideli viro fuerat rogatus ut in ejus prædio juxta Tarracinensem [c] urbem missis discipulis suis construere monasterium debuisset. Qui roganti consentiens, deputatis fratribus Patrem constituit, et quis ei secundus esset [d] ordinavit. Quibus euntibus spopondit [e] dicens: Ite, et die illo ego venio, et ostendo vobis in quo loco oratorium, in quo refectorium fratrum, in quo susceptionem hospitum, vel quæque sunt necessaria, ædificare debeatis. Qui benedictione percepta illico perrexerunt, et constitutum diem magnopere præstolantes, paraverunt omnia quæ his qui cum
D tanto Patre venire potuissent, videbantur esse necessaria. Nocte vero eadem qua promissus illucescebat dies, eidem servo Dei quem illic Patrem constituerat, atque ejus præposito vir Domini in somnis apparuit, et loca singula ubi quid ædificare debuissent [f]

[1] Ms. θέλει.

[2] Interpres per eum qui ab abbate seu Patre secundus esset, intellexit œconomum. Qua ratione, vide supra in nota 5 ad κεφ. B. seu cap. 2.

[3] Ms. ὀφείλῃ.

[4] Eo loci multum dissentit a Gregorio Zacharias. Ille enim de præparatis ad excipiendum S. P. Benedictum et ejus comites loquitur; hic vero de necessariis ad ædificium conquirendis et suppeditandis, ut jam observavit Gussanv.

* Redundare videtur conjunctio ἵνα. Edit.

[a] Gemet. et pler., *aspirat.*

[b] Val-cl., *concessit.*

[c] Tarracina Anxur prius dicta, colonia et urbs Latii ad Ufentis fluvii ostia. Tarracinensis autem monasterii vix ulla exstant vestigia. Unitum fuit monasterio Cassin., auctoritate Agapiti II, postquam fuerat longo tempore dirutum. Locus censum adhuc quemdam persolvebat Cassin. monast. sec. superiori. Vide Iter Italicum Mabill., pag. 100 et seq.

[d] Longip., *et quis eis secundus esset.*

[e] Lyr. et primus Aud., *respondit.*

[f] Al., *ædificari debuisset*, ut legitur in pl. Norm.

τὰ πρὸς τὴν τῆς οἰκοδομῆς χρείαν ἅπαντα, καὶ τὸν τόπον περικαθάραντες ἡτοίμασαν πάντα, ἵνα τοῦ τιμίου πατρὸς παραγενομένου κατὰ τὴν οἰκείαν ὑπόσχεσιν τὴν τοῦ κτίσματος διάταξιν ποιήσηται. Τῇ δὲ νυκτὶ ἐκείνῃ ἐπιφωσκούσης τῆς ἡμέρας ἐν ᾗ τὴν ἑαυτοῦ παρουσίαν ὁ ἅγιος καθυπέσχετο, ὤφθη τῷ ἐκεῖσε παρ' αὐτοῦ προβληθέντι ἡγουμένῳ καὶ τῷ οἰκονόμῳ αὐτοῦ, ἐν ὁράματι ὑποδεικνύων αὐτοῖς τοὺς τῆς οἰκοδομῆς τόπους, καὶ σχεδὸν εἰπεῖν πάντα μετὰ ἀκριβείας ἃ ἐχρῆν γενέσθαι αὐτόθι διετάξατο αὐτοῖς. Ἀναστάντες [1] οὖν ὅ τε ἀββᾶς τῆς μονῆς, καὶ ὁ τούτου οἰκονόμος μετὰ φόβου καὶ χαρᾶς μεγάλης θάτερος θατέρῳ τὴν ὑπὸ τοῦ ἁγίου φανεῖσαν αὐτοῖς ὀπτασίαν διηγήσατο. Πιστωθέντες οὖν διὰ τῆς ὑπὸ τοῦ ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ φανείσης αὐτοῖς ὀπτασίας, ὅ τε πρεστὼς τῆς μονῆς σὺν τῷ οἰκονόμῳ τὴν τοῦ χριστοφόρου ἀνδρὸς σωματικὴν ἐξεδέχοντο παρουσίαν. Ὡς δὲ παρῆλθε λοιπὸν ἡ τῆς ὁρισθείσης προθεσμίας ἡμέρα ἐν ᾗ ἔδει αὐτὸν πρὸς αὐτοὺς αἰσθητῶς παραγενέσθαι, καὶ τῆς προσδοκίας ἀποτυχόντες, ἐλυπήθησαν σφόδρα. Παραγενόμενοι δὲ πρὸς αὐτὸν τὴν αἰτίαν ᾔτουν μαθεῖν δι' ἣν πρὸς αὐτοὺς οὐ παραγέγονε, καὶ λυπούμενοι ἐνεκάλουν αὐτῷ, λέγοντες· « Πάτερ ὅσιε, καθὼς ὑπέσχου τὴν σὴν ἄφιξιν ἐξεδεχόμεθα, ἵνα ὑποδείξῃς ἡμῖν τὴν τῶν οἰκοδομημάτων τοποθεσίαν. » Πρὸς οὓς ὁ τοῦ Θεοῦ φίλος [2] ἀποκριθεὶς, εἶπε· « Διατί, ἀδελφοί, διατί ταῦτα οὕτω λέγετε πρός με; οὐχὶ καθὼς ὑπεσχόμην παραγέγονα πρὸς ὑμᾶς; » Ἐκείνων δὲ εἰπόντων, « ὅτι φύσει, πάτερ, οὐ παραγέγονας πρὸς ἡμᾶς, » αὐτὸς ἀπεκρίθη λέγων « Μὴ οὐχ ὤφθην ὑμῖν ἀμφοτέροις καθεύδουσι; καὶ ὑπέδειξα πῶς ὀφείλει ἡ τοῦ μοναστηρίου κτισθῆναι τοποθεσία; ἀπέλθετε, καὶ καθὼς διὰ τῆς ὀπτασίας ἐθεάσασθε, καὶ τῇ χειρὶ ὑμῖν ὑπέδειξα, οὕτως οἰκοδομήσατε. » Οἱ δὲ ταῦτα ἀκούσαντες, καὶ λίαν θαυμάσαντες, ἐν τῷ προλεχθέντι χωρίῳ ὑπέστρεψαν, καὶ πάντα τὰ τοῦ μοναστηρίου οἰκοδομήματα, καθὼς διὰ τῆς ὀπτασίας ἐτυπώθησαν, οὕτω καὶ ᾠκοδόμησαν.

ΠΕΤΡ. Διδαχθῆναι θέλω ποίᾳ τάξει γενέσθαι δύναται, ἵνα μήκοθεν ἀπέλθῃ ἀπόκρισις πρὸς καθεύδοντας ἄνδρας, ὅπερ οἱ ἅγιοι δι' ὀπτασίαν ἤκουσαν καὶ ἐγνώρισαν.

ΓΡΗΓ. Ἵνα τί ἐρευνῶν διστάζεις, Πέτρε, περὶ τοῦ κατὰ τάξιν γεγονότος κεφαλαίου; ἢ ἀγνοεῖς ὅτι ἡ τοῦ πνεύματος φύσις κινητική ἐστιν ὑπὲρ τὸ σῶμα; ἀληθῶς τῆς γραφῆς μαρτυρούσης ἀκηκόαμεν, ὅτι ὁ προφήτης Ἀμβακοὺμ ἐκ τῆς Ἰουδαίας ὑψωθεὶς ἄφνω εἰς τὴν τῶν Χαλδαίων γῆν σὺν τῷ ἀρίστῳ ᾧ ἦν ἑαυτῷ ἑτοιμάσας, πρὸς τὸν προφήτην Δανιὴλ παραγέγονε, καὶ τοῦτον ἐμπλήσας ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ πάλιν ἑαυτὸν εὗρεν; Εἰ οὖν ὁ προφήτης Ἀμβακοὺμ ἐκ τοσούτου μεγίστου διαστήματος ὑπὸ Θεοῦ μετάρσιος γεγονὼς, καὶ ἐν μιᾷ καιροῦ ῥοπῇ σωματικῶς Δανιὴλ τῷ προφήτῃ ἄριστον παραγενόμενος προκεκόμικε [3], τί θαυμαστὸν εἰ ὁ πατὴρ Βενέδικτος διὰ προσευχῆς ἐν πνεύματι ἁγίῳ μετάρσιος γέγονε, καὶ τοῖς δυσὶν ἤγουν τῷ ἡγουμένῳ καὶ τῷ αὐτοῦ οἰκονόμῳ ὤφθη, καὶ περὶ τῆς οἰκοδομῆς τῆς μονῆς διετάξατο, ὃν τρόπον δὲ ὁ προφήτης τὴν σωματικὴν τροφὴν ἐπιφερόμενος πρὸς Δανιὴλ τὸν προφήτην σωματικῶς παραγέγονε, τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ ὁ πατὴρ Βενέδικτος ἐν πνεύματι πρὸς τοὺς μαθητὰς παραγέγονε, βρῶσιν ἀθάνατον αὐτοῖς ἐπιφερόμενος, τουτέστι τὴν τῆς μονῆς σύστασιν καὶ οἰκοδομήν;

ΠΕΤΡ. Τῇ δεξιᾷ χειρὶ τῆς ψυχωφελοῦς [4] καὶ σωτηριώδους διηγήσεως ἐκμαξάμενος τὴν ἐν τῇ διανοίᾳ μου ἐνοῦσαν δειλίαν ἀκμάζουσαν τὴν τῆς ἐρωτήσεως προθυμίαν ἀπειργάσω, ἀλλ' ἤθελον γνῶναι ὁποῖος ὑπῆρχεν ὁ ἀνὴρ οὗτος ἐν τῇ κοινῇ συντυχίᾳ.

A subtiliter designavit. Cumque utrique a somno surgerent, sibi invicem quod viderant, retulerunt. Non tamen visioni illi omnimodo fidem dantes, virum Dei sicut se venire promiserat, exspectabant. Cumque vir Dei constituto die minime venisset, ad eum cum mœrore reversi sunt, dicentes : Exspectavimus, Pater, ut venires sicut promiseras, et nobis ostenderes ubi quid ædificare deberemus, et non venisti. Quibus ipse ait : Quare, fratres, quare ista dicitis? Nunquid sicut promisi, non veni? Cui cum ipsi dicerent : Quando venisti? respondit : Nunquid utrisque vobis dormientibus non apparui, et loca singula designavi? Ite, et sicut per visionem audistis [a], omne habitaculum monasterii ita construite. Qui hæc audientes, vehementer admirati, ad prædictum prædium sunt B reversi, et cuncta habitacula sicut ex revelatione [b] didicerant construxerunt.

C [a] *Petr*. Doceri velim quo fieri ordine potuit ut longe iret, responsum dormientibus diceret, quod ipsi per visionem audirent et recognoscerent.

Gregor. Quid est quod perscrutans rei gestæ ordinem ambigis, Petre? Liquet profecto, quia mobilioris [c] naturæ est spiritus quam corpus. Et certe Scriptura teste novimus quod propheta ex Judæa sublevatus (*Dan*. XXIV, 32), repente est cum prandio in Chaldæa depositus, quo videlicet prandio prophetam refecit, seque repente in Judæa iterum invenit. Si igitur tam longe Habacuc potuit sub momento corporaliter ire et prandium deferre, quid mirum si Benedictus Pater obtinuit quatenus iret per spiritum, et fratrum quiescentium spiritibus necessaria narraret, ut sicut ille ad cibum corporis corporaliter D perrexit, ita iste ad institutionem spiritalis vitæ spiritaliter pergeret?

Petr. Manus tuæ locutionis tersit a me, fateor, dubietatem mentis; sed velim nosse in communi locutione qualis iste vir fuerit.

[1] Ms. ἀναστὰς οὖν
[2] Ms. τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος.
[3] Ms. ἔκομισε.
[4] Ms. τῆς σῆς ψυχ.

[a] Ita magno consensu mss. Prætulerunt editores, ne quidem excepto Mabill., *sicut per visionem vidistis*.

[a] Fortasse quod per visionem videre, non audire dicamur. At infra paulo post legitur : *quod ipsi per visionem audirent*.
[b] Nonnulli ed., *ex relatione*.
[c] In vet. ed., *nobilioris*, quem errorem retinuerunt Bolland. contra mss. Angl., Norm., etc., fidem.

ΚΕΦΑΛ. ΚΓ'.

Περὶ τῶν χωρισθεισῶν παρ' αὐτοῦ τῆς κοινωνίας μοναστριῶν.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Σπανίως, Πέτρε, καὶ αὐτὴ ἡ συνήθης αὐτοῦ διάλεκτος ἠστόχει θείας δυνάμεως· ὑπὸ γὰρ τῆς τῶν σημείων ἐνεργείας ἡ τοῦ μακαρίου φωνὴ βριθομένη, ἐνεργὴς ὑπῆρχε καὶ οὐ διάκενος. Ὁ γὰρ τὴν ἑαυτοῦ καρδίαν ἐν τοῖς ὑψηλοῖς ἀνατείνας οὐδαμῶς ἐκ τῶν προερχομένων ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ λόγων, κενόν τινα ἢ διαπίπτοντα εὑρίσκεσθαι (*sic*). Εἰ δὲ καὶ συμβέβηκέ ποτε σὺν ἀπειλῇ φθέγγεσθαι αὐτὸν, λίαν δυνατὸς ἦν ὁ τούτου λόγος· διότι οὐ μετὰ δειλίας, ἢ σκέψεως, ἀλλὰ δι' ἀποφάσεως σοφῶς ἐπετίμα. Ἐπεὶ οὖν οὐ μακρὰν τοῦ μοναστηρίου αὐτοῦ δύο τινὲς παρθένοι ἀσκήτριαι εὐγενεστάτου γένους τυγχάνουσαι ἐν τῷ ἑαυτῶν ἀνεστρέφοντο οἴκῳ, ἀνήρ δέ τις σπουδαῖος καὶ εὐλαβὴς τὴν λειτουργίαν τῆς αὐτῶν χρείας τε καὶ οἰκονομίας συνήθως διηκόνει· ἀλλ' ἡ τοῦ γένους εὐγένεια οὐ πᾶσι συμβαίνει πρόξενος γίνεσθαι τῆς τοῦ νοὸς νήψεως, ἵνα ἑαυτοὺς ἐν τῷδε τῷ κόσμῳ βδελυξάμενοι μηδὲν πλέον ἑαυτοὺς τῶν ἄλλων ἡγήσωνται εἶναι. Τοῦτο δὲ εἰ ἔγνωσαν καὶ διὰ μελέτης ἐποιοῦντο, οὐκ ἂν αἱ προῤῥηθεῖσαι ἱεραὶ θήλειαι τὴν ἑαυτῆς [1] γλῶσσαν δίκην ξηροῦ κατὰ τοῦ σπουδαιοτάτου ἐκείνου ἀνδρὸς τοῦ τὴν ὑπηρεσίαν προθύμως αὐταῖς τῶν ἀναγκαίων τοῦ σώματος χρειῶν προσποριζοντος, εἰς ὕβρεις ἠκόνησαν, καὶ εἰς θυμὸν τοῦτον ἐκίνησαν. Ὁ δὲ εὐλαβὴς ἐκεῖνος ἀνὴρ μηκέτι λοιπὸν δυνάμενος ὑπενέγκαι τὴν ὑπερβάλλουσαν τῶν θηλειῶν εἰς αὐτὸν [2] γενομένην ἀτιμίαν, πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον παρεγένετο, καὶ τὴν τῶν παρθένων ἐστηλίτευσεν ἀχάριστον γνώμην, καὶ πόσας ὕβρεις παρ' αὐτῶν ἐδέξατο ἀνέθετο τῷ ἁγίῳ. Ὁ δὲ σημειοφόρος πατὴρ Βενέδικτος ταῦτα ἀκούσας περὶ τῶν παρθένων, ἐδήλωσεν αὐταῖς, λέγων· « Διορθώσασθε ἑαυτὰς καὶ τὴν γλῶσσαν ὑμῶν σωφρονήσατε, ἐπεὶ ἐὰν μὴ διορθώσησθε, ἀκοινωνήτους ὑμᾶς ποιῶ. » Ταύτην οὖν τὴν τῆς ἀκοινωνησίας ἀπόφασιν, οὐχ' ὡς δεσμῶν αὐτὰς ἐν τῷ τοῦ ἐπιτιμίου χωρισμῷ ἀπέστειλεν, ἀλλὰ σοφῶς τε καὶ πατρικῶς τὴν ἐκείνων ἀχάριστον προαίρεσιν βελτιῶσαι βουλόμενος· ἐκεῖναι δὲ τῆς οἰκείας ἀφροσύνης οὐκ ἀπέστησαν, οὐδὲ λόγον ἐποιήσαντο τῆς τοῦ ἁγίου παραινέσεως. Μετ' ὀλίγας οὖν ἡμέρας αἱ προῤῥηθεῖσαι παρθένοι τέλει τοῦ βίου ἐχρήσαντο, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐτάφησαν. Ἡνίκα δὲ ἐν τῇ αὐτῇ ἐκκλησίᾳ τῆς θείας λειτουγίας αἱ συνάξεις ἐπετελοῦντο, καὶ κατὰ τὸ σύνηθες ὁ διάκονος ἔκραζεν· « Εἴ τις οὐ κοινωνεῖ, ἐξέλθῃ τῆς ἐκκλησίας ἔξω, » ἡ τροφὸς τῶν ῥηθεισῶν παρθένων, ἥτις ὑπὲρ αὐτῶν συνήθως προσφορὰν τῷ κυρίῳ

CAPUT XXIII.

De sanctimonialibus quæ post mortem per ejus oblationem communioni Ecclesiæ sunt redditæ.

Gregorius. Vix ipsa, Petre, communis ejus locutio a virtutis erat pondere vacua: quia cujus cor sese in alta suspenderat, nequaquam verba de ore illius incassum cadebant. Si quid vero unquam non jam decernendo, sed minando diceret, tantas vires sermo illius habebat, ac si hoc non dubie atque suspense, sed jam per sententiam protulisset. Nam non longe ab ejus monasterio duæ quædam sanctimoniales feminæ nobiliori genere exortæ, in loco proprio conversabantur; quibus quidam religiosus vir ad exterioris vitæ usum præbebat obsequium. Sed sicut nonnullis solet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, ut minus se in hoc mundo despiciant, qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerunt; necdum prædictæ sanctimoniales feminæ perfecte linguam suam sub habitus sui freno restrinxerant, et eumdem religiosum virum qui ad exteriora necessaria eis obsequium præbebat, incautis sæpe sermonibus ad iracundiam provocabant. Qui dum diu ista toleraret, perrexit ad Dei hominem, quantasque pateretur verborum contumelias, enarravit. Vir autem Dei hæc de illis audiens, eis protinus mandavit, dicens: Corrigite linguam vestram; quia si nos emendaveritis, excommunico [a] vos. Quam videlicet excommunicationis sententiam non proferendo intulit, sed minando [b]. Illæ autem a pristinis moribus nihil mutatæ, intra paucos dies defunctæ sunt, atque in ecclesia sepultæ [c]. Cumque in eadem ecclesia missarum solemnia celebrarentur, atque ex more diaconus clamaret: Si quis non communicat, det locum, nutrix earum quæ pro eis oblationem Domino offerre consueverat, eas de sepulcris suis progredi et exire de ecclesia videbat. Quod dum sæpius cerneret, quia ad vocem diaconi clamantis exibant foras, atque intra ecclesiam permanere non poterant, ad memoriam reduxit quæ vir Dei illis adhuc viventibus mandavit. Eas quippe se communione privare dixerat, nisi mores suos et verba corrigerent. Tunc servo Dei cum gravi mœrore indicatum est, qui manu sua protinus oblationem dedit, dicens: Ite et hanc oblationem [d] pro eis offerri Domino facite, et ulterius excommunicatæ non erunt. Quæ dum oblatio pro eis fuisset immolata, et a dia-

[1] Ms. τὴν ἑαυτῶν... κατὰ τοῦ δικαιοτάτου.

[2] Ms. γενομένην.

[a] Carnot et Prat., *excommunicabo;* quod prius in Germ. scriptum. De hac excommunicatione fuse disputat Gussanv. asseritque genus esse maledictionis, non vero censuram canonicam. Consulendi sunt Regulæ S. P. Bened. commentatores, maxime ad capp. 23, 24, 25 et seq. Sane mens Gregorii fuit huic excommunicationi vim canonicæ tribuere, ut ex his liquet: *Cumque... diaconus clamaret*, etc., infra.

[b] Carnot., *sed interpretando;* German. Longip. et plerique Norm., *intentando.* Secundus Theod., *intentando quod est comminando.* Aliqui Norm., *intendendo.*

[c] Ex hoc loco patet non solos episcopos aut clericos tunc in ecclesiis sepultos fuisse. Idem liquet ex cap. 50 et seqq. l. IV Dial. Jus sepulturæ in ecclesia, pecunia comparatum, vide ejusdem lib. c. 52. Fidelium corpora jam a IV sæculo in ecclesiis sepulta aliquando fuisse probat Ambrosius: *Nondum,* inquit, *erant hujusmodi Dei templa in quibus fidelium Domini reliquiæ condantur,* l. I de Abraham, c. 9, n. 80, p. 308 novæ ed.

[d] Gabriel Albaspinæus in l. I, observatione 10, duo probat ad hunc locum illustrandum apprime idonea. Primum oblationes olim fuisse instar modi seu facultatis cujusdam, qua jus communionis comparabatur, quando illæ ab ecclesia altari expositæ et repræsentatæ Deo a sacerdotibus erant. Alterum, post mortem jus communionis a quo vivus quis exciderat, posse recuperari, si modo extremum vitæ diem in pœnitentia terminasset. *Mabill. tom.* I *Act.*

προσέφερε, τὰς αὐτὰς δύο παρθένους ἐκ τῶν μνημάτων αὐτῶν προερχομένας, καὶ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἐξερχομένας ἐθεώρει. Ὡς δὲ πολλάκις τοῦτο γινόμενον ἐθεάσατο, καὶ πρὸς τὴν τοῦ διακόνου ἐκφώνησιν ἐκείνας ἐξερχομένας ἐκ τῶν μνημάτων, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ μένειν μὴ δυναμένας, εἰς μνήμην ἐλθοῦσα ἡ ῥηθεῖσα τούτων τροφὸς, ὅτιπερ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος ἔτι ζώσαις αὐταῖς ἐδήλωσε, καὶ τῆς τῶν θείων μυστηρίων μεταλήψεως ταύτας στερῆσαι εἶπεν, ἐὰν μὴ τὰ ἑαυτῶν ἤθη καὶ τοὺς λόγους διορθώσωνται [1], μετὰ σπουδῆς πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ δοῦλον [2] Βενέδικτον παραγίνεται, καὶ σὺν ὀδυρμῷ πολλῷ πρὸς τοῖς ποσὶν αὐτοῦ κυλινδουμένη, τὴν οἴκτου καὶ φρίκης μεστὴν ἐκείνην θεωρίαν, ἥνπερ τοῖς ὀφθαλμοῖς τοῖς οἰκείοις ἐθεάσατο, ἀπήγγειλεν τῷ πατρί. Ὁ δὲ ἅγιος ταῦτα ἀκούσας, καὶ ὑπὸ τῆς συνούσης αὐτῷ συμπαθείας κινηθεὶς, λαβὼν μίαν προσφορὰν ἔδωκεν [3] ἐν τῇ χειρὶ αὐτῆς, εἰπὼν πρὸς αὐτήν· « Ἄπελθε, καὶ ταύτην τὴν προσφορὰν ὑπὲρ αὐτῶν τῷ κυρίῳ προσενεχθῆναι ποίησον, καὶ τοῦ λοιποῦ οὐκ ἔσονται ἀκοινώνητοι. » Τῆς τοίνυν προσφορᾶς ὑπὲρ αὐτῶν προσενεχθείσης τῷ κυρίῳ, καὶ τοῦ διακόνου κατὰ τὸ σύνηθες κράζοντος, ἵνα οἱ μὴ μεταλαμβάνοντες ἐξέλθωσι τῆς ἐκκλησίας, οὐκ ἔτι λοιπὸν ἐθεωρήθησαν ὑπὸ τῆς τούτων τροφοῦ ἐκβαίνουσαι τῆς ἐκκλησίας. Ὅθεν πιστεύομεν ἐκτὸς πάσης ἀμφισβητήσεως, ὅτι ἡνίκα ἡ παρὰ τοῦ ἁγίου δοθεῖσα προσφορὰ ὑπὲρ αὐτῶν ἐθύθη, παραυτὰ τῆς συγχωρήσεως ἠξιώθησαν, καὶ τὴν τῆς ὁσίας κοινωνίας μετάληψιν παρὰ κυρίου διὰ τοῦ μακαρίου Βενεδίκτου ἐδέξαντο.

cono juxta morem clamatum est, ut non communicantes ab ecclesia exirent, illæ exire ab ecclesia ulterius visæ non sunt. Qua ex re indubitanter patuit quia dum inter eos qui communione privati sunt, minime recederent, communionem a Domino per servum Domini recepissent.

ΠΕΤΡ. Θαυμαστὸν σφόδρα ἐστὶν εἰ [redundat εἰ] τοῦτον τὸν σεβάσμιον καὶ ἁγιώτατον ἄνδρα [4] ἐν ταύτῃ τῇ ζωῇ ὄντα καὶ φθαρτῇ σαρκὶ ἰσχύειν ψυχὰς λῦσαι ἐν αὐτῷ λοιπὸν τῷ ἀοράτῳ κριτηρίῳ τεταγμένας.

ΓΡΗΓΟΡ. Μή τι οὖν, Πέτρε, ἐν ταύτῃ τῇ σαρκὶ ἔτι οὐκ ἦν ὁ παρὰ Θεοῦ ἀκούσας, « Ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται δεδεμένον καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται λελυμένον καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς; » οὗτινος καὶ νῦν τὴν τάξιν ἐπικρατοῦσιν, δεσμεύοντες καὶ λύοντες, οἱ τὸν θρόνον τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ ποιμένος τῇ πίστει καὶ τοῖς ἤθεσι κοσμοῦντες. Ἵνα οὖν δόξης τοσαύτης γήϊνος ἄνθρωπος καταξιωθῇ, ὁ οὐρανοῦ καὶ γῆς ποιητὴς ἐξ οὐρανοῦ ἐπὶ τὴν γῆν κατῆλθε, καὶ ἵνα ἡ σὰρξ ἐκ τοῦ πνεύματος κρῖναι δυνηθείη, ταῦτα αὐτῇ παρασχεῖν ἠξίωσε, * Θεὸς ὢν γέγονε διὰ τοὺς ἀνθρώπους σάρξ. Ἔξω δὲ αὐτοῦ ἡ ἀσθένεια ἡμῶν· οὐ γὰρ ὑπ' αὐτῆς ἡ τοῦ Θεοῦ δυναστεία ἠσθένησεν.

ΠΕΤΡ. Μετὰ τῆς τῶν σημείων δυνάμεως καὶ ἡ τῶν ῥημάτων ἀπολογία προσφόρως ἐξεφωνήθη.

Petr. Mirum valde, quamvis venerabilem et sanctissimum virum, adhuc tamen in hac carne corruptibili degentem, potuisse animas solvere in illo jam invisibili judicio constitutas.

Gregor. Numquidnam, Petre, in hac adhuc carne non erat, qui audiebat : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quæ solveris super terram, soluta erunt et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19)? Cujus nunc vicem in ligando et solvendo [a] obtinent qui locum sancti regiminis fide et moribus tenent [b]. Sed ut tanta valeat homo de terra, cœli et terræ Conditor in terram venit e cœlo, atque ut judicare caro etiam de spiritibus possit, hoc ei largiri dignatus est, factus pro hominibus Deus caro : quia inde surrexit ultra se infirmitas nostra, unde sub se infirmata est firmitas Dei.

Petr. Cum virtute signorum concorditer loquitur ratio verborum.

ΚΕΦΑΛ. ΚΔ'.

Περὶ τοῦ μοναχοῦ τοῦ παρὰ γνώμην τοῦ ἁγίου εἰς τοὺς γονεῖς ἀπελθόντος, κἀκεῖ τελειωθέντος.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Ἄλλοτε πάλιν μοναχός τις νεανικῶς βιῶν, τῆς μονῆς τοῦ ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ ὑπάρχων, τοὺς ἑαυτοῦ κατὰ σάρκα γονεῖς ὑπὲρ μέτρον ἀγαπῶν, καὶ ἐν τῇ [5] οἰκίᾳ αὐτῶν συνεχῶς ἄνευ τῆς τοῦ ἁγίου πατρὸς παραθέσεως ἀπερχόμενος, συνέβη ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ κατὰ τὸ συνήθες αὐτῷ πρὸς τοὺς γονεῖς παραγενέσθαι· εἰσελθόντος δὲ αὐτοῦ ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἐτελεύτησεν. Εἶτα κηδεύσαντες αὐτὸν, καὶ ταφῇ παραδόντες, τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ τὸ σῶμα αὐτοῦ ἔξω εὗρον ἐῤῥιμμένον. Καὶ τοῦτο πάλιν θάψαντες, εὐθὺς ὑπὸ τῆς γῆς ἐκβρασθὲν ὡς τὸ πρότερον ἐθεάσαντο. Ταῦτα οὖν ἑωρακότες οἱ αὐτοῦ κατὰ σάρκα γονεῖς, πρὸς τὸν συμπαθέστατον πατέρα Βενέδικτον μετὰ μεγίστου [6] κλαυθμοῦ

CAPUT XXIV.

De puero monacho quem sepultum terra projecit.

Gregorius. Quadam quoque die dum quidam ejus puerulus monachus parentes suos ultra quam deberet diligens, atque ad eorum habitaculum tendens, sine benedictione de monasterio exiisset, eodem die mox ut ad eos pervenit, defunctus est. Cumque esset sepultus, die altero projectum foras corpus ejus inventum est, quod rursus tradere sepulturæ curaverunt. Sed sequenti die iterum projectum exterius atque inhumatum sicut prius invenerunt. Tunc concite ad Benedicti Patris vestigia currentes, cum magno fletu petierunt ut ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinus com-

[1] Ms. διορθώσωσιν.
[2] Ms. φίλον.
[3] Ms. δέδωκεν.
[4] Ms. ἄνδρα ἔτι ἐν ταύτῃ τῇ φθαρτῇ σαρκὶ ὄντα, ἰσχύειν.
[5] Juniorem hunc monachum frequenter ad parentes invisendos exiisse significat interpres, quod in Gregorio non legimus.
[6] Ms. μεγάλης παρακλήσεως καί.
* Hic aliqua desideratur conjunctio. EDIT.

[a] Val-cl. et primus Carnot., *ligandi et solvendi.*
[b] Neque vero hinc concludat aliquis ministrorum peccata sacramentorum effectui obicem ponere. Non enim ipsi per se sanctificant, sed ille cujus sunt ministri. GUSSANV.

προσέδραμον, δεόμενοι ὅπως διὰ τῆς ἐνούσης ἐν αὐτῷ A θείας χάριτος οἰκτειρήσῃς τὸν οὕτως ἀθλίως θανόντα, προστάξῃ τοῦτον ὑπὸ τῆς γῆς κατασχεθῆναι. Ἑωρακὼς οὖν ὁ μακάριος τὴν κατώδυνον αὐτῶν καρδίαν, λαβὼν ἀπὸ τοῦ δεσποτικοῦ σώματος μερίδα μίαν δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτῶν, εἰπὼν πρὸς αὐτούς· « Ἀπέλθετε, καὶ τοῦτο δεσποτικὸν σῶμα ἐπάνω τοῦ στήθους αὐτοῦ βαλόντες τῇ προσηκούσῃ ταφῇ παραδίδοτε. » Τοῦτο οὖν πεποιηκότες οἱ τοῦ τεθνεῶτος γονεῖς, οὐκέτι ὑπὸ τῆς γῆς ἐξεῤῥίφη τὸ ταφὲν [1] σῶμα, ἀλλὰ κατὰ τὴν τοῦ ἁγίου πρόσταξιν, ἔμεινεν κατασχεθὲν ὑπὸ τῆς γῆς. Ὁρᾷς, Πέτρε, ποίας κατακρίσεως παρὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ [2] ἠξιώθη ἐκεῖνος ὁ ἀνήρ· ὅτι τὸ σῶμα αὐτοῦ ἡ γῆ ἀπέῤῥιψεν, διότι τὴν τοῦ μακαρίου Βενεδίκτου εὐμένειαν οὐκ ἔσχεν.

munionem dominici corporis dedit [a] dicens: Ite, atque hoc dominicum corpus super pectus ejus cum magna reverentia ponite, et sic sepulturæ eum tradite. Quod dum factum fuisset, susceptum corpus ejus terra tenuit, nec ultra projecit. Perpendis, Petre, apud Jesum Christum Dominum cujus meriti iste vir fuerit, ut ejus corpus etiam terra projecerit, qui Benedicti gratiam non haberet.

ΠΕΤΡ. Θαυμάζω ἀληθῶς, καὶ σφόδρα ἐκπλήττομαι. B

Petr. Perpendo plane, et vehementer stupeo.

ΚΕΦΑΛ. ΚΗ'.

Περὶ τοῦ ἐξελθόντος μοναχοῦ τῆς μονῆς, οὗτινος ἐν τῇ ὁδῷ δράκων ὑπήντησεν.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Ἦν τις ἐκ τῶν μοναχῶν τῆς μονῆς τοῦ ὁσίου πατρὸς Βενεδίκτου, ὅστις τῷ τῶν λογισμῶν ῥεμβασμῷ ὑπὸ τοῦ τῆς ἀκηδίας δαίμονος κυριευθεὶς, τῇ τοῦ κανόνος ἀκριβεστάτῃ παραδόσει στοιχίσαι [3] οὐδαμῶς ἤθελεν. Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος τοῦτον νουθετῶν οὐ διέλειπε, καὶ συνεχῶς παιδεύων οὐκ ἠμέλησεν. Ἐκεῖνος δὲ οὐχ εἵλατο τῆς τοῦ πατρὸς ὑπακοῦσαι παραινέσεως, ἀλλὰ καὶ ἀναιδῶς τῷ ἁγίῳ προσπίπτων οὐκ ἐπαύετο, ἵνα ἐαθῇ ὑπ' αὐτοῦ πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ γονεῖς πορευθῆναι. Ἐν μιᾷ οὖν ἡμέρᾳ [4] ὁ σεβάσμιος πατὴρ ὑπὸ τῆς αὐτοῦ παρακλήσεως ὀχληθεὶς, ἐν θυμῷ ἐκέλευσεν ἵνα τῆς μονῆς ὑποχωρήσῃ. C Ὅστις εὐθέως ἡνίκα ἐκ τοῦ μοναστηρίου ἐξῆλθε, κατενώπιον αὐτοῦ ἐν τῇ ὁδῷ δράκοντα ἀνεῳγμένῳ [5] τῷ στόματι εὗρε, καταπιεῖν τοῦτον θέλοντα. Ἤρξατο οὖν αὐτὸς τρέμειν, καὶ [6] ψηλαφῶν μεγίσταις φωναῖς κράζων ἔλεγε· « Δράμετε, δράμετε, ὅτι ὁ δράκων οὗτος καταφαγεῖν με θέλει. » Δραμόντες [7] δὲ ὁμοῦ δύο ἀδελφοὶ, τὸν μὲν δράκοντα οὐκ ἐθεωρήσαντο, τρέμοντα δὲ, καὶ ψηλαφῶντα τὸν μοναχὸν εὑρόντες, εἰς τὸ μοναστήριον ὑπέστρεψαν. Ὅστις εὐθέως ὑπέσχετο μηδέποτε ἐκ τοῦ μοναστηρίου ἐξιέναι, ἢ ἀποστῆναι. Ἀπὸ οὖν τῆς ὥρας ἐκείνης ἐν τῇ ἑαυτοῦ ὑποσχέσει ὑπέμεινε, καὶ ταῖς τοῦ ἁγίου ἀνδρὸς εὐχαῖς τειχισθεὶς, τὸν κατέναντι αὐτοῦ ἑστῶτα δράκοντα, ὅντινα πρότερον μὴ ὁρῶν ἠκολούθει, τοῦτον οὐδαμῶς τοῦ λοιποῦ ἐθεάσατο.

CAPUT XXV.

De monacho qui de monasterio discedens, draconem in itinere invenit.

Gregorius. Quidam autem ejus monachus mobilitati mentem dederat [b], et permanere in monasterio nolebat. Cumque eum vir Dei assidue corriperet, et frequenter admoneret, ipse vero nullo modo consentiret in congregatione persistere, atque importunis precibus ut relaxaretur immineret, quadam die idem venerabilis Pater, nimietatis ejus tædio affectus, iratus jussit ut discederet. Qui mox ut monasterium exiit, contra se assistere aperto ore draconem in itinere invenit. Cumque eum idem draco qui apparuerat devorare vellet, cœpit ipse tremens et palpitans magnis vocibus clamare, dicens: Currite [c], currite, quia draco iste me devorare vult. Currentes autem fratres draconem minime viderunt, sed trementem atque palpitantem monachum ad monasterium reduxerunt. Qui statim promisit nunquam se esse a monasterio recessurum, atque ex hora eadem in sua promissione permansit: quippe qui sancti viri orationibus contra se assistere draconem viderat, quem prius non videndo sequebatur.

[1] Ms. ἐῤῥιμμένον τὸ ταφὲν σῶμα εἶδον· ἀλλά.

[2] Ms. χριστοῦ ἐν πείρᾳ γέγονεν ἐκεῖνος.

[3] Ms. στοιχῆσαι. Et paulo post διέλιπε.... οὐχ εἵλετο.

[4] τῶν ἡμερῶν.

[5] Ms. ἀνεῳγμένον τὸ στόμα ἔχοντα εὗρεν καταπιεῖν αὐτὸν θέλοντα· ἤρξατο οὖν ὁ αὐτός.

[6] Vox ista significat *palpans*, non *palpitans*, ut in Latino legitur. Ex vocum similitudine forsitan hallucinatus est interpres hic et paulo infra; aut corrupto usus est codice in quo *palpans*, et *palpantem*, legerat. *Ex Gussanv.*

[7] In Vatic. legitur tantum, δραμόντες δὲ καὶ ψηλαφῶντα. Omissa revocavimus ope ms. Colb.

[a] Multis exemplis probat Menardus in notis ad Sacr. p. 267 et 268, nunc nota 680, olim sacrum corpus Christi super pectus quorumdam defunctorum in sepulcro fuisse positum. Solemnis hic mos erat in sepeliendis episcopis. Neque id interdicunt concilia Carthag. III, can. 6, et Antissiodorense c. 12, cum prohibent eucharistiam dari mortuis; hoc enim intelligi debet de communione quæ concedi D non debet mortuis, cum dictum sit a Deo: *accipite et manducate.* Unde liquet eos solos accipere posse qui manducare valeant. Plurimi locum hunc illustrarunt, Hæftenus, Mabillonius, Bultellus, etc., in suis ad Vitam S. Bened. lucubrationibus. Ex hoc facto, quod a S. Basilio quoque usurpatum fatetur Gussanvillæus, demonstrari contendit, non omnium priscorum exempla in nostros mores indiscriminatim esse inducenda. Vide Basilii vitam ab Amphilochio, ut vulgo creditur, scriptam. Consule etiam Confessionem Gregorianam auctore Theodoro Petreio Campensi carthusiano Coloniensi lib III, cap. 6, num. 3, ubi egregie pugnat contra Petrum Martyrem scribentem adversus Gardinerum object. 38, Benedicti jussu eucharistiam in os mortui fuisse injectam. Censet autem laudatus auctor eucharistiam positam quidem fuisse supra pectus mortui, sed postea continuo ablatam.

[b] Gussanv. et cæteri fere ed., *mobilitati mentis deditus erat.*

[c] Primus Carn., *Occurrite.* In excusis, *Succurrite.*

ΚΕΦΑΛ. Κϛʹ.

A

Περὶ τοῦ ἰαθέντος παιδὸς ἀπὸ τῆς λέπρας.

Νομίζω μηδὲ τοῦτο σιγῆς ἄξιον ὑπάρχειν, ὅπερ ἐλλουστρίῳ ἀνδρὶ [a] Ἀντωνίῳ τοὔνομα διηγουμένῳ ἤκουσα, ὅστις ἔλεγε τοῦ πατρὸς αὐτοῦ παῖδα ἐπίχυσιν ἐλεφαντίας ὑπομείναντα, καὶ λοιπὸν τῶν τριχῶν αὐτοῦ πεπτωκυιῶν, τὸ δέρμα αὐτοῦ ἐφυσήθη. Εἶτα προϊούσης τῆς νόσου λαθεῖν οὐκ ἠδύνατο. Πρὸς δὲ τὸν ἄνθρωπον τοῦ Θεοῦ ὑπὸ τοῦ ἑαυτοῦ πατρὸς ἀπεστάλη, καὶ ἐν τῇ προτέρᾳ ὑγιείᾳ ὁ παῖς ἀποκατασταθεὶς, τῷ οἰκείῳ γεννήτορι μετὰ πάσης σπουδῆς ἀπεδόθη.

CAPUT XXVI.

De puero a morbo elephantino curato.

Sed neque hoc silendum puto, quod illustri viro Antonio [a] narrante cognovi, qui aiebat patris sui puerum morbo elephantino fuisse correptum [b], ita ut jam pilis cadentibus cutis intumesceret, atque increscentem saniem [c] occultare non posset. Qui ad virum Dei ab eodem patre ejus missus est et saluti pristinæ sub omni celeritate restitutus.

ΚΕΦΑΛ. ΚΖʹ

Περὶ τῶν εὑρεθέντων ιγʹ νομισμάτων διὰ προσευχῆς τοῦ ἁγίου.

Καὶ τὰ περὶ Περεγρίνου τοῦ μαθητοῦ τοῦ μακαρίου ἀνδρὸς Βενεδίκτου διηγηθέντα μοι οὐδαμῶς ἡγοῦμαι δίκαιον σιγῇ [a] παραδοῦναι. Εἴρηκε γάρ μοι ὁ αὐτὸς, ὅτι ἐν τινι ἡμέρᾳ ἀνήρ τις πιστὸς ἀνάγκῃ χρέους συνεχόμενος, καὶ ὑπὸ τοῦ χρεοφειλέτου τὸ δάνειον [b] ἀπαιτούμενος, καὶ μὴ ἔχων τὸ πόθεν ἀποδοῦναι, μεγίστην ἑαυτῷ εὐεργεσίαν γενέσθαι ἐπίστευσεν, εἰ πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον παραγένηται. Καὶ δὴ πορευθεὶς προσέπεσεν τοῖς τοῦ ἁγίου ποσὶν, τὴν συνέχουσαν αὐτοῦ τοῦ χρέους τῶν δώδεκα νομισμάτων ἀνάγκην ἀπαγγέλλων. Ὁ δὲ σεβάσμιος πατὴρ συμπαθῶς πρὸς αὐτὸν πραείᾳ τῇ φωνῇ εἶπεν· « Ἀδελφὲ, συγχώρησον, ὅτι οὐδαμῶς ἔχω δώδεκα νομίσματα· ἀλλ' ἄπελθε, καὶ μετὰ δύο ἡμέρας ὑπόστρεψον πρός με, οὐ γὰρ ἔχω σήμερον ὅπερ σοι παρασχεῖν ὀφείλω [c]. » Ἐν δὲ ταῖς δυσὶν ἡμέραις ἐκείναις ἦν ὁ πατὴρ σχολάζων ἐν τῇ προσευχῇ. Τῇ οὖν τρίτῃ ἡμέρᾳ παρεγένετο ὁ ἀνὴρ ἐκεῖνος, ὅστις ὑπὸ τῆς ἀνάγκης τοῦ χρέους συνείχετο, πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον. Ἄρκλα (*sic*) οὖν ὑπῆρχεν ἐν τῷ μοναστηρίῳ, ἥτις ἦν ὀσπρίου πλήρης· ὑπεράνω δὲ ταύτης αἰφνίδιον διὰ τῆς τοῦ θεοφόρου πατρὸς εὐχῆς, τρισκαίδεκα νομίσματα ηὑρέθησαν. Ἅπερ ὁ σημειοφόρος Βενέδικτος ἐκέλευσεν ἐνεχθῆναι, καὶ τῷ τεθλιμμένῳ δοθῆναι ἀνδρὶ, εἰπὼν πρὸς αὐτόν· « Ἄπελθε, τέκνον, καὶ τὰ μὲν δώδεκα νομίσματα ἀπόδος τῷ χρεοφειλέτῃ [d], τὸ δὲ ἓν νόμισμα κάτεχε σεαυτῷ διὰ τὰς ἀναγκαίας σου χρείας.

CAPUT XXVII.

De solidis per miraculum debitori redditis.

B Neque illud taceam quod ejus discipulus Peregrinus nomine narrare consueverat : quia die quadam fidelis vir quidam necessitate debiti compulsus, unum sibi fore remedium credidit, si ad Dei virum pergeret, et quæ eum urgeret debiti necessitas, indicaret. Venit itaque ad monasterium, omnipotentis Dei famulum reperit, et quia a creditore suo pro duodecim solidis graviter affligeretur, intimavit. Cui venerabilis Pater nequaquam se habere duodecim solidos respondit, sed tamen ejus inopiam blanda locutione consolatus, ait : Vade, et post biduum revertere, quia deest hodie quod tibi debeam dare. In ipso autem biduo more suo in oratione fuit occupatus. Cumque die tertio is qui necessitate debiti affligebatur, rediret, super arcam monasterii, quæ erat C frumento plena, subito tredecim solidi sunt inventi. Quos vir Dei deferri jussit, et afflicto petitori tribui, dicens, ut duodecim redderet, et unum in expensis propriis haberet.

Ἀλλ' ἐπὶ τὸ προκείμενον ἡμῖν ἐπανέλθω [e] αὖθις διηγούμενος τὰ τοῦ σημειοφόρου πατρὸς θεῖα τεράστια, ἅπερ παρὰ τῶν αὐτοῦ φοιτητῶν τῶν ἐν ταύτῃ τῇ βίβλῳ ἀνωτέρω μνημονευθέντων, ἀκοῇ παρείληφα. Ἦν τις ἀνὴρ ὅστις εἶχεν ἕτερον ζηλοτυποῦντα αὐτῷ, καὶ ἐχθρωδῶς πρὸς αὐτὸν διακείμενον. Ὅθεν ὁ μισόκαλος δαίμων ἐπὶ τοσοῦτον ἐμμανῶς τοῦτον συνώθησεν, ὥστε θανατηφόρον ἐπινοήσασθαι κατ' αὐτοῦ δηλητήριον, καὶ τοῦτο ἀγνοοῦντα τὸν ἄνδρα πιεῖν παρεσκεύασεν [f], ἵνα τούτων τῆς προσκαίρου ζωῆς θᾶττον ἀπαλλάξῃ. Καὶ ὁ μὲν ἀνὴρ τὸ δηλητήριον πεπωκὼς οὐ τέθνηκεν· ἀλλ' ἐκχυθείσης ἐν ὅλῳ τῷ σώματι [g] αὐτοῦ τῆς ἐλεφαντίας τὸ εἶδος, ἐλεεινὸν θέαμα τοῖς ἁπάντων ὀφθαλμοῖς προὔκειτο. Εἶτα πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον ἀπενεχθεὶς, τὴν προτέραν ὑγείαν ταχέως ἀπέλαβε. Τῇ γὰρ σημειοφόρῳ αὐτοῦ δεξιᾷ ἁψάμενος τοῦ σώματος αὐτοῦ ἴασιν ἀπὸ τοῦ δέρματος αὐτοῦ τὴν τῆς ἐλεφαντίας νόσον ἐφυγάδευσεν.

Sed ad ea nunc redeam, quæ ejus discipulis in libri hujus exordio prædictis referentibus agnovi. Quidam vir gravissima adversarii sui æmulatione laborabat, cujus ad hoc usque odium prorupit, ut ei nescienti in potu venenum daret [d]. Quod quamvis vitam auferre non valuit, cutis tamen colorem mutavit, ita ut diffusa in corpore ejus varietas lepræ morem imitari videretur. Sed ad Dei hominem deductus salutem pristinam citius recepit : nam mox ut eum D contigit, omnem cutis illius varietatem fugavit.

[a] In excusis Ἀντωνίῳ
[b] Ms. δίκαιον σιγῆσαι.
[c] Ms. δανειστοῦ.
[d] Ms. ὤφειλον.
[e] Ms τῷ δανειστῇ.
[f] Ms. ἐπανέλθωμεν.
[g] Ms παρεκέλευσεν.
[g] Ms. ἐκχυθείσας τῷ σώματι ὅλον.

[a] Germ., *Aptonio*. Consentit Compend.
[b] Gussanv., *corruptum*.
[c] Duo Carnot., primus Theod. et Val-cl., *atque increscente sanie, occult.*
[d] Primus Aud. et Lyr., *venenum misceret*.

ΚΕΦΑΛ. ΚΗ.

Περὶ τοῦ ῥιφέντος ἀναχλαστηρίου (*Sic*) σὺν τῷ ἐλαίῳ, κατ' ἐπιτροπὴν αὐτοῦ, καὶ μὴ κλασθέντος.

Κατ' ἐκεῖνον τοίνυν τὸν καιρὸν καθ' ὃν τὴν Καμπανίαν λιμὸς συνεῖχε βαρύτατος, ὁ τοῦ Χριστοῦ πιστὸς καὶ φρόνιμος οἰκονόμος οὐκ ἐπαύετο πᾶσι τοῖς ἐνδέεσι τὴν πρέπουσαν συμπαθῶς διανομὴν τῶν ἀναγκαίων τοῦ σώματος χρειῶν ποιούμενος· ἕως οὗ πάντα ἐκ τοῦ μοναστηρίου ἐξέλιπον [1], καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν ὑπολειφθὲν ἐν τῷ κελλαρίῳ τῆς μονῆς, εἰ μὴ βραχύ τι ἐλαίου ἐν ὑαλίνῳ σκεύει. Εἷς δέ τις ὑποδιάκονος, τὴν προσηγορίαν Ἀγαπητὸς, ἦλθε πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ φίλον, πάνυ αὐτὸν δυσωπῶν, ὅπως ἔλαιον ὀλίγον ἐπιτρέψῃ δοθῆναι αὐτῷ· ὁ δὲ θεσπέσιος οὗτος ἀνὴρ ὃς ἤδη πάντα ἐν τῇ διανοίᾳ θέμενος διανέμειν τε καὶ σκορπίζειν ἐν τῇ γῇ, ἵνα ἐν τῷ οὐρανῷ τηρηθῶσιν, ἐκεῖνο τὸ βραχὺ τοῦ ἐλαίου, ὅπερ ἐν τῷ κελλαρίῳ τῆς μονῆς ἐναπέμεινεν, ἐκέλευσε τῷ αἰτοῦντι δοθῆναι. Ὁ μοναχὸς δὲ ὁ τὴν τοῦ κελλαρίου διακονίαν ἐγκεχειρισμένος, ὑπήκουσε μὲν τῆς τοῦ πατρὸς κελεύσεως, ἀλλὰ πληρῶσαι ταύτην οὐχ εἵλετο. Μετ' ὀλίγον οὖν ἐπηρώτησεν ὁ πατὴρ τὸν κελλαράριον, εἰ τὸ βραχὺ ἐκεῖνο ἔλαιον δέδωκε τῷ αἰτήσαντι. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς ὡμολόγησε μὴ δεδωκέναι αὐτῷ, εἰπὼν πρὸς αὐτόν· « Ὅτι ἐὰν ὅλον τὸ ἔλαιον ἐκεῖνο παρασχεθῆναι τῷ ἀνδρὶ κελεύσῃς, παντάπασι τοῖς ἀδελφοῖς οὐδὲν παραμυθία οὐχ ὑπολειφθήσεται. » Τότε θυμωθεὶς ὁ πρᾳότατος ἐκεῖνος ἀνὴρ προσέταξε τοῖς ἀδελφοῖς, ὅπως τὸ ῥηθὲν ὑάλινον σκεῦος, ἐν ᾧ τὸ ὀλίγον τοῦ ἐλαίου ἀπέμεινεν, διὰ τῆς θυρίδος ῥίψωσιν, ἵνα μὴ ἐν τῷ μοναστηρίῳ τι τῶν τῆς παρακοῆς ἐναπομείνῃ. Γέγονε τοίνυν καθὼς ὁ μακάριος προσέταξεν. Ὑπὸ δὲ τὴν θυρίδα ἐκείνην σωρὸς [2] ἦν λίθων πολλῶν καὶ μεγάλων, ἐφ' ὧν ῥιφὲν τὸ εἰρημένον ὑάλινον τοῦ ἐλαίου σκεῦος οὕτω διέμεινε σῶον, ὡς μὴ ῥιφέν ποτε. Οὔτε γὰρ ἀπὸ ὕψους ἀκοντισθὲν συνετρίβη, οὔτε τὸ ἔλαιον ἐξεχύθη. Ἐπέτρεψεν οὖν ὁ τίμιος οὗτος πατὴρ τοῦτο ἐνεχθῆναι, καὶ καθὼς ἦν ἀκέραιον, τῷ αἰτοῦντι δοθῆναι. Τότε συναχθέντων τῶν ἀδελφῶν, ἐνώπιον πάντων τὸν παρακούσαντα μοναχὸν διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτοῦ καὶ παρακοὴν διήλεγξε.

A

CAPUT XXVIII.

De ampulla vitrea in saxis projecta et non fracta.

Eo quoque tempore quo alimentorum inopia Campaniam graviter affligebat, vir Dei diversis indigentibus monasterii sui cuncta tribuerat, ut pene nihil in cellario nisi parum quid olei in vitreo vase remaneret. Tunc quidam subdiaconus Agapitus nomine advenit, magnopere postulans ut sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autem Domini, qui cuncta decreverat in terra tribuere, ut in cœlo omnia reservaret, hoc ipsum parum quod remanserat olei, jussit petenti dari. Monachus vero qui cellarium tenebat audivit quidem jubentis verba, sed implere distulit. Cumque post paululum si id quod jusserat datum B esset inquireret, respondit monachus se minime dedisse; quia si illud ei tribueret, omnino nihil fratribus remaneret. Tunc iratus, aliis præcepit ut hoc ipsum vas vitreum in quo parum olei remansisse videbatur, per fenestram projicerent, ne in cella aliquid per inobedientiam remaneret. Factumque est. Sub fenestra autem eadem ingens præcipitium patebat saxorum molibus asperum. Projectum itaque vas vitreum venit in saxis [a], sed sic mansit incolume ac si projectum minime fuisset: ita ut neque frangi, neque oleum effundi potuisset. Quod vir Domini præcepit levari, atque, ut erat integrum, petenti tribuit. Tunc collectis fratribus, inobedientem monachum de infidelitate sua et superbia coram omnibus increpavit. C

ΚΕΦΑΛ. ΚΘ'.

Περὶ τοῦ γεμισθέντος πίθου ἐλαίου διὰ προσευχῆς αὐτοῦ.

Τούτου δὲ γεγονότος, ἅμα τοῖς ἀδελφοῖς ἑαυτὸν ὁ σεβάσμιος πατὴρ εἰς προσευχὴν δέδωκεν. Ἐν δὲ τῷ τόπῳ ἐκείνῳ, ἐν ᾧ μετὰ τῶν ἀδελφῶν ἐν τῇ προσευχῇ ἵστατο, πίθος κενὸς ὑπῆρχε τῷ σκεπάσματι κεκαλυμμένος. Ἐν δὲ τῷ τὸν ἅγιον πατέρα προσκαρτερεῖν ἐν τῇ προσευχῇ, ἤρξατο τὸ πῶμα τοῦ αὐτοῦ πιθαρίου [3] κουφίζεσθαι, τοῦ ἐλαίου πληθυνθέντος ἐν τῷ πίθῳ. Οὗτινος κινηθέντος τε καὶ ὑψωθέντος, τὸ αὐξηθὲν ἔλαιον τὸ τοῦ πιθαρίου στόμα ὑπερβλύσαν ἅπαν τὸ ἔδαφος ἐπλήρωσεν, ἐν ᾧ ἦν εἰς προσευχὴν κύψας ὁ ἅγιος. Τοῦτο δὲ θεασάμενος ὁ θαυματουργὸς πατὴρ Βενέδικτος τῇ εὐχῇ τέλος ἐπέθηκε. Τὸν δὲ ἄπιστον ἐκεῖνον καὶ ἀνήκοον ἀδελφὸν πατρικῶς ἐνουθέτησεν εἰπών· « Τέκνον, κτίσαι πίστιν ἀδίστακτον καὶ ταπεινοφροσύνην ἀξίαν τοῦ μοναχικοῦ ἐπαγγέλματος. » Ὁ δὲ ἀδελφὸς ἐκεῖνος πρεπόντως καὶ σωτηριωδῶς ὑπὸ τοῦ πατρὸς παιδευθεὶς, ᾐδέσθη· ὁ γὰρ ἀοίδιμος οὗτος πατὴρ τὴν ἰσχὺν τῆς ἑαυτοῦ νουθεσίας, ἥνπερ ἐδίδασκεν, ταύτην τῇ τοῦ

CAPUT XXIX.

De dolio vacuo, oleo repleto.

Qua increpatione completa, sese cum eisdem fratribus in orationem dedit. In eo autem loco ubi cum fratribus orabat, vacuum erat ab oleo dolium [b] et coopertum. Cumque sanctus vir in oratione persisteret, cœpit operimentum ejusdem dolii oleo excrescente sublevari. Quo commoto atque sublevato, D oleum quod excreverat, ora dolii transiens, pavimentum loci in quo incubuerat [c] inundabat. Quod Benedictus Dei famulus ut aspexit, protinus orationem complevit, atque in pavimentum oleum defluere cessavit. Tunc diffidentem inobedientemque fratrem latius admonuit, ut fidem habere disceret et humilitatem. Idem vero frater salubriter correptus erubuit: quia venerabilis Pater virtutem omnipotentis Dei, quam admonitione intimaverat, miraculis ostendebat; nec erat jam ut quisquam de ejus promissionibus dubitare posset, qui in uno eodemque momento

[1] Ms. ἐξέλειπε.
[2] Excusi ὅρος.
[3] Ms. πίθου et infra τοῦ πίθου στόμα.

[a] De ampulla chrismatis simile aliquid narrat Optatus, l. II de Schismate Donatist., c. 19, novæ edit., projecta casum sentire non potuit... illæsa inter saxa consedit.

[b] Primus Carn. et primus Gemet., *vacuus... dolius*.

[c] Prior Theod. Longip. et secundus Gemet., *incubuerant*, scil. S. Benedictus, ejusque fratres.

πνευματοδυνάμου Θεοῦ χάριτι τοῖς θείοις θαύμασι πᾶσιν ὑπεδείκνυε, καὶ οὐκ ἦν λοιπόν τινά ποτε τῆς αὐτοῦ συνοδίας ἐν ταῖς τοῦ ἁγίου ὑποσχέσεσι δειλιᾶν, ἢ ἀπιστεῖν τοῖς ὑπ' αὐτοῦ λεγομένοις, καὶ μάλιστα ἑωρακότες τὴν ἐν μιᾷ καιροῦ ῥοπῇ γενομένην παρὰ Θεοῦ ὑπερβάλλουσαν ἐπίσκεψιν. Ὑπὲρ γὰρ ὑαλίνου σκεύους ὀλίγον πάνυ ἔλαιον ἔχοντος, πίθον ὑπερβλύσαντα ἐλαίου ἀπέδωκεν.

pro vitreo vase pene vacuo plenum oleo dolium reddidisset.

ΚΕΦΑΛ. Λ'.

Περὶ τοῦ δαιμονοῦντος μοναχοῦ, καὶ διὰ μαξίλλης [1] τοῦ ἁγίου ἰαθέντος.

Ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, πορευομένῳ [2] τῷ ὁσίῳ ἐπὶ τὸ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου εὐκτήριον, ὅπερ ἐν αὐτῷ τῷ ὕψει τοῦ ὄρους ᾠκοδομημένον ἦν, ὁ παμπόνηρος ἐχθρὸς ἐν σχήματι ἱππιατροῦ εἰς συνάντησιν αὐτῷ ἐξῆλθε τὸ κέρατον καὶ τριπέδικλον [3] ἐπιφερόμενος. Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ θεράπων ἠρώτησεν αὐτὸν, λέγων· « Ποῦ ἀπέρχῃ; » ἐκεῖνος δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν· « Ἰδοὺ πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς πορεύομαι, ποτὸν αὐτοῖς δοῦναι. » Ἐπορεύθη οὖν ὁ σημειοφόρος Βενέδικτος, καὶ κατὰ τὸ συνῆθες αὐτῷ, ἔστη εἰς προσευχὴν, ἣν πληρώσας ταχέως ὑπέστρεψε. Τὸ δὲ πονηρὸν πνεῦμα ἕνα τῶν τοῦ ἁγίου μοναχῶν προβεβηκότα εὑρὸν [4], ὕδωρ ἀντλοῦντα, παραυτὰ εἰσῆλθεν εἰς αὐτὸν, καὶ σπαράξαν αὐτὸν ἀνιλεῶς ἐβασάνιζεν. Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος ἀπὸ τῆς εὐχῆς ὑποστρέψας, καὶ τοῦτον οὕτως ἐλεεινῶς βασανιζόμενον θεασάμενος, μόνον αὐτῷ κόσσον δέδωκεν ἐν τῇ σιαγόνι, καὶ παραυτίκα τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἀπ' αὐτοῦ ἐξῆλθε, καὶ οὐκ ἔτι τοῦ λοιποῦ εἰς αὐτὸν ὑποστρέψαι ἐτόλμησεν.

CAPUT XXX.

De monacho a dæmone liberato.

Quadam die dum ad beati Joannis oratorium, quod in ipsa montis celsitudine situm est, pergeret, ei antiquus hostis in mulomedici specie [a] obviam factus est, cornu et tripedicam [b] ferens. Quem cum requisisset, dicens : Quo vadis [c]? ille respondit : Ecce ad fratres vado potionem eis dare. Itaque perrexit venerabilis Pater Benedictus ad orationem ; qua completa concitus rediit. Malignus vero spiritus unum seniorem monachum invenit aquam haurientem, in quem statim ingressus est, eumque in terram projecit, et vehementissime vexavit. Quem cum vir Dei ab oratione rediens tam crudeliter vexari conspiceret, ei solummodo alapam dedit, et malignum ab eo spiritum protinus excussit, ita ut ad eum redire ulterius non auderet.

ΠΕΤΡ. Ἤθελον γνῶναι, ταῦτα πάντα τὰ θαύματα τῇ τῆς προσευχῆς δυνάμει ἐποίει διαπαντὸς, ἢ μόνῳ τῷ τῆς προγνώσεως θελήματι ἐπετέλει αὐτά;

ΓΡΗΓΟΡ. Οἵτινες ἑκουσίῳ θελήματι καὶ πόθῳ τῷ Θεῷ προσκολλῶνται, ἡνίκα τῶν πραγμάτων ἡ ἀνάγκη ἀπαιτῇ τὴν τῶν θαυμάτων ἐπίδειξιν, πολυτρόπως ἐπιτελοῦσιν· ποτὲ μὲν γὰρ ἐκ δεήσεως γίνονται, ποτὲ δὲ κατ' ἐξουσίαν. Καθάπερ ὁ εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης λέγει· « Ὅσοι γὰρ, φησὶν, ἔλαβον αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι. » Οἱ οὖν διὰ τῆς ἐξουσίας τοῦ Θεοῦ τέκνα ὑπάρχουσι, τί θαυμαστὸν ἐὰν σημεῖα ὑπὸ τῆς ἐξουσίας ποιῆσαι δύνανται; ὅτι [5] δὲ καὶ ἑκατέρῳ τρόπῳ θαυμάσια ποιοῦσιν, μαρτυρεῖ Πέτρος ὁ τὴν Ταβιθᾶν θανοῦσαν δι' εὐχῆς ἀναστήσας, Ἀνανίαν τε καὶ Σαπφείραν ψευσαμένους διελέγξας, καὶ τῷ θανάτῳ παραδούς. Οὐδὲ γὰρ εὔξασθαι αὐτὸν γέγραπται ἐν τῇ ἐκπνεύσει αὐτῶν, ἀλλὰ μόνον τὸ πταῖσμα, ὅπερ πεποιήκασι διήλεγξε. Συμβαίνει δὲ, ὅτι ποτὲ μὲν κατ' ἐξουσίαν ποιοῦσι, ποτὲ δὲ ἀπὸ δεήσεως. Ἐξ ὧν ἐκείνοις μὲν τὴν ζωὴν, διελέγχων, κατ' ἐξουσίαν παρεπῆρε, καὶ ταύτην πάλιν δι' εὐχῆς τὴν ζωὴν περιεποιήσατο. Ἐν δυσὶ τοίνυν τρόποις θαυμάτων τὴν τοῦ γνησίου δούλου τοῦ Θεοῦ Βενεδίκτου δύναμιν προτίθημι, ἐν οἷς λαμπρότερον τοῦτον ἀναδείκνυμι. Καὶ ποτὲ μὲν τοῦτον γινώσκομεν λαβόντα θεόθεν ἐξουσίαν, ποτὲ δὲ δι' εὐχῆς ἰσχύσαντα, θαυματουργίας ἐπιτελεῖν.

Petr. Vellem nosse, si hæc tanta miracula virtute semper orationis impetrabat, an aliquando etiam solo voluntatis exhibebat nutu.

Gregor. Qui devota mente Deo adhærent, cum rerum necessitas exposcit, exhibere signa modo utroque solent, ut mira quæque aliquando ex prece faciant, aliquando ex potestate. Cum enim Joannes dicat : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Qui filii Dei [d] ex potestate sunt, quid mirum si signa facere ex potestate valeant ? Quia enim utroque modo miracula exhibeant, testatur Petrus (*Act.* IX), qui Thabitham mortuam orando suscitavit, Ananiam vero et Sapphiram (*Act.* V) mentientes morti increpando tradidit. Neque enim orasse in eorum exstinctione legitur, sed solummodo culpam quam perpetraverant increpasse. Constat ergo quod aliquando hæc ex potestate, aliquando vero exhibent ex postulatione, dum et istis vitam increpando abstulit, et illi reddidit orando. Nam duo quoque fidelis famuli Dei Benedicti facta nunc replico, in quibus aperte clareat, aliud hunc accepta divinitus ex potestate, aliud ex oratione potuisse.

[1] Μάξιλα vel μαξίλλα Alapa est maxillæ seu genis inflixa, ut probat Cangius, et ex sequentibus liquet.
[2] Ms. πορευομένου τοῦ ὁσίου.
[3] M. τριπέδουκλον.
[4] Vulgati corrupte εὐράν.
[5] Ms. ὅτι ἑτέρῳ τρόπῳ.

[a] Longip., *sedens in mulo in medici specie.* Consensit Val.-cl. Hunc locum restituimus ex mss. et ex Versione Græca quæ *veterinarium* seu equorum medicum habet. Sane hic apparatus omnis veterinarii describitur, tripedica seu triplex pedica qua pedes equorum impediantur, et cornu quo ægris jumentis potio seu medicina infunditur.

[b] In Germ. et Longip., quibus concinit ed. Gil., *trepidicam.* In primo Theod., *tripedicum.*

[c] Germ. et pene omnes mss., *ubi vadis?*

[d] Germ. et nonnulli Norm., *quod si filii Dei.*

ΚΕΦΑΛ. ΛΑ'.

Περὶ τοῦ γεωργοῦ τοῦ ἀοράτως ἐκ τῶν δεσμῶν λυθέντος, μόνον ἐπιβλέψαντος τοῦ ἁγίου.

Ἦν τις τῷ γένει Γότθος, τῇ δὲ προσηγορίᾳ Τζαλλᾶς ἐπονομαζόμενος [1], τῆς τῶν Ἀρειανῶν ἀθέου δυσπιστίας ὑπάρχων. Ὅστις ἐν τοῖς χρόνοις Τοτίλα τοῦ τῶν Γότθων ῥηγὸς, οὗ τὸ πρὶν μνείαν ἐποιησάμεθα, θυμῷ ἀνυποστάτῳ κατὰ τῶν τῆς ἁγίας [2] καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας σπουδαίων ἀνδρῶν ἐκκαυθεὶς, καὶ τῇ ἑαυτοῦ συντρόφῳ ὠμότητι συνήθως χρώμενος, ἐάν τινα κατὰ προσώπων ἐθεάσατο, εἴτε κληρικὸν εἴτε μοναχὸν, παραχρῆμα τούτους διεχειρίζετο, τῷ διὰ ξίφους ὑποβάλλων θανάτῳ. Ἐν μιᾷ οὖν τῶν ἡμερῶν τῇ ζέσει τῆς οἰκείας ὠμότητος ἐκκαυθεὶς, καὶ ὑπὸ τῆς τῶν πραγμάτων συγχύσεως τὸν νοῦν κλαπεὶς, τινὰ χωρικὸν τῇ τύχῃ εὑρηκὼς, τοῦτον ὠμοτάτοις ἔθλιβε βασάνοις, καὶ διαφόροις κριτηρίοις [3] ἐμάστιζε. Μηκέτι οὖν τὰς βασάνους ὁ χωρικὸς ὑποφέρων, ἀπαιτούμενος ὑπὸ τοῦ σοβαροῦ ἐκείνου καὶ βαρβάρου τὰ διαφέροντα αὐτῷ πράγματα, τῷ δούλῳ τοῦ Θεοῦ Βενεδίκτῳ ἔφη παραθέσθαι αὐτά. Τοῦτο [4] ἴσως πραγματευσάμενος πρὸς τὸ ἐκφυγεῖν αὐτὸν τὴν τῶν βασάνων τιμωρίαν, καὶ τῆς ζωῆς κερδάναι τὴν σωτηρίαν. Τότε ὁ αὐτὸς Τζαλλᾶς ἔπαυσε τοῦ βασανίζειν αὐτὸν, προσέταξε δὲ τοὺς βραχίονας αὐτοῦ λώροις ἰσχυροῖς δεσμευθέντας σφιγχθῆναι, καὶ τοῦτον ἔμπροσθεν τοῦ ἑαυτοῦ ἵππου ἤρξατο ἐλαύνειν πρὸς τὸ ὑποδεῖξαι αὐτῷ τίς ἐστι Βενέδικτος, ὁ τὰ πράγματα αὐτοῦ ὑποδεξάμενος. Ὅστις χωρικὸς τοῖς βραχίοσι δεδεμένος ἔμπροσθεν αὐτοῦ προτρέχων ἀπήγαγε τὸν ἀλάζονα Τζαλλᾶν εἰς τὸ τοῦ ἁγίου ἀνδρὸς μοναστήριον· εὑρὼν [F. εὗρεν] δὲ τὸν μακάριον μόνον κατέναντι τῆς εἰσόδου τοῦ κελλίου καθεζόμενον, καὶ ἀναγινώσκοντα. Τῷ δὲ αὐτῷ Τζαλλᾷ ἀκολουθοῦντι, καὶ θυμομαχοῦντι, εἶπεν ὁ χωρικός· «Ἰδοὺ οὗτός ἐστιν ὁ πατὴρ Βενέδικτος, περὶ οὗ εἶπόν σοι.» Ἐκεῖνος οὖν ὁ ὑπερήφανος, ζέοντι τῷ θυμῷ, καὶ διεστραμμένῳ τῷ βλέμματι, γνώμης ἀνυγιοῦς γεγονὼς [5] ἐν τῷ τὸν ἅγιον ὁρᾷν, ἐδόκει τῷ ἑαυτοῦ φόβῳ τοῦτον ἐκπλήττειν. Καὶ ἀτενῶς αὐτῷ προσέχων μεγίσταις ἤρξατο κράζειν φωναῖς, καὶ λέγειν πρὸς τὸν ἅγιον· «Ἀνάστα, ἀνάστα, καὶ τὰ τοῦ χωρικοῦ τούτου πράγματα, ἅπερ εἴληφας, ἀπόδος.» Οὗτινος τῇ φωνῇ εὐθέως ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος τοὺς ἑαυτοῦ ἦρεν ὀφθαλμοὺς ἀπὸ τῆς ἀναγνώσεως, καὶ θεωρήσας τὸν ἐπηρμένον ἐκεῖνον Τζαλλᾶν, σὺν αὐτῷ δὲ μόνον τὸν χωρικὸν δέσμιον ἑστῶτα, προσέσχεν τοῖς δεσμευθεῖσιν αὐτοῦ βραχίοσι τοῖς λώροις, καὶ τὸ παντὸς ἐπέκεινα θαύματος ἠκολούθει μυστήριον. Παραυτὰ γὰρ τοῦ [6] τὸν μακάριον τὸ ἑαυτοῦ ἐκτεῖναι θεοφώτιστον ὄμμα εἰς τὸν δέσμιον, τοσαύτη ταχύ τις παρηκολούθησε τῆς τῶν λώρων λύσεως, οἷα οὐκ ἂν πολλῶν ἀνδρῶν σπουδὴ ἐπιτελέσαι ἠδύνατο [*]. Θεασάμενος οὖν ὁ Τζαλλᾶς τὸν ὑπ' αὐτοῦ δεθέντα χωρικὸν διὰ τῆς τοῦ ἁγίου ἐξουσίας ἄνευ χειρῶν λυθέντα, ἔντρομος γεγο-

[1] Ms. προσαγορευόμενος.
[2] Ms. τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλ. ἱερῶν ἀνδρῶν.
[3] Ms. ἀξίαις ἐμάστιζεν.
[4] Ms. τούτοις πραγματευσάμενος.
[5] Ms. ἀνυγιοῦς τυχών.
[6] Ms. τῷ τὸν μακ.
[*] Hæc phrasis prorsus mendosa sic corrigenda videtur : Παραυτὰ γὰρ τῷ τὸν μακ τ. ε. ε. θ ο ε. τ. δ. τοσαύτη ταχύ τις παρ. τ. τ. λ. λύσις, οἵαν, etc. EDIT.

CAPUT XXXI.

De rustico ligato et solo aspectu viri Dei soluto.

Gothorum quidam Zalla [a] nomine perfidiæ fuit Arianæ, qui Totilæ regis eorum temporibus, contra catholicæ Ecclesiæ religiosos viros ardore immanissimæ crudelitatis exarsit; ita ut quisquis ei clericus monachusve ante faciem venisset, ab ejus manibus vivus nullo modo exiret. Quadam vero die avaritiæ suæ æstu succensus, in rapinam rerum inhians, dum quemdam rusticum tormentis crudelibus affligeret, eumque per supplicia diversa laniaret, victus pœnis rusticus, sese res suas Benedicto Dei famulo commendasse professus est, ut dum hoc a torquente creditur, suspensa interim crudelitate ad vitam horæ raperentur [b]. Tunc idem Zalla cessavit rusticum tormentis affligere, sed ejus brachia loris fortibus astringens, ante equum suum cœpit impellere, ut quis esset Benedictus qui ejus res susceperat demonstraret. Quem ligatis brachiis rusticus antecedens, duxit ad sancti viri monasterium, eumque ante ingressum cellæ solum sedentem reperit et legentem. Eidem autem subsequenti et sævienti Zallæ rusticus dixit : Ecce iste est de quo dixeram tibi Benedictus Pater. Quem dum fervido spiritu cum perversæ mentis insania fuisset intuitus, eo terrore quo consueverat, acturum se existimans, magnis cœpit vocibus clamare, dicens : Surge, surge, et res istius rustici redde quas accepisti. Ad cujus vocem vir Dei protinus oculos levavit a lectione, eumque intuitus, mox etiam rusticum qui ligatus tenebatur, attendit : ad cujus brachia dum oculos deflexisset [c], miro modo tanta se celeritate cœperunt illigata brachiis lora devolvere [d], ut dissolvi tam concite nulla hominum festinatione potuissent. Cumque is qui ligatus venerat, cœpisset subito adstare solutus, ad tantæ potestatis vim tremefactus Zalla ad terram corruit, et cervicem crudelitatis rigidæ ad ejus vestigia inclinans, se orationibus illius commendavit. Vir autem sanctus a lectione minime surrexit, sed vocatis fratribus, eum introrsus tolli, ut benedictionem [e] acciperet, præcepit. Quem ad se reductum, ut a tantæ crudelitatis insania quiescere deberet, admonuit. Qui fractus recedens, nil ulterius petere a rustico præsumpsit, quem vir Domini non tangendo, sed respiciendo solverat. Ecce est, Petre, quod dixi : quia hi qui omnipotenti Deo familiarius serviunt, aliquando mira facere etiam ex potestate possunt. Qui enim ferocitatem Gothi terribilis sedens repressit, lora vero nodosque ligaturæ quæ innocentis brachia astrinxerant, oculis dissolvit, ipsa miraculi celeritate indicat, quia

[a] In Germ. Longip. Val-cl., *Galla*. Nostræ lectioni favet Græcus interpres.
[b] Hic dissentiunt tum mss., tum ed. In Becc. legimus, *horæ repararentur*. In primo Aud. utraque lectio est *repararentur* et *raperentur*. Sequimur Germ. et potiores.
[c] Big., *defixisset*.
[d] Germ. Longip. et Norm., *dissolvere*.
[e] Hoc est *cibum*, ut intellexit et expressit Zach. Id explicat Mabill. de *Eulogia*, seu *cibo benedicto*.

νως ἔπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν· καὶ τὸν ἑαυτοῦ τράχηλον, τὸν τῇ κλαζονείᾳ ἐπηρμένον, ἐκτεταμένον ὑπὸ τὰ τίμια ἴχνη τοῦ ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ ὑπέθηκε ταῖς αὐτοῦ εὐχαῖς ἑαυτὸν παραθέμενος. Ὁ δὲ ἅγιος ἀνὴρ οὐδαμῶς ἀπὸ τῆς ἀναγνώσεως ἀνέστη, ἀλλὰ καλέσας τοὺς ἀδελφοὺς ἐπᾶραι τοῦτον ἔσω προσέταξεν, ὅπως μεταλάβῃ τροφῆς. Ὁ δὲ εἰς ἑαυτὸν ἐλθὼν ἐνουθετεῖτο ὑπὸ τοῦ ἡγιασμένου πατρὸς τοῦ παύσασθαι τῆς τοσαύτης ὠμότητός τε καὶ ἀπανθρωπίας. Ὅστις Τζαλλᾶς συγκεκλασμένος ἀπὸ τῆς μονῆς ἐπιστρέψας, οὐδὲν τὸ παράπαν ἀπὸ τοῦ χωρικοῦ τοῦ λοιποῦ ἐζήτησεν, ὃν ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος οὐκ ἐγγίζων, ἀλλ' ἢ μόνῳ βλέμματι ἔλυσεν. Ἰδοὺ τοῦτό ἐστιν, Πέτρε, ὅπερ ἔφην, ὅτι οὗτοι οἱ τῷ παντοδυνάμῳ Θεῷ μετὰ παῤῥησίας λατρεύοντες, ποτὲ μὲν θαύματα δι' ἐξουσίας ποιῆσαι δύνανται, ποτὲ δὲ δι' εὐχῆς τὴν τῶν σημείων πληθὺν ἐνεργοῦσιν. Ὁ γὰρ τὴν θηριώδη τοῦ Γότθου μανίαν καθεζόμενος ὑποτάξας, τὰ λῶρα δὲ καὶ τοὺς τῶν δεσμῶν κόμβους, ἅπερ τοῦ ἀθώου τοὺς βραχίονας συνέσφιγγον, διὰ τῆς τῶν οἰκείων ὀφθαλμῶν ὁράσεως λύσας, δηλοῖ διὰ τῆς τοῦ θαύματος συντομίας, ὅτι ἀπὸ ἐξουσίας ἔλαβε σχεῖν ὅπερ ἐποίησεν. Καὶ ὅσα δὲ θαύματα καὶ ὁποῖα δι' εὐχῆς ἠδυνήθη ποιῆσαι, προσθήσω τῷ διηγήματι.

A ex potestate acceperat habere quod fecit. Rursum quoque quale quantumque miraculum orando voluit obtinere, subjungam.

ΚΕΦΑΛ. ΛΒ'.

B

Περὶ τοῦ ἀναστάντος νεκροῦ διὰ προσευχῆς τοῦ ἁγίου.

Ἐν μιᾷ [1] οὖν ἡμέρᾳ ἐξῆλθε σὺν τοῖς ἀδελφοῖς ὁ μακάριος ἐργάσασθαι ἐν τῷ ἀγρῷ. Καί τις γηπόνος εἶχεν υἱὸν πρὸ βραχέος θανόντα, οὗ τινος τὸ σῶμα ἐν ταῖς ἀγκάλαις φέρων, καὶ τῇ τῶν δακρύων πλημμύρᾳ συγκαιόμενος εἰς τὸ μοναστήριον παραγέγονε, καὶ τὸν πεφωτισμένον πατέρα Βενέδικτον ἐπεζήτει. Ἐῤῥέθη οὖν αὐτῷ, ὅτιπερ μετὰ τῶν ἀδελφῶν ἐν τῷ ἀγρῷ ἐργάζεται καὶ βραδῦναι ἔχει. Τοῦτο οὖν ἀκούσας ἐνώπιον τῆς τοῦ μοναστηρίου πύλης τὸ σκήνωμα τοῦ τελευτήσαντος αὐτοῦ υἱοῦ ἀποθέμενος, καὶ τῇ ἀποῤῥήτῳ λύπῃ πιεσθεὶς, πρὸς τὴν τοῦ σεβασμίου πατρὸς ζήτησιν ἑαυτὸν συντόμως [2] δρόμῳ ἐκδέδωκε. Καὶ ἰδοὺ ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἔργου ἦν καταπαύσας, καὶ λοιπὸν σὺν τοῖς ἀδελφοῖς ἐπὶ τὸ μοναστήριον ὑπέστρεφε [3]. Τοῦτον ἑωρακὼς ὁ τοῦ τεθνεῶτος παιδὸς πατὴρ, ἤρξατο σὺν δάκρυσι βοᾷν πρὸς τὸν ἅγιον, καὶ λέγειν· « Ἀπόδος μοι τὸν υἱόν μου, ἀπόδος μοι τὸν υἱόν μου. » Ὁ δὲ ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ ἐκπλαγεὶς ἐπὶ τούτῳ [4], ἔστη λέγων· « Μή τοιγε, ἄνθρωπε, ἐγὼ τὸν υἱόν σου ἐπῆρα; » πρὸς ὃν ὁ τοῦ παιδὸς πατὴρ ἀπεκρίθη· « Ἀπέθανεν ὁ υἱός μου, σεβάσμιε πάτερ, ἀλλὰ δεῦρο, ἀνάστησον αὐτόν. » Τούτων τῶν ῥημάτων ἀκούσας ὁ θαυματουργὸς ἐκεῖνος πατὴρ, καὶ σφόδρα λυπηθεὶς, εἶπεν· « Ἀναχωρήσατε, ἀδελφοὶ, ἀναχωρήσατε, ταῦτα οὐχ ὑπάρχουσιν ἡμέτερα, ἀλλὰ τῶν ἁγίων ἀποστόλων εἰσί. Τί ἡμῖν, ἀδελφοὶ, φορτία θέλετε ἐπιτιθέναι [5], ἅπερ οὐκ ἰσχύομεν βαστάσαι; » Ὁ δὲ τοῦ τεθνηκότος παιδίου πατὴρ ὑπὸ τοῦ σφοδροτάτου πόνου πληττόμενος ἐν τῇ ἑαυτοῦ αἰτήσει διέμεινε, διαβεβαιούμενος καὶ ὀμνύων ὅτι « οὐ μὴ ἀποχωρήσω, ἐὰν μὴ τὸν υἱόν μου ἀναστήσῃς. » Ἠρώτησεν οὖν αὐτὸν ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, λέγων· « Ποῦ ἐστι τὸ σῶμα τοῦ παιδίου; » ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπε· « Πρὸς [6] τῇ πύλῃ τοῦ μοναστηρίου κεῖται, τίμιε πάτερ. » Τότε παραγενόμενος ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος ἐπὶ τὸν τόπον μετὰ τῶν συνόντων αὐτῷ ἀδελφῶν, ἔκλινε τὰ γόνατα εἰς προσευχὴν καὶ ἐπάνω τοῦ σώματος τοῦ παιδίου τὴν τιμίαν αὐτοῦ κεφαλὴν ἐπικλίνας, καὶ αὖθις ἀναστὰς τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν ἐξέτεινε, λέγων· « Κύριε ὁ Θεὸς, μὴ ἐπιβλέψῃς ἐπὶ τὰ ἁμαρτίας μου, ἀλλ' ἐπὶ τὴν πίστιν τοῦ ἀνθρώπου τούτου τοῦ δεομένου ἀναστῆναι τὸν υἱὸν αὐτοῦ, καὶ ἀπόδος

CAPUT XXXII.

De mortuo suscitato

Quodam die cum fratribus ad agri opera fuerat egressus. Quidam vero rusticus defuncti filii corpus in ulnis ferens, orbitatis luctu æstuans, ad monasterium venit, Benedictum patrem quæsivit. Cui cum dictum esset quia idem Pater cum fratribus in agro moraretur, protinus ante monasterii januam corpus exstincti filii projecit, et dolore turbatus, ad inveniendum venerabilem Patrem sese in cursum concitus dedit. Eadem vero hora vir Dei ab agri opere jam cum fratribus revertebatur. Quem mox ut orbatus rusticus aspexit, clamare cœpit : Redde filium meum, redde filium meum. Vir autem Dei in hac voce substitit, dicens : Nunquid ego filium tuum tibi

C abstuli? Cui ille respondit : Mortuus est, veni, resuscita eum. Quod ut mox Dei famulus audivit, valde contristatus est, dicens : Recedite, fratres [a], recedite; hæc nostra non sunt, sed sanctorum apostolorum. Quid nobis onera vultis imponere, quæ non possumus portare? At ille, quem nimius cogebat dolor, in sua petitione perstitit, jurans quod non recederet, nisi ejus filium resuscitaret. Quem mox Dei famulus inquisivit, dicens : Ubi est? Cui ille respondit : Ecce corpus ejus ad januam monasterii jacet. Ubi cum vir Dei cum fratribus pervenisset, flexit genua, et super corpusculum infantis incubuit, seseque erigens, ad cœlum palmas tetendit dicens : Domine, non aspicias peccata mea, sed fidem hujus

D hominis, qui resuscitari filium suum rogat, et redde in hoc corpusculo animam quam abstulisti. Vix in oratione verba compleverat, et regrediente anima ita corpusculum pueri omne contremuit, ut sub oculis omnium qui aderant, apparuerit concussione mirifica tremendo palpitasse. Cujus mox manum tenuit, et eum patri viventem atque incolumem dedit. Liquet, Petre, quia hoc miraculum in potestate non habuit, quod prostratus petiit, ut exhibere potuisset.

[1] Ms μιᾷ τῶν ἡμερῶν.
[2] Ms. συντόμῳ δρόμῳ.
[3] Ms. ἐπέστρεψε, καὶ τοῦτον.
[4] Ms. ἐπὶ τοῦτο.
[5] Ms. ἐπιθεῖναι.... βαστάζειν.
[6] Ms. πρὸς τὴν πύλην.

[a] Norm. et secundus Carnot., *Recede, frater*...... *Quid nobis onera vis*, etc. Huic lectioni non favet Græcus interpres, sed alteri quam retinemus.

τῷ σώματι τούτῳ τὴν ἦρας ψυχήν.» Οὔπω δὲ τῆς τοῦ ἁγίου εὐχῆς πληρωθείσης, ἡ ψυχὴ ἐν τῷ σώματι εἰσῆλθε, καὶ [1] τὸ τοῦ παιδίου σκήνωμα ὅλον ἐδονήθη καὶ τρέμων τῇ χειρὶ ἐψηλάφα, ὥστε ὑπὸ πάντων τῶν αὐτόθι παρόντων θεαθῆναι τὴν τοῦ ἁγίου ἐπὶ [2] τῷ παιδὶ γενομένην φρικώδη θαυματουργίαν· οὕτινος τῆς χειρὸς λαβόμενος ὁ ἅγιος τῷ πατρὶ ζῶντα καὶ ὁλόκληρον παρέδωκε. Τοῦτο οὖν, Πέτρε, τὸ θαῦμα ἐν τῇ ἑαυτοῦ ἐξουσίᾳ οὐκ ἔσχεν, ἀλλὰ εἰς προσευχὴν ἑαυτὸν ὑποστρώσας ᾐτήσατο, ἵνα δυνηθῇ τοῦτο ποιῆσαι.

A ΠΕΤΡ. Πάντα οὕτω καθὼς λέγεις εἶναι ὁμολογῶ. Ἐμφανῶς γὰρ τοὺς λόγους οὓς προέθου, ἔργοις ἐπίστωσας· ἀλλ' αἰτῶ σε, ἵνα εἴπῃς ἐὰν οἱ ἅγιοι ἄνδρες πάντα ἅπερ θέλουσι δύνανται, καὶ εἰ εἰς πάντα ἐπιτυγχάνουσιν, ἅπερ λαβεῖν ἐπιθυμοῦσιν.

ΚΕΦΑΛ. ΛΓ'.

Περὶ οὗ παρεκάλεσε Σχολαστίκα ἡ αὐτοῦ ἀδελφή.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Τίς ἐστιν, Πέτρε, ἐν ταύτῃ τῇ ζωῇ τοῦ Παύλου ὑψηλότερος; ἀλλ' οὗτος περὶ τοῦ σκόλοπος τῆς σαρκὸς αὐτοῦ τρὶς τὸν κύριον παρεκάλεσε, καὶ οὗπερ ἐφίετο τυχεῖν οὐκ ἠδυνήθη [3]. Ἐκ τούτου οὖν καὶ περὶ τοῦ σεβασμίου πατρὸς Βενεδίκτου διηγήσομαί σοι ὅτι ὑπῆρχέ τι ὅπερ ἠθέλησεν, ἀλλ' οὐδαμῶς ἠδυνήθη ἐκπληρῶσαι. Ἀδελφὴ ὑπῆρχε τῷ μακαρίῳ κατὰ σάρκα, ᾗ ὄνομα Σχολαστίκα, ἥ τις εὐδοκίᾳ [4] τοῦ παντοδυνάμου Θεοῦ ἡγιασμένη ὑπῆρχεν ἐκ νεότητος αὐτῆς. B Αὕτη οὖν ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἔθος εἶχε πρὸς τὸν μακάριον αὐτῆς ἀδελφὸν παραγίνεσθαι, πρὸς ἣν ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, οὐ μήκοθεν ἔξω τῆς πύλης ἐν κτήματι τοῦ μοναστηρίου κατήρχετο. Ἐν μιᾷ οὖν ἡμέρᾳ [5] παρεγένετο πρὸς αὐτὴν κατὰ τὸ συνήθες ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, ἅμα τῶν ἑαυτοῦ μαθητῶν. Πᾶσαν δὲ τὴν ἡμέραν ἐν ταῖς τῶν ἱερῶν λογίων, καὶ τῶν θεοπνεύστων γραφῶν διηγήσεσι σχολάσαντες, ὀψίας γενομένης, καὶ λοιπὸν ἔτι σκοτίας οὔσης [6], ἀναπεσόντες, τροφῆς μετελάμβανον. Ἐν δὲ τῷ αὐτοὺς ἐσθίειν, καὶ ἐν τῇ τῶν θεοπνεύστων γραφῶν ὁμιλίᾳ ἐγχρονίζειν, τὸ πολὺ τῆς νυκτὸς μέρος διέδραμεν. Ἡ οὖν ἱερωτάτη καὶ τιμία ἐκείνη παρθένος καὶ κατὰ σάρκα αὐτοῦ ἀδελφὴ ᾐτήσατο αὐτὸν, λέγουσα· «Παρακαλῶ σε, ἀδελφέ μου, μὴ ἐάσῃς με τῇ νυκτὶ ταύτῃ, ἵνα μέχρι πρωΐας περὶ τῆς ἐπουρανίου χαρᾶς, C καὶ τῆς ἀϊδίου διαλεχθῶμεν ζωῆς.» Πρὸς ἣν ὁ μακάριος ἀπεκρίθη· «Τί ἐστιν ὃ λέγεις, ἀδελφή; ἔξω τοῦ κελλίου μου οὐδαμῶς μένειν δύναμαι.» Τοιαύτη οὖν εὐδία τοῦ ἀέρος ὑπῆρχεν, ὡς μηδαμῶς ἴχνος νεφέλης φαίνεσθαι. Ἡ δὲ ἁγιωτάτη ἐκείνη παρθένος θεασαμένη τὸν ἀδελφὸν μηδαμῶς εἴξαντα τῇ ἑαυτῆς παρακλήσει, πλέξασα τοὺς ἑαυτῆς δακτύλους, ἐπάνω τῆς τραπέζης τὰς χεῖρας ἔθετο· ὑπεράνω δὲ τῶν χειρῶν τὴν ἑαυτῆς κεφαλὴν κλίνασα, τὸν παντοδύναμον Θεὸν ἐδυσώπει. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἀναστῆναι τὴν αὐτῆς κεφαλὴν ἀπὸ τῆς τραπέζης τοσούτων ἀστραπῶν καὶ βροντῶν ἦχος, καὶ ὑετοῦ τοσαύτη ἐπηκολούθησεν ἔκχυσις, ὥστε μήτε τὸν σεβάσμιον τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον Βενέδικτον, μήτε τοὺς σὺν αὐτῷ παραγεγονότας ἀδελφοὺς δύνασθαι τῆς τοῦ οἴκου φλιᾶς βραχύ τι ἔξω προελθεῖν. Ἡ δὲ ἁγιωτάτη ἐκείνη θήλεια τὴν κεφαλὴν ἐν ταῖς χερσὶν, D ὡς ἦν ἐπὶ τῆς τραπέζης κλίνασα δακρύων ποταμοὺς ἐξέχεεν, δι' ὧν τὴν τοῦ ἀέρος εὐδίαν εἰς πλῆθος ὑετῶν μετέ-

Petr. Sic cuncta esse, ut asseris, constat patenter: quia verba quæ proposueras, rebus probas. Sed quæso te, ut indices si sancti viri omnia quæ volunt possunt, et cuncta impetrant quæ desiderant obtinere.

CAPUT XXXIII.

De miraculo Scholasticæ sororis ejus.

Gregorius. Quisnam erit, Petre, in hac vita Paulo sublimior, qui de carnis suæ stimulo ter Dominum rogavit (*II Cor.* XII), et tamen quod voluit, obtinere non valuit? Ex qua re necesse est ut tibi de venerabili Patre Benedicto narrem, quia fuit quiddam quod voluit, sed non valuit implere. Soror namque ejus, Scholastica nomine, omnipotenti Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata, ad eum semel per annum venire consueverat. Ad quam vir Dei non longe extra januam in possessione monasterii [a] descendebat. Quadam vero die venit ex more, atque ad eam cum discipulis venerabilis ejus descendit frater: qui totum diem in Dei laudibus sacrisque colloquiis ducentes, incumbentibus jam noctis tenebris simul acceperunt cibos. Cumque adhuc ad mensam sederent, et inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis femina soror ejus eum rogavit, dicens: Quæso te ne ista nocte me deseras, ut usque mane de cœlestis vitæ gaudiis loquamur. Cui ille respondit: Quid est quod loqueris, soror? Manere extra cellam nullatenus possum. Tanta vero erat cœli serenitas, ut nulla in aere nubes appareret. Sanctimonialis autem femina, cum verba fratris negantis audisset, insertas digitis manus super mensam posuit, et caput in manibus omnipotentem Dominum rogatura declinavit. Cumque de mensa levaret caput, tanta coruscationis et tonitrui virtus, tantaque inundatio pluviæ erupit, ut neque venerabilis Benedictus, neque fratres qui cum eo aderant, extra loci limen quo consederant, pedem movere potuissent. Sanctimonialis quippe femina caput in manibus declinans, lacrymarum fluvios in mensam fuderat, per quas serenitatem aeris ad pluviam traxit. Nec paulo tardius post orationem inundatio illa secuta est, sed tanta fuit convenientia orationis et inundationis, ut de mensa caput jam cum tonitruo levaret: quatenus unum idemque esset momentum, et levare caput, et pluviam deponere. Tunc vir Dei inter coruscos et tonitruos atque ingentis pluviæ inundationem videns se ad monasterium non posse remeare, cœpit conqueri

[1] Ms. καὶ τὸ σῶμα τοῦ παιδίου ὅλον.
[2] Ms. ἐπὶ τὸ παιδίον.
[3] Ms. οὐκ ἠδύνατο.
[4] Ms. ἥτις χάριτι.
[5] Ms. μιᾷ δὲ τῶν ἡμερῶν.
[6] Ms. ὀψίας δὲ γενομένης καὶ λοιπὸν ἤδη σκοτίας.

[a] Observa ex hoc loco monachis prædia ad victum assignata, in ipso Benedictini ordinis exordio: ita ut, non mendicando, non manibus laborando ad vitam necessaria parare cogerentur. Id ex S. Gregorii epistolis alibi ostendemus. Nonnullos ex fidelium oblationibus, ut ipsi clerici, vixisse liquet ex epistola 3, l. III, olim 2, indict. 11. Ipse Greg. monasteria quæ condidit reditibus dotavit, altero Gregorio teste, scilicet Turonico l. X Hist.

βαλεν, ὥστε μετὰ τὴν εὐχὴν ἡ τοῦ ὕδατος ἐπηκολούθησε κίνησις [1]. Τοσαύτη δὲ τῆς εὐχῆς ἦν ἡ δύναμις, ὥστε τὴν ἑαυτῆς κεφαλὴν ἐκ τῆς τραπέζης μετὰ τοῦ τῆς βροντῆς ἤχου ἀναστῆσαι, καὶ ἐν μιᾷ καιροῦ ῥοπῇ τὴν τῶν ἀμφοτέρων γενέσθαι συνέλευσιν, τήν τε τῆς κεφαλῆς τῆς ἱερᾶς παρθένου ἀνάνευσιν, καὶ τὴν τοῦ ὑετοῦ κατένεγξιν. Ὁ δὲ μακάριος κατανοήσας μὴ δύνασθαι ἑαυτὸν ἐπὶ τὸ μοναστήριον ἐπιστρέφειν, διὰ τὴν τῶν ἀστραπῶν καὶ βροντῶν ταραχὴν, καὶ τὴν τοσαύτην τοῦ ὑετοῦ ἐπίκλυσιν, λυπηθεὶς εἶπε πρὸς τὴν ἑαυτοῦ ἀδελφήν· « Συγχωρήσῃ σοι ὁ παντοδύναμος Θεὸς, ἀδελφή. Τί ἐστιν ὃ ἐποίησας; » πρὸς ὃν ἀποκριθεῖσα, εἶπεν· « Ἰδοὺ παρεκάλεσά σε, καὶ ὑπακοῦσαί μου οὐκ ἠθέλησας. Παρεκάλεσα τὸν κύριόν μου, καὶ εἰσήκουσέ μου· ἀρτίως λοιπὸν ἐὰν δύνῃσαι ἔξελθε [2], κἀμὲ καταλείψας εἰς τὸ μοναστήριον ἄπελθε. » Αὐτὸς οὖν ἔξω τοῦ οἴκου προκύψαι μὴ δυνάμενος, ἑκουσίως ἐν τῷ τόπῳ μεῖναι μὴ ἀνασχόμενος, ἀκουσίως ἔμεινε παρ' αὐτῇ. Πᾶσαν δὲ τὴν νύκτα ἐκείνην ἀγρυπνοῦντες διετέλεσαν ἐν τοῖς τῆς αἰωνίου ζωῆς ῥήμασι, καὶ τοῖς τῶν θεοπνεύστων γραφῶν διηγήμασιν ἑαυτοὺς ἐμπλήσαντες. Ἰδοὺ οὖν περὶ τούτου εἴρηκα θελῆσαι αὐτὸν ποιῆσαί τι καὶ μὴ ἰσχῦσαι. Ἐὰν δὲ τοῦ σεβασμίου τούτου πατρὸς τὸ θέλημα κατανοήσωμεν, οὐχ εὑρίσκομεν τοῦτον διστάσαντα. Αὐτὴν γὰρ τὴν εὐδίαν ἤθελε διαμεῖναι, ἥνπερ συνέβη εἶναι, ὅτε ἀπὸ τῆς [3] μονῆς κατῆλθε πρὸς τὴν ὁσιωτάτην αὐτοῦ ἀδελφήν. Ἀλλὰ τὸ ἐναντίον γέγονεν, ὅπερ ἠθέλησε διὰ τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως ἐν τῇ ἑαυτοῦ ἱερωτάτῃ παρθένῳ καὶ ἀδελφῇ θαῦμα. Θαυμαστὸν γὰρ ὄντως ἐστὶν, ὅτι ἡ παρθένος ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ πλεῖον αὐτοῦ ἠδυνήθη, ἥτις μεγάλως τὸν ἀδελφὸν ἐπεπόθει θεάσασθαι. Κατὰ γὰρ τὴν Ἰωάννου φωνὴν « ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐστιν. » Δικαίᾳ οὖν πάνυ τῇ κρίσει πλεῖον ἠδυνήθη ἐκείνη, ἥτις πλεῖον ἠγάπησεν.

ΠΕΤΡ. Ὁμολογῶ, καὶ πάνυ μοι ἀρέσκει ἃ λέγεις.

contristatus, dicens : Parcat tibi omnipotens Deus, soror; quid est quod fecisti? Cui illa respondit : Ecce te rogavi, et audiri me noluisti; rogavi Dominum meum, et audivit me. Modo ergo si potes, egredere, et me dimissa ad monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, qui remanere sponte noluit, in loco mansit invitus. Sicque factum est ut totam noctem pervigilem [a] ducerent, atque per sacra spiritalis vitæ colloquia sese vicaria relatione satiarent. Qua de re dixi eum voluisse aliquid, sed minime potuisse : quia si venerabilis viri mentem aspicimus, dubium non est quod eamdem serenitatem voluerit in qua descenderat permanere; sed contra hoc quod voluit, in virtute omnipotentis Dei ex feminæ pectore miraculum invenit. Nec mirum quod plus illo femina, quæ diu fratrem videre cupiebat, in eodem tempore valuit : quia enim juxta Joannis vocem, *Deus charitas est* (*I Joan.* IV, 16), justo valde judicio illa plus potuit, quæ amplius amavit.

Petr. Fateor, multum placet quod dicis.

ΚΕΦΑΛ. ΛΔ'.

Περὶ τῆς ψυχῆς τῆς αὐτῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ Σχολαστίκης, πῶς αὐτὴν εἶδεν, ὡσεὶ περιστερὰν εἰς οὐρανοὺς ἀνιπταμένην.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Τῇ οὖν ἑξῆς ἡμέρᾳ ἡ αὐτὴ σεβάσμιος παρθένος εἰς τὸ ἑαυτῆς κελλίον ἀνεχώρησεν. Ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος ἐν τῷ μοναστηρίῳ αὐτοῦ ὑπέστρεψε. Καὶ ἰδοὺ μετὰ τρίτην ἡμέραν ἐν τῷ ἑαυτοῦ κελλίῳ ἑστὼς, ἐπάρας ἐν τῷ ἀέρι τοὺς ὀφθαλμοὺς, εἶδε τῆς ὁσίας αὐτοῦ ἀδελφῆς τὴν ἁγίαν ψυχὴν ἐκ τοῦ σώματος αὐτῆς ἐν εἴδει περιστερᾶς ἐξελθοῦσαν, καὶ ἐπὶ τὰ τοῦ οὐρανοῦ μυστήρια ἀναληφθεῖσαν. Ὅστις τῇ τοσαύτῃ δόξῃ αὐτῆς συγχαιρόμενος, τῷ παντοδυνάμῳ Θεῷ ἐν ὕμνοις καὶ αἴνοις εὐχαριστίας ἀπέδωκε, καὶ τὴν αὐτῆς τελείωσιν τοῖς ἀδελφοῖς ἐμήνυσεν. Οὓς καὶ ἀπέστειλεν εὐθέως, ἵνα τὸ σεμνὸν αὐτῆς καὶ τίμιον σῶμα εἰς τὸ μοναστήριον ἀγάγωσιν, καὶ ἐν τῷ μνήματι ὃ ἦν ἑαυτῷ ἑτοιμάσας [5], θάψωσιν. Ὧν γὰρ ὁ νοῦς ἐν ἁγίῳ πνεύματι ἡνωμένος ἦν ἐπ' ἀλλήλοις, καὶ πρὸς Θεὸν διαπαντὸς ἀνατεταγμένος ὑπῆρχεν [6], τούτων τὰ πανίερα σώματα οὔτε ἡ ταφὴ χωρίσαι ἠδύνατο.

CAPUT XXXIV.

De anima sororis ejus visa qualiter e corpore sit egressa.

Gregorius. Cumque die altero eadem venerabilis femina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad monasterium rediit. Cum ecce post triduum [b] in cella consistens, elevatis in aera oculis vidit ejusdem sororis suæ animam de ejus corpore egressam, in columbæ specie cœli secreta penetrare. Qui tantæ ejus gloriæ congaudens, omnipotenti Deo in hymnis et laudibus gratias reddidit, ejusque obitum fratribus denuntiavit. Quos etiam protinus misit, ut ejus corpus ad monasterium deferrent, atque in sepulcro quod sibi ipse paraverat, ponerent. Quo facto contigit ut quorum mens una semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret.

ΚΕΦΑΛ. ΛΕ'

Περὶ τῆς ψυχῆς Γερμανοῦ ἐπισκόπου πόλεως Καπύης.

Ἐν ἄλλῳ τοίνυν καιρῷ Σερβανδὸς διάκονος καὶ ἡγούμενος τοῦ μοναστηρίου τοῦ διακειμένου ἐν τοῖς μέρεσι τῆς

CAPUT XXXV.

De mundo ante oculos ejus collecto, et de anima Germani Capuanæ civitatis episcopi.

Alio quoque tempore Servandus [c] diaconus atque abbas ejus monasterii quod in Campaniæ partibus a

[1] Ms. χύσις.
[2] Ms. τὸν Θεόν μου· ἀρτίως δὲ λοιπὸν ἐὰν δύνασαι.
[3] Ms. μονῆς εἰσῆλθεν.
[4] Ms. σκηνώματα.
[5] Ms. ἦν αὐτὸς ἑτοιμάσας.
[6] Ms. ἀνατεταμένος ὑπῆρχεν.

[a] Duo Carnot., Bigot. et Becc., *pervigiles*, cui lect. favet Græc. interpres.

[b] Die 10 Februarii, quo Scholastica colitur.

[c] Servandus diaconus et abbas cujus hic mentio præfuit monasterio S. Sebastiani in urbe Alatrina, quæ quinto lapide Verulis, Cassino triginta distat, ex actis S. Placidi num. 11. De Liberio patricio legesis Haeftenum in hunc locum. MABILL.

Καμπανίας ὑπὸ Λιβερίου τοῦ τηνικαῦτα Πατρικίου κτισθέντος, πρὸς τὸν μακάριον πατέρα Βενέδικτον ἐπισκέψεως χάριν ἐν τῷ μοναστηρίῳ παρέβαλεν, ἔθος ἔχων τοῦτο ποιεῖν. Καὶ αὐτὸς γὰρ ὁ ἀνὴρ διδαχῆς οὐρανίου ἀνάπλεως[1] ὑπῆρχεν. Ἑαυτοὺς οὖν τοῖς μελιρρύτοις τῆς αἰωνίου ζωῆς ῥήμασιν ἀρδεύσαντες, ἤδη τὰ τῆς ἡδυτάτης βρώσεως ἀπέλαυσαν, τῆς ἐπουρανίου πατρίδος ἀκορέστῳ πόθῳ ὀρεγόμενοι. Καὶ ἐν τούτοις ἀεὶ ἐντρυφῶντας ἑαυτοὺς ἑώρων, κόρον τῆς τοιαύτης πνευματικῆς τρυφῆς μὴ εἰσδεχόμενοι· ὅτε δὲ καὶ αἰσθητῆς τροφῆς ἡ τοῦ σώματος χρεία ἀπῄτει στενάζοντες ταύτην μετελάμβανον. Τοῦ δὲ καιροῦ ἡσυχάζειν ἀπαιτοῦντος, ἐν τῷ ἑαυτοῦ πύργῳ ὁ εὐλαβέστατος πατὴρ Βενέδικτος ἀνῆλθε. Ὡσαύτως δὲ καὶ Σερβανδὸς ὁ διάκονος ἐν τοῖς αὐτοῦ κατωγείοις εἰσῳκίσθη, ἐν ᾧ[2] τόπῳ τὰ κατώγαια τοῖς ἀνωγείοις[3] διὰ τοῦτο κατεσκευάσθησαν, ἵνα ἐν συντόμῳ ἡ ἄνοδος γίνηται. Ἄντικρυς δὲ τοῦ πύργου οἴκημα ἕτερον ὑπῆρχεν, ἔνθα τῶν ἀμφοτέρων οἱ μαθηταὶ ἡσύχαζον. Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ θεράπων Βενέδικτος, ἔτι τῶν ἀδελφῶν ἀναπαυομένων τῇ παννύχῳ τῆς νυκτερινῆς προσευχῆς ὥρᾳ[4] ἅπαντας προφθάσας ἐν τῇ ἑαυτοῦ θυρίδι ἑστὼς, καὶ τὸν παντοδύναμον Θεὸν δυσωπῶν, αἰφνίδιον ἐν τῇ τῆς νυκτὸς ἀωρίᾳ ἀναβλέψας εἶδε, καὶ ἰδοὺ φωτοχυσία ἐφάνη πολλὴ οὐρανόθεν, ὥστε πᾶσαν τὴν τῆς νυκτὸς σκοτίαν φυγαδευθῆναι. Τοσούτῳ δὲ φωτὶ ἡ νὺξ ἐκείνη κατελαμπρύνθη, ὥστε καὶ τῆς ἡμέρας τὸ φῶς ὑπερβάλλειν, ἐκ τοῦ οὐρανόθεν καταλάμψαντος φωτός. Θαύματος δὲ πλῆρες μυστήριον ἐν τῇ τῆς ὀπτασίας ἐκείνης ὥρᾳ ἐξηκολούθησεν, καθὼς ὁ αὐτὸς πατὴρ μετέπειτα διηγήσατο. Εἶδον γὰρ, ἔφασκεν, καὶ ἰδοὺ ὅλος ὁ κόσμος, ὡς ὑπὸ μίαν τοῦ ἡλίου ἀκτῖνα ἦν συνηθροισθείς. Ἔτι δὲ ταύτῃ τοῦ φωτὸς τῇ λαμπρότητι ἀτενῶς προσέχων, εἶδε Γερμανοῦ τοῦ Καπύης ἐπισκόπου τὴν ἁγίαν ψυχὴν ἐν πυρίνῃ σφαίρᾳ ὑπὸ ἀγγέλων ἐν τῷ οὐρανῷ παραλαμβανομένην. Τότε ὁ τίμιος πατὴρ Βενέδικτος τῆς φοβερᾶς ταύτης ὁράσεως κοινωνόν τε καὶ μάρτυρα προσκαταστῆσαι θέλων Σερβανδὸν τὸν διάκονον, μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς δὶς καὶ τρὶς τοῦτον ἐκάλεσεν. Ἐκεῖνος δὲ ταραχθεὶς ἐπὶ τῇ ἀσυνήθει τοῦ πατρὸς κραυγῇ, ἔκθαμβος καὶ σπουδαῖος ἀνῆλθεν. Ἐθεάσατο δὲ οὐ τὸ πᾶν τῆς ὁράσεως, μέρος δὲ βραχὺ τοῦ φωτὸς ἐκείνου ἑώρακεν. Αὐτοῦ δὲ ἐκπλαγέντος ἐπὶ τῷ θαύματι, ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος καθεξῆς αὐτῷ ἅπερ ἐθεάσατο διηγήσατο. Παραυτὰ δὲ ἐν τῷ κάστρῳ Κασίνῳ τῷ σπουδαιοτάτῳ ἀνδρὶ Θεοπρέπῳ ἀπέστειλεν ὅπως ἐν Καπύῃ[5] τῇ πόλει πέμψῃ, μηνύσῃ αὐτῷ. Τούτου δὲ γεγονότος ὁ ἀποσταλεὶς λοιπὸν ... εὗρεν. Ἐρευνήσας δὲ καὶ ἀκριβῶς μαθὼν, ἔγνω ὅτι ... Θεοῦ ἄνθρωπος ἐθεάσατο τὴν πρὸς οὐρανὸν αὐτοῦ ἄνοδον.

ΠΕΤΡ. Θαυμαστὸν πρᾶγμα σφόδρα, καὶ λίαν[7] ἐκπλητ- D τόν με· ἀλλὰ τοῦτο ὅπερ ἐῤῥέθη ἐρωτῶ, πῶς ἐνώπιον τῶν ὀφθαλμῶν τοῦ δικαίου, ὡσεὶ ὑπὸ μίαν τοῦ ἡλίου ἀκτῖνα, ἅπαντα τὸν κόσμον συναχθῆναι πρὸ τῆς κοινῆς ἀναστά-

[1] Ms. ἀνάπλεος.
[2] Ms. καταγωγίοις... ἀνωγίοις.
[3] Ms. κατώγεα τοῖς ἀνωγέοις.
[4] Ms. ὥρᾳ.
[5] Ms. Καπσύης.
[6] Ms· αὐτῇ τῇ ὥρα καὶ ῥόπῃ.
[7] Ms. ἐκπλήττομι. Forte ἐκπλήττομαι.

[a] Primus Theod., *constitutum.*
[b] In edit. Gussanv. post *exigeret*, legitur : *ut se*

A Liberio quondam patricio fuerat constructum [a], ad eum visitationis gratia ex more convenerat. Ejus quippe monasterium frequentabat ; ut quia idem quoque vir doctrinæ gratiæ cœlestis influebat, dulcia sibi invicem vitæ verba transfunderent, et suavem cibum cœlestis patriæ, quia adhuc perfecte gaudendo non poterant, saltem suspirando gustarent. Cumque hora jam quietis exigeret [b], in cujus turris superioribus se venerabilis Benedictus, in ejus quoque inferioribus se Servandus diaconus collocavit : quo videlicet in loco inferiora superioribus pervius continuabat ascensus. Ante eamdem vero turrim largius erat habitaculum in quo utriusque discipuli quiescebant. Cumque vir Dei Benedictus, quiescentibus adhuc fratribus, instans vigiliis, nocturnæ orationis B tempora prævenisset, ad fenestram stans, et omnipotentem Deum deprecans, subito intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa quæ inter tenebras radiasset. Mira autem res valde in hac speculatione secuta est [c] : quia, sicut post ipse narravit, omnis etiam mundus velut sub uno solis radio collectus, ante oculos ejus adductus est. Qui venerabilis Pater, dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani episcopi animam in sphæra [d] ignea ab angelis in cœlum ferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere miraculi, Servandum diaconum iterato bis terque ejus nomine, cum clamoris magnitudine vocavit. Cumque C ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus, ascendit, respexit, partemque jam lucis exiguam vidit. Cui tantum hoc obstupescenti miraculum, vir Dei per ordinem quæ fuerant gesta narravit, statimque in Cassinum castrum religioso viro Theoprobo mandavit ut ad Capuanam urbem sub eadem nocte transmitteret, et quid de Germano episcopo agereiur agnosceret et indicaret. Factumque est, et reverentissimum virum Germanum episcopum is qui missus fuerat jam defunctum reperit, et requirens subtiliter agnovit eodem momento fuisse illius obitum quo vir Domini ejus cognovit ascensum [e].

αἱ τὰ περὶ Γερμανοῦ τοῦ ἐπισκόπου σαφῶς διαγνῷ; καὶ τὸν ἐν ἁγίοις Γερμανὸν τὸν ἐπίσκοπον ἐν κυρίῳ τελειωθέντα ... ἐν αὐτῇ τῇ ῥόπῃ[6] ἡ τελείωσις αὐτοῦ γέγονεν, ἐν ᾗ ὁ τοῦ

Petr. Mira res valde, et vehementer stupenda. D Sed hoc quod dictum est, quia ante oculos ipsius quasi sub uno solis radio collectus omnis mundus adductus est, sicut nunquam expertus sum, ita nec

sopori dare debuissent ; turris erat eodem in loco constituta, quæ super totius cellæ habitaculum imminebat ; in cujus turris, etc. Hæc absunt a mss. et ab aliis editis. In Græca quoque vers. non leguntur.

[c] Compend., *Mira autem valde res eamdem speculationem secuta est.*

[d] Germ., *in spera.* Colitur autem S. Germanus die 30 Octobris.

[e] Primus Aud., Lyr., Becc., Prat., Bigot., habent *abscessum.*

σεως; ἀλλ' οὐδὲ καταλαβέσθαι τοῦτο δύναμαι, ποίᾳ τάξει A γενέσθαι ὀφείλει, ἵνα πᾶς ὁ κόσμος ὑπὸ ἀνθρώπου ἑνὸς ὁραθῇ.

ΓΡΗΓΟΡ. Ἀσφαλῶς κάτεχε, Πέτρε, ὅπερ λέγω. Ψυχῇ τῇ θεωμένῃ τὸν κτίστην, πᾶσα ἡ κτίσις [1] στενὴ αὐτῇ ἐστιν. Ὅστις οὖν ὀλίγον τι τοῦ φωτὸς τοῦ κτίστου ἐθεάσατο, μικρὸν αὐτῷ γίνεται πᾶν μέρος τῶν κτισμάτων, ὅτι αὐτὸ ὁ τοῦ φωτὸς θεωρίᾳ ἔνδον [2] ἐν τῷ νοεῖν ἐμπλατύνεται, καὶ τοσοῦτον πρὸς Θεὸν ἐφαπλοῖ τὸν νοῦν, ὥστε λοιπὸν ἀνώτερος παντὸς τοῦ κόσμου καθίστασθαι, γίνεται δὲ αὕτη ἡ τοῦ θεωροῦντος ψυχὴ καθ' ἑαυτήν. Ἡνίκα δὲ ἐν τῷ τοῦ Θεοῦ φωτὶ ἄρξηται ἁρπάζεσθαι, ὑπεράνω αὐτῆς ἐν τοῖς ἐνδοτέροις πλατύνεται. Ὅταν δὲ ἑαυτὴν πλατυνθεῖσαν θεάσηται, ἐπιγινώσκει ὅσον [3] βραχύ ἐστιν ὅπερ ἐν τῇ ταπεινώσει οὖσα κατασχεῖν οὐκ ἠδύνατο. Ὁ τοίνυν ἀνὴρ οὗτος ὁ τὴν τοῦ πυρὸς σφαῖραν θεασάμενος, καὶ τοὺς B ἀγγέλους ἐν τῷ οὐρανῷ ὑποστρέφοντας, προδήλως τοῦτο θεωρῆσαι οὐκ ἠδύνατο, εἰ μὴ ἐν τῷ φωτὶ τοῦ Θεοῦ ὑπῆρχε. Τί οὖν θαυμαστὸν εἰ καὶ τὸν κόσμον ὅλον ἐνώπιον αὐτοῦ συναχθέντα εἶδεν, ὅστις ὑψωθεὶς ἐν τῷ νοερῷ φωτὶ ἔξω τοῦ κόσμου ὑπῆρχεν; ὅτι δὲ συνελθὼν ἅπας ὁ κόσμος ἐνώπιον τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ εἴρηται, οὐχὶ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ [4] παρέστη ἐπὶ τὸ αὐτό· ἀλλὰ τοῦ θεωροῦντος ἡ ψυχὴ ἐπλατύνθη, ἥτις πρὸς Θεὸν ἁρπαγεῖσα ἄνευ δυσκολίας θεωρῆσαι ἠδυνήθη ἕκαστον ὅπερ ἔνδον τοῦ Θεοῦ ἐστιν. Ἐν αὐτῷ οὖν τῷ φωτὶ τῷ ἐν τοῖς ἔξωθεν ὀφθαλμοῖς ἐξαστράψαντι φῶς ἐνδότερον ἐν τοῖς τῆς ψυχῆς νοεροῖς ὀφθαλμοῖς ὑπῆρχεν. Ὁ γὰρ τὴν ψυχὴν θεασάμενος ἐν ὑψίστοις ἁρπαγεῖσαν, [5] ἐδείχθη αὐτῷ, πόσον αὐτῷ στενώτατά εἰσιν πάντα τὰ κατώτερα μέρη.

conjicere scio quonam ordine fieri potest, ut mundus omnis ab homine uno videatur.

Gregor. Fixum tene, Petre, quod loquor: quia animæ videnti Creatorem angusta est omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce Creatoris aspexerit, breve ei fit omne quod creatum est: quia ipsa luce visionis intimæ, mentis laxatur sinus, tantumque expanditur in Deo, ut superior existat mundo: fit vero ipsa videntis anima etiam super semetipsam. Cumque in Dei lumine rapitur super se, in interioribus ampliatur; et dum se sub se [a] conspicit exaltata, comprehendit quam breve sit quod comprehendere humiliata non poterat. Vir ergo Dei, qui intuens [b] globum igneum, angelos quoque ad cœlum redeuntes videbat, hæc procul dubio cernere nonnisi in Dei lumine poterat. Quid itaque mirum si mundum ante se collectum vidit, qui sublevatus in mentis lumine extra mundum fuit? Quod autem collectus mundus ante ejus oculos dicitur, non cœlum et terra contracta est, sed videntis animus est dilatatus, qui in Deo raptus videre sine difficultate potuit omne quod infra Deum est. In illa ergo luce quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum cum ad superiora [c] rapuit, ei quam angusta essent omnia inferiora monstravit.

ΠΕΤΡ. Ὁρῶ ἑαυτὸν μὴ ἐπιγνόντα ἀκριβῶς ἅπερ εἴρηκας. C Διὰ γὰρ τὴν ἐμὴν βραδύτητα, ἡ ἐξήγησίς σου τοσοῦτον ἐπλεόνασεν· ἀλλ' ἐπειδὴ ταῦτα ἀρτίως σαφῶς ἐν τῇ ἐμῇ διανοίᾳ ἐξέχεας, αἰτῶ ὅπως ἐν τῇ τῆς διηγήσεως τάξει ἐπανέλθῃς.

Petr. Videor mihi utiliter non intellexisse quæ dixeras, quando ex tarditate mea tantum crevit expositio tua. Sed quia hæc liquido meis sensibus infudisti, quæso ut ad narrationis ordinem redeas.

ΚΕΦΑΛ. Λϛ'.

Περὶ τοῦ συγγραφέντος παρ' αὐτοῦ μοναχικοῦ κανόνος.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Ἡδέως, Πέτρε, ἔτι περὶ τοῦ σεβασμίου τούτου ἀνδρὸς πολλὰ διηγούμην, ἀλλὰ σπουδῇ τὰ μὲν τῶν αὐτοῦ παρατρέχω, διὰ τὸ εἰς τὰ τῶν ἄλλων πεπραγμένα με σπεύδειν· τοῦτο [6] δέ σε ἀγνοεῖν οὐ θέλω, ὅτι σὺν τοῖς θαύμασι, δι' ὧν ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος ἐν τῷ κόσμῳ ἐδοξάσθη, καὶ διδασκαλίᾳ λόγου οὐ μετρίως διέλαμψε. Διετυπώσατο γὰρ τοὺς τῶν μοναχῶν κανόνας διακρίσει ἐξαιρέτῳ καὶ λόγῳ φωτοειδεῖ. Οὗτινος ἐάν τις D θελήσειεν ἀκριβῶς τά τε ἔθη καὶ τὴν πολιτείαν καταμαθεῖν, δύναται ἐν τῇ αὐτῇ συγγραφῇ τοῦ κανόνος πᾶσαν τὴν τῆς διδαχῆς αὐτοῦ διαγωγὴν ἐπιγνῶναι. Ὁ γὰρ ἅγιος ἐκεῖνος ἀνὴρ οὐδαμῶς ἠδυνήθη ἄλλως πως διδάξαι ἢ παιδεῦσαι εἰ μὴ καθὼς ἔζησεν.

CAPUT XXXVI.

Quod regulam monachorum scripserit.

Gregorius. Libet, Petre, adhuc de hoc venerabili Patre multa narrare: sed quædam ejus studiose prætereo, quia ad aliorum gesta evolvenda festino. Hoc autem nolo te lateat, quod vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit monachorum regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam [d]. Cujus si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione regulæ omnes magisterii illius actus invenire: quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere quam vixit.

[1] Ms. στενὴ αὐτῇ ἐστιν· ὅστις οὖν ὀλίγον τι τοῦ φωτὸς τοῦ ἀκτίστου ἐθεάσατο.
[2] Ms. ἐν τῷ νῷ.
[3] Corrupte in editis βραχύς ἐστιν; unde ms. lectionem præferendam duximus.
[4] Ms. παρέστη ἐπί.
[5] Ms. ἐδείχθη πόσον αὐτῷ.
[6] Ex ms. emendavimus edit.

[a] Prat. et primus Gemet., *et dum sub se mens conspicit.* Sequimur Germ. et alios melioris notæ.
[b] Germ. et Val-cl., *qui intueri*..... ex quibus forsan editoribus conflare placuit, *qui in turri*; quod tamen legitur in primo Carn. Sequimur mss. Angl. Norm. primum, Theod. secundum Carn., etc.
[c] Pler. cum Germ., *quia ad sup.*
[d] Duo Gemet., totidem Carnot. et Prat., *sermone luculento.*

ΚΕΦΑΛ. ΛΖ΄.

Περὶ τῆς ἑαυτοῦ ἐξόδου, ἣν τοῖς ἀδελφοῖς προείρηκεν.

Ἐν τῷ χρόνῳ ἐν ᾧ ἤμελλεν ὁ ἀοίδιμος οὗτος ἀνὴρ ἐκ ταύτης τῆς προσκαίρου ζωῆς ἐκδημεῖν [1], τοῖς συνοῦσιν αὐτῷ μαθηταῖς αὐτοῦ, καὶ τοῖς ἐκ μήκους οἰκοῦσι τῆς ἁγίας αὐτοῦ τελευτῆς τὴν ἡμέραν ἐμήνυσε. Καὶ τοῖς μὲν παροῦσι διεμαρτύρετο λέγων, μυστικῶς ἐν ἑαυτοῖς κατέχειν τὰ ἐν τοῖς ὠσὶν αὐτῶν ἀκουσθέντα· τοῖς δὲ ἀποῦσιν ἐμήνυσε ὁποῖον αὐτοῖς σημεῖον γενήσεται, ὅτε ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἐκ τοῦ σώματος μέλλει ἐξιέναι. Πρὸ οὖν ἕκτης ἡμέρας τῆς αὐτοῦ παντίμου τελευτῆς, ἀνεῳχθῆναι τὸ ἑαυτοῦ μνημεῖον ἐκέλευσε, καὶ εὐθέως πυρετῷ σφοδροτάτῳ περιπεσὼν, τῇ ὑπερβολῇ τῆς ἐκκαύσεως λοιπὸν αἱ τῆς ψυχῆς δυνάμεις ἐλεπτύνοντο. Ὁρῶν δὲ ἑαυτὸν καθ' ἑκάστην ἡμέραν, ὡς εἰπεῖν, ἐκ τοῦ λαβρωτάτου πυρετοῦ ἐκλιμπάνοντα, τῇ ἕκτῃ ἡμέρᾳ βασταχθῆναι [2] ἑαυτὸν ὑπὸ τῶν μαθητῶν καὶ ἐν τῷ εὐκτηρίῳ ἀπενεχθῆναι πεποίηκεν. Ἐκεῖ οὖν τὴν ἑαυτοῦ ἔξοδον τῇ ὑποδοχῇ τοῦ δεσποτικοῦ σώματός τε καὶ αἵματος ἐστήριξε, καὶ ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν ἑστὼς, ταῖς αὐτῶν χερσὶ τὰ ἀδύνατα μέλη ὑποστηριζόμενος, ὑψώσας ἐν τῷ οὐρανῷ τὰς χεῖρας, ἔστη κατὰ ἀνατολὰς, καὶ τὴν ἡγιασμένην καὶ καθαρωτάτην αὐτοῦ ψυχὴν σὺν τῇ προσευχῇ εἰς οὐρανοὺς ἀνεσφαίρισεν [3]. Ἐν αὐτῇ οὖν τῇ ἡμέρᾳ δυσὶν ἀδελφοῖς, τῷ μὲν ἑνὶ ἐν τῷ ἑαυτοῦ κελλίῳ ἡσυχάζοντι, τῷ δὲ ἑτέρῳ μήκοθεν οἰκοῦντι, ἀποκάλυψις μία καὶ ἐφάμιλλος ἐφάνη. Εἶδον τοίνυν ἑκάτεροι, καὶ ἰδοὺ ὁδὸς ἀπὸ τοῦ κελλίου αὐτοῦ μέχρι τοῦ οὐρανοῦ παρατεινομένη, ἐκ σηρικῶν ἱματίων ὅλη ἐστρωμένη, καὶ λαμπάδες ἀμέτρητοι ἐν αὐτῇ κατὰ ἀνατολὰς ἐνορδίνως καιόμεναι. Καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ εὐσχήμων, καὶ φαιδρὸς τῷ σχήματι ὑπεράνωθεν ἑστὼς ἠρώτα τούτους, λέγων· « Τίνος ἐστὶν ἡ ὁδὸς αὕτη, ἣν κατανοεῖτε θαυμάζοντες; » αὐτῶν δὲ ἀγνοεῖν ὁμολογησάντων, ἔφη πρὸς αὐτούς· « Αὕτη ἐστὶν ἡ ὁδὸς, δι' ἧς ὁ τοῦ Θεοῦ ἀγαπητὸς Βενέδικτος ἐν τῷ οὐρανῷ ἀνέρχεται. » Τότε οὖν συνῆκαν τὴν τοῦ ἁγίου ἀνδρὸς τελείωσιν. Καθάπερ γὰρ οἱ παρόντες μαθηταὶ ἐθεάσαντο, ὁμοίως καὶ οἱ ἀπόντες διέγνωσαν ἐκ τοῦ προλεχθέντος αὐτοῖς σημείου. Ἐτάφη δὲ τὸ ἡγιασμένον αὐτοῦ σῶμα ἐν τῷ εὐκτηρίῳ τοῦ μακαρίου Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ, ἐν ᾧπερ τὸν Ἀπόλλωνος βωμὸν κατέστρεψεν, καὶ τὸν εὐκτήριον οἶκον τοῦ προδρόμου συνεστήσατο. Ἐν τῷ σπηλαίῳ τῷ ὑπὸ τὸν λάκκον, ἐν ᾧ τὸ πρὶν κατῴκησεν, ἕως τοῦ παρόντος, ἐὰν μετὰ πίστεως οἱ αἰτούμενοι προσέρχονται, μεγίστη θαυμάτων χάρις διαλάμπει.

A

CAPUT XXXVII.

De prophetia sui exitus fratribus denuntiata.

Eodem vero anno quo de hac vita erat exiturus, quibusdam discipulis secum conversantibus, quibusdam longe manentibus, sanctissimi sui obitus denuntiavit diem: præsentibus indicens ut audita per silentium [a] tegerent; absentibus indicans quod vel quale eis signum fieret quando ejus anima de corpore exiret. Ante sextum vero sui exitus diem aperiri sibi sepulturam [b] jubet. Qui mox correptus febribus, acri cœpit ardore [c] fatigari. Cumque per dies singulos languor ingravesceret, sexta die portari se in oratorium a discipulis fecit, ibique exitum suum dominici corporis et sanguinis perceptione munivit, atque inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans,

B erectis in cœlum manibus stetit, et ultimum spiritum inter verba orationis efflavit. Qua scilicet die duobus de eo fratribus, uni in cella commoranti, alteri autem longius posito, revelatio unius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque quia strata palliis atque innumeris corusca lampadibus via [d] recto orientis tramite ab ejus cella in cœlum usque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cujus esset via quam cernerent, inquisivit. Illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait: Hæc est via qua dilectus Domino cœlum Benedictus ascendit. Tunc itaque sancti viri obitum sicut præsentes discipuli viderunt, ita absentes ex signo quod eis prædictum fuerat, agnoverunt. Sepultus vero est in oratorio beati Joannis Baptistæ, quod destructa

C ara Apollinis ipse construxit. Qui et in eo specu [e] in quo prius Sublacus habitavit, nunc usque si petentium fides exigat, miraculis coruscat.

ΚΕΦΑΛ. ΛΗ΄.

Περὶ ἰαθείσης γυναικὸς διὰ προσευχῆς τοῦ ἁγίου.

Ὅπερ γὰρ διηγοῦμαι πρᾶγμα ἀρτίως αὐτόθι γέγονε. Γυνή τις τῶν κατὰ φύσιν ἐκστᾶσα φρενῶν, ἐν ὄρεσι καὶ κοιλάσιν, ὕλαις τε καὶ πεδίοις νύκτωρ τε καὶ μεθ' [4] ἡμέραν πλαζομένη ἐπλανᾶτο. Ἐκεῖ δὲ καὶ μόνον ἀνεκλίνετο, ἔνθα ταύτην ἡ ἀτονία καθεύδειν ἠνάγκαζεν. Ἐν μιᾷ οὖν ἡμέρᾳ [5] ἡνίκα κατὰ τὴν ἔρημον ἐπλανᾶτο, ἐν τῷ τοῦ μακαρίου ἀνδρὸς Βενεδίκτου σπηλαίῳ ὁδηγηθεῖσα, ἀγνοοῦσα εἰσῆλθε καὶ ἔμεινεν, πρωΐας δὲ γενομένης οὕτως ὑγιὴς τῷ φρονήματι ἐξῆλθεν, ὡς ὅτι οὐδεμίαν βλάβην φρενῶν ποτε ὑπέ-

CAPUT XXXVIII.

De insana muliere in ejus specu sanata.

Nuper namque est res gesta quam narro; quia quædam mulier mente capta, dum sensum funditus perD didisset, per montes et valles, silvas et campos die noctuque vagabatur; ibique tantummodo quiescebat, ubi hanc quiescere lassitudo coegisset. Quadam vero die dum vaga nimium erraret, ad beati viri Benedicti specum devenit, ibique nesciens ingressa mansit. Mane autem facto ita sanato sensu egressa est, ac si eam nunquam insania capitis ulla tenuisset; quæ

[1] Ms. addit πρὸς τὸν θεόν.
[2] Ms ἐκέλευσε βασταχθῆναι.
[3] Ms. ἀνέπεμψεν. Ἐν αὐτῇ οὖν ὥρᾳ.
[4] Ms. καὶ καθ' ἡμέραν.
[5] Ms. τῶν ἡμερῶν.

[a] Pratel., *pro silentio.*
[b] Pratel. et primus Gemet., *sepulcrum.*
[c] Secundus Gemet., *dolore.*

[d] Secundus Carnot., Bigot. et Becc., *viderunt namque viam stratam.... quæ*, etc.
[e] Ita Germ., Val-cl., duo Carnot. et uterque Theoder. Aliorum codicum non una est lectio. In Compend. Bigot., Lyr. et primo Aud. legitur: *in quo prius Sublacu habitavit.* In primo Gemet., *in quo prius cui vocabulum est Sublacis, hab.* In altero Gemet., *in quo prius hab. cui Sublacus vocab. est.*

μεινεν. Ἥτις ἐν παντὶ χρόνῳ τῆς ζωῆς αὐτῆς ἐν τῇ δωρηθείσῃ αὐτῇ ὑγείᾳ διέμεινεν. A

ΠΕΤΡ. Τί τοῦτο εἶναι λέγομεν, ὅπερ ἐν τοῖς τῶν ἁγίων μαρτύρων λειψάνοις θεωροῦμεν γινόμενον; πλεῖον γὰρ, σχεδὸν εἰπεῖν, θαυματουργίαι ἐπιτελοῦνται ἐν τοῖς εὐκτηρίοις, ἐν οἷς λείψανα ἐπ' ὀνόματι αὐτῶν κατατίθενται, ἤπερ ἐν ᾧ τὰ τούτων κατάκεινται σώματα. Πληρεστάτως μὲν οὖν κἀκεῖ τὴν τοῦ Θεοῦ χάριν εἶναι πιστεύομεν, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτῶν σώμασιν· ἐκεῖ δὲ μᾶλλον μεγάλα σημεῖα ἐπιδεικνύουσιν, ἔνθα ὅλῳ τῷ σώματι οὐ κατάκεινται.

ΓΡΗΓΟΡ. Ἔνθα τὰ τῶν ἁγίων μαρτύρων σώματα κεῖνται, δισταγμὸς, Πέτρε, οὐκ ἔστιν, ὅτι πολλὰ σημεῖα δύνανται ἐπιδεῖξαι, ὥσπερ καὶ ποιοῦσιν. Τοῖς γὰρ καθαρῷ τῷ λογισμῷ προσερχομένοις, ἀμέτρητα θαύματα ἐπιδεικνύουσι. Διὰ δὲ τὸ ἐν δισταγμῷ ὑπάρχειν τοὺς [1] ἀσθενέστερον τῷ λογισμῷ διακειμένους, ὡς μὴ παρεῖναι τοὺς ἁγίους ἔνθα τὰ αὐτῶν ὁλικῶς οὐ κατάκεινται σώματα, καὶ ὡς ἐκ τούτου τοὺς προσερχομένους μὴ εἰσακούεσθαι, ἐκεῖ μᾶλλον αὐτοὺς ἀναγκαῖόν ἐστι μεγάλα σημεῖα ἐπιδεῖξαι, ἔνθα περὶ τῆς αὐτῶν παρουσίας ὁ ἀσθενὴς λογισμὸς διστάζει. B Ὧν δὲ ὁ νοῦς ἡδραιωμένος ἐν τῷ Θεῷ ὑπάρχει, οὗτοι ἐν τῷ τῆς πίστεως ἀξιώματι ὄντες, γινώσκουσιν ὅτι εἰ καὶ μὴ κεῖνται αὐτῶν ἐκεῖσε τὰ σώματα, πλὴν ὅμως τοῦ ταῖς εὐχαῖς εἰσακούειν μὴ ἀπολιμπάνεσθαι αὐτούς. Ὅθεν τοίνυν καὶ αὐτὴ ἡ ἀλήθεια ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ἵνα πίστιν τοῖς μαθηταῖς προσθῇ εἶπεν· « Εἰ μὴ ἐγὼ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἔρχεται πρὸς ὑμᾶς. » Φανερὸν [2] οὖν ὑπάρχει, ὅτι τὸ παράκλητον πνεῦμα ἐκ τοῦ πατρὸς προέρχεται, καὶ ἐν τῷ Υἱῷ διαμένει. Τίνος οὖν χάριν ἑαυτὸν ὁ υἱὸς πορευθῆναι λέγει, ἵνα ἐκεῖνος ἔλθῃ ὅστις οὐδέποτε ἀπ' αὐτοῦ ἐχωρίσθη; Οἱ μαθηταὶ ἐν σαρκὶ τὸν κύριον ὁρῶντες, τοῖς σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς τοῦτον πάντοτε θεωρεῖν ἐπεθύμουν. Ὀρθῶς οὖν αὐτοῖς ἐῤῥέθη· « Εἰ μὴ ἐγὼ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἔρχεται· » C τουτέστιν, Εἰ μὴ τὸ σῶμα ἀποκρύψω, τί ἐστιν ὁ τοῦ πνεύματος πόθος οὐ δεικνύω, καὶ εἰ μὴ ἐμὲ καταλείψητε σωματικῶς θεωρεῖν, οὐδέποτε μανθάνετε πνευματικῶς με ἀγαπᾷν.

ΠΕΤΡ. Ἀρέσκει ὃ λέγεις.

ΓΡΗΓΟΡ. Ὀλίγον λοιπὸν ἐκ τῆς συντυχίας παυσώμεθα, κ' ἐὰν εἰς τὰ τῶν λοιπῶν θαύματα τὸν λόγον ἐν τῇ διηγήσει παρεκτείνωμεν, δύναμιν τοῦ λέγειν διὰ τῆς σιγήσεως ἀνακαινίσωμεν

omni vitæ suæ tempore in eadem quam acceperat salute permansit.

Petr. Quidnam esse dicimus, quod plerumque in ipsis quoque patrociniis martyrum [a] sic esse sentimus, ut non tanta per corpora [ips]a, quanta beneficia per rel[i]q[u]ias ostendant, atque il[l]ic ma[j]ora signa faciunt, ubi minime per semetipsos jacent?

Grego[r]. Ubi in suis corporibus sancti martyres jacent, dubium, Petre, non est quod multa valeant signa demonstrare, sicut et faciunt, et pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, utrumne ad exaudiendum ibi præsentes sint, ubi constat quia in suis corporibus non sint; ibi necesse est eos majora signa ostendere, ubi de eorum præsentia potest mens infirma dubitare. Quorum vero mens in Deo fixa est, tanto magis habet fidei meritum, quanto illic eos novit et non j[a]cere corpore, et tamen non deesse ab exauditione. Unde ipsa quoque Veritas, ut fidem discipulis [b] augeret, dixit: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos* (*Joan.* XVI, 7). Cum enim co[n]stet quia Paracletus Spiritus a Patre [c] semper procedat et Filio, cur se Filius recessurum dicit, ut ille veniat, qui a Filio nunquam recedit? Sed quia discipuli in carne Dominum cernentes, corporeis hunc oculis semper videre sitiebant, recte eis dicitur: *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet*; ac si aperte diceretur: Si corpus non subtraho, quis sit amor [d] Spiritus non ostendo; et nisi me desieritis corporaliter cernere, nunquam me discetis spiritaliter amare.

Petr. Placet quod dicis.

Gregor. Aliquantum jam a locutione cessandum est, ut si ad aliorum miracula enarranda tendimus, loquendi vires interim per silentium reparemus.

[1] Ms. τοὺς ἀσθενεστέρῳ λογισμῷ.

[2] Hoc loco animadvertat lector, verba illa, Φανερὸν οὖν ὑπάρχει, ὅτι τὸ Παράκλητον Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς προέρχεται, καὶ ἐν τῷ Υἱῷ διαμένει, id est, *Aperte igitur patet, quod Paracletus Spiritus a Pa[t]re procedit, et in Filio permanet*; longe aliter legi apud Gregorium Latine, nempe: *Cum enim constet, quia Paracletus Spiritus a Patre semper procedat et Filio*. Ex quo manifeste apparet, a Græcis postea Zachariæ papæ versionem fuisse depravatam, ut bene notavit Joannes diaconus lib. IV de Vita ejusdem B. Gregorii, cap. 75, de Dialogis loquens, his verbis: *Quos libros Zacharias, sanctæ Ecclesiæ Romanæ episcopus, Græco Latinoque sermone doctissimus, temporibus Constantini imperatoris, post annos ferme 175, in Græcam l[i]nguam convertens, Orientalibus Ecclesiis divulgavit: quamvis astuta Græcorum perversitas in commemoratione Spiritus sancti a Patre procedentis, nomen Fil[i]i suaptim radens, abstulerit.* Hæc Joannes diaconus. Hanc censuram attexere curarunt Romani sub Sixto V editores, et alii deinceps. Vide quæ de hoc argumento in [p]ræfatione jam præmisimus num. 26.

[a] In scriptoribus sacris mediæ ætatis, per sanctorum patrocinia sæpe intell[i]guntur reliquiæ; quod pluribus probat Cangius. Sufficiat modo Caroli Magni capitulum quo prohibet servis Dei ad bellum pergere: *nisi illis tantummodo qui propter div. ministerium, missarum scilicet solemnia adimplenda, et sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt.* Tom. II Concil. Gall., pag. 255; cap. 3, tit. 2, Capitulorum selectorum Car. M. Per *patrocinia* reliquias intellexit Zacharias, λειψάνους, λείψανα. Significantur quoque per *patrocinia* sanctorum, ipsorum miracula. Dynamius patricius in Vita S. Maximi Regiensis ep.: *Corpus B. antistitis est humatum in eccl. B. Petri.... quæ postea ipsius nomine appellata est ob crebra ejus patrocinia.*

[b] Primus Carnot., *ut fidem salutis.*

[c] Germ. Norm. et plur., *ex Patre.*

[d] Al., *quid sit amor.*

PRÆFATIO IN REGULAM S. BENEDICTI.

Quanto apud omnes in pretio S. Benedicti Regula A fuerit hactenus, nulli non exploratum esse existimo. Hæc sui vel solo auctoris nomine omni commendatione major, non solum in conciliis *Regula sancta* dicta est, ab eodemque quo sacri canones Spiritu condita, et in omnibus monachorum promulgata cœnobiis, verum etiam ab ipsis sæculi principibus singulari studio perlecta, profitentibus se *ex tam prudentibus sancti Patris præscriptionibus ad populos suæ fidei concreditos valde accommodata media* percipere. Quapropter nullum mihi dubium est quin a piis religiosisque lectoribus cum ea qua par est animi reverentia ac religione suscipiatur, perlegatur, ac memoriæ commendetur.

At vero quam hic exhibeo ejusdem Regulæ expositionem quo vultu, quove animo accepturi sint, res B in ancipiti est: maxime cum id genus argumenti toties hactenus tractatum sit, ut qui illud iterum retractare cogitaverit, is jam actum agere prorsus censeatur. Verum qui me ab hac scribendi ratione deterrere debuerat magnus commentatorum numerus, is ad hoc opus suscipiendum me potius induxit. Nam etsi et ex antiquis et ex recentioribus non pauci, tam auctoritate quam vitæ merito gravissimi scriptores (quales sunt ex antiquis Smaragdus, Hildemarus, Bernardus Cassinensis; ex recentioribus vero Menardus et Haeftenus, viri doctrina et sapientia præcellentes), id magna cum laude exsecuti sunt, unum tamen ad perfectam et absolutam Regulæ notitiam desiderandum videbatur. Cum enim veterum Regulæ commentatorum exemplaria aut perrara sint, C aut in obscuris bibliothecarum forulis, pene incognita, cum blattis et tineis rixentur; ex recentioribus vero nonnulli adeo alienam a mente S. Benedicti doctrinam tradiderint, ut nihil minus quam ejus Regulam explicuisse videantur, illos e tenebris eruere, hos vero aliquo modo revincere, viris aliquot pietate doctrinaque conspicuis operæ pretium visum est. Quapropter cum ejusmodi commentarium pro modulo meo paucis abhinc annis proprios in usus adornassem, iidem mihi auctores fuerunt ut id publici juris facerem: ut tam ex auctoritate veterum, quorum hic testimonia de verbo traduntur, quam ex praxi, quæ legum optima est interpres, appareat quam longe a vero ac genuino sancti Benedicti sensu aberraverint, qui laxiores docent et approbant opi- D niones; simulque perspici possit quid de his sentiendum sit quorum severiores sententiæ, minusque Regulæ discretione præcipuæ conformes, proferuntur.

Nonnullos fortasse moveat frequens ac numerosa veterum auctorum propriis verbis expressio, quæ festinantibus ad ulteriora lectoribus, aut auctorum lectione imbutis fastidium non raro generare solet. Verum cum Regulam S. Benedicti auctoritate et praxi veterum hic fulcire et exponere fuerit animus, fieri vix potuit quin auctoritates et testimonia eorum magno numero non congererem; quæ scribendi ratio etsi animum minus recreet, longe tamen efficacior ad persuadendum videtur, quod unum hic præ oculis habui; neque enim delectandi lectoris, sed ædificandi gratia hæc a me scripta sunt; atque utinam id in aliquibus saltem experiri liceat! Si cui vero commentationes nostræ quidpiam durius, austeriusve, seu restrictius videbuntur exhibere, nemo mihi jure succenseat, qui non meam doctrinam refero, sed sanctorum exempla veterumque testimonia simpliciter expono; non eo quidem animo ut eas traducam et configam observationes quæ tantillum ab exacta et litterali Regulæ intelligentia pro tempore et loco, cogente necessitate, recesserunt. Nam *etsi non ad unguem, ut dicitur, eam totam custodiunt, etsi qua pro sui claustri ritu vel mutant vel prætermittant, a regulari tamen omnino professione non discedunt, donec tamen sobrie et juste et pie pro suorum moribus vivere non desistunt* (*S. Bern. de Præc. et Disp., cap.* 16). Sed e re nostra non erit fortassis alienum, si de his qui suam in Regulam S. Benedicti impenderunt operam brevi disseramus.

Hos inter primus occurrit S. Benedictus abbas Anianensis, omnibus ordinis monastici alumnis singulari veneratione colendus, ab antiquis Benedictus secundus merito appellatus; et certe post sanctum legislatorem nulli secundus. Is, testante Ardone ejus discipulo, *omne desiderium suum in observationem Regulæ converterat, suumque hoc permaxime erat studium, ut nihil intellectui ejus excederet..... et ut ostenderet contentiosis nulla frivola cassaque a B. Benedicto edita fore, sed suam ex aliorum fultam esse Regulam, unum collectis regularum sententiis composuit librum, cui nomen Concordia Regularum dedit, ita ut B. Benedicti præcederet sententia, ei vero rationabiliter convenientes jungerentur deinceps.*

Eo opere non parum profecit Smaragdus, abbas S. Michaelis in agro Virdunensi, in condendo suo super Regulam sanctam commentario, quem non solum ex variis antiquarum regularum sententiis, sed ex diversis insuper SS. Patrum dictis, suppresso auctorum nomine, contexuit, opus tanto scriptore dignum, quamvis in assignando vero et genuino illius parente non omnes consentiant. Nonnulli enim Rabano Moguntinensi archiepiscopo illud ascribunt; sed quam perperam, probat noster Mabillonius in veterum Analectorum tomo II, cujus ad probationes hanc etiam addere licet, quod sub Smaragdi veri auctoris nomine citetur a Gratiano. Eumdem librum Smaragdo Ardoni, Benedicti Anianensis discipulo, tribuit Menardus; et quidem consentiunt nomen, ætas, tempusque auctoris, atque usus Concordiæ Regularum; at refragatur abbatialis dignitas, quam commentarii scriptori tribuunt codices mss., nec assecutus est Smaragdus Anianensis. Alii denique Sma-

ragdum abbatem Luneburgensem hujus commentarii agnoscunt auctorem, qui etiam exstat in Parisiensi S. Germani bibliotheca sub nomine S. Dunstani scriptus; sed illi tardius vixerunt, decimo scilicet sæculo, quam ut eis possit tribui fetus quem longo ante tempore emissum fuisse constat.

Smaragdum excipere debet Hildemarus, Francigena monachus, qui Ludovici Pii imperatoris temporibus florebat. Is ab Angelberto Mediolanensi archiepiscopo accersitus in Italiam, et ad Rampertum Brixiensem episcopum missus, vitæ severioris normam in monasterio SS. Faustini et Jovitæ restituit. Ibi optimum omnium (si quid judico) commentarium in Regulam S. Benedicti composuit, quem Paulo Diacono jam ante annos sexcentos ascripserunt Leo Marsicanus et Petrus Diaconus, astipulantibus Bernardo Cassinensi, et Petro Boherio. At Paulo Diacono recentiorem esse exinde manifestum est, quod citetur in eo celebratum Aquisgrani sub Ludovico Pio concilium, cum tamen Paulus sæculo VIII vivere desierit. Eumdem Ruthardo Hirsaugiensi monacho, Rabani et Strabi auditori ascribit Trithemius; Ruthardo monasterii Eremi B. Mariæ in Helvetiis Menardus. At neque Germanus, neque Helvetus fuit auctor, qui monasterii sui *in Francia* non semel facit mentionem. Eumdem etiam in Augiensi monasterio reperit Mabillonius noster cum hac inscriptione: *Incipit Expositio Basilii abbatis super Regulam S. Benedicti abbatis primitus.* At genuinum Hildemari fetum esse probant Gallicani codices mss. plurimi, maxime vetustissimus ex bibliotheca S. Benigni Divionensis, ab annis circiter octingentis exaratus, cui hæc præfigitur inscriptio: *Incipit Traditio super Regulam S. Benedicti, quam magister Hildemarus monachus tradidit et docuit discipulis suis.* Cui favet epistola ipsius Hildemari, quæ capite 38 integra refertur. Adde quod in caput 14, agens de sanctorum festivitatibus, in exemplum adducit festa SS. Ambrosii, Protasii et Gervasii, Naboris, Nazarii et Celsi, sanctorum diœcesis Mediolanensis, cui præerat Angilbertus, qui Hildemarum ex Francia advocaverat. Denique in Romanis monasterii sancti Pauli Consuetudinibus, ante annos sexcentos descriptis, sub nomine Hildemari hic commentarius laudatur, ut nulli dubium superesse debeat quin vulgata Pauli diaconi nomine commentatio Hildemaro genuino auctori sit vindicanda.

Non multo post, sub finem nimirum sæculi noni, Hugboldus Elnonensis monachus, Remensibus scholis a Fulcone archiepiscopo præfectus, ex diversis SS. Patrum sententiis in unum collectis, expositionem in Regulam S. Benedicti composuit, quæ ms. asservatur in percelebri S. Amandi apud Belgas monasterio.

Subsequentibus duobus sæculis X et XI, vix ullum Regulæ Benedictinæ interpretem reperire est. Nam qui recensentur S. Dunstanus et S. Athelwoldus, non tam Regulam exposuisse quam recognovisse et emendasse, aut in Anglicum idioma transtulisse dicendi sunt. Exeunte tamen sæculo XI, beatus Theuzo, Joannis Gualberti discipulus, et abbas S. Pauli de Razzolo, scripsit in eamdem Regulam commentarium, qui ms. habetur in locupletissima magni ducis Etruriæ bibliotheca.

Paulo fecundius exstitit sæculum XII, in quo quatuor tam pietate quam doctrina insignes Regulæ nostræ expositores sese nobis objiciunt: Rupertus abbas Tuitiensis cœnobii juxta Coloniam Agrippinam, vir in divinis Scripturis a Spiritu sancto per visum eruditus; Petrus Diaconus monachus Cassinensis et bibliothecarius; S. Hildegardis, prima Montis-Sancti Ruperti Bingensis in diœcesi Moguntinensi abbatissa, Bernardo abbati Claræva̧llensi bene nota, cujus scripta ab Eugenio Papa III coram eodem S. Bernardo, episcopis et cardinalibus lecta, in conventu Trevirensi confirmata sunt; ac tandem magister Stephanus Parisiensis. Et quidem duo priores, Rupertus scilicet et Petrus, quatuor hac de re libros scripserunt, S. Hildegardis unicum et brevem, Stephanus Parisiensis item unicum, quem Roffredo Insulano, SS. Marcellini et Petri presbytero cardinali, Cassinensis cœnobii abbati, ejusque fratribus, inscripsit: quod opus manu exaratum asservatur in Ursiniensi Germaniæ monasterio prope Augustam Vindelicorum.

His subjicere possemus Edmundum Stoutton Glasconiæ monachum, et Guillelmum Peraldum ordinis Prædicatorum et episcopum Lugdunensem, qui expositiones in Regulam S. Benedicti scripsisse traduntur in Possevini apparatu sacro. Sed Guillelmi lucubratio aliud nihil est quam optimus tractatus de professione monachorum, tres in partes divisus, qui Parisiis anno 1512, cum tractatu Joannis Nider De reformatione religiosorum, prodiit in lucem. Exstat ms. in bibliotheca S. Germani a Pratis sub nomine Guillelmi Pictaviensis: in Gemmeticensi et Lyrensi absque auctoris nomine.

Venio ad scriptores Cassinenses Bernardum, Nicolaum et Richardum de S. Angelo, quibus annumerare possumus Petrum Boherium, episcopum Urbevetanum, ut pote qui aliquando Cassini et Sublaci versatus sit.

Bernardus natione Gallus, *in Scripturis sanctis studiosus et eruditus, regularis disciplinæ zelosus amator, ingenio subtilis, consilio promptus, sententia solidus, eloquio apertus et compositus*, ut ait Trithemius, *monachus primum et abbas monasterii S. Honorati Lerinensis, in Gallia; deinde jussu Urbani Papæ IV in locum cujusdam Theodini monachi Cassinensis, Acerrarum episcopi electi, de mandato Manfredi Tarentini principis abbas quinquagesimus nonus monasterii Cassinensis creatus anno* 1263, quemadmodum scribit Arnoldus Wion, ac postea S. R. E. cardinalis, ad preces et petitionem Thomæ decani et fratrum Cassinensium, scripsit egregium super Regulam S. Benedicti commentarium, quem tanti fecere posteri, ut illum pene ad verbum transcripserit in suo primo commentario Petrus Boherius, eumque Joannes *de Précis*, abbas S. Germani Parisiensis, Gallico idio-

mate donaverit, cujus versione etiam aliquoties usi fuimus.

Nicolaus de Fractura, Arnoldo Wion dictus *Nicolaus de S. Germano, I. V. doctor monachus primum Cassinensis, deinde abbas monasterii S. Vincentii juxta Vulturnum, anno Domini 1299 scripsit expositionem satis perspicuam et doctam secundum jura canonica et civilia super Regulam S. P. N. Benedicti*, ut testatur idem Arnoldus. Codex quo usi sumus ita desinit: *Explicit Expositio Regulæ S. Benedicti secundum Nicolaum abbatem S. Vincentii, decretorum doctorem, quam exposuit in monasterio Cassinensi, sub anno Domini 1299, sub abbate Gallardo, qui eo tempore monasterio Cassinensi præsidebat.*

Hic liber est scriptus, exponens sit benedictus,
Ut rosa flos florum, sic est liber iste librorum.

Tres Richardos de S. Angelo Regulæ nostræ commentatores reperio. Unum Cassinensem abbatem, teste Placido Cassinensi monacho in Supplemento Virorum illustrium sui monasterii, qui anno 1240 a Gregorio IX creatus est cardinalis. Alterum monachum Cassinensem et postea tempore Cœlestini papæ V abbatem S. Justinæ de Padua, cujus opus laudat aliquando Paulus Augustinus a Janua. Tertium monachum item Cassinensem et præpositum Vallisluris, ac Capellanum Landulfi S. Angeli diaconi cardinalis, cui etiam librum suum dedicavit. Duorum priorum lucubrationes mihi percurrere non licuit, sed tantum tertii, in cujus commentario intacta aliquot capita tanquam omnibus nota, aut a peritioribus exponenda, uti se ipse explicat, reperi, scilicet ab octavo ad decimum nonum.

Petrus Boherius, decretorum doctor, primum abbas monasterii S. Aniani in diœcesi S. Pontii Thomeriarum, et postea episcopus Urbevetanus, post medium sæculum XIV duplicem in Regulam S. Benedicti edidit expositionem: unam ad petitionem fratrum suorum, quam præsidentibus in capitulo provinciali abbatibus obtulit corrigendam et emendandam. De ea ita scribit Trithemius; *Petrus Boherius scripsit super Regulam S. P. Benedicti opus certe laboriosum et commendabile, in quo ipsam Regulam iuri et canonibus pene in singulis verbis concordare ostendit.* Sed cum in ista SS. Patrum scita aliquo modo neglexisset, alteram jam factus episcopus ex variis SS. Pachomii, Basilii, Hieronymi, Cassiani, et ex Vitis Patrum sententiis composuit, quam in sacra S. Benedicti spelunca *corpore collocatus, ministrato candelæ lumine, cum tremore subscribendam* incepit. Hunc secundum commentarium Carolo Franciæ regi nuncupavit, in cujus præliminari ad eumdem Carolum epistola hæc leguntur: *Oro igitur, heros noster et inclyte princeps, eamdem monachorum excipe Regulam, per me tuæ majestatis oratorem humillimum, in specu ubi ipse Benedictus eam edidisse, et in qua diu mansisse pœnitentiæ gratia legitur, sanctorum Patrum dictis salvificis noviter commentatam. Ipsamque enim dextera sacra tua, cum tu ea minime egeas, porrige, precor, abbati venerabili S. Dionysii,*

A *suoque sacro conventui, meis in Christo Patribus, veraque charitate et professione parili fratribus præamandis.* Eamdem etiam Sublacensibus monachis Petrum transmisisse docent versus initio lib i ipsius appositi.

Cassinenses proxime sequuntur plures ex Germania doctissimi gravissimique scriptores, qui suas in exponenda S. Benedicti Regula curas adhibuerunt. In his Joannes Castellensis in palatinatu superiori monachus prope Ambergam, de quo Trithemius: *Joannes monachus Castellensis in diœcesi Eistetensi, vir in divinis Scripturis valde studiosus et sæcularis litteraturæ non ignarus, ingenio subtilis et disertus eloquio, edidit venerandæ lectionis non parva volumina, de quibus ista feruntur: In Regulam S. Benedicti libri*
B *duo*, etc. Idque juxta Wionem anno 1390. Ejus expositio ms. asservatur in monasterio S. Petri Salzburgensis, ad cujus calcem habetur glossa in Regulam eodem auctore, quæ forsitan pro secundo illius libro habenda est. Joannes Keck Tegernsensis in Bajoaria monachus, vir imprimis doctus, qui etiam interfuit concilio Basileensi, ubi coram summo pontifice orationem habuit, eruditum etiam composuit in Regulam S. Benedicti commentarium, quem Gaspari de Grandesen abbati nuncupavit, exstatque ms. in bibliotheca Tegernsensi. Symbolam quoque contulit Joannes Ulitpacher, Mellicensis in Austria monachus, cujus lucubratio ms. asservatur in Weingartensi bibliotheca, cum hac inscriptione: *Commentarius in Regulam S. Benedicti, auctore Joanne*
C *Ulitpacher Mellicensi monacho, post reformationem monasterii sui*, hoc est post annum 142?, quo reformatum est Mellicense monasterium. Exstat etiam in bibliotheca Tegernsensi commentarius alterius Joannis, Mellicensis item monachi, Schlippacher dicti, cujus titulus ita effertur: *Manuale viaticum super Regulam S. P. N. Benedicti, editum per venerabilem Patrem et magistrum Joannem Schlippacher in cœnobio Mellicensi monachum professum. Hoc fac et vives.* Eo usus est Chrysostomus abbas Altahæ Superioris in expositione quam, ut ipse ait, *ex diversis qui super eamdem scripserunt Regulam viris egregiis, videlicet Bernhardo abbate Cassinensi, Stephano Parisiensi, Hildemaro abbate, domino reverendissimo Joanne cardinali dicto de Turrecremata, nec non ma-*
D *gistro Joanne Keck Tegernsensi, Joanne Castellensi, et Joanne Schlippacher Mellicensi, dictæ Regulæ professoribus* collegit. Ea habetur etiam in monasterio Scheyrensi anno 1491, scripta in die S. Marci evangelistæ. Joannes Trithemius abbas Spanheimensis, vir pietatis et doctrinæ non vulgaris, suum commentarium ediderat paulo post annum 1484, quo primum creatus est abbas. Hoc opus reconditiorem viri eruditionem multigenamque SS. Patrum lectionem exhibet; sed quod satis doleri non potest, decurtatum, septem duntaxat continens capita cum prologo, in quibus vix aliquid ad accendendum fovendumque religiosæ disciplinæ studium ac fervorem aptius aut fortius desideres.

His adjicere possemus auctores Hispanos non paucos, qui eo quoque stylum admoverunt. Nam præter Joannem cardinalem de Turrecremata dictum, si Manriquo credimus, in capitulo generali congregationis reformatæ ordinis Cisterciensis anni 1557, injunctum est Lu'ovico de Estrada, insigni verbi Dei concionatori, ut commentarios in S. Benedicti Regulam ederet, quibus abbates in capitulis privatis ad illam exponendam uti possent; quos cum in generalibus comitiis anni 1560 Hispana lingua repræsentasset, jussus est in Latinam vertere, dignos qui legerentur universum per orbem, ut loquitur Manriquus. Ex eadem congregatione Ludovicus Bernardus de Quiros, reformator generalis XXI, scripsit quoque Reipublicæ monasticæ, sive Commentariorum in Regulam S. Benedicti libros duodecim; quos tamen non exstare asserit Nicolaus Bravus, ejusdem congregationis abbas monasterii Olivæ, in notis litteralibus, quas pro genuina Regulæ intelligentia et conscientiæ obligatione typis mandavit Olivæ anno 1618, una cum Lacinia adversus Joannis Caramuelis placita.

Ex congregatione vero Vallisoletana duos habemus superiores generales, quorum unus Latine, alter Hispanice scripsit in Regulam S. Benedicti. Primus Antonius Perezius, qui postea fuit Urgellensis episcopus ac postmodum archiepiscopus Tarraconensis; secundus Alphonsus de San-Vitorez, vir non exigui meriti.

Denique, ut paucis absolvam, commemorare nihil juvat Theobaldum Artaldum, Petrum Crespetium Cœlestinos, et Matthiam Lambertum Alnensis monasterii priorem, qui tres Regulæ Gallicas expositiones ediderunt; nec non et Joannem Berthelium, Joannem Craesbreckum, Columbanum Urancum, pluresque alios, quorum catalogum texuit Benedictus Haeftenus in Disquisitionibus monasticis. Joannem vero Caramuelem quod attinet, tametsi aliquoties ejus verba protulimus, tantum abest ut nobis commendatur, quin potius omni oblivione dignus videatur. Alia est ratio Gerardi Belgæ monachi, cujus pium devotumque commentariolum cum notis edidit Gabriel Bucelinus in monasterio S. Galli. Neque etiam sua laude privandum existimo Julianum Warnerium strictioris observantiæ Cisterciensis ord. generalem, cujus præter Gallicum librum De antiqua praxi Regulæ S. Benedicti, Parisiis anno 1645 impressum, commentarium insuper in eamdem Regulam citat Julianus Parisius, abbas Fulcardi Montis. Sed neque Pauli Augustini a Janua congregationis Cassinensis monachi, qui eamdem Regulam ad mss. Cassinenses recognovit et doctissimis notis exornavit, opus prorsus spernendum videtur. His omnibus duos cæteris longe anteponendos adjicio, Hugonem Menardum, et Benedictum Haeftenum, viros æterna memoria dignos. Primus ex monacho S. Dionysii in Francia, zelo strictioris observantiæ congregationi S. Mauri dans nomen, doctrinam cum pietate ita conjunxit, ut non solum inter perfectissimos monasticæ vitæ cultores numerari debeat, verum etiam et doctissimis ævi nostri scriptoribus æquiparari possit, ecclesiastica, monastica, profanaque eruditione refertissimus. Inter alia quæ plurima edidit, Benedicti abbatis Anianensis Regularum Concordiam publici juris fecit, quam ad plures mss. codices exegit et notis exquisitissimis illustravit. Quo ex fonte hauserunt quicunque momenti alicujus opus aliquod in Benedictinam Regulam post eum scripserunt: maxime vero Carolus Cointius, Oratorii Domini Jesu presbyter, in observationibus ad eamdem Regulam, quam in Annalium ecclesiasticarum Francorum tomo I integram inseruit.

Benedictus vero Haeftenus, Affligemiensis monasterii præpositus, in rebus monasticis quantopere versatus fuerit, probant duodecim monasticarum Disquisitionum libri, opus imprimis laudandum et utile, cui nonnulla si detraxeris correxerisve, nescio an præstantius aliquid in S. Benedicti Regulam exquiras. Edidit insuper commentarium in vitam S. Benedicti, et alia non pauca, quæ sinceram pietatem nec vulgarem eruditionem ex æquo spirant. Ejus Disquisitiones monasticas compendio redactas Augustæ Vindelicorum typis mandari curavit Carolus Stengelius abbas Anhusanus, cujus epitome iis præsertim sufficere posset, quibus per otium minime vacat prolixas Haefteni lucubrationes studiose perlegere. Vivos superstitesque Regulæ commentatores silentio prætermittere animus fuit, ne quis forsitan eorum famæ vel modestiæ non satis a me consultum existimaret. Sed neque defunctos omnes hic a me commemoratos fuisse affirmo, quorum plurimos præsertim manu exaratos curam diligentiamque nostram fugisse non diffiteor.

Ex his omnibus commentarios sex nondum editos ante aliquot annos typis mandare cogitaverat noster Mabillonius, et ex illis continuam et quasi concatenatam Regulæ commentationem facere. Verum cum me aliquid in Regulam S. Benedicti meditari rescisset, ipse, majoribus et utilioribus occupatus, auctor fuit ut saltem illorum concordiam satagerem edere. Id quod tam ex illis quam ex editis longe pluribus, aliisque probatis auctoribus innumeris ita præstare conatus sum, ut quidquid in his alicujus momenti existeret, in hoc uno commentario nostro pene totum comprehenderem. His omnibus addidi praxim qualem in antiquis monachorum regulis, vetustissimis recentioribusque cœnobiorum statutis, consuetudinibus et ordinariis sive manu exaratis sive impressis, et in variis sanctorum actis ac historiis deprehendere potui. Qua in re si quid erravi (quod est humanum), aut forte incautius excidit, candidos lectores precor, ut pro sua benignitate peccatis indulgeant, mendas corrigant et emendent, paratum me semper inventuros certiora docentibus statim et ex animo consentire.

Denique ut in hoc opere nihil quod meum erat desiderari posset, sanctæ Regulæ textum ad mss. codices plurimos emendare studui, maxime ad vetustis-

simum omnium ante annos mille uncialibus litteris scriptum, cujus varias lectiones ex bibliotheca Bodleiana, quæ est Oxonii in Anglia, transmisit ad nostrum Mabillonium V. Cl. Eduardus Bernardus, et ad Narbonensem ante annos nongentos exaratum, cujus varias item lectiones, uti et alterius monasterii S. Sabini Tarbeiensis annorum sexcentorum excepit noster Claudius Stephanotius. Alios etiam quinque consului, nempe duos Parisienses S. Germani a Pratis, tertium S. Cornelii Compendiensis, quartum S. Petri Conchensis, quintum B. Mariæ Lyrensis. Sub idio quoque fuerunt relati a vetustis commentatoribus sacræ Regulæ textus, ab Hildemaro præsertim et Smaragdo Floriacensis monasterii, quorum characteres ad annos minimum octingentos accedunt. Quibus præire debuit Benedicti abbatis Anianensis Concordia Regularum. Nec insuper haberi visum est antiquas editiones, Venetam anni 1489 et Parisiensem, aliasque recentiores Balduini Moreau, Hugonis Menardi, Benedicti Haefteni, et Pauli Augustini a Janua Cassinatis monachi; quod ipsi Regulam ad plures codices mss. diligentissime correxerint: quorum tam editiones quam variantes lectiones non parum lucis et adjumenti conatibus meis attulerunt. Hæc paucis lectores præmonendos existimavi.

TESTIMONIA VETERUM

DE REGULA S. P. BENEDICTI.

Ex libro II *Dialogorum S. Gregorii papæ, c.* 36.

Hoc autem nolo te lateat, quod vir Dei (Benedictus) inter tot miracula quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit monachorum Regulam discretione præcipuam, sermone luculentam. Cujus si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione Regulæ omnes magisterii illius actus invenire; quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere quam vixit.

Ex Concilio Augustodunensi sub S. Leodegario anno 670 *celebrato, can.* 15.

De abbatibus vel monachis ita observare convenit, ut quidquid Canonicus Ordo, vel Regula S. Benedicti docet, et implere, et custodire in omnibus debeant. Si enim hæc omnia fuerint legitime apud abbates vel monasteria conservata, et numerus monachorum Deo propitio augebitur, et mundus omnis per eorum orationes assiduas malis carebit contagiis.

Ex S. Ambrosii Autperti libro De Conflictu vitiorum in fine tom. VI *operum S. Augustini novæ edit.*

Juxta regulam Patrum vivere semper stude, maxime autem secundum S. confessoris Benedicti: non declines ab ea in quoquam, nec illi addas quippiam; totum enim quod sufficit habet: cujus verba atque imperia sectatores suos perducunt ad cœli palatia.

Ex Ludovici Pii imperatoris exhortatione ad Eigilem abbatem Fuldensem electum, in ejus Vita, auctore Candido, sæculo IV *Bened., part.* I.

S. Benedictus Regulam monachorum Spiritu sancto repletus cum magna discretione conscripsit.

Item ex eodem ibidem.

Regulam vero vir Dei Benedictus luculento sermone conscripsit, in qua nihil doctrinæ latentis, nihil obscuritatis comprehendit; quapropter non indiget expositione, sed admonitione. Hæc est enim angusta porta et arcta via quæ sequentes se ducit ad Deum. Hæc sane in tantum discretionem, mensuram et charitatem te docet habere, ut etiam cum charitate hortatus prævaleas ipsa vitia resecare, agere cuncta propter pusillanimes mensurate, discretionem S. Jacob cogitare, et semper in his omnibus fragilitatem tuam tibimetipsi ad memoriam revocare.

Ex Concilio Duziacensi II, *celebrato anno* 874.

Beatus gratia et nomine Benedictus, S. Spiritu inspiratus consona sacris Scripturis et aliorum orthodoxorum Patrum prædicationibus in sua Regula dicit.

Item ex eodem Concilio.

S. Spiritus per B. Benedictum eodem spiritu quo et sacri canones editi sunt, Regulam monachorum edidit.

Ex epistola Leonis archiepiscopi Ravennatis ad Durandum monachum.

S. Benedictus ab eodem Spiritu sancto edoctus, cum se de hac luce revelante Deo sciebat esse transiturum, ad petitionem discipuli sui Mauri, hanc Regulam suis beatis manibus describens, eique tradidit, ut perfecte sciret qualiter se suosque discipulos imbueret.

Item ibidem.

Tu vero, charissime, noli sequi reprobatum (sensum), sed imitare Regulam electam ab electo divo Benedicto editam, a sancto pioque Spiritu dictatam, et a præclaro doctore pontifice summo laudatam, et a perfectis viris imitatam, quæ sectatores suos ad regnum cœlorum perducit.

Ex Joanne monacho in Vita S. Odonis abbatis Cluniacensis.

Thesauros in Regulæ observatione latentes monachis explicavit, nullumque illius apicem, prudenti inconsultum, proficienti inutilem, credenti difficilem, pœnitenti asperum esse, suo et multorum exemplo docuit.

Ex V. Benedicti abbatis Clusensis exhortatione, quæ refertur in ejus Vitæ cap. 4.

Quapropter hortor fraternitatem vestram ut postpositis quibusdam superstitionibus et humanis institutis, quæ ad rem non pertinent, et a vera religione abhorrent, Regulæ S. P. N. Benedicti studiis, in qua omnis evangelica et apostolica perfectio constat, animum ad purum intendatis.

Ex Petri Damiani opusculo 13, *cap.* 7.

Sancta Regula quasi ampla quædam capax et speciosa domus facta est, ad omnia hominum genera capienda, pueros videlicet et senes, fortes et debiles, deliciosos et multimoda morum inæqualitate diversos.

Ex Gaufridi abbatis Vindocinensis sermone de S. Benedicto.

Fuerunt ante sanctum Benedictum abbates et abbatum institutiones, sicut ante Christum legislator exstitit Moyses: bonam quidem et sanctam Judaico populo Moyses attulit legem; sed, sicut Christus Christiano populo contulit meliorem, ita sancti viri illius temporis secundum datam sibi a Deo gratiam monachorum leges statuerunt; sed Pater et legifer noster Benedictus, sicut a Deo majorem gratiam percepit, ita meliorem legem instituit: nam quidquid illi minus vel amplius faciendum prædixerunt vel fieri permiserunt, ipse post illos correxit.

Ex S. Brunonis Signiensis episcopi lib. VI *Sententiarum, cap.* 2, *serm.* 4.

Quid dicam de B. Benedicto, qui tam egregium nobis puteum fecit (per puteum intelligit Regulam), cujus aqua saluberrima atque dulcissima omnibus sitientibus et bibere volentibus refectioni proficit et saluti; nullus post apostolos et evangelistas puteus factus est qui tot homines satiasset et a mortis periculo cunctisque animæ passionibus liberasset.

Dictum Richardi prioris Fontanensis in diœcesi Eboracensi, relatum in epistola Turstini archiepiscopi Eboracensis ad Guillelmum Cantuariensem pontificem.

Quidquid B. Benedictus instituit, ita totum Spiritus sancti providentia destinatum est, ut nihil utilius, nihil sanctius, nihil felicius excogitari posset.

Ex Guerrici abbatis sermone 4 de S. Benedicto.

Moyses ad duritiam cordis Judæorum dedit eis justificationes non bonas, præter pauca moralia; S. Benedictus solam puritatem evangelicam simplicemque morum tradidit disciplinam. Ille tam multa scribit intellectu difficilia, factu impossibilia, vel inutilia; iste rectissimam vitæ scribit Regulam, sermone luculentam, discretione præcipuam.

Ex Gauffridi notarii S. Bernardi ac postea abbatis Clarevallensis homilia in evangelium Ecce nos.

Quod B. Patris nostri Regula docuit, hoc nobis fecit o Evangelii commendat; nec aliud sonuit veritatis præco quam Veritas ipsa prædocuit.

Ex Odonis Cantuariensis monachi epistola ad Adam fratrem suum novitium Igniacensem, Veterum Analect. tom. I, *p.* 349.

O admirabile mysterium, et admirabile sacramentum! Primum testamentum dedit Deus in cordibus hominum, quod vocatum est lex naturalis; quod si servassent, secundo non indigerent. Sed quia novitatum amatores sunt homines, per inveterationem primo testamento neglecto, secundum dedit in circumcisione, quod propter sui novitatem paulo libentius amplexati sunt quidam. Sed hoc iterum inveterato atque neglecto, tertium dedit in baptismo, quod prædestinatum est, ut stet in æternum. Sed quia longa consuetudine inveteratum cœpit ab hominibus paulatim in negligentiam duci, quartum dedit in cuculla, ad cujus novitatem amator novitatum pene totus jam confluit mundus. Post hoc quintum non erit, quia in hoc novo et mirabili modo omnium gentium benedictiones continentur. Quidquid enim religionis et sanctitatis in tribus præcedentibus testamentis continetur, totum in testamento Benedicti constringitur.

Ex S. Hildegarde in Vita S. Disibodi.

Is enim S. Pater Benedictus Regulam quæ spiritualibus hominibus esset accommodata, e sanctorum Vitis Spiritu sancto docente et ostendente condiderat.

Ex ejusdem commentario in Regulam S. P. B.

Ipse S. P. Benedictus in timore et pietate, in charitate et castitate doctrinam suam scripsit; adeo nihil eidem doctrinæ addendum vel auferendum est, quia ei nihil deest, quoniam a Spiritu sancto facta et completa est.

Ex sancti Antonini parte II, *tit.* 15, *cap.* 12, § 2.

Regula S. Basilii satis intricata est. Regula S. Augustini multum generalis et ad particularia parum descendens. Regula S. Francisci brevis, et propterea multa ibi præcepta scrupulis plena; sed Regula sanctissimi Benedicti singula quæque clare describit.

Ex Thomæ Galeti libro qui inscribitur Religiosus cap. 1.

Interrogatus Cosmus de Medicis, magnus Etruriæ dux, cur assidue Regulam S. Benedicti versaret in manibus, respondit istud se facere, quod scilicet ex tam prudentibus S. Patris præscriptionibus, ad populos suæ fidei concreditos valde accommodata media caperet. Is est qui sub eadem Regula ordinem Equitum instituit.

S. P. BENEDICTI
REGULA,
CUM COMMENTARIIS.

PROLOGUS.

1 Ausculta [a], o fili, præcepta magistri, et inclina aurem cordis tui: et admonitionem pii Patris libenter excipe, et efficaciter comple: ut ad eum per obedientiæ laborem redeas, a quo per inobedientiæ desidiam recesseras. Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur [b], quisquis abrenuntians propriis voluntatibus [c] Domino Christo vero Regi militaturus, obedientiæ [d] fortissima atque præclara arma assumis. Inprimis, ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas: ut qui nos jam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat [e] aliquando de malis actibus nostris contri-

[a] Mss. antiquiores, *obsculta*.
[b] Oxon., *dirigetur*.
[c] Al., *voluptatibus*.
[d] Deest *obedientiæ* in Oxon.
[e] Al., *debet*.

stari. Ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est, ut non solum ut iratus [a] pater, non aliquando filios suos exhæredet, sed nec ut metuendus dominus irritatus malis [b] nostris, ut nequissimos servos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum sequi noluerint ad gloriam.

Exsurgamus ergo tandem aliquando, excitante [c] nos Scriptura ac dicente : *Hora est jam nos de somno surgere* (*Rom.* XV). Et apertis oculis nostris ad deificum lumen, attonitis auribus **2** audiamus, divina quotidie clamans quid nos admoneat vox, dicens : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra* (*Psal.* XCIV). Et iterum : *Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis* (*Apoc.* II). Et quid dicit? *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos* (*Psal.* XXXIII). *Currite dum lumen* B *vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant* (*Joan.* XI).

Et quærens Dominus in multitudine populi cui hæc clamat [d] operarium suum, iterum dicit : *Quis est homo qui vult vitam, et cupit videre dies bonos* (*Psal.* XXXIII)? Quod si tu audiens respondeas, Ego, dicit tibi Deus : Si vis habere vitam, *prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Diverte a malo, et fac bonum ; inquire pacem et sequere [e] eam.* Et cum hæc feceritis, *oculi mei super vos, et aures meæ ad preces vestras* (*Isai.* LXV); et antequam me invocetis, dicam vobis : Ecce adsum. Quid dulcius nobis hac voce Domini invitantis nos, fratres charissimi? Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitæ. C

Succinctis ergo fide vel observantia [f] bonorum actuum lumbis nostris et calceatis pedibus [g] (*Ephes.* VI) per ducatum Evangelii [h] pergamus itinera ejus, ut mereamur eum qui nos vocavit in regno suo videre. In cujus regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus curritur [i], minime pervenitur. Sed interrogemus cum propheta Dominum, dicentes ei : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo* (*Psal.* XIV)? Post hanc interrogationem, fratres [j], audiamus Dominum respondentem et ostendentem nobis viam ipsius tabernaculi, ac dicentem : *Qui ingreditur sine macula et operatur justitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, qui non fecit proximo suo malum, qui opprobrium non accepit adversus proximum suum* (*Psal.* CXXXVI). Qui malignum D diabolum aliqua suadentem sibi, cum ipsa suasione sua a conspectibus cordis sui respuens, deduxit ad nihilum, et parvulos cogitatus ejus tenuit, et illisit

A ad Christum. Qui timentes Dominum de bona **3** observantia sua non se reddunt elatos; sed ipsa in se bona, non a se posse, sed a Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant, illud cum propheta dicentes : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII). Sicut nec Paulus apostolus de prædicatione sua sibi aliquid imputavit dicens : *Gratia Dei sum id quod sum* (*I Cor.* XV). Et iterum ipse dicit : *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*II Cor.* X).

Unde et Dominus in Evangelio ait : *Qui audit verba mea hæc et facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram : venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et non cecidit ; fundata enim erat supra petram* (*Matth.* VII). Hæc complens Dominus, exspectat quotidie, his suis sanctis monitis, factis nos respondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum, hujus dies vitæ ad inducias relaxantur, dicente Apostolo : *An nescis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit* (*Rom.* II)? Nam pius Dominus dicit : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII)

Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi ejus, audivimus habitandi [k] præceptum : sed si compleamus habitatoris officium, erimus hæredes regni cœlorum. [l] Ergo præparanda sunt corda et corpora nostra sanctæ præceptorum obedientiæ militatura [m]; et, quod minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum ut gratiæ suæ jubeat nobis adjutorium ministrare [n]. Et si fugientes gehennæ pœnas ad vitam perpetuam volumus pervenire, dum adhuc vacat, et in hoc corpore sumus, et hæc omnia per hanc lucis vitam [o] vacat implere, currendum et agendum est modo quod in perpetuum nobis expediat.

Constituenda est ergo a nobis dominici schola servitii, in qua institutione nihil asperum, nihilque grave nos constituros speramus. Sed et si quid paululum restrictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, vel conservationem [p] charitatis processerit ; non illico pavore perterritus refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio (*Matth.* VII) incipienda. Processu vero conversationis et fidei, **4** dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine, curritur via mandatorum Dei : ut ab ipsius nunquam magisterio discedentes, in ejus doctrina usque ad mortem in monasterio perseverantes, passionibus Christi per patientiam participemur [q], ut et regni ejus mereamur esse consortes.

[a] Al., *iratus.*
[b] Oxon., *irritatus a malis.*
[c] Al., *exhortante.*
[d] Oxon., *exclamat.*
[e] Al., *persequere.*
[f] Oxon., *fidei vel observantiæ.*
[g] Al., *calcatis in præparatione Evangelii pacis pedibus*; al., *calceati in præparatione Evangelii pacis.*
[h] *Per ducatum Evangelii* deest apud Hildem.

[i] Al., *curratur.*
[j] Oxon., *fratres charissimi.*
[k] Oxon., *habitantis.*
[l] Hæc usque in finem desiderantur in cod. Oxon.
[m] Al., *militanda.*
[n] Lyr., *adjutorio ministrari.*
[o] Al., *viam.*
[p] Al., *conversationem.*
[q] Al., *participemus.*

COMMENTARIUS.

Ausculta, o fili.] Omnes hic S. P. Benedictus alloquitur suæ sanctæ Regulæ cultores, quos quatuor potissimum de causis suavi filii nomine compellat dicens : *Ausculta, o fili.* Primo quia tot filiorum spiritalis pater exstitit, quot per suum sanctum institutum Deo peperit monachos; nam, ut dicit S. Dorotheus (*Doctrina* 4, *n.* 6), « Filios vocant sancti viri eos quos a pravitate et malitia ad virtutem et bonam frugem sermone et prædicatione converterunt, ut Apostolus ait : *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* » Unde et S. Basilius eos tanquam veros parentes vult agnosci, qui nos hoc pacto Deo genuerunt : *Parentes*, inquit, *eos qui talis est* (id est monachus) *veros agnoscet, a quibus per Evangelium in Christo Jesu natus est* (*Regul. fus. cap.* 8).

Secundo quod ejus sectando Regulam, sectentur et vitam; et ex receptissima SS. Patrum regula ii veri sanctorum filii censeri debeant, qui eorum imitantur exempla : *Hi filii sanctorum sunt*, inquit Hieronymus, *qui exercent opera eorum* (*Epist. ad Heliod.*); et Augustinus : *Omnis homo cujus opera facit, ejus filius est; si ergo opera Dei facimus, Dei filii sumus* (*Serm.* 286). Unde et Christus in Evangelio Judæos, qui se tantopere Abrahæ filios prædicarent, nec ejus tamen fidem et vitam sectarentur, increpans ait : *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite* (*Joan.* VIII), et Augustinus iterum seu quivis alius : *Similitudinem Patris actus indicent sobolis, similitudo operis similitudinem indicet generis* (*In append. serm.* 312).

Tertio ut singularem erga omnes vereque paternum demonstret affectum, et ut, si qui fortassis adhuc pueri sensibus effecti (neque enim hic eos solos qui jam monasticæ perfectionis culmen attigere, sed et eos maxime qui illud scandere incipiunt, imo eos qui id sibi proponunt, alloquitur), quos disciplinæ rigor ita deterreat, ut ejus jugum tanquam asperum ac grave nimis refugiant, hos tam suavi, tam miti compellatione, ad illud fortiter subeundum secundat. Sic non insolito apud homines more parvulos, et omnes **5** quoscunque ad ea quæ concupiscunt pertrahere desiderant, filios appellare consueverunt. Quo etiam vocabulo usos nonnunquam veteres monachos, forte in signum puerilis illius simplicitatis quam veri monasticæ perfectionis æmulatores profitentur, constat ex Vitis Patrum passim.

Quarto denique suos S. Benedictus appellat filios, ut pote qui non ut dominus supremum in eos imperium exercere, sed tanquam pius pater eos regere, et ad æterna cœli gaudia perducere cuperet.

Præcepta magistri.] Præcepta dicit ea quæ tota passim continentur in Regula, ut sunt voluntaria paupertas, abstinentia a carnibus, silentium fere perpetuum, et alia his similia, quæ sæcularibus quidem sunt monita, nobis vero monachis evaserunt in præcepta : « Omnia S. Benedicti instituta, inquit S. Bernardus (*De Præcepto et dispens. cap.* 1), exceptis sane nonnullis de spiritalibus, verbi causa, charitate, humilitate, mansuetudine, quæ non tam constat ipsum instituisse quam Deum, et ob hoc penitus non sunt mutanda; de cætero reliqua universa non profitentibus monita tantum, seu consilia censenda sunt, cum tamen profitentibus in præcepta, prævaricantibus in crimina fiant; sive ut vestra vobis reddam, illis voluntaria vel factitia, istis necessaria et tanquam naturalia non immerito reputantur.

Et inclina aurem cordis tui.] Id est intellige quæ jam dicturus sum; auris quippe cordis est intelligentia : « Auris ab audiendo vel hauriendo vocatur, inquit Smaragdus; auris autem corporis hominis voces; cordis autem auris intellectum haurit sermonis; » et sane frustra pulsatur auris corporis, nisi sonus verborum exterior ad interiorem cordis intelligentiam perveniat; vel etiam auris cordis est affectus, desiderium et promptitudo audiendi; ita ut cordis aurem inclinare aliud nihil sit quam tota mentis aviditate, toto desiderio, maxima animi attentione præcepta docentis audire.

Et admonitionem pii Patris libenter excipe.] Libenter, id est sponte et animo, magno cum gaudio, sic denique pii Patris monita excipe, ut nulla unquam ea delere possit oblivio.

Quærunt autem quis ille magister cujus audire præcepta, quis pius ille Pater cujus consilia libenter excipere jubet S. legislator? Respondent nonnulli alium prorsus non esse ab ipso Spiritu sancto, quo afflante ac dictante suam S. Benedictus exaravit Regulam. Et certe quis æstimet tantæ humilitatis virum qualem fuisse S. Benedictum nullus sane dubitaverit, *pii Patris* ac *magistri* titulum sibi adsciscere voluisse? Maxime cum Christus in Evangelio patrem sibi super terram vocare discipulis prohibuerit, neve magistri appellarentur; unum scilicet in cœlis nobis esse patrem, unum magistrum. Audiendus hac in re Petrus Damiani de S. Benedicto loquens in hæc verba (*Opusc.* 13, *cap.* 6) : « Quod in ipso libri principio manifeste colligitur, si ad quem sua verba *Spiritus sanctus* dirigat, subtiliter attendatur : *Spiritum* **6** *sanctum* dico; neque enim vir sanctus tantæque cultor humilitatis protinus in hæc verba prorumperet, magisterii cathedram, et præcipue pii Patris sibi privilegium usurparet, dicens : *Ausculta, o fili, præcepta magistri, et inclina aurem cordis tui, et admonitionem pii Patris libenter excipe*; sed ille servum propriæ vocis organum fecit, qui similiter in ipso vaticinii incipientis exordio clamare per Isaiam cœpit : *Filios enutrivi et exaltavi.* » At licet S. Benedictus pro summa quæ in eo enituit humilitate, et pii patris, et magistri titulum respuerit, hunc tamen omnes pro summa ejus sanctitate, et in rebus monasticis experientia et doctrina ipsi facile concedunt, atque inter alios S. Gregorius papa (*Lib.* IV, *cap.* 4), seu quivis alius auctor commentarii in libros Regum, ubi eum *arctissimæ vitæ magistrum optimum* appellat.

Et efficaciter comple.] Hoc est superata quamcunque offendes difficultate; offendes enim, audita Domini præcepta exsequere. Tria ergo a discipulis hic requirit *arctissimæ vitæ magister optimus* et doctor; nam, sicut tria sunt præcipue docentis munia, ut scilicet doceat, delectet et flectat, ut scribit Augustinus (*Lib.* IV *de Doctrina Christ., cap.* 12); ita tria sunt etiam discipulorum auditorumque officia, ut nempe auscultent docentem, libenter excipiant delectantem, et efficaciter compleant id ad quod flectit orator, quæ tria respexisse visus est S. Augustinus loco citato, cum de docente sic ait (*Ibid., cap.* 15) : *Agat ergo, cum ista dicit, ut intelligenter, libenter, obedienter audiatur.* Verum, sicut docere et delectare parum est, ni etiam flectat orator, ita etiam intelligere et memoria retinere quæ semel audita sunt nihil prodest, nisi opere compleantur; *non enim auditores legis, sed factores justificabuntur.* Satius omnino fuisset, viam vitæ, nisi ambulemus in ea, nunquam agnovisse; cessat quippe tunc omnis excusatio, et reos nos propria conscientia constituit : *Si non venissem*, inquit Christus, *et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.* Audiamus plane terribilem Apostoli sententiam : *Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod traditum est illis sancto mandato* (*II Petr.* II): Deus sane per prophetam dicit, quod verbum suum non revertetur ad se vacuum, sed prosperabitur, et faciet illud, ad quod misit illud (*Isa.* LV). Ut ergo verbum Domini non redeat ad se vacuum, bonis operibus illud implere satagamus : « Non revertetur ad me vacuum, inquit S. Bernardus (*Serm.* 71 *in Cant., n.* 13), vel jejunum, sed quasi prospere in omnibus agens, saturabitur bonis actibus eorum qui in dilectione acquiescent illi. Denique usu loquendi sermo impletus tunc dicitur, cum fuerit mancipatus

effectui, quod videlicet tandiu inanis, et macer, ac quodammodo famelicus sit donec onere compleatur. » Merito ergo S. Hieronymus (*Ep.* 14 *ad Celant.*): « Nec sufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere, et operibus oblivisci, sed ideo illa cognosce, ut facias quidquid **7** faciendum didiceris; non enim auditores legis justi erunt, sed factores legis justificabuntur; » et S. Benedictus ; *efficaciter comple.*

At forte movebit aliquem quod omnes hic S. P. Benedictus alloquens, qui exstiterunt Regulæ sanctæ profitentes, quasi tamen ad unum duntaxat sermonem dirigeret, dicit : *Ausculta, o fili, præcepta magistri*, etc. Sed individuam hac loquendi ratione sanctos inter monachos commendat unitatem, quorum cor unum et anima una, quorum, inquam, etsi multa sint corpora, non tam n mu'ta sunt corda; et de quibus, ut dicit S. Augustinus (*In Psal.* CXXXII), egregie Psal.es regius cecinit : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum!* et S. Basilius (*Const. monast. cap.* 19) : « Homines ex variis generibus et locis moti ad tantam similitudinis perfectionem conglutinati sunt, ut anima una in multis corporibus consideretur, et multa corpora unius animi organa spectanda exhibeantur. » Atque hanc nobis expositionem subministrat S. Odo Cluniacensis abbas, cujus hæc verba (*Serm. de sancto Bened.*) : « Monachorum gregem sicut voluntarie auditu auris obediente in quasi una persona (*supple* esset), propter unum cor alloquens filium nominat. » Vel etiam quia, sicut omnes per totum orbem Christi fideles nonnisi unum mysticum corpus, scilicet Ecclesiam efficiunt, ita et omnes monachi, licet numero multi, natione longe diversi, nonnisi unum constituunt corpus, cujus alii capitis, alii pedum, alii manuum vices referunt, ut docet S. Dorotheus (*Doct.* 6) : « Quid vobis videntur esse cœnobia? inquit ; nonne unum videntur esse corpus et invicem membra? Qui autem administrant et gubernant, capitis loco habentur ; qui vero speculantur et corrigunt, oculorum vicem tenent; at qui sermone prosunt, oris munere funguntur ; qui obediunt, aurium loco putantur; qui opera exercent, manibus comparantur; qui reddunt responsa, et huc atque illuc ad ministeria diriguntur, vicem exsequuntur pedum. »

Ut ad eum per obedientiæ laborem redeas a quo per inobedientiæ desidiam recesseras. Quid dulcius hac voce, fratres charissimi? Ecce hic præclare dux noster nobis « proponit certamen, modum certandi, meritumque vincenti, ut loquitur Tritbemius. In eo namque quod ait *laborem*, certamen denotat; *obedientiæ*, modum; *redeas*, meritum. » Ecquid nobis suavius, quid utilius reditu ad Deum proponi posset? imo quid Deo ipsi optabilius? « Quid enim, inquit S. Augustinus, Dominus quærit a te, nisi te? Quia in omni creatura terrena nihil melius fecit te, quærit te a te, quia tu perdideras te. » Sed qua ad ipsum redibimus via? non alia plane ab ea quam hic, sicut alibi S. legislator indicat dicens : *Scientes se per hanc obedientiæ viam ituros ad Deum.* Hæc est via, ambulemus in ea; unde Petrus Damiani (*Serm. de Exalt. S. Cruc.*) : « Depulsus est homo, inquit, ab illa felici hæreditate, exsilium sortitus est pro patria, mortem pro vita, pro gloria ignominiam : si vis **8** ergo ad tuam hæredi tatem reverti, tuam abnega voluntatem. Abnegatio igitur voluntatis hæreditatis est recuperatio ; » et S. Bernardus (*Serm.* 64 *de divers.*) : « Hæc est virtus quæ animam perfecte Deo subditam, sub umbra alarum ipsius secure facit vivere. »

Quod autem non obedientiam simpliciter, sed *obedientiæ laborem* dicit, declarat non adeo facilem, sed multum laboriosam rem esse obedientiam; quod confirmat S. Gregorius papa homil. 32 in Evangelium hæc scribens : « Fortasse non est laboriosum relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semetipsum ; minus quippe est abnegare quod habet, valde autem multum abnegare quod est. » Hinc plane vox illa cœlestis : *Melior est obedientia quam vi-*
A *ctimæ* (*I Reg.* XV); quia, inquit, S. Gregorius, « per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur. » Sed ne nos tantus labor deterreat, propositum labori præmium intueamur, et facile videbitur omne difficile : promittitur autem reditus ad Deum, *ut ad eum per obedientiæ laborem redeas.* O merces! O præmium!

A quo per inobedientiæ desidiam recesseras.] A Deo recessimus cum per divini mandati prævaricationem in Adam omnes peccavimus, vel cum propriis nos reatibus et inobedientiis principi tenebrarum mancipavimus. Signanter vero dicit *inobedientiæ desidiam*; quibus verbis docet eos vere desides censendos esse et pigros qui, transgredientes mandata Dei, nec Deo nec propriæ laborant saluti; licet enim multi multa operentur, hæc nisi ad Deum puro ac sincero mentis affectu referant, non opera, sed operum destructiones rectius existimaveris. Præclare omnino Guillelmus abbas monasterii S. Theodorici ad Carthusienses
B monachos scribens (*De Vit. solit. ad fratres de Monte Dei, cap.* 8) : « Otiosum non est vacare Deo, imo negotium negotiorum omnium hoc est; quod quicunque in cella non agit fideliter et ferventer, quodcunque agit, quod propter hoc non agit, scilicet ut Deo serviatur, in eo quod agit, otiatur. »

Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus. Sicut nullus in Ecclesia fidelis admittitur quin prius diabolo, pompis et operibus ejus abrenuntiaverit, ita nec ullum in claustro monachum qui propriis non abrenuntiet voluntatibus, S. P. Benedictus introduci voluit, ut post Hildemarum recte notavit Bernardus Cassinensis. Ex his ergo liquet quem sibi scopum in Regula S. legislator, quem sibi finem proposuerit, obedientiam scilicet seu propriæ voluntatis abnegationem, ut docet imprimis S. Petrus Damiani, cum dicit (*Opusc.* 13, *cap.* 6): « Videamus cum scribere incipit (S. Benedictus) quibus verba dirigit, ad quod hominum genus omnem vim secuturæ elocutionis intendit ; ait enim : *Ad te ergo*
C *nunc meus sermo dirigitur*, etc. » Refert hic integrum Regulæ textum, tum subdit : « Quantum ergo ex S. viri verbis colligere possumus, magis ad discendam obedientiam **9** quam ad peragendam pœnitentiam Regulæ hujus schola cognoscitur instituta, non ut, sive peccatores, sive justos excludat, vel unum genus hominum respuat, sed quia omnem vim et intentionem ad edocenda obedientiæ præcepta constituat. » Et sane cum cœnobitarum monachorum fortissimum genus sibi disponendum proposuerit S. Pater, non alium prorsus ab ipso cœnobitarum fine intendere debuit; quis autem ille sit docet apud Cassianum abbas Joannes his verbis (*Collat.* 19, *c.* 8) : « Finis cœnobitæ est omnes suas mortificare et crucifigere voluntates ; » et Severus Sulpicius (*Dial. lib.* I, *c.* 5) : « Hæc illorum prima virtus parere alieno imperio; » tandem S. Hieronymus de Cœnobitis scribens : (*Epist.* 22) : « Prima, inquit, apud eos confœderatio, est obedire majoribus, et quidquid jusserint facere. »
D Eadem habet Regula S. Posthumio ab angelo tradita, n. I, prout exstat in ejus Vita, cap. 8. Hinc vix ullum in tota S. P. Benedicti Regula caput exstat in quo obedientiam aliquo modo non commendet, ut facili negotio demonstrare possemus, nisi id muneris ante nos obiisset vir doctissimus Benedictus Haeftenus in Disquisitionibus monasticis l. II Catech. monast., part. 2, disquisit. 12. Unde etiam Christus Dominus apud S. Brigittam (*Revel. lib.* IV, *c.* 127) : « Ille, inquit, est monachus Benedicti, qui plus obedit Regulæ quam carni. » Ex quibus omnibus liquido patet, quam apposite ad hunc locum Joannes Trithemius dixerit : « Ante omnia tanquam titulum audientis præmittit abnegationem propriæ voluntatis, quia nihil partis habet in hac Regula, qui adhuc propriis deservit voluntatibus ; monachus enim qui non dimisit propriam voluntatem, non est quod dicitur ; imo irritator est Dei : primum namque instrumentum monachi, est abdicatio propriæ volun-

tatis, sine quo nullus monachus est. Relinque igitur propriam voluntatem, si vis monachus fieri. »

Domino Christo vero regi militaturus.] Ergone milites sumus, aut militia est professio nostra? Ita plane; nam *militia est vita hominis super terram*, quod potiori jure de monachorum vita affirmaveris, quorum omnis vita in conflictu et tentatione transigitur. Quare Scriptura: *Fili*, inquit, *accedens ad servitutem Dei sta in justitia, et præpara animam tuam ad tentationem*; quod usque adeo verum est, ut Petrus Blesensis dixerit (*Epist.* 134): « Scio quia sine tentationibus vix hora dimidia claustralis vita transigitur. » Hinc adversus superfluas sæculi cupiditates voluntaria paupertate, illinc adversus male delectantes carnis illecebras inviolata castitate, isthinc adversus superbas dæmonum suggestiones humili obedientia, adversus inconstantis animi levitatem stabilitate, denique adversus omnia vitia morum conversione jugiter decertandum, ut plane de nostris cœnobiis dicere sit: *Castra Dei sunt hæc.* Quid enim sic ea cum Petro Venerabili vocare vetat? « Claustralium, inquit (*Lib.* I, *epist.* 20), communiter viventium cohabitatio castrorum ad pugnam ordinatorum multitudini videtur comparari, ubi quisque tanto securius adversus adversarium dimicat, quanto sibi vicinius adjutorium de commilitonis dextera sperat; » et alibi ad S. Bernardum **10** scribens (*Lib.* I, *epist.* 23): « Promittitis secundum Regulam B. Benedicti vos in castris cœlestibus militaturos. » Porro his in castris duplicis generis sunt milites, ut observat Haeftenus (*Lib.* II *Disq. catech. monast. part.* 2, *disq* 3): alii qui in acie pugnant, alii qui ad singulare certamen descendunt. Prioris generis sunt cœnobitæ sub regula vel abbate militantes; posterioris anachoretæ, qui bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi descendunt.

Obedientiæ fortissima atque præclara arma assumis.] S. Benedictus obedientiæ arma *fortissima* appellat, quia revera nihil obedientia fortius, cujus præsidio monachus loquitur victorias, « dum de diabolo per obedientiæ bonum, de mundo ac de seipso triumphat in Christo, » inquit Petrus Blesensis (*Epist.* 134); hinc et S. Gregorius (*In lib. Reg. l.* IV, *cap.* 10), seu quivis alius: « Cum hominibus pro Deo subjicimur, superbos spiritus superamus: cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus; per obedientiam vincimus: victores sunt ergo qui obediunt, quia dum voluntatem suam aliis perfecte subjiciunt, ipsi lapsis per inobedientiam angelis dominantur. » Merito ergo S. Joannes Climacus (*Grad.* 4): « Quemadmodum, inquit, arbores a ventis agitatæ altiores radices agunt, ita qui sub obedientia decertant, fortes et invincibiles redduntur. »

Sed non solum *fortissima*, verum etiam *præclara* obedientiæ arma dicuntur, quia præclaros nos et illustres ex reportatis de tot ac tantis hostibus victoriis efficiunt, mirandum Deo, et angelis, et hominibus spectaculum factos; vel quia virtute nihil pulchrius: « Quæcunque virtuosa sunt, inquit Boherius, possunt dici præclara; » citatque Hieronymum ad Celantiam hæc scribentem: « Summa quidem apud Deum nobilitas est, præclarum esse virtutibus. »

Imprimis.] Id est ante et super omnia, vel, ut explicat Smaragdus, *in primis*, id est in initio conversationis et inchoationis boni operis; quo tamen loquendi modo reliquum vitæ ipsiusque operis tempus haudquaquam excludit.

Ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas.] Quod S. Pater non sic dicit, quasi aliquid boni a nobis incipi posse, ut quondam voluerunt Semipelagiani, sentiret; nam et discipulos jubet bonum aliquod in se cum viderint, Deo applicent non sibi, et infra Deum ipsum ita loquentem inducit: *Et antequam me invocetis dicam, Ecce adsum.*

Ut qui nos jam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari. Hic reddit rationem cur bonum ali-

A quod inchoando, illud a Deo perfici instanti oratione postulare debeamus, scilicet ne Deo non orantibus nobis gratiam justissime subtrahente, male operemur, et sic malis actibus nostris eum contristemus, qui nos jam in filiorum numero computare dignatus est: ubi duplici nos motivo ad orandum impellit, uno amoris, altero gratitudinis: **11** amoris, quo ut veri filii malis actibus Deum offendere et contristare timeamus; gratitudinis, in eum qui nos in filiorum dignatus est numero computare; quibus verbis etiam et immensam erga nos Dei bonitatem, et summam hominis dignitatem commendat: bonitatem Dei, qui nos in filiorum dignatus est numero computare, de qua Joannes apostolus: *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur et simus*; et Smaragdus in hunc locum: « Magna dignatio Dei Patris! nos in servorum esse numero non meremur, ille nos in filiorum numero computare non dedignatur: grandis, inquam, dignatio est, ut cum simus naturaliter filii

B iræ, et ab infantia peccatores, filii Dei misericorditer vocemur. » Summam vero hominis dignitatem, ut qui natura sumus filii iræ, per gratiam fiamus divinæ consortes naturæ. Utrumque agnoscebat venerabilis Gerardus Clarevallensis monachus et frater S. Bernardi abbatis, qui, ut ipse refert, extremum exhalaturus spiritum, exclamabat (*Serm.* 26 *in Cant.*, *n.* 11): « Quanta dignatio Dei, Patrem hominum esse! quanta hominum gloria, Dei filios esse et hæredes! nam si filii, et hæredes. »

Quod autem hic dicitur Deus contristari, non sic capiendum quasi immutabilis per naturam, apud quem non est transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio, passionibus obnoxius foret: sed quia homines hic alloquitur, humano etiam loquitur modo, et quoniam contristati solent homines a quibus injuriam acceperunt secedere, eosque solitis privare beneficiis, sic cum peccatores deserit Deus, et quas solet effundere subtrahit gratias, tunc contristari dicitur,

C sicut irasci cum punit.

Ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est.] Parendum, id est serviendum, ei, scilicet Deo, et quidem de bonis suis, idque omni tempore. *De bonis*, inquit, *suis*; quidquid enim boni habemus, ab eo tenemus cujus misericordia sumus: unde et vulgata illa sententia: Cum Deus coronat merita nostra, coronat dona sua; et S. Bernardus (*Serm.* 23 *super Cant.*): « Hominis justitia Dei indulgentia est; » et ex Petro Damiani (*Serm.* 12): « Dicuntur justitiæ Domini opera justorum, unde et ipsi justi appellantur, quia *omne datum optimum*, *et omne donum perfectum desursum est a Patre luminum: quid enim habes, quod non accepisti?* » Ergo de bonis et donis Domini serviamus illi: serviamus de corpore, quod ab eo benigne concessum est, ut membra ejus quæ sunt super terram mortificantes, superflua ejus desideria resecantes, carnem spiritui subjicientes, suave Christi jugum et onus ejus leve fortiter subeamus; serviamus ei de anima, quam sola voluntate

D creavit, ut summas ejus perfectiones jugi meditatione contemplantes, ejus beneficia memoria retinentes, ipsumque sincero atque intimo cordis intuitu complectentes, divinæ majestati jugiter inhæreamus; serviamus ei de præceptis, de consiliis, de internis illis illustrationibus motionibusque quas animæ misericorditer inspirat, ut voluntates ejus fideliter exsequentes, debitum servitutis obsequium **12** exhibeamus. Idque, ut ait S. P. Benedictus, *omni tempore*, quod Smaragdus et alii communiter post eum interpretes intelligunt sive in prosperis, sive in adversis, hoc est per totam vitam. In quo redarguas eos qui ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt, qui cum non nihil temporis sub suavi Christi jugo in monasteriis egerint, aut ad officium dignitatemve aliquam assumpti fuerint, tunc secum factum esse putant, nec se ad communia fratrum exercitia astringi, quod cum gravi animi dolore quibusdam in

mœnobiis videmus. At non sic plane S. Benedictus, non sic, sed omni, inquit, tempore de bonis suis in nobis Domino parendum est. Ergo « *sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris,* » *ut is sit terminus obedientiæ qui est vitæ*, ut cum S. Bernardo loquar. Notanda prorsus hunc in locum Hildemari verba : « Egregia, inquit, admonitio est, cum dicitur : Omni tempore, quia ubi dicitur servitus Dei, monetur ea omni tempore esse; nam hominis servitus non potest omni tempore esse, sed per intervallum temporis. »

Ut non solum ut iratus pater non aliquando filios exhæredet.] Irascitur Deus cum punit, punit vero cum improbos filios pius pater exhæredat : gravissima prorsus pœna, ut qui hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi per adoptionem filiorum effecti sunt, in pœnam admissæ in patrem offensæ, cœlesti priventur hæreditate.

Sed nec ut metuendus Dominus irritatus malis nostris, ut nequissimos servos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum sequi noluerint ad gloriam.] Similiter Deus hic irritatus dicitur, cum nequissimos servos perpetuam tradit ad pœnam, non solum propter peccatum, sed propter peccatum ex malitia commissum; « Plus enim est irritatus quam iratus, inquit Hildemarus; nam ille irritat, id est provocat, qui ex studio malæ voluntatis alterum facit irasci. Nam irasci facere potest, qui simpliciter peccat. »

Exsurgamus ergo tandem aliquando.] Justa ac legitima ex præmissis illatio; si enim malis actibus nostris contristatur Deus, si pater iratus filios exhæredat, si metuendus Dominus nequissimos servos perpetuam tradit ad pœnam; quid, nisi hæc serio cavenda, inferendum est? Quare *exsurgamus ergo*, inquit, *tandem aliquando*; qua loquendi ratione denotat nullum non esse pœnitentiæ tempus; etsi enim bonum sit viro, cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua, non ideo tamen omnis prorsus spes est abjicienda, si vel ad virilem ætatem aut ad senectutem usque suam quis distulerit conversionem : nam et paterfamilias hora etiam undecima operarios ad vineam mittendos conducit, quos in præmiorum retributione pares facit iis qui pondus et æstum diei pertulerint; quamvis periculosum sit omnino diutius ad Dominum conversionem differre, ut docet S. Augustinus serm. 87, de Scripturis, insinuatque hic S. P. Benedictus, **13** qui non simpliciter dicit ut *surgamus*, sed ut *exsurgamus*, id est sine mora surgamus, ut exponit Hildemarus, sive, ut aiunt Bernardus Cassinensis et Petrus Boherius, *surgamus cum effectu.*

Excitante nos Scriptura ac dicente : « Hora est jam nunc de somno surgere. »] Jam nunc, id est eo ipso quo loquor tempore, sine ulla prorsus dilatione : quia, ut dicit apud Cassianum abbas Germanus (*Collat.* 17, *cap.* 5), « ad profectum spiritualium rerum, virtutemque tendentibus periculosa ac noxia est et parva dilatio; » et, ut ait S. Ambrosius (*In c.* I *Luc.*), « nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. »

De somno surgere.] Somno hic torpor negligentiæ designatur, ut exponit S. Gregorius papa (*L.* v *Mor.*, *cap.* 22).

Et apertis oculis ad Deificum lumen.] Lumen Deificum est ipse Salvator Christus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quique de seipso dicit : *Ego sum lux mundi.* Lumen Deificum est ipsa sacra Scriptura, de qua Psaltes regius : *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Lumen Deificum est superiorum magistrorumque doctrina, nam *qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates* (*Danielis* XII). Denique lumen Deificum est interna Spiritus sancti inspiratio. Apertis ergo oculis ad Deificum lumen, scilicet ad Christum, cujus exempla vitaque viam salutis demonstrant; ad sacram Scripturam, cujus veritas nos docet; ad superiorum monita, quorum nos exhortationes illuminant; ad ipsam S. Spiritus inspirationem, cujus internæ illustrationes mentis nostræ tenebras fugant : apertis, inquam, oculis, id est relicta veteri conversatione, mentisque torpore discusso, vitiis peccatisque penitus deletis; « tunc enim dicitur quis aperire oculos, cum liberatur a peccato, quia per peccatum dividitur aliquis a lumine, scilicet Christo, » inquit Richardus de S. Angelo. Recte autem postquam dixit: Hora est de somno surgere, subjungit : Et apertis oculis, etc.; quia prima hominis a somno excitati operatio est aperire oculos.

Attonitis auribus.] Scilicet mentis. Attonitis, id est attentis, « quasi ad verba tonantis attentis, vel attonitis, id est ad tonum intentis, » inquit Bernardus Cassinensis, et post eum Boherius; seu potius attonitis, id est territis, et præ stupore ad tantam vocantis nos Dei benignitatem mirantibus.

Audiamus divina quotidie clamans quid nos admoneat vox.] Vocem *divina* duobus possumus modis intelligere: 1° in neutro genere, quasi diceret res divinas, seu Deum sapientes, ita ut sensus sit : Audiamus quid vox quotidie clamans res divinas nos admoneat; 2° in feminino, referendo *divina* ad *vox*, quasi diceretur: Audiamus quid vox divina quotidie clamans nos admoneat. Clamat autem vox divina per verbum Patris, scilicet Christum, cujus verba in Evangelio; clamat per ora prophetarum, quorum oracula in sacris paginis; clamat per ora apostolorum, quorum doctrina in **14** eorum Epistolis in Ecclesia quotidie legitur; clamat per vitam et exempla sanctorum, quorum actus in collatione ante completorium recitantur; clamat per exhortationes SS. doctorum, juxta illud : *Qui vos audit me audit;* clamat per creaturas, quarum beneficio res divinæ, imo Deus ipse nobis innotescit; clamat denique per os David dicens :

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.] Nihil enim obdurato corde deterius, cujus sinceram nobis similitudinem repræsentat S. Bernardus his verbis (*Lib.* I *de Consid.*, *cap.* 2) : « Quid est cor durum? ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus : minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviscens, præsentia negligens, futura non providens; ipsum est cui præteritorum præter solas injurias nihil omnino non præterit, præsentium nihil perit, futurorum nulla nisi forte ad ulciscendum prospectio seu præparatio est, et ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. » Fœda sane, genuina tamen, et viva obdurati cordis imago, quam in se perversa peccandi consuetudine, cœlesti deleta, exprimit peccator; ex quo fit, ut tanquam montes Gelboe nec rorem divinæ gratiæ, nec pluviam excipiat, nec ullas Solis justitiæ illustrationes; aut, si quis forte divinus radius illuxerit, non emolliat, sed lutosum potius cor obduret, sicut patratis a Mose miraculis obduruit Pharao. Ergo ne nos tantæ calamitatis tam profunda abyssus absorbeat, *hodie si vocem Domini audieritis noli e obdurare corda vestra.* « Quantæ enim temeritatis et insaniæ est, ait S. Bernardus (*Serm.* 23 *de divers.*), si forte dum alloquitur nos Dominus majestatis, nos insensati avertamus aurem, et ad nescio quas animum ineptias convertamus! Quanta est hæc injuria, et quam graviter vindicanda, cum vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignatur creatorem universitatis? Quanta vero, et quam ineffabilis divinæ dignatio bonitatis, quæ quotidie conspicit nos infelices, avertentes aures, obdurantes corda, et nihilominus clamitat ad nos! »

Et iterum : Qui habet aures audiendi audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.] Aures audiendi sunt mu-

gnum audiendæ veritatis, cum sincera illius sectandæ voluntate, desiderium. Quid Spiritus, scilicet Spiritus sanctus, dicat Ecclesiis, id est cunctis Christi fidelibus, ex quibus tanquam vivis lapidibus una construitur Ecclesia. Notat porro Rabanus (*Super Mat.*) quod « quoties hæc admonitiuncula, » nempe : *Qui habet aures audiendi audiat*, « vel in Evangelio, vel in Apocalypsi Joannis interponitur, mysticum est, quod dicitur, atque ad audiendum discendumque salubre insinuatur. »

Et quid dicit? Venite, filii, audite me.] Venite, charitatis nimirum gressibus; « Pedes tui, inquit S. Augustinus (*In psal.* XXXIII), charitas tua est; duos pedes habeto, noli esse claudus. Qui sunt duo pedes?
15 duo præcepta charitatis, Dei et proximi; his pedibus curre ad Deum, accede ad illum, qui et ut curreres ipse hortatus est. »

Timorem Domini docebo vos.] Recte omnino, quia, ut dicit S. Ambrosius (*Lib.* I *in hexam.*), « qui timet Dominum declinat errorem, ad virtutis semitam vias suas dirigit; nisi enim quis timuerit Deum, non potest renuntiare peccato; » et S. Bernardus (*Serm.* 54 *in Cant.*) : « In veritate didici nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. »

Currite.] Apposite admodum postquam vocantem nos ad se induxit Spiritum sanctum, monet ut curramus ad eum, qui vocavit nos; neque enim gradu lento, sed velut gigantes ad currendam viam exsultantes ad Deum accedere oportet, ut pote qui omnis moræ sit impatiens.

Dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant.] Hæc verba duplicem possunt sortiri intellectum, mysticum et litteralem. Secundum mysticum sensum lumen vitæ est ipsa gratia, per quam veræ via vitæ nobis innotescit; vel lumen vitæ est ipse Christus Dominus, vera lux mundi, vera animæ nostræ vita; quod lumen habemus cum per gratiam intus eum in anima possidemus, et per sinceram animi conversationem ejus sectamur vestigia, sicut ipse dicit : *Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Tenebræ autem mortis sunt ipsa cæcitas cordis, per quam in infelicem peccati foveam mortemque consequenter æternam miseri cadimus, propter quod et mortis tenebræ nuncupatur; vel tenebræ mortis sunt ipsa mors animæ peccatum, sic dictum, quod infelices nos in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium, expellat, atque a vera luce Christo separet; vel tandem tenebræ mortis sunt diabolus, nam, ut ait S. Augustinus (*In psal.* XLVIII *serm.* 2), « Mors diabolus est, non quia ipse mors est, sed quia per illum mors. » Dicitur autem tenebræ mortis, quod totus sit tenebrifer, ipsasque inferorum inhabitet tenebras; et ita hoc sensu cum S. P. Benedictus ait : Currite dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant, idem est ac si diceret : dum vobis divina suppetit gratia, dum adest Christus habitans in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est vobis, currite per bona opera, certam vocationem vestram facientes, ne forte per vestram culpam neglecta gratia subtrahatur, atque a vobis prorsus Christus abscedat, sicque vos cordis cæcitas in profundum vitiorum mergat, et diabolus, ipsumque peccatum vos comprehendens, tanquam infideles servos in æternas ejiciat tenebras, quod Deus avertat.

Juxta litteralem vero sensum, lumen vitæ est præsens tempus, seu ipsa qua vivimus vita; tenebræ mortis mors naturalis, quæ fit per separationem animæ a corpore; et sic currite dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant, cum illa sententia concinit : Dum tempus habemus operemur bonum, ne forte immatura morte præoccupati frustra pœnitentiæ locum quæramus.

16 *Et quærens Dominus in multitudine populi, cui hæc clamat, operarium suum.*] Hic commendat S. P. Be-
A nedictus insigne vocationis monasticæ beneficium, de quo tria præsertim his verbis insinuat : 1° quod ipse Dominus nos viles servos servosque peccati vocare et quærere dignetur, *et quærens Dominus;* 2° quod nos tot ac tantis, nobis forte melioribus hac in causa prætulerit, *in multitudine populi;* 3° idque ut in tanti patrisfamilias operemur vinea, et ei serviamus cui servire regnare est, *operarium suum.*

Porro tribus nos potissimum modis piissimus Dominus quærere ac vocare solet, quos Cassianus exprimit his verbis (*Collat.* 3, *cap.* 4) : « Primus ex Deo est, secundus per hominem, tertius ex necessitate. Ex Deo quidem est quoties inspiratio quædam immissa in cor nostrum nonnunquam etiam dormientes nos ad desiderium vitæ æternæ et salutis exsuscitat, Deumque sequi, et ejus inhærere præceptis compunctione saluberrima cohortatur. Secundus vocationis modus est, quem fieri per hominem diximus, cum vel exemplis quorumdam sanctorum, vel monitis instigati, ad desiderium salutis accendimur.
B Tertius vocationis modus est, qui ex necessitate descendit, cum divitiis mundi hujus, vel voluptatibus obligati, ingruentibus repente tentationibus, quæ vel mortis pericula comminantur, vel amissione bonorum, ac proscriptione percutiunt, vel charorum morte compungunt, ad Dominum, quem sequi in rerum prosperitate contempsimus, saltem inviti properare compellimur. »

Quocunque nos modo Deus vocet, magna sane est vocantis dignatio : at nihil prorsus ita commendat vocationis monasticæ gratiam, ac illud quod insinuat S. Benedictus his verbis : *In multitudine populi operarium suum.* Operarium suum inquit in singulari, quasi nos, non tanquam paucos ex paucis, sed velut unum ex tota populi multitudine, quæ totum terrarum orbem replet, elegerit : cujus quidem beneficii magnitudinem contemplans Petrus Damiani sic exclamat (*Opusc.* 52, *cap.* 2) : « Cum vos omnipotens Deus mundo subtraxit, ac sub monastica sibi disci-
C plina servire constituit, quid aliud fecisse cernitur, quam velut olim in cataclysmo de multis pereuntibus vos paucos elegit, ac in bituminatæ arcæ latibulum ut viveretis induxit? » Magna est equidem tua, Deus bone, misericordia, quod animas octo ex omni pereunte hominum multitudine salvare dignatus sis; magna, quod unicum Loth una cum duabus filiis ex conflagrantibus Sodomorum flammis eripueris; magna, quod duos homines ex tota populi Israelitici gente, pereuntibus aliis in solitudine, promissam in terram introduxeris : at major ausim dicere, major longe est ea misericordia, qua nos præ magno aliorum numero electos in sacræ religionis claustra transtulisti. Illi etenim et justi erant, et si dicere fas sit, de te semper bene meriti, in omnibus hactenus fideles, et majora in posterum pollicentes; nos vero peccatores, injusti, infideles, nihil nisi peccatum et miseriam promittentes. Quid retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis? Ultra non servia-
D mus **17** peccato, sed in novitate vitæ serviamus ei qui nos ideo quæsivit, vocavit, elegit, ut sacræ religionis hortum excolentes, omnis generis virtutum flores, bonosque tandem aliquando fructus, in horreo cœlesti recondendos producamus.

Iterum dicit : Quis est homo qui vult vitam.] Vitam utique beatam, eamque æternam; nam, ut dicit S. Augustinus (*Serm.* 84), « vita non est nisi beata; et beata vita esse non potest, nisi æterna, ubi sunt dies boni, nec multi, sed unus; » vel etiam vitam, id est Christum Dominum, qui est via, veritas et vita, de quo devote S. Bernardus (*Serm.* 75 *in Cant.*) : « Et quid est tam cordium vita, quam Dominus meus Jesus Christus, de quo aiebat qui eo vivebat : *quia cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum eo in gloria?* »

Et cupit videre dies bonos.] Dies boni sunt æternitas beata, de qua S. Augustinus (*Serm.* 84), « Dies ille nescit ortum, nescit occasum; illi diei non succedit

crastinus, quia non præcedit hesternus; » nam præsentis dies temporis malos vocat Apostolus dicens : *Redimentes tempus quoniam dies mali sunt* (*Ephes.* v); et certe, ut ait S. Augustinus, « non ergo sunt mali dies quos agimus in corruptela hujus carnis, in tanta et sub tanta sarcina corruptibilis corporis, inter tantas tentationes, inter tantas difficultates, ubi falsa voluntas, nulla securitas gaudii, timor torquens, cupiditas avida, tristitia arida? » Unde et paulo post addit : « Quid est diu vivere, nisi malos dies malis diebus addere? »

Quod si tu audiens respondeas : Ego.] Et quis ita non responderet? « Da mihi hominem latronem, inquit S. Augustinus (*Serm.* 231), sceleratum, fornicatorem, maleficum, sacrilegum, omnibus vitiis inquinatum, omnibus flagitiis seu facinoribus obrutum, qui non velit beatam vitam vivere? Scio, omnes vultis beate vivere, sed unde homo beate vivat, hoc non vultis vivere. »

Dicit tibi Deus : Prohibe linguam tuam a malo.] Recte omnino vitam diesque bonos cupienti indicit prohibere linguam a malo, quia si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam, hujus vana est religio, et qui verbo non offendit, hic perfectus est vir.

Et labia tua ne loquantur dolum :] « *Disperdet enim Deus universa labia dolosa,* » inquit propheta; et Salomon : *Animæ dolosæ errant in peccatis* (*Prov.* xiii). Dolus autem, ut dicit S. Augustinus (*In psal.* v), *est cum aliud agitur, et aliud simulatur.* Hinc « quid est, inquit (*Lib.* L *Homil.*, *hom.* 1), aliud loqui dolum, nisi aliud labiis promere, cum aliud claudatur in pectore? »

Diverte a malo, et fac bonum.] Hoc est enim breviarium nostræ salutis, ut ait Boherius, de quo et S. Benedictus abbas Anianensis, ut scribit Ardo discipulus ejus (*Sæc.* iv *Bened.*, *part.* i) in illius Vita, n. 30 : « Quibusdam vero hoc inculcare solitus erat : Si plurima tibi impossibilia esse præcepta noscuntur, hoc exiguum serva præceptum : Declina a malo et fac bonum; quæ sententia ei ita familiaris exstitit, ut tempore mortis collectis omnium Patrum sententiis unum ex ea vellet conficere librum. »

18 *Inquire pacem et sequere eam.*] Tanquam unicum ac singulare bonum S. Pater subjungit : *Inquire pacem;* magnum enim est pax vera et sincera bonum, cujus ope filii Dei evadimus, uti ipse dicit : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur;* et « merito, inquit S. Bernardus (*Serm.* 1 *de omn. sanctis*), filii nomine vocabuntur qui filii opus impleverint. »

Et sequere eam.] Neque enim quærere sufficit, ni et inventam sequaris; imo fugientem persequaris. Vel *sequere eam* in tempore futuro, id est sequeris seu assequeris eam tanquam fructum et præmium impensi in quærendo laboris : quo sensu usurpata a S. Benedicto prophetæ verba intellexisse videtur S. Augustinus cum dixit (*Lib.* L *Homil.*, *hom.* 1) : « Ut quæramus pacem præcipitur nobis, ut autem sequamur eam promittitur nobis. »

Et cum hæc feceritis, oculi mei super vos.] Quæ quidem non sic accipienda sunt, quasi incorporeus per naturam Deus corporea haberet membra, ut olim voluerunt Anthropomorphitæ; sed hæc figurate dicta sunt, et secundum nostrum loquendi modum; « quibusque autem nominatis Dei membris, quæ in nobis visibilia et corporea sunt, potentias operationum oportet intelligi, » inquit Augustinus (*In psal.* ix); et sic oculi Domini aliquando pro ejus cognitione, ut cum S. Benedictus dicit oculos Domini in omni loco speculari bonos et malos; aliquando pro justo ejus in malos judicio, ut cum dicitur in psalmo : *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum;* aliquando pro pia in bonos misericordia, ut cum propheta dicit : *Oculi Domini super justos*, etc., quo sensu oculi Domini hic accipiendi sunt, quibus utinam miseros nos peccatores respiciat!

Et aures meæ ad preces vestras.] Similiter « aurem Dei non membrum corporeum, sed potentiam, qua exaudit, regulariter debemus accipere, » inquit præfatus Augustinus (*In psal.* ix); et sic aures meæ ad preces vestras idem sonat ac exaudiam preces vestras.

Et antequam me invocetis dicam vobis : Ecce adsum.] « Quid est ecce adsum? inquit iterum S. Augustinus (*In psal.* xxxiii); ecce præsens sum, quid vis? quid a me quæris? quidquid tibi dedero vilius est quam ego : meipsum habe, me fruere, me amplectere. »

Quid dulcius nobis hac voce Domini invitantis nos, fratres charissimi? Hic apposite Hildemarus : « Consuetudo est, ait, sanctorum prædicatorum post doctrinam aut exhortationem, aut orationem, subjungere, quod frequentissime Paulus apostolus fecisse legitur; S. vero Benedictus, quia, sicut non distabat longe a sanctorum merito, ita etiam noluit distare doctrina, propterea post doctrinam exhortationem subjunxit; » nempe : Quid dulcius nobis hac voce, fratres charissimi, etc.

Fratres charissimi.] Charissimos fratres hic vocat, quos prius filios appellaverat, ut se tanquam unum ex illis esse velle demonstraret, juxta illud S. Gregorii papæ (*Lib.* i, epist. 24) : Prælatus « honore suspenso æqualem se subditis bene viventibus deputet. »

19 *Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitæ.*] Pietate sua, id est misericordia sua; et bene quidem, « quia non tenetur de necessitate nobis demonstrare viam vitæ, » inquit Richardus de S. Angelo; et quia, ut dicit Hildemarus, « nullus suo merito salvatur, sed pietate et misericordia Dei salvatur; » vel ecce pietate sua, quam scilicet tam suaviter nos ad vitam vocando, media ad ipsam conducentia docendo, seque ipsum promittendo, ostendit : hæc enim ad præmissa verba referri declarat vox demonstrativa *ecce.*

Viam vitæ.] Vita Deus est, via ad vitam charitas, a qua utinam nunquam recedamus!

Succinctis ergo fide vel observantia bonorum actuum lumbis nostris.] Demonstrata via vitæ, quid adhuc hæremus immoti, aut quid superest, nisi ut alacriter ambulemus in ea? quod ut expediti præstemus, recte omnino S. Benedictus ait : Succinctis ergo fide vel observantia bonorum operum lumbis vestris, alludens ad illud Apostoli ad Ephesios : *State succincti lumbos vestros in veritate*, etc. Sed quia ad spiritalem hic cursum nos invitat, ita et ad spiritalem lumborum præcinctionem : et quoniam ex eo quod ex lumbis carnales delectationes prodeunt, SS. Patribus luxuriam lumbi sæpissime significant, per lumborum præcinctionem carnalium voluptatum mortificationem, ipsamque virginitatem vulgo intelligunt, juxta illud S. Gregorii (*Homil.* 13 *in Evang.*) : « Lumbos præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. » Sed quia, ut idem S. pontifex loquitur (*Lib.* xxviii *Mor.*, *cap.* 4), « alia est luxuria carnis, qua castitatem corrumpimus; alia vero luxuria cordis est, qua de castitate gloriamur, » ideo duplici nos cingulo præcingi voluit S. Benedictus, fide scilicet, et bonorum operum observantia : fide, qua Deum bonorum omnium auctorem, ipsiusque proinde castitatis agnoscamus; bonorum operum observantia, quibus petulantes carnis motus reprimamus, forte respiciens ad illud Isaiæ : *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus* (*Isai.* xi) : per bonorum operum observantiam justitiam, quæ non nisi bonis operibus exercetur, denotans; quod et aliis verbis in Evangelio Dominus præcipit dicens : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris;* « in lumbis enim accinctis virginitas, in lucernis ardentibus bona opera » designantur, inquit S. Augustinus.

Apposite autem bonis operibus præfixit fidem, ipsique fidei bonorum operum observantiam subjunxit : Redemptori etenim nostro unum sine altero placere nequaquam potest; unde et sponsa in Canticis : *Ful-*

cite, inquit, *me floribus, stipate me malis :* ad quæ verba S. Bernardus (*Serm.* 51 *in Cant.*) : « Fidem florem, fructum actum intellige; nec incongrue, ut opinor, id tibi videbitur, si advertas quomodo instar floris necessario præcedentis fructum, bonum quoque opus fide oporteat præveniri; alioquin sine fide impossibile est placere Deo, Paulo attestante, magis autem æque ipso docente : *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Itaque nec sine flore fructus, nec sine fide opus bonum : sed et fides sine operibus **20** mortua est, sicut inutiliter flos apparet, ubi non sequitur fructus. » Et item alibi Scriptura : *Si recte offers, et recte non dividis, peccasti :* ad quæ iterum S. Bernardus, cum prius dixisset fidei opera esse jungenda, subjicit (*Serm.* 24 *in Cant.*) : « Recte quidem quodcunque horum offers; recte autem ab alterutro ea non dividis : noli esse rectus oblator, et pravus divisor. Quid dividis actum a fide? inique dividis fidem perimens tuam; nam fides sine operibus mortua est, munus mortuum offers Deo. Si enim quædam anima fidei ipsa devotio est, quid fides quæ non operatur ex dilectione, nisi cadaver exanime? Bene honoras Deum munere fetido? Bene placas fidei interfector? Credis in Christum? Fac Christi opera; ut vivat fides tua, fidem tuam dilectio animet, probet actio. Sed nec opera quamvis recta rectum cor efficere sufficiunt sine fide : quis enim rectum dicat hominem non placentem Deo? Sine fide autem impossibile est placere Deo : qui non placet Deo non potest illi placere Deus; nam cui placet Deus, Deo displicere non potest. » Idipsum confirmat S. Gregorius papa hac similitudine (*Libro* III *Registri*, *cap.* 33): « Sicut rami sine virtute radicis arefiunt, ita opera quantumlibet bona videantur, nulla sunt, si a soliditate fidei disjungantur. »

Et calceatis pedibus.] Pedes animæ affectiones vulgo significant, quos calceare dicimur, cum variis virtutibus exornamur : et bene calceatis pedibus, ne forte viam vitæ percurrens, offendas ad lapidem pedem tuum, tentationi succumbendo.

Per ducatum Evangelii.] Id est doctrinam Evangelii sequentes ducem.

Pergamus itinera ejus.] Scilicet Christi Domini tam misericorditer nos vocantis, cujus itinera sunt voluntaria paupertas : quia cum esset dives, pro nobis factus est pauper; abnegatio propriæ voluntatis, quia factus est pro nobis obediens usque ad mortem; in tribulationibus et angustiis humilis patientia, quia passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus : arcta quidem et aspera hominibus itinera, sed eo tutiora, quo paucioribus pervia, et ad cœleste regnum compendiosiora. Vel pergamus itinera ejus, scilicet Evangelii, cujus mentionem facit : de cujus itineribus ita scribit Boherius : « In ducatu Evangelii quatuor sunt itinera ad regnum Dei quæque tendentia, præcepta videlicet, mandata, testimonia, exempla : in præceptis justitia, in mandatis charitas, in testimoniis fides, in exemplis perfectio invenitur. »

Ut mereamur eum qui nos vocavit in regno suo videre,] cujus visio totam hominis facit beatitudinem; unde et S. Philippus ad Christum dicebat : *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.*

In cujus regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus curritur, minime pervenitur.] Statuit hic bonorum operum necessitatem, sine quibus in regni cœlestis tabernaculo minime pervenitur. Notanter vero addidit, *currendo*, **21** redarguens eorum torporem et desidiam qui communi vita contenti, in via vitæ cito deficiunt, quibus pro magno reputatur si vel retrorsum non redeant, vixque viam ingressi, quasi nimium fatigati de requie cogitant. At plane non sic S. Benedictus, non sic; sed *nisi illuc curritur*, inquit, *minime pervenitur.* Certe grandis nobis restat via, a terra ad cœlum magna est distantia, tantumque ad conficiendum itineris spatium soli nobis hujus dies vitæ brevissimi conceduntur, ut exsultemus sicut gigantes ad currendam viam. Imitemur ergo sanctorum exempla, qui, ut scribit Petrus Venerabilis (*Lib.* I *Mirac. cap.* 20), « bona quæ faciunt pro nihilo ducentes, ad majora toto desiderio conscendere semper intendunt. » De quibus etiam S. Bernardus : « Nunquam, ait, justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit sufficit; sed semper esurit sititque justitiam, ita ut si semper viveret, semper quantum in se est justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. » Audiamus et illam Guillelmi abbatis S. Theoderici ad fratres de Monte Dei exhortationem piissimam (*Cap.* 2) : « Nolite negligere, nolite tardare, grandis enim vobis restat via, altissima est professio vestra, cœlos transit, par angelis est, angelicæ similis puritati; non enim vovistis solum omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem et omnis consummationis finem : non est vestrum circa communia præcepta languere, neque hoc solum attendere quid præcipiat Deus, sed quid velit, probantes quæ sit voluntas Dei bene beneplacens, et perfecta : aliorum est Deo servire, vestrum adhærere; aliorum est Deum credere, scire, amare, revereri; vestrum est sapere, intelligere, cognoscere, frui. » Porro ne deficiamus in via, sed sic curramus ut comprehendamus, sciendum est nonnulla esse quæ et cursum promovent et adjuvant, nonnulla quæ retardant et impediunt. « Tria sunt quæ faciunt currere, » inquit S. Bernardus in libro de Amore Dei, quem sermonibus super Cantica subjunxit noster Mabillonius, « timor videlicet, desiderium, et amor : timor fugiendo, desiderium appetendo, amor proximum amando. Quatuor quoque sunt quæ impediunt cursum istum; frigus, calor, via laboriosa, nimietas currentis; quæ sunt alio nomine diffidentia, concupiscentia, asperitatis impatientia, nimia confidentia. »

Sed interrogemus cum propheta Dominum dicentes ei : Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?] « Tabernaculum cum proprie accipitur belli res est : unde et contubernales milites dicuntur, tanquam simul habentes tabernacula, » inquit S. Augustinus (*In psal.* XIV); sed tabernaculum hic a S. Benedicto sumitur pro cœlesti patria.

Aut quis requiescet in monte sancto ejus?] Quod prius tabernaculum appellaverat, hoc montem sanctum nuncupat, forte propter laborem et difficultatem scandendi cœli, nam *regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.*

Post hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum respondentem et ostendentem nobis viam **22** *ipsius tabernaculi, ac dicentem : Qui ingreditur sine macula.*] Mundis enim corde promittitur regnum cœlorum : *Beati mundo corde*, inquit Christus, *quoniam ipsi Deum videbunt.*

Et operatur justitiam.] Secundum S. Anselmum (*Lib. Cur Deus homo*), « justitia est animi libertas tribuens unicuique secundum propriam dignitatem : majori reverentiam, pari concordiam, minori disciplinam, Deo obedientiam, sibi sanctimoniam, inimico patientiam, egeno operosam misericordiam. »

Qui loquitur veritatem in corde suo.] Quia, ut dicit S. Augustinus (*In psal.* XIV), « nonnulli in labiis habent veritatem, et in corde non habent, tanquam si aliquis ostendat viam sciens in ea esse latrones, et dicat : Si hac ieris, a latronibus tutus eris, et contingat ut vere non ibi latrones inveniantur; verum ille locutus est, sed non in corde suo; aliud enim putabat, et nesciens verum dixit : ergo parum est verum loqui, nisi etiam in corde ita sit. »

Qui non egit dolum in lingua sua.] Ad quæ verba iterum S. Augustinus : « Lingua agitur dolus, cum aliud ore profertur et aliud pectore tegitur. »

Nec fecit proximo suo malum.] Proximus est omnis homo, quem cum diligere teneamur, ab omni malo illi inferendo abstinere debemus.

Qui opprobrium non accepit adversus proximum suum.] Id est, « non libenter aut temere credidit

criminatori, » ut ait S. Augustinus (*In psal.* XIV). A Aliam hujus versiculi expositionem ex S. Hieronymo tradit Hildemarus: « Ille, inquit, non accipit opprobrium adversus proximum suum, qui nullum læsit, neminem nocuit, neminem scandalizavit, ut ab illo debuisset accipere opprobrium. »

Qui malignum diabolum aliqua suadentem sibi cum ipsa suasione sua a conspectibus cordis sui respuens deduxit ad nihilum.] Hactenus viam cœlestis tabernaculi demonstravit S. Benedictus; sed quia armatum in nostram perniciem diabolum continuas itineri nostro insidias struere noverat (ideo enim diabolus dicitur, qui Græce criminator, Hebraice deorsum fluens interpretatur, ut cum Smaragdo notant Bernardus Cassinensis et Boherius, quod ad crimina nos provocet, et montem sanctum Dei scandere volentes deorsum fluere efficiat), consequenter subjungit ut a conspectibus cordis malignum respuamus, perversasque ejus sollicitationes ad nihilum deducamus, denegando cum contemptu consensum, ostendens in hominis esse potestate tentanti diabolo resistere, nec nisi volentem ab ipso superari, juxta illud S. Cæsarii (*Serm.* 37 *in append. Serm. S. August.*): « Alligatus est tanquam innexus canis catenis, et neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortifera securitate conjunxerit. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem; non enim cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet a nobis consensum, sed petit. »

Et parvulos cogitatus ejus tenuit, et allisit ad **23** *Christum.*] Parvulos cogitatus, id est exorientes inimici suggestiones compressit, ne forte crescentes comprimentur, ac tandem prævaleant, juxta illud poetæ: *Principiis obsta, sero medicina paratur.* Hinc S. Hieronymus (*Epist.* 22): « Nolo sinas cogitationem crescere; dum parvus est hostis, interfice; nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine. » Istud argumentum fuse tractat Petrus Damiani eo in opusculo quod de suæ congregationis institutis scripsit (*Cap.* 19), ubi inter alia hæc habet: « In primis, fili quicunque manus ad confligendum paras cum invisibili hoste conserere, satage mentem tuam ab omni suggestionum obrepentium impetu pervigili custodia communire, et sicut quisquilias, et quæque purgamenta, quæ de operibus manuum tuarum decidunt, in ignem protinus abjicis, ita nihilominus cogitationum motus in Deum projice; et quoniam ignis consumens est, illi superflua cordis tui ad consumendum trade, memorans illud apostolicum: Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum; et prophetæ: Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet... Pone tentationem quasi serpentem: nempe si ab ipso auditu statim repellitur, sana sunt omnia, nihil omnino corrumpitur, nihil eorum quæ intus sunt inquinatur; si autem semel fuerit admissus, tametsi quavis instantia postmodum abire cogatur, de veneno tamen ejus vel squamis necesse erit aliquid vel perexiguum remanere: ergo sollicitus esto, ut tentationi principio nascenti velut armatus et intrepidus occurras, et parvulos orientium cogitationum motus ad petram, quæ est Christus, allidas, » immensum ejus erga te amorem sæpissime meditando, et collata hominibus beneficia revolvendo; sic enim universas inimici catervas funditus proteres: « Quod si lupus in te forte repentinus insurgit, arripe petram, inquit iterum Petrus Damiani (*Opusc.* 52, *cap.* 6), et protinus fugit. Quæ est autem petra, nisi Christus? » Vide S. Ambrosium, lib. VI in Hexam., cap. 4, et Cassianum, lib. VI Institut., cap. 13.

Qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona, non a se posse, sed a Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant.] Quia vero non dormit neque dormitat adversarius, et, ut optime notavit S. Bernardus (*Serm.* 54 *in Cant.*): « Si non potest impedire actionem, tentat intentionem, suadens quatenus effectum gratiæ arroges tibi; » ideo postquam a malo declinare, bonum facere, justitiam sectari, diabolicas suggestiones spernere, volentem ingredi Dei tabernaculum præcepit, caute omnino subjecit: *Qui de bona observantia non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona*, etc. Quibus verbis tria docet: 1° de bona observantia elationem fugere; 2° Deum, non se boni operis auctorem agnoscere; 3° consequenter Deum in se operantem magnificare.

Qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos], seipsos magni aliquid esse existimantes, cum tamen nihil sunt; sed potius infra omnes sese deprimentes, ut **24** faciebat S. Bernardus, cujus cum tanta esset vitæ sanctimonia, quantam in eo etiam nunc catholicus orbis miratur, ita nihilominus de se scribebat (*Epist.* 250) ad alterum Bernardum priorem Portarum: « Clamat ad vos monstruosa vita mea, mea ærumnosa conscientia; ego enim quædam chimæra mei sæculi, nec clericum gero nec laicum; nam monachi jamdudum exui conversationem, B non habitum. » Et S. Gregorius papa de se item ad Anastasium episcopum Antiochenum sic scribens (*Lib.* I, *epist.* 7): « Quod vero me os Domini, quod lucernam dicitis, quod multis prodesse perhibetis, hoc quoque mihi ad iniquitatum mearum cumulum accedit, ut cum vindicari in me iniquitas debuit, laudes pro vindicta recipiam. »

Sed ipsa in se bona non a se posse, sed a Domino fieri existimantes.] Ut enim egregie dicit S. Bernardus (*Serm.* 54 *in Cant.*): « Quid odiosius illa voce: Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia! » Longe aliter sentiebat, qui tamen plurimum libero hominis arbitrio tribuit, Joannes Cassianus, cum dicebat (*Lib.* XII, *c.* 16): « Non solum namque ipsam perfectionem oportet credere nostra industria nos vel labore possidere non posse; sed ne hæc quidem ipsa, quæ illius exercemus obtentu, id est labores, conatusque nostros, ac studia, sine divinæ protectionis auxilio, inspirationisque ejus, castigationis atque exhortationis gratia perficere, quam scilicet C cordibus nostris, vel per alium solet, vel per semetipsum, nos visitans, clementer infundere. » Ubi Cassianus quatuor agnoscit gratiarum genera: protectionis, qua nos ab hostium insidiis tuetur; inspirationis, qua veluti sopitam mentem interius ad bonum excitat; castigationis, qua nostrum a terrenis omnibus animum avertit; exhortationis, qua per sanctos doctores ad bonum operandum accendit. Quibus si creationis, redemptionis, conservationis beneficium, divinumque ad omnes etiam naturales actus concursum addideris, quo pacto jam bonæ observantiæ gloriam nobis usurpare, Deo negare, præsumemus? Alias merito nobis Apostolus inquiet: *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Et S. Bernardus (*Serm.* 13 *in Cant.*): « Quidquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris; tibi enim unde gloria, putide pulvis, tibi unde? De vitæ sanctitate? Sed Spiritus est qui sanctificat, Spiritus dico, non tuus, sed Dei: et si prodigiis et signis effulgeas, in manu tua fiunt, D sed virtute Dei. An blanditur popularis favor, quod verbum bonum et forte bene deprompseris? Sed Christus donavit os et sapientiam; nam lingua tua quid, nisi calamus scribæ? Et hoc ipsum mutuo accepisti. » Et antea: « Quis credat parieti, si se dicat parturire radium, quem suscipit per fenestram? Aut si glorientur nubes quod imbres genuerint, quis non irrideat? Mihi liquido constat, nec de canalibus oriri rivos aquarum, nec de labiis vel dentibus verba prudentiæ, etsi sensus ultra corporeus non attingat. Nec laus calami laudabilis est pictura sive scriptura, nec gloria linguæ aut labiorum sermo bonus: tempus est ut et propheta loquatur: Numquid gloriabitur, inquit, securis **25** contra eum qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur? Quomodo si elevetur virga contra elevantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est; sic contra Dominum omnis qui gloriatur, si non in Domino glorietur. »

Operantem in se Dominum magnificant.] Id est cum gratiarum actione omnem boni operis laudem et gloriam in Deum remittunt, ne forte gratiarum cesset fluctus, si non fuerit refluxus, et, ut S. Bernardi verbis utar (*Serm. de Nat. B. Mar.*), « suæ reddantur origini fluenta gratiæ ut uberius fluant; alioquin nisi ad fontem redeant, exsiccantur. »

Illud cum propheta dicentes : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.] Docet hic S. Benedictus ex verbis prophetæ quomodo operantem in nobis Dominum magnificare debeamus, scilicet omnem bonorum operum gloriam Deo ascribendo, ut qui omnia opera nostra in nobis operatus est, omnem inde laudem et honorem referat. « Deus solus omnia creavit, inquit S. Bernardus (*Serm.* 13 *in Cant.*); solus de hoste triumphavit, solus captivos liberavit, et socium habebit in gloria? et brachium, inquit, meum auxiliatum est mihi, torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. Quid ergo mihi cum victoria, si nec fui in prælio? Impudentissime mihi arrogo vel gloriam absque victoria, vel victoriam sine pugna. »

Sicut nec Paulus apostolus de prædicatione sua sibi aliquid imputavit dicens : Gratia Dei sum id quod sum.] Confirmat exemplo Apostoli, quod præmiserat; ubi quod ait Apostolum nihil sibi imputasse de prædicatione sua, tribus modis potest intelligi : 1° de ipsa prædicatoris dignitate, ad quam ex blasphemo et persecutore assumptus est : 2° de exercitio ipsius prædicationis per tot terrarum plagas Evangelium annuntiando; 3° de ipsius prædicationis fructu, tot Christo fidelibus acquisitis; et sic quolibet sensu nihil sibi Paulus de prædicatione sua imputavit; nam etsi apostolus sim, inquit, *Apostolus quidem per voluntatem Dei* (*I Cor.* I), sive, ut dicit alibi, *Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem*, et si plus omnibus laboravi, *non ego autem, sed gratia Dei mecum* (*Gal.* I); denique si tantum Domino populum acquisisse videor, *Ego quidem plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit* (*I Cor.* XV), et sic gratia Dei sum id quod sum.

Et iterum ipse dicit : Qui gloriatur in Domino glorietur.] Gloriari in Domino est omnem boni operis gloriam ei attribuere, ut cum Paphnutio abbate apud Cassianum (*Collat.* III, *c.* 15), bona nostra demirantibus, atque inde laude nos efferentibus dicere possimus : « Non liberum arbitrium, sed Dominus solvit compeditos; non nostra virtus, sed Dominus erigit elisos; non lectionis industria, sed Dominus illuminat cæcos, quod Græce dicitur κύριος σοφοῖ τύφλους, id est Dominus sapientes facit cæcos; non nostra cautio, sed Dominus custodit advenas; non nostra fortitudo, sed Dominus allevat sive suffulcit omnes qui corruunt, etc.; » atque ita illud S. Bernardi usurpare licebit (*Serm.* 13 *in Cant.*): « Securus glorior, **26** si teste conscientia de gloria Conditoris nihil mihi usurpo; securus plane, quia jam non contra Dominum, sed in Domino. »

Unde et Dominus in Evangelio ait : Qui audit verba mea hæc, et facit ea, similabo eum viro sapienti.] Desumpta ex Evangelio Christi Domini verba suo S. Benedictus adaptat proposito, dicens : Unde et Dominus in Evangelio ait : Qui audit verba mea hæc, scilicet, qui ingreditur sine macula, etc., *similabo eum viro sapienti*, nimirum Christo, qui est Patris sapientia, *qui ædificavit domum suam*, de qua Scriptura : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem*; ædificavit, inquam, sibi domum, nempe Ecclesiam, *supra petram*, id est super seipsum, nam petra erat Christus. *Venerunt flumina, flaverunt venti*, scilicet persecutionum per tyrannos, per hæreticos, per falsos fratres; vel prosperitatum sub principibus Christianis; *impegerunt in domum illam*, quia non minus prosperitate quam adversitate quatitur Ecclesia; *et non cecidit:* perseverat enim usque ad consummationem sæculi : *fundata enim erat supra petram*, scilicet

A Christum, de quo Apostolus : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est.*

Hæc complens Dominus.] Id est adeo misericorditer suaviterque nos præveniens, ad vitam invitans, tabernaculi viam demonstrans.

Exspectat quotidie his suis sanctis monitis factis nos respondere debere,] obedientes scilicet monitis, et ea quæ suadet impigre exsequentes, ne forte nobis cum propheta exprobret dicens : *Vocavi, et non erat qui responderet; locutus sum, et non audierunt, feceruntque malum in oculis meis, et quæ nolui elegerunt* (*Isai.* LXVI).

Ideo.] Nimirum, ut sanctis Domini monitis respondeamus factis.

Nobis propter emendationem malorum hujus dies vitæ ad inducias relaxantur.] Et qui hactenus vitiis ac peccatis vitam deturpavimus, in posterum ingrediamur sine macula; qui exhibuimus membra nostra servire iniquitati ad iniquitatem, eadem exhibeamus servire justitiæ ad justitiam.

B *Dicente Apostolo : An nescis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?*] Confirmat Apostoli verbis quod præmiserat : propter emendationem malorum hujus dies vitæ ad inducias relaxantur. Nam, ut ait Hildemarus, « quod B. Benedictus vocat inducias, Paulus dixit patientiam; et quod B. Benedictus dixit emendationem, Paulus dicit pœnitentiam; et quod dixit relaxantur, Paulus dicit adducit. » Igitur patientia Dei sunt induciæ, quas ad emendationem malorum benignissime nobis concedit justus judex, fortis et patiens; ut enim dicit S. Cæsarius (*Serm.* 29 *in append. S. August.*), « Quando nos prolixis temporibus peccavimus, et nihil mali a Domino sustinemus, patientia est, non negligentia; non ille perdidit potentiam, sed nos ad pœnitentiam reservavit. » Tanta provocati benignitate festinemus agere pœnitentiam, **27** alioquin quid in extremo positi judicio respondebimus Deo si neglexerimus? « Non est, inquit S. Augustinus (*Serm.* 22 *de Script.*), quod in fine dicatur

C Domino : Non me permisisti bene vivere, aut dilationem correctionis non mihi dedisti, aut non ostendisti quid appeterem, quid vitarem : videte quia tacet, videte quia differt, videte quia blanditur, hortatur, minatur. »

Nam pius Dominus ait : Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat;] sive, ut ait Petrus apostolus : *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti;* et Paulus : *Deus vult omnes homines salvos facere;* et item ipse Dominus per Prophetam : *In quacunque die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor.*

Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi ejus;] nimirum cum propheta dicentes : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?*

Audivimus habitandi præceptum.] Id est, quid illud habitare cupientibus præcipiatur, cum post interrogationem responsum est : Qui ingreditur sine macula, etc.

D *Sed si compleamus habitatoris officium, erimus hæredes regni cœlorum.*] Habitatoris officium potest duobus modis intelligi : 1° pro officio jam inhabitantium, quorum est Deo jugiter adhærere, illum laudare, benedicere, amare; 2° pro officio nondum quidem inhabitantium, sed tamen habitare ardenter desiderantium, quorum est ingredi sine macula, operari justitiam, etc.; atque ita si compleamus habitatoris officium, erimus hæredes regni cœlorum; si secus, minime : unde egregie S. Basilius (*In proœmio ad Reg. fus.*) : « Nos vero id quidem de nobis dicimus, quod regnum cœlorum exspectamus, ea vero non curamus unde illud acquiritur..... Sed quis cum sationis tempore domi desederit, aut dormierit, tempore messis sinum suum manipulis implevit? Quis vitem vindemiavit quam non plantavit? Eorum sunt fructus quorum sunt et labores; honores et coronæ eorum sunt qui certando vicerunt : quis coronabit eum qui ne aggressus est quidem adversarium? »

Ergo,] ut hæredes regni cœlorum simus,

Præparanda sunt corda et corpora nostra.] Scilicet corda per bonam voluntatem, corpora per sanctam exercitationem, ut exponit Bernardus Cassinensis; vel, corda ad bene et humiliter intelligenda, corpora videlicet cum patientia toleranda, ut habet Richardus de S. Angelo. Vel corda propter Deum, qui corda scrutatur; corpora propter homines, ut ædificentur, et sic provideamus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, ut colligitur ex Hildemaro. Vel denique corda et corpora, ut totos nos Deo consecremus, qui totum se nobis consecravit, *totus siquidem mihi datus, totus in meos usus expensus est*, inquit S. Bernardus (*Serm.* 3 *de Circumcis.*, *n.* 4); ut totum demus ei qui regnum suum nostrum constituit hæreditatem; nam, ut dicit Venerabilis Beda (*Serm.* 18 *de Sanctis*): « Res ista, o homo, id est regnum cœlorum; aliud non quærit pretium, nisi teipsum: tantum valet, quantum es tu, da te, et illud habebis. »

28 *Sanctæ præceptorum obedientiæ.*] Obedientiam vocat sanctam, quia sanctos nos efficit, sanctis similes, sanctorumque participes.

Militatura.] Militatura, inquit, ad exprimendum obedientiæ laborem.

Et quod minus habet in nobis natura possibile.] Illud *quod* potest hic sumi adverbialiter, ut sensus sit: et quia ad regni cœlestis consecutionem, et ad præparanda corda et corpora nostra sanctæ præceptorum obedientiæ militatura, in nobis natura humana per peccatum depravata et corrupta minus habet possibile, id est ex se nihil potest: nam, ut observat ad hunc locum Menardus noster, *minus* apud Tullium sæpe significat *non*.

Rogemus Dominum ut gratiæ suæ jubeat.] Id est velit, ut explicat Menardus, adjutorium ministrare, quod a nobis quidem habere non possumus, sed tamen petentibus conceditur, juxta illud: *Petite et accipietis.*

Et si fugientes gehennæ pœnas ad vitam perpetuam volumus velociter pervenire.] Duplici hic nos motivo ad boni prosecutionem excitat: uno timoris gehennæ, altero spei vitæ perpetuæ consequendæ; et revera quid duri refugiet Christianus, multo minus monachus, si perennes illas damnatorum pœnas serio meditetur, in quibus, ut loquitur Petrus Damiani (*Opusc.* 50, *cap.* 12), « fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia et mors vivit, et finis semper incipit, et deficere defectus nescit; » sive, ut loquitur Petrus Blesensis (*Epist.* 131), in quibus « finis semper incipiet, mors non morietur, nec defectus deficiet, ut damnati hominis conditio semper in doloris materiam, et mortis æternæ pabulum recidivet; » de quibus denique S. Bernardus sic exclamans ait (*Serm.* 42 *de Divers.*): « O regio dura et gravis, regio extimescenda, regio fugienda, terra oblivionis, terra afflictionis, terra miseriarum, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: locus lethifer, in quo ignis ardens, ubi frigus rigens, vermis immortalis, fetor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confusio peccatorum, innodatio vinculorum, horribiles dæmonum facies! Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis, et concussa sunt omnia ossa mea. » Ex alia parte quis non assurgeret ad promissum æternæ felicitatis præmium, in qua, ut ait S. Bernardus (*Serm.* 33 *in Cant.*), « nihil formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit; tuta habitatio paradisus, dulce pabulum verbum, opulentia magna nimis æternitas; » de qua idem alibi S. doctor (*Declam. in Evangel.*): « Oculus non vidit, nec auris audivit, Deus, quæ præparasti diligentibus te. Pax enim est quæ exsuperat omnem sensum, pax super pacem, indeficiens exsultatio, torrens voluptatis infinitæ, flumen lætitiæ, gaudium plenum; cogita quidquid vis, quidquid potes exopta, excedit omnem cogitatum, desiderium omne exsuperat illa felicitas, æternitas illa, beatitudo illa; » et item alibi (*Serm.* 31 *in Cant.*): « Quibus apparet Deus, nihil videre desiderabilius volunt, nihil possunt **29** delectabilius. Quando ergo illa vel fastidiet aviditas, vel se subtrahet suavitas, vel fraudabit veritas, vel deficiet æternitas, quid si in æternum extenditur videndi copia pariter et voluntas, quomodo non plena felicitas? » *Vide* Petr. Damian. opusc. 50, cap. 15.

Dum adhuc vacat, et in hoc corpore sumus.] Id est dum sani, rationem habentes, malum declinare, bonumque facere valemus: nam, ut recte S. Basilius ait (*In præf. ad Reg. fus.*), « Nunc tempus est acceptum, inquit Apostolus, nunc dies salutis; hoc sæculum resipiscentiæ est, futurum vero retributionis; hoc operationis ac studii, illud præmii; hoc patientiæ, illud consolationis; nunc adjuvat Deus a via mala recedentes; tunc terribilis erit, et humanarum actionum judex infallibilis. » Ut ergo in futuro nobis sæculo retribuat Deus, ut debitis nos absolvat tormentis, dum tempus habemus operemur bonum. « O homo, qui desideras regnum Dei possidere, exclamat S. Augustinus (*Serm.* 251, *in append. Serm.*), seu quivis alius, cur fecisti malum? Dum potes emenda, dum tempus habes clama ad omnipotentem Deum; dum datur spatium luge, dum licentia est pœniteas; festina dum potes, dum anima versatur in corpore; dum adhuc vivis futurum remedium require tibi, priusquam te profundum absorbeat pelagus, priusquam te malignus rapiat infernus, ubi nulla datur indulgentia, ubi nullus regreditur ad veniam. »

Et hæc omnia per hanc lucis vitam vacat implere.] Lucis vita est vita monastica, quam hic intelligi a S. Patre Benedicto facile mihi persuaserim, nam et hic monachos alloquitur. Huic vitæ opponitur vita sæcularis, mera nox, de qua S. Bernardus suos alloquens (*Serm.* 5 *in vigil. Nat. Domini*): « Annon etiam cuiquam nostrum caliginosa nox erat, cum tanquam sine Deo in hoc sæculo viveremus, cum ambularemus post concupiscentias nostras, cum sectaremur carnis illecebras, cum obtemperaremus desideriis sæcularibus, cum exhiberemus membra nostra arma iniquitatis peccato, cum serviremus iniquitati ad iniquitatem, in quibus nunc merito erubescimus tanquam operibus tenebrarum? »

Currendum et agendum modo quod in perpetuum nobis expediat.] Currendum, inquit, et agendum modo, id est nunc, ut si juvenis sis, ad extremum vitæ terminum, quo præ nimiæ senectutis languore currere vix vacat, pœnitentiam non differas: modo, ut si senex, saltem vel extrema vitæ tempora Deo Optimo Maximo etiam vel minima remuneranti devoveas. Præclare omnino Petrus Venerabilis (*Lib.* v *Ep.*): « Relinquite, inquit, terrena antequam vos ipsa relinquant; et si primas partes hostiæ, hoc est vitæ vestræ, Deo noluistis offerre, saltem caudam, id est finem dierum vestrorum, ipsi devote offerte. » Modo ergo si senex sis; sed *modo* etiam si juvenis, ut ulterius cursum non differas, ne forte morte præoccupatus, quod modo licet, et potes, cum optaveris implere non vacet. « Præveniendus est, inquit S. Augustinus (*Serm.* 154, *in append.*), seu quivis alius, dies qui prævenire consuevit: ipse se seducit et de morte sua ludit, qui hoc cogitat: Potest mihi indulgentia temporis subvenire; **30** non est hoc: primum quia periculosissima est in ultimum diem promissa securitas; deinde stultissimum, ut causa quæ de necessitatibus æternis agitur, inutilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. Odibile est apud Deum quando homo sub fiducia pœnitentiæ in senectutem reservatæ liberius peccat. Credite, charissimi, difficile est ut callida dissimulatio ordinandæ consummationis obtinere digna sit facultatem: apud illum cordis interpretem ars non admittitur ad salutem. » Ita S. Augustinus (*Serm.* 295, *in append.*), seu quivis alius, qui et alibi conversionem ad extremum vitæ curriculum differentem sic adoritur: « Dicit aliquis homo: Juvenis sum, facio quod me delectat, et postea pœnitentiam ago, hoc est, percutio me gladio crudeli, et postea ad medi-

cum vado, et nescit quod in unius horæ puncto vulnus accipitur, et vix longo tempore ad sanitatem pristinam revocatur, etc. »

Constituenda est ergo a nobis dominici schola servitii.] Schola secundum propriam nominis acceptionem est locus in quo liberalibus litterarum studiis adolescentes vacare solent. Schola etiam, ut observat Menardus noster, est conclave in quo monachi aliquid agunt, legunt, et dormiunt; quod probat ex concilio Turonensi secundo can. 15 (*In not. ad conc. Reg. cap.* 15, § 2) : « Nec liceat monachis cellas habere communes, sed schola labore communi construatur, ubi omnes jaceant, aut abbate aut præposito gubernante; » ex Regula cujusdam cap. 12 : « Focos vero in schola pœnitentes, si fuerint, bini per hebdomadas faciant; » ex Regula S. Cæsarii cap. 3 : « De ipso tamen habitu mutando, vel lecto in schola habendo sit in potestate prioris. » Hic vero schola a sancto Benedicto accipitur usurpaturque ad significandam regulam, unde et mox eam institutionem vocat; neque omnino insolitum est apud veteres scripta sacra institutaque sanctorum scholas appellare; nam et S. Hieronymus, referente Boherio, in epist. ad Evagrium librum Exodi vocat scholam medici, ubi leges datæ a Deo populo Israel sunt descriptæ; et interrogatus apud Cassianum Joannes abbas, cur, relicta anachoresi, cœnobitarum instituta esset amplexus, respondit, « velut imparem se anachoreticæ disciplinæ, et sublimitate tantæ perfectionis indignum ad juniorum scholas revertisse, si tamen vel ipsorum instituta secundum professionis meritum posset implere. »

Porro hæc schola dicitur *dominici schola servitii*, quia tota est in ediscendo supremæ majestati debito obsequio, unde et discipulos alloquens ait : Sub uno Domino æqualem servitutis militiam bajulamus.

In qua institutione nihil asperum, nihilque grave nos constituturos speramus.] Hic aliquem audire mihi videor S. P. Benedictum ita adorientem : Siccine, sancte Pater, nihil asperum, nihilque grave vocas, corpus castigare, delicias non amplecti, jejunium amare, voluntatem propriam odire, usque ad impossibilia obedire? Ubi est quod capite 58 de disciplina suscipiendorum fratrum dicturus es : Probetur in omni patientia; et : Prædicentur eis omnia dura et aspera? et quæ conventio inter, *nihil asperum nos constituturos* **31** *speramus*, et *prædicentur eis*, non aliqua aut multa, sed *omnia dura et aspera?* Sed et nunquid jugum tuam appellas Regulam? Cui S. Pater responderet : Est plane Regula quam propono jugum, sed Christi, quod ipse pronuntiat et leve et suave, quod, ut ait S. Cæsarius (*In append. S. Aug. serm.* 28), *levare consuevit, non premere, et magis nos portat quam portetur a nobis*. De quo et S. Bernardus (*Epist.* 72) : « Num vere leve est, quod portantem non gravat, sed levat? Quid eo levius onere quod non solum non onerat, sed et portat omnem cui portandum imponetur? » Et revera ut hic cum S. Bernardo seu quovis alio loquar (*Tract. de Charit., c.* 12) : « Quid suavius homini, quid jucundius, quam mundum contemnere, et se reputare sæculo celsiorem, atque in bonæ conscientiæ vertice consistentem, et mundum habere sub pedibus, nihil in eo videre, quod appetat,... fallaces divitias, et honores perniciosos, et damnabiles delicias conculcare? Quid, quæso, tranquillius quam suam animam sic stabilire, ut nullis motibus carnalis concupiscentiæ agitetur, carnem rore pudicitiæ tepescentem compellat ancillari, ut eam ad exercitium militiæ spiritalis promptissimam habeat adjutricem? etc. »

Sed aliquas hic inserere rationes juvat, cur S. Benedictus nihil asperum aut grave in Regula constituturum se asserat. Prima est, quia tot ac tantis internis animum obsequentis sibi Deus replet delectationibus, ut nihil sit durum quod non emolliant, nihil amarum quod in dulcedinem non convertant, unde et si sit Regula jugum, plane *computrescit ju-* A *gum a facie olei*, ut cum propheta loquar, olei utique exsultationis et lætitiæ, qua fidelem Deus recreat animam.

Secunda est, quod non servis, sed filiis datur, qui non formidine, sed dilectione aguntur; qui Christo nihil sibi carius aliquid existimant; porro ubi dilectio, nulla vitæ asperitas. « Hac postquam imbutus fueris, scribebat olim ad Gislebertum eremitam Petrus Venerabilis (*Lib.* I, *ep.* 20), erit tibi cella tua toto mundo latior, jejunium refectio, vigiliæ somnus opus otium, labor requies; » et Guillelmus abbas S. Theodorici ad fratres de Monte Dei (*Cap.* 8, *n.* 23) : « Panis furfureus, et simplex aqua, et olera, et legumina simplicia, nequaquam res delectabiles sunt; sed in amore Christi et desiderio internæ delectationis, ventri bene morigerato gratanter ex his satisfacere posse valde delectabile est. » Denique S. Bernardus (*Serm.* 85 *in Cant.*) : « Ubi amor est, labor non est, sed sapor. »

Tertia est, quod etiam servis timore conflictis,
B salutem et vitam æternam vere desiderantibus, novissimaque hominis serio meditantibus, vel amarissima dulcia evadunt; atque mitigari posse monasticæ vitæ asperitatem docebat olim S. Bernardus nepotem suum Robertum, ad eum sic scribens (*Epist.* 1) : « Vigilias times, et jejunia, manuumque laborem; sed hæc levia sunt meditanti pœnas perpetuas : recordatio deinde tenebrarum exteriorum facit non horrere solitudinem. Si futuram cogitas de verbis otiosis discussionem, non valde displicebit silentium; fletus æternus et stridor ille dentium ante cordis oculos reductus pares tibi reddet mattam et culcitram. » Simili prorsus modo Joannes Trithemius : **32** « Si quem terrent aspera claustri, cogites tormenta inferni; si matutinas vigilias onerosas existimas, scito quoniam ibi nunquam dormiunt, neque quiescunt; si duritiam lectulorum refugis, considera quia lectulus eorum est ignis qui non exstinguetur; si cibi et potus parcitatem, cogita quoniam cibus il-
C lorum vermis immortalis est, et luctus, et væ; si expavescis custodiam claustri, memorare clausuram inferni, quoniam non egredientur inde usque in sempiternum, etc. »

Quarta est, quod consuetudine vilescunt omnia : unde quod in malam partem aliquando scribebat S. Bernardus (*Lib.* I *de Consid., cap.* 2), apposite hic ad nostrum propositum convertere possemus : « Quid non invertat consuetudo? quid non assiduitate duretur? quid non usui cedat? quantis quod præ amaritudine prius exhorrescebant, usu ipso male in dulcedinem conversum est! Audi justum quid lamentetur de hujuscemodi : Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt. Primum quidem tibi importabile videbitur aliquid; processu temporis si assuescas, judicabis non adeo grave, paulo post et leve senties, paulo post nec senties, paulo post etiam delectabit. »

Quinta est, quod sic omnia temperavit aptavitque sanctus legislator, ut et sit quod fortes cupiant, et in-
D firmi non refugiant; sic nimirum cuncta disposuit, ut nullus sit qui regulam facili negotio observare non possit. Hinc S. Petrus Damiani (*Opusc.* 13, *cap.* 17) : « Regula sancta, inquit, quasi ampla quædam capax et spatiosa domus facta est ad omnia hominum genera capienda, pueros videlicet et senes, fortes et debiles, deliciosos et multimoda morum inæqualitate diversos. »

Sed et si quid paululum restrictius dictante æquitatis ratione propter emendationem vitiorum et conservationem charitatis processerit, non illico pavore perterritus refugias viam salutis.] Quia qui mittit manum ad aratrum, et respicit retro, aptus non est regno cœlorum; et pavidi in lege non admittuntur ad prælium, ne illi paveant, et alios pavere faciant. Viam vero salutis appellat Regulam suam, quia facientibus eam æterna regna patebunt, juxta illud S. Fulgentii (*Lib. de Fide, cap.* 3) : « Omni voventi, et reddenti quod

vovit, ipse quoque Deus reddit cœlestis regni præmia, quæ promisit; » vel, si vis, viam salutis vocat vitam ipsam monasticam, quæ est compendiosa ad cœlum via.

Quæ non est nisi angusto initio incipienda.] Postquam promisit S. Benedictus nihil asperum in Regula se constituturum, ne forte insolitæ vitæ asperitas a sancto proposito delicatos tirones deterreret, si præter conceptam spem disciplinæ monasticæ rigor nonnihil difficultatis facesseret, hos adversus solitas novitiorum tentationes præmunit, aliquid molestiæ conversionis initio experturos asserens, cujus exemplo forte permotus Guillelmus abbas S. Theoderici, inter cætera instituendi novitii documenta istud præscripsit (*Ad fratres de Monte Dei*, *cap.* 7) : « Præmuniendus est assidue contra tentationes acrius in solitarium novitium desævientes, **33** cum servum Dei gratis Deo servientem non cessent sollicitare vitia mercede oblatæ delectationis, diabolo suggerente, carne concupiscente, sæculo concupiscenda ingerente. » Nos etiam operæ pretium fore existimamus, si in gratiam novitiorum, difficultatum tentationumque quas initio conversionis experiri solent, causas ob oculos posuerimus, ut ipsi adversus eas se præmuniant, si forte aliquando insurrexerint : hæc autem considerari possunt aut ex parte religionis, aut ex parte diaboli, aut ex parte sæculi.

Ex parte religionis assuetos sæculi deliciis novitios terret vitæ regularis austeritas, quia, ut dicit S. Augustinus (*Serm.* 196 *in append.*), seu quivis alius, « Non sine violentia fieri potest ut de abundantia et deliciis ad famem et sitim, ad abstinentiam et crucem transeat, ut somno prius atque otio amicam carnem contritione vigiliisque conficiat; non, inquam, sine violentia fieri potest ut unusquisque iracundiam patientia, superbiam humilitate commutet, amore paupertatis divitiarum ac sufficientiæ affluentiam superet, vinolentiam sobrietate, luxuriam castitate condemnet, et homo subito in virum perfectum transformetur, et quodammodo alter credatur ex altero : » quæ tamen omnia præcipiunt exiguntque sacræ religionis leges. Hinc S. Bernardus (*Serm.* 33 *in Cant.*) : « Primordia, inquit, nostræ conversionis, juxta communis quidem experientiæ rationem, primus exagitat timor, quem intrantibus statim horror vitæ ingerit arctioris, et insuetæ austeritas disciplinæ; » et alibi (*Serm.* 93 *de Divers.*) : « Cum aliqui simplices ad conversionem veniunt, severitatem Regulæ expavescunt. Si fiat eis sermo de mundi contemptu, de virtutum vitiorumque conflictu, si anxietas vigilandi, assiduitas orandi, parcimonia jejunandi ab ipsis requiritur, dicunt conquerendo inter se : Quid est hoc? quis tot et tanta implere sufficiat? » Hinc denique Petrus Blesensis ad R. Clericum, qui religionis voverat ingressum, scribens : « Quia te, inquit, mundi voluptatibus hactenus immersisti, importabilia tibi videntur ciborum mutatio, vestimentorum asperitas, jugum obedientiæ, censura silentii, regularitas morum, austeritas disciplinæ. »

Ex parte diaboli longe fortior sustinenda est pugna : « Quemadmodum enim latrones, verba loquor Chrysostomi (*Homil.* 1 *ad pop. Ant.*), non ubi fenum, et paleæ, et calamus; sed ubi aurum, et argentum, ibi fodiunt, et continuo vigilant; sic et diabolus his maxime instat, qui spiritalia attingunt negotia; ibi insidiæ ubi virtus. » At licet omnes omnino monachos impugnet diabolica versutia, multo tamen magis furit in noviter conversos, quos adolescentes delicatosque a se defecisse dolet : « Nequam hostes, inquit Petrus Venerabilis agens de novitiis Cluniacensis monasterii (*Lib.* 1 *Mir.*, *cap.* 15), quamvis universis generaliter insidiarentur, noviter tamen conversis amplius infesti instabant. Dolebant quidem veteranorum profectibus invidentes, sed tironum superaddita conversione, quasi recenti suscepto vulnere, acrius indignabantur, et, velut longi temporis desperatione, prioris prædæ spolia postponentes,

A contra ea quæ ab oculis rapiebantur longe vehementius accendebantur; hinc adversus **34** novitios bella valida commovebant; hinc tentamentorum diversis telis armati, totis eis conatibus insistebant. » Sic nimirum egredientem ex Ægypto Dei populum Pharao, vera dæmonis figura, vehementius excandescens persequebatur, et Satanas ipse exiens ab homine quem ab infantia tenuerat, gravius affligendo discerpebat. Sed lubet omnes hostis versuti technas ob oculos ponere; qua in re præ omnibus hic audiendus est S. Joannes Climacus graphice nobis eas repræsentans his verbis (*Grad.* 2) : « Suggerunt nobis dæmones post rerum humanarum abdicationem, ut beatos prædicemus eos qui in egentes sunt benigni, nosque miseros dictitare, quod hujusmodi omni virtute destituti sumus. Consilium autem hostium est, ut nos per demissionis speciem aut ad profanum sæculi vitam retrahant, aut in religione perseverantes ad desperationis laqueum adigant; » et alibi (*Grad.*

B 3) : « Nec te iste dolus et astus latronum illorum lateat; suggerunt enim nobis ne ab hominum turbis secedamus, quod magnum gloriæ præmium simus relaturi, si feminam contemplati ab illa tamen nos abstinemus. » Et sub finem ejusdem gradus : « Per insomnia cacodæmones nos perturbare conantur, dum nobis domesticorum imagines repræsentant, et vel lamentantes exhibent, vel morituros, vel causa nostra afflictos, et incommodis mactatos exhibent. » Ita plane referente S. Athanasio (*in Vit. S. Antonii*, *c.* 4) S. Antonium tentabat : « Si quo modo posset ab arrepto eum instituto detrahere, immittebatque ei memoriam possessionum, sororis defensionem, generis nobilitatem, amorem rerum, fluxam sæculi gloriam, escæ variam delectationem, et reliqua vitæ remissioris blandimenta, postremo virtutis arduum finem, et maximum perveniendi laborem, nec non et corporis fragilitatem suggerebat, et ætatis spatia prolixa, etc. » *Vide* Anonym. Ratisponensem, tom. IV Analectorum, et librum de Doctrina S. Stephani Grandimon-

C tensis.

His plane non cedit quod ex parte sæculi certamen procedit : hinc amici, illinc cognati, isthinc fratres parentesque infirmum adhuc in bono proposito tironem aggrediuntur, modisque omnibus revocare conantur, quorum insultus egregie admodum, et more suo eloquenter describit S. Hieronymus ad Heliodorum his verbis (*Epist.* 1) : « Neque vero nescio qua te dicas nunc compede præpediri : non est nobis ferreum pectus, nec dura præcordia; non ex silice natos Hyrcanæ nutriere tigres; et nos per ista transivimus. Nunc tibi blandis vidua soror hæret lacertis; nunc illi cum quibus adolevisti vernulæ aiunt : Cui nos servituros relinquis? Nunc gerula quondam jam anus, et nutritius secundus post naturalem pietatem pater clamitat : Morituros exspecta paulisper, et sepeli. Forsitan et laxis uberum pellibus mater arata rugis fronte antiquum referens mammæ lallare congeminet : dicant si volunt et grammatici : In te omnis

D domus inclinata recumbit. Facile rumpit hæc vincula amor Dei, et gehennæ timor. » Tales fuere olim, cum fugit ad monasterium, S. Blaitmaici principis, et postea abbatis Hiiensis et martyris labores; nam, ut scribit Walfridus Strabus ejus vitam metrice referens :

> **35** Fama ut forte volans patris pervenit ad aures,
> Hinc stupor atque dolor mentem cinxere parentis.
> Subtractum dolet hæredem, mittitque senatum,
> Agmina, prætores, populum, præcepta, maniplos;
> Duxque comesque ibant, properanter episcopus astat,
> Abbatumque cohors, vicini carne propinqui;
> Hoc solum nitente manu, si qualibet arte
> Efficerent reducem vitata pericula mentem
> Corde subire alio. O talis quam cæca voluntas!

Talia fuerunt, eruntque in futurum multorum aliorum certamina; sed, ut aiebat præfatus S. Hieronymus ad suum Heliodorum : « Licet parvulus e collo pendeat nepos, licet sparso crine et scissis vestibus

ubera quibus te nutrierat mater ostendat; licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola: solum pietatis genus est in hac re esse crudelem. » Hujusmodi crudelitate agebatur S. Columbanus (*Jonas in Vit. S. Col. n.* 8, *sæc.* II *Bened.*) cum obstanti matri, et limini ostii inhærenti, postularet ut se ad monasterium ire sineret, illaque ejulans et pavimento prostrata denegaret se permissuram: « Ille enim limen matremque transiliens, poposcit matrem ne mœrore solveretur, dicens se nunquam deinceps in hac vita videndum. » Ad hujusmodi crudelitatem nos etiam hortatur propheta cum dicit: *Obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet Rex decorem tuum;* ad quod attendens S. Hieronymus exclamat (*Epist.* 10, *ad Furiam*): « Grande præmium parentis obliti: *Et concupiscet Rex decorem tuum.* »

Processu vero conversationis, et fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei,] juxta illud Spiritus sancti in Proverbiis (*Cap.* IV): *Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum;* et Ecclesiastici VI: *In opere ipsius* (*sapientiæ*) *exiguum laborabis, et cito edes de generationibus illius;* et apud Apostolum: *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ* (*Heb.* XII). Sed lubet hic sancti Benedicti textum excutere: *Processu*, inquit, *conversationis et fidei.* Hæc verba duplicem sensum sortiri possunt: nam primo *processu conversationis* ita potest intelligi, ac si diceretur, successu temporis, usu ac exercitio, bonaque regularis observantiæ consuetudine facilia reperies quæ difficilia, latissima quæ prius videbantur angusta. « Nuditatem pedum, inquit Petrus Damiani (*Opusc.* 15, *cap.* 21), et exiguitatem vestium, lecti duritiam, ciborum asperitatem, aquæ potum, et cætera hujusmodi incipientes quidem non sine quadam formidine perhorrescimus; perseverantes autem, et longanimiter insistentes, faciliora et tolerabiliora deputamus: asperitatem quippe frequentia mitigat, rigorem consuetudo commendat. » Et Petrus Blesensis ad Alexandrum novitium scribens (*Epist.* 137): « Non te deterreant conversationis primitiæ, **36** novum obedientiæ jugum, inconsuetus ordinis rigor, et austeritas disciplinæ: quidquid asperum nunc videtur, obedientia sibi convertet ad lucrum; quæ nunc amariora sunt, usu mediante dulcescent; his enim qui de tenebris progrediuntur ad lumen lux imprimis molesta est, donec oculi lumini assuescant. » Eadem ratione Robertum nepotem excitabat S. Bernardus (*Epist.* 1): « Subito procedenti de umbra ad solem, de otio ad laborem, grave cernitur omne quod incipit; sed postquam ab his dissuescere, et ad illa paulisper assuescere cœperit, usus tollit difficultatem, invenitque facile esse quod impossibile ante putavit. Solent etiam fortissimi milites audita buccina ante congressum trepidare; at ubi ad prælium ventum fuerit, spes victoriæ, timor ne vincantur intrepidos reddit. » Denique idem docet Glossa Ordinaria cum moraliter explicans Elisæi miraculum quo per modicam farinulæ immissionem amarum ex coloquintide pulmentum dulcorasse dicitur, « Per hoc, inquit, significatur quod hominibus delicate nutritis in sæculo vita religiosa videtur amara in principio; sed sicut pulmentum per immissionem farinæ factum fuit sapidum, sic per Dei gratiam et bonam assuefactionem vita religiosa, quæ prius dura videbatur, non solum portabilior, sed etiam suavis efficitur. » Unde et S. Bernardus ad Hugonem novitium scribens ait (*Epist.* 351): « Non ætatem teneram ordinis asperitas terreat; memento quod asperior carduus pannum facit leviorem, conversatio conscientiam, aderit Christi suavitas, et prophetæ farinula pulmentum incomestibile condietur. »

Altero sensu *processu conversationis*, id est virtutis, A sive cum nonnihil in virtute profeceris: atque ita exponit Smaragdus: « Processu, inquit, dicit conversationis augmentum virtutum, et profectum animæ, in quibus monachus quotidie augmentari debet, et crescere. » Et quidem recte, neque enim solus exercitiorum regularium usus, virtute deficiente, tollet religionis difficultatem, quam potius augebit languor et tepiditas. Processu ergo virtutis nihil difficultatis senties, levia videbuntur omnia, cunctasque cacodæmonum artes dissipabis, qui et timidi longe fugient a te, ut egregia hac similitudine docet S. Bernardus (*Serm.* 60 *in Cant.*): « Aiunt florescentibus vineis omne reptile venenatum cedere loco, nec ullatenus novorum ferre odorem florum: quod volo attendant novitii nostri, et fiducialiter agant, cogitantes qualem spiritum acceperunt, cujus primitias dæmones non sustinent. » Hæ nimirum primitiæ sunt virtutum flores, quos in novitio perhorrescit ac refugit hostis antiquus.

B *Dilatato corde.*] Id est cum ipsa delectabit justitia; nam, ut ait S. Augustinus (*In psal.* CXVIII), *cordis dilatatio est justitiæ delectatio.* Dilatatur autem hoc modo cor monachi, cum Deo totus adhærens, unus fit cum eo spiritus, et habitantem in se per gratiam possidet Creatorem. Quidni enim dilataretur, quem Deus magnus, infinitus, immensus inhabitat?

Inenarrabili dilectionis dulcedine. Dilectionis, ait, dulcedine, quia, *ubi amor est, ibi non labor, sed sapor est*, ut loquitur **37** S. Bernardus; et quidem *inenarrabili*, quod eam liceat experiri, sed a nullo possit exprimi: hac dulcedine recreatus propheta totus in stupore psallebat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* hac dulcedine, « hoc musto inflammantur, et hoc præclaro poculo quotidie inebriantur etiam corda fidelium et animæ convertentium, dicebat olim S. Augustinus (*In append. Serm. S. August. serm.* 182), seu quivis alius; quod frequenter fieri videmus, quando pro C desiderio salutis suæ parentes et patriam fugiunt, exeunt nullo compellente de terra et cognatione sua, et mortui huic mundo alios spiritaliter animarum inquirunt parentes, et liberi sub jugo veniunt, et paulo ante elati atque sublimes humilia affectant, superba fastidiunt, et cupiunt esse quod ante despexerant, et odisse incipiunt quod fuerant: præsentium hospites, futurorum appetitores, æternam illam patriam contempta temporalium falsitate suspirant. Hoc itaque musto spiritales animæ inebriatæ et penitus commutatæ abstinentiam deliciis, vigilias dulcibus somnis, paupertatem divitiis anteponunt, arduum contra vitia laborem jocundissimam computant voluptatem, dulcescunt eis vilia, et quæ prius fuerant pretiosa vilescunt, diligunt inimicos, et benefaciunt his qui se oderunt, non convincuntur indignantibus, non irritantur opprobriis, non franguntur injuriis; prorsus horum nihil sentiunt propter fervorem Spiritus sancti. » Tanta est amoris divini suavitas, vis, potentia, ex qua etiam sequitur.

D *Ut ab ipsius magisterio nunquam discedentes, in ejus doctrina usque ad mortem in monasterio perseverantes.*] Quia nihil prodest bene incœpisse, nisi in bono ad mortem usque perseveremus: unde apud Cassianum Pinufius abbas juvenem quem in monasterio susceperat instituens, ait (*Lib.* IV *Instit.*, *cap.* 37): « Bene cœpisse nihil proderit, nec pleno fervore renuntiationis arripuisse principia, si hæc congruus etiam finis similiter non commendaverit atque concluserit, Christique humilitas atque paupertas, quam nunc coram ipso professus es, usque ad extremum vitæ quemadmodum arrepta est a te non fuerit custodita. »

Passionibus Christi per patientiam participemur.] Id est cum Christo simul patiamur; ubi ostendit S. Pater proprium monachorum esse pati et crucem ferre: si enim *tota vita Christiani, si secundum Evangelium vivat, crux est et martyrium*, quanto magis monachi.

cujus singularis scopus est abnegare semetipsum, et omnes mortificare cordis voluntates?

Ut et regni ejus mereamur esse consortes.] Quia si compatimur, et conregnabimus, et si socii fuerimus passionum, simul et consolationis erimus. O consolatio! « Multi multa patiuntur propter pecuniam perituram, et tu non vis pati propter vitam mansuram! aiebat olim S. Augustinus. Sic recusas laborare pro Dei promissis, quasi non laborares pro cupiditatibus A tuis! Quanta patiuntur pro sua iniquitate latrones! quanta patiuntur pro suis sceleribus perditi, pro sua **38** nequitia luxuriosi, pro sua avaritia negotiatores mare transmeantes, ventis, tempestatibus corpus et animam permittentes, sua relinquentes, ignota quærentes! » Et nos pro æterna felicitate, ut cum Christo in perpetuum regnemus, non patiemur? Ergo sequamur Christum, ut ipsum aliquando consequamur. Amen.

CAPUT PRIMUM.

De generibus vel vita monachorum.

Monachorum quatuor esse genera manifestum est. Primum cœnobitarum : hoc est monasteriale, militans sub regula vel abbate. Deinde, secundum genus est anachoretarum, id est eremitarum, horum qui non conversionis [a] fervore novitio, sed monasterii probatione diuturna, didicerunt [b] contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare : et bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi jam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio, contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, sufficiunt pugnare.

Tertium vero monachorum teterrimum genus est sarabaitarum, qui nulla regula approbati, experientia magistri [c], sicut aurum fornacis; sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus servantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini, aut terni, aut certe singuli, sine pastore, non dominicis, sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas : cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum; et quod noluerint, hoc putant non B licere.

Quartum vero genus est monachorum quod nominatur gyrovagum, qui tota vita sua [d] per diversas provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur, semper vagi, et nunquam stabiles, et propriis voluptatibus [e], et gulæ illecebris servientes, et per omnia deteriores sarabaitis. De quorum omnium [f] miserrima conversatione melius est silere quam loqui. His ergo omissis, ad cœnobitarum 39 fortissimum genus disponendum, adjuvante Domino, veniamus.

[a] Oxon., *conversationis.*
[b] Al., *qui didicerunt.*
[c] Al., *magistra.*
[d] Al., *totam vitam suam.*
[e] Oxon., *voluntatibus.*
[f] Al., *de horum omnium.*

COMMENTARIUS.

Monachorum.] Monachus dicitur ille qui segregatus ab omni hominum frequentia, in solitudine pœnitentiæ lacrymis vacat, et Deo totus adhærens, unus cum eo spiritus efficitur, ut vel ipsa nominis ejus etymologia indicat : nam monachus a verbo græco μόνος, id est *unus*, dicitur ; hinc canon ille concilii Nicæni a Gratiano citatus : « Placuit omnibus residentibus in sancta Nicæna synodo ut monachorum conversatio et vita secundum etymologiam nominis ab omnibus discrepet (*Monachus* enim Græce, Latine *singularis* dicitur) : unde monachum per omnia singulariter agere oportet. » Et S. Hieronymus ad Heliodorum scribens (*Epist.* 1) : « Interpretare vocabulum monachi, hoc est tuum; quid facis in turba, qui solus es? » et ad Rusticum monachum (*Epist.* 4) : « Quid desideramus urbium frequentiam, qui de singularitate censemur? » et ad Paulinum (*Epist.* 13) : « Si cupis esse quod diceris, id est solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum? » Ex Eugenio etiam papa, a præfato Gratiano citato, monachus idem est quod *unus tristis*: « Agnoscat, inquit, nomen suum ; μόνος enim Græce, Latine est *unus*; ἄχος Græce, Latine *tristis* sonat : Inde dicitur, id est *unus tristis*. Sedeat ergo tristis, et officio vacet. » Cui interpretationi alludit S. Hieronymus adversus Vigilantium hæc scribens: « Monachus non docentis, sed plangentis officium habet, qui vel se, vel mundum lugeat, et Domini pavidus præstoletur adventum. » Aliter etymologiam monachi deducit auctor lib. de Ecclesiastica Hierarchia (*Cap.* 6), nimirum a verbo Græco μόνας, id est *unitas*, « quod ex pura servitute Dei, abdicata rerum C temporalium diversitate, debeat cum eo quod unum est unum fieri, et ad sacram unitatem aggregari. » Simili modo et sanctus Augustinus in psalmum CXXXII, ubi arguens Donatistas : « Merito, inquit, illis displicet nomen monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum fratribus, sed sequentes Donatum, Christum dimiserunt. » Alias monachorum etymologias et appellationes videsis apud Menardum in notis ad conc. Regul. capite tertio, § 1, et apud Haeftenum lib. III Disquis. monast., tract. 1 integro.

Quatuor esse genera manifestum est.] Scilicet cœnobitarum, anachoretarum, sarabaitarum, et gyrovagorum; ex quibus tria priora agnoscit S. Hieronymus ad Eustochium scribens (*Epist.* 22); quartum enim ejus tempore nondum exortum fuerat. Eadem etiam videtur indicasse S. Joannes Climacus cum dixit (*Grad.* 1): « Triplex omnino est omnis religiosæ vitæ ratio : ut vel solus et solitarius decertando vivas, vel **40** cum uno alterove sodali, vel ut in cœnobio cum pluribus per patientiam conquiescas. D Primo enim denotat anachoretas, qui soli; secundo sarabaitas, qui bini aut terni; tertio cœnobitas, qui cum pluribus degunt. Sed et apud Cassianum abbas Piamon eadem tria monachorum genera in Ægypto exstitisse testatur (*Collat.* 18, *cap.* 4) : « quorum duo sunt optima, inquit, tertium vero tepidum et omni modis evitandum. » Quartum addit ejusdem collationis cap. 8 suis temporibus exortum, eorum nempe « qui in primordiis fervore quodam brevi cœnobii perfectionem videntur expetere, sed continuo tepefacti, dum pristinos mores ac vitia resecare contemnunt, nec jugum humilitatis ac patientiæ diutius sus-

tinere contenti sunt, subdique seniorum imperio dedignantur, separatas expetunt cellas, ac solitarii sedere desiderant, ut ita scilicet a nemine lacessiti, patientes, mansueti, ac humiles possint ab hominibus æstimari. › Quos etiam perperam cum gyrovagis confundit Alardus Gazæus explicans hunc Cassiani locum; nam gyrovagi semper vagi, nunquam stabiles existunt; hi vero cellas expetunt, et solitarie sedere desiderant. Propius ad sarabaitas accedere dixeris, a quibus in hoc tantum discrepare videntur, quod sarabaitæ nulla unquam regula approbati, experientia magistri dicuntur; hi vero prius in monasterio, cujus excussere jugum, vixerunt.

At vero S. Isidorus eremitas ab anachoretis distinguens, sex recenset monachorum genera, cœnobitarum, eremitarum, anachoretarum, eorum qui anachoretarum imagine sibi blandiuntur, quos modo describebat Cassianus, circellionum (hi sunt gyrovagi), et sarabaitarum.

Septimum genus addit S. Valerius citatus a S. Benedicto Anianensi in Concordia Regularum (*Cap.* 3, § 7), eorum qui ex famulitio et servitio monasterii, tondebantur inviti ab abbatibus, paucis tunc ad conversionem accedentibus: quo in genere recenseri possent ii quos quidam Mediani monasterii abbas ‹ circuiens civitates, quoscunque invenire potuit, qui volebant monachari, secum adduxit, et eos tonsuratos non corde, sed habitu tantum monachavit, › ut scribit Richerus in Vita S. Hidulfi cap. 18.

Octavum hic subjungere possemus, eorum qui, ut dicit S. Fructuosus in Regula monastica communi cap. 1, ‹ ob metum gehennæ in suis sibi domibus monasteria componere solent, et cum uxoribus, filiis, et servis, atque vicinis cum sacramenti conditione in unum se copulare, et in suis sibi, ut diximus, villis ex martyrum nomine ecclesias consecrare, et eas falso nomine monasteria nuncupare. Nos tamen hæc non dicimus monasteria, sed animarum perditionem, et ecclesiæ subversionem. › De quibus omnibus si cœnobitas et anachoretas exceperis, melius est silere quam loqui, nam reliquos non tam monachos quam monachorum larvas et monstra verius dixeris, unde etiam S. Augustinus duo tantum monachorum genera assignat.

Primum cœnobitarum,] a communi vita, quam profitentur, **41** sic dictorum; nam Græce κοινός, Latine *communis* exprimitur, et βίος *vita*.

Primum inter monachorum genera dicitur cœnobitarum genus, sive institutione, sive utilitate, sive naturali rerum ordine.

Primum institutione, ut pote quod a primis Ecclesiæ temporibus sumpsisse dicitur exordium; nam, ut tradit apud Cassianum abbas Piamon (*Collat.* 18, *c.* 5), ‹ talis tunc erat omnis Ecclesia, quales nunc perpaucos in cœnobiis invenire difficile est; sed cum post apostolorum excessum tepescere cœpisset multitudo credentium,.... hi quibus adhuc erat apostolicus fervor, memores pristinæ illius perfectionis, discedentes a civitatibus suis, illorumque consortio qui sibi vel Ecclesiæ Dei remissioris vitæ negligentiam illicitam esse credebant, in locis suburbanis ac secretioribus commanere, et ea quæ ab apostolis per universum corpus Ecclesiæ generaliter meminerant instituta privatim exercere cœperunt; atque ita coaluit ista, quam diximus, discipulorum qui se ab illorum contagio sequestraverant, disciplina; qui paulatim tempore procedente segregati a credentium turbis, ab eo quod a conjugiis abstinerent, et a parentum se consortio mundique istius conversatione discernerent, monachi sive monazontes, singularis ac solitariæ vitæ districtione nominati sunt; unde consequens fuit ut ex communione consortii cœnobitæ, cellæque ac diversoria eorum cœnobia vocarentur. Istud ergo fuit antiquissimum monachorum genus, quod non modo tempore, sed etiam gratia primum est, quodque per annos plurimos solum inviolabile usque ad abbatis Pauli vel Antonii duravit A ætatem. › Quanquam huic Cassiani sententiæ non subscribent, qui S. Pachomium primum cœnobitarum patrem faciunt. Sed Turrecremata (*Tract.* 8 *in Reg. S. Bened.*) altius repetens cœnobitarum cunas, a cuneis prophetarum exordium sumpsisse asserit, probatque hac S. Hieronymi auctoritate: *Filii prophetarum quos monachos legimus*, etc.

Secundo cœnobitæ primi sunt utilitate, nam vita communis, ut postea demonstrabimus, præstat anachoresi, quæ quo sublimior, eo periculosior.

Tertio naturali etiam rerum ordine primum est genus cœnobitarum, quia non nisi prius in cœnobio probatos recipit eremus.

Hoc est monasteriale.] Videtur hic S. P. Benedictus cum cœnobiis monasteria confundere: nonnihil tamen inter utrumque discriminis affert apud Cassianum abbas Piamon (*Collat.* 18, *c.* 10): ‹ Licet, inquit, a nonnullis soleant indifferenter monasteria pro cœnobiis appellari, tamen hoc inter est, quod mo- B nasterium nomen est diversorii, nihil amplius quam locum, id est habitaculum significans monachorum; cœnobium vero etiam professionis ipsius qualitatem disciplinamque designat: et monasterium potest etiam unius monachi habitatio nominari; cœnobium autem appellari non potest, nisi ubi plurimorum cohabitantium degit unita communio. › Et sane monasterii vocem ad solam unius monachi habitationem designandam frequenter usurpari in **42** sanctorum Patrum Vitis constat: unde S. Athanasius in Vita S. Antonii (*Cap.* 21): ‹ Erant, inquit, in monte monasteria tanquam tabernacula; › et Rufinus refert (*Lib.* II *de Vit. Pat.*, *c.* 25) fratres congregatos ‹ sub una die monasterium construxisse. › Quod de cœnobio quis credat? Et ibidem cuidam sæculo nuntium remittere cupienti, et requirenti ab abbate Ammonio cellulam vacantem: ‹ Tunc ille, inquit: Ego inquiram, sed donec inveniam hic esto in hoc monasterio,.... et relinquens ei omnia pariter cum monasterio, ipse procul ab eo parvissimam cellulam reperit C atque in ea se constituit, fratrique qui nuper advenerat, nec intelligenti, ex integro cum omnibus quæ in eo fuerant, cessit monasterio. › Eodem sensu monasterii vocem usurpat S. Nilus in Hist. cædis SS. Patrum in Sina, cap. 9 apud. Boll. 13 Januar.

Militans sub regula, vel abbate.] Particula *vel* bifariam potest hic sumi disjunctive et copulative: disjunctive, quia, ut ait Bernardus Cassinensis, ‹ quando monachi non super se habent abbates, sed præpositos, et decanos, et priores; militant tamen sub regula, sed sequuntur regulam secundum præpositorum imperia. › Et Hildemarus: ‹ Forte, inquit, quod B. Benedictus plenus fuit spiritu prophetiæ, et vidit spiritu prophetiæ istud tempus, in quo sunt multa monasteria sine abbatibus regularibus, ideoque posuit: *Militans sub regula vel abbate*, › fatetur tamen uterque particulam *vel* hic sumi posse copulative pro *et*, quo sensu etiam eam capiunt reliqui interpretes communiter; et sic nomine abbatis intelli- D gitur quicunque superior quocunque nominetur vocabulo, sive præpositus, sive decanus, sive prior.

Deinde secundum genus est anachoretarum.] Anachoretæ, quorum principes Paulum et Antonium fecerunt S. Hieronymus et Cassianus, et quorum in Veteri Testamento Elias et Elisæus, in Novo autem Testamento Joannes Baptista aliquas nobis exhibuerunt umbras, ‹ hi sunt qui habitant per deserta, › inquit S. Hieronymus (*Epist.* 22); sive, ut ait apud Cassianum abbas Piamon (*Collat.* 18, *cap.* 4), qui ‹ prius in cœnobiis instituti, jamque actuali conversatione perfecti, solitudinis elegere secreta; › qui ‹ nequaquam contenti hac victoria qua inter homines occultas insidias diaboli conculcaverunt, aperto certamine ac manifesto conflictu dæmonibus congredi cupientes, vastos eremi recessus penetrare non timent; › unde et anachoretarum nomen acceperunt; ‹ ab eo enim quod procul ab hominibus recesserunt nuncupantur, › ut dicit S. Hieronymus

(*Epist.* 22); ἀναχωρεῖν enim Græce Latine *secedere* redditur; quamquam aliam hujus vocis etymologiam deducunt Boherius et Trithemius. Illi nimirum dictos volunt anachoretas ab ἀνὰ *sursum* et χόρος *chorus*, eo quod supernarum rerum contemplationi præcipue deputentur, et « ad cœlestium spirituum chorum respirare debeant, » ut loquitur Trithemius. Unde et apud Cassianum abbas Joannes : « Eremitæ, inquit, perfectio est exutam mentem a curis habere terrenis, eumque, quantum humana fragilitas sinit, vivere cum Christo. » Addit Boherius **43** dictos fuisse anachoretas tanquam angentes cor suum ad Dominum jejuniis et abstinentiis ; cui interpretationi satis congruit quod de anachoretis scribit Severus Sulpicius (*Lib.* I *Dial.*, *c.* 9) : « Habitant plerique in eremo sine ullis tabernaculis, quos anachoretas vocant : vivunt herbarum radicibus, nullo unquam certo loco consistunt, ne ab hominibus frequententur ; quas nox coegerit, sedes habent. »

Id est eremitarum.] Cum eremitis anachoretas confundit S. P. Benedictus; aliquod tamen inter utrosque discrimen constituit S. Isidorus (*Lib.* II *de Div. Offic.*, *c.* 15). Vult nempe eremitas eos esse « qui, procul ab hominibus recedentes, deserta loca et vastas solitudines sequi et habitare perhibentur, etc. » Anachoretas autem illos « qui, jam cœnobiali conversatione perfecti, includunt semetipsos procul ab hominum conspectu remoti. » Verius tamen utrosque non nisi unum monachorum genus efficere dixeris; nam et quos hic describit S. Isidorus eremitas, hos S. Hieronymus, Severus Sulpicius, et Cassianus anachoretas appellant. Nec tamen inficias ibo quin duas tresve in species hoc monachorum genus dividi possit; nam, ut dicit B. Petrus Damiani (*Opusc.* 15, *c.* 52), « eremitarum ordo bipartitus est, quorum videlicet alii cellulas incolunt, alii passim per eremi deserta gradientes, certas ædes habere contemnunt. Sed qui per eremum spatiando discurrunt, anachoretæ; qui vero cellulis contenti sunt, usitato vocabulo eremitæ dicuntur, quibus nomen commune factum est speciale. » Atque hi etiam postremi in duplici exstitere differentia : ut enim observat Menardus (*In not. ad conc. Regul.*, *c.* 3, § 6), « quidam infra monasterii septa in cellis includebantur, ut patet ex Justiniani Novella 5 : *Nisi quidam illorum in contemplatione et perfectione degentes, vitam remotam habeant in hospitio, quos vocare anachoretas, id est discedentes; et hesychastas, id est quiescentes consueverunt* ; ubi hospitium sumitur pro cella, ibi enim agitur de iis qui in monasteriis includuntur. Id etiam planum est ex canone 41 sextæ synodi, quæ ait hujusmodi inclusos ἀναχωρητικὴν παιδοτριβεῖσθαι διαγωγὴν, id est anachoreticam exercere vitam. Quidam vero extra monasterii septa inclusi erant, de quibus hoc capite agit S. Isidorus. »

Porro a primo reclusionis genere exclusæ non fuerunt ipsæ mulieres, quas in virorum monasteriis inclusas vixisse non raro reperimus apud auctores. Talis erat apud Meldos Otgerii ducis Carmentriacensis soror (*Sæc.* IV *Bened. part.* I, *p.* 659) *nomine Gibelina amoris Dei gratia* sæculo XI reclusa in Faroniano monasterio, ex Fulcoudi abbatis Notitia de præfato Otgerio. Talis apud Virodunum S. Popponis mater B. Adelwiif (*Apud Boll.* 25 *Jan.*), quæ cum, imposito sibi velo, cœnobiticam primum vitam professa esset, « apud S. Vitonum succedente etiam tempore *solitaria esse* cœpit, ibique reclusa cursum vitæ, diabolo cum virium suarum copiis triumphato, in pace peregit, ut de ea scribit Everhelmus in Vita S. Popponis n. 18. Talis denique apud S. Gallum sancta Wiborada (*Sæc.* V *Bened*), quæ quadriennio primum juxta ecclesiam S. Georgii inclusa, postea ad S. Gallum ab episcopo vocata, ibidem ad finem usque vitæ, quam martyrio absolvit, perseveravit, « quam **44** episcopus cum paucis prosecutus, et benedicens clausulam obseravit, » attestante Hartmanno monacho S. Galli in ejus Vita n. 15. Porro hujusmodi reclusæ sub regimine et disciplina abbatis monasterii vivebant, ut probat noster Mabillonius in observationibus præviis ad Vitam S. Wiboradæ. Quæ lex viros perinde ac mulieres æque constringebat, qui sive intra, sive extra monasterium inclusi, aut alias solitarie viverent, proprio tamen monasterii unde egressi fuerant, abbati subjecti remanebant, ut inter alia colligitur ex Vita S. Ayberti monachi Crispiniensis n. 1 (*Boll.* 7 *April.*), qui, accepta a Lamberto abbate licentia, « reclusionem ingressus est, in qua, quandiu vixit, sub imperio Crispiniensis abbatis Domino militavit. » Qui autem perpetuæ reclusioni haud erant addicti, hi certis temporibus ad suum monasterium accedere solebant, cujus rei luculentum habemus exemplum Adhegrini Cluniacensis monachi apud Joannem monachum in Vita S. Odonis (*Lib.* I, *n.* 22, *sæc.* V *Bened.*), qui ex licentia abbatis per triginta et amplius annos in eremo degens, « dominicis tantum diebus, aut præcipuis festivitatibus ad monasterium S. Petri, quod Cluniacum dicitur, quia duobus fere millibus prope est, descendere consueverat. » Denique perpetuo reclusis solitariorum regulam scripsit Grimlaicus, in cujus cap. 15 agit de modo et ordine recludendi solitarii.

Horum qui non conversionis fervore novitio.] Quod « est dicere, inquit Hildemarus, non tantum vadunt ad eremum quando incidit illis cogitatio eundi ad eremum ; » neque enim omni credendum est vento, aut omnis ex Deo spiritus est, nam et Satanas nonnunquam in angelum lucis se transformans, multa quibus exsequendis impares sumus, sub pietatis specie suadere conatur. Vel conversionis fervore novitio, id est non initio conversionis, quo tempore fervere solent monachi, talis quippe fervor valde suspectus est et mutationi obnoxius, nec anachoreticæ vitæ idonei solent esse incipientes : unde et in Vitis Patrum legitur (*Lib.* V, *libello* 10, *n.* 110), quod « quidam frater renuntians sæculo, et accipiens habitum monachi, statim reclusit se dicens : Solitarius esse volo. Audientes autem vicini seniores venerunt, et ejecerunt eum, et fecerunt circuire cellas fratrum, et pœnitentiam coram singulis agere, et dicere : Ignoscite mihi, quia non sum solitarius, sed adhuc initium monachi nuper assumpsi. »

Sed monasterii probatione diuturna.] Hoc nimirum exigebat priscorum monachorum disciplina, ut in eremo non admitterent, nisi diu probatos in cœnobio : « De ludo monasteriorum hujusmodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant, » inquit S. Hieronymus ad Rusticum monachum scribens (*Epist.* 4). Idem docet apud Cassianum abbas Piamon supra citatus. Idem statutum legitur in concilio Veneto anno 465, can. 7; in concilio Toletano VII, can. 5; in sexta synodo canone 41. Idem videre est in Vita S. Euthymii abbatis n. 89, tom. II Monumentorum Eccles. Græcæ, et in Vita S. Theodosii Cœnobiarchæ, cap. 2, apud Boll. XI Januar. Et certe, ut pulchre quidam **45** dixit, sicut flos fructum, ita vita cœnobitica anachoreticam præcedere debet.

Sed quæret aliquis quanta et qualis fuerit isthæc in cœnobio probatio, quam diuturnam solum indefinite præscribit S. Benedictus? S. Isidorus in libro de Ecclesiasticis Officiis rem determinat his verbis : « Sed isti examinatione cœnobiorum probati in omnibus disciplinis monasterii per *triginta annos* ad hanc contemplationem per obedientiam eliguntur. » At vero Franciscus Georgius in libro de Harmonia mundi loquens de Rachele et Lia uxoribus Jacob, probationis tempus ad annos decem et octo, aut viginti ad summum restringit. « Pro Rachele, inquit, suspirat et servit Jacob, et tamen primo Liæ conjungitur, eo quod spiritalis homo pro quiete et visione, quæ est in contemplatione, suspirat, pro qua subiit jugum servitutis Dei; nihilominus ut Liæ et vitæ activæ conjungatur, primo necesse est ante-

quam deveniat ad perfectionem contemplativam. Ideo Patres illi antiqui decreverunt ne quis admitteretur ad vitam solitariam et contemplativam, nisi exercitatus per decem et octo vel viginti annos in operibus charitatis et servitiis monasterii. » Ex quo loco suspicari licet scriptorum incuria apud Isidorum irrepsisse mendum, et pro 20 positum fuisse 30; nam et Possevinus lib. v Bibliot., cap. 57, citans hunc Isidori locum, absolute legit viginti. Illud etiam prolixum temporis spatium ad quadriennium reducit sexta synodus, edito hoc canone : « Qui sive in urbibus, sive in vicis in clausuris solitarie volunt vivere, prius ingrediantur monasterium, et ea perdiscant quæ ad hanc anachoreticam conversationem requiruntur. Triennium integrum cœnobii præposito in timore Dei subjaceant, et postquam in omnibus, uti decet, obedientiam expleverint, examinentur a præsule, utrum sponte sua et ex toto corde propositum hoc amplecti desiderent, et sic professionem hujus instituti faciant, nec sic tamen statim includantur, sed annum adhuc extra clausam permaneant, ut eorum intentio certius innotescat (*Can.* 41). »

Hujus instituti rationem familiari, sed tamen apta similitudine hanc reddit S. Joannes Climacus (*Grad.* IV) : « Ut periculum tironi imperito militique gregario seipsum duello committere, sic viro religioso ante capta experimenta, et multam in edomandis animi affectibus exercitationem, plena periculi alea est in solitudinem secedere ; ut enim ille de vita, sic iste de salute æterna periclitatur. » Eodem argumento utebatur S. Theodosius Cœnobiarcha (*In ejus Vit.* c. p. 2; *Boll.* 11 *jun.*). Adde quod anachoresis in jugi rerum cœlestium contemplatione consistit, ad quam, nisi prævia in cœnobiis activa vita, perveniri non potest, ut docet inter alios apud Cassianum abbas Nesteros collat. 14, c. 2; et in Regula Solitariorum Grimlaicus his verbis : « Ad fastigium contemplativæ vitæ quisquis conatur ascendere, semetipsum debet prius per multa experimenta in activa vita probare. » Jam vero quia non omnes qui in cœnobiis conversantur etiam multo tempore, ideo meliores evadunt, aut anachoreticæ vitæ **46** judicantur idonei, nunc videndum est qui et quales ad eam e cœnobiis transferendi sunt, id quod indicat S. Benedictus cum addit :

Didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare]. Quod perinde est ac si diceret, qui vitiis omnibus superatis, virtutibus cunctis quantum patitur humana fragilitas imbuti, jam diabolum non timent; tales enim contra diabolum didicerunt pugnare, et revera tales requirit eremus : « De ludo monasteriorum hujusmodi volumus ingredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant, inquit S. Hieronymus (*Epist.* 4), qui specimen conversationis suæ multo tempore dederint, qui omnium fuerint minimi, ut primi omnium fierent, quos nec esuries aliquando, nec saturitas superaverit, qui paupertate lætantur, quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est ; » et Cassianus (*Lib.* v *Instit.*, c. 36) : « Qui in cœnobiis primum diutissime commorantes, omnique patientiæ ac discretionis regula diligenter edocti, humilitatis pariter ac nuditatis virtute possessa, atque ad purum vitiorum universitate consumpta, durissimis dæmonum præliis congressuri penetrant eremi profunda secreta ; » et alibi (*Lib.* VIII *Inst. c.* 17) : « Eremum perfectos omnique vitio purgatos oportet expetere, et excoctis ad purum in congregatione fratrum vitiis, non pusillanimitatis perfugio, sed divinæ contemplationis obtentu et desiderio intuitus sublimioris intrare, qui non nisi in solitudine a perfectis solummodo poterit apprehendi. » At omnium luculentissime S. Joannes Climacus (*Grad.* 27) : « Signa et argumenta, seu exercitationes eorum qui non sine causa solitudinem sequuntur, hæc sunt : mens nullis perturbationum fluctibus agitata, cogitationes cassæ, raptus in Deum, suppliciorum æternorum præsens semper memoria, mortis instantis consideratio, inexpetibile orandi studium, custodia sui inexpugnabilis, veneris exstinctio, appetitionum ignorantia, mundi mors, nullum cibi desiderium, fons discretionis, lacrymarum facultas, loquacitatis exterminatio, et si quid hoc genus est, quod turbis est ingratum et infestum. » Et ante hæc: « Nemo iræ et elationi animi, et simulationi, seu hypocrisi (et aliis hujusmodi vitiis) obnoxius audeat in solitudinem vestigium ponere. » Et iterum rationem reddens : « Qui morbis animi laborat, et tamen vitam solitariam audet aggredi, perinde facit ac qui in alto mari ex navi desilit in fluctus, et in tabula existimat se sine periculo in portum evasurum ; » et quia, ut ait Cassianus, solitudo « eorum qui minus emendati sunt, vitia non solum servare, verum etiam exaggerare consuevit. » Sed de his satis.

Notanda sunt autem sancti Benedicti verba : *Multorum solatio*; non dicit eximii alicujus Patris, aut singularis alterius socii adjutorio, sed *multorum*, inquit, *solatio* jam docti : quia, ut dicebat apud Cassianum S. Antonius (*Lib.* v *Inst. c.* 4) : « Qui post cœnobitale propositum fastigia nititur sublimioris perfectionis attingere, et apprehenso discretionis examine proprio jam potens est stare judicio, atque ad arcem anachoreseos pervenire, minime debet ab uno quamvis summo universa virtutum genera expetere **47** ; alius enim scientiæ floribus exornatur, alter discretionis ratione robustius communitur, alter patientiæ gravitate fundatur, alius humilitatis, etc. ; » ex quibus inferebat « monachum spiritalia mella condere cupientem, velut apem prudentissimam, debere unamquamque virtutem ab his qui eam familiarius possident deflorare, et in sui pectoris vase recondere. »

Et bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, etc.] Ex hoc ergo loco constat quod diximus in prologo, et cœnobiticam et anachoreticam vitam perpetuam esse militiam, cum hoc tamen discrimine, quod ista periculosior sit, illa facilior et tutior; quod quidem discrimen eleganter describit Petrus Venerabilis ad Gislebertum eremitam sic scribens (*Lib.* I, *epist.* 20) : « Claustralium communiter viventium cohabitatio castrorum ad pugnam ordinatorum multitudini videtur comparari, ubi quisque tanto securius adversus adversariorum dimicat, quanto sibi vicinius adjutorium de commilitonis dextra sperat; in illo enim prælio non solum de sua quilibet præliator virtute præsumit, sed etiam de aliorum dextera lævaque compugnantium viribus quandoque magis quam de suis confidit : laborant ibi singuli, et saluti suæ insidiantes perimere, et coadjutores modis omnibus defensare; nec minus intelligunt in morte sociorum periculum, quam in vita inimicorum sentiunt detrimentum. At solitudinis singulare certamen tanto periculosius agitur quanto serius alienum auxilium dimicans præstolatur ; quodque periculo accrescit, non, ut in acie fieri solet, multi contra multos: nec, ut in duello, unus contra unum, sed inusitato præliandi more solus contra plurimos, et numero, et virtute præstantes dubia sub sorte contendit. »

Ex hoc etiam sanctæ Regulæ testimonio infert B. Petrus Damiani S. Benedictum non modo permisisse, sed et suasisse suis anachoresim ; nam postquam prædicta S. Regulæ verba retulit, ita concludit (*Lib.* VI, *ep.* 12) : « Ex quibus manifeste colligitur quia doctor almificus de monasterio fratrem quemlibet ad eremum conscendere non modo non prohibuit, verum insuper monuit et docuit, insuper etiam quibusdam persuasionibus incitavit : auctoritatem quippe dat, ut diuturna prius frater probatione discat in monasterio qualiter in eremo contra callidi tentatoris argumenta confligat... In illis itaque S. Regulæ verbis, quæ supra posuimus, perspicue declaratur quia S. Benedictus, dum in monasterio hominem ponit, ad eremum dirigit ; hic quidem collocat, sed illuc cohortatus invitat, etc. » Quæ fuse prosequitur. Et sane Camaldulensis ordo, et ipse sub Regula S. Be-

nedicti militans, suos habet eremitas, quin etiam hodie in monte Serrato multæ visuntur anachoretarum cellulæ quæ a Benedictinis inhabitantur; sed et multos olim in monte Vosago anachoretas ex nostris egisse colligimus ex Vita S. Pauli episcopi Virodunensis, n. 2, ubi hæc leguntur (*Sæc.* II *Bened.*): « Domino præduce tandem eremum quæ Vosegus nominatur, Christi servus.... ingreditur. Hujus eremi solitudinem plurimi anachoretarum cellulis divisi **48** feruntur inhabitasse, præter sabbatum et dominicam, mutuis visibus et alloquiis disjuncti, nisi quos aut corporalis infirmitas, vel animæ salutis causa visitari per aliquos coegisset : quorum optabilem conversationem Paulus.... adipisci satagebat. »

Ad eremum tamen nullus secedebat, nisi prævia abbatis licentia, fratrumque accedente consensu; utrumque enim requirebatur, ut multis posset exemplis probari. Luculentum nobis exhibet Vita S. Bavonis confessoris (*Sæc.* II *Bened.*), qui veniens ad Frorbertum abbatem, « petiit eum sibimet humiliter cellulam, in qua familiariter Domini misericordiam pro facinoribus suis deprecaretur largiri. Ut vero pius pater monasterii ejus petitionem audivit, cum gaudio eum suscepit, et ejusdem fratribus monasterii juxta præceptum pii Patris Benedicti convocata omni congregatione ejus patefecit preces, » cujus votis fratres annuerunt. Similiter S. Baronius (*Sæc.* II *Ben.*) « sui Patrem cœnobii sedulis deposcere cœpit precibus, ut ejus permissu Gallicum genitale solum sibi liceret deserere.... sicque demum anachoreticam vitam ducere. Post plurimam tandem indesinentemque petitionis suæ instantiam, ejus pastor cum omni grege, licet inviti suo satisfecere desiderio. » Ita etiam S. Cuthbertus referente Beda (*In ejus Vita, cap.* 17) : « Postquam in monasterio multa annorum curricula explevit, tandem diu concupita, quæsita, et petita solitudinis secreta, comitante præfati abbatis sui simul et fratrum gratia, multum lætabundus adiit. » Et S. Madalgisilus (*In append. ad sæc.* IV) « cupiens arctiorem remotamque arripere vivendi formulam, cum magna humilitate expetiit, ut sibi liceret remotum et quietum locum perquirere.... quique quod devote expetiit, gratuita fratrum benignitas ei cum magna dulcedine concessit, » ut scribit Hariulfus in ejus Vita, n. 5. Denique S. Wilfridus episcopus Eboracensis, et abbas Ripensis Celino præposito petendæ eremi concessurus licentiam, rem prius fratribus retulit, ut auctor est Eddius in ejus Vita, n. 60. Et sane æquum videtur ut qui de consensu fratrum in monasterio solent admitti, ab eo haudquaquam recedant nisi accedente totius congregationis benevola concessione : apud veteres tamen solum abbatis consensum satis fuisse probari posset ex Severo Sulpicio, cujus hæc verba (*Lib.* I *Dial.*, *c.* 5) : « Haud procul ab eremo Nilo contigua multa sunt monasteria : habitant in uno loco plerumque centeni.... Ex his si qui majorem virtutem mente conceperint, ut acturi solitariam vitam se ad eremum conferant, non nisi permittente abbate discedunt. » Unus e nostris, S. Tillo monachus Solemniacensis, absque abbatis aut fratrum voluntate *clandestino discessu monasterium deseruit*, et eremum petiit.

Tertium vero monachorum teterrimum genus.] Nigris coloribus tertium monachorum genus depingit S. Benedictus, unde et illud vocat *teterrimum*, id est « nigerrimum, obscurissimum, horribile, agreste, vel ferum, » inquit Smaragdus. Eodem modo S. Hieronymus (*Epist.* 22) : « Tertium genus est quod Remoboth dicunt teterrimum atque neglectum. » Et apud Cassianum abbas Piamon (*Collat.* 18, *cap.* 7) : « Emersit post hæc illud teterrimum et infidele monachorum genus, vel potius **49** noxia illa plantatio rediviva concrevit, quæ per Ananiam et Saphiram in exordio Ecclesiæ apostoli Petri severitate succisa est. » Ubi quod ait ab Anania et Saphira originem duxisse, idem asserunt S. Isidorus lib. II de Eccles. Off., c. 15; et Venerabilis Beda in cap. V Act.

A *Est sarabaitarum.*] Qui « ab eo quod semetipsos a cœnobiorum congregationibus sequestrarent, ac sigillatim suas curarent necessitates, Ægyptiacæ linguæ proprietate, sarabaitæ nuncupati sunt, » inquit Cassianus (*Coll.* 18, *c.* 7); cui concinere videtur illa lectio quam ex Apologia Henrici IV imperatoris, ubi hic locus citatur, profert Menardus : « Sarabaitarum, id est sibi viventium; » et Smaragdus : « Sarabaitæ autem interpretantur renuitæ, eo quod majorum exempla et virtutem sequi renuant : » Hinc S. Odo abbas Cluniacensis (*Collat.* 3, *n.* 22) : « Nos miseri, aiebat; non sumus monachi, ut falso nominamur; sed sarabaitæ, id est renuitæ, qui jugum regularis disciplinæ renuimus; » et Bernardus Casshensis : « Sarabaitæ quasi renuitæ dicuntur, quoniam gloriam sanctam respuentes militare renuunt sub pastore »

Qui nulla regula approbati.] Ut pote qui nullam approbant, sed potius ne arguantur eam fugiunt, ut tradit Boherius.

B *Experientia magistri.*] Nam et ipsi sine pastore vivunt, in quo omnem cœnobitarum, qui sub regula et abbate militant, disciplinam abjicere noscuntur; unde Cassianus eorum mores apprime describens : « Cœnobiorum, inquit, nullatenus expetunt disciplinam, nec seniorum subduntur arbitrio, aut eorum traditionibus instituti suas discunt vincere voluntates, nec ullam sanæ discretionis regulam legitima eruditione suscipiunt. »

Velut aurum fornacis,] id est monasterii, in quo cœnobitæ igne observantiæ regularis probantur, ut inde puriores evadant.

Sed in plumbi natura molliti.] Sarabaitas plumbo similes facit, quod applicatum igni non modo mollescit, sed et totum effluit; quia simul ac vel parvæ difficultatis ignem sentiunt, omnino resolvuntur, et in vanas effluunt voluptates, unde et pro lege eis est desideriorum voluptas.

C *Adhuc operibus servantes sæculo fidem.*] Quem in locum Smaragdus : « Quid est enim adhuc operibus servare sæculo fidem, nisi ea facere monachum quæ egit in sæculo adhuc in sæculari habitu positus? Sæculo fidem servat, qui ejus voluntatem facere non cessat; fidem sæculo servat, qui a se nec desiderio, nec opere ab illo separat; sed tantum per tonsuram et religionis habitum Dei sese mentitur filium; in habitu enim et religione exterius a nescientibus Domino videtur esse mentitus. » Quæ egregie competunt sarabaitis, qui non aliter ac in sæculo vivunt.

Mentiri Deo per tonsuram noscuntur.] Quia, ut dicit apud Cassianum abbas Piamon, « ad publicum tantummodo, id est ad hominum faciem renuntiantes, aut in suis domiciliis sub privilegio hujus nominis (scilicet monachi) iisdem obstricti occupationibus perseverant, **50** aut construentes sibi cellulas, easque monasteria nuncupantes, suo in eis jure ac libertate consistunt, nequaquam evangelicis præceptionibus succumbentes, ut nulli scilicet quotidiani D victus sollicitudine, nullis rei familiaris distentionibus occupentur. »

Qui bini aut terni aut certe singuli.] Similiter S. Hieronymus (*Epist.* 22) : « Hi bini, vel terni, nec multo plures simul habitant; » et apud Cassianum abbas Piamon : « Illi autem qui districtionem, ut diximus, declinantes, bini vel terni in cellulis commorantur, » etc. : in hoc aliquam anachoreticæ et cœnobiticæ vitæ speciem præ se ferentes, neutram autem in rei veritate tenentes : non primam, propter societatem, quam respuit anachoresis; non secundam, defectu multitudinis, quam, ut vere et religiose exerceatur, exigit cœnobitica vita.

His autem sarabaitarum latibulis haud multum absimiles sunt cellæ extra cœnobia, seu prioratus, aut præpositturæ, in quibus duo tresve fratres, sine ordine, sine disciplina conversantur, quasque ideo *Synagogas Satanæ* nuncupat S. Bernardus ad Guarinum abbatem

scribens (*Epist.* 254), quemque quod eas destrueret, magnopere commendat. Et merito quidem; nam, ut dicit Joannes de Turrecremata (*Tract.* 13 *in Reg. S. Bened.*), « in parvis prioratibus religio annihilatur; ibi enim vitio proprietatis appropinquatur; meritum obedientiæ minuitur, continentia facile periclitatur. Qui solus est in prioratu, vel cum uno socio, ut frequenter, fere est proprietarius, quia habet pro majore parte habens sibi. Obedientia ipsius minus meretur, cui nullus aliquid jubet, et ideo facit quod facere libet. Continentia etiam facile periclitatur, quia opportunitas precandi habetur. » Hinc salubris illa cujusdam diaconi admonitio ad S. Leobinum monachum et postea episcopum Carnotensem (*In ejus Vit. sæc.* 1 *Bened.*): « Præmoneo ne parvæ te socies cellulæ, quia dum singuli præponere sibi cupiunt, nulli obedientia ministratur. » Cui periculo ut obviarent congregati in concilio Aquisgranensi abbates, sanxerunt (*Can.* 44) ut in hujusmodi cellis « abbas provideat ne minus de monachis ibi habitare permittat quam sex. » Quem canonem extendere visus est Petrus Venerabilis cum statuit, « ut, ubicunque facultas loci permiserit, exceptis decanis, duodecim fratres constituantur, addito tertio decimo priore, plenumque ordinem teneant; » et Cistercienses, cum definierunt (*Stat.* 41) ut « duodecim monachi cum abbate decimo tertio ad cœnobia nova mittantur. » Ita in eorum Institutis cap. 12, et in Institutionibus dist. 1, cap. 6, quod confirmant in libro Antiquarum definitionum, dist. 3, cap. 3, ubi statuunt, « ut minora monasteria tam monachorum quam monialium, in quibus non possunt congrue sustentari saltem tredecim monachi, vel moniales, ibidem assidue residentes, ut per omnia possint communia statuta ordinis observare, Patres abbates conjungant, et uniant aliis de consilio fundatorum, et capituli generalis. » Et Fulienses in suis Constitutionibus (*Cap.* 1): « Ut teterrimum genus monachorum, quod dicitur sarabaitarum, in hac congregatione vitetur, statuimus, ut posthac nullum monasterium congregationi oblatum recipiatur aut exstruatur, quod redditus **51** ad tredecim aut duodecim minimum fratres alendos non habeat, aut habiturum probabiliter speretur » Similiter et Carthusienses in nova statutorum collectione (*Parte* II, *c.* 21, *n.* 3): « Quia ex levi et indiscreta receptione domorum novarum, minus sufficienter dotatarum.... multa scandala et vituperia nostro novimus ordini provenisse, et deteriora in posterum, nisi salubre remedium apponatur, non immerito formidamus; statuimus ut nulla domus recipiatur de cætero, nisi prius pro sustentatione prioris ac duodecim monachorum, ac pro aliis oneribus portandis, dotetur sufficientibus redditibus vel possessionibus assignatis. » Hunc numerum quem minimum hic determinant, pro majori assignant statuta Guigonis his verbis (*Cap.* 78): « Numerum habitatorum hujus eremi monachorum quidem tredecim est, non quod semper tot simus; nunc enim non sumus tot, sed quod tot, si Deus miserit, suscipere instituimus. Sed et si talis aliquis unus, cujus utilitas et honestas videatur vix posse recuperari, misericordiam postulaverit, addetur et quartus decimus, si tamen facultas domus tolerare posse putabitur. » Idem habent antiqua Carthusiensium statuta, cap. 25. Et certe scribit Hildemarus duodecim in deserto sufficere monachos, quamvis in civitatibus minime. Turrecremata vero (*In cap.* 17 *Reg. S. Bened.*) congregationem non esse dicendam, ubi minus quam duodecim monachi habitant. Cæterum concilium Epaonense vetat (*Cap.* 10) « cellas novas aut congregatiunculas monachorum absque episcopi notitia institui. »

Porro si tantum sit periculum ubi tres quatuorve soli habitant monachi, quanto majus ubi solus aliquis sine socio, sine teste, sine priore, suis relictus voluntatibus conversatur? Plane existimari vix potest: quare, ut huic malo remedium aliquod afferrent summi pontifices, Gregorius IX in bulla ad monachos

A Benedictinos, quæ exstat apud Matthæum Parisium, et nominatim in alia ad Cluniacenses, quam non multo post renovavit Nicolaus IV, decernit ut « nec in prioratu aliquo unus solus monachus commoretur; sed ei qui solus est unus vel plures socii adjungantur, si loci suppeditant facultates: alioquin monachus revocetur ad claustrum, proviso quod in eo divina celebrentur honeste; » et iterum post eos Benedictus XII in sua Constitutione: « Ordinamus etiam et volumus, Lateranensis concilii de monachis singulis per villas, vel oppida, et parochiales ecclesias non ponendis, et supradictam Clementis prædecessoris editam in concilio Viennensi constitutionem, ne ipsi singuli monachi in singulis sibi commissis administrationibus vel prioratibus habitare præsumant, firmiter observari. » Idem habet concilium Londonense anno 1200. Idem constitutiones Richardi episcopi Sarum anno 1217, et Constitutiones Richardi Dunelmensis episcopi anno 1220, apud Spelmannum tom. II Conc. Angl.

B *Sine Pastore.*] Eo utique qui dicit: *Ego sum Pastor bonus*, a quo se carnaliter vivendo segregant. Vel sine pastore, « id est sine abbate, qui in monasterio Christi vicem videtur agere, qui dicit: *Ego sum Pastor bonus*, » inquit Smaragdus, ut pote cujus imperia et auctoritatem **52** refugiunt *suo arbitratu ac ditione viventes*, ut loquitur S. Hieronymus (*Epist.* 22).

Non dominicis, sed suis inclusi ovilibus.] Quem in locum Smaragdus: « Domini ovilia sanctorum monachorum sunt monasteria, qui recte a summo Pastore Christo reguntur, et in loco pascuæ collocantur. » At nimis angusta sunt hæc immensæ sarabaitarum mentis instabilitati: ideo non dominicis se patiuntur includi ovilibus, sed, ut ait S. Hieronymus, « habitant quamplurimum in urbibus et castellis. » Nam, quod ait auctor Sermonum ad Fratres in eremo (*Serm.* 21), eos habitare in cavernis seu petrarum foraminibus, gratis confictum videtur. « Tales fuerunt, inquit, illi sarabaitæ, de quibus tertio scripsit nobis Pater Hie-

C ronymus, quorum genus est omni affectu vitandum. Ipsi denique in Ægypto erant in foraminibus petrarum habitantes, induti porcorum et boum pellibus, tantum cincti funibus, palmarum spinas ad calcaria portantes ad cingulum ligatas, discalceati et sanguine cruentati, cavernas exeuntes ad festum Cœnopægiæ pergebant Hierosolymam, et Sancta sanctorum intrantes paupertatem et abstinentiam prædicabant animi affectu servare: barbas postmodum in conspectu hominum sine redemptione evellere festinabant, et sic acquisita fama et lucro, ad propria remeabant, solitarie gaudentes, et epulantes supra id quod explicare possumus. » Sane nullum tunc temporis erat Hierosolymis templum Judæorum, nec aliquid horum reperitur apud Hieronymum aut Cassianum qui sarabaitarum mores satis accurate descripserunt. Idem tamen pene de verbo ad verbum videre est in antiquis Lectionibus Cœlii Rhodigini. lib. XXVII, cap. 6.

D *Pro lege eis est desideriorum voluptas.*] Ideo pastorem habere refugiunt, ut liberius quod libuerit impleant, « non contenti abbatis cura atque imperio gubernari, inquit apud Cassianum abbas Piamon, sed hoc præcipue procurantes, ut absoluti a seniorum jugo, exercendi voluntates suas, et procedendi, vel quo placuerit evagandi, agendive quod libitum fuerit habeant libertatem. » Ex quo sequitur quod ait S. Hieronymus: « Inter hos sæpe sunt jurgia, quia suo viventes cibo non patiuntur se alicui esse subjectos: revera solent certare jejuniis, et rem secreti victoriæ faciunt. Apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum, et si quando dies festus venerit, saturantur usque ad vomitum. »

Cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc putant sanctum, et quod noluerint, hoc putant non licere. Notanter S. Benedictus ait *quidquid elegerint*, non

quidquid eis præcipitur : in quo iterum discrepant a cœnobitis, quorum est alieno parere imperio; non quod placuerit eligere. Sed miseri non advertunt quod ait abbas Piamon apud Cassianum : *Hos arbitrii sui tepor vivos ad inferna demergit.*

Quartum vero genus est monachorum quod nominatur **53** *gyrovagum.*] Hi sunt quos ementito eremitarum nomine, nigris vestibus indutos, capite comatos, urbes obeuntes, cum sæcularibus ac mulieribus conversantes, in monasteria retrudi, aut in solitudinem abigi præcepit sexta synodus can. 42; quos S. Isidorus (*S. Isid. lib.* II *de Eccl. Off. c.* 15) *Circilliones*, S. Augustinus (*Aug. in ps.* CXXXII) *Circelliones* et *Circumcelliones*, Bernardus Cassinensis *Circumcellariones* appellant, eo quod cellas semper vagi et nunquam stabiles circumirent; de quibus Synesius episcopus : « Vagantur quidam apud nos vacantivi. Hi certam quidem nullam legem habere volunt, qui quam habebant antea reliquerunt, eo vagantes ubi majus compendium est. »

Qui tota vita sua per diversas provincias,] id est per diversas regiones diversaque regna; neque enim eos capere possunt angustissimi cœnobiorum carceres; imo minus lata sunt spatiosissima solitudinis loca : nec una ad vagandum provincia contenti, per diversas discurrunt, ut verissime cum Bernardo Cassinensi, de toto mundo claustrum sibi fecisse diceres. At vero quis eorum artes sic vagando, sic discurrendo explicet? Juvat hic Augustinum graphice omnino eas depingentem proferre (*Lib. de Opere monach., c.* 28) : « Tam multos, inquit, hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispersit, hostis scilicet humani generis, circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii membra martyrum, si tamen martyrum, venditant; alii fimbrias et phylacteria sua magnificant; alii parentes aut consanguineos suos in illa vel illa regione se audisse vivere, et ad eos pergere mentiuntur; et omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. »

Per diversorum cellas.] Cellæ vocabulum diversimode potest accipi : 1° Pro eo omni in quo aliquid reconditur et absconditur; nam cella dicitur a celando. 2° Pro secretiori aliquo templi loco, in quem ingredi non cuilibet fas erat, ut pote ubi Dei sedes existebat. Sic Varro (*Lib.* IV *de Ling. Lat.*) : « Et ideo, inquit, in ædibus sacris ante *cellam*, ubi sedes Dei sunt, Græci dicunt πρόδομον. » 3° Pro loco in quo dormire solent monachi, sicut in Regula S. P. Benedicti, cap. 22 : *Candela in eadem cella ardeat usque mane.* 4° Pro cubiculis monachorum, quæ singula singulis assignata fuisse, etiam apud veteres constat ex Justiniani novella 5 de Monachis : unde conc. Turonense secundum : « Nec cellas eis liceat habere communes, ubi bini maneant, sed singulares jaceant. » 5° Pro parvis anachoretarum habitaculis, quia ibi remoti ab omni hominum commercio absconditi latent, ut Deo revelent vias suas. 6° Pro monasterio sive cœnobio, unde Scholasticam sororem suam alloquens S. Benedictus, « manere, inquit, extra cellam nullatenus possum; » et S. Gregorius, lib. I, ep. 54 : « Oratorium B. Mariæ, quod nuper in *cella* fratrum ædificatum est, ubi Marinianus abbas præesse cognoscitur. 7° Tandem pro parvo monasterio, quod majori subest, et vulgo prioratus seu præpositura nuncupatur, de quibus est canon 44 concilii **54** Aquisgranensis : « Ut abbatibus liceat habere *cellas*, in quibus aut monachi sint aut canonici, et abbas provideat ne minus de monachis habitare permittat quam sex. » Hic vero cellæ vocabulum potest intelligi tribus posterioribus acceptionibus; certum est enim gyrovagos illos et anachoretas visitasse, et cœnobitas, sive in majoribus monasteriis, sive in minoribus egissent, quin et urbes circuivisse patet ex can. 42 sextæ synodi.

Ternis aut quaternis diebus hospitantur,] id est A quandiu lauto, ut hospites pertractantur, ut exponit Boerius. Sciunt nimirum eam esse monasteriorum consuetudinem, ut hospites aliquantis post adventum diebus, humanius et solito lautius excipiantur; quibus evolutis ad communem fratrum vivendi rationem redeuntur, ut de Nitriensibus narrat Palladius, apud quos « prope ecclesiam positum est xenodochium, in quo venientem hospitem toto tempore accipiunt, etiansi biennium aut triennium voluerit manere, donec velit sponte sua recedere, permittentes ei una hebdomada manere in otio, aliis deinceps diebus occupant eum in opere, aut in horto, aut in pistrino, aut in coquina. » Quandiu ergo in otio remanere permittuntur, quandiu lautioribus cibis excipiuntur, tandiu hospitantur: at ubi ad communem cœnobii disciplinam sunt agendi, valefaciunt, « et mox de vicinis monachis ut monasterii positione interrogant : ubi cum se levaverint, ponant vel applicent velut lassi, » ut loquitur Magister in Regula cap. 1.

B *Semper vagi, nunquam stabiles,*] sive, ut dicit S. Basilius (*In Constit. monast. c.* 9), « instabiles locum mutant identidem, modo ad hos, modo ad illos fratres se conferunt, et irrequieto acti impetu se in circumlustrandis assidue monasteriis occupant : » quorum mens non magis corpore stabilis aut firma subsistit, sed, ait iterum S. Basilius (*Ibid.*), « horum volucris animus continenter flabris veluti quibusdam pulsat horum consilia assimilia vespertilionum volatibus sunt; quippe qui in directum nunquam feruntur, sed tortuoso et incerto volatu hinc illucque temere pererrant ac circumaguntur. » Ac de his maxime intelligenda videntur illa S. Hildegardis in Regulam S. Benedicti verba : « Ante tempora B. P. Benedicti la certa regula monachi confirmati, diversa incendine ac instabilitate hac et illac vagabantur, sine magisterio et certa locatione carentes; quapropter ipse vitia instabilitatis morum illorum describens, ut vita eorum a fidelibus monachis devitetur, monet. »

C *Et propriis voluptatibus, et gulæ illecebris servientes.*] *Propriis voluptatibus*, ut pote qui « per simulationem charitatis carnis libidinibus obsequuntur, » ut ait S. Basilius *in Constit. monast. c.* 9). *Et gulæ illecebris :* ideo enim semper discurrunt, nec plus ternis quaternisve diebus in monasteriis hospitantur, quia « pro hospitum adventu, inquit Regula Magistri cap. 1), a diversis volunt quotidie noviter suscipi, et pro gaudio supervenientium exquisita sibi pulmentaria apparari, et animantia **55** pullorum sibi curant quotidie a diversis hospitibus proventu cultello occidi... per occasionem itineris, extimas suas latiori cœna vel prandio inquinatas istis poculis magis quam pedes fomentari dorant; et post exinanitam a famelico hospite mensam, et miculas ipsas panis post viam detersas, situam sine verecundia hospiti ingerentes, si calix casu defuerit, rogatur hospes in ipsa patella ut mittat; et postquam ex utraque parte nimietate cibi potus percalcati usque ad vomitum fuerint, totum laboriosæ viæ imputant quod gula lucravit... Inde magis eligunt ambulare, et noviter per diversos hospites mutatos, et varias refectiones, ut per occasionem sitientis viæ repropinata pocula sumant. Hoc agunt, ut gulæ suæ magis quotidie peregrinari autur quam animæ. » Hactenus Magister, quæ vago cuidam Philippo nomine exprobrat S. Isidorus Pelusiota (*Lib.* I, *ep.* 41) : « Loca subinde cohans pinguiorem potius, ut videtur, mensam, quam firmiorem ac solidiorem eruditionem quærens. »

D Circa sanctæ Regulæ textum obiter hic notandum est, S. Patrem simpliciter dicere gyrovagos gulæ servire; sed illecebris : dicitur autem « illecebra, inquit Smaragdus, eo quod illiciat in aliud peccatum : verbi gratia, ex gula nascitur saturitas, ex nimia saturitate aliquando fornicatio. » Hac ergo loquendi ratione S. Benedictus indicat soli gulæ, nisi

aliis etiam vitiis subjaceamus, servire nos non posse. Unde et S. Gregorius : « De ventris ingluvie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagatur. »

Et per omnia deteriores sarabaitis,] quia, ut dixit Hildemarus, « sarabaitæ sibi cellas ædificant; gyrovagi vero non ædificant cellas, sed discurrunt per diversa loca : sarabaitæ, quamvis mali, tamen labore manuum suarum vivunt; gyrovagi labore aliorum : illi non dant aliis malum exemplum; isti vero, quia currunt per diversa loca, ideo exempla mala tribuunt : illi quia in uno loco stant, non vident bona exempla; isti quia vadunt, vident bona exempla, et nolunt illa imitari : sarabaitæ multa nescientes agunt; isti vero scientes malum esse discurrere per loca propter gulam, et tamen non emendantur. »

De quorum omnium,] scilicet gyrovagorum, de quibus hic sermo est.

Miserrima conversatione.] Miserram vocat gyrovagorum conversationem, ut pote « quorum in animis nihil firmitatis, ut loquitur S. Basilius (*Const. monast.* c. 9), nihil solidi, nihil quod disciplinæ conveniat ordinis, nihil denique prudentiæ inest aut gravitatis : contraque summa curiositas, morum perversitas, levitas, inconsiderantia, dolus, hypocrisis, mendacis et veteratoriæ orationis plenissima ostentatio in his redundat; hi enim et lingua rudes sunt, et ventre intemperantes. »

Melius est silere quam loqui,] ne forte aliis veniat
56 in exemplum. Si ergo silentio obtegenda est miserrima gyrovagorum conversatio, quo magis fugienda! Sane devitandos imprimis esse suadet S. Basilius in loco a nobis toties citato : imo expellendos ejiciendosque cum ad nos veniunt auctor est S. Joannes Climacus in Scalæ gradu 27, ubi loquitur : « Notavi ego dæmones sæpe vagabundos solitarios, et qui nullo consilio solitudinem sunt ingressi, excitare, ut ad veros et justos anachoretas pius adeant, et pugiles Christi per illos errones vel dicam a studiis pietatis impediant. Hos tu vagones bone vir, observa, nec recusa hosce inertes pie consistare; fortasse enim ex tristitia hac circumcurrere et vagari desinent. »

His ergo omissis,] scilicet sarabaitis gyrovagis, imo et anachoretis.

Ad cœnobitarum fortissimum genus disponendum adjuvante Domino veniamus.] Cœnobiticam igitur vitam aliis omnibus anteponit. Et sane tutiorem utilioremque omnibus eam prædicant quotquot de rebus asceticis scripsere doctores et magistri. Et idem quod sarabaitas gyrovagosque attinet, nemo non videt his longe præferendos esse cœnobitas. In anachoretis major apparet difficultas : enim vero cum ex cœnobitica ad eremiticam translationem non modo permittat, sed et suadeat S. Benedictus, ut ex S. Petro Damiani superius vidimus, consequenter inferendum videtur, etiam anachoreticam vitæ cœnobiticæ præcellere : qui enim ex perfecta ad minus perfectam vitam transitum persuasisset ?

Respondet Bernardus Cassinensis Benedictum non persuasisse, sed tantum permisisse e cœnobio ad eremum transmigrationem. Deinde licet ex naturæ suæ conditione perfectior videatur anachoresis, ut pote quæ in jugi Dei contemplatione versatur, communiter tamen loquendo tanquam magis periculosa, minus secura, minusque utilis, vitæ communi, quæ in monasterio exercetur, postponenda est. Atque ita docere solent omnes SS. doctores, multis quidem fulti rationibus, quas hic in gratiam cœnobitarum deducere non erit fortassis otiosum.

Primo. Quia dominicum illud de nihil cogitando de crastino præceptum in cœnobio facile, in solitudine vero nunquam adimpletur; imo ad necessaria corporis exquirenda et præparanda sibi sufficit anachoreta; « Nemo quod corporis quidem necessitatem attinet sibi ipsi sufficiens est, inquit S.

A Basilius (*Reg. fus. c.* 7), sed ad necessariorum subministrationem alii aliorum opera indigent. »

Secundo. Propriam cœnobita non sequitur voluntatem, sed ad illius exemplum qui pro nobis factus est obediens usque ad mortem, humiliter abbati subjectus in omnibus obtemperat : at vero eremita cum supra se neminem habeat cui subjiciatur, neminem imperantem cui obsequatur, obedientiæ merito privatur. Quas quidem duas rationes tanti faciebat abbas Joannes, ut eas omnibus deserti utilitatibus anteferret, uti ipse testatur apud Cassianum (*Collat.* 19, *cap.* 6) sic loquens : « Si mihi in cœnobio constituto ab illa puritate cordis aliquid fuerit imminutum, 57
ero solius evangelici præcepti compensatione contentus, quod certum est omnibus illis eremi fructibus non posse postponi, ut scilicet de crastino nihil cogitem, et usque ad finem subjectus abbati illum aliquatenus videar æmulari de quo dicitur : Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, merearque illius verbum humiliter dicere, quia non veni

B facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris. » Et S. Cuthbertus et ipse anachoreticam vitam ducens, teste Venerabili Beda in ejus Vita (*Sæc.* II *Bened.*), c. 22, « hoc quoque fratribus solebat intimare, ne conversationem ejus quasi singulariter celsam mirarentur, quia contemptis sæcularibus curis securus vivere mallet; sed jure, inquit, est cœnobitarum vita miranda, qui abbatis per omnia subjiciuntur imperiis, ad ejus arbitrium cuncta vigilandi, orandi, jejunandi, atque operandi tempora moderantur, quorum plurimos novi parvitatem meam longe et munditia mentis et culmine gratiæ prophetalis anteire. »

Tertio. « Dilectionis Christi ratio, inquit S. Basilius (*Regul. fus. cap.* 7), non permittit ut quisque quod suum est spectet; dilectio enim, inquit, non quærit quæ sua sunt : at solitaria vita unicum scopum habet, ut quisque quod suum est quærat. »

Quarto. Facilius in eremo cadit monachus quam

C in cœnobio; libentius enim ad solitarium accedit cum omni dæmonum caterva tentator, eumque omni alieno destitutum auxilio facili superat negotio. Hac potissimum ratione sanctimonialem quamdam ab eremo deterret S. Bernardus, ad hanc ejus objectionem sic respondens (*Epist.* 115) : « An non mihi mea pudicit a tutior erit in eremo, ubi in pace cum paucis, aut sola conversans soli placeam cui me probavi? Nequaquam; nam volenti perperam agere, et desertum abundantiam habet, et nemus umbram, et silentium solitudo; malum quippe, quod nemo videt, nemo arguit; ubi autem non timetur reprehensor, securius accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. In conventu vero bona, si qua facis, nemo prohibet; malum vero facere si vis, non licet; mox etenim a pluribus comperitur, arguitur, emendatur. » Accedit quod jam notavit Petrus Venerabilis (*Lib.* 1 *epist.* 20) : « Non enim ut in acie fieri solet, multi contra multos, nec ut in duello unus contra unum, sed inusitato præliandi more

D solus contra plurimos et numero et virtute præstantes dubia sub sorte contendit » anachoreta. Hac ratione Victorianus abbas Assanensis in Hispania (*In ejus Vita, n.* 19, *Boll.* 12 *Januar.*), cum quosdam videret monachos, qui « foris vitam solitariam degebant in diversis oratoriis cellisque, eos ad cœnobium revocavit, certamque eis vivendi regulam ac normam præscripsit, bonum esse prædicans et jucundum habitare fratres in unum, ubi sit cor unum et anima una; necessarium esse junctis viribus adversus antiquum et vafrum hostem pugnare, plurimumque momenti afferre spiritalibus athletis, si mutuo sese exhortationibus et exemplis ad strenue dimicandum excitent, magnas quidem hostis vires esse, sed multum eas debilitari plurium simul repugnantium virtute, non facile expugnari fidelium castra quæ sunt charitate vallata. »

58 Quinto. Tardius a peccato resurgit eremita, 1° quia multis obnoxius vitiis, ea non agnoscit;

2° quia licet ea cognosceret, non tamen facile emendaret, cum a quo reprehendatur habeat neminem: « In solitudine, inquit iterum S. Basilius (*Reg. fus. c.* 7), et illud accedit, quod non facile defectum et erratum suum agnoscit, qui solus est, cum non habeat a quo in mansuetudine, et affectu misericordiæ arguatur, et corrigatur; reprehensio enim sæpe etiamsi ab inimico fiat, emendationis desiderium affert viro bono. » At vero « qui inter multos peccat, a peccato facile abducitur per condemnationem, quæ a pluribus concorditer infertur, magis veretur, ut competat illi illud Pauli: sufficit illi qui hujusmodi est increpatio quæ fit a pluribus. »

Sexto. « Mandata Dei a pluribus unitis facilius perficiuntur, ab uno autem non ita; dum enim is unum exsequitur, aliud impeditur; dum infirmos visitat, a susceptione hospitum retrahitur (*S. Basil. ibid.*). »

Septimo. « Qui solus est spiritualia dona recipere non valet, sed secundum proportionem fidei, quæ in unoquoque est, et subministrationis spiritus, quæ est in vitæ communicatione, cujusque proprium donum commune fit eis qui una conversantur; nam alii datur sermo sapientiæ, alii vero sermo scientiæ, alii fides, etc., quorum quodque non magis qui accipit, sui ipsius, quam aliorum gratia habet; ut necesse sit in vita communi Spiritus sancti operationem, quæ in unoquoque, est ad omnes pertingere. Qui igitur separatus vivit unum aliquod donum habet, idque per otium in seipso defossum inutile reddit.... qui vero multorum in convictu constitutus est, et proprio dono fruitur, licet communicando illud multiplicet, etiam quæ aliorum sunt velut propria lucrifacit (*Ibid.*). »

Octavo. « Utilior est vita communis ad conservationem eorum donorum quæ a Deo donata sunt, » inlit iterum S. Basilius (*Ibid.*). At vero in solitudine non modo gratuita dona, sed virtutes multo labore in cœnobio acquisitas facillime deperdit, cujus rei periculum fecerat S. Bernardus cum diceret (*Serm. 64 in Cant.*): « Quantos ex monasteriis spiritu ferventes eremi solitudo suscepit, et aut tepefactos evomuit, aut tenuit contra eremi legem non modo remissos, sed etiam dissolutos; sicque apparuit vulpeculam affuisse ubi tanta facta est vastatio vineæ, id est vitæ et conscientiæ hominis detrimentum: cogitabat si solus degeret multo se copiosiores fructus spiritus percepturum, quippe qui in communi vita tantum spiritalis gratiæ fuisset expertus; et bona visa est sua cogitatio sibi, sed rei exitus indicavit magis eamdem illi cogitationem vulpem demolientem fuisse. » Et ante ipsum S. Joannes Climacus (*Grad.* 4): « Animadverti alios per obedientiæ disciplinam perfectos, cura præsidis ad promptum peccatorum lugendorum sensum, ad miram mansuetudinem, continentiam, diligentiam, invictam constantiam, et ardorem spiritus redactos; quibus insidiantes cacodæmones persuadere student aptos jam illos esse ad solitudinem, per quam ad supremum virtutis et apathiæ gradum possint eniti, atque infelices isti sic delusi, fida portus religiosi **59** statione relicta, in altum solitudinis pelagus abrepti, ingruente tempestate, gubernatorum ope destituti, impuri demum salsique maris hausti fluctibus, miserandum in modum perierunt. »

Nono. Inter cætera præsertim superbiæ obnoxius est solitarius: « In solitudine, inquit S. Hieronymus (*Epist.* 4), facile obrepit superbia, si parumper jejunaverit, hominemque non viderit, putat se alicujus esse momenti, oblitusque unde et quo venerit, intus corde, lingua foris vagatur; » et S. Basilius (*Reg. fus. c.* 7): « Periculosa est vita solitaria, quod solitarius sibi ipsi complacet; cum enim neminem habeat qui opus ejus probare queat, ad mandati divini perfectionem se pervenisse putat. »

Decimo. Vix unquam eremita ad summum perfectionis apicem ascendisse potest, quia, ut dicit S. Basilius (*Ibid.*), « solitarius quantum in bonis operibus promoveat non intelligit, cum omnis illi in mandatis Dei operandi materia sublata sit; ubi enim animi humilitatem ostendet, cum neminem habeat quo se humiliorem possit exhibere? etc. »

Undecimo. Nullum est solitudinis exercitium quod in cœnobio implere non possis: unde Petrus Blesensis in libro contra depravatorem: « Habebas in claustro secretum solitudinis, locum pœnitentiæ, pacem animæ, contemplationis arcanum, gaudium in Spiritu sancto, consilium in hæsitatione, in tentatione remedium, in omnibus efficax beneficium medicinæ. Ibi virtutum schola est, summus ibi modestiæ usus, morum regularitas, legendi libertas, fraternitatis affectio, omnium communicatio, disciplinæ vigor, lex obedientiæ, vinculum charitatis, et mutua obsequela. »

Duodecimo. Tandem copiosior in cœlo merces cœnobitæ servatur, ut discimus ex visione cujusdam Patris, quam refert Rufinus his verbis (*Lib.* III *de Vit. Pat. n.* 141): « Quidam ex Patribus in exstasi positus vidit quatuor ordines ante Deum: et primus quidem erat hominum infirmantium, et gratias agentium Deo; secundus vero erat eorum qui hospitalitatem sectantur, et in hoc stant et ministrant; tertius vero illorum qui solitudinem sectantur, et non vident homines; quartus vero illorum qui propter Deum et obedientiam solliciti et subjecti sunt Patribus. Erat ergo tribus illis ordinibus hic ordo superior, qui obedientiam exhibebat, et utebatur torque aurea, et majorem gloriam præ cæteris possidebat. Dixit autem senex ei qui sibi hoc in exstasi demonstrabat: Quare hic ordo quartus majorem cæteris gloriam habet? Ille autem respondit ei dicens: Quia omnes isti alii habent aliquam requiem adimplendo quamvis in bonis operibus voluntates suas. Obediens autem propriam voluntatem relinquens pendet in Patris voluntate jubentis, et ideo majorem præ cæteris gloriam est sortitus. »

His atque aliis hujusmodi rationibus convicti asceticæ vitæ magistri, anachoresi non modo non inferiorem, sed et longe utiliorem vitam cœnobiticam prædicarunt; unde et abbas Joannes apud Cassianum (*Coll.* 19, *c.* 3) cum viginti annos in solitudine exegisset, ad cœnobium libens et gaudens reversus est: S. P. Benedictus et multi alii ab anachoresi incœperunt, **60** in cœnobio vitæ finem fecerunt; eosque qui ita agerent plurimum commendat S. Joannes Climacus, uti testantur hæc ejus verba (*Grad.* 4): « Quisquis in solitudine versatus suam ipsius imbecillitatem cœpit recognoscere, indeque ad cœnobium demigrans seipsum ultro obedientiæ auctorat et addicit, hic cæcus ante, repente sine labore cœpit Christum respicere. » Quapropter cum SS. Patres e cœnobio ad eremum transmigrare permittunt aut suadent, non id omnibus indifferenter, etiam iis qui aliquantum in via virtutis profecisse videntur; sed illis duntaxat qui ad tantum perfectionis gradum ascenderunt, ut de eorum casu timendi nulla vel levissima appareat umbra, permissum esse asserendum est: alioquin si vitiis obnoxii secreta solitudinis expeterent, non modo non permittendi, sed et si jam petiissent revocandi ad monasterium forent. Sic S. Joannes Climacus narrat, quod cum aliquando quosdam inviseret anachoretas, aliquosque iræ obnoxios reperisset: « His ego, inquit, pie suasi ut e solitudine ad monasteria migrarent, ne ex hominibus in dæmones verterentur; » et S. Isidorus, qui, ut supra vidimus in lib. II de Divinis Officiis, cap. 15, nullum ante permittit ad eremum transire quam viginti minimum annos in monasterio cum fratribus exegerit, in Regula sua omnem prorsus reclusionem excludit: « Nullus, inquit (*Cap.* 5), separatam cellulam a cœtu remotus expetet, in qua sub studio reclusionis, aut latenti vitio serviat, et maxime vanæ gloriæ, aut mundialis opinionis famæ; nam plerique proinde reclusi latere volunt, ut pateant, ut qui viles

erant aut ignorabantur, foris positi sciantur, atque honorentur inclusi; nam revera omnis qui propter A vitæ quietem a turbis discedit, quanto magis a publico separatur, tanto minus latet. »

CAPUT II.

Qualis debeat esse abbas.

Abbas qui præesse dignus est monasterio, semper meminere debet quod dicitur, et nomen Majoris factis implere. Christi enim agere vices in monasterio creditur, quando ipsius vocatur prænomine [a], dicente Apostolo : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater* (*Rom.* I). Ideoque abbas nihil extra præceptum Domini (quod absit) debet aut docere, aut constituere, vel jubere : sed jussio ejus vel doctrina, fermentum [b] divinæ justitiæ in discipulorum mentibus conspergatur.

61 Memor sit [c] semper abbas, quia doctrinæ suæ vel discipulorum obedientiæ, utrarumque rerum in tremendo judicio Dei facienda erit discussio. Sciatque abbas culpæ pastoris incumbere quidquid in ovibus paterfamilias utilitatis minus potuerit invenire. Tantum [d] iterum liber erit, ut si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, et morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita, pastor earum [e] in judicio Domini absolutus, dicat cum Propheta Domino : *Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi* (*Ps.* XXXIX) : ipsi autem contemnentes spreverunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ovibus pœna sit eis prævalens ipsa mors.

Ergo cum aliquis suscipit nomen abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis; id est omnia bona et sancta factis amplius quam verbis ostendat; ut capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat [f] : duris vero corde et simplicioribus, factis suis divina præcepta demonstret [g]. Omnia vero quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda, ne aliis prædicans ipse reprobus inveniatur (*I Cor.* IX), nequando dicat illi Deus peccanti : *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos post te* (*Psal.* XLIX). Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti (*Matth.* VII).

Non ab eo persona in monasterio discernatur. Non unus plus ametur quam alius, nisi quem in bonis actibus aut obedientia invenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex servitio convertenti, nisi alia rationabilis causa existat. Quod si ita justitia dictante abbati visum fuerit, et de cujuslibet ordine id faciat; sin alias, propria teneant loca : quia sive servus, sive liber (*I Cor.* XII), omnes in Christo unum sumus : et sub uno Domino æqualem servitutis militiam bajulamus : *quia non est personarum acceptio apud Deum* (*Act.* X). Solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores ab aliis in operibus bonis et humiles inveniamur. Ergo æqualis sit ab eo omnibus charitas : una præbeatur in omnibus [h], secundum merita, disciplina [i]. In doctrina namque sua abbas apostolicam **62** debet illam semper formam servare, in qua dicit : *Argue, obsecra, increpa* (*I Tim.* IV), id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta : dirum magistri, pium patris [j] ostendat affectum : id est indisciplinatos et inquietos debet durius arguere; obedientes autem, et mites, et patientes, ut in melius proficiant, obsecrare; negligentes autem B et contemnentes, ut increpet et corripiat, admonemus.

Neque dissimulet [k] peccata delinquentium : sed mox ut cœperint oriri, radicitus ea, ut prævalet, amputet, memor periculi Heli sacerdotis de Silo (*I Reg.* II). Et honestiores quidem atque intelligibiles [l] animos, prima vel secunda admonitione verbis corripiat; improbos autem et duros corde, ac superbos, vel inobedientes, verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum : *Stultus verbis non corrigitur*. Et iterum : *Percute filium tuum virga, et liberabis animam ejus a morte* (*Prov.* XXIII). Meminere debet semper abbas quod est, meminere quod dicitur, et scire quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Sciatque quam difficilem et arduam rem C suscepit regere animas et multorum servire moribus. Et alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus, et secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam, ita se omnibus [m] conformet et aptet, ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum in augmentatione boni gregis gaudeat.

Ante omnia, ne dissimulans aut parvipendens salutem animarum sibi commissarum, plus gerat sollicitudinem de rebus transitoriis, et terrenis, atque caducis; sed semper cogitet quia animas suscepit regendas, de quibus et rationem redditurus est; et ne causetur de minore forte substantia, meminerit scriptum : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI). Et iterum : *Nihil deest timentibus eum* (*Psal.* XXXIII).

Sciatque quia qui suscipit animas regendas paret [n]

[a] Oxon., *pronomine.*
[b] Oxon., *fermento.*
[c] Al. omittit *sit.*
[d] Al. *tantumdem.*
[e] Al. *eorum.*
[f] Al. *proponere.*
[g] Al. *monstrare.*
[h] Al. *omnibus.*
[i] Oxon., *disciplinæ.*
[j] Al. *diri magistri, pii patris.*
[k] Hildem., *ante omnia neque dissimulet.*
[l] Al. *intelligibiliores.*
[m] Conc., *se omnibus.*
[n] Al. *sciatque qui suscipit animas regendas præparet.*

se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo quia in die judicii ipsarum omnium animarum redditurus est Domino rationem, sine dubio addita et suæ animæ : et ita semper timens **63** futuram A discussionem pastoris de creditis ovibus, cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus; et cum de admonitionibus [a] suis emendationem aliis subministrat, ipse efficitur a vitiis emendatus.

[a] Al. *monitionibus*.

COMMENTARIUS

Abbas qui præesse dignus est monasterio.] Abbatis nomine S. Benedictus vocat eum qui fratribus in monasterio præficitur : quo nomine etiam, ut notat Boherius, « aliquoties appellantur sacerdotes, quandoque prælati : » imo etiam ipsi cœnobiorum antiquiores aut solitudinis incolæ, licet nullis præsint monachis, ut passim videre est in Vitis Patrum; atque ita S. Paulus primus eremita *abbas Paulus* dicitur. B Est autem *abbas* vox Hebræa, quæ Latine *pater* significat : « Si quæris quid sit abba, inquit S. Augustinus (*Serm.* 156 *de Script.*), respondetur tibi : Pater, abba enim Hebraice pater dicitur. »

Semper meminere debet quod dicitur.] Ut nominis significationi respondeat vita consimilis; et sicut Pater vocatur, patrem revera erga inferiores se exhibeat, « paterno more filios, id est monachos suos nutriat, paterno more diligat, et cum necesse fuerit paterno more castiget, arguat, obsecret, etc., » sicuti loquitur Smaragdus.

Et nomen majoris factis implere.] Ut enim ait S. Gregorius, « tanto debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distat a grege vita pastoris : oportet namque ut metiri se sollicite studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur sub cujus æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contem- C platione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, etc. : » quæ fusius sequentibus capitibus prosequitur, quæque ultima verba pene iisdem terminis repetit in libro I Registri, cap. 24.

Christi enim agere vices in monasterio creditur.] Id est Christi personam exhibere, seu ejus potestatem in subditos habere, et auctoritatem exercere; « quia, inquit Richardus de S. Angelo, quando in abbates eliguntur, vocantur a Deo tanquam Aaron, et postquam sunt vocati, recipiunt potestatem et vicem Christi a papa, qui gerit vicem veri Dei. »

Quando ipsius vocantur prænomine.] Id est eodem quo Christus vocatur nomine, nempe abbatis et patris. Non dixit simpliciter *nomine;* sed *prænomine*, quod onus nominis, seu dignitatem significat, ut exponit Bernardus Cassinensis.

64 *Dicente Apostolo.*] Paulo scilicet, qui semper intelligendus venit, quoties solum *Apostolus*, aut *Magnus Apostolus*, sine addito inter legendum occurrit : « Quis loquitur? inquit Petrus Venerabilis (*Lib.* VI, *ep.* 24) : Magnus Apostolus. Si interroges quis magnus? Respondeo, non est interrogandum. Ubi Apostolus Magnus additur, Paulus intelligitur.]

Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater.] Cum pater et abbas eamdem sortiantur nominis significationem, quæritur cur utrumque posuerit Apostolus, cum alterutrum haud dubium sufficere posset. Respondet Hildemarus : « Abbas Hebraica et Syriaca lingua est : Græca vero et Latina pater dicitur. Quia cognovit B. Paulus gentes suas epistolas esse lecturas, ideo dicit : Abba, Pater, ut unaquæque gens haberet hoc nomen, quod est Pater. » Forte etiam, quia Christus utrumque sua in passione usurpaverat, cum orans ad Patrem dixit : Abba, Pater; nimirum locutus est Græce et Hebraice; quia non est distinctio Judæi et Græci apud eum.

Ideoque.] Si vicem Domini in monasterio abbas agere creditur.

Nihil extra præceptum Domini.] Id est contra, ultra, vel præter præceptum Domini, quod divinis continetur in Scripturis, in Regula, in vitis, et scriptis SS. Patrum.

Debet aut docere.] Verbo vel exemplo; quia duplici debet doctrina suis præesse discipulis.

Aut constituere.] Id est statuta aut decreta sancire.

Vel jubere.] Id est imperare. Quæ tria posuit S. Pater, « quia, ut dicit Bernardus Casinensis, in istis tribus quasi tota pendet potestas abbatis, ut doceat sana, constituat justa, jubeat licita, possibilia et honesta. »

Sed jussio ejus, vel doctrina fermentum divinæ justitiæ in discipulorum mentibus conspergatur.] Fermentum aliquando in bonam, aliquando in malam partem sumitur; quia licet corrumpat farinæ massam, eam tamen corrumpendo sapidam reddit. Tunc ergo fermentum divinæ justitiæ in mentibus discipulorum abbatis doctrina conspergitur, cum divinam justitiam sapidam, suavem, et delectabilem discipulis reddit; vel si fermentum sumatur pro charitate, et dilectione Dei, ut nonnullis placet, doctrina et jussio abbatis divinæ justitiæ fermentum fit, cum divinam justitiam dura licet imperantem amabilem facit.

Memor sit semper abbas quia doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ, utrarumque rerum in judicio Dei facienda erit discussio.] Ne contra præceptum Domini abbas aliquid præsumat, hunc sapienter omnino S. Pater admonuit, ut memor sit semper quia doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ, simul in tremendo Dei judicio facienda erit discussio : quæ quidem verba, ut ait Smaragdus, non indigent expositione, sed potius abbatibus et monachis fortissimum incutiunt **65** pavorem. Tria nihilominus hic inquirit Hildemarus. Primum est, cum abbatis doctrinæ simul et discipulorum obedientiæ facienda erit discussio, cur solum abbatem, et non simul discipulos monuit esse memores futuræ discussionis. Dixit enim : *memor sit semper abbas*, nec addidit, *et monachi*. Respondet idem Hildemarus : « Dixit solummodo abbatem memorem esse, ut ille sollicitus sit de doctrina sua, et discipulos reddat sollicitos de obedientia sua. Altero vero modo D idcirco dixit abbatem solummodo memorem esse debere, eo quod ille tam de doctrina sua quam de obedientia discipulorum suorum redditurus est rationem Deo in die judicii, et propterea dixit obedientia discipulorum utrum sit perfecta, an imperfecta obedientia, sicut tota doctrina abbatis si plus fuerit, an minor illa doctrina, quam debet. »

Secundum est cur *semper?* Respondetque : « Quia voluit S. Benedictus ut nunquam a corde abbatis discussio ista recedat. » Hinc tanta S. Patris sollicitudo extremi judicii in memoriam abbatis revocandi, ut vix unquam de eo loquatur in Regula, quin illud ejus menti intimet, et revera nihil ita præsumptionem abbatis coercere, eumque intra sui limites officii continere potest, sicut jugis memoria futuræ discussionis. Præclare admodum Xistus philosophus (*Citatur a Boherio in* I *comm.*) in libro Sententiarum Moralium ait : « Cum præes omnibus, memento quia et tibi præest Deus; et judicare homines scito, quia et ju-

dicaberis a Deo : majus periculum judicantis quam ejus qui judicatur. »

Tertium est cur dixerit *tremendo*; satis fuisset enim dicere : *In die judicii?* Et respondet : « Ideo dixit, tremendo, ut timorem incuteret legentibus hanc legem. » Et quia revera tremendum erit et terribile illud judicium : « Quid enim tam pavendum, inquit S. Bernardus (*Serm.* 8 *in psal.* xc), tam plenum anxietatis, et vehementissimæ sollicitudinis excogitari potest, quam judicandum astare illi tam terrifico tribunali, et incertam adhuc exspectare sub districto judice sententiam? » Et S. Hieronymus (*Lib.* II *cont. Pelag.*) : « Quis intrepidus vadit ad judicium Dei, habens conscientiam peccatorum? » Sane de seipso S. doctor loquens ait (*In Matth.*) : « Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco. » Si ergo sanctus et justus pavebit, impius et peccator ubi parebunt?

Sciatque abbas culpæ pastoris incumbere quidquid in ovibus paterfamilias utilitatis minus potuerit invenire.] In quem locum Hildemarus : « Ac si diceret, inquit, sicut paterfamilias inquirit diligenter pastorem ovium suarum de negligentiis earum, inquirit quare mortua est ovis mea, quare lupus rapuit illam?... Quod si pastor illi potuerit mittere rationem de infirma, vel mortua ove, tunc liberabitur; si vero non potuerit, pœnæ subjacebit. Ita et Dominus faciet cum abbate. Paterfamilias est Dominus; pastor vero est abbas; oves autem intelliguntur monachi; tempus quo missurus est rationem abbas, intelligitur vita futura, in qua debet abbas mittere rationem de negligentiis monachorum suorum. »

66 Quod autem dicit : *quidquid in ovibus*, etc., « Id est non solum de spiritali negligentia, verum etiam de temporali eorum necessitate missurus erit rationem, » inquit iterum Hildemarus; et revera qui dicit, *quidquid*, omnino nihil omittit, nec minus abbas suis temporalia providere tenetur, quam spiritalia, cum vix ista sine illis valeant exercere.

Utilitatis minus potuerit invenire.] Terribilis plane sententia; si enim culpæ pastoris incumbat quidquid in ovibus minus utilitatis paterfamilias invenerit, quid si ægras, quid si mortuas, aut a voraci lupi dente discerptas repererit? Pellem haud dubium pro pelle reddet. Scriptum est, quia filius non portabit iniquitatem patris; at pater profecto portabit iniquitatem filii. « Hinc est quod cum Israeliticus ille populus initiatus esset Beelphegor in deserto, inquit Petrus Damiani (*Lib.* IV, *ep.* 15), et in scorta Moab turpiter corruisset; iratus furore Dominus adversus Israel dixit ad Moysen : Tolle cunctos principes populi, et suspende eos in patibulis contra solem, ut avertatur furor meus ab Israel. Quid est quod populus in luxuriæ voraginem labitur, et in eorum præpositos vindicatur? Subditi delinquunt, et principes in patibulis suspenduntur; scilicet alius est qui peccat, alius ille qui vapulat. Cur hoc, nisi quia culpæ subditorum in præpositorum redundant opprobrium, et quod ab ovibus erratur, negligentiæ pastoris ascribitur? Et vide quam formidolosa sit conditio præsidentium, ut non modo pro suis, sed et pro subditorum puniantur offensis. » Attendant ergo pastores omnesque animarum rectores saluberrimam Gregorii Magni ad Columbum episcopum scribentis admonitionem (*Lib.* II *Regist.*, *cap.* 33) : « Studeamus cor nostrum terrenorum pastorum imitatione succendere, qui hiemales noctes imbribus geluque constricti ducunt sæpe pervigiles, ne vel una ovis, et non forte utilis pereat; quam etsi insidiator ore voraci momorderit, quomodo satagunt? quibus cordis anhelant æstibus? in quas voces, ut eruant captum pecus angustia stimulante prosiliunt, ne a gregis domino quidquid per incuriam perdiderint exigatur? Vigilemus ergo ne quid pereat, et si captum forte quid fuerit, vocibus divinorum eloquiorum ad gregem Dominicum reducamus, ut ille qui Pastor pastorum est vigilasse circa gregem suum suo dignetur judicio comprobare. »

Tantum iterum liber erit, etc.] Quem modo deterruit periculo futuræ discussionis ac rationis de subditorum delictis reddendæ, hunc jam, ne despondeat animo, consolatur dicens : Tantum iterum liber erit, ut si inquieto et inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, et morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita; alludens ad illa prophetæ verba : *Si autem annuntiante te ad impium ut a viis suis convertatur, et a via sua non fuerit conversus, ipse in iniquitate sua morietur; porro tu animam tuam liberasti* (*Ezech.* XXXIII). Tantum ergo liber, id est inculpatus erit, si inquieto, id est *improbo, et ingrato, et impatienti*, ut explicat Boherius; sive in bono proposito non **67** permanenti; quemadmodum enim dicit Bernardus Cassinensis, « quies mentis est illa firmitas boni propositi in qua monachus perseveranter intelligit, et quiescit. » Vel etiam inquieto, id est vagari atque huc et illuc extra claustrum discurrere quærenti. Nam, ut hic observant commentatores Smaragdus, Hildemarus, et Bernardus Cassinensis, duplex est inquietudo : una mentis, quam in instabilitate, et in non perseverantia in bono proposito constituit Bernardus Cassinensis; corporis altera, quæ in perpetuo intra vel extra monasterium discursu potest reponi. Si ergo inquieto et inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa; *omnis*, inquit, voce universali utens : « ut spiritalem et corporalem diligentiam plene notet, » ait Bernardus Cassinensis et ante eum Hildemarus; utramque enim erga fratres exhibere tenetur abbas : spiritalem, ut de virtute in virtutem proficiant, quantum in se est exhortationibus, increpationibus, bonis exemplis efficiendo; corporalem, victum et vestitum sufficientem et honestum providendo, loca vitæ solitariæ apta ad constructionem monasterii seligendo, ipsas monasterii officinas regulariter ædificando, omnia denique sic disponendo, ut nullus sit fratribus murmurii locus. Hanc expositionem sequitur in primo commentario Petrus Boherius, licet eam in secundo reprobet his verbis : « Quidam exponunt hic diligentiam in spiritalibus et temporalibus, propter universale *omnis*, quod non placet, quoniam de spiritali animarum cura hoc caput loquitur. Et nota plane quod hæc duo universalia signa, *omnis* scilicet et *universa*, animum præsidentis excitant ad diligentiam. »

Et morbidis eorum actibus.] Id est negligentibus, nam « morbidi actus sunt opera negligenter facta et cætera vitia, » ut loquitur Hildemarus. Sive, ut dicit Bernardus Cassinensis, « actus morbidi sunt illi qui ex mente procedunt infirma. »

Universa fuerit cura exhibita.] Quæ idem sonant ac præcedentia verba : *Omnis diligentia attributa :* quæ tamen S. Benedictus « replicavit causa exaggerationis verborum, » inquit Hildemarus. Porro recte dixit *universa cura*, non *curatio*; quia, ut notat apposite Bernardus Cassinensis, « Virtus curandi ægrum non semper est in medico, ut æger relevetur; et ideo dixit universa cura, non curatio; nam Deus, qui curam commisit abbati, sibi curationem reservavit, etc. »

Pastor eorum in judicio Dei absolutus.] A sententia nimirum quæ debetur damnatis, aut a negligentiis monachorum liberatus, ut exponit Bernardus Cassinensis. *Dicat*, id est dicet, *cum propheta Domino : Justitiam tuam non abscondi in corde, veritatem et salutare tuum dixi.* Justitiam hic, secundum Hildemarum et Bernardum Cassinensem, sumit pro generali virtute, quæ ad omnes virtutes attinet; quamvis et pro speciali virtute etiam sumi posse iste asserat. Porro S. P. Benedictus, juxta eumdem Bernardum, « tria hic dicit, justitiam non abscondere, veritatem proferre, et salutare dicere. Justitiam abscondit, qui terrores sacræ Scripturæ, et comminationes prædicando subditis **68** non ostendit..... Dicit veritatem, qui promissa regna cœlestia virtuosis et bene agenti-

bus infallibiliter adipiscenda prædicat et docet. Salutare etiam dicit, qui promissam salutem docet adipiscere. Intellige hic de salutari, in quo continetur ipse Salvator Dominus Jesus Christus, de quo Psalmista, *salutare tuum da nobis*, etc. »

Ipsi autem contemnentes spreverunt me.] Id est doctrinam meam.

Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ovibus.] Hæc verba duobus modis intelligi possunt : 1° *Inobedientibus curæ suæ ovibus*, id est quæ factis non respondent curæ quam exhibet ; 2° *curæ suæ ovibus*, id est ovibus quæ sunt sub cura ejus.

Pœna sit eis.] Id est erit eis. Hæc phrasis est Hebraica, per quam redundat sæpe pronomen *is*, ut *cujus participatio ejus in idipsum.*

Prævalens ipsa mors.] Id est *divina vindicta*, ut exponit Richardus de S. Angelo ; et hæc perpetua, quæ dicitur *prævalens*, id est *ultra iniquitates eorum pœnalitates valens*, inquit Bernardus Cassinensis. Unus est Boherius qui in utraque expositione locum hunc non de æterna, sed temporali morte intelligendum putat. Sic enim ad præfata S. Benedicti verba : « Ego, inquit (*In I comment.*), credo quod magister vult dicere quod prævalet mors temporalis inobedientibus, quam pœna æterna, ut fiat tractus post verbum *sit eis.* » Quæ quidem expositio non videtur omnino abjicienda, quia, ut dicit idem Boherius, « quanto plus hæc vita prolongatur eis, tanto plus pœna æterna crescit, et melius eis est mors festina, quam contra bonum obedientiæ perdurare. » Alii tamen communiter interpretes mortem hic æternam intelligunt. Et sane S. P. Benedictus hic loqui videtur de pœna in futuro judicio retribuenda, quæ mortem temporalem supponit, et quam sequitur æterna. Quidquid sit, certum est inobedientes monachos utramque, et temporalem, et æternam mortem promereri, ut pote qui abbatem ejusque doctrinam contemnendo, non hominem sed Deum ipsum spernunt. Ipse enim dixit doctoribus : *Qui vos spernit me spernit* ; et per prophetam : *Nolunt te audire, quia nolunt audire me.* In quæ verba S. Bernardus (*Serm. 42 in Cant.*) : « Vides, inquit, quæ majestas contemnitur ? non te putes me solum sprevisse ; Dominus locutus est, et dixit prophetæ, dixit et Apostolis : *Qui vos spernit*, ait, *me spernit.* Non sum apostolus, non sum propheta ; et prophetæ tamen, et apostoli vice fungor, et quibus non æquor meritis, eorum implicor et curis, etsi ad meam confusionem, etsi ad grande periculum mihi, super cathedram Moysi sedeo, cujus tamen non vindico mihi vitam, nec experior gratiam. »

Ergo cum aliquis suscipit nomen abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis.] Hoc est verbo clarere debet et exemplo, utrumque enim in abbate atque in omni prælato requirit imprimis S. Isidorus (*Lib. III de Sum. Bono*) : « Tam doctrina quam vita clarere debet ecclesiasticus doctor, nam doctrina sine vita arrogantem reddit ; vita sine doctrina inutilem facit. » Hinc plane **69** Exodi XXVIII, sacerdoti jubetur portare superhumerale et rationale ad invicem connexa atque conjuncta. Id quod exponens S. Bruno Signiensis episcopus, ait (*Comm. in Exod.*) : « Dicamus quid significet quod sic alterutrum junguntur, ut a se separari non valeant ; tunc enim rationale et superhumerale sibi junguntur, quando pontificis prædicatio et operatio bene simul conveniunt ; sicut per rationale doctrina et prædicatio, ita per superhumerale onus et operatio designatur. Si enim episcopus bene docet, et male operatur ; aut si econtra bene operatur, et male docet, ejus superhumerale et rationale non junguntur. » Porro quod ille de episcopo, id de abbate et quocunque alio prælato asserendum est. Unde S. Bernardus ad Balduinum abbatem scribens (*Epist. 201*) : « In his duobus mandatis, inquit, verbi scilicet et exempli summam tui officii ac conscientiæ securitatem pendere intellige. » Et certe, ut optime arguit S. Hieronymus : « Sancta rusticitas solum sibi prodest ; et quantum ædificat exemplo et vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat ; et innocens absque sermone conversatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet ; nam latratu canum, et baculo pastorum deterrenda est rabies luporum. » Et econtra « nihil est turpius quam si bonum quod quisque prædicat, explere opere negligat, » inquit S. Isidorus (*Lib. III de Sum. Bono*, c. 36). Quapropter apud Rufinum abbas Pœmen dicebat (*Lib. III de Vit. Pat. n. 185*) : « Homo qui alios docet, et non facit ea quæ docet, similis est fonti alto, qui omnium res lavat, et omnes satiat potu, seipsum autem lavare non potest, sed habet et immunditias, et sordes limorum. » Ex quibus patet quam merito celebratum sæculo VII concilium Aurelianense statuerit, « ut si quis abbas cautus in regimine, et humilis, et castus, sobriusque, misericors, et discretus non fuerit, ac divina præcepta verbis et exemplis non ostenderit, ab episcopo in cujus consistit territorio, et a vicinis abbatibus, et cæteris Dominum timentibus a suo arceatur honore, etiamsi omnis congregatio vitiis suis consentiens abbatem eum habere voluerit. »

Id est omnia bona et sancta factis amplius quam verbis ostendat.] Quod ita exponit Hildemarus : Utrumque vult S. Benedictus, id est doctrinam verborum et operum ; sed quia sunt multi qui non possunt utrumque peragere, id est doctrinam verborum et operum, idcirco dixit : Factis amplius ; ac si diceret : Utrumque debet peragere ; sed quamvis utroque modo debet præesse, tamen magis factis, etc. » Recte omnino Sapiens : Longum iter est per præcepta, breve et efficax per exempla ; et S. Gregorius (*Lib. II Pastor., cap. 3*) : « Sit rector ratione præcipuus, et viam vitæ subditis vivendo denuntiet, et grex, qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur ; » et alibi (*Lib. I Reg., cap. 24*) : « Qui loci necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate exigitur summa monstrare ; illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat ; quia quod loquendo præcipit, ostendendo adjuvat, ut fiat ; hinc enim per prophetam dicitur : Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas **70** Sion. » Et S. Basilius agens de monasterii præposito (*Reg. fus. c. 43*) : « Animi humilitatem ita debet ex charitate Christi custodire, ut etiamsi ipse taceat, operum exemplum quovis sermone potentius ad doctrinam fratrum sit expositum. » Talem se exhibuit Christus Dominus, de quo legimus quia cœpit facere et docere ; talem se exhibuit et Apostolus, qui dicebat : Imitatores mei estote ; tales requirebat prælatos, cum ad Timotheum scribebat : *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.*

Ut capacibus discipulis.] Id est « memoriosis, accommodatis, intelligibilibus, qui ea quæ a magistris audiunt, velociter capiunt, et memoriter retinent, et operibus complent, » inquit Smaragdus.

Mandata Domini verbis proponat.] Talibus enim, qui suapte ad Deum feruntur, verba sufficiunt.

Duris vero corde.] Id est « contumacibus, rigidis, et incorrigibilibus, » ut exponit iterum Smaragdus.

Et simplicioribus.] Id est « illitteratis, et pene nullam in Scripturis divinis vel memoriam, vel intelligentiam habentibus, » uti prosequitur idem Smaragdus.

Factis suis divina præcepta demonstret.] Præcepta hic documenta seu consilia intelligit, « quia non semper præceptum hic, vel in Evangelio positum vim habet necessitatis, » inquit Boherius. Duris ergo corde non sola verba sufficiunt, sed operibus insuper sunt cogendi, juxta illud Petri Damiani (*Opusc. 15*) : « Ad perfectionis culmen præcepta quidem movent, sed exempla compellunt. »

Omnia vero quæ discipulis docuerit esse contraria in suis factis indicet non agenda.] Malo namque exemplo perversos negligentesque in malo confirmaret, et bo-

nos facili negotio perverteret; imo utrosque, ut verius loquar, vere occideret: « Sanæ et crassæ oves perpaucæ sunt, inquit S. Augustinus (*Lib. de Pastor.*, c. 4), id est solidæ in cibo veritatis utentes pascuis bene de munere Dei; sed mali illi pastores non parcunt talibus: parum est quod illas languentes, et infirmas, et errantes, et perditas non curant; etiam istas fortes et pingues necant, quantum in ipsis est; et illi vivunt de misericordia Dei, tamen quantum ad malos pastores attinet, occidunt. Quomodo, inquis, occidunt? Male vivendo, malum exemplum præbendo.... Attendendo enim ovis etiam fortis plerumque præposito suo male viventi, si declinet oculos suos a regulis Domini, et intendit in hominem, incipit dicere in corde suo: Si præpositus meus sic vivit, ego quis sum, qui non faciam quod ille facit? etc. » Quæ fuse prosequitur S. doctor ostendens malum pastorem etiamsi ovem ab incœpto bono opere non avertat, tamen vere censendum esse homicidam.

Ne aliis prædicans ipse reprobus inveniatur.] Quæ verba duplicem sortiri possunt expositionem: 1º Ne forte reprobus inveniatur, id est reprehensibilis, alienus a Deo, ab ejus proinde gloria **71** æternaque felicitate excludendus; 2º ne forte reprobus inveniatur, id est ne forte ejus doctrina a discipulis reprobetur; nam, ut dicit S. Augustinus (*Libro* IV *de Doctr. Christ.*, *cap.* 27), « abundant qui malæ suæ vitæ defensionem ex ipsis suis præpositis et doctoribus quærunt, respondentes corde suo, aut etiam si ad hoc erumpant ore suo, atque dicentes: Quod mihi præcipis cur ipse non facis? Ita fit ut eum non obedienter audiant, qui se ipse non audit, et Dei verbum, quod eis prædicatur, simul cum ipso prædicatore contemnunt. » Hinc S. Hieronymus ad Nepotianum scribens: « Non confundant, inquit, opera sermonem tuum, ne cum in ecclesia loqueris, tacitus quisque respondeat: Cur hæc quæ dicis ipse non facis? » Concinit Cassianus in libro de Spiritu iræ (*Lib.* VIII *Instit.*, *cap.* 5), ubi sic loquitur: « Oportet illum qui alterius vulneri mederi cupit, omni languoris morbo alienum sanumque subsistere, ne illud evangelicum dicatur ei: *Medice, prius cura teipsum*, ac videns festucam in oculo fratris sui, trabem in oculo suo non videat. » Et S. Cæsarius in Regula ad sanctimoniales (*Cap.* 7): « Abstinentiam, quam lingua prædicat, proximæ fauces, vel vicinus stomachus sentiat, ne forsitan subditæ audientes tacitis cogitationibus dicant: O quam pulchre abstinentiam prædicat plenus venter! » Denique S. Bernardus ad Balduinum abbatem scribens (*Epist.* 201), postquam illum hortatus est ut quod aliis onus portandum imponit, prior ipse portet, rationem reddens ait: « Alioquin subsannabit te sapiens, ut pote pigrum illum cui labor sit manum porrigere ad os: arguet te et Apostolus dicens: Tu qui alios doces teipsum non doces; sed et notaberis vitio Pharisæorum, qui alligant onera gravia et importabilia, et imponunt ea in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Sermo quidem vivus et efficax exemplum est operis, facile faciens suadibile, quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur. » His omnibus accedit quod scribit Petrus Damiani (*Opusc.* 15, *cap.* 27): « Optime vigilias prædicat, qui post longum psalmodiæ decursum signum excitandis fratribus pulsat; eloquentissime dum tacemus silentium commendamus; fructuose de extremitate vestium disputat, qui se pannorum conscissione deformat; indumentorum vero juxta divitem nitore conspicuus frustra cum Joanne pilos prædicat camelorum; ultor injuriæ patientiam non suadet; qui cumulandis pecuniarum quæstibus inardescit, ignem avaritiæ in alieno pectore non exstinguit; qui crebra vagatione raptatur, de remorandi censura frivolus disputator habetur; qui autem cellulam perpetuus incolit, ad stabilitatis præconium de toto corpore linguam facit, et cum os taceat, muta membra melius, quia et simplicius, clamant. »

Hac potissimum ratione quotquot scripsere vitæ

A cœnobiticæ leges, ante omnia irreprehensibilem abbatem, qui imponendam aliis regulam primus adimpleret, voluerunt. Hac ratione Orientalis Regula ita orditur (*Reg. Orient. cap.* 1): « Ut neque seniores in regendis fratribus inaniter laborent, neque disciplina juniorum vacillet, quæ abbatis conversatione stabilita firma sit, oportet abbatem irreprehensibilem esse, severum, patientem, **72** jejunum, pium, humilem, ut doctoris et Patris locum impleat, seipsum præbens formam bonorum operum. » Hac ratione S. Fructuosus Bracarensis episcopus inter alias abbatis dotes: « Tanta, inquit (*Cap.* 20), debet sermonis et vitæ consonantia esse, ut id quod docet verbis, confirmet operibus sedulis, et bis acuto præcedens gladio, quidquid alios informat verbo, ipse gerat studio, ut nec sermonem operatio destruat, nec econtra operationem bonam sermo inconveniens frangat. » *Vide* S. Cæsarii epistolam ad Oratoriam Abbatissam.

Si vero priori sensu ista S. Benedicti verba: *ne*
B *forte aliis prædicans ipse reprobus inveniatur*, sumantur, quasi diceret: ne forte alios sua prædicatione conversos ad æternam felicitatem perducens, ipse ab ea rejiciatur, alludere videtur ad illud Christi Domini: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regnum cœlorum*, id est nullus, juxta SS. Patrum expositionem.

Nequando dicat illi Deus peccanti.] Id est dicenti et non facienti, ut loquuntur commentatores; scienti enim bonum, et non facienti peccatum est illi.

Quare tu enarras justitias meas?] Id est virtutem, viamque vitæ ostendis, et prædicas.

Et assumis testamentum meum per os tuum.] Testamentum Dei sunt verba sacræ Scripturæ, quæ in Vetus et Novum Testamentum dividitur, quæ ideo testamentum dicitur, quia testis est mentis seu voluntatis divinæ.

Tu vero odisti disciplinam.] Id est regularem observantiam; quia, ut dicit Smaragdus, « Prælatus san-
C ctam disciplinam odit, quando secundum regularia præcepta vivere contemnit. » Vel odisti disciplinam, id est Christi doctrinam, quemadmodum exponit Boherius, cui concinit Hildemarus: « Disciplina est omnium mandatorum Dei custodia. » Vel disciplinam, id est correctionem, quæ a Deo infligitur, juxta Trithemium hunc Regulæ locum ita exponentem: « Qui suos subditos propter eorum excessus corrigit, et tamen vult ut patientes sint; sed quam cito ipsum a Deo propter sua peccata corripi contigerit, non solum non patiens non est, sed etiam contra Deum murmurat; hic talis absque dubio disciplinam odit, et sermones Christi projicit post se, quia non vult videre vitam suam quasi malam, sed se reputat justum. » Addit Trithemius: « Secundo disciplinam odit prælatus, quando a subditis dedignatur avisari. »

Et projecisti sermones meos post te.] « Post se sermones Domini projicit prælatus quando quæ de divinis Scripturis subditis prædicat, implere ipse dissimulat, » inquit Smaragdus. Vel etiam: Projecisti
D sermones meos post te, idem est ac odisti disciplinam, ut modo exponebat Trithemius: « quod enim diligimus, inquit Bernardus Cassinensis, ante oculos mentis frequenter habemus, juxta illud: Ubi amor, ibi oculus; quod vero odimus, libenter a nobis projicimus. »

Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in **73** *tuo trabem non vidisti.*] Id est, qui minima in fratre videbas, et increpabas peccata, in te crimina non solum non puniebas, sed nec ab aliis videri patiebaris, cum potius in alios benignus, in te rigidus esse debuisses. Audi salutare S. Joannis Chrysostomi monitum (*Homil.* 43 *in Matth.*): « Circa vitam tuam esto austerus, circa alios benignus; audiant te homines parva mandantem, et magna facientem. »

Non ab eo persona in monasterio discernatur.] Scilicet « an sit antiquus vel juvenis, servus et liber, » inquit in commentario Boherius; sive, ut habet in

secundo, « an sit parvus et magnus, senex vel juvenis, vicinus vel advena, clericus vel laicus; » Christi enim vices in monasterio agere creditur, apud quem non est personarum acceptio, sed in omni gente in iis qui timent illum, acceptum est illi. Hinc S. Jacobus apostolus in Epistola (*Cap.* II) ait: « Fratres, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ; etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem pauper in sordido habitu; et intendatis in eum qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei: Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum; nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum noxiarum? » Quod quantum sit malum, indicat S. Ambrosius super Malachiam scribens in hæc verba: « Inter omnia peccata sacerdotum maximum est, quod non causas, sed personas considerant, et despecto justo paupere, injustos divites honorant. » Ex quibus liquet quam merito jure S. P. Benedictus vetuerit, ne personas in monasterio abbas discernat aut accipiat.

Acceptio autem personæ, secundum Hugonem a S. Victore, « est quædam fatua reverentia exhibita alicui sine causa debita, sed propter timorem vel utilitatem. » Quam definitionem ex S. Thoma (2-2, *q.* 63, *a.* 1, *in corpore*) ita explicare possumus: « Personarum acceptio opponitur justitiæ distributivæ; consistit enim æqualitas justitiæ distributivæ in hoc quod diversis personis diversa tribuuntur secundum proportiones ad dignitates personarum. Si ergo aliquis consideret illam proprietatem personæ propter quam id quod ei confertur est ei debitum, non est acceptio personæ, sed causæ; unde Glossa super illud ad Ephesios VI: *Personarum acceptio non est apud Deum*, dicit quod Deus judex justus causas discernit, non personas; puta si aliquis promoveat aliquem ad magisterium propter sufficientiam scientiæ, hic attenditur causa debita, non persona; si autem aliquis consideret in eo cui aliquid confert, non id propter quod id quod ei datur, esset ei proportionatum, vel debitum, sed solum hoc quod est iste homo, puta Petrus vel Martinus, hic est acceptio personæ; quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam causam quæ faciat eum dignum, sed simpliciter attribuitur personæ; ad personam autem refertur quæcunque conditio non faciens ad causam propter quam sit dignus hoc loco; puta si aliquis promoveat aliquem ad prælationem vel magisterium, quia est dives, vel quia **74** est consanguineus, est acceptio personæ, etc. » Porro locum potissimum habet in tribus personarum acceptio: in affectu, puta cum plus cæteris quis amatur, quia pulcher est, aut hilaris, non quia sanctus; quod prohibet S. Benedictus cum dicit: *Non unus plus ametur quam alius.* In honoribus tam spiritalibus quam temporalibus exhibendis, ut in 2 et 3 articulo ejusdem quæstionis probat S. Thomas, quod excludit S. Benedictus cum decernit, ut *non præponatur ingenuus ex servitio convertenti*, in judiciis, ut videre est in 4 art. præfatæ quæstionis, cui refragatur sanctus Pater, statuens ut *una præbeatur omnibus secundum merita disciplina.* Sed hæc paulo fusius exponenda sunt.

Non unus plus ametur quam alius.] Hæc sententia, sicuti etiam sequentes, ut notant commentatores, præcedentem explicant; quod enim prius quasi generatim dixerat: *Non ab eo persona in monasterio discernatur*, jam quasi explicando singulariter exponit dicens: *Non unus plus ametur quam alius*, omnem omnino extrudens a monasteriis amicitiam peculiarem, quæ, ut loquitur S. Theresia (*Lib. de Via perf.*, *c.* 4), tanquam *pestis in prælatis* merito reprobatur; hæc est enim fons et origo infinitorum prope malorum; invidentiæ janua, rixarum inter fratres fomes, dum alii se alteri sæpe sæpius indigno ab abbate postponi non ferentes, pactum secum invicem ineunt, rixas dissensionesque adversus abbatem ejusque familiares disseminant: alii de abbatis amicitia sibi ipsis plus æquo fidentes, fratres contemnunt; quod quantum sit malum nemo non videt, ut merito S. Ferreolus præscripserit (*Reg. c.* 37), ut nullus abbati ita familiaris existat, ut cæteris plus aliquid præsumat. Ratio autem potissima hæc est, quod cum abbas omnes æqualiter amare teneatur, et ejus amor sit finitus, quidquid amoris plus uni tribuit, alteri sine dubio detrahit; habet enim hic locum celebris illa S. Bernardi sententia (*Serm.* 13 *in Cant.*): *Solet amorem amor expungere.*

Porro quod in abbate vetat hic S. Pater, hoc multo magis in omnibus monachis prohibitum esse censendum est, idque satis indicat cum Regulæ cap. 69 cavet ne quis alium in monasterio monachum defendere præsumat, quod amicitiæ peculiaris proprium est, *quia exinde*, inquit, *gravissima occasio scandalorum oriri potest.* Et certe nihil antiquius fuit omnibus asceticæ vitæ magistris, quam hujusmodi amicitias præscindere: quorum monitis ut obsequamur, haud erit abs re si aliqua hic eorum dicta hanc in rem exprimamus.

Inter alios S. Basilius monachos instituens sic loquitur (*Serm.* 1 *de Instit. monach.*): « In communi vero contubernio amicitias partiales et sodalitates non patitur charitatis lex; necesse enim omnino est divisas affectiones communem concordiam in multis incommodare; quamobrem æqualiter se diligere inter se omnes debent, idemque adversus universum fratrum cœtum charitatis modus tenendus est. Si vero quis inventus fuerit majori propensione monachum fratrem, vel propinquum, vel alium quemvis quavis de causa diligere, hunc castigare oportebit. » Et alibi (*Serm.* 2 *de Instit. monach.*): « Omnes æquali dilectionis mensura se debent diligere; injustitia quippe **75** est in conventu privatas actiones et sodalitates reperiri; qui enim unum præ aliis diligit, de se indicat quod perfectam non habeat erga alios charitatem... Ex amicitia singulari et sodalitate suspiciones et invidiæ oriuntur; ubique enim æqualitatis defraudatio, initium et occasio odii et invidiæ iis est qui ea defraudantur. Propterea præceptum a Domino accipimus imitari bonitatem ejus qui similiter solem facit oriri super justos et injustos; quemadmodum Deus æqualiter lumen omnibus communicat, sic Dei imitatores æqualem et communem omnibus dilectionis radium præbent. » Basilio subscribit S. Dorotheus (*Doctr.* 21): « Bonum est, inquit, monacho proficere cupienti non admodum affici erga coætaneum suum; solet enim hujusmodi consuetudo, et longa amicorum atque coætaneorum familiaritas fletum et fervens animi propositum plerumque exstinguere. » Et S. Cæsarius in exhortatione ad Cæsariam sororem suam: « Attende, o anima sancta, et diligenter intellige quanta mala de inordinata societate nascantur: familiaritas enim cujuslibet, si frequens esse cœperit, non nisi corruptionem seminat, vitia pullulat, cupidinem concupiscit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, lasciviam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, ripas erigit, præcipitia aperit, periculis navigat, naufragiis velificat, perditioni gaudet, interitum fovet, confusionem meretur, etc.: » quæ fuse prosequitur. His adde Petrum Blesensem (*Lib. de Amicit.*, *c.* 4): « Amicitia sequens vagæ affectionis impetum ad illicita indiscrete raptatur, nec modum tenens, nec serviens honestati, sed spiritu vertiginis ducitur. » *Vide* Cassiani collat. 16, cap. 28; S. Laurentii Justiniani lib. de Discipl., etc., cap. 22; S. Theresiæ librum de Via perfect. cap. 4; Julii Nigroni tractatum 13.

Nisi quem in operibus bonis aut in obedientia invenerit meliorem.] Obedientiam hic S. Benedictus ab operibus bonis disjungit. 1° Quia obedientiam non semper sequitur actus bonus, ut quando aliquid præcipitur impossibile, monachus obediens aggreditur illud, sed non perficit; unde nec bonum aliquod opus inde sequitur. 2° Quia obedientia exerce-

potest non solum exsequendo mandatum, sed etiam abstinendo ab eo quod prohibitum est. 3° Quia licet omnis obedientia esset actus bonus, non tamen inde sequeretur omnem actum bonum esse obedientiam, sicuti sunt actus omnes quos electione propria efficimus absque ullo majorum imperio, ut lacrymæ, compunctio, oratio, etc. his similia.

Ergo licet omnes æqualiter ab abbate sint diligendi, meliores tamen in obedientia et in bonis actibus plus cæteris amari S. Pater permittit. Ita S. Wandregesilus S. Ausbertum monachum suum « cœpit carius diligere, sicut monastica docet norma, nitore religionis pollentem omnimodis diligendum, » inquit Aigradus (*In Vita S. Ausberti n.* 10, *sæc.* II *Bened.*); eoque respexisse videtur S. Petrus Venerabilis scribens ad Innocentium papam (*Lib.* II, *epist.* 3) : « Omnes quidem præcepto dominico sunt diligendi, sed juxta quod vita et actus exigit, in amoris dilectione alii aliis sunt præferendi. » Et certe, **76** ut optime hunc ad locum Smaragdus disserit, « Juste ille ab homine diligetur homo, qui bonis operibus et sancta obedientia honoratur a Deo : necesse est, inquam, ut amore tali diligatur homo, qui ab immortali diligitur Deo. » Boherius tamen sic hunc locum intelligit, quasi solos actus bonos, non fratres illos exercentes S. Benedictus plus amari permitteret. « Excipit autem, inquit, quoad actus, non quoad personas; quia licet meliores actus magis sint diligendi, tamen omnem proximum puto æqualiter ut proximum diligendum; ad hoc videlicet, ad quod diligit quis seipsum : sic econtra dici consuevit quod odio habentur peccata, non homines. » Verum cum actus bonus aliud nihil sit quam homo illum exercens, nec aliquid ab eo distinctum videatur, non potest actus diligi quin diligatur homo. Et sane si causa motiva dilectionis sit bonitas, ubi plus bonitatis, ibi et dilectionis amplius aliquid reperiri oportet. Diligendus quidem est peccator secundum id quod in eo bonum existit, puta quia creatura Dei est, ad imaginem ejus factus, ejus sanguine pretioso redemptus, gratiæ et beatitudinis capax; at plus videtur justus diligendus, qui præter ea, multa etiam operatur bona, gratia Dei ornatus, et ab eo singulariter dilectus. In exhibitione tamen honoris ac gratiæ abbas sic se gerere debet, ut non tam personam quam virtutem respexisse videatur, ut omnem auferat a negligentibus invidentiæ occasionem.

Non præponatur.] Id est altiori non constituatur, quam quo ingressus est loco, aut digniori præficiatur officio vel ministerio, sive, ut dicit Smaragdus, non præponatur *in ordine vel in ministerio.*

Ingenuus.] Nimirum ille qui liber fuit ab initio, inquit Richardus de S. Angelo, sive nobilis.

Ex servitio.] Id est « ex servili conditione nato, et ex servitute ad religionem veniente, » ut ait Boherius. Quemadmodum enim supra citatus notat hic Richardus, « Nobilitas amittitur propter monachatum; » id quod ex hoc loco colligit Boherius hæc addens : « Ex isto paragrapho colligitur quod propter ingressum religionis servitus et mundana nobilitas evanescunt, quia in sede, in amore vel officio nulli defertur nisi secundum merita vitæ. » Et revera vera et sincera libertas non tam in generis nobilitate quam in vitiorum exstirpatione consistit. Bene enim Cassianus (*Lib.* V, *c.* 13) : « Oportet nos quoque primum libertatem nostram carnis subjectione monstrare. » Hinc Diogenes dicere solitus erat : Inter servos et dominos malos præter vocabula nihil interesse, nisi quod mancipia servire t dominis, et domini cupiditatibus.

Convertenti.] Id est ad conversionem venienti; quasi diceret : Si servus et ignobilis hora prima ad conversionem veniens monasterium ingressus fuerit, huic nobilis et ingenuus hora secunda accedens non præferatur.

Nisi alia rationabilis causa existat.] Rationabilis isthæc causa ex duplici capite repeti potest : 1° ex vitæ merito, 2° ex naturali aliqua industria, vel peritia in aliqua arte, vel officio, qua **77** quis præ alio pollet : nam, verbi gratia, si junior aliquis frater secundum sæculum ignobilis in cantu peritus existat, ad cantandum in ecclesia seniori et ingenuo minus in cantu perito præferri debet; vel, ut Hildemari utar exemplo, si in monasterio a Græcis monachis inhabitato inexistat omnium junior Latinam linguam apprime callens, et hospes Latinus adveniat, hic cum hospite, licet omnium novissimus, loqui debet. In officiis autem ac ministeriis exterioribus requiritur aptitudo et peritia ad hujusmodi munia exsequenda; in spiritalibus insuper vitæ meritum.

Sin alias propria teneant loca.] Nam, ut pie ac vere dicit devotus Girardus Belga monachus, « Idolum in templo Dei, qui alio titulo in monasterio honoratur, quam quo quisque alter ab altero coli præcipitur, aut pro vitæ sanctitate præ aliis digne suscipitur. »

Quod si ita justitia dictante abbati visum fuerit.] Justitia hic, ut observat Hildemarus, pro speciali virtute, quæ unicuique reddit quod suum est accipitur; vel, ut dicit Boherius, dictante justitia, id est ratione, sive etiam Deo, qui est vera justitia.

Et de cujuslibet ordine id faciat.] Notat hic Hildemarus varios esse in monasterio ordines : 1° eorum qui laici ad conversionem veniunt; 2° clericorum et sacerdotum; 3° monachorum peregrinorum. Et de quolibet eorum ordine alios aliis præferre potest, nam clerici etiam presbyteris et monachis peregrinis præponi possunt.

Sin alias propria teneant loca.] Prout nimirum convertuntur.

Quia sive servus sive liber, omnes in Christo unum sumus.] Alludit hic S. Benedictus ad illa Apostoli verba : *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis : non est Judæus neque Græcus; non est servus neque liber; non est masculus neque femina, sed omnes vos unum estis in Christo Jesu.* Omnes ergo in Christo unum sumus, hoc est unum corpus, ut exponunt Hildemarus et Smaragdus; quod iste confirmat ex illis Apostoli verbis (*I Cor.* XII) : *In uno Spiritu omnes nos, et in uno corpore baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi*, etc. Cujus quidem corporis caput est ipse Christus, sub quo nos invicem membra. Vel in Christo unum sumus, conditione videlicet, creatione, redemptione, vocatione, ac cœlestis gloriæ promissione. Præclare S. Cæsarius (*Serm.* 116 *in append. Serm. S. Aug.*) : « Et nos, et omnis populus unius Domini servi sumus, uno pretio redempti, pari conditione in hunc mundum intravimus, simili quoque exitu migraturi sumus, et si bene agimus, ad unam beatitudinem pariter veniemus. »

Solummodo in hac parte apud ipsum discernimur.] Ad gratiam vel gloriam consequendam.

Si meliores ab aliis in operibus bonis et humiles inveniamur.] Juxta illud S. Augustini (*Serm.* 117 *in append. Serm.*) seu cujusvis alterius : « Non est apud Deum nisi meritorum discretio.... Apud Deum anima uniuscujusque **78** non est discernenda nobilitate, sed opere; nec genere, sed actione. » Et S. Gregorii *Lib.* I *Reg. cap.* 72) : « Apud Deum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur. » Unde et Aristoteles dicebat (*I Polit.*) : « virtus et malitia determinant servos et liberos, nobiles et ignobiles. » Porro S. Benedictus bonis operibus humilitatem adjungit; quia, ut apprime scribit S. Gregorius, « qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat; » et Smaragdus : « In his duabus rebus semper electi a reprobis discernuntur, id est in vera cordis humilitate et boni operis actione. »

Quærunt hic cur S. Benedictus supra dixerit : Non unus plus ametur quam alius, nisi quem in obedientia et operibus bonis invenerit meliorem; hic vero nos solum a Deo discerni, si meliores aliis in operibus bonis, et humiles inveniamur; ubi pro obedientia supposuit humilitatem. Respondetur ab humilitate non distingui obedientiam, quæ primum

ejus gradum constituit ex Regulæ cap. 5; aut si distinguantur, ita plane connexas, ut neutra alterius pati possit absentiam.

Ergo æqualis sit ab eo omnibus charitas.] Simile est illud S. Orsiesii S. Pachomii discipuli in exhortatione ad monachos: « Cunctis exhibeas æqualitatem, ne forte quem tu diligis, Deus oderit; et quem odisti, Deus diligat. » Unam hic movent difficultatem, ex eo quod qui superius bonos aliis plus diligi permisit, æqualem hic omnibus esse charitatem velit. At difficultatis nodum solvere haud difficile est, duplicem cum Hildemaro, Bernardo Cassinensi, et Boherio charitatem distinguendo, unam cordis, alteram cordis simul et operis. Charitatem cordis erga omnes æqualiter habere abbatem oportet, quia omnium salutem optare, et quantum in ipso est procurare debet; at vero charitatem cordis simul et operis omnibus æqualiter impendere non tenetur; nam, ut dicit Boherius: « Charitas operis aliter tractat bonum, et aliter secundum merita tractat malum; aliter firmum, aliter debilem; aliter abundantem, aliter indigentem. » Aliam ad hanc difficultatem solutionem adhibet Hildemarus, ut nimirum omnibus æqualis sit charitas, omnibus, inquam, æqualiter bonis. Cui concinit Nicolaus de Fractura hunc locum ita exponens: « Hic vult dicere, si omnes æquales fuerint in sancta conversatione, omnibus æqualem exhibeat charitatem; sin autem, prout unicuique opus erit. »

Una præbeatur omnibus secundum merita disciplina.] Id est correctio sive punitio, ubi nimirum eadem est culpa, juxta illud S. Hieronymi: « Nullius accipias personam, non divitias, non potentias; quantumcunque sit potens, vel nobilis, si peccaverit, corripe eum, et comedisti azyma sinceritatis in amaritudine. » Plane usque adeo exosa fuit priscis Patribus in correptionibus et judiciis ferendis personarum acceptio, ut negligentem hac in re præpositum, et judicantem non secundum rei veritatem, sed secundum personas, de solio deponi præcipiat S. Pachomius (*Regul. art.* 94), donec corrigatur.

79 *In doctrina namque sua.*] Doctrina hic pro correptione sumitur.

Apostolicam illam debet semper formam servare, in qua dicit: Argue, obsecra, increpa.] Quæ verba sic explicat citatus a Smaragdo S. Hieronymus: Argue peccantes, contestare ne peccent, increpa resistentes; et S. Prosper: Argue coæquales, obsecra seniores, increpa juniores; Richardus de S. Angelo: Argue admonendo, obsecra comminando, increpa ad pœnam procedendo. At omnium optimam, ut existimat Smaragdus, apostolicæ sententiæ expositionem tradit S. Benedictus, cum subdit:

Id est miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta.] « Ac si diceret, inquit Smaragdus, temporibus argutionis misce tempora obsecrationis; » quamvis aliter hunc locum explicent Hildemarus et Bernardus Cassinensis: Abbas nimirum miscet temporibus tempora, cum propter furorem aut aliam alicujus fratris passionem, aliud in tempus differt increpationem, quam ille iratus aut perturbatus ferre non posset, et tunc non modo non prodesse, sed etiam obesse plurimum posset. Egregie enim citatus ab Hildemaro S. Gregorius: « Perturbati, inquit, quid audiant ignorant; sed ad se reducti tanto libentius exhortationis verba recipiunt, quanto se tranquillius toleratos erubescunt; menti autem furore ebriæ omne rectum, quod dicitur, perversum videtur: unde et Nabal ebrio culpam suam Abigail laudabiliter tacuit, quam digesto laudabiliter dixit. » Quapropter si quando tacere et parcere videntur superiores, non semper negligentiæ, sed aliquando prudentiæ eorum silentium ascribendum est, juxta illud S. Odonis abbatis Cluniacensis (*Lib.* III *Collat.*, *n.* 44): « Sane qui propterea non objurgat, quia vel aptius tempus exspectat, vel metuit ne increpati deteriores fiant, et invalidos pejus noceant, hoc non est negli- A gentia, vel cupiditatis occasio, sed consilium charitatis: nam, ut in XX Moralium libro dicitur, Sancti viri cum vident quosdam sua verba despicere, dum eos intelligunt divinitus deseri, gementes conticescunt; unde est illud: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* scriptum est: *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Tacent ergo sancti viri, non ut eorum odium timeatur, sed ne illi odiendo pejores fiant. » His concinit S. Bernardus, seu quilibet auctor tractatus de Passione Domini, cap. 19, ubi sic loquitur: « Sunt quandoque malorum vitia arguenda, quandoque tacite sufferenda, secundum quod uniuscujusque, qui talis est, videris expedire; quia non omnes ægroti uno genere medicinæ curantur. » Verum si sic miscere debent prælati temporibus tempora, ut correctionem in illud tempus differant quo fructuose eam sustinere possint subditi; non minus tenentur et ipsi ea exspectare tempora quibus eam utiliter queant inferre, ut nunquam perturbato adhuc B animo peccantes puniant, ne forte plus vindictæ quam rationi et justitiæ tribuere videantur: « Sane quia mox ut infertur injuria [egregium B. Petri Damiani monitum (*Opusc.* 18, *dissertat.* 3, *cap.* 4)], perturbatur animus, vix rectum **80** illico valet promulgare judicium: sicut enim intuentis visum aqua dum quiescit admittit, si turbatur obtundit; sic humanus animus in ipso perturbationis articulo inoffensam recti judicii regulam et lineam non attendit, unde necesse est ut in posterum sententia differatur, quatenus æquata justitiæ lance, judicium quod perturbata nequiverat, mens quieta suspendat. » Et recte quidem; nam, ut ait S. Basilius (*Reg. fus. c.* 50), « qui animo commoto et iracundo fratrem arguit, non illum peccato liberat, sed seipsum delictis involvit. »

Aliam etiam hujus loci expositionem tradit Boherius: miscens temporibus tempora, id est habens rationem temporum, quibus committuntur culpæ: aliter enim abbas corrigere debet æstatis tempore, aliter Quadragesimæ: nam negligentiæ quadragesi- C males durius emendari debent.

Terroribus blandimenta.] Recte B. Petrus Damiani (*Opusc.* 51, *cap.* 14): « Si pectus tuum arca Dei est, sicut profecto dignum est, non in eo sola sit virga, quæ feriat; sed et manna, quod in fraternæ mentis palato dulcescat; non in eo sit zelus amaritudinis, qui deterreat; sed zelus potius charitatis, qui salubriter corrigat, sicque correptionis aculeus vulnus delinquentium pungat, ut et mansuetudinis oleum leniori quoque fomento dulcescat. » Et certe eodem prorsus modo exhibere se debent abbates erga subditos, quo Deus ipse, cujus vices agunt, se gerit erga homines. Porro ipse Deus, ut loquitur S. Odo Cluniacensis abbas (*Lib.* I *Collat.*, *n.* 3), « modo nos asperis incitationibus terret, modo blandis consolationibus refovet; terrorem fomentis miscet, fomenta terrori, ut et corda peccatorum indicatis terroribus ad humilitatem inclinet, et humilem mœrorem enarratis consolationum fomentis attollat, quatenus dum utraque D circa nos mira arte magisterii temperantur, nec desperate inveniantur territi, nec incaute securi. » *Vide* S. Gregorii papæ lib. II Pastor., cap. 6.

Dirum magistri, pium patris ostendat affectum.] Juxta illud S. Gregorii (*Lib.* IX, *ep.* 8): *Boni te dulcem, pravi sentiant correctorem.*

Id est indisciplinatos et inquietos debet durius arguere, etc.] Clara prorsus et perspicua apostolicæ sententiæ expositio, cui proinde nihil superaddendum videtur: obiter tantum hic notabo Hildemarum, quem sub Petri diaconi Bernardus Cassinensis, sub nomine Pauli diaconi Boherius hunc ad locum citant, observare, indisciplinatos esse tribus modis: 1° Alii nec intelligunt nec verecundantur disciplinam, et in peccatum labuntur; 2° alii intelligunt et verecundantur excommunicationem, sed consuetudine et cupidine peccati illud committunt; 3° alii, qui sive intelligant, sive non, dicunt se nolle disciplinam sus-

cipere : quasi diceret : Alii sunt indisciplinati ex ignorantia, alii ex negligentia, alii ex contemptu.

Neque dissimulet peccata delinquentium.] Aliquando abbas delinquentium peccata dissimulat, ne forte suis videatur **81** minus mansuetus aut dulcis; at in hoc maxime crudelem se demonstrat. « Crudelis est, inquit S. Basilius (*Reg. brev. interr.* 4), qui tacet, et non arguit, quemadmodum qui venenum sineret in eo qui morsus est a venenata bestia, nec illud auferret; » et Augustinus (*Serm.* 15, *de Script.*) : « Scriptum est : Qui abjicit disciplinam infelix est. Bene potest addi ad istam sententiam : Sicut qui abjicit disciplinam infelix est, sic disciplinam qui negat crudelis est. » *Vide* S. Basil. Regul. fus. disp., cap. 24 et 25.

Sed mox ut cœperint oriri, radicitus ea ut prævalet amputet.] Apposite S. Joannes Climacus (*Grad.* 5) : « Dum vulnus recens est et adhuc calet, facilem habet curationem; ubi vero tempore inveteraverit, et neglectum corruptumque est, difficile curatur, multoque labore, igne, ferro, pharmaco et cauterio indiget. » Idipsum mira arte suos olim discipulos docuit unus ex priscis Patribus (*S. Doroth. Doct.* 11, *n.* 5). Hic nimirum cum aliquando una cum eis resideret in loco multis variisque cupressis consito, uni ex eis præcepit ut admodum parvam cupressum manu avelleret : quod ipse nullo negotio unica tantum manu admota præstitit. Dein majusculam ostendit, quam ambabus manibus avulsit; postea etiam tertiam, quam non sine magno labore extraxit; quartam rursus aliis majorem avelli præcepit, quod omni nisu omnique labore adhibito vix tandem præstare potuit. Quintam denique ostendit, quam ipse eradicare haud potuit; hinc alterum jussit ut fratrem adjuvaret, atque hanc ambo vix abstraxerunt. Tunc senex conversus ad omnes discipulos suos dixit : Sic sunt passiones et affectus nostri, dum parvuli sunt et recentes, summa facilitate et quiete eos excindere et exstirpare poterimus : si vero eos tanquam parvulos neglexerimus, paulatim convalescent; et quo magis convaluerint, eo majore opus erit labore.

Memor periculi Heli sacerdotis de Silo.] Ut omnem in arguendis puniendisque culpis ab abbate socordiam amoveret S. Benedictus, proponit Heli sacerdotis exemplum, qui delinquentes filios redarguit quidem; sed quia non eo quo debuerat modo punivit, arca Domini capta est, ipse retro decidens occubuit ; ex quo S. Petrus Damiani ita infert (*Opusc.* 17, *cap.* 2) : « Si ergo Heli propter duos duntaxat filios, quos non ea qua digni erant invectione corripit, cum eis simul, et cum tot hominum multitudine periit; qua arbitramur dignos esse sententia qui in aula ecclesiastica et soliis judicantium præsident, et super non ignotis pravorum criminibus tacent? »

Et honestiores quidem atque intelligibiles animos prima et secunda admonitione verbis corripiat.] Honestiores hic commentatores post Smaragdum intelligunt honorabiliores : honestus enim dicitur quasi honoris status. Sed Hildemarus honestiores eos appellat qui imitabilem vitam habent. Recta expositio; hic enim honestiores et intelligibiles animos S. Benedictus opponit improbis, duris corde, superbis, et inobedientibus, quorum vita non modo non imitabilis, sed etiam penitus exsecranda.

82 *Improbos autem.*] Improbi, secundum Smaragdum, sunt « imprudentes, probitate mentis carentes; » secundum Hildemarum ii qui per sex gradus ascenderint, nempe : 1° admonitionem secretam duplicem, 2° publicam correptionem, 3° excommunicationem, 4° jejunium nimium, 5° flagellum, 6° orationem fratrum ; quos enim sex ista non emendant, merito dixeris improbos. Menardo autem, « improbus est monachus impudens pertinax in malitia ; » additque : « S. Fructuosus apud Canisium scribit improbum appellari a S. Benedicto contumacem; aliquando tamen improbum dici eum qui, etsi sæpe corripiatur, non tamen contradicit regulari disciplinæ. »

Et duros corde.] Duri corde et improbi nihil aut

A vix inter se distant. Hildemaro (*In Comment. ad c.* 23 *Regul.*) : « Duri corde sunt qui, sive admoneantur, sive excommunicentur, non emendantur, neque etiam erubescunt, sed obstinata mente non timentes verecundiam atque excommunicationem, impetum sui cordis sequuntur. » Smaragdus vero duros corde vocat « pertinaces, vel contumaces, et incorrigibiles ; » Boherius, indomitos.

Et superbos, et inobedientes verberum et corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat.] Juxta illud S. Aureliani : « Superbis vero, inobedientibus, et iracundiam protrahentibus nunquam parcendum est donec corrigantur. » De verberum inflictione diximus in lib. II de Antiquis monachorum Ritibus, cap. 11. Corporis vero castigationem vocant nimia jejunia, incarcerationem, et his similia; quamvis Smaragdus in excommunicatione, in verbis, et verberibus, castigationem corporis reponat.

Sciens scriptum : Stultus verbis non corrigitur.] B Nimirum Proverb. XVIII, ubi legitur : *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus.* Quem ergo non emendant verba, saltem emendent verbera.

Et iterum percute filium tuum virga, et liberabis animam ejus a morte.] Nempe æterna, juxta illud Prov. XXIII : *Noli subtrahere a puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur : tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis.* Felix percussio, quæ tot percussionibus liberat.

Porro ex hac bonorum et improborum in correctionibus discretione, colliges non locis sanctificari homines, sed hominibus loca ; nullamque exstare tam sanctam congregationem, quæ suo in sinu malos aliquos non complectatur, ut egregie docet apud Cassianum abbas Piamon (*Coll.* 18, *c.* 16) : « Nec perversos, inquit, atque exsecrabiles quosque sanctorum virorum numero insertos latitare miremur ; quia dum in hujus sæculi area conculcamur atque conterimur, necesse est etiam paleas igni perpetuo C deputandas inter electissima frumenta misceri. Denique si vel Satan inter angelos, vel Judam inter apostolos, vel Nicolaum pravissimæ hæreseos inventorem inter diaconos reminiscamur electos, hoc quod nequissimi homines sanctorum ordini deprehenduntur inserti, mirum esse non poterit. » Idem docet S. Augustinus in serm. 15 de Scripturis, **83** ubi etiam inquirenti cur bonis et religiosis Deus malos misceri permittat, ita reponit : « Responde mihi, in fornace aurificis palea quid facit ? Puto non esse ibi sine causa paleam, ubi aurum purgatur : videamus quæ ibi sint omnia ; fornax est, palea est, aurum est, ignis est, artifex est ; sed illa tria aurum, palea, ignis in fornace ; artifex ad fornacem. Attende et istum mundum : mundus fornax est, palea homines mali, aurum homines boni, ignis tribulatio, artifex Deus; attende et vide, aurum non purgatur , si non palea uratur.

Meminere debet semper abbas quod est, meminere D *quod dicitur.*] Duo hic dicit, meminisse debet abbas quod est, scilicet homo, mortalis, fragilis, peccator, etc.; deinde quod dicitur, id est abbas, pater, prælatus. Primo tamen quod est, ut ex propriæ fragilitatis et miseriæ recordatione humiliatus, de sua non extollatur dignitate; deinde quod dicitur abbas, Christi vices gerens, a quo singulares et speciales gratias exspectare debet, quarum adjutorio commissum sibi officium exsequatur, ut animum non despondeat.

Et scire quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur.] Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.

Sciatque quam difficilem et arduam rem suscepit regere animas.] Quia, ut dicit S. Gregorius, ars est artium regimen animarum. Et sane si quis vix suam potest animam regere, alienam quomodo reget? Si corporalia aut temporalia tot exigunt curas, tot labores, quis sufficiet animabus curandis?

Et multorum servire moribus.] Hæc verba ex commentatorum sententia priorum sunt expositiia; ut idem sit regere animas, et multorum servire moribus, id est sic se aptare, et talem reddere subditorum moribus, ut bonos foveat, pravos corripiat, superbos humiliet, infirmos confortet, fortes dirigat, errantes in viam veritatis et justitiæ reducat, ut loquitur Trithemius, *totque habeat animos quot in suo regimine filios*, ut dicit Regula cujusdam ad Virgines cap. 1

Porro ex hoc Regulæ S. Benedicti loco non male deducitur abbates et alios quoscunque prælatos eorum vere dici debere servos, quorum sibi cura commissa est, ut pote quorum *servire* moribus jubentur. Et sane si prælati spiritales sint animarum medici, meminisse omnino debent proprium medicorum esse non dominari, sed servire ægrotis. Hinc S. Basilius (*Regul. fus.*, *cap.* 30): « Præpositum, inquit, officii dignitas non extollat, ne et ipse ab humilitatis et modestiæ felicitate decidat, et inflatus incidat in laqueum diaboli; sed hoc certo sciat, quia multorum cura suscepta simul exigat, ut multis serviat. »

Et secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam ita se omnibus conformet et aptet.] Quod utique præstabit, « quando cum magno magnus, cum parvo parvus efficitur, quando infirmis efficitur infirmus, ut infirmos salvos **84** faciat; quando forma factus gregi, humilibus humilitatis ostendit formam, obedientibus obedientiæ præbet exempla; similiter abstinentibus, et vigilantibus, et orantibus, et in omnibus bonis virtutibus cunctis sibi subjectis normam præbet salutis, » ut loquitur Smaragdus.

Ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum in augmentatione boni gregis gaudeat.] Gregis augmentum hic intelligit non tam numero quam virtute ac bonis moribus. Quid enim prodest multitudo monachorum, ubi virtutum deficit numerus pullulatque multitudo vitiorum? Multiplicasti gentem, inquit propheta Domino, sed non multiplicasti lætitiam. Sane multo æquius esset paucos, sed bonos habere monachos, quam plurimos malos, quorum exemplo corrumpuntur boni, omnisque regularis disciplina pessumdatur; ut merito inter relaxationis in ordine nostro causas, quorumdam abbatum negligentiam, qui non quos aut quales, sed quot haberent monachos curabant, assignarit Mabillonius noster, quod erratum anno imperii 11 in edito brevi Capitularium reprehendit Carolus Magnus his verbis (*Præf. ad sæc.* IV, *part.* 1, *n.* 140): « Quam utilitatem conferat Ecclesiæ Christi, quod is qui pastor vel magister, cujuscunque venerabilis loci esse debet, magis studet in sua conversatione habere multos quam bonos, et non tam probis quam multitudine delectatur? » Non multitudo hominum, sed multitudo bene viventium cœnobia sanctificat: imo, sicut paucitas monachorum obest quominus exacte regulæ disciplina custodiatur, ita non minus multitudo monasticæ observantiæ nocet; vix enim in tanta multitudine fieri potest ut aliqui non reperiantur mali, quorum perversis moribus boni et religiosi corrumpuntur. Deinde ubi multi sunt, nonnulli existunt quibus justis licet de causis aliquæ exemptiones sunt concedendæ, ex quibus sensim et sine sensu rigor observantiæ regularis enervatur. Quod præsensisse videtur auctor Vitæ S. Stephani Obazinensis abbatis libro 1 n. 16 (*Tom.* IV *Misc. Baluz.*), ubi hæc scribit: « Dum minima quæque prætendimus, majora negligimus; sed et diuturna temporis longinquitate lassati, et cohabitantium multitudine prægravati, a pristino vigore defecimus, et remissius nos negligentiusque tractamus; dumque infirmis condescendere volumus, eorum potius negligentiam sectari quam eos ad perfectionem trahere festinamus. » Adde quod in tanta fratrum multitudine vix abbas omnium spiritalibus necessitatibus sufficere possit, cum præsertim eas per se cognoscere sibi haudquaquam vacet.

Signanter vero S. Benedictus dixit, *gregis sibi* A *commissi*, quia, inquit Hildemarus, « non est suus ille grex, sed Domini et sibi commissus; unde quia suus non est, sed sibi commissus, ideo debet diligenti cura illum tractare. »

Ante omnia ne dissimulans.] Id est negligens; nam, ut dicit Boherius, in multis locis ponitur dissimulatio pro negligentia.

Aut parvipendens.] Hoc est contemnens. Magnum noveris esse quod sequitur; nam, ut aiunt Smaragdus et Hildemarus, parvipendere **85** idem est ac magnum aliquid animo superbo despicere, seu parum æstimare.

Salutem animarum sibi commissarum.] Magnum utique salus animæ, pro qua Christus mortuus est.

Plus gerat sollicitudinem de rebus terrenis ac transitoriis, atque caducis.] Supple, quam de animabus. Non omnem omnino curam rerum temporalium abbati S. Pater adimit, sed nimiam tantum ac superfluam; de qua S. Augustinus (*Serm.* 101, *de Script.*), « Quid pejus sollicitudine vitæ, quæ pervenire non B permittit ad vitam? Quid miserius quam curando vitam amittere vitam? » Hujusmodi sollicitudines hic in abbate reprobat, perversorum quorumdam occurrens cupiditati, de quibus graphice Petrus Blesensis (*Epist.* 134): « Sunt abbates, inquit, quærentes potius quæ sua sunt quam quæ Jesu Christi; a fructibus eorum cognoscetis eos. Hi, animarum cura posthabita, summam sui officii reputant si in suam et suorum perniciem possessiones ecclesiæ suæ per fas et nefas culturis et ædificiis magnificent et dilatent; animarum vero curam, quæ a spiritu timoris conceperant fructum salutis, quasi aborsum perniciose procurant; ut eis merito aptetur verbum prophetæ dicentis: *Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminos suos* (*Amos* 1). Hi sunt quos agitat spiritus hujus mundi, spiritus vertiginis et erroris. Melius est domum tuam augere moribus quam possessionibus; melius est cœlum implere quam horreum. » Quod tamen non sic dictum velim, quasi C liceret abbati negligere temporalia, sine quorum adminiculo nec spiritalia nec æterna vix comparari possunt. Unde et S. Theresia dicebat (*De modo visit. monast.*, *n.* 2): « Ut spiritalia de bono in melius semper proficiant, maximi est momenti etiam in monasteriis indigentibus ac redditu carentibus, magnam rei temporalis curam gerere. » Recte autem S. Gregorius (*Lib.* 1 *Regist.*, *c.* 24): « Quisquis regendis fratribus præest, vacare funditus a curis exterioribus non potest; sed tamen curandum magnopere est, ne ab his immoderate deprimatur; unde recte per Ezechielem dicitur: *Sacerdotes caput suum non radant, neque comam nutriant, sed tondentes attondeant capita sua.* Quid signant capilli in capite nisi uberiores cogitationes in mente? qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitæ præsentis exprimunt; quæ ex neglecto ac torpenti sensu, quia inopportune prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia ergo cuncti qui præsunt habere D quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere, sacerdotes recte et caput prohibentur radere, et comam nutrire, ut cogitationes carnis de vita subditorum nec a se funditus amputent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent; unde bene dicitur: Tondentes tondeant capita sua, ut videlicet cura temporalis sollicitudinis et ad quantum necesse est prodeant, et tamen recidantur citius, ne immoderate excrescant, etc. » Immoderatas hujusmodi curas abjecerat S. Gertrudis abbatissa Nivialensis (*Sæc.* II *Bened.*, *p.* 465), quæ, ut scribit Anonymus in ejus Vita, cap. 3, « bonis ac fidelibus dispensatoribus foris de **86** fratribus, infra vero septa monasterii spiritualibus sororibus curam familiarem commendavit, quatenus diebus ac noctibus in agone sancto, vigiliis ac orationibus, sanctis lectionibus et jejuniis contra spiritales nequitias potuisset dimicare. »

Porro cum abbas non omnem rei temporalis cu-

ram adjicere teneatur, sed tantum superfluam, ut diximus, quæritur an possit et debeat usque ad lites ad conservationem bonorum monasterii suscipiendas eam extendere? Sane sicut in rebus majoris momenti raptoribus bonorum monasterii cedendum non censeo, sic pro minutiis servos Dei judicio contendere non probo. Lites in omnibus omnino damnare videtur S. Augustinus pluribus in locis. Easdem in monachis maxime improbat S. Bernardus (*Homil.* 4, *sup.* Missus est, *n.* 10) : « Video alios, inquit, quod non sine dolore videri debet, post aggressam Christi militiam rursus sæcularibus implicari negotiis, rursus cupiditatibus terrenis immergi, cum magna cura erigere muros, et negligere mores, sub prætextu quoque communis utilitatis verba vendere divitibus, et matronis salutationes; sed et contra imperatoris sui edictum concupiscere aliena, et sua cum lite repetere, non audientes Apostolum ex imperio Regis tubicinantem : *Hoc ipsum*, inquit, *delictum est in vobis, quod causas habetis : quare non magis fraudem patimini?* Itane mundum sibi, et se mundo crucifixerunt, ut qui antea vix in suo vico vel oppido cogniti fuerant, modo circumeuntes provincias, et curias frequentantes, regum notitias principumque familiaritates asseculi sunt. » Et iterum ad Odonem abbatem fratresque Majoris Monasterii scribens (*Epist.* 387) : « Hoc autem dicimus tutius esse omni Christiano, et maxime monacho, possidere quidpiam minus, quam cum lite amplius; » et paulo ante : « Sed fors in dicitis : Nos nemini injuriam facimus, tenemus nostra, parati, si quis ex adverso est, subire judicium. Recte. Sed quid si alius responderit, et dixerit : Hoc ipsum delictum est in vobis quod causas habetis? Quare non magis fraudem patimini? Quid si leger t et alius? *Si quis abstraxerit tua, ne repetas; quinimo, percutienti in dextram maxillam præbe et alteram; auferenti tunicam præbe et pallium.* » Eadem erat mens Petri Blesensis cum ad H. Radingensem abbatem ita scriberet (*Epist.* 102) : « Contra edictum cœlestis imperatoris est non solum concupiscere, aut rapere aliena; sed sua etiam cum lite repetere. Apostolus ad Timotheum dicit : *Servum Dei non oportet litigare;* et idem : *Hoc ipsum delictum est in vobis, quod judicia habetis, et non potius fraudem patimini;* » et alibi ad G. abbatem Majoris Monasterii (*Epist.* 117), qui priorem S. Cosmæ traxerat in judicium : « Si votum professionis illius cui obligatus es diligenter attenderes, quæ sursum sunt, non quæ super terram propensiore studio procurares, juxta doctrinam Apostoli : Servum Dei non oportet litigare; cum ipse alibi dicat : Hoc ipsum delictum est in vobis, quod causas habetis, et non potius fraudem patimini. » Unde postea epistolam concludens addit : « Cessa igitur, imo cessent omnes religiosi a talibus, quibus conscientiæ **87** sanctorum vulnerantur, denigratur bonorum opinio, scandalizatur ordo, animæ jugulantur; qui enim pro terra litigant aut pro pascuis, indigni sunt in terra viventium aut loco pascuæ collocari. » His accedunt antiquæ regulæ monachorum : Regula S. Posthumio ab angelo tradita n. 18 : « Non patiaris conjugatum judicio contendere tecum; melius est enim monacho fraudem et injurias sustinere, quam ut audiatur vox militis Christi in clamore. » Regulæ fusius disputatæ a S. Basilio (*Cap.* 9) : Contestari oportet insensatos cognatos (bona sæculo renuntiantium injuste retinentes), ne sacrilegii peccatum committant, juxta mandatum Domini, quo dixit : *Si peccaverit adversum te frater tuus, vade, argue ipsum*, etc. At judicio contendere contra ipsos apud extranea tribunalia, vetuit pietatis doctrina, ubi a Domino dictum est : *Volenti tecum judicio contendere, et tunicam tuum tollere, dimitte et pallium;* et in Apostolo : *Audet quisquam vestrum, negotium habens cum altero, judicium experiri sub injustis, et non sub sanctis.* Addit tamen : « Et sub illis (scilicet sanctis) in judicium vocare poterimus, sed ita ut potior sit salus fratris quam copia pecuniarum; nam et Dominus postquam dixit : *Si te audierit*, subjecit : *Lucratus es*, non pecuniam, sed *fratrem tuum.* Potest autem aliquando fieri ut manifestandæ veritatis gratia, vocante nos ad præscriptam judicii diætam eo qui primus adversum nos inique agere cœpit, consentiamus; sed tanquam provocationi obtemperantes, et non proprio iræ aut contentionis affectui obsecundantes, sed veritatem patefacientes; nam hoc pacto et adversarium etiam invitum a malis eripiemus, et ipsi mandata Dei non transgrediemur. » Regula S. Aureliani ad monachos (*Num.* 39) : « Lites nullas habeatis, obedientes præcepto Apostoli, ubi dicit : *Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse.* » Regula S. Stephani institutoris ordinis Grandimontensis (*Cap.* 24) : « Vobis præcipimus ut de rebus vobis datis vel dandis nunquam scriptum causa placitandi faciatis, nec etiam placitare præsumatis; » et infra (*Cap.* 31) : « Firmissime vobis præcipimus ut nunquam propter vestra vel aliena cum aliquo placitare sive judicio contendere præsumatis, nec causas, nec controversias aliorum in manu vestra recipiatis. Quid plura? vobis præsentibus vel absentibus placita, vel hujusmodi conflictus sæculares nullatenus agantur in locis vestris. » S. Patris præcepto pro votis paruere non diu post ejus mortem sanctissimi illius discipuli, cum « locum de Mureto, in quo Deo fideles serviebant, diuque cum sanctissimo Patre suo servierant, monachi vici de Ambasiaco abbatiæ S. Augustini de Lemovicis calumniari cœperunt; sed qui potius auferenti tunicam pallium volebant dimittere, quam inde ad placita et litigandi consuetudinem traherentur, habere locum alium vigilanter perquirere curaverunt, ubi caput religionis suæ convenienter constituerent. » Denique Carthusienses monachi in tertia statutorum compilatione inter ea quæ reprehensione digna existimant, istud recensent (*Cap.* 3, *n.* 6) : « Quia nonnulli sunt in acquirendo nimis avidi, alii in alienando improvidi, alii vero ad litigia proni in **88** suum et domorum suarum non modicum detrimentum. » Quapropter non multo infra hoc edunt statutum (*Num.* 14) : « Quantum poterimus lites et processus fugiamus; servos enim Dei litigare non licet; et si interdum ad id nos impellit necessitas, pacem cum adversariis via amicabili vel arbitrali, si fieri poterit, quæramus, vel oblatam amplectamur, ad vitandum discursus varios, litis eventus dubios, et expensas; ex his enim multa domibus et personis ordinis incommoda evenerunt. » Præterieram pene S. Fructuosum, qui in Regula monastica communi (*Cap.* 3), talem vult in abbatem eligi, qui « omnem causandi usum radicitus a suo corde repellat, et, si fas fuerit, per nullam occasionem in judicio cum hominibus contendat; sed si quis eum incitaverit, et tunicam tulerit, qualiter contendat ad vocem continuo dominicam, et pallium relinquat. Si certe aliquis insecutor monasterii accesserit, et aliquid auferre conatus fuerit, et per vim tollere voluerit, uni de laicis causam injungat, et ipsi fidelissimo Christiano, quem vita bona commendat, et fama mala non reprobat, qui et res monasterii absque peccato judicet et quærat; et si usus jurandi est*, hoc faciat sine juramento et pœna, et non tantum pro rerum lucro, sed ut persecutorem humilem et mansuetum ad veniam postulandam reducat. Quod si persecutor in sua perseveraverit contumacia, et plus lucra dilexerit quam animam, statim causator cum eo contendere dimittat. Abbas vero absque ullo usu causandi, et eraso rancore stomachi simpliciter in suo monasterio cum suis monachis vivat, et nullam cum sæcularibus causandi licentiam habeat. » His omnibus addi potest celebrati anno 813 concilii Moguntini

* *Vide Vitam secundam S. Osvaldi episcopi Eborac.*, *n.* 56, *sæc.* v *Bened.*, *p.* 752.

ista definitio (*Can.* 12) : « Hoc tamen omnino volumus, ut monachi nullatenus ad sæcularia placita veniant, nec ipse abbas sine consensu episcopi sui cum necessitas exigit; tunc per jussionem et consilium episcopi illuc vadat; nequaquam tamen contentiones aut lites aliquas movere præsumat, sed quidquid quærendum est aut respondendum, per advocatos suos hoc agat. » Felices sane hujus temporis monachi, cum tales inveniunt advocatos, quibus secure credi possint res monasterii, nec eos misera cogit necessitas sub fasce rerum temporalium, quas per semetipsos procurare oportet, gemere; cum pro suis potius et alienis peccatis gemere deberent: quamvis nos ab hoc scrupulo relevet S. Anselmus, qui aliquando consultus a quodam fratre qui diceret : « Relicto sæculo veni ad ordinem monachorum, sperans me ibi posse penitus intendere vitæ perenni et Deo. Ecce autem ex præcepto abbatis mei sæcularibus negotiis intendo; et dum res Ecclesiæ contra sæculares defendere tuerique desidero, placito, litigo, etc., » inter alia ita respondit : Monachus « obedientiæ, quæ sibi injuncta est, ita studeat, ut et res Ecclesiæ contra omnes viriliter justeque tueatur et protegat, et de alieno per injustitiam sub dominium Ecclesiæ nihil redigere satagat; si in hujusmodi conversatur et vivit, quamvis pro talibus missas perdat, nonnunquam loquatur cum fratres in claustro taceant, et quædam similia horum faciat, vel dimittat, **89** quæ ipsum nec faciunt*, nec dimittunt. Obedientiæ virtus, quam exercet, hæc cuncta consumit, et vas integrum suum servans, farinam de sua mola fluentem, quæ illum æternaliter pascat, totam ac puram colligit atque recondit, etc. » Et hæc quidem ei qui invito ac repugnanti animo sæcularibus negotiis applicatur. Addit vero : * « Et quid de illo sentiendum est qui se ultro ad dispositionem villarum offert, atque ut id quod cupit ad effectum perveniat, clam sibi adjutores advocat, munera pollicetur, gratiam spondet? » Refert Anselmus : « Nihil hoc ad propositum monachi pertinet. » Et quærenti : « Nonne hic talis licet hoc quod dixi cupiat, tamen sine licentia prælati sui nihil facere tentat? » respondet : « Licentia multos decepit. Obedientia enim et inobedientia contraria sunt; harum media licentia est. Is igitur quem obedientia non constringit claustra monasterii egredi, vult tamen exire, regulæque districtionem licenter declinare, quamvis nolit sine licentia id præsumere, et idcirco actum suum licentia qua nititur possit defendere, peccatum tamen habet ex illicita voluntate; nec enim postquam mortuus mundo claustrum subiit, ad mundi negotia vel voluntate ullatenus redire debuit. Quia tamen ipsum velle suum non nisi permissus facto implere voluit, obedientia, quam in hoc amplexus est, ipsum factum excusabit; sed velle quod contra obedientiam habuit, periculosum, nisi pœnituerit, illi erit. Quod nonnulli minus attendentes, licentia quam pro implenda voluntate sua expetunt, sæpe falluntur. » Hactenus Anselmus, cujus mentem utinam omnes assequantur et sequantur! Quomodo vero ipse in litibus et placitis se gereret, vide si lubet in ejusdem Vitæ libro I, pag. 792, apud Surium.

Sed semper cogitet quia animas suscepit regendas, de quibus rationem redditurus est.] Simile est illud Orsiesii in exhortatione ad monachos : « Discamus quod oportet nos stare ante tribunal Christi, et de singulis non solum operibus, sed et cogitationibus judicari, et post rationem vitæ nostræ etiam pro aliis qui nobis crediti sunt reddituros esse similiter rationem. » Formidanda prorsus prælatis omnibus sententia, quæ vel ipsas vitæ monasticæ columnas commovit, viros omni sanctitate insignitos terruit. Hac nimirum perculsus Petrus Venerabilis ad Guigonem Carthusiæ priorem ita scribebat (*Lib.* I, *ep.* 24) : « Hoc plus quam dicere possum metuens, et horrendum esse incidere A in manu Dei viventis sciens, gemino coarctor periculo, dum me mihique commissos attendo. Nam, sicut B. Gregorius ait : In illo tremendo judicii examine uniuscujusque testimonium vix sibi soli sufficiet, quanto *minus* sibi et proximo? Quomodo ergo tot millibus ubique terrarum diffusis, quos raro vel nunquam videre datur, ante Christum vivorum et mortuorum justum judicem adero? Qualiter secundum B. P. Benedictum de numero commissorum rationem reddere prævalebo, qui de propriæ vitæ studio requisitus mutus forsitan apparebo? » etc. Hac etiam multo se magis commotum fuisse **90** indicat S. Bernardus his verbis (*Serm.* 3 *de Adv.*) : « Longe graviori et periculosiori debito tenentur astricti, qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Quid ego infelix, quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentius custodiri? Si stillantem in cruce Domini sanguinem B collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod et portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certe id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens, ipsa utique Sapientia, sanguinem illum dedit. Sed et habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, et quibus multo plura quam vitreis imminere pericula videantur. »

Et ne causetur de minori forte substantia.] Causari, uti observat noster Menardus, nonnunquam accipitur pro excusare et defendere. Ne ergo causetur de minori forte substantia, quasi diceret : Non excuset aut defendat suam negligentiam erga animas quas suscepit regendas, aut nimiam rerum temporalium sollicitudinem suam prætextu inopiæ aut minoris substantiæ.

Meminerit scriptum : Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.] Recte igitur S. Basilius (*In Const. monast., c.* 35) : « Si enim ubi duo vel tres congregati sunt in nomine Christi, in medio ipsorum est Christus, multo magis C ubi plures, et ubi multorum hominum congregatio. Aut igitur nihil nobis necessariorum præsente Christo deerit, quandoquidem neque Israelitis in solitudine necessaria defuerunt; aut si defuerit ad nostri probationem, satius erit egere et esse cum Christo, quam sine illius societate omnibus hujus vitæ bonis abundare. » Ista S. Basilii verba sequentem etiam sententiam mirifice illustrant.

Et iterum : Nihil deest timentibus eum.] Nam, ut ait Smaragdus, « qui Deum habet per quem cuncta creata sunt, et in quo manent et constant omnia, nihil minus de spiritali aut terrena potest habere substantia. » Hujus rei periculum fecerat S. Hugo Æduensis monachus, qui, ut legimus in ejus Vita, n. 16, « asserebat sub ostentatione communis et veræ fidei, quoniam si in quocunque locorum observatus fuerit prædicti Patris (Benedicti) tenor regularis institutionis, nullius indigentiæ passuros penuriam, qui ibi habitaverint. Quod etiam plurimis in locis, D in quibus custoditur, hodie dignoscitur expertum: nec minus in illis in quibus frigescendo tepuit, egestas et inquietudo cubile locavit. » Idipsum deplorabat anonymus Vitæ S. Stephani abbatis Obazinensis scriptor, ejus discipulus, cum scriberet : « Nunc autem dum pro terrenis et caducis rebus plus quam decet solliciti sumus, et de cœlestibus non cogitamus, fit ut nec istis, nec illis aliquatenus abundemus, quoniam cœlestia bona primum, id est potissimum quærere jussi, cæterorum, quæ restant, sollicitudinem divinæ providentiæ committere debuissemus. » Et hac quidem forte ratione S. Guillelmus abbas Divionensis, ut scribit in ejus Vita Glaber, **91** Rodulfus cap. 15 (*Apud Boll.* 1 *Jan.*) : « Tribus monasteriorum utilitatibus præpositis illud sæpius inculcabat, ut in exactione sibi commissorum forent providi, ne forte nimis tenues pro census reditu affligerentur · dicebat

* *Vide S. Bern. serm.* 3 *de Assumptione B. Mariæ.*

enim se magis velle largiri egenti quam exigere quidpiam ab indigente. » Optima sane monitio iis qui rei temporalis curam gerunt, quam ut sequantur plurimum obsecramus.

Sciatque quia qui suscipit animas regendas, etc.] Terribilis prorsus sententia, et quæ plus timoris exigit quam expositionis.

A *Et ita semper timens futuram discussionem Pastoris de creditis ovibus, cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus*, etc.] Sicque fit ut, quod ait S. Gregorius citatus a Petro Blesensi epist. 132 (*Pastor. part.* III, *adm.* 5), tot sibi coronas multiplicat quot Deo animas lucrifacit.

CAPUT III.

De adhibendis ad consilium fratribus.

Quotiens aliqua præcipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem, et dicat ipse unde agitur. Et audiens consilium fratrum, tractet apud se; et quod utilius judicaverit, faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari [a] diximus, quia sæpe juniori [b] Dominus revelat quod melius est. Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subjectione, ut non præsumant procaciter defendere quod eis visum fuerit; sed magis in abbatis pendeat arbitrio; ut quod [c] salubrius judicaverit esse, ei cuncti obediant. Sed sicut discipulis [d] convenit obedire magistro, ita et ipsum provide et juste condecet cuncta disponere.

B In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam : neque ab ea temere declinetur [e] a quoquam. Nullus in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem; neque præsumat quisquam cum abbate suo proterve vel foris [f] monasterium [g] contendere. Quod si præsumpserit, regulari disciplinæ subjaceat. Ipse tamen abbas cum timore Dei et observatione regulæ omnia faciat, sciens se procul dubio de omnibus **92** judiciis suis æquissimo judici Deo rationem redditurum. Si qua vero minora agenda sunt in monasterii utilitatibus, seniorum tantum utatur consilio, sicut scriptum est : *Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis* [h] (*Eccli.* XXXII).

[a] Flor., *vocare.*
[b] Flor., *juniore.*
[c] Flor., *et quod.*
[d] Al., *discipulos.*

[e] Al., *devietur.*
[f] Al., *proterve intus vel foris.*
[g] Al., *monasterio.*
[h] Al., *pœniteberis.*

COMMENTARIUS.

Quotiens aliqua præcipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem, et dicat ipse unde agitur; et audiens consilium fratrum, tractet apud se, et quod utilius judicaverit esse, ei cuncti obediant.] His in verbis, ut notat Boherius, quinque præsertim complectitur S. legislator: 1. Ut in rebus dubiis majorisque momenti congreget abbas omnes monachos, *convocet abbas omnem congregationem*. 2. Ut tractandas res ipse exponat, *et dicat ipse unde agitur*. 3. Ut fratrum de re proposita sententiam deposcat, *et audiens consilium fratrum*. 4. Audito fratrum consilio, ipse secum deliberet, *tractet apud se*. 5. Quod melius judicaverit, opere exsequatur : quæ quidem omnia sigillatim expendenda sunt.

Quotiens aliqua præcipua agenda sunt in monasterio. Præcipua vocant ea quæ majoris sunt momenti, spectantque ad totam congregationem, ex quibus quinque potissimum recenset Hildemarus, suntque : 1. Susceptio novitiorum. 2. Ejectio e monasterio. 3. Pœnitentia sive excommunicatio pro graviori culpa injungenda, qualis aut quandiu durare oporteat. 4. Donum rei cujuscunque, quæ sit alicujus pretii. 5. Mutatio gravis alicujus rei. Quibus addi possunt collationes beneficiorum, venditiones rerum monasterii, conductiones sive locationes immobilium bonorum, et alia hujusmodi bene multa.

Convocet abbas omnem congregationem.] Congregationis nomine intelligitur cœtus monachorum sub abbate aut superiore viventium; quibus non annumerantur novitii, ut pote qui nondum sunt congregationis corpori sociati, et libere ad sæculum possunt reverti : sed neque fratres laici, sive conversi, sive commissi, sive quovis alio nomine vocentur, qui ad exteriora tantum monachorum servitia sunt recepti.

Porro licet nullum ab hujusmodi negotiorum tractationibus excludat S. P. Benedictus, omnem enim congregationem convocari præcipit, ad has tamen

C non solent nec debent vocari interdicti, suspensi, excommunicati, incarcerati, et qui in pœnam gravis alicujus errati, aut aliquo qualicunque modo voce activa et passiva privantur. De absentibus **93** vero major est difficultas. De his ita discurrit in primo comment. Boherius : « In contractibus faciendis de jure non vocantur absentes; in electionibus prælatorum, receptionibus seu creationibus monachorum, et collationibus beneficiorum, absentes sunt vocandi, dummodo vocari possint commode et sine periculo. Et si nescitur ubi moram trahant, citari debent per edictum publicum in ecclesia, vel loco ubi morari consueverunt; nisi tamen consuetudo habeat ipsos ad capitulum non vocari. Et quod sic vocandi sunt, verum intellige, cum præmissæ receptiones, creationes, sive collationes simul spectant ad abbatem et conventum. »

Convocabantur autem sonitu alicujus instrumenti, puta crepitaculi aut campanulæ, quæ apud Bursfeldenses (*Cærem. Bursfeld. dist.* 1, *cap.* 15) cum hoc

D pulsatur discrimine, « ut pro capitulo tractatuum duo fiant signa; pro capitulo vero quotidiano unum tantum. » De notione autem capituli in quo fiebant hujusmodi convocationes, *videsis* Bened. Haeftenum lib. VIII, tract. 1, disq. 1.

Et dicat ipse unde agitur.] Convocatis fratribus, abbas rem cujus causa congregavit eos, exponit; quia, ut ait Plato (*In Phædro*), « in omni re consulendi principium, nosse id de quo consilium institutum; aut tota via aberrare necessum est. » Antequam vero tractandum negotium exponat, ex Hildemaro, « oculis corporeis fixis in terra, et oculo cordis in Deum, rogare debet Deum dicens: Domine, rogo clementiam tuam, ut per quem vis manifestare, dignare indicare. » Divino implorato auxilio, negotium explicet, allatis utrinque rationibus, sic tamen ut suam ipse non aperiat sententiam, ut omnis tollatur adu-

lationi aut assentationi occasio, ut libera et integra etiam timidioribus quid sentiant exponendi licentia detur, et ne forte inveniatur male feriatus aliquis, maligno discordiæ spiritu agitatus, qui ut aliquam procreet abbati molestiam, cognito ejus desiderio, in contrariam abeat sententiam. Cui plane incommodo obviant Constitutiones congregationis Montis Oliveti, decernentes (*Part.* II, *c.* 3), ut « caveat tam generalis quam particularis abbas, ne in proponendis in capitulo rebus, nutu, verbis, aut aliquo modo demonstrent quid fieri sibi magis placeat; sed proponant tantum, et audiant omnes, et communi consilio prudenter omnia tractent, ac statuant quod major pars utilius judicabit. Si secus, primo publice corripiatur, secundo, per sex menses suspendatur. »

Et audiens consilium fratrum.] Juxta illud Scripturæ: *Qui sapiens est audit consilia* (*Prov.* XII). Non patiens ab aliis eorum interrumpi sermones, qui cœperint loqui, donec ex integro consilium expresserint: nec ipse indigne ferens aliquos suæ contrariam promere sententiam.

Tractet apud se.] Licet aliud nihil ab abbate videatur desiderare S. Benedictus quam ut fratrum exquirat audiatque consilia, liberam ei postea quidquid libuerit exsequendi potestatem tribuens, idque ipsum exigere videatur natura consilii, antiquus tamen in ordine **94** Benedictino mos invaluit, ut auditis abbas fratrum sententiis, eas non ipse solus, sed cum senioribus sive prudentibus quibusdam fratribus expendat, quæve sit sanior discernat, ac tandem quid sit faciendum dijudicet, ut patet ex antiquis Regulæ commentatoribus Smaragdo et Hildemaro. « Quod consilium unusquisque dederit libenter audiat, et postea in secreto cum senioribus tantum fratribus qui utilius quive inutilius consilium dedit, subtiliter et acute discernat, » inquit Smaragdus. Rem paulo fusius exponit Hildemarus. Hic tradit in primis abbatem auditis fratrum sententiis, cum senioribus tribus quatuorve diebus tractare debere, cumque illis fratrum expendere consilia, deinde libratis omnium consiliis, iterum convocatis in capitulo fratribus dicere: Tractavimus consilia vestra, nec potuimus invenire melius aliquod quam istud; quare volo ut fiat; cui omnes debent obedire. Aut si nullum ex omnibus fratrum consiliis aptum potuerit invenire, suum ipse proferre; cui si fratres non assentiant, tandem et suum et fratrum excutere consilium, libratis utrinque rationibus, et tunc demum quod melius perspexerit facere. In hujusmodi autem examine expendat abbas « quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, quid expediat secundum utilitatem, » ut ait Innocentius III.

Et quod utilius judicaverit esse faciat.] Ita ut bono melius, meliori præferat optimum. Itaque consilium fratrum in dubiis rebus ab abbate exposci jubet S. Benedictus, non consensum; resque ita se habebat temporibus Smaragdi atque Hildemari, qui tantummodo volunt abbatem cum senioribus librare atque expendere fratrum consilia, non exspectato eorum nec seniorum consensu. Idem docet S. Bernardus ad monachos Majoris Monasterii sic scribens (*Epist.* 387): « Quid quod abbas statuerit cum consilio seniorum stare non debet, si non omnes consenseritis? Itane in regula vestra manifestam super hoc sententiam aut non attenditis, aut contemnitis? Mandat siquidem ut fratres ad consilium vocati singuli sic respondeant quod senserint, quatenus defendere non præsumant quod responderint, sed abbas auditis singulorum sententiis, quam potissimum elegerit ei omnes sine contradictione acquiescant, etc. » Postea tamen aliquos tam latæ abbatum potestati limites apponere visum est: unde nonnulli nunc occurrunt casus, in quibus haud potest pro suo libito absque fratrum assensu quidquam disponere. Octo præsertim recenset Joannes Trithemius in quibus sine fratrum consensu potestas ejus nulla est. 1. Non potest res monasterii immobiles, ut agros, prata, et hujusmodi vendere, nisi conventus consentiat. 2. Non potest res monasterii absque voluntate et consensu conventus alicui hæreditario jure, et perpetuo concedere. 3. Non potest monachum ad professionem recipere, non consentiente conventu. 4. Non potest gravare monasterium cum pignoribus et aliis cautionibus, saltem magnam summam recipiendo pecuniarum super aliqua bona monasterii, absque evidenti necessitate **95** et fratrum suorum consensu, sicut nec res immobiles a monasterio alienare. Quintum casum aliqui addere volunt, quod non liceat abbati dimittere monachum ad aliud ejusdem ordinis monasterium, se inibi stabiliendum absque consensu conventus, dicentes quod sicut congregationem augere sine ipsorum voluntate non potest, ita nec minuere. 6. Non potest aliqua statuta ipsis imponere quæ se ultra regulam extendant, nisi consentiant illi. 7. Non potest aliquem ad confraternitatem totius monasterii accipere spiritualiter. 8. Non potest præbendarios perpetuos recipere ad monasterium sine voluntate conventus. Hactenus Trithemius: sunt forte et alii plurimi casus, de quibus consulendæ sunt cujusque congregationis constitutiones.

Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus, quia sæpe juniori Dominus revelat quod melius est.] Ut experimento se didicisse testatur S. Cyprianus his verbis (*Epist.* 10): « Per nocturnas enim visiones, per dies quoque impletur apud nos Spiritu sancto puerorum innocens ætas, quæ in exstasi videt oculis, et audit, et loquitur ea quæ nos Dominus monere et instruere dignatur. » Ita Danieli duodecim duntaxat annos nato senum presbyterorum fraudem et dolum Dominus revelavit. Hinc Paulus apostolus, *Si juniori*, inquit, *revelatum fuerit, senior taceat* (*I Cor.* XIV). Quia ergo juniori sæpe Dominus revelat quod melius est, juniores etiam novissimos ad consilium vocari voluit S. Benedictus: qua etiam ratione eos veteres monachi in suis collationibus, ut testatur Cassianus (*Collat.* 16, *c.* 12), admittebant: quamvis in nonnullis monachorum congregationibus soli sacris ordinibus initiati, ut minimum subdiaconi, capitularibus tractationibus intersint. Atque ita apud Carthusianos ex nova collectione statutorum, II parte, cap. 4. Sed et hoc apud eos recens est, nam Statuta Guigonis cap. 37, Antiqua Statuta, II parte, cap. 7, omnes monachos absolute convocari volunt.

Sic autem dent consilium fratres cum omni humanitatis subjectione.] Hactenus S. Pater abbatem docuit quo pacto fratres ad consilium adhibere debeat; jam vero qualiter ipsos proprium sensum exprimere deceat exponit, dicens: *Sic autem dent consilium fratres*: sub hac nimirum forma quam tradit Hildemarus hunc regulæ textum, *Dicat unde agitur*, explicans: « Tunc debent respondere monachi hoc modo: Auctoritas vestra est interrogandi, et nobis data est licentia respondendi; nunc autem rogamus ut quod dicturi sumus non procaciter esse dictum recipiatis, quod respondebimus, quia cum vestra licentia dicimus. » Quibus abbas respondere debet: « Nostra est licentia ut dicatis. » Tunc unusquisque quod sentit exponat.

Cum omni humilitatis subjectione.] Id est modeste et humiliter; quod utique præstabit quisquis non nisi vocatus venerit, interrogatus locutus fuerit, alios loquentes cum contemptu non irriserit, eorum verba superbe et tumultuose non interruperit; « quia superbus, ut ait S. Bernardus (*De grad. humil. cap.* 16), primus in conventibus residet, in consiliis **96** primus respondet, non vocatus accedit, non jussus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta. » Vel etiam humilitatis subjectio, ut observat Haeftenus (*Lib.* III, *tract.* 5, *disq.* 7), in hoc potissimum spectatur, si interrogatus frater non absolute et auctoritative, quasi decretoriam proferens sententiam dicat: Sic agendum est: Sic fieri debet: Hæc mea resolutio; sed: Ita mihi videtur: Credo quod sic

fieri posset, etc., adjiciendo illud quod peritissimis quoque theologis et jurisperitis familiare est : Salvo meliori judicio.

Ut non præsumant procaciter defendere quod eis visum fuerit.] Hoc enim humilitati, cum qua dari consilium jussit, repugnat. « Quæ major potest esse superbia, inquit S. Bernardus (*Serm.* 2, *de Resurrect.*), quam si unus suum judicium præferat universæ congregationis judicio, quasi solus haberet spiritum Dei? » Neque vero sic capienda sunt, S. Benedicti verba, quasi omnino sententiam suam tueri prohiberet; imo licet ad objecta respondere, quodque sibi visum fuerit sanius, validissimis, quoad fieri potest, rationibus firmare, dummodo omnis absit obstinatio aut pertinacia. Sed quid si insurgat loquenti contrarius aliquis? Audi Hildemarum : « Quod si alter e latere surgit dicens : Quia hoc quod dicis nec bonum, nec verum est, hic debet ille alter caute vigilare, ne in procacitatem cadat; id est debet dicere abbati : Si vobis placet, ego mittam rationem quam de hac re sentio, et non debet contra illum fratrem qui sibi contrarie dixit aliquid contrarium dicere. Quod si abbas dederit licentiam, dicat rationem humiliter illius rei ita : Tantas habet congruentias, et tantas contrarietates. Si autem abbas non dederit licentiam dicendi rationem, ille vero taceat. »

Sed magis in abbatis pendeat arbitrio, ut quod salubrius esse judicaverit, ei cuncti obediant.] Etsi contrarium ipsi senserint; neque indigne ferant siquando suum viderint deseri judicium, sed potius aliorum prævalere gaudeant; ut tacitus quisque illud sibi apud se usurpare queat S. Bernardi ad Ogerium scribentis (*Epist.* 87) : « Agnoscens siquidem meæ sapientiæ siccitatem, imo insipientiæ meæ semper suspectam habens temeritatem; cum non fit quod fieri laudo, nec audeo, nec debeo indignari, desiderans quemque consultius agere. Quoties vero mea sententia eligitur ac tenetur, gravi fateor onere me premi sentio, rei finem semper pavidus, et nunquam securus exspectans. » Eadem erat mens haud dubium abbatis Pœmenis, de quo referunt (*Apophthegm. Pat. tom.* I *Mon. Eccl. Græcæ, p.* 618), « quod nunquam voluerit dare consilium suum, post alterius senis responsum, sed magis laudibus illud prorsus extulerit. »

Sed sicut discipulis convenit obedire magistro, ita et ipsum provide et juste condecet cuncta disponere.] Quod adjicit, ne forte abbas quasi libera utens potestate, spretis fratrum consiliis, injuste disponat aliquid. Sane sicut abbatem fratrum adhærere sententiæ non astringit, sic non decet eum ab eorum sententia, maxime **97** cum in unam conveniunt, facile recedere.

In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam.] Hactenus abbatem et fratres singillatim; nunc utrosque simul admonet ut in omnibus omnes magistram sequantur regulam, non solum in dandis consiliis, de quibus hic præsertim, sed in omnibus aliis monasticis observantiis. Porro qui dicit omnes, nullum excipit; ergo nec abbates. Recte omnino Petrus Blesensis (*Epist.* 131) : « Nulli prælato aut subdito voluntatem sequi licet; nam et monachorum legislator quasi edicto præcipit generali, ut omnes magistram sequantur regulam, et ab hac lege nec abbas nec prior excipitur. » Et S. Bernardus (*De Præc. et disp. c.* 4) : « Omnes, inquit, magistram sequantur regulam; nemo ergo suam voluntatem : ubi sane nec abbatem excipi puto. » Unde etiam congregati in concilio Aquisgranensi abbates sanxerunt (*Can.* 1), « ut abbates regulam per singula verba discutientes pleniter legant; et intelligentes Domino opitulante efficaciter cum suis monachis implere studeant. » Neque vero hic solum desidiosos deliciososque abbates, qui, spreta communi fratrum vita, sibi ipsis in cameris indulgent, S. P. Benedictus arguit; sed illos insuper qui jure antiquitatis, aut

A alicujus quod exercent officii sese a regulis exemptos existimant : quasi vero ætas aut dignitatis gradus absolveret, et non potius monachos stringeret. Si juniores ea jubentur agere quæ majorum cohortantur exempla, eos prorsus hac vivendi ratione majores absolvunt a regulæ observatione, eruntque inutiles omnes quæcunque regulæ, quas nec seniores, nec ipsi juniores observare tenebuntur.

Quod vero S. legislator ait *in omnibus*, intelligi debet non solum in magnis, sed etiam in parvis; qui enim dicit *in omnibus* nihil omnino excipit : ubi tacite redarguit eos qui nonnullas observantias tanquam minimas despiciunt : quasi vero parvum aliquid foret apud Deum; parvum quo Deus honoratur, parvum quo æternum gloriæ pondus acquiri potest. Præclare S. Augustinus (*Lib.* IV *de Doctr. Christ.*, *cap.* 18), « Quod minimum est, inquit, minimum est; sed in minimo fidelem esse magnum est. Nam sicut ratio rotunditatis est ut a puncto medio omnes lineæ pares in extremo ducantur, eadem est et in
B magno disco, quæ in nummulo exiguo : ita ubi parva recte geruntur, non minuitur justitiæ magnitudo. » Audiant qui regulæ observantias tanquam minimas contemnunt, audiant S. Bernardum ad Lotharium imperatorem scribentem (*Epist.* 139) : « Verendum est ne minimorum neglectus impedimentum sit maximorum; » et Scripturam : *Qui spernit modica paulatim decidet.* Nullus ergo dicat : Hæc regula nihil est, hæc observantia parva, istud præceptum festuca est. O festuca quidem initio, sed quæ processu temporis in trabem evadit! *Festuca nutrita fit trabes*, inquit S. Augustinus (*Serm.* 19, *de Script.*). Certe terret me Bernardus cum dicit (*Serm.* 1, *in Conv. S. Pauli*), « Cavete ne quis parva reputet, quamlibet parva scienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde suo : Levia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum si in his maneam venialibus **98** minimisque peccatis : hæc est enim dilectissimi impœnitentia, hæc blasphemia in Spiritum sanctum, blasphe-
C mia irremissibilis. » Sed demus parva sint peccata, nunquid ideo spernenda? « Noli despicere peccata tua, quia parva sunt, inquit S. Augustinus (*Serm.* 292, *in append. Serm. S. Aug.*) seu quivis alius, nam et pluviarum guttæ sunt, et flumina implent, et moles trahunt, et arbores cum suis radicibus tollunt. Tu qui dicis quia parvum peccatum est, velim scire quoties tale peccatum admittis, si tot parvulas plagas in corpore tuo, tot maculas aut scissuras in vestibus tuis fieri velis? Cum ergo nec in corpore tuo plagas, nec in veste scissuras vel maculas fieri acquiescis, qua conscientia hoc facere in anima tua non metuis? Ac sic quicunque hoc fecerit, plus amat vestem aut carnem tuam quam animam. » Et paulo post : « Et quia, sicut dixi, in anima nostra facti sumus ad imaginem Dei, si in tabula aut lignea aut lapidea faceres imaginem tuam, et aliquis impudens homo vellet illam imaginem aut lapidibus frangere, aut aliquibus sordibus inquinare, velim scire si contra illum non moveretur animus tuus? etc. » Tan-
D dem, ut hanc rem brevi absolvam, unum his addo S. Bernardi verbum (*Serm. in Cœna Domini*) : « Hæc, inquit, nemo contemnat aut parvipendat. Impossibile est enim cum eis salvari, impossibile est ea dilui, nisi per Christum Jesum, et a Christo. Nemo, inquam, perniciosa securitate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis; quoniam nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo. » Plura de hac materia qui desideraverit, adeat si lubet Julium Nigronum tract. 10 inter asceticos; Benedictum Haeftenum lib. II tract. 8, disq. 8; Dionys. Carthusianum de Refect. claustr. cap. 6; Dacriani Speculum monach. sub finem

Nec ab ea temere declinetur a quoquam.] Temere, id est sine causa legitima. An vero sola abbatis dispensatio sufficiens sit a regula declinandi causa legitima? Respondeo legitimam esse, dummodo accedat necessitas aut utilitas; alioquin illa dispensatio aliud

nihil erit quam colorata prævaricatio. Ita docet S. Bernardus (*Lib.* III *de Consider.*, *c.* 4) « Ubi necessitas urget, inquit, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; utilitas dico communis, non propria; nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. » Et Petrus Blesensis ad E. priorem de monasteriolo scribens (*Epist.* 131) : « Si vero alleges te per abbatem tuum a monasticæ legis observantia relaxatum, scias quod licet abbati dispensatio credita sit, ea tamen statuere aut sustinere non permittitur, quæ lucrum impediunt charitatis. »

Nullus in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem.] Hæc est enim quæ infernum creavit : *Tolle propriam voluntatem*, inquit S. Bernardus (*Serm.* 3, *de Resurrect.*), *et infernus non erit.* Quod vero dixit, *in monasterio*, non sic capiendum, quasi extra monasterium propriam liceret adimplere voluntatem; sed monasterium hic sumit pro ejus habitatoribus; illa scilicet figura qua continens pro contento accipitur.

99 *Neque præsumat quisquam cum abbate suo proterve aut foris monasterium contendere.*] In nonnullis codicibus recentioribus legitur, *proterve intus aut foris;* sed *intus* non reperitur in codicibus Cassinensibus, neque in Oxoniensi, neque apud Hildemarum, neque apud Smaragdum; imo neque in codice quem propriis manibus scripsit S. Benedictus, ut docet idem Smaragdus, nec sane requiritur. Itaque juxta nostram lectionem sensus est, quod non omnem in monasterio contentionem S. Benedictus prohibuerit, sed protervam, superbam et contumacem; extra monasterium vero et protervam et amicam. Ita Smaragdus : « Sciendum est, inquit, quia cum contentionem cum additamento *proterve* vetuit, amicam et pacificam contentionem concessit; est enim amica et proficua contentio quæ frequenter inter duos homines pro qualitate intervenientis causæ efficitur : sicut inter B. Benedictum et Maurum ejus discipulum pro puero Placido quondam fuisse legitur.... Foris nec protervam, nec amicam concessit, quia si in publico etiam amica contentio fiat, magistro inde nociva est despectio, et discipulo mortifera nascitur elatio. » Et sic forte intelligendus est S. Odo abbas Cluniacensis, cum ait (*Lib.* I *Collat.*, *n.* 20) : « Quod magistri a subditis reprehendi non debeant, bene bobus calcitrantibus inclinata illa testamenti, quæ rectores significat, arca figuravit : quam quia casuram credens Oza levites erigere voluit, mox sententiam mortis accepit in humero percussus, quo ex præcepto legis eam ferre debuerat; quia nimirum cum subditi contra prælatos, quorum imperia ferre debuerant, manum submissionis mittunt, a sorte viventium reprobantur. » Idem docet Gaufridus Vindocinensis lib. IV, epist. 22.

Quod si præsumpserit, regulari disciplinæ subjaceat.] Simile est illud Regulæ S. Pachomii (*Art* 118) : « Si inventus fuerit unus ex fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens majoris imperio, increpabitur juxta mensuram peccati. » Regularem autem disciplinam in eo constituunt, ut is qui deliquit, semel et iterum secreto admoneatur; deinde si non emendaverit objurgetur publice; postea si neque sic correxerit, excommunicationis vindicta plectatur; tandem non emendatus excommunicatione corporali, vindictæ subjaceat; denique si flagellum non emendaverit, adhibeatur oratio fratrum; postremo, omnibus frustra tentatis, expellatur de monasterio. Ita fere Smaragdus, Hildemarus, et Bernardus Cassinensis, quorum sententiam confirmare videntur Consuetudines S. Benedicti Anianensis tom. IV Analectorum editæ; atque hoc vocabant *transire per gradus.* In Regula S. Donati ad virgines regulari subdi disciplinæ idem est ac carceri mancipari; nam capite 2, quod totum ex regula S. Benedicti cap. 3 desumpsit, sexu masculino in femininum mutato, postquam dixit : *Quod si præsumpserit disciplinæ regulari subjaceat;* quasi explicans quid illud sit, subjungit : *Id est in cella detrudatur, donec pœnitendo humilietur.* Erit forte qui regularem disciplinam hic accipiat pro flagelli verbere. **100** Ita Venusinus abbas in Vita S. Petri abbatis Cavensis n. 28 (*Boll. 4 Mart.*) : « Ante altare eum ducens, regulari disciplinæ subdidit, atque tam acriter verberare cœpit, ut inter dolores exclamaret. » Certe disciplinam in Regula S. Benedicti pro corporali aliqua vindicta sumi patet ex ejusdem Regulæ cap. 65, ubi vitiosum præpositum verbis admoneri præcipit usque quater, *et si non emendaverit*, addit, *adhibeatur ei correptio disciplinæ regularis.*

Ipse tamen abbas cum timore Dei et observatione regulæ omnia faciat.] Primo cum timore Dei, quia, ut dicit citatus a Boherio Cassiodorus, « semper bene geritur, si cœlestis metus humanis moribus apponatur. » Deinde cum observatione regulæ, ut ostenderet non minus abbatem quam monachos regulæ subdi.

Sciens se procul dubio de omnibus judiciis suis æquissimo judici Deo rationem redditurum.] Quod frequenter abbati S. Pater ingerit, præsertim cum aliquid ei potestatis concedit, ut de accepto et concesso honore haud extollatur, ac semper cogitans quale suscepit onus, in Dei timore permaneat.

Si qua vero minora agenda sunt in monasterii utilitatibus.] Vel etiam detrimento. Minora vocat ea quæ fere usu quotidiano eveniunt, et ad omnem congregationem non pertinent, sed ad speciales tantummodo personas, eorumque officia, sive, ut vocabant, obedientias; ut sunt eligere præpositum, sicut habetur Regulæ cap. 65, *cum consilio fratrum ipse ordinet sibi præpositum*, decanum, cellerarium, etc., emere hoc aut illud ad ornandam ecclesiam, et alia hujusmodi. Vel etiam minora possunt dici ea quæ nunc ex jure absque ullo fratrum consensu abbas potest exsequi.

Seniorum tantum utatur consilio.] Seniores hic vocat non omnino decrepitos, aut ordine monasterii primos, sed prudentes, discretos, expertosque fratres, quorum in electione non tam ætas quam maturitas consideranda est : quamvis in iis non sit spernenda senectus, maxime si cum judicio et discretione juncta sit; nam, ut dicit vulgatus S. Ambrosius (*In I Tim.* V) : « Apud omnes utique gentes honorabilis est senectus, unde et Synagoga, et postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia. » Ubi ergo æqualis est morum maturitas, discretio, prudentia, et in sene et in juvene, debet senex juniori præponi. Jam vero si quæras quænam potissimum virtutes in senioribus debeant requiri, respondet Hildemarus : In istis senioribus tria debent inquiri : fides, spes, charitas : fides, qua sub silentio tegant omnia; spes æternorum præmiorum, qua roborati pro tuenda veritate omnia sustineant; charitas, qua omnes idem sapiant. His adde cognitionem boni et mali, qua possint illud prosequi, et istud persequi; summam prudentiam, summamque discretionem.

De numero vero seniorum Boherius existimat duos sufficere, et **101** revera satis esse in minori congregatione non negaverim; at vero in majori tres quatuorve consulendos existimarem. Atque ita se habuisse apud veteres monachos colligitur ex his Hildemari verbis : « Cum tres aut quatuor locuti fuerint, alius inter illos sine vocatione accedat absque verecundia. » Apud Cassinenses seniores sunt : Prior claustralis, decani, magister novitiorum, et cellerarius; in congregatione Montis Oliveti : Vicarius, cellerarius, magister novitiorum, procurator, et senior secundum professionem. Fulienses vero in suis Constitutionibus hæc statuunt (*Cap.* 3) : « Seniorum appellatione intelligimus præter subpriorem cujusque monasterii duos sacerdotes, ubi decem vocales sunt; aut unum sacerdotem, ubi minor est numerus, quos superior tanquam virtute, judicio, usuque rerum præstantiores e conventu suo elegerit, ut eorum consilio adjuvetur; quibus, quotiescunque de rebus temporalibus agitur, accedet cellerarius. »

Sicut scriptum est : Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis.] Ita S. Basilius (*Reg. Brev. interrog.* 104) : « In universo, inquit, generatim negotio meminisse debet antistes necessario Scripturæ dicentis : *Cum consilio fac omnia.* » Hinc S. Vitalis, ordinis ejusdem S. Basilii abbas, inter alia ad successorem suum bortamenta : « Quæ autem facienda contingunt, ait, tam spiritalia quam corporalia, non secundum proprium arbitrium et voluntatem, sed cum conscientia fiant, et consilio majorum, et eorum qui digni sunt reverentia. » Similiter et Petrus Blesensis ad abbatem S. Launomari scribens : « Omnia cum consilio fac; castorum enim consiliorum mater Sapientia in libro nominis sui dicit : *Ego in consiliis habito, et interaum cogitationibus eruditis.* Probatos autem in religione tecum habeas in consilio, in obsequio, in contubernio, tuæ custodes honestatis et testes. » Hac in re laudant imprimis S. Fulgentium, qui, ut dicit anonymus ejus discipulus in illius Vita, cap. 29 (*Apud Boll. 1 Januar.*), « in omni consilio Bysaceno de rebus majoribus ipse primus consulebatur; in monasterio proprio de rebus etiam minimis

A abbatem Felicem simpliciter consulebat. » Tum venerabilem Eigilem abbatem Fuldensem, qui, teste Candido in ejus Vita n. 22 (*Sæc.* IV *Bened. part.* I), « audiebat libenter consilium fratrum, et eorum collocutionibus sæpissime fruebatur; sciebat enim scriptum : *Omnia fac cum consilio;* atque ideo non se sublimiorem, nec prudentiorem cæteris æstimabat, neque etiam inani tumore tractabat se consolatione alterius non indigere. » Sed inter alios maxime spectandus S. Stephanus abbas Obazinensis, qui, ut legitur in ejus Vitæ lib. II, n. 14 (*Tom.* IV *Misc. Baluz.*), « Nihil quamvis parvum sine alterius consilio facere voluerit : quod si res in promptu esset, nec dilationem admitteret, ipse vero in præsenti non haberet nisi aliquem ex simplicibus fratribus, aut unum forte ex familia, non tamen vel ab illo consilium quærere dubitabat. »

Cæterum ut hoc caput paucis absolvam, S. Benedictus res majoris momenti omnium fratrum consilio; minora seniorum duntaxat; sed minima quæ omni
B fere momento eveniunt, solius abbatis prudentiæ submittit.

CAPUT IV.

Quæ sint instrumenta bonorum operum.

1. **102** Imprimis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute (*Luc.* X).
2. Deinde, proximum tanquam seipsum.
3. Deinde, non [a] occidere (*Matth.* V).
4. Non adulterari [b] (*Levit.* XIX).
5. Non facere furtum (*Exod.* XX).
6. Non concupiscere (*Deut.* V).
7. Non falsum testimonium dicere (*II Petr.* II).
8. Honorare omnes homines (*Luc.* IX).
9. Et quod sibi quis fieri non vult, alii [c] non faciat (*Tob.* IV). C
10. Abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum (*Matth.* VII).
11. Corpus castigare (*I Cor.* IX).
12. Delicias non amplecti (*II Petr.* II).
13. Jejunium amare (*Dan.* I).
14. Pauperes recreare (*Tob.* IV).
15. Nudum vestire (*Isai.* LVIII).
16. Infirmum visitare (*Matth.* XXV).
17. Mortuum sepelire (*Tob.* I).
18. In tribulatione subvenire (*Eccl.* VI).
19. Dolentem consolari (*Eccl.* VII).
20. A sæculi actibus se facere alienum (*II Tim.* II).
21. Nihil amori Christi præponere (*Matth.* X).
22. Iram non perficere (*Matth.* V).
23. Iracundiæ tempus non reservare (*Ephes.* IV).
24. Dolum in corde non tenere (*Prov.* XII).
25. Pacem falsam non dare (*Psal.* XXVII).
26. Charitatem non derelinquere (*I Petr.* I).
27. Non jurare, ne forte [d] perjuret (*Matth.* V).
28. Veritatem ex corde et ore proferre (*Psal.* XIV).
29. Malum pro malo non reddere (*I Thess.* V).
30. Injuriam non facere; sed et factam patienter sufferre (*I Cor.* VI).

103 31. Inimicos diligere (*Matth.* V).

32. Maledicentes se, non remaledicere, sed magis [e] benedicere (*I Petr.* III).
33. Persecutiones pro justitia sustinere (*Matth.* V).
34. Non esse superbum (*Tob.* IV).
35. Non vinolentum [f] (*I Tim.* III).
36. Non multum edacem (*Eccl.* XXXVII).
37. Non somnolentum (*Prov.* XX).
38. Non pigrum (*Prov.* XXIV).
39. Non murmurosum (*Sap.* I).
40. Non detractorem (*Prov.* IV).
41. Spem suam Deo committere (*Psal.* XXX).
42. Bonum aliquod in se cum viderit, Deo applicet, non sibi (*Jac.* I).
43. Malum vero, semper a se factum sciat et sibi reputet (*Ose.* XIII).
44. Diem judicii timere (*Job* 31).
45. Gehennam expavescere (*Luc.* XII).
46. Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare (*Psal.* LXXXIII).
47. Mortem quotidie ante oculos suspectam habere (*Matth.* XXIV)
48. Actus vitæ suæ omni hora custodire (*Deut.* IV).

D 49. In omni loco Deum se respicere, pro certo scire (*Prov.* V).

50. Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere (*Psal.* XXXVI).
51. Et seniori spirituali patefacere (*Eccl.* IX).
52. Os suum a malo vel pravo eloquio custodire (*Psal.* XXXV).
53. Multum loqui non amare (*Prov.* X).
54. Verba vana aut risui apta non loqui (*Matth.* XII).

[a] Hild., *non occides.*
[b] Al., *adulterare*
[c] Al., *alio.*

[d] Hild. omittit *ne forte perjuret.*
[e] Hild. omittit *sed magis benedicere*
[f] Narb., *violentum.*

55. Risum multum aut excussum non amare (*Eccl.* VII).

56. Lectiones sanctas libenter audire (*Luc.* XI).

57. Orationi frequenter incumbere (*Luc.* XVIII).

58. Mala sua præterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, de ipsis malis de cætero emendare (*Psal.* VI).

59. [a] Desideria carnis non perficere; voluntatem propriam odire (*Gal.* V).

60. Præceptis abbatis in omnibus obedire (*Hebr.* XIII), etiamsi ipse aliter **104** (quod absit) agat, memores illud dominicum præceptum, *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* III).

61. Non velle dici sanctum antequam sit; sed prius esse quod verius [b] dicatur (*Matth.* III).

62. Præcepta Dei factis quotidie adimplere (*Eccli.* VI).

63. Castitatem amare (*I Tim.* V).

64. Nullum odire (*Luc.* XIX).

A 65. Zelum non habere, invidiam non exercere (*Gal.* V).

66. Contentionem non amare (*II Tim.* II).

67. Elationem fugere (*Psal.* CXXX).

68. Seniores venerari (*Levit.* XIX).

69. Juniores diligere (*I Tim.* V).

70. In Christi amore pro inimicis orare (*Matth.* V).

71. Cum discordante ante solis occasum in pacem redire (*Eph.* IV).

72. Et de Dei misericordia nunquam desperare (*Ezech.* XVIII).

Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis: quæ cum fuerint a nobis die noctuque incessabiliter adimpleta, et in die judicii reconsignata, illa merces nobis a Domino recompensabitur quam ipse promisit: B *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus his qui diligunt eum*. Officina vero, ubi hæc omnia diligenter operemur [c] claustra sunt monasterii, et stabilitas in congregatione.

[a] Hoc instrumentum deest in textu Hildemari.

[b] Flor., *quo verius*. Na b., *qui et verius*.

[c] Deest apud Hild. *ubi hæc omnia diligenter operemur*.

COMMENTARIUS.

Antequam singula capitis hujus instrumenta expendamus, nonnulla de his generatim præmittenda videntur. Et primo quidem illud notatu dignum occurrit, quod istud de bonorum operum instrumentis caput sit veluti breviarium compendiumque ipsius Regulæ, totiusque perfectionis, cujus nihil illi defecturum arbitror, quem hoc caput constiterit observasse: unde tot constat instrumentis quot Regula capitibus; ut qui illud opere impleverint, omnia simul implesse videantur.

Deinde observandum est tanto apud veteres caput istud fuisse in pretio, ut illud de verbo ad verbum suæ ad Virgines Regulæ cap. 3 inseruerit S. Donatus Bisuntinus episcopus: quod et præstitit Magister **105** Regulæ etiam capite 5, sub hoc titulo: *Quæ est ars sancta quam docere debet abbas discipulos in monasterio*, verbis tamen subinde mutatis et instrumentis nonnullis omissis. Similiter et Grimlaicus in Solitariorum Regula capite 25 cum hac præfatione: « Cum ergo omnium sanctarum Scripturarum paginæ instrumentis bonorum operum sint refertæ, et per earumdem sanctarum Scripturarum campos inveniri possint arma quibus vitia comprimantur et virtutes nutriantur; necesse tamen est huic Regulæ sententiam cujusdam Patris inserere de instrumentis bonorum operum; in qua sub magna brevitate quid solitariis agendum, quidve vitandum sit continetur. Oportet enim eos imprimis Deum diligere, etc. » Hæc eadem instrumenta a S. P. Benedicto emendicata, ejus tamen nomine suppresso, et cum præfatione prædicta verbo tenus refert Theodulfus Aurelianensis episcopus in suo Capitulari cap. 21. Referuntur etiam in antiquo ordine Romano ex canone Theodori Anglorum episcopi in ordinatione abbatissæ, uti observat Menardus noster.

Tertio. Petrus Boherius, Menardus, et post utrosque Haeftenus, existimarunt hæc omnia bonorum operum instrumenta ex epistola prima S. Clementis in suam Regulam translata fuisse a S. Benedicto. Idem credidit olim etiam Amalarius in supplemento ad libros IV de Divinis officiis (*t. II Analect.*, *p.* 142). Verum non S. Benedictus a S. Clemente, sed Clementis subornator Isidorus Mercator ex Regula S. Benedicti totum hoc caput accepit, uti probat noster Mabillonius in observationibus ad præfatum Amalarii supplementum.

Quarto. Occasione tituli hujus capitis isthæc occurrit difficultas: Cum ea quæ hic continentur sint ipsa bona opera, quomodo instrumenta bonorum C operum dicuntur? nihil enim est sui ipsius instrumentum. Ad hanc difficultatem multæ possunt adhiberi solutiones. Primo enim, ut observat Menardus, hic per hujusmodi bona opera intelligere possumus certam methodum perfectionis acquirendæ, seu, ut loquitur S. Benedictus, artem spiritualem ad quam illa omnia, quæ hic commemorantur, viam muniunt: ac proinde recte illius instrumenta dici possunt. 2° Virtutes et bona opera possunt etiam appellari instrumenta bonorum operum, quia sese mutuo indigent, se invicem adjuvant. Ita « per amorem Dei amor gignitur proximi, et per amorem proximi amor Dei nutritur, » ut loquitur S. Gregorius (*Lib.* VII *Moral.*, *cap.* 10). Ita oratio jejunium, et jejunium orationem adjuvat; et sic unum alterius est instrumentum: liceatque respectu sui dici nequeat instrumentum bonorum operum, potest tamen respectu aliorum. 3° Quæcunque hoc continentur in capite, considerari possunt aut ut præcepta, vel ut consilia: habita autem ratione definitionis instrumenti, quæ est: id quo D utitur principalis causa, hæc omnia consilia vel præcepta possunt dici moralia instrumenta, quibus lectis vel auditis utitur Deus, vel ipse S. Benedictus, ut nos ad bona opera exercenda moveat; et hac forte acceptione regulas et collationes Patrum appellarit *instrumenta virtutum*, Regulæ cap. ultimo. 4° Si ipsam **106** instrumenti etymologiam expendamus, instrumentum dicitur ab eo quod instruit; et sic hæc omnia dici possunt instrumenta bonorum operum, ut pote quæ nos bona opera edocent.

Quinto. Denique observat Hildemarus capitis hujus titulum duobus modis posse concipi. 1° Simpliciter dictum, quasi diceret S. Benedictus: Hoc in capite disseremus quæ sint instrumenta bonorum operum. 2° Interrogative, *Quæ sint instrumenta bonorum operum?* ad quam interrogationem respondetur: *Imprimis*, etc.

Imprimis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute.] Primum inquit instrumentum

diligere Deum, hoc est etiam primum et maximum in lege mandatum : primum dignitate, primum utilitate, primum necessitate. Dignitate, quia, ut dicit apud Cassianum (*Collat.* 11, *c.* 12) abbas Chæremon, « nihil pretiosius, nihil perfectius, nihil sublimius, nihil charitate perennius ; » et Sanctus Cæsarius (*Serm.* 107 *in Append. Serm. S. Aug.*) : « Charitas oleo comparatur ; nam quomodo oleum omnibus humoribus superius esse cognoscimus, ita charitas omnibus virtutibus sublimior comparatur. » Utilitate, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ; bonum utique, Deum possidendum ; ut enim ait S. Augustinus (*Lib.* I *de Doct. Chr., cap.* 29), « Deus vult se diligi, non ut sibi aliquid, sed ut eis qui diligunt æternum pretium conferatur, hoc est ipse quem diligunt. » Unde et S. Ambrosius (*Lib.* I *in Hexam., c.* 12) : « Charitas est, inquit, quæ nos superioribus nectit cœloque inserit. » Tandem necessitate, et quidem æternæ salutis, quæ sine Dei dilectione haudquaquam obtineri potest, Apostolo ad Corinthios scribente : *Etsi habuero prophetiam, et noverim omnia mysteria, et omnem scientiam; etsi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam : charitatem autem non habuero, nihil sum : etsi distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas ; etsi tradidero corpus meum, ita ut ardeam : charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII).

Ab hac vero dilectionis lege nullus eximitur, nullus aliquo potest excusari prætextu : « Potest mihi aliquis dicere : Non possum jejunare, inquit S. Cæsarius (*Serm.* 225 *in Append. Serm. S. Aug.*), non possum vigilare; nunquid potest dicere : Non possum amare? Potest dicere : Non possum res meas totas pauperibus dare, et in monasterio Deo servire; nunquid potest dicere : Non possum diligere? » Et certe, ut optime observat S. Thomas (1-2, *q.* 109, *a.* 3), « diligere Deum super omnia est quiddam connaturale homini, et cuilibet creaturæ, non solum rationali, sed etiam irrationali, et etiam inanimatæ secundum modum amoris, qui unicuique creaturæ competere potest. » Unde etiam apposite S. Basilius (*Regul. fus. cap.* 2) : « Dilectio Dei, inquit, doceri non potest; neque enim luce gaudere, et vitam affectare ab alio quopiam didicimus ; neque diligere parentes aut nutritores alius nos docuit : ad hunc itaque modum, vel certe multo magis divinum hoc desiderium non potest aliunde per externam doctrinam disci ; sed constitutioni hominis seminaria quædam indita est ratio, quæ in seipsa haberet causas et affectus familiariter diligendi. »

107 Quia tamen nihil fit aut fieri debet a rationali creatura sine causa, quibus ad amorem divinum rationibus moveri possimus, breviter explicandum est.

Primam rationem paucis exponit S. Bernardus cum dicit (*De Dilig. Deo, c.* 1) : *Causa diligendi Deum Deus est*, hoc est summa bonitas, summus amor, summe amabilis, quem diligere omni creaturæ connaturale est.

Secunda est propter summum ejus erga nos amorem ; nam, ut dicit Gilbertus de Hoillandia (*Serm.* 19, *in Cant.*), *improbus sui provocator est amor :* nullo pretio, nulla mercede compensari potest, uno rependitur amore ; nec aliud a nobis exigit Deus, qui nos ad hoc unum dilexit, ut eum diligamus ; « nam cum amat Deus, non aliud vult quam amari, inquit S. Bernardus (*Serm.* 83, *in Cant.*), quippe non ad aliud amat quam ut ametur ; sciens ipso amore beatos qui se amaverint. » Cum ergo prior ipse dilexerit nos, « dignus plane est qui redametur, præsertim si advertatur, quis, quos, quantumque amaverit, » ut loquitur iterum idem S. doctor (*de Dilig. Deo, cap.* 1).

Tertia diligendi Dei causa procedit ex summis ejus in nos beneficiis, quibus suum S. Bernardus amorem ita excitabat (*Ibid. c.* 5) : « Quid ergo ego, qui Deum meum teneo vitæ meæ non solum gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem ; sed insuper etiam copiosissimum redemptorem, æternum conservatorem, ditatorem, glorificatorem ? »

Quarta inter alias magnis nos urget stimulis gratia redemptionis, pretioso Christi sanguine comparata. « Sed est quod me plus movet, inquit idem S. Bernardus (*Serm.* 20, *in Cant.*), plus urget, plus accendit, super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi, Jesu bone, calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ; hoc omnino amorem nostrum facile vindicat totum sibi ; hoc, inquam, est quod nostram devotionem et blandius allicit, et justius exigit, et arctius stringit, etc. »

Quinta causa est, quia qui Deum diligit unus cum eo efficitur. Præclare iterum S. Bernardus (*Serm.* 59, *in Cant.*), « Neminem suspicit amor, sed ne despicit quidem : omnes ex æquo intuetur qui perfecte se amant, et in seipso celsos humilesque contemperat, nec modo pares, sed unum eos facit : tu Deum forsitan ab hac amoris regula excipi putas? Sed qui adhæret Deo, unus spiritus est. Quid miraris ? ipse factus est tanquam unus ex nobis. »

Sexta causa est, quia proprium monachorum opus est Deum diligere : unde Gilbertus de Hoillandia suos alloquens ait (*Serm.* 19, *in Cant.*) : « Aliorum alia sunt officia, vestrum speciale munus est amor. »

His atque aliis hujusmodi stimulis, qui passim occurrunt apud auctores, excitandus est in nobis amor Dei, quibus qui non excitatur, hunc non obdormire, sed prorsus mortuum esse merito dixeris; nam « dignus plane est morte qui tibi, Domine Jesu, recusat vivere, et mortuus est : et qui tibi non sapit, desipit ; et qui curat esse, nisi propter te, pro nihilo est, et nihil est, » inquit S. Bernardus.

Porro licet modus diligendi Deum sit diligere sine modo, ut loquitur **108** idem S. doctor (*De Dilig. Deo, cap.* 1), aliquem tamen nobis hic præfixisse videtur S. Benedictus, cum dixit Deum diligendum esse *ex toto corde, tota anima, tota virtute;* quem modum ita exponit S. Augustinus (*Lib.* I *de Doct. Christ., c.* 22) : « Hæc est regula dilectionis divinitus constituta : Diliges proximum tuum sicut teipsum ; Deum vero ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente; ut omnes cogitationes tuas, et omnem vitam, et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa quæ confers. Cum ait : Toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, et quasi locum dare, ut alia re velit frui ; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. » Aliter S. Bernardus hunc locum explicat (*Serm.* 20, *in Cant.*) : « Mihi, inquit, videtur, si alius competentior sensus in hac trina distinctione non occurrit, amor quidem cordis ad zelum quemdam pertinere affectionis ; animæ vero amor ad industriam seu judicium rationis; virtutis autem dilectio ad animi posse referri constantiam vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum tuum toto et pleno cordis affectu ; dilige tota rationis vigilantia et circumspectione; dilige ex tota virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimescas, etc. » Et infra : « Ergo nec abduci blanditiis, nec seduci fallaciis, nec injuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere est. » Neque certe minus amandus Deus; nam, ut dicit Gilbertus de Hoillandia (*Serm.* 19, *in Cant.*), « Si infra vires tuas amor se cohibet et contrahit, iniquus est ; et si juxta vires, exiguus. » Quid ergo? Iterum cum eodem Gilberto dicat unusquisque nostrum (*Ibid.*) : « Diligam te, bone Jesu ; diligam te, virtus mea, quem non possum gratis diligere, nec possum tamen satis diligere ; dirigantur in te ex integro studia mea, nec alieno deducantur et distrahantur affectu. At quam exigua sunt etiam cum integra sunt in te studia nostra? quomodo ergo diminuam, quod cum integrum est, tam exile est? totus in te, Deus bone, desiderio ferar. »

Deinde proximum tanquam seipsum.] Ut hoc ins rumentum breviter expediam, tria mihi inquirenda

propono: 1° quis noster proximus dicendus sit; 2° quis noster in eum affectus esse debeat; 3° quæ instrumenti hujus necessitas vel utilitas.

Primum explicat S. Augustinus (*Serm.* 108, *in Append. Serm. S. August.*) seu quivis alius his verbis: « Si forte quilibet quærat quis sit proximus, sciat omnem Christianum recte proximum dici, quia omnes in baptismo filii Dei sanctificamur, ut filii simus spiritaliter in charitate perfecta. » Angusta proximi notio, quam alibi paulo fusius S. doctor extendit: « Proximus inquit, est omnis homo; proximus tuus est qui tecum natus est ex Adam et Eva: omnes proximi sumus ratione nativitatis, et alter alteri frater, illa spe cœlestis hæreditatis proximum tuum debes putare omnem hominem etiam antequam sit Christianus. » Neque his quoque dilectio is limitibus contentus, proximo notionem ad ipsos etiam angelos extendit in libris de Doctrina Christiana (*Lib.* I, *c.* 30), ubi postquam statuit eum dici proximum cui præbendum est, aut a quo nobis præbendum est officium misericordiæ, ita infert: « Manifestum 109 est hoc præcepto, quo jubemur proximum diligere, etiam S. angelos contineri, a quibus tantæ misericordiæ officia impenduntur. »

Jam vero qualis debeat esse nostra in proximum dilectio docet idem S. Augustinus his verbis (*De Mor. Eccl. cath.* I, *c.* 28): « Qui ergo diligit proximum, agit quantum potest ut sanus corpore sanusque animo sit; sed cura corporis ad sanitatem animi referenda est. » Et alibi (*De Doctr. Christ.*, *c.* 22): « Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo agere debet, ut et ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum. » Verum cum tanta sit humanæ infirmitatis necessitas, ut qui omnes homines diligere tenemur, omnibus tamen subvenire non possimus, quid in tanta necessitate positi potissimum agere debeamus, ita describit S. doctor (*Ibid.*, *c.* 28): « Omnes homines æque diligendi sunt; sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est qui pro locorum et temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur. Sicut enim si tibi abundaret aliquid quod dari oporteret ei qui non habet, nec duobus dari potuisset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua necessitate superaret, nihil justius faceres quam ut sorte eligeres cui dandum esset quod dari utrique non posset: sic in hominibus quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque tibi colligatius temporaliter adhærere potuerit. »

Necessitas hujus instrumenti repetitur ex necessitate amoris Dei, ejusque legis servandæ: neque enim Deum diligere, ejusque legem custodire poterimus aliquando, nisi invicem dilexerimus. Hinc S. Bernardus (*Serm.* 33, *de Divers.*): « Hæc est professio fidei Christianæ, ut qui vivit, jam non sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est; nec mihi dicat quis: Ei vivam, sed non tibi; quandoquidem non solum pro omnibus vixit, sed et pro omnibus mortuus est. Quomodo enim ei vivit qui negligit sic ab eo dilectos? quomodo ei vivit qui legem ejus non implet, qui mandatum ejus non servat? Quæris legem, quæris mandatum? Hoc est, inquit, præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos; et Apostolus: Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. Noli ergo putare gratuitum bonum, quod exhibes proximo, ut liceat et dissimulare, si velis: debitor es, sacramenti cautione, et propria professione teneris. » Adde quod dilectio proximi dici potest insigne discipulatus Christi, sicuti ipse ait: *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Ex quo S. Basilius ita argumentatur (*Reg. fus.*, *c.* 3): « Demonstrationis loco, quo ipsius agnoscamur discipuli, non miracula exigit, et virtutem portenta faciendi (quanquam horum etiam in Spiritu sancto largitus est operationem), sed quid? In hoc, inquit, cognoscent

A omnes, quod discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter vos mutuam. »

Deinde non occidere.] Apposite ad hæc verba Menardus: Mirabitur, inquit, quispiam, cur monachis, quorum professio est perfectionis studium, tam dira crimina prohibeantur. Sed quamvis rara 110 hæc sint in monasteriis, non tamen est abs re illa prohibuisse, ut suæ recordentur fragilitatis monachi, nec se ob statum religiosum jam perfectionem attigisse existiment, seque ultra peccati metas pervenisse. Et sane SS. abbates Ermenoldus, Bercharius, Gerardus a parricidis monachis, culeo et simia dignis, impie trucidati sunt; quin et S. P. Benedicto a perfidis filiis vinum veneno mixtum propinatum fuisse testatur S. Gregorius. Unde non sine ratione inter canones sub Edgaro rege datos de modo imponendi pœnitentiam apud Spelmannum, iste legitur (*Num.* 28): « Si quis missalis sacerdos, vel monachus hominem occiderit, ordinis amittat dignitatem, et jejunet decem annos, scilicet quinque B annos pane et aqua, et per alterum quinquennium tres dies in qualibet septimana; in reliquis autem cibo fruatur, et donec vixerit crimen lugeat diligenter (*Tom. I Conc. Angl.*, *p.* 465). »

Verum non unum est ferri homicidium, aut solus homicida censendus est, qui occidit corpora, sed multo magis qui animas. Qui etiam odit fratrem suum homicida est, inquit Joannes; et Sapientia: *Os quod mentitur occidit animam.* Sed et ille qui detrahit fratri suo jure homicida censendus est: unde Grimlaicus in Regula solitariorum, quasi explicans istud instrumentum, ait (*Cap.* 25): « Deinde non occidere, id est non detrahere; quia, ut ait Apostolus, qui detrahit fratri suo homicida est. » Et S. Bernardus (*Serm.* 17, *de Divers.*): « Fugit vita quos odit, et quos vita fugit mori necesse est. An non et ipse moritur qui venenum bibit, quod ei malesuada lingua detractoris propinat? siquidem ei furtim dilectionis vita subtrahitur. » Denique et ille homicida est qui C alios sive verbo, sive exemplo ad peccatum impellit: nam « qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est eum a quo attenditur occidit, » ut loquitur S. Augustinus (*Lib. de Past. c.* 4).

Non adulterari.] Adulterii nomine omne fornicationis genus prohibet, non solum carnalis, sed etiam spiritualis; cujus quinque species apud Cassianum (*Collat.* 14, *cap.* 11) enumerat abbas Nesteros, scilicet: 1. Idololatriam, de qua apud Jeremiam arguitur Jerusalem, quod fornicata sit in omni colle sublimi, et sub omni ligno frondoso. 2. Omnem gentilium superstitionem in auguriis et observationibus dierum et temporum. 3. Superstitiones Judaicas in cæremoniis legalibus. 4. Hæresim. 5. « Quæ in cogitationum pervagatione consistit: quia omnis cogitatio non solum turpis, sed etiam otiosa, et a Deo quantulumcunque discedens, a perfecto viro immundissima fornicatio deputatur. » De qua S. Augustinus Deum alloquens (*Lib.* II *Confes.*, *c.* 6): « Fornicatur D anima cum avertitur abs te, et quærit abs te quæ pura et liquida non invenit, nisi cum redit ad te; » et alibi (*Cont. Adim.*, *c.* 7): « Est autem animæ fornicatio aversio a fecunditate sapientiæ, et ad conceptum temporalium illecebrarum corruptionumque conversio. » Sextam speciem addit S. Ferreolus (*Reg. c.* 25), quam in verbo turpi reponit. « Interrogo vos, inquit, fratres, quid ille minus adulterio facit, cujus communicat lingua peccato? quid luxuria minus exercuit, qui os castum sermonis corruptione violavit? Et ut hanc spurcitiam cunctis etiam cavere metus damnationis imponat, statuimus 111 hujus culpæ reum communionem dominicam, vel osculum fratrum sex anni mensibus non habere. »

Si hæc ille pro verbo turpi, quid decerneret pro lapsu carnali? Nimirum ut *flagello* subdatur, Regulæ cap ultimo. Aliam pœnam instituit Regula Cujusdam ad Monachos (*Cap.* 18): « Si quis, ait, ex fratribus lugubriori lapsu, id est fornicationis ceciderit, ejicien-

dus est de congregatione fratrum, et usque ad diem morti·, sive in alia regione pœniteat. » Et concilium Agathense citatum in excerptis Egberti Eboracensis episcopi cap. 68 (*Apud Spelm. tom.* I *Conc. Angl.*), « Si quis monachus adulterium aut furtum fecerit, quod potius sacrilegium dici potest, id censuimus ordinando, ut virgis cæsus tanti criminis reus nunquam officium clericatus excipiat; si vero jam clericus in id facinus fuerit deprehensus, nominis ipsius dignitate privetur. » Et synodus Germanica in Liptinensi confirmata cap. 6 : « Quisquis servorum Dei vel ancillarum Christi in crimen fornicationis lapsus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane et aqua : et si ordinatus presbyter fuerit, duos annos in carcere permaneat antea flagellatus : si autem clericus vel monachus in hoc peccatum inciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus, unum annum pœnitentiam ibi agat. Similiter et nonnæ velatæ eadem pœnitentia teneantur, et radantur omnes capilli capitis ejus. » Denique canones sub Edgaro rege Angliæ dati de modo imponendi pœnitentiam n. 30 (*Apud Spelman. tom.* I *Conc. Angl. ad ann.* 967) : « Si missalis sacerdos, sive monachus lascivum coitum concupiscat, vel conjugium violaverit, jejunet decem annos, et semper defleat ; » et n. 31 : « Si missalis sacerdos, sive monachus, vel diaconus legitimam uxorem habuit, priusquam ordinem induerat, et relicta ea sacros ordines ingrediatur, postea tamen libidine pruriens eam denuo clam susceperit, jejunet eorum quilibet ita quam pro homicidio, et lugeat insuper vehementius ; » et n. 32 : « Si missalis sacerdos, vel monachus, vel diaconus, vel laicus, vel clericus cum moniali fornicaverit, jejunet quilibet, prout ordini suo convenit, tanquam pro homicidio ; et quoad vixerit a carne abstineat ; monialis autem decem annos, sicuti et sacerdos missalis, et semper factum lugeat. » De monialibus hæc singulariter statuit S. Gregorius papa ad Januarium episcopum scribens (*Lib.* III *Reg., cap.* 9) : « Si qua autem earum vel per anteriorem licentiam, vel per impunitatis pravam consuetudinem, ad lapsum adulterii deducta est, aut in stupri perducta fuerit voraginem, hanc post competentis severitatem vindictæ, in aliud districtius virginum monasterium in pœnitentiam redigi volumus; ut illic orationibus atque jejuniis vacet, et sibi pœnitendo proficiat, et metuendum cæteris arctioris disciplinæ præstet exemplum. » Denique hic prætermittere non possum factum Gaufridi abbatis Vindocinensis, cujus cum quidam monachus Cellæ S. Clementis de Credonio lapsus carne fuisset, ad dictæ Cellæ priorem ita rescripsit (*Lib.* IV, *ep.* 4) : « Præsentibus litteris tibi præcipimus ut camerulam illam in qua sordidator ille et sordidus pravam exercuit actionem, omnino et festinanter destruas, et extraneum a claustro, et a curte B. Clementis facias eum. » Cæterum hæc **112** mirari non debemus, cum adulterium sive apud gentiles, sive apud Judæos, sive etiam apud Christianos capite damnatum fuisse observet Gazæus ad Cassiani collat. 13, cap. 5.

Non facere furtum.] Quia fures regnum Dei non possidebunt, ut ait Apostolus : unde et tam gravibus semper pœnis furtum damnaverunt antiqui monachorum Patres. Pœnæ breves apud S. Basilium ita decernunt (*Num.* 9) : « Si quis tulerit aliquid a fratre, et occultaverit, careat benedictione. » Regula S. Pachomii (*Art.* 121) : « Si quis tulerit rem non suam, ponetur super humeros ejus, et aget pœnitentiam publice in collecta, stabitque in vescendi loco ; si autem in furto deprehensus fuerit, triginta novem verberabunt eum, et foris dabunt ei edere panem et aquam tantum, et opertum cilicio et cinere per singula orationum tempora cogent eum agere pœnitentiam. » Cujus priorem periodum exscribit Regula Orientalis. Similiter in furto deprehensos subdit flagello Regula tertia SS. Patrum (*Cap.* 13) : « Si quis vero monachus furtum fecerit, quod potius sacrilegium dici

A potest, id censuimus ordinandum, ut jejunior * virgis cæsus tanti criminis reus nunquam officium clericatus excipiat ; si vero jam clericus ad id facinus fuerit deprehensus, nominis ipsius dignitate privetur : cui sufficere potest pro actus sui levitate, impleta pœnitentiæ satisfactione, communio. » Quæ pene totidem verbis ex concilio Agath. citantur in excerptis Egberti Eboracensis episc. cap. 68, apud Spelmannum. Regula S. Cæsarii ad Virgines (*Cap.* 24) : « Si forte, ut se habet humana fragilitas, in tantum nefas aliquæ de sororibus ausæ fuerint diabolo instigante prorumpere, ut furtum faciant, aut in se invicem manus mittant, justum est ut legitimam disciplinam accipiant, a quibus regulæ instituta violantur ; necesse est enim ut in eis impleatur illud quod de indisciplinatis filiis per Salomonem prædixit Spiritus sanctus : *Qui diligit filium assiduat illi flagellum;* et iterum : *Tu virga cum cædis, animam ejus de inferno liberabis.* Disciplinam ipsam in præsentia congregationis excipiant, secundum illud Apostoli : *Peccantes coram omnibus* B *corripe.* » Hoc S. Cæsarii decretum explicare videtur Regula S. Ferreoli hoc statuto (*Cap.* 39) : « Furti conscium, si adhuc vocare monachum possumus, quasi adulterum secundum flagello subdi, et magna censeri afflictione jubemus, dantes illi unam cum fornicatione sententiam; quia et ipse luxuriatus est eum furaretur. » Denique alii SS. Patres fures ex congregatione prorsus expellendos esse censuerunt, ut videre est in lib. V de Vitis Patrum, libello 10, num. 18, et in Vita S. Pachomii, n. 58, apud Bollandum 14 Maii. His omnibus adde monachorum S. Andreæ Viennensis Constitutionem anno 1000 editam, qua decernunt, « ut qui cœnobita deinceps sacrilegium facere ausus fuerit, subripiendo de refectorio scyphum, aut cultellum, aut mantile, aut quodlibet utensile refectorii, ultimus maneat ubique velut fur, et sacrilegus, donec sacrilegium emendetur, et insuper tal s satisfactio fiat, ut cæteri metum habeant. Similiter quicunque de dormitorio aut lenam, aut C sagum, aut capitale, vel quamlibet supellectilem **113** sine licentia regulari subripuerit, in omni loco careat consortio fratrum velut fur et sacrilegus, donec sacrilegium restauretur ; et præcipue talis fiat satisfactio, ut cæteri metum habeant. Si vero hæc constitutio profanata fuerit, adhibeatur episcopus, et conventus virorum boni testimonii, et audacia stultorum confringatur, et domus Dei ad obsequium sacræ regulæ reformetur. »

Cum autem furtum sit contrectatio rei alienæ invito domino, non solum furtum committit qui pecunias aut res temporales subripit, « sed etiam, ut ait Bernardus Cassinensis, qui vel se, qui Deo dedicatus est, ab ejus servitio subtrahit, vel etiam alium verbo vel exemplo retrahit, et ad diaboli servitium trahit, alienam rem invito domino contrectando, sine dubio furtum facit. » Similiter, ut loquitur Boherius in primo comm., « in monasteriis furtum dispensator committit, si sibi appropriet quod debet fratribus ministrare ; vel etiam si reservat monasterio super-D flua pauperibus ea subtrahendo. » Denique, ut dicit Hildemarus, « furtum facit qui rem sibi ab abbate delegatam, id est deputatam, vel datam, aliis sine licentia tribuit. »

Non concupiscere.] Concupiscentia aliquando in bonam, aliquando in malam partem sumitur ; in bonam partem, ut cum David canit : Concupivit anima desiderare justificationes tuas; in malam, ut cum dicitur : Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Atque postremo hoc sensu hic a S. Benedicto prohibetur ; quo nomine tamen non primos concupiscentiæ motus, qui in nobis etiam cum gratia ad agonem relicti sunt, sed tantum consensum ad illos intelligere debemus.

Non falsum testimonium dicere.] Istud instrumentum violat non solum qui contra veritatem aliquid profert, sed etiam qui, cum falsum aliquid audierit in

* Legendum videtur *iunior*. EDIT.

alterius præjudicium, tacet. Item qui aliter ea quæ audit, aut videt, interpretatur quam sunt. Iterum qui vitam sanctam profitetur in publico, et iniqua agit in occulto. Denique qui ea quæ verbis promisit, operibus implere negligit.

Tribus autem personis obnoxium faciunt falsidicum testem : Deo, cujus præsentiam contemnit : judici, quem mentiendo fallit ; innocenti, quem falso testimonio lædit. « Propter hoc, inquit Richardus de S. Angelo, triplex pœnitentia ei debetur : pro primo contemptu pœnitentia septem annorum ut VI, quæst. 1, *Quicunque ;* pro secunda elusione verberibus castigabitur (V, q. 5, *Illi qui*); pro tertia læsione secundum modum læsionis debet puniri. Argument. III, quæst. 9, *Decernimus.* » Quæ tamen de falso testimonio coram judice publice prolato intelligenda censeo.

Honorare omnes homines.] Juxta illud Petri apostoli : *Omnes honorate.* Sed cum honor sit proprie virtutis præmium, quo pacto omnes jubemur honorare homines, cum tot mali, totque improbi ubique terrarum existant? Hanc difficultatem solvit Hildemarus, S. Benedicti verba sumendo in suppositione accommoda, ut scilicet omnes **114** homines honoremus, qui honorandi sunt. Præterea observare licet cum S. Thoma (2-2, *q.* 63, *a.* 3), homines honorari posse ex quadruplici motivo : 1° propter propriam virtutem ; 2° propter virtutem alterius, scilicet Dei, seu communitatis ; 3° propter signum virtutis, ut est senectus ; 4° propter participationem divinæ bonitatis ; et sic omnes homines honorare debemus, quia nullus est in quo non insit aliqua divinæ bonitatis participatio, saltem secundum aliquid. Jam vero si quis quæerat quid sit honor, aut in quo consistat, respondet S. Thomas (1-2, *q.* 2, *a.* 2) esse signum et testimonium quoddam illius excellentiæ quæ est in honorato.

Pro eo autem quod S. P. Benedictus habet *honorare omnes homines*, Magister legit *honorare patrem et matrem ;* quod S. Pater qui alia hic recensuit Decalogi præcepta, consulto tacuit, quasi doceret ita monachos parentibus suis obmortuos esse debere, ut ne de iis quidem cogitarent. Sciebat nimirum inordinatum parentum amorem monachis omnibus esse lapidem offendiculi, eos in quos ceciderit haud dubium contriturum ; quemque propterea a suis cœnobiis arcere omni opera studuerunt, quotquot pene fuerunt vitæ monasticæ institutores ; ut nunquam, aut vix unquam parentes visere permittant, uti testantur præclaræ eorum hac de re leges, quas hic referre otiosum non judicamus. Ita S. Antonius (*In Reg. c.* 7) : « Neque reverteris, inquit, invisere consanguineos tuos carnales, nec faciem tuam illis videndam præbeas, nec adeas ad illos. » Regula tertia SS. Patrum (*Cap.* 12) : « Pro custodienda fama specialiter statuimus ut nullus monachus in infirmitate positus, relicto monasterio, parentum studio commendetur ; quia magis eum sæcularium spectaculorum visu aut auditu pollui censemus, quam ab ægritudine posse purgari. » Eodem modo abbas Pœmen in Apophthegmatis Patrum (*Tom.* I *Monum. Eccl. Græc., pag.* 637) : « Ne propter necessitates abieris ad domum paternam. » Et Evagrius in Monachicis, n. 5 : « Ne corripiaris curis parentalibus, aut cognatorum amicitiis ; quinimo et assiduos cum eis congressus vita, ne forte a cellæ quiete te auferant, et ad sua traducant negotia. » Sed omnium maxime S. Basilius pluribus in locis, præsertim vero in Constitutionibus monasticis (*Cap.* 21), ubi inter alia hæc habet : « A cognatis sane, amicis ac parentibus tantum affectu separatum esse convenit, quantum mortuis videmus cum vivis nihil esse commercii ; » et alibi (*Reg. fus. c.* 32) : « Quibus semel in consortio fratrum locus datus est, a præposito permitti non debet, ut ad alia mentis intentum avertant, aut sub prætextu visendi cognatos a fratribus secedant, et sine testium conscientia vitam agant, vel curam cognatorum secundum carnem suscipiant ; » et ad interrogationem (*Reg. Brev. interr.* 188) : « Quomodo venientes ad nos domesticos aut A parentes aspiciamus? » respondet : « Quemadmodum Dominus ostendit ac docuit, cum nuntiaretur illi ac diceretur : *Ecce mater tua et fratres tui stant foris volentes te videre ;* quibus quasi vehementer increpans respondit dicens : *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei ?* » et ad interrogationem sequentem : « Si parentes rogaverint, ut domum ad ipsos adeamus, nunquid ipsis auscultandum ? » respondet : « Si hoc ad ædificationem **115** fidei petant ; si quis talis sit qui possit cum illis ad hunc modum abire, cum approbatione mittatur. Si vero propter humanum aliquod officium præstandum audiat Dominum dicentem ad eum qui dixerat : *Permitte mihi ire et renuntiare iis quæ domi sunt : Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Quod si de eo qui renuntiare tantum voluerat, tale judicium est, quid de hujus judicio dicendum est ? » Multo severior plane S. Stephani ordinis Grandimontensis censura (*In Regul. c.* 34) : « Si forte, inquit, pater vester, B vel quislibet amicus vester sæcularis prope cellam vestram graviter ægrotans, et peccata sua confiteri, et res suas disponere in præsentia vestra desiderans, mandet vobis ut eum visitetis, ejus præsentiam nullatenus adeatis, si tamen clericos necessitati suæ sufficientes cum eo adesse contingat. Quod si illuc ire præsumentes in itinere moriamini, nequaquam Deo de vobis rationem reddemus. » His omnibus addo Carthusiensium monachorum statuta : « Monachi causa devotionis, pietatis, recreationis, visitationis parentum, aut quavis alia causa terminos suos nullatenus exeant ; » et alibi : « Omnes personæ ordinis vitent et fugiant parentum visitationes, et carnales affectiones ; alioquin pro modo culpæ puniantur ; » et iterum alibi : « Curas propinquorum suorum quorumlibet fratribus nostris (conversis) interdicimus omnino, et ne ipsos sine licentia procuratoris aut prioris mercenarios conducant. »

Ex his omnibus liquet quantum monachos a parentum conspectu abhorrere voluerint SS. Patres. C Rationem affert S. Basilius his verbis (*Reg. fus., c.* 32) : « Nam præterquam quod illis nihil utilitatis afferemus, nostram etiam vitam tumultuatione et disturbatione complebimus, et peccatorum occasiones inveniemus. » Quod clarius et fusius alibi S. doctor explicat hoc modo : « Qui vero sæcularium amicitiam diligenter complectitur, perpetuoque cum illis conversari desiderat, affectus etiam illorum per continuum convictum animæ suæ familiares faciet, iterumque mundano sensu animum replens, a bona auspicatione excidet, et spiritali sensu relicto, prioris vitæ vomitum animo remandet, atque ab inimico per carnalem cognationem spiritalem conversationem interturbante vulnerabitur... Diabolus enim conspicatus nos omnem exuisse hujus sæculi curam, et ad cœlum constanter properare, in eo sedulus est, ut indita nobis de cognatis nostris cogitatione hoc efficiat, ut curam illorum suscipiamus, mentemque circa sæcularia sollicitam habeamus, utpote quæ sit D illorum substantia, et an sit sufficiens vel minus, quidve lucri illis ex contractibus accedat, et quousque opulentiam suam auxerint, aut quid damni per vitæ hujus calamitates acceperint, et quantum de substantia facultatum decesserit ; efficitque hoc pacto, ut successibus illorum congratulemur, et si quid infortunii sit, doleamus : ad hæc, ut inimico quoque animo erga inimicos illorum simus, cum jubeamur nullum habere inimicum ; congaudeamusque amicis plerumque illis, qui nulla digni sunt spiritali familiaritate, et lætemur propter injusta et iniqua illorum lucra... Accidit autem sæpenumero, **116** ut propter cogitationes curandis cognatis addictas ausit religiosus et sacrilegium committere, ut cognatorum egestati medeatur ; nam quæ in sustentationem sanctorum, qui Deo se consecrarunt, reponuntur, sacra et vere anathemata æstimantur, et profano usui eximuntur : qui ergo aliquid ex illis suffuratur, ex eorum numero est qui sacrilegia committere non verentur. » Ha-

etenim S. Basilius, cujus textum, licet prolixum, relatu tamen dignissimum judicavimus, ut inde pateret quam aliena sit a vitæ monasticæ proposito incauta parentum conversatio. Hoc periculum agnoverat Paschasius Radbertus, cum laudans S. Adalardum (*In Vita S. Adal. n.* 13. *Sæc.* IV *Bened., part.* I), quod parentes patriamque fugisset, subdit : « Audiant hujusmodi virum nostri concives monachi, qui lenti requiescunt umbrarum delibuti fuligine ; audiant qui post se sæcularium greges trahunt : audiant, inquam, quod non satis tutum sit suorum se deliniri parentum affectibus. Christus ergo matrem nescit et ignorat fratres, ut veram nobis mentis ostendat fraternitatem : *Si quis*, inquit, *fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, et mater est :* deinde revocat discipulum ab officio funeris, ne patrem liceat sepelire debito carnis jure. » Noverat et Ludovicus Pius imperator, homo sæcularis, cum in exhortatione ad Eigilem abbatem Fuldensem diceret (*In Vita Eigilis, n.* 12. *Sæc.* IV *Bened., part.* I) : « Multi monachorum juxta cujusdam patris sententiam sæcularibus actibus et forensibus negotiis involuti, dum propinquitati prodesse cupiunt, suas animas perdiderunt. » Hæc verba, quæ etiam citat S. Isidorus in Regula sua cap. 5, confusionis rubore suffundere debent monachos nonnullos quibus plus cordi sunt suorum res parentum quam parentibus ipsis; qui a sæculo separati cognatorum curis amplius implicari volunt quam in sæculo existentes aut fecissent aut facere potuissent; qui denique plus consanguineos diligunt, quam diliguntur ab ipsis. Longe alia erat præstantissimorum illorum monachorum intentio, qui omnem prorsus parentum memoriam ita deleverant animo, ut de his nequidem cogitarent. Talis erat eximius ille monachus cui, ut scribit Evagrius, cum denuntiata esset mors patris sui, « nuntianti dixit : De ine blasphemare, meus quippe Pater immortalis est ; » quia Deus est. Talis et ille qui ad percipiendam morientis patris hæreditatem invitatus, respondit : Ego ante eum mundo mortuus sum ; mortuus viventis hæres esse non potest. » Talis Theodorus ille insignis S. Pachomii discipulus, cujus cum mater episcopi litteris fulta, videndi filii gratia ad monasterium venisset, matri conspectum constanter renuit. Talis denique Marcus Silvani abbatis discipulus, qui aliquando jussus ad matrem exire, « gestabat vestem e variis panni segmentis consutam, eratque fuligine coquinæ tinctus. Itaque propter obedientiam exiens clausit oculos et dixit : Salvos vos volo; nec vidit quemquam, nec mater eum agnovit. » *Vide* Vitam S. Pachomii cap. 28; Rufinum lib. III de Vitis Patrum . n. 32 et 154; Cassiani collat. 5, cap. 3; Vitam S. Vulmari abbatis, n. 7 ; Sæc. III Bened., ubi similia referuntur exempla.

117 Sed quia nonnulli specioso pietatis velamine prurientem visendorum consanguineorum cupidinem obtegunt, his non abs re erit funestissimum cujusdam monachi casum ob oculos ponere. Rem narrat S. Bernardus testis oculatus in hæc verba (*Serm.* 64, *in Cant.*) : « Vidi ego hominem currentem bene; et ecce cogitatio (quidni vulpecula fuit?) : Quantis, inquit, bonum quo solus fruor, si essem in patria, possem utique impertiri fratribus, et cognatis, notis et amicis ! Amant me, et facile aequiescent suadenti. Utquid perditio hæc? Vado illuc, et salvos multos ex illis, et me pariter; nec verendum in loci mutatione, etenim dum bene faciam, quid prodest ubi, nisi quod illic procul dubio satius, ubi fructuosius degam? Quid plura? It, et perit miser, non tam exsul ad patriam, quam canis reversus ad vomitum. Et se perdidit infelix, et suorum acquisivit neminem. » *Videsis* S. Hieronymum de Vita Malchi monachi.

Jam vero si quis objiciat Apostolum dicentem : Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior, respondet S. Basilius (*Const. Monast., c.* 21) : « Apostolus locutus est ad sæculares, ad eos qui divitias externas et crassas habent, possuntque cognatorum egestatem solari.... Hæc ad viventes pertinent, non ad mortuos ; sunt enim mortui liberi ab universo debito isto. Tu vero mortuus es, et crucifixus toti mundo ; renuntians enim divitiis terrenis, paupertatem amplexus es, teque ipsum offerens Deo, illius factus es peculium. Ut mortuus igitur, liber es ab omni collatione in cognatos ; ut pauper, nihil habes quod suppedites : et ipsum quoque corpus, quod ex omnibus lucrifecisti, nec ipsum est in tua potestate situm, et tanquam Deo oblatum ad humanos usus transferri fas non est. »

Quid ergo parentibus dabimus? Respondet idem S. Basilius (*Ibidem*) : « Precabimur cognatis optima, justitiam, pietatem, atque eadem quæ nos pretiosa judicavimus ; nam ista nos decet illis precari, et illis utile est, ut per nos hæc acquirant. » Denique ut tandem instrumentum istud absolvam, addit Petrus Blesensis (*Epist.* 20) : « Licet debeam parentibus affectionem naturalem, illud tamen non debeo, ut pro eis me perdam, aut pro eis ab honestatis proposito me reflectam. Vaccæ siquidem quæ in Bethsames deferebant arcam Domini, licet eas traheret naturalis quædam affectio vitulorum, ad eos tamen colla sua minime reflectebant. » *Vide* S. Hieron., epist. 1 ad Heliodorum.

Et quod sibi quis fieri non vult, alii non faciat.] Et vicissim, quod sibi vult fieri, alteri faciat; utrumque enim hoc instrumento continetur, quod ideo affirmativum dici potest, et negativum, uti ait Bernardus Cassinensis (*Lib.* III *de Vit. Pat., n.* 153), solumque illud observanti *sufficere potest ad salutem*, quemadmodum docet apud Rufinum quidam Pater ; ut pote quod omnia dilectionis præcepta complectatur, ut fuse docet S. Gregorius papa in lib. X *Mor.*, cap. 4, hic ab Hildemaro citatus. Porro tanti fuit non solum apud Christianos, sed etiam apud paganos istud effatum, ut in ædibus suis et in publicis operibus illud insculpi **118** juberent ; id quod de Alexandro Severo refert Lampridius in ejus Vita.

Abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum.] Quid sit abnegare semetipsum discimus ex S. Basilio (*Regul. fus., cap.* 6) : « Abnegatio nostri, inquit, est omnimoda præteritorum oblivio, et a nostris desideriis secessus : » quod his verbis exprimit Grimlaicus in Regula Solitariorum cap. 2 : « Ad perfectionem non sufficit cuiquam sua derelinquere, nisi etiam semetipsum abneget. Sed quid est semetipsum abnegare, nisi voluntatibus propriis renuntiare? Seipsum abnegare est, ut qui superbus erat sit humilis, qui iracundus studeat esse mansuetus, qui luxuriosus sit castus, qui antea ebriosus sit sobrius, qui invidus et malevolus sit benignus et benevolus; nam si ita quisque renuntiat omnibus quæ possidet, ut suis non renuntiet moribus, non est pro certo Christi discipulus; qui enim suis abrenuntiat, sua abnegat; qui vero pravis moribus abrenuntiat, semetipsum abnegat. » Vel etiam abnegare semetipsum est, non solum illicita relinquere, pravos mores exuere; sed etiam a licitis abstinere, corpus castigare, crucem ferre; quo sensu intelligendus est Petrus Damiani, cum relatis Evangelii verbis : *Si quis vult venire post me abneget semetipsum*, etc., dicit (*Serm.* 47) : « Audi consilium, non præceptum; si enim præceptum esset, quicumque effectui non manciparent, cruciatus possent exspectare perpetuos : sed cum dicit : Si quis vult, in nostra posuit voluntate, utrum ex æquo cum eo currere festinemus. Grandis profecto labor, sed præmium incomparabile; » nam semper est præceptum pravos exuere mores, illicita fugere, vitia relinquere, nec unquam licebit contrarium agere.

Verum non tantum B. Benedictus dixit : *abnegare semetipsum*, sed addit *sibi :* quod Menardus explicat « apud se, in sua conscientia, non coram hominibus. » Additque : « Et hæc phrasis est S. Benedicto familiaris, ut cap. 7 Regulæ : dicens sibi cum prophe-

ta; et cap. 52, ut frater, qui forte sibi peculiariter vult orare, etc. » Vel etiam illud *sibi* sic potest intelligi, quia aliis abnegare semetipsum nunquam licet, sibi vero, quantum discretionis leges patiuntur, semper decet: totum se Deo, totum proximo se dare debet: at vero sibi semetipsum negare potest et debet, si perfecte vivere desiderat. Vel denique *sibi*, id est pro se, ad propriam utilitatem; quia quid quid præmii aut mercedis ex hac sequitur abnegatione, *sibi*, non aliis cedit.

Subdit S. Benedictus: *Ut sequatur Christum*, id est ut eum imitetur. Hic venit in mentem quod ait S. Bernardus (*Serm.* 62 *de Divers.*): « Quidam sunt qui non sequuntur Christum, sed fugiunt; alii non sequuntur, sed præeunt; nonnulli sequuntur, sed non assequuntur, alii vero sequuntur, et assequuntur. Non sequuntur, sed fugiunt, qui nondum peccare desistunt... Non sequuntur, sed præeunt, qui magistrorum sententiis suas præferunt... Sequuntur et non assequuntur, qui segniter ac remisse agunt, et usque ad finem non perseverantes de medio itinere revertuntur... Sequuntur et consequuntur; qui viam humilitatis ejus devoto mentis **119** affectu perseveranter imitantur: hujusmodi vere sequuntur Dominum. Qui mihi ministrat me sequatur, id est me imitetur: quo fructu? ut ubi sum ego, inquit, ibi sit et minister meus: fructus itaque hujus imitationis mansio est æternæ beatitudinis »

Corpus castigare. Delicias non amplecti.] Summam hoc duplici instrumento S. Pater mortificationis perfectionem complectitur, quæ tota sita est in sustinentia laborum et abstinentia deliciarum, de quibus S. Augustinus (*Serm.* 38 *de Script.*): « Duo sunt, inquit, quæ in hac vita veluti laboriosa præcipiuntur a Domino: continere et sustinere; jubemur enim continere ab his quæ in mundo dicuntur bona, et sustinere ea quæ in hoc mundo abundant mala. Illa continentia, ista sustinentia vocantur duæ virtutes quæ mundant animam et capaces faciunt Divinitatis. »

Primo, itaque jubemur corpus castigare, ad instar Apostoli, qui, uti ipse dicebat, corpus castigabat et in servitutem redigebat; cujus exemplum perfecte imitabatur B. Raingardis, mater B. Petri Venerabilis, de qua hæc ipse refert (*Lib.* II, *ep.* 17): « Vigiliis et jejuniis inhumanem corpori persecutionem indixit, et in tantum his et aliis laboribus vires et carnes exhausit, ut carnibus exinanita, cute ossibus inhærente, mihi post aliquos annos Marciniacum advenienti, ut filio mater alludens, secreto diceret: Gratias Deo, quia superflua mundi amisi; veteres carnes, quibus sæculo servieram, perdidi; jam novas induam, quibus nova Deo obsequia impendam. »

Notant autem hic commentatores recte præcipi a S. P. Benedicto corpus castigare, non occidere; quia cum discretione est affligendum, ut possit reliquis vitæ monasticæ exercitiis sufficere. Sed ista discretio non ex carnis prudentia, sed ex superioris charitate procedere debet; alioquin unicuique liceat illud usurpare quod, Palladio quærenti cur ita corpus maceratione attereret, respondit senex Dorotheus Thebæus: « Illud me occidit, ego quoque ipsum occidam (*Pallad. in Laus*, c. 2). »

Deinde delicias non amplecti; nam « alioquin diverso itinere ambulat Christianus miles, si gaudia et delectationes quærit, cui dux suus vias amaritudinis ostendit, » inquit S. Odo (*Lib.* I *Collat.*, n. 34). Neque desunt variæ rationes quibus servus Dei ab amplectendis deliciis avertatur, cui vel illud Grimlaici sufficere debet (*In Reg. Solit.*, c. 4): « Iis qui militant Deo fugiendæ sunt deliciæ; quas qui habere volunt, sine dolore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine gravi dolore non perdunt. »

Delicias autem corporales, inquiebat abbas Joannes (*Rufin. lib.* II *de Vit. Pat.*, c. 1), non solum illas putetis, quibus homines sæculi fruuntur, sed abstinenti deliciæ credendæ sunt, omne quidquid cum

A cupiditate sumpserit, etiamsi illud vile sit, et quod in usu abstinentibus esse solet: aqua denique ipsa, vel panis, si cum cupiditate sumantur, id est non ut necessitati corporis, sed ut animi desiderio satisfaciat, hoc etiam abstinenti deliciarum vitio ducitur.

120 Verum, ut optime notat Hildemarus, S. Benedictus hic non omnino vetat delicias, sed tantum ne eas amplectamur; quia nonnunquam necessitatis aut honestatis causa iis utendum est, ut cum quis in hospitio cum potenti aliquo reficit: at eas amplecti, id est diligere nunquam licet. Iis uti debemus, sed non frui; et quidem uti tanquam non utentes, ut perfectos illos imitemur de quibus S. Odo abbas Cluniacensis (*Lib.* I *Coll.*, n. 39): « Sic utuntur temporali subsidio, sicut viator utitur aut umbra, aut lecto: pausat corpore, sed mente ad aliud tendens recedere festinat. Sic et hi gressum cordis in transitoriis figere refugiunt, ne delectatione itineris sequestrentur a statione æternæ mansionis; in propriis B autem gaudere desiderant, et idcirco in loco peregrinationis felices esse recusant. »

Jejunium amare.] Non dixit simpliciter *jejunare*; quia multi sunt qui charitatis causa, verbi gratia, propter hospitem, aut infirmitatis gratia, nec possunt, nec debent jejunare; et iterum alii sunt qui sine fructu, quia inviti, et cum murmure jejunant: sed quod perfectum est, *jejunium amare*, et quidem non solum carnis, sed quod majus est, cordis. « Oportet enim, ut ait Cassianus, exteriore homine jejunante, interiorem quoque similiter a cibis noxiis temperare. » Sed quia tunc vere jejunamus cum ea quæ subtrahimus corpori, pauperum cedimus refectioni, apte omnino S. Benedictus addit:

Pauperes recreare.] Juxta illud Scripturæ: *Pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio et benedictio tua* (*Eccli.* VII). Quam profusi fuerint in recreandis pauperibus veteres monachi, nec lingua dicere, nec intellectus capere potest. Præsertim vero non sine aliquo animi stupore legere valemus quod C de egregiis illis sub Serapione abbate militantibus Christo refert Rufinus (*Lib.* II *de Vit. Pat.*, c. 18. *Idem scribit Pallad. in Laus.*, c. 76): « Hoc autem, inquit, moris erat non solum ipsis, sed et omnibus pene Ægyptiis monachis, ut messis tempore elocent ad metendum operam suam, atque ex ea mercede octoginos unusquisque modios frumenti plus minus conquireret, et horum partem plurimam pauperum usibus offerant; unde non solum regionis ipsius indigentes alantur, sed et Alexandriam naves frumento onustæ dirigantur, vel in carcere conclusis, vel reliquis peregrinis, atque egentibus prorogandæ. Neque enim intra Ægyptum sufficiunt pauperes, qui possint misericordiæ eorum fructus et largitates absumere. » An vero ad hos, aut universum ad omnes monachos respexerit S. Isidorus, cum agens de monachis dixit (*Lib.* II *de Divin. Officiis*, c. 15): « Quidquid necessario victui superest ex operibus manuum et epularum restrictione, tanta cura egentibus distribuitur, ut nihil remaneat quod abundaverit. »

D Quanta autem sollicitudine pauperum curam haberi voluerit S. Benedictus, patet non solum ex hoc capite et multis aliis sanctæ Regulæ locis, ut cum cap. 31 Cellerarium jubet omni sollicitudine pauperum curam gerere; cap. 53, pauperum et peregrinorum susceptioni sollicitam curam adhiberi; cap. 55, vetera vestimenta reponi in vestiario propter pauperes; cap. 58, professionem emissurum res quas habet **121** distribuere pauperibus vel monachis; sed etiam ex ejus Vita c. 28.

S. Patris in pauperes misericordiam pie æmulati sunt posteri ejus filii, ut passim testantur eorum hac de re statuta, ex quibus celebre est inter alia istud concilii Aquisgranensis (*Can.* 49): « Ut de omnibus in eleemosynam datis tam ecclesiæ quam fratribus, decimæ pauperibus dentur. » Cujus canonis sensum aperit Hildemarus in Regulæ caput 53 hæc scribens: « Verum quia de hospitibus diximus, dicendum est

nunc unde hospites pauperes, aut unde divites pasci debemus : omnia enim, id est quidquid venerit in monasterium, id est aurum, argentum, æs, ferrum, arbores, vinum, poma, animalia, et reliqua, sive de omnibus quæ in monasterio laborantur, decimæ de his omnibus ad hospitale pauperum dari debent solummodo, id est ut non alii, hoc est servi, vel nobiles, sed solummodo pauperes pascantur. » Quod confirmat Petrus Damiani his verbis : « Ut copiosiora in pauperum alimenta proficiant, dantur in monasteriis et eremis decimæ quorumcunque proventuum, et non modo pecorum, sed et ornicum pariter, et ovorum. » Et mss. S. Benigni Divionensis Consuetudines de officio eleemosynarii (*Cap.* 45) : « Habet enim decimam totius annonæ, quæ defertur in granario, tam de prope quam de longinquo; et etiam de illa quæ relinquitur decanis, vel propter sementem, vel propter illa quibus indigent : decimatur enim quando tota est insimul, tam de illa quæ defertur, quam de illa quæ remanet. Eodem modo habet decimam totius vini, quo dictum est de annona. » Denique vetus codex ms. de Observantia Regulæ juxta formam Cluniacensium, part. III, cap. 24, ab Haefteno citatus : « Habet autem eleemosynarius, præter ea quæ propria sunt eleemosynariæ, decimum panem de omnibus qui coquuntur in furno monasterii; decimam unam vini provenientis in vineis ecclesiæ; et similiter de agnis aliisque pecoribus; nec non et de caseis, qui fiunt per curtes, decimam ipse levat. » Verum primam hujusce piæ consuetudinis originem non concilio Aquisgranensi debemus, quam potius confirmasse credendum est, non instituisse; nam longo ante tempore S. Filibertus abbas Gemmeticensis (*Sæc.* II *Bened.*, *pag.* 822) monasterii sui « studebat omnes species decimare..... ipsam igitur decimam in captivorum redemptionem et pauperum alimoniam deputabat; in tantum ut monachos suos propter hoc cum onustis navibus partibus transmarinis transmitteret, et greges captivorum per eum redempti laudarent potentiam Christi, » ut loquitur anonymus in ejus Vita, n. 21. Neque hic stetit effusa nostrorum in pauperes et egenos pia misericordia; quos longe alias easque largiores in gratiam pauperum eleemosynas in dies distribuisse facile cognoscet qui vel antiqua S. Adalardi abbatis Corbeiensis statuta, et collectas ab Udalrico Cluniacensis monasterii consuetudines, aliasque permultas levi saltem oculo contueri voluerit. Scribit etiam Antonius Yepezius in aliquibus ordinis nostri monasteriis Hispaniæ, non solum decimam bonorum partem in usus pauperum cedere, sed etiam quintam; laudatque inter alia Gallæciæ et Asturiæ monasteria, **122** quæ in fame et lue grassante sunt vera et certa egenorum horrea. Certe in præcitatis S. Adalardi statutis, præter multa alia, hæc lego (*Lib.* I, *c.* 6) : « Insuper disposuimus dare ipsi supra memorato hospitalario de omni argento quidquid ad portam venerit quintam partem per manus portarii senioris. » Ampliora etiam misericordiæ viscera erga pauperes ostendit S. Isidorus, cum tertiam bonorum monasterii partem ad usus egenorum assignat (*Reg. c.* 18) : « Omne, inquit, quod in monasterium in nummo ingredietur, sub testimonio seniorum accipiendum. Eadem pecunia in tribus partibus dividenda est; quarum una erit pro infirmis et senibus, et pro aliquo coemendo in diebus sanctis cultius ad victum fraternum ; *alia pro egenis*, tertia pro vestimentis fratrum et puerorum, vel quibusque ad necessitatem monasterii coemendis. » Insuper capite sequenti et decimo, quidquid residuum mensæ fuerit, pauperum usibus reservandum præscribit. Obtinuit et hæc in omnibus fere ordinis nostri monasteriis consuetudo. Certe nostri Divionenses S. Benigni ex mss. Consuetudine, c. 45, et Cluniacenses ex Udalrico lib. II, c. 25, quidquid panis et vini mensæ redundabat, et de aliis cibis medietatem pauperibus dispensabant. Pietatem suam in omnibus omnino alimentis extendit postea Petrus Venerabilis, edito hoc statuto : « Quidquid de mensæ quotidiana a fratribus superest, eleemosyna communis accipiat. » (*Stat.* 33.) Idem statutum anno 1200, sub Hugone V abbate renovatum est, et anno 1444 in capitulo provinciali Anglorum monachorum Northamptoniæ celebrato sancitum. Idem etiam sub gravissimis pœnis reperimus in concilio Oxoniensi anno 1222, apud Spelmannum (*Tom.* II *Conc. Angl. p.* 189) his verbis : « Omnia victualia religiosis apponenda sine subtractione aliqua eis apponantur, tam in conventu quam alibi, ubi reficiuntur ; et de omnibus appositis totum residuum sine diminutione ita cedat in eleemosynam, per eleemosynarium egentibus fideliter erogandum ; ita quod nec abbas, nec prior, nec eleemosynarius possit contra hoc dispensare : et quicunque statutum istud, vel illud de indumentis admittere vel observare noluerit, si sacerdos fuerit, a celebratione divinorum ; si minoris ordinis vel monialis, a communione Dominici corporis usque ad plenam satisfactionem suspendatur. » Et Benedictus papa XII in sua Constitutione, cap. 18 : « Quidquid de administratis (cibis) supererit, eleemosynæ applicetur per illum qui ad hoc fuerit deputatus; nec aliquis alius per se, vel per alium de refectorio seu infirmitorio, vel alio loco in quo monachi comedent, aliquid extrahere, vel alibi deferre, seu alteri usui applicare præsumat : quod si fecerit, pro qualibet vice per duos dies panis et aquæ solummodo pœnitentiæ subdatur. »

At quid de amplissimis nostrorum Cluniacensium eleemosynis referam, qui vel uno die septemdecim egenorum millibus stipem erogasse memorantur? Quid de aliis Germaniæ monasteriis? Sed satius est alienam hac in causa linguam audire, quam domesticam : « Sunt in sola Germania, inquit Dominicus Gravina ordinis S. Dominici, cœnobia monachorum, quæ octo et decem millia aureorum in pauperes **123** erogant; xenodochia passim occurrunt, quorum infirmi eorum expensis passim recreantur. Ter generales eleemosynæ sexcentis et amplius distribuuntur; uberiores vero anniversariorum tempore juxta fundatorum intentionem profunduntur; certis quoque anni temporibus quinque vel sex millia hominum, sæpe quatuor millia etiam foventur. Quis secretas recenseat iis secreto datas, qui mendicare erubescunt, virginibus præsertim nobilibus, viduis afflictis, pauperrimis sed nobilibus viris? In iis quoque charitatis affectus propensior, quorum fortunæ vel dejectione, vel damnis, aliisve innumeris calamitatibus absumptæ. » Hæc ille in laudem nostrorum. Non vacat hic omnes omnium cœnobiorum, multo minus singularium abbatum erga pauperes eleemosynas recensere; at certe nonnulla quorumdam facta prætermittere non possum, quorum exemplum posteris ad ædificationem inservire potest, et utinam ad imitationem !

Hos inter excellit imprimis S. Ansbertus abbas Fontanellensis, qui, ut scribit Aigradus in ejus Vita, n. 21 (*Sec.* II *Bened.*, *pag.* 1054), « in præfato venerabili Fontanellensi monasterio, inter felicia bonitatis suæ gesta, etiam xenodochium imbecillium ac decrepitorum pauperum, ad instar duodeni apostolici numeri constituit, deputatis eisdem rebus quæ sufficienter præberent alimoniam : alias quoque duas constituit in eodem monasterio pauperum Christi debilium mansiones, quos in octogenario ex multis sacrato numero singillatim octonos habitare fecit, quibus sine indigentia quotidianum largiri victum perenniter censuit. Horum vacatio nulla erat alia nisi horis constitutis diurnis nocturnisve in domo Dei residere, orationi ac vacationi divinæ devote insistere, et tempore S. sacrificii pro salute et salvatione populi Christiani Ecclesiæque catholica ubique diffusa victimam salutarem offerre. » Huic accensendus videtur S. Petrus abbas Cavensis, qui teste Venusino in ejus Vita, n. 7 (*Boll. 4 Mart.*). egenos « catervatim pascere ac vestire consueverat, ac vestiendos, ac alendos tanto studio quærere, ut etiam pro inveniendis civitates

exploraret. » Nec minoris censendum est pretii quod A de suis Centulensibus scribit Hariulfus in Chron. lib. II, cap. 2 : « Morum quidem divitiis plenam, sed rebus sæculi non valde locupletem vitam ducebant : non quod eis prædiorum, ac redituum, seu villarum a S. Richario collata deesset copia ; sed quod omnes redhibitionum impensas in pauperum magis quam in suas utilitates conferebant. » At omni prorsus laude dignum existimamus Guillelmi abbatis S. Benigni Divionensis factum, quo tumbam S. martyris undique auro atque argento vestitam, ob recreationem pauperum famis tempore dissipaverit, capsam auream, mirifice gemmis ornatam, cum tribus tabulis et duobus thuribulis argenteis, crucibusque, atque omne ornamentum in auro et argento vendidit. Simile aliquid narrat Matthæus Parisius de Leofrico, decimo abbate S. Albani in Anglia (*In Vitis viginti trium abbat. S. Albani*). « Iste, inquit, invalescente fame miserabili in omnibus partibus Angliæ, thesaurum ad fabricam ecclesiæ diu ante reservatum, cum columnis tabularibus B in terra, ut dictum est, **124** inventis, cum materie etiam, et vasis aureis et argenteis, tam suæ mensæ quam ecclesiæ deputatis, in pauperum expendit sustentationem.... Dicebat enim fideles Christi, maxime pauperes Dei esse ecclesiam, et templum, et ipsum specialiter ædificandum, et conservandum. » Consimili etiam pietate Gaufridus, abbas decimus sextus ejusdem monasterii, « feretrum B. martyris Albani, quod ipse operuerat auro, et argento, et gemmis pretiosis, discooperuit, ut eisdem spoliis pretiosis miserias pauperum alleviaret (*Ibidem*). » His addo S. Odilonis abbatis Cluniacensis exemplum, qui, referente Jotsaldo monacho in ejus Vita cap. 7 (*Bolland. 1 Janu.*), « in usus pauperum confregit plurima vasa ecclesiastica et ornamenta insignia ; inter quæ etiam imperialem Henrici imperatoris coronam* ; indignum judicans talia denegare pauperibus Christi, pro quibus effusus est sanguis Christi. » Eadem erat mens et animi propensio in pauperes S. Hugonis abbatis item Cluniacensis, cum diceret, aurum et ar- C gentum « melius impensa quam servata rutilare ; et juxta Ambrosii testimonium, tunc vere calicem ecclesiæ, cum calix a fame vel ab hoste redimit, quos sanguis calicis a morte liberavit. » *Vide* acta S. Eusebiæ n. 12, sæc. II Bened., p. 988 ; et Vitam S. Athelvoldi cap. 29, sæc. V, ubi similia facta referuntur. Superest ut hanc de charitate nostrorum in egenos materiam concludat singularis Divionensium S. Benigni consuetudo, quæ Cluniacensibus etiam communis exstitit, ostenditque non solum diffusam in pauperes eorum curam, sed sollicitam etiam mulierum præcautionem : « Hoc quoque pertinet ad eleemosynarium, inquiunt mss. Consuetudines S. Benigni cap. 45, ut semel in hebdomada totam villam perlustret, assumptis secum famulis suis, visitans illos qui pauperes alicubi jacent ægroti ; et si masculus est, ipse visitaturus intrat ; si femina, stat ad ostium, et famulum suum mittit ad eam ; et dato eisdem quod melius potest, consolatur ipsos ; et si quidlibet desi- D derat præter quod dedit eis, si commodum ullo modo est, ei inquirit, et postea mittit per famulos suos. Est autem consuetudo, quatenus mulieres quæ in domibus sunt, ubi infirmi jacent, mox ut viderint eum venientem, exeant omnes ; nunquam enim quandiu quælibet mulier intra domum fuerit, ingrediatur. » Denique nullis potest exprimi verbis quanta majorum nostrorum charitas effulserit in sublevandis egenis, recipiendis peregrinis, redimendis captivis, consolandis ægrotis, quandiu liberam bonorum suorum dispensationem habuerunt, hoc est adusque sæcularium abbatum tempora, qui sibi hæc omnia usurparunt. Ex quibus patet quam exitialis bono publico sit hujusmodi sæcularium abbatum institutio, qui in privatum commodum convertunt, quod infinitæ miserorum multitudini esset profuturum.

* *Hanc coronam ob sui memoriam Henricus ei destinaverat, ut scribit Petrus Damiani.*

Porro quod S. P. Benedictus hic jubet pauperes recreare, ad eos potissimum spectat quibus hæc provincia demandata est ; cæteri enim qui nec proprii corporis habent potestatem, nihil nisi precibus valent. In distribuendis autem eleemosynis, probarem maxime quod præscribit S. Cæsarius in Regula ad sanctimoniales (*Cap.* 39) : « Hoc etiam moneo, inquit, **125** propter nimiam inquietudinem, ad januam monasterii quotidianæ vel assiduæ eleemosynæ non fiant ; sed quod Deus dedit ut possit usibus monasterii remanere, abbatissa per provisorem ordinet pauperibus dispensari. » Idem statuisse videtur S. Aurelianus in Regulæ cap. 44.

Cæterum, ut observat Smaragdus, est et aliud duale eleemosynæ genus, quo debent maxime monachi pauperes recreare ; quorum unum infirmis et tribulatis, aliud vero stultis et nescientibus est adhibendum : qui enim infirmo per compassionem communicat, et tribulato consolationis consilium subministrat, sine dubio pauperes recreat. Similiter et qui doctrinam stultis, et scientiæ verbum ministrat ignaris, eleemosynarii dignus est laudari præconiis. Alter Richardus de S. Angelo : « Pauperes recreare, inquit, hoc est unum genus eleemosynarum ; secundum est dimittere a quo læsus fueris : tertium est delinquentes corrigere, et errantes ad viam reducere veritatis. » Quod idem exstat in Regula Solitariorum cap. 55.

Nudum vestire.] Instrumentum istud, sicut et prius, non est omnium, sed abbatis tantummodo et eorum quibus id muneris ab eo commissum est ; quamvis in cœnobiis in quibus certis statis temporibus nova fratribus vestimenta distribuuntur, veteribus in pauperes erogandis, qui sua vestimenta postea pauperibus danda sollicite conservat, is quantum in se est, nudum vestire censendus est.

Verum, ut optime observat Smaragdus, non una est corporis nuditas, est et alia multo periculosior et pejor, animæ scilicet, cujus vestimenta sunt virtutes, de quibus Isaias : Induit me vestimento salutis : et sic nudum spiritualiter vestit, qui vitiosum virtutibus nudum, ut exuat vitia et induat virtutes, charitative admonet, inquit Bernardus Cassinensis.

Infirmum visitare.] Hoc instrumentum de infirmis intra monasterium existentibus maxime est intelligendum ; nam, ut observat Hildemarus, officina ubi hæc omnia operanda sunt claustra sunt monasterii, et stabilitas in congregatione, neque ad omnes pertinet, sed ad Infirmarium, cui infirmorum cura specialiter commissa est ; ad Cellerarium, cui ex Regulæ cap. 31, hæc charitatis officia incumbunt ; et ad abbatem, qui ex eadem regula curam maximam habere debet, ne a servitoribus negligantur infirmi : cæteri vero cum omnes diurnas horas alicui exercitio assignatas habeant, absque Superioris licentia visitare non debent infirmos. Atque hæc est antiqua veterum monachorum praxis, quam exprimit Regula S. Pachomii his verbis (*Art.* 24) : « Ægrotantem absque concessu majoris nullus audeat visitare. » Abbas tamen, ut ait Hildemarus, cum frater aliquis valde infirmus annuntiatur, dicat in capitulo : » Qui vult infirmum visitare, vadat hodie, et visitet ; » forte loquens juxta sui temporis morem.

Visitantem** vero istud imprimis observare debet, quod tradit S. Ephræm : « Si ægrotum visitas, vide ne inimicus inter vos otiosiloquium suggerat, aut detractiones, ne tuæ mercedis jacturam patiaris ; **126** cum moris sit diabolo uni nocere per auditum, alteri vero per linguam ; sed ex sacris Scripturis consolari oportet potius laborantem, et passione Salvatoris nostri Jesu Christi. » Et hæc erat prisca Farfensium nostrorum praxis, quam ex mss. eorum consuetudinibus in specimen aliorum hic describere non erit fortassis otiosum : « Si aliquis frater de claustro voluerit infirmum aliquem visitare, requirat a priore licentiam, sine qua nullus debet intrare ; cumque

** Lege *visitans*, ut postulat syntaxis. Edit.

licentiam habuerit, incipiat psalmum, *Domine, ne in* A *furore*, ipsumque dicat in itinere. Post psalmum dicat: *Pater noster: Salvum fac servum tuum: Mitte ei, Domine*. Oratio, *Omnipotens sempiterne Deus salus æternæ*. Cum pervenerit ad infirmum, dicat: *Benedicite*. Deinde interroget eum de infirmitate sua, qualiter laboret, et qualem patientiam habeat, et bonam exercitationem adhibeat; de corporalibus vero nihil interroget. Si autem frater infirmus de aliqua necessitate complanxerit, ad priorem veniens dicat: Per vestram licentiam ad infirmum illum veni; sed de talibus rebus querimoniam audivi. Ad priorem autem pertinet de talibus, si visum fuerit, providentiam habere. »

Porro docet Smaragdus quatuor potissimum de causis infirmos visitari debere: « Visitare, inquit, debemus infirmos, quia in ipsis Dominum visitamus; ipse enim inter cætera nobis dicturus est misericordiæ opera: Infirmus fui et visitastis me. Visitemus et causa compunctionis infirmos, ut cum Paulo: B Quis infirmatur, et ego non infirmor? dicere possimus. Visitemus et causa vicissitudinis, ut cum fuerimus infirmi, visitemur a sanis. Visitemus et causa dilectionis, quia scriptum est: Non te pigeat visitare infirmos. »

Denique quomodo qui corporaliter non potest, spiritaliter infirmos visitare queat, explicat his verbis Grimlaicus (*Regul. Solit. cap.* 25): « Infirmum, vel in carcere positum ille procul dubio visitat, qui in lecto vel in tenebris vitiorum videt aliquem jacere, et morbo suæ iniquitatis laborare, eumque suæ exemplo operationis, atque antidoto salubris exhortationis roborat, quem in bona actione titubare ac debilitari cernebat. »

Mortuum sepelire.] Hoc instrumento non ea tantum charitatis officia, quæ ad defuncti fratris sepulturam singulariter spectant, præcipiuntur; sed etiam ea quæ præcedere, aut subsequi solent orationum piorumque operum suffragia: unde Grimlaicus in Regula C Solitariorum hoc instrumentum explicans dicit (*Cap.* 25): « Mortuum ille sepelit, qui pro eo devote seduleque preces ad Dominum fundit. » Deinde ostendens quo pacto etiam spiritaliter mortuos sepelire possimus, addit: « Non solum mortuum sepelit, sed et eum, ut ita dicam, a morte quodammodo suscitat, quando videt aliquem funibus peccatorum suorum obstrictum, et in tenebris suæ iniquitatis quodammodo sepultum, eumque ad confessionem ac pœnitentiæ lamenta per sacræ admonitionis studium provocat, atque, ut ad viam salutis redeat, salubriter instigat. » Mortuum etiam spiritaliter sepelit monachus, cum foras non vagans, intra cellæ limites ipse se recondit: ex eorum enim numero **127** censeri potest quibus Apostolus ait: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Et cellam esse sepulcrum docet Petrus Venerabilis, ad Gilbertum monachum scribens in hæc verba (*Lib.* I, *ep.* 20): « Tu autem, ut vere te mundo ostendas mortuum, ipsum adhuc vivens intrasti sepulcrum. » Et hoc maxime attendere D debent omnes monachi; qui si cellæ angustiis nimis arctati foras prorumpere præsumunt, mortuum sepulcro extrahunt, nec minus intolerabilem omnibus, quam putridum cadaver extra sepulcrum, inspirant odorem.

In tribulatione subvenire.] Tribulatio suscitatur aliquando exterius ab homine, aliquando a dæmone, aliquando a proprio corpore, ut dicit Smaragdus: ex quacunque autem oriatur causa, tribulato celerrime subveniendum est.

Dolentem consolari.] Alii dolent et affliguntur pro peccatis præteritis; alii pro vitandis futuris; alii ut afflictione liberati laudes decantent Redemptoris; alii et in hoc et in futuro sæculo dolent, ut fuse ac docte demonstrat S. Odo abbas Cluniac. in lib. I Collat., cap. 5. Quibus autem verbis afflictum adoriri atque consolari valeamus, ex eodem libro capite 4 colligere possumus, ubi etiam docet Deum nos juste, misericorditer et utiliter affligere.

A sæculi actibus se facere alienum.] Nam, ut dicebat S. Pachomius (*In ejus Vita cap.* 46), « nimis anima illa probatur infelix, et omni lacrymarum fonte plangenda quæ sæculo renuntians, iterum sæculi actibus implicatur, et inutilibus dudum curis exuta, rursum redit ad duræ servitutis obsequia. » Hinc S. Augustinus (*Lib.* I *de Doctr. Christ. cap.* 20), « cujus animus, inquit, non moritur huic sæculo, neque incipit configurari veritati, in graviorem mortem morte corporis trahitur, neque ad communionem cœlestis beatitudinis, sed ad luenda supplicia reviviscet. » Et Petrus Blesensis (*Epist.* 137): « Conversationem eorum damnabilem reputa, qui pro claustro sæculum deserunt, et in claustro mores sæculi deferunt. » Et alibi (*Serm.* 42): « Certe Achan filius Charmi, quia tulit de anathemate Jerico, lapidatus est; cujus expressam similitudinem gerunt hi qui sæcularia abdicantes, etsi non opere, tamen affectu et desiderio sæcularibus se immergunt. » Et paulo post: « Quantumcunque efficiaris religiosus, in claustro totum perdis, si aliquid retinuisti de sæculo. » Hinc etiam S. Bernardus ad monachos S. Bertini scribens ait: « Bene fecistis alienando vos magis ac magis ab actibus sæculi hujus, quæ est munda et immaculata religio: modicum quippe fermentum, fratres, totam massam corrumpit, et muscæ morientes exterminant oleum suavitatis. Quid prodest tanti corporalis pariter, et spiritalis laboris, atque exercitii fructum vilissima aliqua consolatione, imo desolatione minus acceptabilem fieri, aut certe periclitari? etc. » Et sane, ut optime dicebat S. Joannes Climacus (*Grad.* 3), « fieri non potest ut altero oculorum cœlum, altero terram respiciamus. »

Hujus autem instrumenti ratio est: 1° Quia qui sæcularium actus exercet, ad eorum pravos mores, habitus, et vitia facile devolvitur. **128** 2° Quia major ipsis sæcularibus eosdem actus perpetrandi præbetur occasio, ne dicam audacia, dum ea vident a monachis incunctanter fieri, quæ prius nec contingere audebant. 3° Quia sæculares actus in habitu religioso viventibus in sæculo viris probis virtutis fastidium generant, atque a recto proposito retrahunt. Qua de re vide Petri Damiani lib. VI, epist. 32. 4° Quia implicitus actibus sæculi monachus contemptui se præbet mundo; nam, ut dicit S. Ambrosius (*Epist.* 6), « quomodo potest observari a populo qui nihil habet discretum a populo, dispar a multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscit? si nihil in te aspiciat quod ultra se inveniat? si quæ in se erubescit, in te quem reverendum arbitratur offendat? » 5° Quia, ut dicit S. Joannes Climacus (*Grad.* 3), « per fugam patriæ nos cœlestium rerum studio vendidimus. » Non ergo decet actibus cœlestibus venditos actibus sæculi mancipari. *Vide* Cassianum lib. IV de Institutis Renunt. cap. 34 et sequentibus, et Vitam S. Theresiæ cap. 37.

Nihil amori Christi præponere.] Istud instrumentum necessariam habet cum primo connexionem; qui enim Deum ex omni corde, omni anima, omni virtute dilexerit, hic nihil amori Christi præponere poterit.

Iram non perficere.] Quod ait iram non perficere, ostendit varios esse gradus iræ, quos recensent Cassianus collatione 5, cap. 11, et Joannes Climacus gradu 8. Plura etiam de ira disputat idem Cassianus in libro VIII de Spiritu iræ, quem vide, si lubet. Quomodo etiam fieri possit, ut non irascatur monachus, docet S. Basilius in brevibus Regulis interrogatione 2. Plura de ira dicere supersedemus, cum raro videas monachos in schola humilitatis huic vitio subjacere. « Si autem quis iracundus frequenter irascitur sine causa, inquit S. Pachomius, et propter rem inanem et vacuam, per sex vices commonebitur, et in septima faciet eum surgere de ordine sessionis

suæ, et inter ultimos collocabitur, docebuntque eum, ut ab hac mentis perturbatione mundetur: cumque tres testes dignos testimonio adduxerit, qui pro eo polliceantur nequaquam simile quid esse facturum, recipiet sessionem suam; alioquin si permanserit in vitio, moretur inter ultimos, perdito priore loco.

Iracundiæ tempus non reservare.] Iracundia ab ira discernitur sicut habitus ab actu; neque enim qui semel irascitur, eo ipso potest dici iracundus, licet sit vere iratus. Iracundus autem dicitur, qui semper irascitur, et ad levem responsionis auram velut folium a vento commovetur. Porro iracundiæ tempus ille reservat, qui certum aliquod temporis spatium statuit animo, quo possit ulcisci, injuriæ illatæ memoriam mente retinens.

Dolum in corde non tenere.] Quia, ut dicit S. Augustinus (*De Morib. Eccl. cath. cap.* 16), *ubi dolus, charitas nulla est.* Quid autem sit dolus supra explicuimus in prologo.

Pacem falsam non dare.] Sed veram; quia falsa pax non est **129** pax; et si veri pacifici filii Dei vocabuntur, falsi pacifici filii diaboli merito appellandi sunt.

Charitatem non derelinquere.] Quid sit charitas, docet S. Augustinus cum dicit (*Lib.* III *de Doctr. Christ. cap.* 10): « Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum. » Porro qui charitatem derelinquit, Deum ipsum amittit, quia Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.

Non jurare, ne forte perjuret.] Hunc Regulæ locum allegavit olim Halynardus ex monacho et abbate S. Benigni Divionensis episcopus Lugdunensis, ne Henrico imperatori fidei sibi debitæ sacramentum præstaret, recusans potius episcopatum quam emittere juramentum. Quod autem hic vetat S. P. Benedictus, vetant et alii monachorum Patres. Ita S. Antonius: « Ne jurato, inquit, penitus vel veritatem vel dubium. » S. Cæsarius: « Non jurent, quia Dominus dixit: *Nolite jurare omnino, sed sit sermo vester, est est, non non.* » S. Aurelianus: « Non juretis, quia Dominus dixit: *Nolite jurare;* et alia Scriptura: *Vir multum jurans implebitur iniquitate, nec discedet de domo ejus plaga.* » Juramentum etiam prohibent S. Ferreoleus in Regula c. 23; Regula Tarnantensis, c. 19; Regula Cujusdam ad Monachos, c. 8; S. Cæsarius iterum in Regula ad virgines, cap. 2; S. Leander in lib. de Institutione Virgin., cap. 19; Concilium Aquisgran., cap. 43. Sed et lib. II legis Longobardorum, titulo 47, prohibetur episcopis, presbyteris, clericis, monachis, et sanctimonialibus, jurare etiam in judicium citatis, ut observat noster Menardus in notis ad Conc. Reg., cap. 7, § 13. Quinimo S. Fructuosus (*Regula Monast. comm. c.* 5) non patitur laicos bonorum monasterii sui defensores et patronos in judicium vocatos jurare. *Vide* secundam Vitam S. Oswaldi, num. 56; sæc. V Benedict., pag. 752.

Quare autem a monachis vitari juramentum voluerit S. P. Benedictus, ipse indicat dicens, *ne forte perjuret:* qua etiam ratione S. Augustinus, referente Possidio (*In Vit. S. Aug. cap.* 25), « Ne quisquam facili juratione etiam ad perjurium decidisset, et in ecclesia populo prædicabat, et suos instituerat, ne quis juraret, nec ad modicum quidem. Quod si prolapsus fuisset, unam de statutis perdebat potionem; numerus erat enim suis secum commorantibus et convivantibus poculorum præfixus. » Unde et S. doctor objicienti quare Dominus, qui juravit, ipse juramentum nihilominus prohibuerit, ita respondet (*Serm.* 307): « Non est peccatum verum jurare, sed quia grande peccatum falsum jurare, longe est a peccato falsum jurandi, qui omnino non jurat; propinquat falsæ jurationi qui vel verum jurat. Dominus ergo, qui prohibuit jurare, supra ripam noluit te ambulare, ne pes tuus in angusto labatur, et cadas. Sed Domi-

A nus juravit, inquis. Securus jurat qui mentiri nescit: non te moveat quia Dominus juravit, quia forte non debet jurare nisi Dominus. Tu autem quando juras quid facis? Testem Deum adhibes; tu ipsum, ipse seipsum; sed homo, quia in multis falleris, plerumque adhibes testem Veritatem ad tuam falsitatem. » Quid ergo? « Juramentum aliud nullus **130** proferat nisi *crede mihi*, quod in Evangelio legimus Dominum mulieri Samaritanæ affirmasse; aut *certe*, seu aliud, quod monachorum est consuetudo jurandi, » inquit Ordo conversationis Monast. *Vide* S. August. serm. 182 de Scripturis, et S. Thom. 2-2, q. 89.

Veritatem ex corde et ore proferre.] Quod hic S. Pater dicit, non sic capiendum est, quasi veritatem aliquando tacere non liceret; illud enim nonnunquam non modo expedit, sed etiam necessarium ad bonum et utilitatem aliorum judicatur. Verum hoc præsertim instrumento mendacium interdicitur, quod nunquam fuit, nec erit aliquando licitum; quamvis con-
B trarium censuerint Plato lib III de Repub., hac in re plane non divinus; Origenes lib. VI Stromatum, et apud Cassianum abbas Joseph collat. 17, cap. 17; quorum doctrinæ refragantur S. Augustinus in lib. de Mendacio, et in lib. Contra Mendac.; S. Thomas, 2-2, q. 110, a. 3, et multi alii. Et certe ita exosa fuit abbatis Josephi sententia, ut hanc ob rem aliosque errores Cassiani collationem 17 censura affecerit olim Facultas theologica Parisiensis, ut ex veteri ms. observat Adalardus Gazæus in commentario ad prædictæ collationis caput 22. Sed et gravissimi monasticarum legum conditores durissimis volunt pœnis mendacium in monachis multari. Ita S. Pachomius (*Art.* 119): « Qui, inquit, mentitur, et odio quemquam habere deprehensus fuerit.... aud et Pater monasterii, et vindicabit juxta mensuram opusque peccati. » S. Cæsarius in Regula ad monachos (*Cap.* 5): « Mentiri qui inventus fuerit, disciplinam legitimam accipiat. » S. Columbanus (*In Pœn. n.* 22): « Si aliquis contendens mendacium, et dis-
C tinctionem confirmat, duos dies unum paximatium et aquam. » Et infra (*Num.* 26): « Si quis dixerit mendacium nesciens, quinquaginta verbera; si sciens et audax, in pane et aqua; si denegatur mendacium ejus, et ille contendit, septem dies in pane et aqua. » S. Fructuosus (*In* 1 *Reg. cap.* 16): « Mendacem, furem, percussorem quoque, et perjurum, quod Dei servum non decet, corripi primum a senioribus verbis oportet, ut recedat a vitio. Post hæc, si nec sic se emendare distulerit, tertio coram fratribus conveniatur, ut desistat tantisper errare. Si nec sic se emendaverit, flagelletur acerrime, et trium mensium spatio excommunicationis vindictam suscipiens, sub pœnitentiæ districtione solus recludatur in cella; de vespere in vesperi ex hordeacei panis sex unicis, et aquæ mensura parvula sustentandus. » Denique Regula Cujusdam ad Monachos (*Cap.* 8): « Mendacium et juramentum, sive verbum otiosum per omne corpus fraternitatis damnandum est. Si quis ex fra-
D tribus cum quo aliquid horum inventum fuerit, mittendus est in carcerem, et pœniteat usquequo a vitio corrigatur, quia os quod mentitur occidit animam.... Si quis ex fratribus post examinationem carceris carere hæc vitia non poterit, ejiciendus est a fratribus, et damnandus est. »

Jam vero si quæras quid sit mendacium, respondet S. Augustinus (*Lib. Cont. Mendac., c.* 12), « esse falsam cum voluntate fallendi significationem. » Ex quo colliges non omnes qui veritatem non dicunt aut fallunt, mentiri, sed eos solos qui voluntatem habent fallendi.

131 *Malum pro malo non reddere.*] Quia, ut citatus ab Hildemaro Origenes ait: « Pejor est ille qui vicem reddit, quam ille qui malum in primis facit. » Hoc instrumentum perfecte implevit S. Hugo abbas Cluniacensis, qui proprii fratris interfectori non modo pepercit, sed etiam ad mortem quæsitum in mona-

sterio suscepit, et sanctæ conversionis habitum induit.

Injuriam non facere, sed et factam patienter sufferre.] Injuria duplex est, alia quæ ad probationem, alia quæ ad contumeliam et famæ detrimentum. Hanc vetat S. Benedictus ut malam; illam præcipit ut bonam, utilem, et necessariam, cum venientem ad conversionem injuriis affici, et ad probationem admissum probari in omni patientia mandat: quamvis non omnium sit illam inferre, sed abbatis, aut eorum cui hoc munus ab eo commissum est, qui et ipsi summa prudentia et discretione, habita ratione temporum, locorum et personarum, in irrogandis injuriis uti debent.

Utraque tamen undecunque tandem accedat, patienter toleranda est, ut hic et cap. 7 S. Benedictus præcipit, jubens ut monachus *quibuslibet irrogatis injuriis tacita conscientia patientiam amplectatur*; quemadmodum eximius ille monachus qui, ut refert Rufinus (*Lib.* III *de Vit. Pat.*, *n.* 80), « quanto plus eum aliquis injuriabatur aut deridebat, tanto plus ille gaudebat, dicens: Isti sunt qui nobis occasionem præbent ad profectum nostrum; qui autem beatificant nos, conturbant animas nostras. Scriptum est: quoniam hi qui beatificant vos, decipiunt vos. » Et S. Benedictus abbas Anianensis (*In ejus Vita*, *n.* 31. *Sæc.* IV. *Bened.*), qui injuriam sibi facientibus munera destinabat. Sane apud Athenienses sapientiæ studio non putabantur idonei qui injurias æquo animo ferre non possent: unde et ad portam civitatis sedebat senex sapientiæ studiosus, qui omnes ingredientes experiendi causa conviciis affligebat: potiori ergo jure monachi veræ, ut pote divinæ, sapientiæ devoti, injurias illatas patienter sustinere debent, si quod profitentur reipsa esse desiderant. Quapropter abbas Zacharias coram fratribus aliquid ad morum ædificationem dicturus, projectum in terram pallium conculcavit, dicens: « Nisi quis sic fuerit conculcatus, monachus esse non potest. » *Vide* Rufinum l. III de Vit. Pat., n. 77 et sequentibus.

Inimicos diligere.] Ad plenam hujus instrumenti explanationem, inquirendum 1° quis noster inimicus censendus sit; 2° quid a nobis exigat inimicorum dilectio; 3° quibus induci possimus rationibus ad eos diligendos; 4° aliquas adversus inimicorum dilectionem objectiones solvere oportebit.

Quis dicendus sit inimicus noster discimus ex S. Basilio (*Reg. brev. Int.* 176): « Proprium, inquit, inimici est nocere, et insidiari: quisquis ergo quocunque modo cuiquam nocet, inimicus rite dicatur, proprie vero qui peccat; nam quantum in ipso est, variis ille modis nocet, et insidiatur tam conjuncto sibi, quam ei cui intercidit aliquid cum ipso commercii. »

Quid etiam inimico debeamus, docet idem Basilius eodem loco subjiciens: **132** « Quoniam vero ex corpore et anima compositus est homo, secundum animam quidem diligamus tales, arguentes eos, et admonentes, et quovis modo ad conversionem inducentes: juxta corpus vero benefaciamus illis, si necessariorum penuria laboraverint. »

Præcipua autem et potissima ratio hujus instrumenti repetitur ex Christi præcepto, et præmio inimicorum dilectioni promisso. Ait enim: *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est*; quod expendens S. Cæsarius (*Serm.* 225 *in Append. Serm. S. August.*): « Elige, inquit, modo quod tibi placuerit; si inimicos dilexeris, non solum amicus, sed etiam filius Dei esse mereberis. »

Altera ratio procedit ex minis adversus eos qui non diligunt inimicos. *Si enim non dimiseritis hominibus*, inquit iterum Christus, *nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* « Ad tam magnum tonitruum, qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est, » ait S. Augustinus (*Enchir. c.* 74).

Quod si quis objiciat præceptum istud esse impossibile, respondet S. Basilius (*Reg. brev. Inter.*
A 176): « Non hoc nobis præcepisset bonus ac justus Dominus, nisi simul et vires perficiendi dedisset; quod et in natura necessario reconditum esse patefecit: nam benefactores suos et bestiæ naturaliter diligunt: quid autem habet amicus quo tantum afferat utilitatis, quantum afferunt inimici? Conciliant enim nobis felicitatem illam de qua Dominus dicit: *Beati estis cum persecuti vos fuerint, et probris affecerint, dixerintque omne malum adversum vos mentientes propter me: gaudete et exsultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis.* »

Quod si quis adjiciat animas interfectorum in Apocalypsi cap. VI ad Deum clamare vindictam effusi sanguinis sui, reponit S. Augustinus (*Serm.* 221 *in Append. Serm. S. Aug.*) seu quivis alius: « Sciendum est quia illi sancti jam in conspectu creatoris sui consistentes, vident voluntatem illius, et ideo ab ipso accipiunt, quod ipsum velle noverunt, et de ipso bibunt, quod de ipso sitiunt. Petunt autem
B vindictam duobus modis, et hoc causa charitatis, ut scilicet qui ad vitam æternam prædestinati sunt, convertantur a malo ad bonum; qui vero præsciente Deo damnandi sunt, moriantur, et peccare desistant, et per hoc minorem pœnam in inferno habeant. »

Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere.] Juxta illud Petri apostoli: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto; sed econtrario benedicentes* (*I Pet.* III); quod et Paulus fecisse se testatur dicens: *Maledicimur, et benedicimus.* Et certe cum os monachi divinis sit laudibus et benedictionibus consecratum, nihil indignius quam ex eo maledictionis verbum audire: nam, ut recte ratiocinatur Magister (*In Reg. c.* 11), « sicut non potest fons uno foramine aquam proferre simul amaram et dulcem, sic nec os. Cum de lingua nostra benedicimus Domino, quomodo possumus per eamdem linguam maledicere homines? » Deinde, ut ait S. Dorotheus (*Doctr.* 17, *n.* 6): « Te credere
C oportet antidota quædam esse, et pharmaca medicinalia contra animæ tuæ superbiam, quidquid ignominiæ, infamiæ, opprobrii, quidquid denique **133** contumeliæ et injuriæ tibi evenerit, et pro conviciantibus proque injuriam inferentibus Deum precare non aliter quam pro medicis, verissime persuasus eum qui contumeliam et ignominiam odio habet, odio quoque humilitatem habere. »

Persecutiones pro justitia sustinere.] Non dicit simpliciter *persecutionem sustinere*, nam multi malefici, ut homicidæ et latrones, persecutionem patiuntur sine præmio; sed addit *pro justitia*, quod proprium est justorum, quibus propterea Christus in Evangelio regnum cœlorum promittit. Sane si illius membra sumus qui injuste pro injustis et per injustos persecutionem passus est, eadem et nos libenter sustineamus, alioquin *recusat esse in corpore, qui odium non vult sustinere cum capite*, inquit S. Cæsarius (*Serm.* 224, *in Append. Serm. S. Aug.*).

Non esse superbum.] Quia superbis Deus resistit,
D humilibus autem dat gratiam: unde etiam superbos montibus Gelboe, super quos nec ros nec pluvia cadit, et collibus, quos sponsus cœlestis transilit, eleganter comparat S. Bernardus (*Serm.* 54, *in Cant.*). Eosdem etiam *per calamum foris quidem nitentem, sed intus vacuum* designari asserit S. Odo abbas Cluniacensis (*Lib.* II *Collat.*, *n.* 14); et S. Joannes Climacus ait (*Grad.* 23) monachum superbum alio dæmone non indigere, ipse enim jam sibi dæmon est, et hostis factus. Ex quo apparet quam probe Petrus Blesensis dixerit, quod « cum detestabilis sit ubique superbia, detestabilior est in professore humilitatis; quod enim est rubigo in ferro, quod in veste tinea, quod fel in lacte, quod venenum in melle, hoc est superbia in habitu monachali. »

Est autem superbia « perversæ celsitudinis appetitus; perversa autem celsitudo est, deserto eo cui debet animus inhærere, principio sibi quodammodo

fieri, atque esse principium, » inquit S. Augustinus (*Lib* XIV *de Civit. Dei*, c. 13). Additque: « Hoc fit cum nimis sibi placet, cum ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit quam ipse sibi. »

Non vinolentum.] Vinolentus ex Bernardo Cassinensi est, « qui nimia aviditate, vel nimia frequentatione, vel nimia quantitate, non contentus temperantiæ parcitate, vinum potat vinosus. » Vel, ut ait Smaragdus, « vinolentus dicitur qui et satis bibit, et difficile inebriatur: » quod omnino vetat S. P. Benedictus, quia, ut ait propheta, *fornicatio, vinum, et ebrietas, auferunt cor;* et Salomon in Proverbiis, *luxuriosa res vinum;* ut merito Apostolus dixerit: *Nolite inebriari vino*, nisi forte vino amoris divini; beatus enim quem introduxerit in cellam vinariam, et ordinaverit in eo charitatem. Porro ex 10 excerpto lib. II Pœnitent. Egberti episcopi Eboracensis (*Apud Spelm. tom.* I *Conc. Angl.*), « Si quis clericus aut monachus ebriosus fuerit, tribus mensibus in pane et aqua pœniteat. »

Non multum edacem.] Hoc S. Benedictus instrumento prohibet non modo excessum in cibo, sed et omnem superfluam alimentorum sumptionem. Non enim dicit: *Non nimis edacem*, sed *non multum*, necessaria naturæ concedens, resecans superflua. Imo omnia damnat hic gulæ vitia, quæ quinque numero recenset S. Gregorius his verbis (*Lib.* XXX *Mor.*, c. 13): « Quinque modis nos gulæ vitium tentat: aliquando namque indigentiæ **134** tempora prævenit, aliquando vero tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit; aliquando quælibet sumenda sint, præparari accuratius expetit; aliquando autem et qualitati ciborum, et tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit; aliquando in ipso æstu immensi desiderii deterius peccat. » Quibus omnibus occurrit S. Benedictus in Regula. Primo enim ne quis canonicam horam edendi præveniat cap. 43 vetat. 2° Lautioribus cibis interdicit, dum abstineri a carnibus voluit ab omnibus, cap. 36 et 39. 3° Accurate præparatos cibos cavet, cum ab omnibus, etiam coquorum subtilitates ignorantibus hebdomadatim exerceri coquinæ officium sancivit cap. 35. 4° Excessum in quantitate damnat capite 39 et 40. 5° Denique nimium abscindit desiderium, cum rebus necessariis deficientibus, Deum benedicendum esse asserit, non murmurandum, cap. 40. *Vide* Guillelmi abbatis S. Theoderici librum de Vita Solit. ad fratres de Monte Dei, cap. 11, n. 32; Cassianum toto libro V Institutionum, et Joannem Climacum grad. 14.

Non somnolentum.] Somnolentos vocat plus æquo somno indulgentes; quæ res non modo in monachis damnanda, sed in omni penitus homine reprobanda: quia, ut dicit S. Joannes Climacus (*Grad.* 20), « multus somnus improbus est convictor, qui dimidium vitæ tempus, vel eo amplius ignavis et inertibus subducit et furatur: » unde et S. Arsenius (*Rufin. lib.* III *de Vit. Pat.*, n. 211) somnum vocabat *malum servum*, contra quem maxime « in ipso religionis et tirocinii exordio pugnandum » esse docebat præfatus Joannes Climacus (*Grad.* 19).

Porro somnolentia causas habet, alias physicas seu naturales, alias morales. Physicas recenset idem sanctus his verbis: « Una quidem est ratio somni, sed plurimas velut cupiditas habet causas: ex natura, inquam, ex cibis, a dæmonibus, aut fortasse etiam ex summa et nimia jejunii inedia, qua debilitatum corpus per somnum deinceps conatur se reficere, et recreare. Quemadmodum frequens et larga epotatio ex consuetudine nata est, ita multus et longus somnus. »

Morales describit S. Basilius (*Regul. brev. Interr.* 52), cum ad interrogationem: « Quæ causa est intempestivæ et immodicæ dormitionis, et qua ratione poterimus eam a nobis depellere? » respondet: « Sane hujusmodi dormitatio nascitur quoties- A cunque animum nostrum in contemplatione rerum divinarum sinimus lentescere, ac Dei judicia contemnimus. » Deinde remedium proferens subjungit: « Ipsam vero depellimus quotiescunque ejusmodi, ut par est, de Dei majestate cogitationem concipimus, et desiderium illius perficiendæ voluntatis. » Et S. Joannes Climacus (*Grad.* 7): « Quando vadis cubitum, sit tibi ipse cubitus in lectulo tuo forma habitus corporis in sepulcro jacentis, et minus dormies.... Sempiterni inferorum incendii memoria tecum vesperi proficiscatur cubitum, tecumque mane consurgat, et nunquam somnolentia te occupabit tempore precum et psalmorum. »

Non pigrum.] Licet piger dicatur quasi *pedibus æger*, ut observat **135** Smaragdus, tanquam tardus ad incedendum; pigritia tamen non tam in corporis otio ac torpore, quam in animæ desidia et salutis negligentia attenditur: unde idem Smaragdus: « Recte, inquit, pigri vocabulo denotatur, qui vult re- B gnare cum Christo, et non vult operari pro illo. » Sane Christus non quietos et otiosos, sed laborantes et oneratos ad se reficiendos vocat; etsi *monachi*, ut ait Gerardus Belga, *sint jumenta Christi, ad quid pigrum jumentum, quod nec pabulum meretur, nec stabulum?*

Non murmuriosum.] Ita etiam Regula S. Ferreoli cap. 7 decernit « ut nullius in congregatione murmur, seu detractio, quod familiarissimum habent monachi, contra abbatem aut quemlibet alium de fratribus audiatur: ne ira Dei, quæ sæpe ob hanc culpam miserabilem populum condemnavit, in perditionem similiter murmurantium turbæ excitetur; et terram repromissionis, quam nos recte accipimus, locum futuræ beatitudinis perdat murmuratio propria, quæ debeatur sponsione divina. » Eadem ratione murmurium prohibent S. Isidorus in Reg. cap. 6, et S. Fructuosus in Regula monastica communi cap. 5. Illud etiam sub gravissimis pœnis vetant aliæ monachorum regulæ. Regula sancti Macarii cap. 12: C « Si quis autem murmuraverit..... digne correptus secundum arbitrium senioris, vel modum culpæ, tandiu abstineat quandiu vel culpæ qualitas poposcerit, vel se pœnitendo humiliaverit, vel emendaverit, ita ut correptus non audeat usquam recidere. » Regula S. Pachomii (*Art.* 164, *in Cod. Regul.*): « Qui habet consuetudinem murmurandi, et quasi gravi opere se opprimi queritur, docebunt eum quinquies quod sine causa murmuret, et ostendent perspicuam veritatem. Si post hæc inobediens fuerit, et est perfectæ ætatis, ita eum habebunt, ut unum de ægrotantibus, et ponetur in loco infirmorum, ibique aletur otiosus, donec redeat ad veritatem. » Denique Regula Cujusdam ad Monachos (*Cap.* 6): « Si quis frater murmurans inventus fuerit, hic ipse mittendus est in carcerem, et opus ejus abjiciatur: pœnitentiam agat secundum examen senioris: si permittatur, ei satisfaciet; si autem hoc frequenter fecit, ejiciendus est de monasterio. » Adeo illi grave pec- D catum murmurium reputabant. Certe si vel debitas peccatis nostris pœnas pensaremus, non esset quod quereremur aliquando. « Quis ergo grunniet amplius, inquiebat olim S. Bernardus (*Serm.* 22, *de Divers.*), dicens: Nimium laboramus, nimium jejunamus, nimium vigilamus, cum nec millesimæ, imo nec minimæ parti debitorum suorum valeat respondere? » Et S. Odo abbas Cluniac. (*Lib.* III *Collat.*, n. 37): « Si æquitas judicii consideretur, murmuratio cessabit, quia valde injustum est, ut reus judicem incuset, cum digna factis æque receperit. » Et Grimlaicus in Regula Solitariorum cap. 65: « Discat non murmurare qui mala patitur, etiamsi ignorat cur mala patitur; et per hoc juste se pati arbitretur, quod ab illo judicatur, cujus nunquam judicia injusta sunt. »

Non detractorem.] Non sine causa S. Bernardus detractores comparat vulpibus, quæ demoliuntur vineas; et Petrus Damiani locustis, **136** quæ alienas fruges corrodunt, cum detractio aliud nihil sit quam

respectu alterius gloriæ minuendæ mordax in alium delatio; unde et Cassianus *perniciosam fratrum devorationem* eam vocat. Quantum vero sit illa vitium ac peccatum, nec melius nec eloquentius aperire possumus quam S. Bernardi verbis (*Serm.* 65. *in Cant.*): « Nunquid non vipera est lingua ista? ferocissima plane, nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat uno flatu. Nunquid non lancea est ista lingua? profecto et acutissima, quæ tres penetrat uno ictu: lingua eorum gladius acutus, gladius equidem anceps, imo triceps est lingua detractoris. Non vero hujusmodi linguam ipso etiam mucrone quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis; fodit enim hæc quoque corpus Christi, et membrum de membro, nec jam exanime fodit; sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit; sed etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis, et pedibus consummata Judaicæ gentis iniquitas infixit: nisi enim hujus, quod nunc pungitur et transfoditur, corporis vitam sui vitæ corporis prætulisset, nunquam illud pro isto mortis injuriæ, crucis ignominiæ tradidisset.» His concinere videntur illa Gilberti de Hoillandia verba: « Horret magis Christus asperitatem morum, et *linguæ stimulos*, quam aculeos spinarum; in his præsertim qui in silentii vocati sunt simplicitatem, in charitatis negotium, et otii quietem, in humilitatis scholam, in subjectionis votum et vinculum unitatis.»

Nemo ergo jure miretur, si ad tam graves pœnas detractores olim damnarunt antiqui monachorum Patres, quales eæ sunt quas eorum in regulis legimus. Nam, verbi gratia, S. Pachomius statuit (*Art.* 84), ut « qui facilis est ad detrahendum, et dicit quod non est, qui in hoc peccato deprehensus fuerit, monebunt eum secundo; et si audire contempserit, separabunt eum extra conventum septem diebus, et panem tantum cum aqua accipiet, donec polliceatur atque confirmet se ab hoc vitio recessurum, et sic dimittetur ei.» S. Basilius facta interrogatione (*Regul. brev.*, *interr.* 26): « Qui detrahit fratri vel detrahentem auscultat, qua animadversione dignus est? » respondet: « Exterminandi sunt ambo a cæterorum societate.» Et pene incerti auctoris apud eumdem Basilium: « Si quis inventus fuerit detrahens aliquibus, vel audiens detrahentem, et non increpans eos, aut indicans archimandritæ, excommunicetur.» S. Columbanus in Pœnitentiali hæc habet: « Si quis detraxerit abbatem suum, septem dies unum paximatium (id est habebit pro victu, cum solerent duo paximatia per diem habere, ut observat Menardus noster); si fratrem suum, viginti quatuor psalmos; si sæcularem, duodecim psalmos.» Denique Regula Cujusdam ad Monachos (*Cap.* 26): « Si quis seniori suo detraxerit, non seniori detrahit, sed Domino, cui opus facit senior: si vero hoc frequenter faciat, abscindatur a fraternitate, ac sollicitudine fraterni corporis; si vero pœniteat, remittenda sunt peccata sua.»

Quia vero non modo detrahentes, sed eos etiam libenter audientes **137** pœnitentiæ subjiciebant; nec ita raro hoc virus irrepat etiam apud servos Dei, saluberrimum hic S. Bernardi consilium proponere non erit forsitan abs re (*Serm.* 17, *de Divers.*): « Facile, inquit, lingua labitur, nec minus facile illabitur cordi, ita ut multis inter loquendum minus profuerit quod propriam prohibuerint, dum non caverint alienam. Utilis est frater qui tibi loquitur, sapiens est, religiosus, ac timens Deum; plus dico, angelus est, et angelus lucis: etiam sic cave tibi ne audias unde lædaris. Nec personam tibi velim esse suspectam, sed linguam, præsertim in sermocinatione communi. Bona quidem personæ simplicitas, sed in hac parte serpentis astutiam non amittas.»

Neque tamen eo ipso detrahere semper aliquis dicendus est, quo malum de alio refert; occurrunt enim aliquando casus, in quibus et licet, et opus est: duos præsertim notat S. Basilius his verbis (*Reg. brev.*, *interr.* 25): « Duo ergo existimo tempora, in quibus liceat aliquid mali de altero dicere; scilicet quando necesse habet aliquis consultare una cum aliis, qui ad hoc idonei sunt judicati, quo pacto corrigendus sit is qui peccatum commisit; et rursum cum necessitas poscit ut periculo consulatur aliquorum, qui sæpenumero ex ignorantia commisceri possent cum malo tanquam cum bono; cum Apostoli præceptum sit ne quis cum hujusmodi se commisceat, nequando capiat quis laqueos animæ suæ, etc.»

Spem suam Deo committere.] Bonum est enim sperare in Domino, quam confidere in homine. Sed quid a Domino sperare? « Est spes veniæ, gratiæ et gloriæ, » inquit S. Bernardus (*Serm.* 46, *de Divers.*). Quo motivo? « Huic securus me credo, qui salvare me velit, noverit et possit, » addit idem S. doctor (*Serm.* 20, *in Cant.*). Quo fructu? « Quemcunque locum calcaverit pes vester, vester erit. Pes vester utique spes vestra est, quantumcunque illa processerit, obtinebit; si tamen in Deum tota figatur, ut firma sit, et non titubet, » reponit iterum S. Bernardus (*Serm.* 15. *in psal.* XC, *et serm.* 32, *in Cant.*).

Bonum aliquod in se cum viderit, Deo applicet, non sibi.] Huc referenda sunt quæ supra dixi in prologum: ne tamen istud instrumentum intactum reliquisse videar, illud exponam præclaris his S. Bernardi verbis (*Serm.* 84, *in Cant.*): « De magnis bonis mala oriri non minima solent, cum facti eximii de bonis Domini, utimur donis tanquam non datis, non damus gloriam Deo. Ita profecto qui maximi videbantur pro accepta gratia, pro non redhibita minimi reputantur apud Deum. Ego autem vobis parco; usus sum modestioribus vocibus *maximo, minimoque*, sed quod sentio non expressi. Discrimen involvi, ipse nudabo: *optimum, pessimumque* dixisse debueram; nam vere et absque dubio eo quisque pessimus, quo optimus es, si hoc ipsum quo optimus est ascribat sibi: nempe pessimum est hoc. Quod si dicat quis: Absit, agnosco, gratia Dei sum id quod sum; studeat autem captare gloriolam pro gratia quam accepit, nonne fur est et latro? audiat qui ejusmodi est: Ex ore tuo te judico, serve nequam. Quid nequius servo usurpante sibi gloriam domini sui.» Eadem est doctrina S. Gregorii papæ, quam etiam præclara hac simili tudine illustrat: « Qui vitia **138** superant, cum de victoria superbiunt, ipso hoste super se ruente intereunt. Eleazar namque in prælio elephantem feriens stravit, sed sub ipso quem exstinxit occubuit: quid ergo iste significat, quem sua victoria oppressit, nisi eos qui vitia superant; sed sub ipsis quæ subjiciunt superbiendo succumbunt? quasi enim sub hoste, quem prosternit, moritur, qui de culpa, quam superat, elevatur.»

Malum vero semper a se factum sciat, et sibi reputet.] Ita Petrus Damiani ad Desiderium abbatem Cassinensem scribens: « Noli, inquiebat (*Lib.* II, *epist.* 11), quod plerique faciunt, tantummodo si quid est in te virtutis attendere, ut vitia quasi post tergum posita negligas judicare: imitare naturalis in pavone diversitatis exemplum, qui nimirum pullinos, et velut ignobiles pedes præ oculis semper habet: insignem vero caudæ pulchritudinem post se spectabilem præbet; videt in pedibus rusticum aliquid, quod despiciat, post tergum vero gerit, unde valeat quasi præ cæteris avibus superbire. Te quoque quodammodo quod in te virtutis est lateat. Si quid vero vitiosum et correctionis est dignum, ab aspectus tui judicio non recedat.»

Diem judicii timere.] Qui judicii diem non timet, hic judicio carere merito dicendus est, et reprobatus: « Irremediabile namque periculum est, inquit S. Augustinus (*Serm.* 154 *in Append. Serm.*) seu quivis alius, sic aliquem vitiis, et cupiditatibus frena laxare, ut se rationem Deo non meminerit redditurum: puto quia magna sit jam peccati pœna metum ac memoriam futuri perdidisse judicii.»

Gehennam expavescere.] Et quis non expavesceret, cum vel quique sanctorum etiam maximi sola ge-

hennæ cogitatione toti tremuerunt? Quis nostrum S. Bernardo sanctior? et tamen quis non contremiscens eum contremiscentem audire potest? « Contremisco, inquit (*Serm.* 16, *in Cant.*), a dentibus bestiæ infernalis, a ventre inferi, a rugientibus præparatis ad escam : horreo vermem rodentem, et ignem torrentem, fumum et vaporem, et sulphur, et spiritum procellarum : horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, et stridorem dentium, et manuum pedumque dura vincula, et pondus catenarum prementium, stringentium, urentium, nec consumentium? » Simili pavore pravas cogitationes pellebat S. Pachomius, ut legimus in ejus Vita cap. 29.

Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare.] Quia, ut dicit S. Bernardus (*Serm. in festo S. Martini*), Deus « propterea rectum fecit hominem etiam ipso corpore, et os homini sublime dedit, cum prona utique spectent animantia cætera terram, ut attollens ad sidera vultus, illo suspiret, ubi tam beatam et perennem conspicit mansionem : nonne cum pie, et fideliter intuentibus nobis vehementissimum quoddam incentivum amoris, et provocatio flagrantissimi desiderii est visio ipsa tam lucidissimæ mansionis, etc. » Vide ejusdem Serm. 12 et 19, de Diversis, et 33 in Cantica.

Mortem quotidie ante oculos suspectam habere.]
139 Quam utilis sit quotidiana frequensque meditatio mortis, quam mortem quotidianam vocat S. Joannes Climacus (*Grad.* 6), idem ipse describit elegantibus his verbis : « Quemadmodum ex omni genere ciborum panis est maxime necessarius, ita ex omnibus actionibus mortis meditatio. Mortis recordatio in his qui in communi fratrum conversantur, parit labores et pias exercitationes, imo vero contemptus desiderium et dulcedinem : his vero qui extra turbas in solitudine degunt, affert curarum omnium neglectum, et suggerit perpetuas preces, mentisque custodiam..., Vera mortis et efficax meditatio gulam omnino necat, gula autem victa, jacent simul omnia vitia victa. » Et sub finem ejusdem gradus : « Fieri non potest, inquit non nemo, fieri non potest, ut præsentem diem satis pie religioseque transigamus, nisi illum ipsum diem totius vitæ supremum ultimumque existimemus : et sane permirum est quomodo et pagani scriptores (*Plato et Seneca*) aliquid id genus pronuntiarint, qui studium sapientiæ nihil aliud esse dixerunt, quam meditationem mortis. » Eadem videtur fuisse mens et sententia Evagrii, cum dixit : « Ita semper paratus esse debet monachus, quasi sequenti die sit moriturus; rursusque ita corpore suo uti, ac si per multos annos cum eo victurus. » Eadem et S. Antonii, cujus Regula n. 41 hæc scribit : « Cogita apud teipsum, et dicito : Utique non manebo in hoc mundo, nisi præsenti hac die, et non peccabis Deo. » Eadem leguntur in Regula abbatis Isaiæ, n. 12. S. Pachomius etiam mortis memoriam frequenter commendabat, dicebatque (*In ejus Vita c.* 46) : « Qui semper hæc cogitat, puritatem mentis obtinet, humilitatem cordis acquirit, vanam gloriam respuit, omni sæculari prudentia carere contendit. »

Plane usque adeo necessariam mortis memoriam duxerunt antiqui Patres nostri, ut quo firmius monachorum menti adhæreret, in ecclesia aut claustro apertum semper haberi sepulcrum voluerint, quod olim ordini Benedictino in usu fuisse testatur Haeftenus (*In com. ad vit. S. Ben.*, *c.* 37). Vide Joannem Clim. grad. 7, et Petr. Dam. opusc. 15, c. 23.

Actus vitæ suæ omni hora custodire.] Hoc instrumentum sequitur ex præcedenti; fieri enim haud potest ut, mortem cogitans, vitam tuam non custodias. Porro quam necessaria sit nostri custodia pulchre omnino docet S. Bernardus, cum explicans illud Canticorum : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, ait (*Serm.* 48 *in Cant.*) : « Quod si lilium est ipsa anima, juxta sponsi verbum, videat quam vigilem sollicitamque esse oporteat super custodia sui, septa undique spinis hinc inde aculeos intendentibus.... plenus est mundus spinis, in terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt : vide ergo quomodo caute ambules inter spinas. » Et iterum alibi (*Serm.* 82, *de Divers.*) : « Solent dicere homines hujus sæculi : Bonum castellum custodit qui corpus suum custodit; nos autem non sic ; sed sterquilinium vile custodit, qui corpus suum custodit..... custodiendum magis animæ castrum, quoniam æterna ex ipso vita procedit; sed castrum in terra inimicorum situm undique impugnatur, et idcirco omni custodia, id est ex omni parte vigilanti sollicitudine est muniendum, **140** inferius, superius, ante et retro, a dextris et a sinistris. Inferius impugnat concupiscentia carnis, quæ militat adversus animam, quia caro concupiscit adversus spiritum. Superius imminet judicium Dei horrendum; horrendum est enim incidere in manu Dei viventis... Retro mortifera delectatio est, quæ oritur ex recordatione peccatorum præteritorum. Ante instantia tentationum. A sinistris vero arrogantium fratrum murmurantium inquietudo. A dextris obedientium fratrum devotio : possunt enim hi quoque, nisi caveatur, duobus nocere modis : aut bonis eorum actibus invidendo, aut singularem gratiam æmulando, etc. »

In omni loco Deum se respicere pro certo scire.] Nihil efficacius ad omnes vitæ actus custodiendos, quam Deum in omni loco se respicere pro certo scire; « quando enim negligens po erit fieri qui intuentem se Deum nunquam desinit intueri, qui sic eum super se videt intentum, ut omnia interiora ejus et exteriora omni hora considerare non cessat, omnes non solum actus, sed etiam ipsos subtilissimos animæ motus perscrutetur atque dijudicet? » inquit S. Bernardus (*Serm.* 2 *in psalm.* xc). Hinc et S. Basilius (*Reg. brev.*, *interr.* 21) : « Qui hoc facit (hoc est a Deo se respici cogitat), vel horum similia, neque vagabitur unquam, neque habebit otium vanis cogitationibus indulgere, vel aliquid cogitare quod non ad ædificationem fidei pertinet, et ad aliquam animæ utilitatem spectet : quanto magis nihil audebit, quod adversum sit Deo, et non ei placeat cogitare! »

Potest tamen aliter hic Regulæ locus intelligi, ut Deum nos respicere idem sit, ac nostra curare, nostræ saluti intendere, ut illi soli intendamus, qui nobis tam amanter intendit, juxta illud apostoli Petri : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis* (*I Petr.* v). Quanta vero sit illa ejus cura optime explicat auctor tractatus de Charitate, c. 23, apud S. Bern. tom. V.

Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, et seniori spiritali patefacere.] Cogitationes malas cordi nostro advenientes allidere ad Christum, est « contra illarum illecebras Christi auxilium implorare, ut victor possit existere ; spem suam Christo committere, in illo fideliter credere, et firmiter sperare, et de triumphi victoria non sibi placere, sed Christo gratias agere, » inquit Smaragdus. Vel, ut ait Bernardus Cassinensis, allidere ad Christum per memoriam passionis ejus, et per orationem devotam ; » ipse enim est serpens æneus, quem qui respexerit, mortifero serpentis infernalis morsu haudquaquam peribit. Quod autem S. Benedictus addit : *Seniori spiritali patefacere*, explicabimus ad cap. 7 ; hic solum annotasse sufficiat seniorem illum spiritalem intelligendum esse cum Boherio cujusque monasterii superiorem, qui licet aliquando sit minor ætate, major tamen et senior ratione jurisdictionis merito est dicendus : quamvis Richardus de S. Angelo seniorem spiritalem interpretetur sacerdotem confessarium.

141 *Os suum a malo vel pravo eloquio custodire.*] Quia os justi meditari debet justitiam. Porro « malum eloquium est, quod non est bonum ; pravum, quod plus est nocivum quam malum, » inquit Hildemarus.

Multum loqui non amare.] Nam in multiloquio non

effugies peccatum. Non tamen hic omnino prohibet multum loqui; nonnulli enim aut charitatis lege, aut ratione officii, ut abbates et cellerarii, ad hoc vel inviti coguntur; sed *multum loqui non amare*, pestiferam illam damnans loquendi aviditatem, quam abbas Agatho (*Apud S. Doroth. doctr.* 4, *n.* 9) magno comparabat incendio, quod cum excandescit, omnes ab aspectu suo procul abire compellit.

Verba vana aut risui apta non loqui.] Ut enim pie ac devote, et quidem veraciter dixit Gerardus Belga monachus, « nunquam insulsiores joci etiam lepidissimi, quam in ore monachi, quando neque sic quidquam indignius aut abominabilius, quam in vestitu tam lugubri gestus mimici, et mores simii. » Hinc Regula Tarnatensis cap. 18 : « Qui joculare aliquid vel risui aptum in conventu fratrum proferre præsumpserit, vel qui cum junioribus verba otiosa narrare voluerit, aut habere amicitias ætatis infirmæ, increpationi, ut dignus est, subjacebit. »

Risum multum aut excussum non amare.] Multo
B magis monachos decent lacrymæ quam risus; unde et Magister in Regula sua : « Si viderit fratrem satis promptum in risum, moneat eum præsens præpositus dicens : Quid agis, frater? cum gravitate fac quod facis, quia conversionis tempus non est lætitiæ ad ridendum, sed pœnitentiæ ad lugenda peccata. » Similiter ante eum S. Basilius (*Reg. brev.*, *interr.* 31); « Cum Dominus eos damnet qui in hac vita rident, admodum perspicuum est, nullum omnino locum dari fideli in quo rideat, et maxime in tam magno numero eorum qui per transgressionem legis Deum inhonorant, et in peccato moriuntur, super quos mœrere et gemere oportet. » Et post eos Smaragdus in hunc locum : « In valle lacrymarum sumus, et ideo non ridere, sed lugere debemus; lacrymas enim pro peccatis nostris, lacrymas pro dissolutione corporis, lacrymas pro desiderio Redemptoris, et societate omnium angelorum, et omnium habere debemus sanctorum, lacrymas ut a pœnis inferni et a laqueis liberemur diaboli. »

C Neque tamen omnem omnino risum prohibet hoc loco S. P. Benedictus, sed nimium aut excussum, tanquam *animi negligentis, et dissoluti spiritus indicium*, ut loquitur S. Bernardus (*De præc. et disp.*, *c.* 8); nam *subridere placide, et animi lætitiam judicare indecorum non est*, inquit S. Basilius (*Reg. fus.*, *c.* 17), *quod scriptura illa ostendit quæ dicit : Corde exhilarato vultus floret*. Qualis ergo debet esse monachorum risus? Profecto qualem in S. Malachia describit S. Bernardus (*Serm. de S. Malach.*): « Risus aut indicans charitatis, aut provocans; rarus tamen et ipse, equidem interdum eductus, excussus nunquam, qui ita nuntiaret cordis lætitiam, ut ori gratiam non minueret, sed augeret; tam **142** modestus, ut levitatis non posset esse suspectus; tantillus tamen, ut hilarem vultum ab omni tristitiæ nævo vel nubilo vindicare sufficeret. » Adde quod ait S. Dorotheus (*Doctr.* 19, *n.* 24): « Cum ridendum est, cave ne in tuo risu dentes exeras. »

D Hujusmodi ergo risum permittit S. Benedictus, quemcunque alium prohibet, vetantque cum eo non solum S. Basilius et Magister a nobis supra citati, sed etiam Regula Pauli et Stephani, tanquam discordiarum et scandalorum occasionem, cap. 37. S. Joannes Climacus grad. 7, n. 6, et grad. 26, n. 35; et S. Leander in libro seu Regula de Institutione virginum, in qua integrum cap. 11 inscribit *Quod peccatum sit virgini ridere* (*Tom.* IV *Analect.*, *p.* 462). Sed et olim in ordine nostro « Circatores hoc observabant, si aliquem ridentem, vel aliquid susurrantem conspexerant, statim tabulis notabatur, et benignissime corripiebatur tempore opportuno, » ut in Consuetudinibus S. Benedicti Anianensis legitur.

Porro notat hic Trithemius quatuor præsertim hominum genera risum dedecere : virgines propter verecundiam; mulieres propter honestatem; infirmos

A propter defectum, quia validus risus eos offendit; et monachos propter eminentiam status.

Lectiones sanctas libenter audire.] Non dixit libenter legere; sed libenter audire, quia, ut notat Bernardus Cassinensis, nonnulli sunt qui propter defectum visus, aut aliam infirmitatem non possunt legere. Vel etiam, ut ait Trithemius, quia tempore S. P. Benedicti aliqui admittebantur ad habitum, litterarum penitus ignari, qui omnes ne sacræ lectionis fructu privarentur, eas saltem aliis legentibus jubentur audire. Vel etiam libenter audire, liberum et voluntarium cordis assensum his quæ leguntur præbendo, eaque opere exsequendo : quid enim prodest multa legere, multaque discere, nisi multa faciamus? Scienti bonum, et non facienti, peccatum est illi.

Hic autem non quaslibet S. Benedictus monachis lectiones permittit, sed *sanctas*, hoc est sacram Scripturam, passiones SS. martyrum, vitas et collationes Patrum, scripta SS. doctorum, quæ ad morum ædificationem conducunt, quorum omnium lectio monachis summæ est utilitatis, maxime juvenibus, quibus eam commendat Guillelmus abbas S. Theoderici ad fratres de Monte Dei scribens in hæc verba (*De Vit. solit. cap.* 14) : « Tutius proponuntur legenda et meditanda Redemptoris nostri exteriora, et ostenditur in eis exemplum humilitatis, provocatio charitatis, et affectus pietatis; et de Scripturis sanctis, et SS. tractatibus Patrum moralia quæque et planiora. Proponenda sunt ei gesta et passiones sanctorum, ubi nec laborandum sit in planitie historiali, et semper aliquid occurrat, quod novitii animum excitet ad amorem Dei et contemptum sui. Porro aliæ historiæ delectant quidem dum leguntur, sed non ædificant, quin potius mentem inficiunt, et in tempore orationis, vel spiritualis meditationis, inutilia quæque vel noxia faciunt scaturire de memoria, etc. »

143 Procul ergo a manibus nostris gentilium libri, procul poetarum aut philosophorum fallaciæ, ut pote quæ mentem a vera beatitudine avertunt, nisi forte ad eorum ineptias confutandas, et ad mysteria nostræ fidei confirmanda, juxta illud S. Augustini (*Lib.* II *de Doct. chr.*, *cap.* 40) : « Philosophi autem qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostræ accommoda dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda; » cui concinit Petrus Damiani his verbis (*Opusc.* 32, *c.* 9) : « Thesaurum tollit Ægyptiis, unde Deo tabernaculum construat, qui poetas et philosophos legit, quibus ad penetranda mysteria cœlestis eloquii subtilius convalescat. » Sed hæc omnium non sunt, sed doctorum duntaxat, et eorum quidem non etiam omnium, sed quibus id ab abbate præcipitur. Cæterum simplici monacho iis nænis operam danti merito cum Petro Venerabili ad Petrum Pictaviensem scribente (*Lib.* I, *ep.* 9) dicere possemus : « Quid inani studio cum comœdis recitas, cum tragœdis deploras, cum metricis ludis, cum poetis fallis, cum philosophis falleris? Quid jam non philosophiæ, sed, quod pace tua dictum sit, tantam stultitiæ operam impendis? Stultitiæ, inquam, nam et hoc veri philosophi dictum est : Nonne stultam fecit Deus sapientiam mundi? Curre ergo, fili mi, ad propositum tibi a cœlesti magistro totius philosophiæ unicum fructum, regni cœlorum beatitudinem, quam adipisci non poteris, nisi per veram spiritus paupertatem . . . nam si secundum Apostolum volueris esse sapiens, stultus esto ut sis sapiens, neque te logicæ garrulitatem, physicæ curiositatem, vel aliud quodlibet scire glorieris, nisi Christum et hunc crucifixum. Vel cum Paschasio Ratberto ad Odilmannum (*Præf. lib.* III, *super Thren. Jeremiæ*) : « Non nostri operis est, frater et consenex, falsas poetarum fabulas jam volvere, vel milesias, quoniam nostra institutio alios reposcit mores; neque philosophorum perscrutari libros, quia in altero ludus et oblectatio est, in altero vero difficultas et sudoribus admixtus labor; verum

magis threnis nos decet, et lamentis indesinenter insistere. » Sane de B. Alcuino referunt (*In ejus Vita n.* 19), quod « legerat juvenis libros antiquorum philosophorum, Virgiliique mendacia, quæ nolebat jam nec audire, nec discipulos suos legere, *Sufficiunt*, inquiens, *divini poetæ vobis, nec egetis luxuriosa sermonis Virgilii vos pollui facundia;* » quæ totidem verbis de S. Maiolo scribit Syrus in ejus Vita lib. I, c. 14. *Vide* Vitam S. Odonis, sæc. V Bened., et S. Hugonis abbatis Cluniac., auctore Hildeberto Cœnoman., n. 18, apud Bollandum 29 April.; et Regul. S. Isid. cap. 9.

Orationi frequenter incumbere.] Exemplo S. Martini, de quo Severus Sulpitius scribit (*In ejus Vitæ lib.* I), quod « nunquam hora ulla vel momentum præteriit, quo non aut orationibus incumberet, aut insisteret lectioni; quanquam etiam inter legendum, aut si quid aliud forte agebat, nunquam animum ab oratione laxabat; nimirum, ut fabriferrariis mos est, qui inter operandum pro quodam laboris levamine incudem suam feriunt, ita Martinus etiam, dum aliud agere videretur, semper **144** orabat. » Et certe, ut optime dicebat Evagrius (*Tom.* III *Mon. Eccl. Græc. p.* 95), « semper quidem operari, vigilare, jejunare non fuit nobis præceptum; at sine intermissione orare lex sanxit. »

Quia vero oratio proprium est monachorum negotium, haud erit fortassis eis injucundum breviter hic demonstrare, quid sit, quæ ejus vis et efficacia, quæ necessitas, quæ ad eam dispositiones, quove sit facienda modo.

Quid sit oratio docet S. Augustinus seu quivis alius (*Serm.* 73 *in append. Serm.*) his verbis: « Oratio est ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium. » Et S. Joannes Climacus (*Grad.* 28): « Oratio, si ejus naturam seu qualitatem spectes, est familiaris conversatio, et conjunctio hominis cum Deo. » Similiter Guillelmus S. Theoderici (*De Vit. Solit. c.* 14): Oratio est hominis Deo adhærentis affectio, et familiaris quædam et pia collocutio, et statio illuminatæ mentis ad fruendum quandiu licet. » Denique auctor tractatus de Interiori Domo (*Cap.* 27) apud S. Bernardum: « Oratio est mentis devotio, id est conversio in Deum per pium et humilem affectum: humilem ex conscientia infirmitatis propriæ; pium ex consideratione divinæ clementiæ. »

Orationis efficaciam elegantius describere haud possumus, quam S. Joannis Climaci verbis (*Grad.* 28): « Oratio, inquit, si vim et efficaciam ejus spectes, est mundi conservatio, Dei reconciliatio, mater lacrymarum et iterum filia, propitiatio peccatorum, propugnaculum adversus impetum afflictionum, bellorum oppressio et exstinctio, officium angelorum, omnium spirituum alimentum, futura lætitia, actio sempiterna, virtutum scaturigo, gratiarum divinarum conciliatrix, profectus spiritualis, nutrimentum animæ, mentis illustratio, securis desperationis, spei demonstratio, tristitiæ solutio, divitiæ monachorum, thesaurus solitariorum, iræ diminutio, speculum religiosi profectus, » etc.

Necessitatem ejus præsertim in monacho paucis demonstrat Joannes Trithemius (*Exercit. Spirit. monach., cons.* 6), cum dicit: « Sicut nobis necessarius est semper halitus ad vitam carnis, sic omnino necessaria est continua oratio ad sanitatem mentis. » Hinc Joannes Baptista de Lezana (*De Discip. mon. c.* 3): « Facilius, inquit, crederem hominem sine anima, quam religionem perfectam sine oratione consistere; nec minus improprie cadaver hominem, quam regularem sine oratione perfectum religiosum appellare licet. »

Ad dispositiones quod spectat, aliæ sunt remotæ, aliæ proximæ: remotæ sunt cordis munditiès, sæcularium negotiorum fuga, passionum et affectionum mortificatio; proximæ, locus, tempus, attentio, etc., quæ paucis ex Patribus probanda sunt.

Primo ergo ad bene orandum requiritur sincera cordis puritas; nam licet oratio sit Dei donum, et « divini muneris largitatem sub regula concludere nostrum non sit, » ut ait Gilbertus de Hoillandia (*Serm.* 17 *in Cant.*); « si quid tamen ad hæc potest humana industria cooperari, illud primum observate: Lavamini, mundi estote. » Et sane si oratio sit familiaris cum Deo conjunctio, qua ratione orare poterit, qui peccato ab eo avertitur? **145** Recte equidem Petrus Damiani ad Alexandrum papam scribens (*Lib.* I, *ep.* 15): « Si quilibet ignotus cubiculum regis irrumpat, eique præsens tanquam familiaris assistat, regis tamen alloquio non perfruitur, quia charus ei per anterioris notitiæ gratiam non habetur; ita et nos infelices et miseri, quod quidem de mei similibus loquor, sæpe soli in angustæ cellæ remotione consistimus, sois divinæ majestatis obtutibus trementes adstamus, peccatis tamen obstantibus, vel intimi splendoris igniculum, vel compunctionis gratiam non meremur; sic itaque velut ante Regis videmur astare præsentiam; sed quia per vitæ rectitudinem sibi noti non sumus, collocutionis internæ dulcedinem non gustamus. »

Secundo, ad bene orandum disponit sæcularium negotiorum abdicatio, ut scribamus « sapientiam in tempore otii, nam qui minoratur actu, inquit præfatus Gilbertus (*Loco citato*), recipiet eam. » Unde et Petrus Damiani (*Loco supra citato*): « Mens terrenis obtenebrata negotiis, frustra se in contemplationis culmen attollere nititur, dum actionum sæcularium merito quasi congestis lapidum ruderibus aggravatur; sicut enim aluta calcei, postquam per limosa luti fluenta transierit, non admittit arvinam, sic mens humana, nisi ab humore fuerit curæ sæcularis exuta, non percipit supernæ pinguedinis gratiam, » etc.; et Gilbertus de Hoillandia (*Serm.* 1 *in Cant.*) scribens in illud Canticorum, *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea:* « In turba, inquit, in publico vix tangitur Jesus; ideo sponsa, quæ non tantum tangere, sed amplexari et attrectare desiderat, devitans publicum, elegit secretum et lectuli et noctis. »

Tertio, sincera passionum et carnis mortificatio, ut familiari hac similitudine demonstrat Petrus Damiani (*Loco cit.*): « Sicca chorda clarum harmoniæ sonitum, humida reddit obtusum, tympanum quoque surdum sonat, si quilibet eum humor humectat: sic necesse est, ut mens humana a carnis voluptate sit arida, quatenus in Dei omnipotentis auribus ejus oratio sit arguta. »

Quarto, aptus quærendus est locus ad orandum, nimirum remotus, et ab omni tumultu secretus; nam et Christus orare volentem intrare cubiculum ostiumque claudere jubet.

Quinto, « non modo locum, inquit S. Bernardus (*Serm.* 86 *in Cant.*), sed et tempus observare oportet eum, qui sibi orare voluerit. Tempus feriatum commodius aptiusque; maxime autem cum profundum nocturnus sopor indicit silentium, tunc plane liberior erit puriorque oratio: *Consurge in nocte*, inquit, *in principio vigiliarum tuarum, et effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui.* Quam secura ascendit de nocte oratio, solo arbitro Deo, sanctoque angelo, qui illam superno altari suscipit præsentandam! quam grata et lucida verecundo colorata rubore! quam serena et placida nullo interturbata clamore, vel strepitu! » etc.

Sexto, summa requiritur attentio; nam, ut ait S. Cyprianus (*De Orat. Dominica*), « quæ est ista segnitia alienari et rapi cogitationibus ineptis et profanis cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quam **146** quod cum Deo loqueris? quomodo te audiri postulas, cum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est ab hoste in totum non cavere, hoc est, quando oras Deum, majestatem Dei negligentia orationis offendere. »

Denique quod proprium est hujus instrumenti, ad bene orandum, oratio debet esse frequens et assidua, ut multis nos Scriptura locis edocet : et certe « perparum orat, quisquis illo tantum tempore, quo genua flectuntur, orare consuevit, » inquit abbas Isaac apud Cassianum (*Collat.* 10, *cap.* 14).

Mala sua præterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, de ipsis malis de cætero emendare.] Simile aliquid præscribit S. Antonius (*In Regul. n.* 25) : « Contristare, infit, diu noctuque pro peccato tuo, accende lampadem oleo oculorum tuorum, nempe lacrymis. » Et iterum (*Num.* 30) : « Ne glorieris, neque rideas omnino : da operam ut lugeas ob peccatum tuum, sicut luget is penes quem aliquis mortuus est. » Et item (*Num.* 44) : « Coge teipsum ut ores perpetuo cum lacrymis, ut forte misereatur tui Deus, et exuat te veteri homine. » Sed S. Benedicti textum expendamus.

Quinque potissimum hic præcipit S. Pater. Primo peccatorum confessionem, quæ, ut dicit S. Bernardus (*Epist.* 113), « peccatoris est vita, justi gloria, et peccatori necessaria, et justum nihilominus decet. »

Secundo vult confessionem illam peccatorum esse præteritorum, cupit enim non esse præsentia : præterita autem vocat ea quæ in sæculo ante conversionem commissa sunt : quæ semel facta, nullum ab eo committi voluit, cujus angelica prorsus esse vita debuisset, ut observat Hildemarus. Vel etiam quia, ut loquitur Bernardus Cassinensis, « utilis est memoria præteritorum peccatorum, quia ex illa tollitur præsumptio, et humilitas conservatur, et virtus bonæ operationis acquiritur, sicut ex appositione fimi terra magis fecundatur et fructificat. » Eadem similitudine utitur Candidus in Vita Eigilis abbatis Fuldensis n. 26.

Tertio, idque cum lacrymis vel gemitu, quod Deum summæ bonitatis et infinitæ clementiæ offenderit, quod diaboli servum per peccatum se constituerit, quod æterna cœli gaudia per modicam momentaneamque delectationem amiserit, et nunquam finienda gehennæ incendia meruerit. Et bene cum lacrymis, quia « sicut ignis stipulam depascit, ita lacrymæ sinceræ quidquid sordium vel apparet vel non apparet abluunt et delent, » ut dicit S. Joannes Climacus (*Grad.* 7).

Neque vero S. Benedictus simpliciter dixit *cum lacrymis* ; sed apposite addidit *vel gemitu* ; quia multi sunt quos lacrymarum gratia Deus non donat, qui interim tamen salubriter gemere possunt, quemadmodum B. Alcuinus (*In ejus Vita, n.* 14 *sæc.* IV *Bened., part.* I), qui « secretissimam orationem semper in die . . . cum manuum diutina crucis extensione . . . . multis cum gemitibus (nam lacrymas perraro habere poterat) fundebat. » E contra vero S. Benedictus abbas Anianensis, de quo Smaragdus scribit (*In ejus Vita n.* 56, *ibid.*) : « Quis unquam solum nisi flentem reperit? quis ad eum subito ingrediens siccas ejus **147** reperit genas ? et non prorsus aut humi prostratum, aut cœlo erectis manibus stantem ; aut ne sacri voluminis nimiis humectarentur fletibus paginæ, pugnis recipientem lacrymas invenit ? » *Vide* Vitam S. Filiberti n. 6 et 12, S. Ansberti n. 9, S. Cuthberti cap. 16, sæc. II Bened., S. Adalardi auctore Paschasio n. 25, et Valæ ejus fratris l. I, cap. 10, ubi similia referuntur.

Quarto, id fieri *quotidie* S. Benedictus præcipit, quia « nec reis in carcere gaudium ullum, nec veris monachis in terra lætitia debet esse (*S. Joan. Climac., grad.* 7). » In his tamen aliqua discretione utendum est : unde suos alloquens S. Bernardus dicebat (*Serm.* 11 *in Cant.*) : « Suadeo vobis amicis meis reflectere interdum pedem a molesta et anxia recordatione viarum vestrarum, et evadere in itinera planiora serenioris memoriæ beneficiorum Dei, ut qui in vobis confundimini, ipsius intuitu respiretis. Volo vos experiri illud quod propheta consulit dicens : *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Et A quidem necessarius dolor pro peccatis ; sed si non sit continuus, sane interpoletur lætiori recordatione divinæ benignitatis, ne forte præ tristitia induretur cor, et desperatione pereat. Misceamus absinthio mel, ut salubris amaritudo salutem dare tunc possit, cum immixto temperata dulcore bibi poterit, » etc.

Quinto, denique *de ipsis malis de cætero emendare*, quia « ista est vera pœnitentia, quando sic convertitur quis ut non revertatur, quando sic pœnitet ut non repetat, » inquit S. Aug. seu quivis alius (*Serm.* 117 *in append.*). Et certe, ut ait ad hunc locum Smaragdus, « qui plangit peccatum, et iterum admittit peccatum, quasi si quis lavet laterem crudum, quem quanto magis laverit, tanto amplius lutum facit. » Apposite omnino Petrus Dam. (*Opusc.* 52, *cap.* 22. *Vid. lib.* II, *epist.* 13, *et S. Bern. Serm.* 3 *in Cant.*) : « Serpens, cum bibere concupiscit, ante venenum evomit ; hausta vero sufficienter aqua, ad locum ubi vomuerat redit, vomitumque resumit : nos etiam, B cum cœlestis eloquii fluenta desideramus haurire, per conatum puræ confessionis omnia vitiorum et lapsuum venena debemus evomere, sed absit ut revertamur ad vomitum ! »

Desideria carnis non perficere.] Juxta illud Petri apostoli : *Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.*

Voluntatem propriam odire.] Voluntas propria, ut ait Smaragdus, et citatus a Bernardo Cassinensi et Boherio Petrus Diaconus, est ea quæ privata, et singulariter sua est, quam nullus alius approbat, nullus justam esse proclamat. Vel, secundum S. Bernardum (*Serm.* 2 *Temp. Pasch.*) : « Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo et hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non attendentes placere Deo et prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. » Hujusmodi voluntatem hic C jubemur odisse, et quidem merito, nam, ut ait S. Petrus Damiani seu quivis alius (*Serm. de S. Bened.*) : « Nullum aliud onus est gravius homini, quam homo ipse : quis enim tyrannus crudelior, quæ sævior potestas homini, quam hominis ipsius **148** voluntas ? Nunquam ab ea requiescere, nunquam sedere licet ; et quo amplius te ad obediendum sibi noverit fatigari, eo magis urget, instigat, et onerat, pietatis immemor, misericordiam nesciens : hoc enim proprium habet propria voluntas, ut quo obediens obedientior fuerit sibi, eo amplius eum crudelioribus vinculis innectat. » Neque hic solum præsenti hoc in sæculo suam in nos tyrannidem exercet propria voluntas, sed multo amplius in futuro, ut pote quæ æternam nobis damnationem acquirat : unde S. Bernardus (*Serm.* 11 *de divers.*) : « Caveamus a propria voluntate tanquam a vipera pessima et nequissima, quæ sola deinceps damnare possit animas nostras ; » et alibi (*Serm.* 2 *Temp. Pasch.*) : Cesset propria voluntas, et infernus non erit. » Et apud Cassianum (*Coll.* 24, *c.* 25) abbas D Abraham : « Perditio nostra est oblectatio vitæ præsentis, et, ut expressius dicam, exsecutio desideriorum voluntatumque nostrarum. »

Præceptis abbatis in omnibus obedire.] Juxta illud Scripturæ : *Facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram ; qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum ex Israel* (*Deuter.* XVII). Et sane, quemadmodum ratiocinatur S. Basilius (*Constitut. monast. c.* 20) : « Si qui artifici cuipiam manuario ex illis qui ad præsentem vitam nobis usui sunt, seipsum commisit, omnibus modis illi obtemperat, nec aliqua in re jussis illius contradicit, neque vel modice illum deserit, sed perpetuus est in oculis præceptoris, et cibum ac potum reliquamque diætam

non aliter exspectat, quam juxta illius definitum A præscriptum; quanto magis qui ad pietatis et sanctimoniæ disciplinam accedentes semel hoc sibi ipsis persuaserunt, quod apud istum præceptorem talem scientiam acquirere valeant, omnem obtemperantiam et exactissimam obedientiam præpositis suis exhibebunt, et non exigent præceptorum rationem, sed opus illorum perficient, nisi forte quantum eos quidquid ad salutem conducat ignorant, honesta et competenti reverentia interrogare et instrui decet! »

Quod autem S. Benedictus ait *in omnibus obedire*, caute est intelligendum. Nam primo, quoad peccata, nulla debetur prælatis ea præcipientibus obedientia, ut docent inter alios S. Basilius in Regulis brev. interr. 114, S. Bernardus Serm. 41 de diversis et epistola 7, Petrus Blesensis epist. 131, et S. Theresa in Fundationibus suorum monasteriorum cap. 17.

Secundo, nec potest abbas monachis quidquam quod non sit in Regula, aut saltem secundum Regulam imperare, nec ei eo casu tenentur fratres obedire. Ita docet Petrus Venerabilis ad S. Bernardum scribens in hæc verba (*Lib.* I, *ep.* 28, *sub finem*): « Sicut eos qui, oblectamenta mundi fugientes, ejus aspera ob majus meritum discrete amplectuntur, omnino scimus esse laudandos; sic illos qui alios ad id quod non proposuerunt, et quod non expedit, violenter cogere volunt, dicimus non esse prorsus **149** audiendos. » Et S. Bernardus in epistola ad Simonem abbatem S. Nicolai (*Epist.* 84): « Invitandi sunt ad arctiorem vitam, non cogendi, quibus utique semel in ordine Cluniacensi præesse consensisti. » Rationem alibi hanc reddit S. doctor (*De Præc. et disp. c.* 4): « Non parum prælati præscribitur voluntati, quod is qui profitetur, spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinate secundum Regulam, nec aliam quam S. Benedicti, ut oporteat eum qui præest non frena suæ laxare voluntati super subditos, sed præfixam ex Regula sibi scire mensuram, et sic sua demum imperia moderari C circa id solum quod rectum esse constiterit, neque quodlibet rectum, sed hoc tantum quod prædictus Pater instituit, aut certe quod sit secundum quod instituit; sic se quippe habet professio: *Promitto, non quidem Regulam, sed obedientiam secundum Regulam S. Benedicti, non secundum voluntatem præpositi,* » etc.

Tertio, sicut nihil ultra, ita nihil contra aut citra Regulam abbas jubere potest, v. g., sano manducare carnes, a nocturnis abesse vigiliis, aut aliquid hujusmodi, nec tali fratres tenentur obtemperare mandato: « Ergo nec prælati jussio, inquit iterum S. Bernardus (*De Præc. et disp.*, *c.* 5), vel prohibitio non prætereat terminos professionis; nec ultra extendi potest, nec contrahi citra: nihil me prælatus prohibeat horum quæ promisi, nec plus exigat quam promisi; vota mea non augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate. » Ratio est quia « absque necessitate remissio voti non dispensatio, D sed prævaricatio est, » ut loquitur idem S. doctor.

Etiamsi ipse, quod absit, aliter agat.] Obedientes apostoli Petri præcepto: *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis*: in his enim jus et potestas imperandi residet, a qua nec malis moribus excidunt, nec minus quam boni, Christi in nos vices gerunt: unde apposite ad hunc locum Petrus Damiani (*Opusc.* 13, *c.* 20): « Nolite, ait, de vestrorum priorum perperam forte viventium meritis disputare, et non qua via gradiuntur, sed cujus vice funguntur attendentes, illis in Christo humiliter obedite. »

Memores illud dominicum præceptum: « Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt facere nolite. » Quo respexisse videtur Petrus Blesensis, cum dixit (*Epist.* 131): « Si autem vitæ nequioris est abbas, ei tamen ex charitate obedire oportet; scriptum est enim: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite.* »

Non velle dici sanctum antequam sit, sed prius esse quod verius dicatur.] Sanctitatem appetere, bona opera exercere omnes debemus, cum id ante omnia Deus jusserit: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum;* at vero velle dici sanctum non est Christianorum, multo minus monachorum, sed paganorum; nisi forte fraternæ charitatis intuitu: « est enim cum utiliter humanas laudes recipimus, inquit S. Bernardus (*Serm.* 83 *de divers.*), fraternæ duntaxat charitatis intuitu, et ad salutem eorum qui nobis propterea facilius acquiescunt, » sicut fecit Apostolus, qui prædicationes et revelationes ipse prædicavit: at vero extra **150** causas hujusmodi, qui laudes humanas appetit similis est nudo cuidam, qui laceram et attritam vestem aut quodvis aliud tandem invenire cupit, quo nuditatem et ignominiam contegat, inquit S. Dorotheus.

Quod vero additur, *sed prius esse quod verius dicatur,* non sic capiendum est, quasi post acquisitam sanctitatem appetere laudes humanas licitum esset; sed B nos voluit prius esse sanctos, ut si quando vel inviti tales prædicemur, verum tunc dicatur.

Præcepta Dei factis quotidie adimplere.] Quid per præcepta Dei hic debeamus intelligere, eleganter explicat Petrus Venerabilis ad S. Bernardum sic scribens (*Lib.* I, *epist.* 28): « Divina mandata dicimus non solum ea quæ per seipsam in carne Divinitas apparens hominibus tradidit, aut ea quæ per apostolos teneri constituit, sive illa quæ ante susceptam carnem per patriarchas vel prophetas mandavit; sed etiam illa quæ post apostolos viri apostolici, apostolica vestigia secuti, unanimi multorum consensu servari præceperunt: idem enim divinus Spiritus, qui priorum Patrum cordibus se infundens humanæ saluti congruentia per eos dedit præcepta, per hos quoque, qui recentiores videntur, hominum salutem operari salubria jubendo non destitit. »

Castitatem amare.] Propter summam ejus excellentiam, quæ « Deo nos familiares et, quantum humana natura patitur, similes efficit, » ut loquitur S. Joannes Climacus (*Grad.* 15), aut saltem angelis ipsis, juxta vulgatam Patrum sententiam, in primis S. Bernardi abbatis, ad Henricum Senonensem episcopum de castitate ita scribentis (*Epist.* 42): « Quid castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus et angelus, sed felicitate, non virtute; sed etsi illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur. » Idem sentiebat Petrus Venerabilis, qui in epistola ad Margaritam et Pontiam, neptes suas, sic disserit (*Lib.* VI, *epist.* 39): « Non patientia, non humilitas, non charitas, non quælibet alia virtus soror dicitur angelorum, sed virginitas; hinc B. Hieronymus: *Bene ad virginem angelus mittitur, quia semper angelis est cognata virginitas*; profecto in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis; unde in carne angelicam gloriam acquirere, majus est meritum quam habere; esse enim angelum felicitatis est, esse vero virginem virtutis est. » Et infra: « Quid pluribus exsequar laudem castitatis? Castitas etiam angelum fecit, et qui eam servavit angelus est. »

Notandum vero S. Benedictum non præcise dixisse *virginitatem amare*, sed *castitatem*; quia paucorum est illa virtus, quam in omni non modo corporis, sed etiam cordis incorruptione reponunt. Et sane S. Basilii, cujus castitatem tantopere commendat S. Gregorius Nazianzenus in orat. funebri ad ejus laudem, dictum fertur: *Et mulierem ignoro, et virgo non sum*; et ipse ad Chilonem discipulum scribens ait: « Et quidem flagitium vitavi fornicationis, at munditiæ virginalis florem **151** arcana cordis cogitatione fœdavi. » At vero castus esse etiam post amissam virginitatem nullus non potest.

Porro quod jubemur *amare*, summo proinde studio jubemur custodire; in quo plane redarguendus

venit error quorumdam, qui, ut scribit Boherius, cum nullibi in Regula de castitate aliquid legant, monachum castitatem haud vovere affirmaverunt, quasi vero monastica professio castitatis, ut paupertatis et obedientiæ votum non includeret. Et nonne nos puderet in castris Christi morantes non caste vivere? cum in antiquis militum, maxime Romanorum, castris castitas servaretur, ut scribit Bernardus Cassinensis : unde et *castri* nomen ortum, quod milites in eo degentes castrati viderentur.

Ad servandum autem pretiosum castitatis thesaurum plurima conferunt, quæ isthic etiam congerere non erit fortassis penitus otiosum. In his recensent imprimis jejunium, otiositatis fugam, novissimorum recordationem, frequentem Eucharistiæ perceptionem, orationem, humilitatem, Dei præsentiam, patientiam, et solitudinem fugamque mulierum : de quibus pauca subjicio.

Primo ergo, qui incorruptam servare castitatem desiderat, jejunio ante omnia corpus affligere debet, vulgare est enim proverbium : *Sine Cerere et Baccho friget Venus;* et econtra. Hinc S. Ambrosius (*Lib.* I *de Pœn.*) : « Libido, inquit, gravis ignis est, et ideo non debemus illi alimenta præbere. Luxuriæ pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate flammatur. » Et S. Joannes Climac. (*Grad.* 14) : « Qui servit ventri suo, et interim conatur spiritum luxuriæ vincere, perinde facit atque is qui incendium vult oleo superare. » Quapropter, « Sanctissimi principes monachorum cupientes amputare libidinis causas, victum nobis parcum et tenuem constituerunt ad certam mensuram, quo corpus sustentetur ad necessitatem, et non incrassetur ad libidinem, » ut scribit Trithemius (*Homil.* 21).

Jejunii autem nomine cuncta macerationis genera vulgo intelligunt, quibus usi persæpe leguntur sancti, ut fœdos libidinis æstus exstinguerent. Ita monachus quidam omnes ad lucernæ flammam sibi digitos incendisse dicitur, ne libidinis flamma cor suum ardere permitteret (*Lib.* V *de Vit. Pat.*, *libello* 5, *n.* 37). Ita S. Benedictus (*S. Greg. l.* II *Dialog.*, *c.* 2) carnis tentatione afflictus, in spinas et vepres corpus nudum provolvit. Ita S. Bernardus (*In ejus Vita l.* I, *c.* 3), quod curiosius feminam aspexisset, stagno gelu constricto collo tenus se immersit. Alii flagellis, ciliciis, vigiliis, chameunis, ferreis catenis carnis tentationes impugnarunt, et vicerunt. *Vide* Regulam B. Aelredi ad Virgines, cap. 26 et 27.

Secundo. Quia non minus castitati quam ipsi animæ inimica est otiositas : « Qui thesaurum magnum in fragili corpore portatis, inquit Trithemius (*Homil.* 21), otium fugite, semper aliquid boni facite, ut quoties tentator diabolus accesserit, utiliter vos occupatos inveniat. Enimvero qui otiosus est, insidiis patet tentantis; qui autem occupatur in opere bono, aditum clausit omnem insidiis. » Certe terrere nos debet quod scribit S. Joannes Climacus (*Grad.* 2) : « Multos vidimus in sæculo præ curis, **152** sollicitudinibus, nugis, vigiliisque, corporis sui furiosam tyrannidem fugisse, qui postquam ad religiosæ quietis et secretæ vitæ silentium se contulerunt, per refractarios corporis motus misere sunt inquinati et polluti. »

Tertio. Ad tuendam servandamque castitatem plurimum valet novissimorum, maxime inferni meditatio : id quod sordida cogitatione impugnato alicui fratri familiari hac similitudine edocuit quidam senex (*Lib.* V *de Vit. Pat.*, *libello* 5, *n.* 30) : « Mulier quando vult ablactare filium suum, aliquid amarum superungit uberibus suis, et cum venerit infans ex consuetudine lac sugere, sentiens amaritudinem refugit : mitte ergo et tu amaritudinem in cogitatione tua. » Petenti vero fratri quam amaritudinem poneret, respondit cogitationem mortis et tormentorum quæ in futuro sæculo peccatoribus reservantur.

Quarto. Inter alia servandæ castitatis media, suadent frequentem sacrosanctæ Eucharistiæ percep- A tionem, ut pote quæ sit frumentum electorum, vinum germinans virgines. « Sedat enim, cum in nobis manet Christus, sævientem membrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi exstinguit, » inquit S. Cyrillus (*Lib.* IV *in Joan.*, *cap.* 17). Unde et S. Bernardus suos alloquens (*Serm. in Cœna Domini*), « Si quis, ait, vestrum non tam sæpe modo acerbos sentiat iracundiæ motus, invidiæ, *luxuriæ*, aut cæterorum hujusmodi; agat gratias corpori et sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo. » *Vide* Cassiani collat. 22, cap. 6.

Quintam servandæ castitatis rationem suo exemplo edocet Sapientia, cum dixit : *Cognovi quod non possim esse continens, nisi Deus det : adii Dominum et deprecatus sum* (*Sap.* VIII). Quotiens ergo motum carnis inordinatum senseris, quotiens hostem adesse invisibilem ad nocendum perceperis, mox ad pendentem in cruce Filium Dei confugito. Hortatur etiam Aelredus (*In Regul. c.* 25), ut ad B. Virginem Mariam potissimum recurramus.

B Sexto. Castitatem. « Seniores aiunt apprehendi non posse, nisi prius in corde humilitatis fundamenta fuerint collocata, » inquit Cassianus (*Lib.* VI *Instit. c.* 18). Et S. Gregorius (*Lib.* VI *Moral. cap.* 25) « nullam dicit esse castitatem, quam non commendat humilitas mentis. » Cui concinit illud S. Bernardi (*Lib. de Amore Dei*, *n.* 30, *tom.* III) : « Castitas superba non castitas est, sed ornatum diaboli prostibulum. »

Septimo. Perfectæ castitatis statum perpetuo tenere poterimus ex Cassiano (*Lib.* VI *Inst.*, *c.* 21) : « Si Deum non solum secretorum nostrorum actuum, verum etiam cogitationum cunctarum diurnum pariter nocturnumque inspectorem esse et conscium cogitemus, ac pro omnibus quæ in nostro corde versantur, sicut pro factis et operibus nostris rationem nos ei reddituros esse credamus. »

Octavo. « Quantum quis in lenitate ac patientia cordis, tantum in corporis puritate proficiet; quantoque longius iracundiæ propulerit passionem, tanto C castitatem tenacius obtinebit : non enim æstus corporis declinabit, nisi qui animi motus ante compresserit, quod apertissime Salvatoris nostri ore laudata beatitudo declarat : *Beati mites, quoniam* **153** *ipsi possidebunt terram.* Non ergo aliter nostram possidebimus terram, id est non alias ditioni nostræ rebellis hujus corporis terra subdetur, nisi mens nostra prius fuerit patientiæ levitate fundata, nec poterit adversus carnem suam libidinis bella comprimere, nisi prius armis mansuetudinis instruatur. »

Denique castitas amans est solitudinis, nec efficacius aut magis præsens adversus omnes carnis impressiones remedium existimaverunt SS. Patres, quam fuga mulierum, ut hostem quasi fugiendo vincamus; tutam castitatem non credentes hoste præsente. Ita S. Cæsarius (*Serm.* 293 *in append. Serm. S. August.*) : Contra libidinis impetum « apprehende fugam, si vis obtinere victoriam; nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obti- D nere. Unde, fratres charissimi, ab omnibus Christianis, præcipue tamen clericis, sive monachis indigna et inhonesta familiaritas fugienda est, quia sine ulla dubitatione qui familiaritatem non vult vitare suspectam, cito dilabitur in ruinam. » Et paulo post : « Quod autem libidinem fugiendam esse suggerimus, apostolus Paulus evidenter ostendit, qui cum omnibus vitiis prædicaverit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit resistite, sed fugite fornicationem, ac sic contra reliqua vitia, Deo auxiliante, debemus in præsenti resistere, libidinem vero fugiendo superare, licet alibi in Scripturis divinis legimus : *Noli*, inquit, *in faciem virginis intendere, ne te scandalizet vultus ejus.* » Idem docent S. Hieronymus scribens adversus Vigilantium sub finem, et Cassianus lib. VI Institutionum, cap. 5; quibus concinit illud Goffridi abbatis Vindocinensis (*Lib.* IV, *ep.* 41) : « Ubi inordinate sæcularis est assiduitas, diu deesse non creditur grandis iniquitas,

maxime in loco in quo sexus femineus habitare permittitur, per quem etiam religiosæ personæ suspectæ habentur. » At constantiores etiam animos terrere debent hæc S. Bernardi verba (*Serm.* 65 *in Cant.*) : « Cum femina semper esse, et non cognoscere feminam, nonne plus est quam mortuum suscitare? » Nec me minus movent, quæ nonnullus ex priscis monachis dicebat (*Joan. Moschus in Prato spirit.*, c. 227) : « Filioli, sal ex aqua est, et si appropinquaverit aquæ, continuo solvitur et deficit; et monachus similiter ex muliere est; itaque si appropinquat mulieri, solvitur et ipse, atque in id desinit, ut jam monachus non sit. » Et Petrus Damiani (*Opusc.* 52, *cap.* 5) : « In quodam monte Orientis lapides sunt igniferi, qui masculus et femina nuncupantur, et dicuntur pyroboli, qui nimirum cum a se invicem procul sunt, non accenduntur. Si vero femina appropinquatur masculo, protinus ex eis ignis egreditur, ita ut omnia quæ circa montem sunt flammis vaporantibus exurantur. Ab ipsis ergo lapidibus edocemur, B ut si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectus faciem declinemus, ne de conspecta forma flamma prosiliat, quæ in nobis non montis, sed mentis fruteta pervadat. »

Nemo ergo jure miretur tantam in priscis monachis feminas vitandi sollicitudinem, ut non solum eis monasterii sui, sed nec oratorii ingressum permitterent, imo nec sui conspectum aut congressum facile concederent.

154 Certe prohibitum olim in virorum monasteria feminis aditum passim testantur antiquæ monachorum regulæ : Regula tertia SS. Patrum (*Cap.* 4), « familiaritatem omnium mulierum, inquit, tam parentum quam extranearum pro custodienda vita, vel cavendis laqueis diaboli ab omnibus monasteriis, vel culturis monachorum; seu frequentationem monachorum a monasteriis puellarum, sicut regula edocet, prohibere censemus; neque ulla mulier in interius atrium monasterii ingredi audeat. Quod si cum consilio vel voluntate abbatis monasterium, vel cellulas C monachorum quædam fuerit ingressa, merito ipse abbas et nomen abbatis deponat, et inferiorem se omnibus presbyteris recognoscat; quia talis sancto gregi præponi debet, qui eos immaculatos Deo offerre procuret, non per quaslibet familiaritates diabolo sociare festinet. » S. Basilius (*Serm.* 1 *de Instit. monach.*) : « Mulieres a monasteriorum ingressu prorsus arceantur. » S. Cæsarius in Regula ad Monachos cap. 11 : « Mulieres in monasterio nunquam ingrediantur. » Regula S. Ferreoli (*Cap.* 4) : « Nulla penitus mulier ad monasterium, etiamsi pro dilectione expetere videatur, accedat. Similiter eam etiam religiosis feminis vel puellis, ne qua forte occasio minus intelligentibus relinquatur, accedendi licentiam amputamus : quia non potest habitatio in longum esse secura, inimico proximo et hoste vicino. » Denique Regula Tarnatensis monasterii (*Cap.* 20) : « Feminæ vestrum non frequentent habitaculum, sed cum pro devotione sua, vel pro amore religionis ve- D stræ expetierint monasterium, non eis concedatur interiores monasterii januas introire; sed in oratorio, aut in hospitali domo reddatur illis honor et gratia. » Hanc veterum monachorum disciplinam confirmant concilium Turonense I (*Cap.* 17) his verbis : « Mulier intra septa monasterii nullatenus introire permittatur; si abbas in hac parte aut præpositus negligens apparuerit qui eam viderit, et non statim ejecerit, excommunicetur. » Concilium Antissiodorense (*Can.* 26) : « Si quis abbas mulierem in monasterio suo ingredi permiserit, aut festivitates aliquas ibi spectare præceperit, tribus mensibus in alio monasterio recludatur, pane et aqua contentus. » Similiter Romanum sub S. Gregorio (*Apud Baron. ann.* 601) cavet « ne in servorum Dei recessibus et eorum receptaculis illa popularis conventus præbeatur occasio, vel mulierum fiat novus introitus, quod omnino non expedit animabus eorum. » Idem jubet S. pontifex ad Castorium Ariminensem episcopum scribens (*Lib.* IV *Reg.*, *cap.* 43); et ad Valentinum abbatem (*Ibid. lib.* III, *cap.* 40), qui feminas in suo admiserat monasterio : « Hujus te præcepti serie, inquit, commonemus, ut neque mulieres in monasterio tuo deinceps qualibet occasione permittas ascendere, neque monachos tuos commatres sibi facere; nam si hoc denuo ad aures nostras pervenerit, sic te severissimæ noveris ultioni subdendum, ut emendationis tuæ qualitate, cæteri sine dubio corrigantur. » In antiqua etiam formula condendi privilegii statuitur (*Exstat Sæc.* IV *Bened.*, *part.* I, *pag.* 744), ut « mulierum accessus intra portas monasterii nullatenus fiat. » His omnibus accedunt civiles imperatorum leges, Justiniani novella 133 : « Non ingredientur omnino neque mulier in monasterio virorum, neque vir in muliebre, vel obtentu memoriæ **155** defuncti illic reconditi, vel ob aliam causam; et maxime si quis fratrem forte, aut sororem, aut quempiam ex genere conjunctis se in monasterio habere dicat; monachis etenim cognatio in terra non est, ut pote qui cœlestem vitam affectent. » Quam legem etiam ad defunctos extendit, decernens « ne virum recondantur in muliebrium monasteriorum sepulcris, neque mulieres in virorum monasteriis seu asceteriis defodiuntor. »

Dicta hactenus confirmat antiqua monachorum praxis, quos nunquam in monasterio feminas introduxisse constat, ut infinitis prope exemplis demonstrari posset : imo nonnulli eo progressi sunt, ut nec animalia sexus feminini, puta vaccas, capras, et alia hujusmodi nutriri in monasteriis suis paterentur; qualis fuit S. Plato Sacundionis monasterii hegumenus, teste Theodoro Studita in ejus Vita n. 23; qualis et ipse Theodorus Studita, ut videre est in ejus Testamento, quod refert Baronius ad ann. 826.

Eamdem disciplinam ultro amplexi sunt posteriores monachorum ordines aliæque religiosæ congregationes. Hanc suis Guigo Carthusiensis prior præscribit his verbis (*In stat. c.* 21) : « Mulieres, terminos intrare nostros nequaquam sinimus, scientes nec Sapientem, nec Prophetam, nec Judicem, nec hospitem Dei, nec filios, nec ipsum Dei formatum manibus protoplastum potuisse blanditias evadere et fraudes mulierum.... Nec posse hominem aut ignem in sinu abscondere ut vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas plantis illæsis, aut picem tangere, nec inquinari. » Et nova Carthusiensium Statuta (*Secunda part.*, c. 6, n. 22) : « Omnibus personis ordinis inhibemus, ne infra domorum nostrarum clausuras, vel clausurarum limitationes fossatis vel signis quibuscunque designatas mulieres ingredi permittant; sed potius quantum poterunt se opponant, et defendant, quantum in eis est, ne intrent; qui vero culpabiles, vel negligentes fuerint in præmissis, si priores fuerint, sint extra sedes suas ubique in conventu usque ad sequens capitulum generale, in quo etiam clament culpas suas; alii vero de ordine usque ad idem capitulum sint in disciplina generali, et obedientias, si habent, amittant. » Idem renovant (II *part.*, c. 20, n. 3) in nova collectione statutorum Parisiis impressa anno 1582, prohibentque auctoritate summorum pontificum Julii II et Pii V, « sub pœnis privationis officiorum quæ in præsentia obtinent, et inhabilitatis in posterum ad illa et ad alia omnia, et suspensionis a divinis ipso facto sine alia declaratione incurrendis. » Nec minus severi videntur Cistercienses, cum in antiquis definitionibus hæc scribunt (*Dist.* 3, *cap.* 5) : « Ingressus mulierum intra septa abbatiarum nostrarum omnino interdicitur, nisi super hoc domini papæ privilegium habuerint speciale, excepto quod, cum major ecclesia noviter dedicatur, per novem dies causa devotionis ecclesiam visitare poterunt; sed nunquam tunc vel alias occasione aliqua intra septa monasterii pernoctare : sicubi contra præsumptum fuerit, discooperiantur altaria, et divinum officium minime in

ecclesia celebretur, quandiu ibidem fuerint 156 A mulieres : faciens autem, vel consentiens, et procurans per litteras apostolicas, vel quoquo modo, si abbas fuerit, omni feria sexta sit in pane et aqua usque ad sequens capitulum generale, ibidem veniam petiturus, et graviter puniendus ; si vero prior, vel subprior, vel cellerarius fuerit, ab officio deponatur, et tribus diebus uno eorum in pane et aqua peragat levem culpam ; alii vero monachi et conversi pœnam similem sortiantur, et ultimi omnium sint per annum. » Hujus decreti praxim (*Exstat in Nomastico Cister.*, *p.* 500) saltem aliqua ex parte videre est in capitulo generali Cisterciensis ordinis anni 1205, in quo hæc recitantur : « Abbas de Pontiniaco, qui contra formam ordinis reginam Franciæ cum aliis ejusdem sexus non paucis in suum monasterium introduxit ad audiendum sermonem in capitulo, ad processionem in claustro, ad reficiendum, et pernoctandum duabus noctibus in infirmitorio, sumpta occasione quod ex rescripto domini papæ, et ex permissione domini Cistercii eidem dominæ patebat aditus illius monasterii, cum eo usque procedendum nec dominus papa, nec abbas Cistercii indulserint, sed nec etiam aliquid tale cogitaverint ; et quia tam enorme factum sustinuit in totius ordinis Cisterciensis injuriam ; licet absque omni retractatione depositionem mereretur in instanti, tamen ad instantiam et petitionem domini Remensis, cui negare quidquam nec volumus, nec debemus, et aliorum etiam episcoporum, ei parcitur in præsenti. Verum ne omnino impunita remaneat tanta præsumptio, extra stallum abbatis maneat usque ad Pascha, nec celebret nisi de necessitate sui officii, et sex diebus sit in levi culpa, tribus scilicet diebus in Cistercio, et tribus in Pontiniaco, uno eorum in pane et aqua hinc et inde. » Cassinenses (*Cassin. Declar. in Reg. S. B.*, *cap.* 53) etiam sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibent, duci aut recipi intra septa regularia monasterii mulieres, sive laicas, sive religiosas ; Cœlestini (*In Const. c.* 11, § 3) sub pœna privationis officiorum, perpetuæ inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, et aliis pœnis in canonicis sanctionibus et Rom. pontif. bullis expressis. Denique Constitutiones congregationis montis Oliveti pauca hæc habent (*Part.* II, *c.* 53) : « Mulieres nunquam (inviolabiter servata bulla Pii V super hoc edita) in monasterium ab abbate admittantur. »

Porro quæ hactenus a nobis dicta sunt de mulierum in monasteria virorum ingressu prohibito, idem e converso asserendum de viris in cœnobia virginum : illis nimirum interdictum fuisse omnem aditum, ut patet ex supra citata Justiniani novella 133, ex S. Isidoro in lib. II de Eccl. officiis cap. 15, ex Vita S. Liobæ cap. 1, in quo refertur duo in Angliæ loco, qui dicitur Winbrunno, fuisse cœnobia, virorum unum, feminarum alterum, « quorum ab initio fundationis suæ utrumque ea lege disciplinæ ordinatum est, ut neutrum eorum dispar sexus ingrederetur ; nunquam enim virorum congregationem femina, aut virginum contubernia quisquam virorum intrare permittebatur, exceptis solummodo presbyteris, qui in ecclesias earum ad agenda missarum officia tantum ingredi solebant, et consummata oratione statim ad sua 157 redire. » Et cap. 2, S. Tetta, ejusdem monasterii abbatissa, dicitur « non tantum laicis aut clericis, verum etiam ipsis quoque episcopis in congregationem earum » negasse ingressum, excepto nimirum altaris officio. Idem videre est in privilegio Joannis papæ IV, pro sanctimonialibus cujusdam cœnobii B. Mariæ in Gallia, in quo inter alia summus pontifex vult, ut « episcopus, quem mater spiritalis, paterque monasterii, vel cuncta congregatio voluerit, ad celebranda missarum solemnia in congregatione abbatissæ vel etiam reliquarum juniorum, sacrandi etiam tabulas altaris, in quibus missæ debeant celebrari, habeat facundiam * in eodem monasterio ingrediendi, ad officium scilicet sacerdotalis ministerii, et tales secum ipse pontifex introducat quales vita et religio sancta commendat : quo peracto officio, nihil contingens, nihilque ambiens per concupiscentiæ stimulum, vel rapinæ pravitatis ingenia, sed gratis per omnia agens, ad propria mox regredi non moretur. » Ubi quod ait : *Tales secum ipse pontifex introducat, etc.*, intelligendum videtur de aliis altaris ministris, ut colligimus ex Regulis S. Cæsarii ad virgines, c. 33, et S. Donati cap. 55, in quibus hæc lego : « Nullus virorum in secreta parte in monasterio et in oratoriis introeat, exceptis episcopis, provisore et presbytero, diacono, subdiacono et uno vel duobus lectoribus, quos et ætas et vita commendet, qui aliquoties missas facere debeant. Cum vero aut tecta restauranda sunt, aut ostia, vel fenestræ sunt componendæ, aut aliquid hujusmodi reparandum, artifices tantum et servi, ad operandum aliquid, si necessitas exegerit, cum provisore introeant ; sed nec ipsi sine licentia aut permissu matris. » Addit S. Cæsarius cap. 34 : « Matronæ etiam
B sæculares, vel puellæ, seu reliquæ mulieres, aut viri adhuc in habitu laico similiter introire prohibeantur. » Quid quod nec medicos virginum monasteria ingredi permittat S. Gregorius papa? *Vide* conc. Matisconense I, cap. 2, Forojuliense ann. 791, cap. 12, et novissime Tridentinum, sess. 25, de Regul. c. 5.

Quæ autem ex Regulis S. Cæsarii et sancti Donati, ex privilegio Joannis papæ IV, et ex Vita S. Liobæ modo protulimus, ea non solum probant denegatum prorsus in asceteria virginum viris aditum, sed etiam, quod majus est, in earum oratoria seu ecclesias, quod confirmatur ex concilio Epaonensi anno 517, cap. 38, Arelatensi anno 813, cap. 7, Turonensi III, eodem anno, cap. 29. Idem vice versa de monachorum ecclesiis asserendum est, in quas nullus omnino mulieribus quibuscunque, etiam religiosis, patebat ingressus, ut colligitur tum ex Regula S. Aureliani ad monachos, cap. 15, quæ feminas sive consanguineas,
C sive notas, aut alias ad *Orationem ingredi* non permittit, imo nec viris laicis ; ex cap. 14 ; ex concilio Antissiodorensi cap. 26, quod cavet ne abbas in monasterio mulierem admittat, aut *festivitates aliquas ibi spectare* præcipiat ; ex concilio Romano, in quo S. Gregorius papa prohibet, ne episcopus missas in cœnobio monachorum celebret, ne forte « in servorum Dei recessibus et eorum receptaculis ulla popularis 158 præbeatur occasio conventus, vel mulierum fiat *novus* introitus, quod omnino nec expedit animabus eorum ; » ex supra citata Justiniani novella, quæ nequidem ad celebrandum tertium, nonum, quadragesimum, et annuum defunctorum diem, ad monasteria virorum feminis permittit ingressum ; ex Gregorio Turonensi, referente S. Romanum abbatem Condatiscensem, ut mulieribus ad suum sepulcrum, quod Deo revelante noverat miraculis coruscaturum, pateret accessus, voluisse extra propriam ecclesiam sepultura donari, « Non potest fieri, inquiens, ut ego in monasterio sepulcrum habeam, a
D quo mulierum arcetur accessus. » Atque hic fuit communis ordinis Benedictini usus, generalisque pene omnium monasteriorum nostrorum consuetudo : quod ne quis a nobis gratis confictum esse existimet, quasi singularem quorumdam, et quidem paucorum cœnobiorum praxim, pro generali consuetudine traducere vellemus, rem si non de omnibus, saltem de præcipuis et insignioribus monasteriis certissimis testimoniis demonstrare non erit fortassis ingratum, et utinam aliquando utile !

Atque ut a monasteriis ab ipso S. P. Benedicto constructis exordium ducamus, quamvis non legamus S. Patrem mulieres ab ingressu ecclesiarum exclusisse, nihilominus tamen cum neque in ejus Vita, neque in ejus Regula hunc illis permisisse scribatur, non levis conjectura est, ejus ecclesias mulieribus penitus inaccessas fuisse : saltem id sibi persuasisse videntur olim Cistercienses, cum exemplo S. legisla-

* Sic pro *copiam, facultatem,* nisi malis accusare typographos. EDIT.

toris oratorii aditum feminis denegarunt, uti ipsi testantur in Exordio parvo Cisterciensi, cap. 12. Conjecturam nostram corroborat supra citatum a nobis S. Gregorii decretum, quo interdicitur episcopis in monachorum ecclesiis missas celebrare, ne forte hac occasione mulierum fieret in eas *novus introitus*, quæ verba denotant rem ante prorsus inauditam, alioquin non diceretur *novus*. Certe inaccessam feminis tempore Constantini papæ, hoc est initio sæculi VIII, Romanam S. Anastasii ad Aquas Salvias ecclesiam, constat ex actis quæ refert Baronius ad ann. 613, ubi S. martyris reliquiæ extra monasterium in aliam S. Joannis ecclesiam energumenæ liberandæ gratia delatæ dicuntur, eo quod *in ipsum monasterium*, id est monasterii basilicam, *mulier non ingreditur*. Sed quidquid sit de monasteriis a S. Benedicto institutis, de eo quod post mortem pretioso corporis sui thesauro ditare dignatus est, Floriacensi scilicet, nulla controversia esse potest, post Adrevaldi testimonium in lib. I Mirac. S. Benedicti, cap. 28, ubi agens de reliquiis SS. Dionysii et Sebastiani Floriacensi monasterio concessis, sic loquitur (*Sæc.* II *Bened.*, *pag.* 384) : « Porro quia antiqua auctoritate sancitum erat feminas extra exteriores portas monasterii haudquaquam transitum introrsus habere, hi qui a longe sanctorum memorias secuti fuerant, ad preces convertuntur, ut permitteretur eis poscentibus causa orationis ecclesiam in qua sanctorum reliquiæ depositæ erant, ingredi, votaque sua persolvere : quod quia adversum erat religioni monasticæ, nullo omnino pacto impetrare valuerunt. Illis vero in prece perdurantibus, cœpere etiam quique nobiliores causa 159 tanti rumoris excitati, ad tam venerabile undequaque confluere spectaculum, junctisque precibus vix extorquere quoquo modo ab abbate et fratribus potuerunt, ut extra portam monasterii, ad occidentalem plagam, in loco nemoribus consito tentorium extendi juberet, quo memoriæ sanctorum certo tempore, hoc est vigilia Dominici diei, deferrentur, » etc. Hæc verba *Ex antiqua consuetudine*, et *quia adversum erat religioni monasticæ*, non obiter transcurrenda sunt.

Eamdem fuisse Castrensis S. Benedicti monasterii Galliæ Narbonensis consuetudinem discimus ex Aimoino lib. II de Transl. S. Vincentii, c. 4 (*Sæc.* IV *Bened.*, *part.* I), ubi refert S. martyris corpus illuc translatum non statim in basilica S. Benedicti fuisse repositum, sed « servandum, inquit, venerandumque in ecclesia almæ Genitricis Dei ante ipsius cœnobii portam collocaverunt, ob devotam maxime feminarum frequentiam, quibus monasterii ipsius aditus ex antiqua Patrum ejusdem loci consuetudine denegatur. » Additque : « Decreverunt tamen novam basilicam in ejus honorem monasterio vicinam exstruere, ad quam utriusque sexus personis devotis liber sit accessus. » *Vide* ejusdem libri cap. 17.

Idem institutum in monasteriis a se institutis, qui eodem cum S. legislatore nostro gaudebat nomine, eodemque agebatur spiritu, S. Benedictus abbas Anianensis propagavit, ut colligimus ex anonymi cujusdam sermone (*Exstat in append. ad Vit. S. Bened. abb. Anian.*, *sæc.* IV, *part.* I), ubi agens de basilica Anianensis monasterii, hæc dicit : Hic locus « in tanta prioribus habitus est religione, ut mulieribus ad ipsum arceretur accessus, ne quælibet occasio sanctos regularis observantiæ corrumperet mores, » etc. Quem locum ideo referimus, quia cum plurima Anianensi cœnobio monasteria fuerint subdita, haud dubitamus similem in omnibus viguisse disciplinam. Idem judicium ferendum est de cunctis monasteriis a S. Columbano fundatis, aliisque, ad quæ e suis colonias monachorum transmisit, ut pote quem Theodoricus, agente Brunechilde, Luxovio expulit, eo quod sæculares homines in interiora monasterii recusaret admittere, teste Jona in ejus Vita, n. 33, sive, ut ait anonymus in Vita S. Agili abbatis Resbacensis cap. 7, « eo quod accessum feminarum a præfato monasterio propellebat; » quamvis postea ejusdem S. Agili gratia, uterque, Theodoricus scilicet et Brunechildis, « testamenta nihilominus de præfato cœnobio regali conscripserunt munificentia, quibus deinceps quiete servi Dei per labentia manerent tempora in divini cultus perseverantia *amoto feminarum accessu*. » Quam disciplinam servarunt postea usque ad medium sæculum nonum, quo « Hucbertus clericus, Bosonis filius, monasterium in commemoratione B. Petri Luxovio constitutum, cujus claustri aditus mulieribus nunquam patuerat, hostili modo ingressus, cum illicitis mulieribus per aliquot dies remorari non trepidavit ; » qua de re eum arguit Benedictus papa III in epistola ad episcopos in regno Caroli constitutos.

S. Columbano præiverat S. Joannes Reomensis, qui, ut legimus in ejus Vita, n. 10, nequidem sæculares viros sacris mysteriis interesse sineret, 160 multo minus feminas ; perseveravitque hic ritus, saltem quoad feminas, usque ad secundam S. Joannis translationem, tempore Caroli Magni factam, quo « ipsa rei novitate sexus uterque promiscue ingredi permittebatur ecclesiam, » ut scribit anonymus in historia præfatæ translationis n. 8 (*Sæc.* I *Bened.*, *pag.* 635). « Processu vero temporis, addit idem scriptor (*Ibidem*), ejus loci fratres religioso sancivere consilio atrium cœnobii a frequentia feminarum perpetuo coercere, regulari professioni non integrum fore arbitrantes, muliebri frequenter vel aspectui insuescere, vel alloquio implicari. »

Haud procul a Reomensi distat Besuense S. Petri cœnobium, quod temporibus Pippini regis Angliæ cujusdam Theodardi uxori non tam custodiendum quam diripiendum traditum cum fuisset, *ab ingressu sacrosanctæ basilicæ apostolorum*, prohibentibus monachis, *aliquandiu temperavit*, postea vero audacior facta, temeritatis pœnas divinitus dedit. Auctor Joannes monachus in Chronico Besuensi.

Consimilis exstitit in Calmeliacensi cœnobio religio, agente potissimum S. Theofredo abbate, ut tradit anonymus in ejus Vita, n. 9 (*Sæc.* III *Bened.*, *p.* I) : « Oratorium tanta honestatis cautela providebat, ut... feminei accessus procul haberent sedem circa templi januam. » Ita etiam monasterii « Garactensis ecclesia sarcophagum cum cineribus almi tenet Pardulfi, quæ ad testimonium illius castissimæ vitæ feminam nullam admittit, » ut scribebat anno 1183 Gaufredus, prior Vosiensis. Hæc in memoriam revocant id quod de S. Fiacrio referunt (*Vita S. Fiacr.*, *n.* 6, *sæc.* II), scilicet « ab illo tempore, quo mulier virum Dei accusavit apud episcopum, mulieres in ejus monasterium, » hoc est monasterii ecclesiam, non intrasse, quod quidem hactenus saltem aliqua ex parte observatur, nulla cancellos sacelli sancti confessoris transgredi impune præsumente.

Quid de Majori Monasterio dicam ? cujus basilicam feminis penitus inaccessam docet historia translationis S. Gorgonii n. 8 (*Sæc.* IV *Bened.*, *parte* I), ubi S. reliquiæ « in aperto extra mœnia monasterii loco pro utriusque sexus concursu ad tempus » delatæ describuntur. Idem de Turonensi S. Martini ecclesia dicendum est, in qua canonici eam quam a monachis acceperant disciplinam aliquandiu, etiam abjectis monasticis institutis retinuerunt, uti apparet ex epistola (*Exstat in Spic.* *tom.* II, *pag.* 375) Leonis papæ septimi ad Hugonem principem et abbatem.

Stupenda prorsus atque omni admiratione digna videtur hæc in re S. Carilefi constantia (*S. Siviardus in Vita S. Carilefi*, *n.* 28, *sæc.* I *Bened.*, *p.* 649) : cum enim ejus conspectu aliquando frui desiderasset Ultrogoda regina, missis eam ob rem ad S. virum nuntiis, hoc retulit responsi : « Ite, optimi juvenum, et dominæ vestræ hæc mea verba referte. Si quid prævaleo, pro ea exorabo ; certum tamen habeat, quandiu in corpore fuero, faciem me mulieris nequaquam visurum ; neque hoc cœnobium, quod Domino præcipiente construxi, ingressui mulieris un-

quam patebit. » Quod de ecclesia intelligendum esse manifestum est ex lib. Mirac., n. 12.

In Landeveneco etiam monasterio idem viguit feminis interdictum, **161** testante S. Winwaloei vita tertia apud Bollandum, in cujus n. 4 hæc leguntur (*Boll.* 3 *Mart.*) : « Hujus loci hoc privilegium fuit, ut ex quo tentus est primum a sanctis Dei lege a S. Guingaloeo sancita, femineus illum nunquam temeraret introitus. » Idem de Deensi cœnobio constat ex Ermentario in historia translationis S. Filiberti, ad prædictum monasterium circa medium sæculum nonum factæ (*Sæc.* IV *Bened.*, *part.* I), in qua « dubitatur utrum femineus sexus cum cæteris fidelibus admitti debeat, necne, ut pote cujus frequentatio postquam monachi ibi habitare cœperant, nulla omnino exstitisset. Decerniturque saniori consilio quatenus accessus eis communis tribuatur usque ad expletionem unius anni, » inquit Ermentarius n. 30. *Vide* n. 72.

Jam vero si gradum faciamus ad nostra Normanniæ et Picardiæ monasteria, idem institutum in præcipuis receptum fuisse non minus constabit, ut in Fontanellensi S. Wandregisili, in Madriacensi S. Leufredi, in Flaviacensi S. Geremari. De Fontanellensi etsi non ita eluceat, tamen non obscure colligitur ex lib. Mir. S. Wandregisili cap. I, in quo mulier ex pago Caletensi ob violatum festi diei S. Wandregisili religionem divinitus punita, « poposcit se flebili cum voce ad S. Mariæ basilicam, quæ vicina erat Fontanellæ cœnobio, ejusque ditionis perduci, » cumque S. confessoris ecclesiam aspexisset sanata est. Utquid enim S. Wandregisili patrocinium rogatura, non ejus in ecclesiam, sed in B. Mariæ vicinam se duci poscit, nisi quia feminis erat inaccessa? De Madriacensi res citra controversiam esse debet ex Mir. S. Leufredi cap. 4 (*Sæc.* III, *part.* I, *p.* 593), ubi « femina cæca juxta monasterium adveniens cum cognovisset nullum aditum feminis illuc ingrediendi patere, misit candelam ad memoriam viri Dei per quemdam hominem. » Et in ejus vita n. 6, in loco possessionis suæ oratorium adhuc laicus statuisse dicitur, « ubi nullus introitus nec accessus feminis dabatur. » Similiter de Flavincensi, in quo S. Geremarus ecclesiam ex jussu angeli construxit, hac conditione, ut « mulieribus nullus unquam ad eam accessus patebit, » inquit Vitæ scriptor, n. 24. Similem disciplinam in suo monasterio instituisse Elizachar abbatem Centulensem auctor est anonymus in lib. I Mir. S. Richarii, n. 4, et Hariulfus in Chron. Centul. lib. III, cap. 4.

Sed jam tempus est ut in Belgium pertranseamus. Ibi insigniora haud dubium monasteria censeri debent Elnonense S. Amandi, Sithivense S. Bertini, et Laubiense, in quibus omnibus olim ecclesiæ feminis haudquaquam patebant (*Spicil. tom.* IV). De Elnonensi luculentum habemus testimonium in Supplemento Milonis de vita S. Amandi cap. 6, ubi S. præsulis corpus translatum dicitur ex S. Petri basilica (*Sæc.* II *Bened.*, *p.* 726); « quæ quoniam pro sui parvitate tanti præsulis tumulo visa fuit incongrua, atque etiam secundo sexui propter monachorum habitacula inaccessa, frequenti religiosorum virorum conventu visum est aliam magnitudine præstantem debere ædificari, quæ ex utroque sexu a confluenti illo sufficeret multitudini populari, nimirum extra monasterii ambitum. » De Sithivensi nihilominus constat ex lib. II Miracul. S. Bertini, cap. 12, a tempore **162** S. Abbatis usque ad annum 938 (*Sæc.* III *Bened.*, part. I), quo Adala, Flandriæ comitissa, « cum sæpissime magnis infirmitatibus esset aggravata, desiderare cœpit ut in hoc monasterio ei licentiam monachi darent intrare, ut coram altari S. Bertini pro salute deprecatura liceret se prosternere. » Qua licentia a monachis obtenta, « feria secunda Paschæ introduxerunt eam episcopi in eodem monasterio non sine tremore maximo, quoniam hoc illa prima facere præsumpserat, quod antea reginarum nulla concupiscere vel

A audebat. » Nec deinceps id permissum est ad sæculum usque decimum quartum. Denique de Laubiensi testatur Folcuinus in libro de Gestis abbatum Laubiensium, cap. 4 (*Spicil. tom. VI*), in principalem S. Petri basilicam illicitum fuisse, nisi certo tempore, feminis accessum, id quod Folcuini tempore, qui obiit anno 990, adhuc usus obtinebat : quapropter S. Ursmarus aliam in montis verticem, ad quam populus confluere posset, construxit.

Eamdem in Anglia viguisse consuetudinem, agente præsertim S. Cuthberto, egregio Turgotti testimonio comprobatur in libro II Historiæ Dunelmensis, cap. 17, in quo sic loquitur : « In nullam pene ecclesiarum quas confessor beatus (S. Cuthbertus) sive ante, sive in tempore fugæ, vel post, sui sacri corporis præsentia illustravit, ulla usque hodie feminis esse constat intrandi licentia. » Deinde causam reddit; tum subdit : « Omnibus ergo et viris et feminis consentientibus omne suis et in præsenti et post futuris temporibus

B muliebre interdixit consortium, earumque ab ecclesiæ suæ ingressu penitus amovit introitum. Unde in insula sedis episcopalis ejus facta ecclesia,.... jussit ut illo missas et verbum Dei audituræ mulieres convenirent, ne propius ecclesiæ, in qua ipse cum monachis conversabatur, unquam accederent. Quæ consuetudo usque hodie diligenter observatur, in tantum, ut nisi metus hostilis vel concrematio loci compellat, nec in cœmeteria quidem ipsarum ecclesiarum, ubi ad tempus corpus ejus requieverat, mulieribus introire liceat. » Hæc Turgottus sub finem sæculi XI scribebat. Sed præclara sunt ea quæ de Thorneiensi monasterio refert Guillelmus Malmesburiensis (*Lib.* IV *de Pont. Angl.*, *sub fin.*) : « Ibi solitudo ingens ad quietem data monachis, ut eo tenacius hæreant superis, quo castigatius mortales conspicantur. Femina si ibi videtur, *monstro* habetur; maribus advenientibus quasi angelis plauditur. Cæterum ibi nullus nisi momentanee conversatur. »

Quam in Anglia hauserat disciplinam S. Bonifacius,

C hanc in Germaniam profectus, in monasteriis a se constructis ibidem refudit, ecclesiarum aditu feminis prorsus interdicto, maxime vero in Fuldensi omnium nobilissimo, cujus basilica uni S. Liobæ ob reverentiam S. martyris patebat, ut testatur Rudolfus monachus in Vita S. Liobæ cap. 22 (*Sæc.* III *Bened.*, *part.* II, *pag.* 256), his verbis : « Interdum etiam et ad monasterium Fuldensium monachorum causa orationis venire solebat, quod nec prius, nec postea ulli unquam feminarum concedi potuit, quia loco illi, ex quo a monachis habitari cœptus est, femineus negabatur ingressus : tantum autem **163** huic soli concessus est, propter hoc quod S. martyr Bonifacius eam senioribus eorum commendavit, corpusque illius ibi sepeliendum decrevit. » Scribitque Brouverus (*Lib.* I *Antiq. Fuld.*, *c.* 8) hoc caput a majoribus tam sancte cultum fuisse, « ut privilegiis a Marino papa sæculo IX abbati Hadamaro, et a Silvestro sæculi X ætate Erkembaldo, et a Joanne Richardo subinde,

D aliisque ab aliis pontificibus postea concessis, et nominatim insertum sit, et religiose a posteris observatum. » Id quod probat tum de Lotharii regis uxore, cui die S. Pentecostes sacris interesse in primario monasterii templo non licuit; tum etiam de conjuge Frederici imperatoris, « cui, quia regina in comitatu ejus erat, urbem Fuldam intrare non licuit. » Addit Brouverus emollita semel illa disciplina per Bonifacium papam IX, rogatu Joannis Merlavii abbatis, « anno 1398 templum Fuldense fulmine de cœlo tactum, 7 die Junii conflagrasse, id quod in pœnam violatæ disciplinæ accidisse posteri crediderunt. » Hæc tamen summi pontificis concessio non nisi festum S. Bonifacii aliosque dies festos nonnullos respiciebat, alioqui etiam Trithemii tempore necdum feminis patebat in ecclesia Fuldensi aditus, uti ipse testatur in Vita Rabani.

Hanc circa templa monachorum religionem omnibus in locis, ut potuit, S. Bonifacius induxit : unde

rogatus a B. Altone ecclesiam sui monasterii consecrare (*Sæc.* III, *part.* II, *p.* 218), « cum illo adveniens *more solito* vellet ita consecrare, ut nulla mulier deberet illud intrare, postulavit B. Alto ne tali pacto suum oratorium consecraret. Dixit maxime opus viris sæpius ad opera varia procul egressis, ut uxores eorum domi remanentes orent pro se suisque viris; cui petitioni consentiens, mox S. Bonifacius ecclesiam quidem consecrando tam feminis quam viris fecit esse communem; sed fontem quemdam in eodem loco juxta ecclesiam positum ea benedixit ratione ut mulieri nulli liceret ad eum accedere et haurire. »

His omnibus duo superaddo exempla, unum de Stabulensi monasterio ex lib. Mir. S. Remacli episcopi Trajectensis, cap. 20, in quo mulier contracta ad sancti reliquias adducta dicitur (*Sæc.* II, *pag.* 501), quæ « quia non facile apud nos nisi certa ex causa feminæ admittuntur, ante fores cœnobii deponitur, » inquit anonymus scriptor. Alterum de Andaginensi cœnobio eruitur ex lib. Mirac. S. Huberti, cap. 6, ubi hæc lego (*Sæc.* IV, *part.* I, *p.* 298) : « Tunc temporis sub venerabili Sevoldo tanta in loco erat religionis reverentia, ut quibusque sæcularibus difficilis esset ibi conveniendi licentia, nullusque ingrediendi aditus concederetur feminis, nisi in annuali festo ipsius pontificis. » Sevoldus porro Andaginense monasterium rexit annis 19 ab an. 836.

Ex dictis hactenus satis demonstratum puto, non singularem quorumdam, sed generalem pene omnium monasteriorum fuisse consuetudinem feminas a templis monachorum arcendi; quam in ipso nascentis ordinis sui exordio arripuerunt Carthusienses Cisterciensesque monachi, retinentque etiam nunc summa cum laude ubique Carthusienses, **164** in ipso vero Cisterciensi cœnobio, aliisque forsitan nonnullis Cistercienses; nam passim nunc eorum ecclesiæ patent feminis, quas in Pontiniacensi solis Anglicanis mulieribus ob reverentiam S. Edmundi olim aperiebant, teste Matthæo Parisio ad annum 1250.

Camaldulenses non modo ecclesiam claudunt feminis, sed nec accessum quidem ad silvam, in qua sita erat, permittunt. « In circuitu autem dictæ eremi (Camaldulensis), inquit Hieronymus monachus Camald. in serm. de S. Romualdo n. 63, est pulcherrima silva lignorum abietum per spatium unius milliaris Italici, quam silvam abietum nulla mulier potest ingredi sub pœna excommunicationis latæ per dominum papam sententiæ. »

At non modo monasterii aut oratorii introitum feminis olim denegarunt veteres monachi; sed nec eas etiam ad colloquium admittendas esse censuerunt : unde rogatus aliquando S. Pachomius a quodam, ut filiam energumenam liberaret, respondisse fertur (*In ejus Vita cap.* 36) : « Non est nobis consuetudo cum mulieribus loqui. » Et S. Carilefus ad missos ab Ultrogotha regina ejus conspectu frui desiderante : « Certum habeat, quandiu in corpore fuero, faciem me mulieris nequaquam visurum (*In ejus Vita n.* 28, *sæc.* I). » Et apud Cassianum (*Lib.* II, *c.* 17) : « Hæc est antiquitus Patrum permanens nunc usque sententia.... Omnimodis monachum fugere debere mulieres, et episcopos, etc. » Episcopos quidem propter manuum impositionem ; feminas propter periculum. Sed quia nonnunquam aliud suadet necessitas, tunc quidem non nisi breviter, idque raro cum eis loqui permittit S. Basilius in constitutionibus monasticis cap. 4, et quidem præsente socio; « solum enim ad solam accedere, inquit, nulla religionis ratio permittit : melius est enim esse duo quam unus; simul enim et fidelius et tutius res geritur. » Idem decernit Regula S. Ferreoli (*Cap.* 4) his verbis : « Quemlibet fratrum evidens causa colloquium cum feminis duntaxat honestis habere compulerit, sciente vel permittente abbate, et adhibitis testibus, id est junctis duobus ex fratribus, accipiant licentiam colloquendi; ita tamen ut abbas causam de qua collocutio exstiterit non ignoret. » Idem etiam sub gravissimis pœnis S. Columbanus (*In Pœnitent.*, *n.* 31) : « Qui solus cum sola femina, sine personis certis familiariter loquitur, maneat sine cibo, vel duobus diebus in pane et aqua, vel ducentis plagis. » Et S. Fructuosus (*In Reg. monast. comm. cap.* 15) : « Quod si de supra taxatis quispiam solus cum sola fabulare deprehenditur, centum ictibus extensus publice verberetur; et qui talia facere præsumit, cum cautione admoneatur. Quod si abusive habuerit monachorum præcepta, et hanc secundo geminaverit culpam, verberatus denuo carceri mancipetur, aut si pœnitere noluerit, foras projiciatur. » Eumdem morem etiam viguisse apud nostros Cluniacenses colligitur ex Joanne monacho in lib. I de Vita S. Odon., n. 36.

Denique his omnibus addendum est quod inter Patrum Apophthegmata legimus (*Tom. I Mon. Eccl. Græc.*, *p.* 517) : « Hæc in Sceti consuetudo invaluerat, ut si accessisset mulier ad loquendum fratri, vel alteri necessario suo procul invicem **165** sedentes colloquerentur. » Vide quæ supra retulimus ex mss. Consuetudinibus S. Benigni Divionensis de officio eleemosynarii, p. 124, et in lib. V de Antiq. monachorum Ritibus, de fratribus in viam directis, quæ omnia declarant quam horrerent Patres nostri quarumcunque feminarum vel levissimam conversationem, et quantum nos ab earum colloquio, quod quidem prodesse nihil, obesse plurimum potest timere debeamus. Et utinam æque abhorreamus ac S. Joannes abbas Gorziensis, qui adhuc laicus (*In ejus Vita n.* 16, *sæc.* V *Bened.*) « tantum pudicitiæ virtus mentem ejus totam pervaserat, ut quo forte loco mulierem sedisse conspexerat, nullo pacto, illa recedente, eodem ipse vel fatigabundus succederet. » Sed de his satis, si tamen hac de re satis dici potest. *Vide* S. Basil. Regulam ex versione Ruffini interrogat. 197 et 198; Vitam S. Paterni episcopi n. 9, sæc. II Bened., pag. 1102; et S. Hugonis episcopi Gratianopolit. n. 15, apud Boll. I April.

Nullum odire.] Recte enim S. Basilius (*Serm.* 2 *de Instit. mon.*) : « Si Deus, ut dicit Joannes, charitas est, necesse est omnino diabolum esse odium. Quemadmodum igitur, qui charitatem habet, is Deum habet; sic et qui odium habet, diabolum in se ipso nutrit. » Quare de monachis monasterii Alexandriæ narrat Joannes Climacus (*Grad.* 4), « quod si quis ex illorum contubernio aliorum osor deprehenderetur, hunc pastor in sejunctum ab aliis cœnobium, tanquam reum in exsilium amandabat; cumque convictus esset aliquando quidam frater alteri, ex templo conviciatorem ejici præcepit, dicens non debere duos dæmones esse in cœnobio, unum visibilem, et alterum invisibilem. »

Zelum non habere, invidiam non exercere.] Zelum scilicet amaritudinis malum, qui separat a Deo et ducit ad infernum, de quo cap. 72. Et invidiam, per quam mors intravit in orbem terrarum. *Vid.* Cass. coll. 18, cap. 17; et Regulam S. Ferreoli, cap. 9.

Contentionem non amare.] « Contentio, ex S. Basilio (*Regul. brev. interr.* 66), est, quandocunque quis ne altero inferior videatur, facere aliquid studet. » Hanc idem S. doctor tanquam *meditationem et viam ad rebellionem*, a monasteriis amandari jubet; unde et in pœnis quæ sub ejus nomine exstant inter ejus opera n. 21 (*Serm.* 2 *de Instit. mon.*), ista habetur : « Si quis de Scripturis contentiose disputat, careat benedictione. » Et in Regula S. Pachomii (*Art.* 118) lego : « Si inventus fuerit unus e fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens majoris imperio, increpabitur juxta mensuram peccati sui. » Quæ totidem verbis exstant in Regula Orientali cap. 14 (*Tom. I Mon. Eccl. Græc.*, *pag.* 561). Quid ergo? « Si quis locutus fuerit de qualibet re, aiebat abbas Matoes, ne contendas cum eo · sed si recte disserit,

dic : Etiam ; si vero male, dicito : Tu scis quomodo A loquaris ; neque concerta cum illo de rebus quas protulit ; atque hæc est humilitas. » Hinc S. Columbanus in Pœnitentiali : « Qui fratri, inquit, aliquid judicanti responderit : Non ita est ut dicis, præter seniores junioribus dicentes simpliciter, suppositione silentii, aut quinquaginta percussionibus (supple plectatur.) Nisi hoc tantum licet coæquali fratri suo, si veracius est aliquid **166** quam ille dicit, et recordatur : Si bene recolis, frater ; et alter hoc audiens non affirmet sermonem suum, sed humiliter dicat : Spero quod tu melius recorderis, ego per oblivionem in verbo excessi, pœnitet me quod male dixi. Ecce verba filiorum Dei.... Cæterum qui se excusaverit, non filius Dei spiritalis, sed Adam carnalis judicetur. Qui si non cito ad portum requiei humilitatis Dominicæ confugerit, nimiarum contradictionum aliis aperiens, in superbia persistens, de libertate sanctæ Ecclesiæ in cellula ob pœnitentiam agendam separetur. »

Elationem fugere.] Cujus quatuor species enumerat B S. Gregorius papa (*Lib.* XXVIII *Moral.*, *c.* 7) : 1° eorum qui bonum a seipsis habere existimant ; 2° eorum qui bonum quidem sibi datum agnoscunt, sed de suo datum, et pro suis meritis accepisse credunt ; 3° eorum qui se jactant habere quod non habent ; 4° eorum qui despectis cæteris, singulariter videri appetunt habere quod habent.

Seniores venerari.] Seniores vocat non solum decrepitos, sed antiquiores, et primos ordine, dignitate, officio, meritis et virtute, quos omnes venerari jubet. « Veneratio autem seniorum, ex Smaragdo, debet esse in verbis et in factis : in verbis, ut eis pauca et rationabilia verba humiliter loquatur, et cum reverentia : in factis autem, ut illo transeunte junior surgat, illo iterum jubente sedeat, illo loquente audiens taceat, interroganti humiliter respondeat, jubenti obediat, inclinato capite benedictionem petat, et in omnibus, ubi rationabiliter res postulat, junior monachus seniori obediat : » C juxta illud Regulæ SS. Pauli et Stephani cap. 3 : « Juniores senioribus sincera subjectione obediant, neque tumenti cervice in quocunque respondeant, aut fastidienti animo et negligente aure imperantibus obedire detrectent, sed unanimiter, et concorditer tam in spiritali opere quam in terreno labore omnes fideli intentione occurrant. »

Juniores diligere.] Duplici ratione junioribus exhibendam esse dilectionem hic docet Smaragdus : 1° quia fratres, 2° quia senioribus sunt obedientes, eisque humiliter serviunt, scriptum est enim : *Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta.* Hinc Regula SS. Pauli et Stephani (*Cap.* 2) : « Seniores, inquit, junioribus affectum paternum impendant, et cum imperandi necessarium fuerit, non tumenti animositate et clamosis vocibus, sed fiducialiter, tranquilla simplicitate, et auctoritate bonæ vitæ ad peragendam communem utilitatem quæ fuerint opportuna injungant. »

In Christi amore pro inimicis orare.] Simile aliquid D in Regula abbatis Isaiæ legitur (*Cap.* 49) : « Si dum sederis in cella tua memineris quod aliquis tibi mala fecerit, surge statim, et ora pro illo in corde tuo, ut parcat illi Deus : ita enim passio quam ejus causa patieris evanescit. »

Cum discordante ante solis occasum in pacem redire.] Illo S. Pater alludit ad illud Apostoli ad Ephes. IV : *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Quem locum tribus modis interpretari **167** possumus. 1° Litteraliter, ut ante materialis solis occasum cum discordantibus in pacem redeamus, ne forte interveniente nocte diabolus, aptum tempus nactus, ea quæ contigerunt magis ac magis inflammet. Atque ita Apostoli locum exponunt S. Ambrosius in psalm. IV ; S. Isidorus Pelusiota lib. II, epist. 189 ; Evagrius in tom. III Monum. Eccl. Græcæ, pag. 72. 2° Allegorice, per solem intelligendo Christum Dominum

A verum justitiæ Solem, qui tunc nobis occidere dicitur, cum gratiæ suæ radios in pœnam discordiæ subtrahit. Ita Cassianus lib. VIII de Ira, cap. 9. 3° Tropice, solem sumendo pro ratione, « quæ pro eo quod omnes cordis cogitationes discretionesque perlustret, sol merito nuncupatur, ut loquitur Cassianus loco citato. Iræ ergo vitio non extinguatur, ne, ea occidente, perturbationum tenebræ cum auctore suo diabolo universum cordis nostri occupent sensum. »

Quocunque sensu sumatur, certe nihil indignius in servo Dei discordia : nam « sicut factus est in pace locus Domini, sic in discordia locum fieri diaboli manifestum est, » ut S. Bernardi verbis utar (*Serm.* 3 *de Dedic. eccl.*) : unde et qui monachis leges tradiderunt, nihil antiquius habuisse videntur quam ut dissensiones etiam sub gravissimis pœnis a claustris eliminarent. Ita S. Cæsarius (*Regul. ad Monachos*, *c.* 24) : « Si, inquit, forte, ut se habet fragilitas humana, in tantum nefas aliqui de fratribus ausi fue- B rint diabolo instigante prorumpere, ut... in se invicem convicium mittant, justum est ut legitimam disciplinam accipiant, a quibus regulæ instituta violantur. » Per disciplinam autem intelligit flagellationem. S. Ferreolus (*In Reg. c.* 39) : « Illos igitur monachos, quos vel unius diei finis discordes invenerit, qui usque ad vesperam lites trahunt, et ante non excludunt odium quam sol cognoscat occasum, qui dicenti Apostolo per inobedientiam contradicunt, statuimus tandiu abstinentia macerandos, quandiu ad veram se concordiam ultronea satisfactione convertant. » S. Columbanus (*In Pœnit.*) : « Si quis iracundiam, vel tristitiam, vel invidiam tenet contra fratrem suum, ut tempus tenuerit (id est quandiu servaverit iracundiam), erit pœnitentia ejus in pane et aqua : si vero prima die confessus fuerit, viginti quatuor psalmos. » Scribit etiam S. Joannes Climacus de monachis monasterii Alexandrini (*Grad.* 4), « quod qui se reconciliari non paterentur, ab mensa C tantisper arcebantur, quoad positis odiis amicitiam redintegrarent, aut omnino a contubernio sodalitatis ejiciebantur. » Cassinenses (*In Declar. ad cap.* 70) vero simultates inter se exercentes, et reconciliari invicem recusantes a divinis suspendunt, officio et gradu privant, ac tandem in simultate pertinaciter remanentes carceri mancipant.

Et de Dei misericordia nunquam desperare.] Apposite omnino S. Benedictus, præmissa pro inimicis oratione et cum discordantibus reconciliatione, dixit de Dei misericordia nunquam desperare : hanc enim haud dubium obtinebunt qui aliis misericordiam impenderint : *Beati misericordes*, inquit ipsa misericors Veritas, *quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Ut autem de misericordia Dei non desperemus, multæ nos movere possunt rationes, quas videre **168** est apud S. Bernardum in epist. 385, et serm. 38 in Cantica.

Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis.] Hactenus instrumenta artis spiritualis S. Pater exposuit ; D sed quia opifici non satis est optima reperisse instrumenta, nisi tandem iis ad opus sibi propositum utatur : « ob hoc enim, inquit Cassianus (*Collat.* I, *cap.* 7), quis ferramenta cujuslibet artis instituere sibi ac præparare festinat, non ut ea possideat otiosa, nec ut emolumenti illius fructum, qui speratur ex ipsis, in nuda instrumentorum possessione constituat, sed ut eorum ministerio peritiam finemque illius disciplinæ, cujus hæc adjumenta sunt, efficaciter apprehendat, » ideo nos hac S. Benedictus clausula, ut prædictis instrumentis opus nobis commissum exsequamur, hortatur dicens : « Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis quæ vobis proposui, propriisque, ut ita dicam, in manibus tradidi. »

Quæ cum fuerint a nobis die noctuque incessabiliter adimpleta.] Die noctuque, id est semper, vel, ut exponit Trithemius, prosperitatis et adversitatis tempore.

Illa merces nobis a Domino recompensabitur, quam ipse promisit, quod oculus non vidit, etc.] O merces! quis mihi det ocius ea perfrui? Certe, si ejus intuitu pro viribus in arte spiritali haud enitamur proficere, merito in nos hæc S. Odonis verba retorqueri poterunt (*Collat.* 3, *n.* 18). « Omnes qui ad usum hujus vitæ quaslibet artes exercent, sic eas utique gerunt, sicut a magistris didicerunt; et illis utensilibus utuntur, quæ illi actui cui sunt intenti conveniunt, ut nautæ, sutores, et fabri; at nos soli monachi instrumenta bonorum operum, quæ S. Benedictus ad percipiendam cœlestem vitam construxit abjicimus; soli professionis nostræ desertores, lineas, quas per magistros nobis ostendit, nunc ad dextram, nunc ad sinistram transgredimur; nec bonorum operum instrumentis, sicut a magistris tradita sunt, uti dignamur. »

A *Officina autem ubi hæc omnia diligenter operemur.*] De hac officina S. Joannes Climacus (*Grad.* 26): « Officinam, inquit, fullonicam appellamus religiosum cœnobium, quod sordes animæ, et crassitudinem, et deformitatem dedolat, et abstergit. »

Claustra sunt monasterii.] Ut non sit necessitas monachis sub pietatis velamine vagandi foras, ut hæc omnia diligenter operentur, cum non expediat animabus eorum.

Et stabilitas in congregatione.] Id est perseverantia in cœnobio: quibus verbis perstringit levitatem eorum qui de loco ad locum, de monasterio ad monasterium, vel etiam de communi vita transeunt ad solitariam, in qua ex his instrumentis plurima haud valent exerceri.

169 CAPUT V.

De Obedientia [a].

Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora. Hæc convenit his qui nihil sibi a Christo charius aliquid existimant propter [b] servitium sanctum quod professi sunt, seu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ; mox ut aliquid [c] imperatum a majore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt [d] in faciendo. De quibus Dominus dixit: *In auditu auris obedivit mihi* (*Psal.* XXVII). Et iterum dicit doctoribus: *Qui vos audit, me audit* (*Matth.* X).

Ergo hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, et voluntatem propriam deserentes, mox exoccupatis manibus, et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede, jubentis vocem factis sequuntur: et veluti uno momento prædicta magistri jussio, et perfecta discipuli opera in velocitate timoris Dei, ambæ res communiter citius explicantur; quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam viam arripiunt, unde Dominus ait: *Angusta via est quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII): ut non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis et vo- B luptatibus [e] obedientes, sed ambulantes alieno judicio et imperio, in cœnobiis degentes, abbatem sibi præesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam, qua dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me* (*Joan.* V).

Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo et dulcis hominibus, si, quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmure [f], vel cum responso nolentis efficiatur: quia obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur. Ipse enim dixit: *Qui vos audit* [g], *me audit* (*Matth.* X). Et cum bono animo a discipulis præberi oportet, quia *hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX). Nam cum malo animo si obediat discipulus, et non solum ore, verum etiam in corde si murmuraverit; **170** etsi impleat jussio- C nem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis [h]. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, imo pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit.

[a] Al., *de obedientia discipulorum.* Al., *de obedientia discipulorum qualis sit.*
[b] Lyr., *et propter.*
[c] Cass. et Flor., *mox aliquid.*
[d] Cass. et Flor., *nesciant.*
[e] Oxon., *voluntatibus.*
[f] Al., *murmurio.*
[g] Cass. cum quibusdam mss., *obedit.*
[h] Oxon. et Flor., *murmurantem.*

COMMENTARIUS.

Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora. Non levem hæc verba continent difficultatem: qui enim capite septimo obedientiam in tertio humilitatis gradu collocavit, hic eam in primo constituit. Difficultatis nodum duobus modis extricat Petrus Boherius dicendo: 1° Obedientiam recte dici primum humilitatis gradum, non quidem ordine, sed excellentia et dignitate: quam solutionem etiam adhibet Bernardus Cassinensis. Et sane tanta est Obedientiæ virtus, ut etiam victimis præferatur. 2° obedientiam esse primum humilitatis gradum extrinsecum, timorem vero intrinsecum: quam responsionem hausit ex Smaragdo hanc ad quæstionem ita reponente: « Timor est primus in corde, obedientia in actione. » Tertiam solutionem adinvenit Menardus noster: « Obedientia, inquit, non est primus humilitatis ordine, sed utilitate potior. » Et certe, teste S. Gregorio, « Obedientia sola virtus est, quæ menti cæteras virtutes inserit, insertasque custodit. » Quartam sub- D ministrat Joannes Craesbeeck, cum dicit obedientiam primum esse humilitatis gradum, non quidem absolute, sed primum inter eos quos religiosus in monasterio existens exercere et ascendere incipit: nam duos primos ante conversionem, sive antequam corpori congregationis sociaretur ascendisse debuit; quod probat auctoritate S. Bernardi in tractatu de Gradibus humil., gradu 10. Quintam superaddo, scilicet humilitatis nomine aliud nihil a S. Patre intelligi, nisi ipsam obedientiam, quam humilitatis vocabulo nuncupat, quod duæ illæ virtutes ita invicem sint connexæ atque concatenatæ, ut neutra sine altera possit existere. Atque ita S. Benedictum videtur intellexisse Hildemarus, ad hunc locum hæc scribens: « Videndum quare dicit humilitatis, cum clavis illius capituli *de obedientia* dicit; potuit enim dicere: Primus obedientiæ gradus est; sed ideo dixit *humilitatis*, quia istæ tres virtutes, id est charitas, humilitas, obedientia, adeo sunt conjunctæ, ut una sine altera

esse nequeat : nam ubi obedientia est, ibi est humilitas et charitas. » Et hoc sensu *primus humilitatis gradus* idem sonat atque *unus obedientiæ gradus*; quæ expositio videtur antiquissima, testante Hildemaro, *primum* hic pro *solo*, secundum quorumdam sententiam, accipi. Et sane secundum tertiumve obedientiæ gradum deinceps S. Pater non assignat; sed neque SS. Patres **171** aliam admisisse videntur obedientiam, præter eam quæ moræ esset impatiens; unde et eam definierunt *persuasionem sine discussione* (*S. Antioch.*, *homil.* 39), reumque inobedientiæ censuerunt eum qui vel minimam in exsequendo mandato moram faceret : « Si quis, inquit S. Columbanus (*Regul. c.* 2), verbum audiens statim non surrexerit, inobediens judicandus est. » Simile aliquid legitur in Regula Cujusdam ad monachos (*Cap.* 29) : « Si quis ad vocem compulsoris sive invitantis ad aliud quodcunque, non statim surrexerit, hic inobedientiæ reus est : petat veniam, et iterare non præsumat, quoniam oportet unumquemque ad propriam vocem invitantis assurgere, velut si carbo ignis ardentis descendisset super eum. Si obedientia hæc non fuerit, quam diximus, mortua est, et non acceptabilis apud Deum. » Alia, sed magis lepida similitudine demonstrat S. Basilius, quam prompta et velox debeat esse monachorum obedientia : interrogatus enim « cum quali affectione obedire oportet ei qui ad mandati exsecutionem nos sollicitat et urget? » respondet : « Cum tanta quanta parvulus vocanti se ad refectionem nutrici obedit, et quilibet cui vita chara sit, ei qui sibi ea quæ ad vivendum necessaria sunt largiatur obedit; imo multo majore, quo vita æterna nobilior est ea quæ nunc est. »

Hæc,] nimirum obedientia sine mora, [*convenit his qui nihil sibi a Christo charius aliquid existimant.*] Quis enim nisi divino succensus amore ita ad nutum superioris obedientiam exhibeat, ut nulla interposita mora obtemperet?

Propter servitium sanctum quod professi sunt, etc.] Hic tres proponit rationes, quibus quasi totidem stimulis excitatur monachus ad obediendum sine mora. Prima est *propter servitium sanctum quod professi sunt*, id est propter professionem, qua se coram altari in perpetuos servos supremo omnium Domino addixerunt. Eodem stimulo suos S. Bernardus excitabat ad repellendas illicitas cogitationes, « Tunc, inquiens (*Serm.* 33, *de divers.*), hæc debes cogitare, qui sacerdos es, qui clericus es, qui monachus es? Cultor justitiæ debet in se quidquam iniquum admittere? Decet servum Christi, amatorem Dei, tale aliquid vel ad modicum meditari? » Eadem oratione Gilbertum eremitam ad perfectionem hortabatur Petrus Venerabilis (*Lib.* I, *ep.* 20) : « Cellam tibi propono, ut secundum antiqui cujusdam Patris dictum ipsa sola eloquentius omnibus magistris tacendo te doceat; hanc certe non audire non poteris, quando eam quotidianum salutis tuæ monitorem habebis. » Porro S. Benedictus professionem monasticam non simpliciter *servitium*, sed *servitium sanctum* appellat, tum quia sanctum efficit monachum, tum quia per eam sancti sanctorum Domini servitio consecratur, tum etiam « quia sancto proposito ex Spiritu sancto inchoatum est, » ut dicit Trithemius. Secunda ratio est *propter metum gehennæ*; quo nomine non modo æternam, sed insuper temporalem pœnam intelligit Hildemarus; quanquam de sola sempiterna gehenna dictum S. P. Benedicti capiendum censeant Bernardus Cassinensis et Boherius. Tertia ratio est **172** *propter gloriam vitæ æternæ*, quæ quantos hominibus ad recte vivendum, et monachis ad obediendum stimulos addere possit, nemo non videt.

Mox ut aliquid imperatum a majore fuerit.] A majore, inquit, quia non solum abbati aut præposito, sed etiam prioribus sive antiquioribus obedire debent; præmisso tamen abbatis aut præpositorum imperio, ut notat Boherius; quamvis hic Majoris nomine abbatem proprie intelligendum esse existimarem.

A *Ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo.*] Ad instar Ægyptiorum Tabennensiumque monachorum, de quibus Cassianus (*Lib.* IV *Instit.*, *c.* 10) : « Sic universa complere quæcunque fuerint ab eo præcepta, tanquam si a Deo sint cœlitus edita, sine ulla discussione festinant, ut nonnunquam etiam impossibilia sibimet imperata ea fide ac devotione suscipiant, ut tota virtute, et sine ulla cordis hæsitatione perficere ea, aut consummare nitantur. » Ex Regula etiam SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii, superiori tanquam Domino cum omni lætitia obediendum est.

De quibus Dominus dicit : « Obauditu auris obedivit mihi. »] Id est, statim ut audivit, obedivit.

Et item dicit doctoribus : qui vos audit me audit.] Doctoribus, inquit, ne forte quis solis apostolis aut discipulis hæc dicta existimaret.

Ergo hi tales.] Qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant.

B *Relinquentes statim quæ sua sunt.*] Id est quæ ad propriam utilitatem sibi ab abbate et Regula concessa sunt, ut exponit Hildemarus; nam monachi suum nihil habent, cum nec corpora, nec voluntates in sua illorum potestate. Vel quæ sua sunt, scilicet *opere vel custodia*, ut loquitur Boherius in secundo commentario, id est quæ agebant, suæque tradita erant custodiæ. Vel tandem quæ sua sunt, hoc est *quæ sibi magis eligunt, magisque placent*, juxta Bernardum Cassin. et Boherium in primo comm.

Et voluntatem propriam deserentes.] Per voluntatem propriam hic delectationem et voluptatem, quam in operando percipimus, intelligit Hildemarus : unde etiam Bernardus Cassinensis hæc verba præcedentium esse exposititia asserit, ut idem sit, *Et voluntatem propriam deserere, et quæ sua sunt relinquere.*

Mox exoccupatis manibus, et quod agebant imperfectum relinquentes.] Ita Marcus monachus, ut jubentis pareret imperio, litteram O imperfectam dereliquit, multaque hujusmodi exempla in sanctorum actis C passim occurrunt : sed nunquam perfectius opus efficitur quam cum propter obedientiam imperfectum relinquitur.

Vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis sequuntur, etc.] Hæc verba expositione non indigent, sed praxi. **173** Ex dictis porro hactenus de obedientia sine mora, satis damnata manet monachorum quorumdam agendi ratio, qui ante discutere volunt superiorum jussa, quam adimplere; de quibus S. Bernardus (*Serm.* 41 *de divers.*) : « Multos videmus post præcipientis imperium multas facere quæstiones : Cur, quare, quamobrem sæpius interrogare, crebras ingeminare querelas : quærere quare hoc præcepit? unde hoc venit? quis hoc adinvenit consilium? Inde murmuratio, inde verba murmurationem et indignationem sonantia, et redolentia amaritudinem; inde frequens excusatio, simulatio impossibilitatis, advocatio amicorum; » cum tamen, ut ait Guillelmus abbas S. Theoderici (*De Vit. solit. n.* 14), « perfecta obedientia sit, maxime in incipiente, indis- D creta, hoc est non discernere cur vel quare præcipiatur, sed hoc tantum niti, ut fideliter et humiliter fiat quod a majore præcipitur. » Hinc Petrus Blesensis (*Epist.* 134) : « Sine omni delectu, sine omni exceptione faciat Regulæ professor quod injungitur sibi; quid vero, vel quale, vel quantum sit quod injungitur non discernat; alioquin præsumit comedere de ligno scientiæ boni et mali; censura enim discretionis est penes patrem spiritalem, qui omnia dijudicat, et ipse a nemine judicatur : nihil ergo discernat, sit indiscretus ut intelligat, sit stultus ut sapiat. » Nam ut idem alibi dicit (*Epist.* 131) : « Species contumaciæ est de modo mandati inquirere, hæsitare, discernere, aut differre; in contractu enim obedientiæ non habet disputatio aut disceptatio locum : nam si in discussionem seu suspicionem ea quæ tibi sunt mandata deduxeris, ad lignum scientiæ boni et mali manum prævaricationis extendis.

Nimis delicata est hæc obedientia, transiens in deliberativum genus causæ : non est hoc in auditu auris obedire; non est hoc regularis obedientia sine mora, sed astutia tergiversatrix, et aperta superbia. » Longe aliter sentiebat abbas Pynufius, cum adolescentem fratrem instituens diceret (*Apud Cassian. lib.* IV, *cap.* 41) : « Stultum te secundum Apostoli sententiam facias in hoc mundo, ut sis sapiens : nihil scilicet discernens, nihil adjudicans [*An leg.* abjudicans?] ex his quæ tibi fuerint imperata, sed cum omni simplicitate et fide obedientiam semper exhibeas; illud tantummodo sanctum, illud utile, illud sapiens esse judicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel senioris examen indixerit : tali namque institutione fundatus, sub hac disciplina poteris durare perpetuo, et de cœnobio nullis tentationibus inimici, nullis factionibus devolveris. »

Quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit.] Hæc verba non ad præcedentem periodum, sed ad subsequentem referunt Smaragdus et Hildemarus.

Ideo angustam viam arripiunt.] Cujus signa et indicia demonstrat S. Joannes Climacus (*Grad.* 2) his verbis : « Angustæ viæ vestigia tibi prodet ventris afflictio, statio pernox, aquæ etiam bibendæ modus, panis seu mensæ frugalitas, ignominiæ poculum repurgans animum, sarcasmorum, irrisionum, ludibriorum tolerantia, voluntatum propriarum abdicatio, offensionum patientia, nulla adversus nostri contemptum obmurmuratio, exantlatus contumeliarum impetus; si lædentem **174** te fortiter toleres, si obtrectantem æquo animo sustineas, si contemptus non irascaris, si damnatus te humilies. » Brevius S. Benedictus viam angustam ostendit, cum subdit :

Ut non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis et voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno judicio et imperio, in cœnobiis degentes.] Quibus verbis, ut observat Boherius, tria professionis nostræ vota incendit. In eo enim quod dicit, *nec desideriis suis vel voluptatibus obedientes*, morum conversionem designat. Sequentia *ambulantes alieno judicio et imperio*, obedientiam denotant. *In cœnobiis degentes*, stabilitatem.

Abbatem sibi præesse desiderant.] Haud dubitantes, eos valde deceptos, qui sibi præsidentes, nullo viæ duce sibi opus esse existimant, ut loquitur S. Joannes Climacus (*Grad.* 1) : unde et S. Dorotheus dicebat (*Doct.* 5, *n.* 1) : « Nihil miserabilius, nihilque quod facilius decipi et expugnari queat, his qui nullum habent ducem, nullumque in via Dei moderatorem et institutorem quærunt : quid enim, ait Scriptura divina? Ii quibus non est gubernatio decidunt ut folia. » Eadem erat mens S. Bernardi, ad Ogerium ita scribentis (*Epist.* 87) : « Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit : et quidem quid alii sentiant ignoro; ego de me expertus sum quod dico : et facilius imperare et securius possum præesse aliis multis quam soli mihi. » *Vide* notas ad hunc Bernardi locum in editione Mabillonii.

Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, etc.] Perfectæ deinceps obedientiæ conditiones S. Pater describit, ex quibus prima est, ut monachus *non trepide* obediat, ubi Smaragdus : « Trepidare, inquit, est timere et dubitare; » ex quo concludit : « Ille obedientiam facere trepidat, qui in Domini adjutorio firmiter non sperat, » hoc est qui de futuro, aut rei eventu formidat et dubitat. Non sic plane Abraham, non sic, qui proprium jussus immolare filium, in spem contra spem credens, divini mandati exsecutionem fortiter est aggressus. Hujus et nos exemplo nihil terreat, nihil moveat, et ut verbis S. Bernardi utar (*Serm.* 41 *de divers.*), « si tribulatio intonat, si persecutio resultat, si peccatores tibi laqueum ponunt, si maligni tuum iter impediunt, tu obedientiæ viam ne deseras; sed dic : *Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Quid enim superius enumerata pariunt utilitatis, si fortitudo desit, quæ in arce constantiæ virtutes collocat, et eo vallo munit quo furentium impetus aspirare non possit? Manum tuam misisti ad fortia? agendum est instanter, et constanter obediendum. »

Secunda perfectæ obedientiæ conditio est obedire *non tarde;* quia, ut dicit S. Bernardus (*Ibidem*) : « Velociter currit sermo Dei, et velocem habere desiderat sequentem. Vides quanta velocitate currat ille qui dicit, *Viam mandatorum tuorum cucurri?* Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos **175** visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. »

Tertia, *non tepide :* tepidos enim Deus evomit ex ore suo. Hinc Gilbertus de Hoillandia (*Serm.* 17 *in Cant.*) : « Mortuus est, inquit, qui vel tædii, vel desperationis mole obruitur, in quo nihil est vividæ devotionis, fervidi spiritus, qui etsi legis præcepta non deserat, et intra Regulæ gremium se concludat, frigido tamen et moribundo languet affectu, in opere sancto nihil suave sentiens. »

Quarta, *non cum murmure;* qui enim murmurat, operis boni mercedem perdit.

Quinta, ne *cum responso nolentis* efficiatur. Hinc S. Macarius (*Reg. c.* 4) : « Non responsionem contra præceptum usurpes. » Et S. Basilius (*Constitut. monast. c.* 23) : « Sicut faber aut ædificator unoquoque artis suæ instrumento pro suo utitur arbitrio, nec dicit instrumentum quod nolit implere usum ad quem ab artifice usurpatur, sed obsequitur manui ducentis; ita addecet religiosum velut instrumentum suo artifici ad consummationem spiritalis ædificii in omnibus obedire, quæ præceptor bene ab ipso administrari posse arbitrabitur. » Et alibi (*Reg. fus. c.* 28) : « Detrectare, et contradicere multorum malorum specimen habet, ut pote fidei morbidæ, spei hæsitantis, fastus, ac morum arrogantium. »

Quia obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur, etc.] « Quidquid ergo (verba sunt Bernardi [*De Præcepto et disp. cap.* 9]) vice Dei præcipit homo, quod non sit certum tamen displicere Deo, haud secus accipiendum est, quam si præcipiat Deus. Quid enim interest utrum per se, an per suos ministros, sive homines, sive angelos, hominibus innotescat suum placitum Deus? » etc.

Et cum bono animo a discipulis præberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus.] Hinc S. Bernardus (*Serm.* 41 *de divers.*) : « Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus multum colorant obedientiam obsequentis : unde et gentilis ille poeta sic ait : *Super omnia vultus accessere boni.* Quis enim locus obedientiæ, ubi tristitiæ cernitur ægritudo? Ostendunt plerumque voluntatem animi signa exteriora, et difficile est ut vultum non mutent, qui mutant voluntatem : nubilosa corporis compositio, et facies tenebris obfuscata, devotionem ab animo recessisse designant. » Hilarem plane datorem se exhibebat Gerardus Cluniacensis, de quo Petrus Venerabilis (*Lib.* I *Mir. c.* 8) : « Expertus sum, inquit, ipse magnam in hac virtute ejus constantiam, cui cum sæpe gravia, quæ aliis vix injungere auderem, facillime imponerem, alacriter injuncta suscipiebat, et alacrius adimplebat. »

Nam cum malo animo.] Id est tristi, invito, aut murmuranti.

Obediat discipulus, etc.] Hæc plana sunt.

Et pro tali facto nullam consequitur gratiam.] Hinc colliges quantum sit murmuratio peccatum, cujus causa præmio et mercede privantur ipsa etiam optima obedientiæ opera.

Imo et pœnam incurrit murmurantium, etc.] Quintuplici **176** in Scripturis pœna reperitur Deus mulctasse murmurium : 1° lepra, ut in Maria sorore Mosis; 2° igne cœlesti, tabernacula murmurantium devorante; 3° hiatu terræ, Core, Datan et Abiron absorbente; 4° ignito serpente, murmurantes filios

Israel occidente; 5° exclusione a terra promissionis. A Quorum « terrorem cum evacuatione præmii obedientiæ incutit B. Benedictus murmurantibus, » inquit Bernardus Cassinensis, cujus expositionem rejicere videtur Boherius hunc in locum sic disserens : « Quidam hoc exponunt de quintuplici pœna, quam quidam murmurantes acriter pertulerunt in Veteri Testamento, ut fuit lepræ incursio, etc.... Sed absit quidem quod Magister, qui dulcem nobis assignavit Regulam, rigorem veterem et non gratiam in hoc tempore gratiæ fuerit imprecatus, » etc. Ejus sententiæ astipulari videtur Richardus de S. Angelo, ita scribens : « Pœna istorum erit ad arbitrium abbatis, cùm hic non sit statuta, vel dicas quod procedet contra istos secundum modum positum infra de excommunicatione culparum. Similiter Nicolaus de Fractura : « Pœna erit ista : secundum Domini nostri præceptum debet admoneri semel et iterum, et secundo secrete a senioribus suis; si non emendaverit, objurgetur publice coram omnibus; si vero neque sic correxerit, si intelligit qualis pœna B sit, excommunicationi subjaceat; sin autem improbus est, vindictæ corporali subjaceat : sic definit Magister infra de Excommunicatione culparum. » Videtur tamen hic S. Benedictus loqui de pœna a Deo inferenda, sicut de mercede ab eo eroganda, qua murmuriosi privantur, ac proinde Bernardi sententia præferenda, quam ab Hildemaro et Smaragdo accipere potuit. Et certe S. Pater hic agit de pœna murmurantibus non solum ore, sed etiam corde debita : at unus Deus cordis secreta agnoscit, non abbas, aut quivis alius homo : non ergo de pœna regulari superiori arbitraria hic locus intelligendus est, sed de vindicta Dei justa, occultiora quæ lumen oculorum ejus non latent judicantis : quod tamen non sic capi velim, quasi Deus omne murmurium lepra, igne cœlesti, terræ hiatu, etc., puniret; sed horum tantum terrorem incutit S. Benedictus, ut ait Bernardus Cassin. Neque tamen inficias ibo pœna regulari plectendum esse murmurium cum foras prorumpit; nam et illud excommunicatione ferit S. Benedictus infra cap. 23, variisque pœnis illud affecerunt antiqui monachorum Patres, ut patet ex supra dictis ad cap. 4, et insuper ex Cassiano, S. Basilio, et S. Columbano. Cassiani verba hæc sunt (*Lib.* IV *de Inst. c.* 6) : « Sin vero quoddam ex eo murmurationis vitium, vel pravæ cujuslibet inobedientiæ culpam processisse deprehenderint, exuentes eum monasterii quibus indutus fuerat vestimentis, et antiquis revestitum, quæ fuerant sequestrata, depellunt. » S. Basilius (*Reg. fus. c.* 29) murmurantium opus ab aliorum laboribus seponi gravissimis imperat verbis, vetatque illud in communem fratrum usum converti. Similiter S. Columbanus (*Reg. c.* 3) : « Si quis, inquit, murmuraverit, et ipse tanquam non ex voto obediens, inobediens putandus est; idcirco opus ejus abjiciatur, donec bona illius voluntas agnoscatur. » Et octava synodus **177** hic a Boherio citata : « Alienus sit ab unitate fratrum, qui murmuraverit; et opus ejus abjiciatur, qui murmurans exstiterit, ne pœnam murmurantium incurrat, de qua ait Apostolus : Neque murmuraveritis sicut quidam murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore; » quibus concinit S. Joannes Chrysostomus his verbis (*Homil.* 8, *in epist. ad Phil.*) : « Melius fuerit nihil operari, quam operari cum murmuratione : sæpe maluimus ministerio privari, quam murmurantem sustinere; gravis enim, gravis, inquam, est murmurator, et vicinus blasphemiæ. »

CAPUT VI.

De Taciturnitate.

Faciamus quod ait propheta : *Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea : posui ori meo custodiam : obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis* (*Psal.* XXXVIII). Hic ostendit [a] propheta, si a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet tacere; quanto magis a malis verbis propter pœnam peccati debet cessare [b]! Ergo quamvis de bonis et sanctis et ædificationum [c] eloquiis, perfectis discipulis propter taciturnitatis gravitatem, rara loquendi concedatur licentia, quia scriptum est [d] : *In multilo-* C *quio non effugies* [e] *peccatum* (*Prov.* X). Et alibi : *Mors et vita in manibus linguæ* (*Prov.* XIV). Nam loqui et docere, magistrum condecet; tacere et audire, discipulo [f] convenit.

Et ideo, si qua requirenda sunt a priore, cum omni humilitate et subjectione reverentiæ [g] requirantur, ne videatur plus loqui quàm expedit [h]. Scurrilitates vero vel verba otiosa et risum moventia, æterna clausura in omnibus locis damnamus : et ad talia eloquia discipulum aperire os non permittimus.

[a] Al., *hinc ostendit.*
[b] Al., *cessari.*
[c] Narb., *sanctæ ædificationis.* Hild., *sanctis ad ædificationem.*
[d] Apud Hild. *scriptum est deest.*
[e] Narb., *effugietur.*
[f] Al., *discipulum.*
[g] Oxon., *cum summa reverentia.* Ms. Conch., *cum* D *omni humilitate et subjectione.* Lyr., Faron., *cum omni humilitate et reverentia.* Afl., Andr., Hadr., Ebrul., Paris. 1, *cum omni humilitate, et subjectione, et reverentia.* Narb., *cum modo in summa reverentia.*
[h] Hæc verba *ne videatur plus loqui quam expedit*, quæ exstant in Oxon., desiderantur pene in omnibus mss. Sed et Hildem. hunc locum exponens ait : *non est in Regula, sed subauditio est.*

178 COMMENTARIUS.

Faciamus quod ait propheta.] Acute observat hic Hildemarus, et post eum Bernardus Cassinensis et Nicolaus de Fractura S. Benedictum suos discipulos alloquentem non simpliciter dixisse *faciatis*, sed *faciamus;* nimirum miscet se fratribus suis; nec aliud ab ipsis requirit, quod ipse primus ante alios non paratus sit exsequi.

Dixi, Custodiam vias meas.] Id est omnes vitæ actus, de quorum custodia diximus cap. 4.

Ut non delinquam in lingua mea.] Difficile ergo membrum hominis lingua, quæ ne delinquat tali indiget custodia; difficile prorsus : « quis enim, ut S. Bernardi verbis utar (*Serm.* 17, *de divers.*), numeret quantas modicum linguæ membrum contrahat sordes, quam multiplex in labiis incircumcisis immunditia coaguletur? quanta sit pernicies oris incircumscripti? Est enim lingua dissoluta in sermonibus otiosis, est lingua impudica, est et magniloqua;

quarum prima lasolviæ, sequens arrogantiæ famulatur. Est etiam lingua dolosa, et item lingua maledica; quarum altera in falsiloquam et adulatoriam subdividitur; altera vero nunc in facie contumeliam irrogat, nunc detrahit in occulto. » Et Petrus Damiani (*Opusc.* 9, *c.* 27) : « Dicit Apostolus : Omnia siquidem ferarum genera in lingua reperiuntur. Ibi quippe est levitas volucrum, ibi ferocitas bestiarum, ibi fraus virulenta serpentium : volatiles enim sunt qui proferunt in cœlum os suum, et quorum os locutum est vanitatem, quasi volucrum levitatem; feroces sunt bestiæ qui exacuerunt ut gladium linguas suas; serpentes postremo sunt, de quibus dictum est : *quia venenum aspidum sub labiis eorum.* »

Posui ori meo custodiam.] Non parietem, sed custodiam, sive ostium, aut januam, quæ « aliquando clauditur, aliquando aperitur...... ut tempore suo taceat, et tempore suo quæ dicenda sunt dicat, » inquit Hildemarus. Vel etiam, ut ait Bernardus Cassinensis, « Custodia dici potest silentii clausura, sive ostium in quo virtus taciturnitatis est ad custodiam quædam clavis; unde majores nostri solent dicere, quod silentium est clavis religionis. »

Obmutui et humiliatus sum.] Quæ duo, ut notat Hildemarus, simul conjunxit, quasi diceret : *Non superbe tacui*; sunt enim nonnulli aut per superbiam, aut per iram tacentes, de quibus S. Gregorius (*Lib.* XXXIV *Moral.*, *cap.* 20) : « Aliquando superbi proterva quæ sentiunt, nequaquam produnt; et hi quorum loquacitas vix compescitur, nonnunquam ex sola amaritudine intimi rancoris obmutescunt, qui per dolorem mentis procacitatis suæ verba subtrahentes cum male loqui soleant, pejus tacent; quia cum peccantes aliquid de correctione audiunt, indignantes etiam responsionis verba suspendunt. »

179 *Et silui a bonis.*] Ex quo S. Benedictus infert :

Hic ostendit propheta si a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet tacere, quanto magis a malis verbis propter pœnam peccati debet cessare!] Prophetæ verba ad silentii commendationem adaptat S. Pater, licet in proprio et genuino sensu de prædicatoribus, peccatorum vitia cum coercere nequeunt, silentibus intelligenda videantur : verum, ut ait S. Gregorius (*Lib.* II *Regist.*, *c.* 104) : « In intellectu sacræ Scripturæ respui non debet quidquid sanæ fidei non resistit; sicut enim ex uno auro alii murenulas, alii annulos, alii dextralia ad ornatum faciunt; ita ex una Scripturæ scientia expositores quique per innumeros intellectus quasi varia ornamenta componunt, quæ tamen omnia ad decorem cœlestis sponsæ proficiunt. »

Duo vero ex prophetæ verbis concludit S. Pater : unum, a bonis eloquiis propter taciturnitatem, id est silentii dignitatem, est enim cultus justitiæ; alterum, a malis verbis propter pœnam peccati silendum; si enim de verbo otioso reddituri sumus in die judicii rationem, quanto magis de malo!

Ergo quamvis de bonis et sanctis et ædificationum eloquiis.] Quænam sint hujusmodi eloquia aliquo modo discere possumus ex his quæ scribit Petrus Venerabilis ad Petrum Pictaviensem in hæc verba (*Lib.* II, *ep.* 22) : « O quoties, januis clausis, nullo nobiscum admisso mortalium, illo tantum teste, qui de se cogitantibus aut conferentibus nunquam deest, formidolosus sermo habitus est de cordis humani cæcitate atque duritia, de diversis peccatorum laqueis, de variis dæmonum insidiis, de abysso judiciorum Dei, quam terribilis in consiliis super filios hominum, quod quibus vult miseretur, et quos vult indurat, et quod nescit homo utrum amore an odio dignus sit, de incerta et formidabili vocatione nostra, de dispensatione salutis humanæ per incarnationem Filii Dei ac passionem facta, de tremendo ultimi judicii die, de incomprehensibili divini examinis severitate, qua in perpetuum malos punit, et de inenarrabili misericordia, qua æterna bonis præmia reddit. Horum et similium a mundano strepitu semota collatio mihi quodammodo in medio hominum eremum referebat, et Domini tabernaculum repræsentabat, ad quod a mundi tumultibus veluti Moyses a Judæorum lapidibus confugiebam. » Et ad Pontium fratrem suum (*Lib.* I, *ep.* 16) : « Fuerat cohabitatio tua mecum fere decennalis, quo tempore quanta inter nos de divinis collatio, quam fervens de spiritalibus sermo, quam frequens de præsentium contemptu collatio, qualis de æternorum appetitu cohortatio fuerit, et ipse nosti, et ego non in toto oblitus sum. Efferbuerat inter nos eo ardore fervor charitatis, ut qui te solo impulsu naturæ cœperam diligere, jam te non possem nisi ex Deo, et in Deo amare. » Hæc et hujusmodi dicuntur bona et sancta, et ædificationum eloquia. Hæc decent servos Dei colloquia, et ut Gerardi Belgæ monachi verbis utar (*In Comm. super Reg. S. Bened. c.* 42) : « Hæc una recreatio 180 digna monachis in Patrum exemplis; cui autem nihil videtur æque deliciosum, quam audire de sæculi rumoribus, profecto ille vere dignoscitur terræ etiamnum esse et sæculi filius. » Belle omnino Gilbertus de Hoillandia (*Serm.* 18, *sup. Cant.*), « Memento, aiebat, os tuum cœlestibus osculis et oraculis consecratum; sacrilegium puta, si quid non dulce, non divinum, non de divina pagina sonet. »

Perfectis discipulis.] Perfectis, inquit. Imperfectis ergo et stultis nulla unquam præterquam in necessariis tum spiritalibus, tum corporalibus loquendi licentia concedenda est, ut exponit Hildemarus. Quinam vero perfecti discipuli censendi sint declarat Boherius his verbis : « Perfecti dicuntur qui renuntiant omnibus substantiis suis, et vitam Christi sequuntur, quales debent esse utique cœnobitæ.... Vel etiam dicuntur perfecti, qui jam tentationum pericula evaserunt, apud quos non est nisi gratiarum actio, et vox laudis. Deinde qui etiam non utuntur concessis a lege perfecti probantur. » Discipulorum autem nomine Nicolaus Bravus intelligit « maxime juniores, et eos qui vel canitie vel officii auctoritate discipulatum nondum excessisse videntur. » Sed absit ut, dum juniores sub silentio tenemus, liberam senibus, aut alias ad aliquod officium evectis loquendi licentiam permittamus; cum ipsi potius silentii, aliarumque virtutum exempla adolescentioribus demonstrare debeant. Adeo ineptam explicationem revincit ipse S. Benedictus in fine hujus capitis, ubi prohibens scurrilitates, *et ad talia*, inquit, *eloquia discipulum aperire os non permittimus;* ubi sicut et capite 5, sub discipuli nomine complectitur omnes omnino monachos, quos hic perfectos discipulos appellat, quia non modo perfectionem, sed perfectionis perfectionem voverunt.

Propter taciturnitatis gravitatem.] Id est eminentiam, dignitatem, et utilitatem silentii.

Rara concedatur loquendi licentia.] In quem locum S. Hildegardis : « Scilicet tunc cum aliqua in conciliis, aliqua in negotiis, seu in majoribus necessitatibus agenda sunt in invicem, et non singulatim loquendo data licentia, et modice, ac breviter quæ opus; et deinde facto signo omnes in silentio secundum consuetum morem sileant. Quoniam idem Benedictus licentiam hanc statuta hora in qualibet die non præfixerat, sed eam in potestate sua, quemadmodum oportuit, habebat; nam licentiam hanc non dabat sine justa aliqua necessitate, seu aliqua pia utilitate compulsus. Attamen quia inhumanum est hominem in taciturnitate semper esse, et non loqui, idem Pater in potestate et discretione abbatis dimittit, quemadmodum alia plurima ei concedit, ut discipulis suis horam competentem provideat, qua ipsi hæc quæ honesta et necessaria sunt ad invicem loquantur, et ne in indiscreto silentio tædio afficiantur; quoniam post hujusmodi loquendi invicem permissionem, convenientius et severius ad taciturnitatem admoneri et coerceri poterunt. » Hactenus

S. Hildegardis, cujus ex verbis tria colligere possumus.

181 Primum, nullum ex Regula fixum ac statum esse mutui colloquii tempus assignatum, sed quasi perpetuum monachis indictum esse silentium; unde Gilbertus de Hoillandia (*Serm.* 7 *in Cant.*) : « Monachorum est, inquit, non colloquium, sed silentium. » Et sane Ægyptiorum monachorum vestigiis quantum potuit S. Pater inhæsit, qui, ut testatur Cassianus, perpetuo silebant ; nam « finitis, inquit Cassianus (*Lib.* II, *cap.* 15), psalmis, et quotidiana congregatione, sicut superius commemoravimus, absoluta, nullus eorum vel ad modicum subsistere, *aut sermocinari audet cum altero;* sed nequidem per totum diei spatium e cella sua progredi, aut deserere opus quod in ea solitus est exercere, præsumit ; quod ita explent fores ingressi, ut *nulla inter eos sermocinatio penitus audiatur.* » Refert etiam Palladius de abbate Theona (*Laus. cap.* 50 *et* 85), quod triginta quinque annis siluerit; et de quadam virgine, quod annis viginti quinque nemini collocuta sit. « Dicebant etiam (*Tom.* I *Mon. Eccl. Græc.*, *pag.* 377) de abbate Agathone per tres annos illum lapidem ore gestasse donec silere didicisset. » Sed hos omnes superavit Joannes cognomento Silentiarius, qui ex episcopo factus monachus, totos quadraginta septem annos in silentio exegit. Quid de Virgine Deipara loquar, quæ, ut notat doctor mellifluus (*Serm. in Dominic. infra oct. Assumpt.*), non nisi quater in toto Evangeliorum decursu locuta legitur? Hujusmodi exempla ad imitationem proposita discipulis haud dubium voluit esse sanctus Pater, cum nullum in Regula tempus loquendi proposuit : cujus votis ut obsecundarent dilectissimi filii continuum pene in cœnobiis silentium observare studuerunt. Hos inter enituere præ omnibus Cluniacenses monachi, qui sibi quasi in perpetuum ore præcluso, manus in linguas commutasse videbantur, adinventis signis * quibus, dum lingua taceret, quæ necessario requirenda erant invicem exprimebant. At non sine admiratione legere possumus quod de Cisterciensium silentio scribit Guillelmus abbas S. Theoderici in libro I de Vita S. Bernardi, cap. 7. « Denique in valle illa plena hominum, in qua nemini otiosum esse licebat, omnibus laborantibus, et singulis circa injuncta occupatis, media die mediæ noctis silentium a supervenientibus inveniebatur præter laborum sonitus, vel si fratres in laudibus Dei occuparentur. Porro silentii ipsius ordo et fama tantam etiam apud sæculares homines supervenientes sui faciebat reverentiam, ut et ipsi non dicam prava, vel otiosa, sed aliquid etiam quod ad rem non attineret, ibi loqui vererentur. » Hæc confirmat ipse S. Bernardus cum suos hortatur, ut bonum sibi invicem darent consilium ; et hac sibi proposita objectione : « Quod ego consilium dabo fratri, cui nec unum quidem verbum dicere fas est absque licentia? » respondet, ut consulant fratri « non verbo, neque lingua, sed opere et veritate, » bono scilicet exemplo. Simili fere silentii severitate hujusce sæculi principio se devinxerunt strictioris observantiæ in Hispania sanctimoniales ordinis Cisterciensis. Sed omnem prorsus hominum cogitationem superare videtur quod de Fontis-Ebraldi sanctimonialibus scribit Willelmus Malmesburiensis (*Lib.* V *de Regibus Angl.*) : « Præter cæterarum illecebrarum abdicationem, quantulum illud est, quod in nullo **182** loco loquantur præter in capitulo, proposita a magistro perennis taciturnitatis regula, quia semel laxato silentio feminæ pronæ sunt ad mussitandum frivola ; » quamvis postea, hoc est anno 1450, hæc silentii districtio auctoritate summi pontificis ita temperata est, « ut liceat loqui post preces, ut vocant, primas; deinde post signum ad laborem factum, » quemadmodum observat Joannes Picardus in notis ad cap. A 18 lib. I Hist. Neubrig. *Vide* S. Stephani Obaz. *Vitam*, lib. I, n. 9.

Secundum. Quamvis nullum Regula determinate designet tempus quo fratres inter se conveniant, convenientius tamen ipsis interdum mutuis colloquiis animi relaxandi indulgentiam esse concedendam ; *inhumanum est enim hominem in taciturnitate semper esse, et non loqui*, inquit S. Hildegardis, atque ita senserunt S. Antonius (*In Constit. monast. c.* 12), et S. Basilius, insignes ambo vitæ monasticæ cultores : « Utile fuerit loqui, si de virtute opportuno tempore disseratur, » inquit S. Basilius. Et S. Antonius, referente S. Athanasio (*In ejus Vita c.* 15), « dicebat ad omnem quidem mandatorum disciplinam Scripturas posse sufficere, sed et hoc optimum fore, si mutuis se invicem fratres sermonibus consolarentur. » Atque eam fuisse S. Benedicti mentem patet, tum ex hoc capite, quo aliqua, licet *rara* concedit eloquia, vultque ori exemplo prophetæ apponi custodiam sive ostium *quod aliquando aperitur, aliquando clauditur*, B ut ait Hildemarus; tum ex capite 48, in quo mentionem facit *horarum incompetentium*, quibus fratri ad fratrem se adjungere haudquaquam liceat, quod supponit *horas competentes*, quibus fratribus loqui indultum sit. Et revera capite 31 jubet ut *horis competentibus dentur quæ danda sunt, petantur quæ petenda sunt*, quod de hujusmodi mutui colloquii horis intellexerunt antiqui Patres nostri; unde et cellerarius et camerarius iis interesse tenebantur, cum fratres in claustro invicem loquebantur, ut qui aliqua re indigerent, præsentes eos haberent, et libere ab eis petere et accipere valerent. Atque hunc esse Regulæ genuinum sensum patet ex S. Adalardo tum in lib. II Statutorum, c. 6, ubi hæc habet (*Tom.* IV *Spicil.*) : « Cum vero horæ incompetentes transierint, et tam loquendi quam conjungendi tempus advenerit, etc.; » tum ex ejusdem capitulis de admonitionibus in congregatione, in quibus 43 est, « de horis incompetentibus, id est de silentio : » competentibus ergo licebat loqui. C Nec est quod aliquis dicat, ex eo quod S. B. prohibeat, ne frater jungatur ad fratrem horis incompetentibus, haudquaquam erui posse dandas esse horas competentes, quibus licite possint fratres invicem jungi et miscere colloquia, quasi idem essent *jungi* et *loqui*, cum et S. Pater utrumque distinguat infra cap. 26, ubi de communicantibus cum excommunicatis ita habet : « Si quis frater præsumpserit sine jussione abbatis fratri excommunicato quolibet modo *se jungere, aut loqui cum eo*, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam. » Non, inquam, id obstat. Nam si quod sit discrimen, illud unum est, quod *jungi* de longa et prolixa confabulatione dicatur ; *loqui* vero de transeunte et brevi sicut de longa intelligatur. Et sane S. Benedictus qui illo **183** capite omne cum excommunicatis colloquium prohibet, capitis titulum ita effert : *De his qui sine jussione abbatis junguntur excommunicatis* ; non dicit *junguntur vel loquuntur* ; D quia utrumque sub verbo *junguntur* intelligitur. Addet aliquis locum ex cap. 49 de observatione Quadragesimæ, in qua S. Pater præcipit aliquid subtrahi *de loquacitate* aliorum temporum ; confirmaturque ex perpetua ordinis praxi, cujus exemplum videre est in Vita S. Frodoberti abbatis Cellensis (*Sæc.* II *Bened.*, *p.* 630), ubi quandoque *cum discipulis colloquium familiare* habuisse dicitur. Hinc fit ut tædio non afficiantur monachi, et severius post hæc silentium observetur, ut docet S. Hildegardis. Pertimescendumque est ne si diutius aut silentio, aut orationi occupetur animus, tandem deficiat, sicut arcus, qui, cum nimis aut diutius distenditur, vel debilitatur, vel frangitur. Nec refert quod Regula cap. 42 jubet omni tempore silentio studere monachos ; nam multum differunt *semper silere*, et *omni tempore silentio studere* ; semper silere est nunquam loqui, at

* *Hæc signa habes in libro* V *de Antiquis Mon. ritibus*, c. 18.

vero potest aliquis etiam loquendo silentio studere, puta necessaria duntaxat proferendo, idque breviter, et submissa voce : quamvis laudemus, beatosque prædicemus eos qui possunt valentque ita perpetuo silere, ut nullo hominum consortio indigeant; atque ut hoc nobis aliquando donum Deus concedat, obnixe deprecamur.

Tertium, ex abbatis pendere arbitrio assignare dies, horas, tempus seu spatium, locum, modumque colloquii. Communis tamen ordinis usus obtinuit, ut non nisi privatis diebus abbas colloquium permitteret, dominicis festisque diebus duodecim lectionum continuo silentio consecratis. Et certe inter quinque capitula quæ receptis concilii Aquisgran. capitulis addiderunt Centuriatores (*Tom.* II *Capitul. Baluz.*, p. 1092), quartum ita habetur : « Ut in hebdomada Paschæ in claustro non loquantur, sed lectio divina ab omnibus teneatur, similiter in hebdomada Pentecostes, et in omnibus diebus dominicis, seu in Natali Domini, et in omnibus SS. festis præcipuis. » Similiter antiquæ Consuetudines SS. Benigni Divionensis (*Cap.* 64) : « Per octo dies Paschæ, et Pentecostes, et Natalis Domini, et in Rogationibus, et in omni secunda, quarta, et sexta feria Quadragesimæ, et in omnibus 12 lectionibus, nulla fit locutio in claustro. » Quæ totidem verbis exstant in veteri Corbeiensi Ordinario ms., quibus concinit liber Usuum Beccensium, loquelam in claustro privatis duntaxat diebus indulgens. Econtra Statuta Guigonis (*C.* 7, *n.* 9) dominicis colloquium post nonam permittunt; quibus antiqua Carthusiensium statuta adjiciunt festa capituli; sed in Nova Statutorum Collectione excipiuntur Nativitas, Cœna Domini, Pascha, et Pentecostes cum festis infra hebdomadam in Quadragesima contingentibus : præterea singulis septimanis spatiamentum concedunt.

Horam duplicem in die ad colloquium designatam esse apud Cluniacenses discimus ex Uldarico, scilicet æstate post capitulum et nonam; hieme post capitulum et sextam. Idem videre est in antiquis S. Benigni Divionensis Consuetudinibus, et Ordinario Corbeiensi passim. **184** At secundam postea subtraxit Petrus Venerabilis, edito statuto, « ut de usitatis in claustro binis locutionibus secunda omni totius anni tempore subtrahatur. » Usus Beccenses, habita temporum ratione, volunt ut « Omnibus privatis diebus, quibus post capitulum tertia dicitur, semel tantum, id est post capitulum loquantur in claustro, nisi ab octavis Paschæ usque ad idus Septembris, quo tempore privatis diebus post nonam loquuntur in claustro. Quando vero tertia ante capitulum dicitur, bis in claustro loquuntur, post capitulum et post sextam. » In quibusdam vero Angliæ monasteriis hora ad colloquium stata erat post prandium; sed « cum quidam post prandium proniores sunt ad loquendum quod non prodest, quam quod ædificat audientes, ad ampliandum cultum justitiæ, qui in silentio reperitur, statutum est, quod parlamentum quod post prandium in quibusdam claustris fieri consuevit, penitus interdicatur, et loco ipsius vacetur uberius meditationibus et lectionibus repetendis, » inquiunt abbates ordinis nostri in editis anno 1249 statutis. Casalini jejunii diebus post vesperas, diebus prandii post cœnam loquebantur. Plurimi nec diem, nec horam assignatam habebant, quorum res omnes ex uno abbatis nutu pendebant.

Quanto vero temporis spatio mutui colloquii hora protraheretur, non una fuit omnium consuetudo monasteriorum. De Cluniacensibus, qui binas in die locutiones habebant, audiendus imprimis Udalricus. De prima quæ fiebat post capitulum sic disserit (*Lib.* I, *cap.* 18) : « Eo tempore quo primum ad monasterium veni, sacerdos qui privatam missam cantare voluit, potuit eam interim finire; quod tamen modo raro contingit, quia multitudo fratrum acervavit; a quibus dum ad utramque missam offertur, dum pax datur et accipitur, dum in capitulo de uno aut altero hoc et illud reclamatur, dum tantis in refectorio servitur, non minima pars expenditur diei; quæ tamen singula, ordine nostro salvo et integro, remanere non possunt; propter quod hora loquendi necessario magis est brevis; et si minus aliquantulum loquimur, in hoc ordinis quidem nemo sensit ullum esse detrimentum. » Cum ergo nullus existat qui infra mediam horam privatam missam cantare haud queat, ultra hoc temporis spatium, quod postea etiam abbreviatum est, prima locutionis hora non extendebatur. Secunda etiam ex eodem Udalrico longe brevior erat : « Nona autem, inquit (*Ibidem*), ad quam sunt se levaturi, adeo tarda erit, ut postquam in refectorio biberint, et iterum loquendi licentiam habuerint, eamdem loquendi horam, et hoc intervallum ante vesperas non immerito potius dixerim nullum quam parvum : sæpius autem priusquam omnes in claustro consideant, et aliquis fratrum vel unum verbum faciat, pulsatur signum ad vesperas, et ecce loquendi finis. » Et alibi (*Lib.* I, *cap.* 40) de eadem locutione, cum fieret post sextam : « Non solum post capitulum, sed etiam post sextam habemus loquendi licentiam; quanquam illud spatium soleat esse brevissimum; nam non amplius erit quam ut sacerdos et cæteri ad majorem missam servituri lavent manus, et sint se ad induendum parati. »

185 Cistercienses ex Jacobo de Vitriaco integram in colloquio horam insumebant : « Silentium, inquit (*Lib.* II *Histor. Occid. cap.* 14), per totam fere diem observantes, mutuis collocutionibus et collationibus unam sibi horam reservant, invicem consolantes, et invicem instruentes. » Quod ita explicat Julianus Varnier (*De Ant. Praxi Regul. S. B.*, *cap.* 16), non quasi singulis diebus unam horam ad mutuam collocutionem reservarent; sed quod, cum abbas fratribus loquendi licentiam indulgeret, integram in id exercitii horam impenderent. Et de hac hora intelligendus S. Bernardus, ubi superbum monachum describens, hæc habet (*In Tract. de Grad. humil.*, *c.* 14): « Cum autem pulsato signo necesse est interrumpi colloquium, *horam longam* breve queritur intervallum. » His in colloquiis, ut id obiter observem, aliquando sermo agebatur de litteris : *Si de litteris sermo exoritur*, inquit S. Bernardus, *vetera proferuntur et nova; volant sententiæ, verba resonant ampullosa;* aliquando de religione : *Quod si de religione agitur, statim visiones et somnia proferuntur, deinde laudat jejunia*, etc.; aliquando de rebus jocosis : *Si ad ludicra sermo convertitur, in his quanto assuetior, tanto loquacior invenitur.* Ex hinc colliges hujusmodi colloquia non fuisse communia, hoc est omnibus simul in unum coeuntibus, sed inter se ad proprium libitum divisis, aut ad nutum abbatis; alioquin S. Bernardus, qui fuisset præsens, si communia exstitissent, ludicra nequaquam passus fuisset. Quam frequenter autem illa hora occurreret nos latet : sanctimoniales Strictioris Observantiæ ordinis Cisterciensis in Hispania (*In Constit. c.* 2 *et* 11, *apud Henriq. in Liliis Cist.*, *p.* 26) semel in hebdomada extra Adventum aut Quadragesimam junctæ recreationem habent ante vel post vesperas ad nutum abbatissæ; dummodo dies ille non sit communionis. Similiter in antiquis Fuliensium Constitutionibus, cap. 6 : « Semel tantum in hebdomada die festo fratribus aliquod ex his intervallis, quibus absunt a choro, pio et religioso colloquio consumere » permittitur *.

Idem fere vigebat apud insignes illos eremitas quibuscum vivebat S. Dominicus Loricatus. Hi nimirum, teste Petro Damiani (*In Vit. S. Domin. c.* 6), « tenebant per totam hebdomadam districta censura silentium, quod utique dominica die post vesperum, cibumque solventes, habebant loquendi invicem usque ad completionis officium libertatem. »

* In editis vero an. 1631, *singulis diebus per spatium unius circiter horæ a superiore assignandæ.*

Tantam indulgentiam suis non videntur indulsisse A Cassinenses, quorum Declarationes in Regulæ cap. 6, hæc habent: « Ad effugiendam enervationem, prælati et alii superiores non concedant solatia aut recreationes, nisi alternis hebdomadibus, excepta tamen Quadragesima et Adventu, quibus temporibus nefas est talia cogitare, nedum permittere. » In impressis tamen anno 1642 Declarationibus, pro *alternis hebdomadibus*, habetur *singulis hebdomadibus;* et insuper tam novæ quam antiquæ Declarationes ad cap. 48 hortantur superiores, ut benigni sint ad recreationes fratribus, præcipue solemnitatibus duplicibus, quæ non occurrunt in Adventu aut Quadragesima, concedendas.

Camaldulenses (*Lib.* I *Constit. Camald.*) cum dispensant a silentio per mediam duntaxat horam per viridarium, aut aliquam aliam monasterii partem, in qua perpetuum non vigeat silentium, colloquium permittunt. Casalini quotidie 186 a cœna ad completorium, vel diebus jejunii a vespera etiam ad completorium colloquebantur, ita tamen ut illo tempore possent ad cellas secedere, et lectioni atque orationi vacare: post prandium vero sub silentio per mediam horam deambulabant in horto.

Bursfeldenses nec diem, nec horam, nec tempus seu spatium colloquii determinatum habuisse videntur, sed in Cæremoniali hoc tantum decernunt (*Dist.* 3, *cap.* 10): « A solo abbate et priore, seu etiam subpriore in prioris absentia, loquendi licentia in monasterio aut extra concedatur, nisi forte alicui alteri pro vice aliqua speciali super hoc ab abbate et priore fuerit concessa potestas. Dans loquendi licentiam fratribus dicat: *Benedicite;* et illi respondeant: *Deus:* et ex tunc licitum erit de permissis ad invicem conferre usque ad iteratam silentii impositionem, quæ fieri solet per hæc verba: *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* Nulli ergo absque licentia loqui fas est, sed habita licentia, aut facultate loquendi, non loquatur nisi præmisso: *Benedicite*, et responso: *Dominus.* »

De colloquii loco variæ fuerunt monasteriorum consuetudines; nam S. Adalardus in Statutis lib. II, cap. 6, dormitorium assignat; Cluniacenses, Divionenses, Parisienses, Beccenses, et alii communiter monachi cum Carthusiensibus loquebantur in claustro; Camaldulenses in viridario. At raro extra monasterium recreationis gratia deambulantes monachos veteres offendes.

Quod spectat ad modum sive ordinem in colloquio tenendum, 1° illud non incipiebant nisi præmisso: *Benedicite.* « Post capitulum, inquit ms. S. Petri supra Divam Ordinarium, sedeant omnes in claustro ad colloquium. Audito itaque tympano pergant ad sextam; qua cantata, revertantur ad colloquium, dicatque ultimus in ordine novitius: *Benedicite*, et sic loquantur de consuetudinibus, de bonis et ædificationis eloquiis. » Apud Bursfeldenses et Carthusianos non ultimus, sed ipse qui colloquio præerat, *Benedicite* dicebat. Hi etiam antequam quidquam loqui inciperent, aliquam lectionem præmittebant. « Quando post nonam in ecclesia dictam diebus capituli in claustro convenimus, inquiunt in nova Collectione Statutorum, tunc antequam sedeamus, qui præest conventui dicit: *Benedicite.* Deinde sequitur lectio de Statutis vel Evangeliis; qua finita, colloquium habemus, in quo nullus consulere debet secreto, vel susurrare, vel dicere aliquid quod nolit ab omnibus intelligi vel audiri. Eamdem disciplinam observare videntur sanctimoniales Strictioris Observantiæ ordinis Cisterciensis in Hispania, quarum Constitutiones volunt (*Cap.* 11), ut « ubi abbatissa licentiam recreandi vel colloquendi dederit, sint colloquia religiosa, ad quod servire poterit pius aliquis liber. »

Data autem semel loquendi licentia, duo, vel tres, pluresve simul a superiore jungebantur; quibuscum, non cum aliis, de rebus honestis et piis sermonem invicem miscebant. Ita præscribunt antiqua S. Adalardi Statuta (*Lib.* II, *cap.* 6, *tom.* IV *Spicil.*): « Quando loqui licet, quia locutio semper ibi (in dormitorio) servanda est, sive duo, seu tres, seu etiam plures, sicuti fieri 187 solet quando de capitulo surgunt, conjungantur. » Vel promiscue, ut ferebat animus, quibuscum cupiebat unusquisque loquebatur: et hæc videtur fuisse Cluniacensium, Carthusiensium, imo et Cisterciensium, ut supra collegimus ex S. Bernardo, consuetudo. Tunc qui aliqua re indigebant, hanc potissimum eo tempore petebant, ut de Cluniacensibus scribit Udalricus, et Carthusiensibus suis præscribit Guido his verbis: « Post nonam convenimus in claustro de utilibus locuturi: in hoc spatio incaustum, pergamenum, pennas, cretam, libros seu legendos seu transcribendos a sacrista; a coquinario vero legumina, sal, et cætera hujusmodi poscimus, et accipimus. » Vel denique omnes uno in loco residentes, se invicem loquentes auscultabant, ut velle videtur S. Hildegardis. Atque ad hos potissimum spectat præclara illa S. Basilii admonitio (*Serm.* 2 *de* B *Instit. monach.*): « Inutilis sermo, et quæ ex mutuis colloquiis oritur importuna elatio non proferatur, sed si quid utile ad ædificationem animarum, hoc solum convenit loqui; et hæc ipsa quæ utilia sunt, cum ordine, et decenti tempore, et ab his a quibus dici oportet. Si quis de inferioribus sit, exspectet donec invitetur ad loquendum a superiore; susurrationes vero atque ad aures locutiones, et per nutus significationes submoveantur, quia susurratio suspicionem detractionis habet, et quæ per nutum fit significatio, dolum alicujus rei latere indicat: fratri porro ex his talibus nascuntur odia et suspiciones. Quoties vero inter se colloquium habere necesse est, modum vocis necessitas definiat, ut scilicet illi qui prope est, dulciori voce loquantur; eum autem qui longe est, altiori voce appellent, ut qui dat alicui consilium, aut aliquam de re aliqua exhortationem habet, majori et asperiori voce utatur, ut nihil contumeliosum in conventu reperiatur. » An C vero de hujusmodi colloquio intelligendus sit hic locus ex Vita S. Pachomii: « Consuetudo autem illis erat jam inde ab initio, circa vesperam, manuali opere ac cœna peractis, in unum simul considere ad scrutandas Scripturas, ab omni alia sollicitudine tunc liberi, præterquam ab ea quæ salutem eorum concernebat. »

Porro utrum isthæc colloquia recreationes aut alio nomine appellare liceat, parum refert, cum non tam ad delectationem quam ad infirmorum solatium indulta sint. Certe, sicut corpus recreare dicimus, cum post longum jejunium vilissimis cibis vescimur, ita cum post prolixum silentium de bonis et ad ædificationem eloquiis loquimur, hoc exhaustum animum recreare, nihil vetat appellare, dummodo absit omnis de sæculo, de regibus, principibus, prælatis, aliisque hujusmodi, quæ passim vetant omnes tam veteres quam recentes monachorum constitutiones, sermo. Recte omnino ms. liber de Doctrina D noviliorum (*Cap.* 14): « Nunquam loquaris de sæculo, vel de guerris; nec audias referentes, cum illud sit venenum mortiferum animarum. » *Vide* Petri Damiani opusc. 49, cap. 10.

Cæterum extra hujusmodi colloquia, de quibus hactenus fuse disseruimus, quæque erant rara, perpetuum monachi silentium servabant, 188 gravissimis etiam subjicientes pœnis illud temere violantes. De his pœnis adversus silentii infractores Regula Cujusdam ad Monachos ita decernit (*Cap.* 16): « In omnibus nihil loquendum, nisi quod necessitas poposcerit. Si quis præter hanc disciplinam, cum clamore et acerbiore sermone responderit, notetur usquequo corrigatur. Si autem hoc vitio curari non poterit, ejiciatur ab unitate fratrum. » Pœnæ incerti auctoris apud S. Basilium, n. 15: « Si quis vesper post *Pater noster* inveniatur colloquens, excommunicetur. » Liber Antiquarum Definitionum ordin. Cisterciensis (*Dist.* 7, *c.* 5): « Qui scienter de silentio

infra abbatiam intus vel foris rupto se recognoverit, et culpabilis inventus fuerit, uno die sit in pane et aqua, et in capitulo verberetur; qui vero passim et ex consuetudine illud fregerint, si sæpius correpti non emendaverint, omni sexta feria sint in pane et aqua usque ad congruam emendationem, et ad nutum proprii abbatis ultimi omnium habeantur. » Similiter Constitutiones sanctimonialium Strictioris Observantiæ ejusdem ordinis in Hispania (*Cap.* 12): « Pœnitentia injungenda illi quæ silentium solverit, est disciplina, et aqua et panis humi, in quo abbatissa raro dispenset. » Statuta vetustissima Gallica pro monialibus B. Mariæ Sopwell in Anglia, a Michaele S. Albani abbate ante annos trecentos renovata : *Pur ceo que vous estes tenus par la reule de Seint Beneyt à la silence tenir en l'Eglise, en l'encloistre, en le refegiour, et en le dortour : vous commendoms que la silence soit tenuë en les lieux avant dits : Et si nulle enfreigne la silence, preigne sa veyne en chapitle, et preigne discipline regulere, reconnoissante sa coulpe. Et si tiele que enfreyne silence ne voille de gree prendre sa veyne, soit clame par gardeyne del ordre, et mise à plus rude penaunce. Et si avygne que ascune tense, oue autre desordinement, soit celle mise en silence par tice, et teigne la penaunte tres jour.* Denique Carthusienses in Nova Collectione Statutorum (II *part.*, *c.* 14, *n.* 7): « Qui absque licentia silentium fregerit, culpam suam recognoscat, et disciplinam cum virgis accipiat in dominica proxime sequenti.... Si assuetus fuerit in frangendo, vino privetur, aut ad terram comedat, vel alia pœna arbitrio prioris puniatur. » Et alibi (*Cap.* 8, *n.* 5): « Dicentes autem culpas suas de fractione silentii debent exprimere locum, vices et qualitates personarum; et tenentur disciplinas cum virgis a præsidente recipere.... Et omnes priores servent, et servare faciant istud statutum de disciplinis pro fractione silentii dandis; alias visitatores super hoc provideant. »

Quia scriptum est : In multiloquio non effugies peccatum. « Nam multiloquium, ut ait S. Joannes Climacus (*Grad.* 11), sedes est vanæ gloriæ, per quam seipsam ostentare, et in scænam ac theatrum solet deducere. Multiloquium est ignorantiæ argumentum, fenestra obtrectationis, scurrilium nugamentorum magistra, ministra mendacii, compunctionis abstersio, auctrix et conciliatrix ignaviæ, somni nuntia, meditationis distractio, custodiæ cordis abolitio, fervoris divini frigidarium, orationis languor seu potius exstinctio. » Quid autem sit multiloquium explicat S. Augustinus his verbis (*Lib.* III *contra Cresc. cap.* 1): « Multiloquium **189** est superflua locutio, vitium scilicet loquendi amore contractum. Plerumque autem loqui amant etiam qui nesciunt quid loquantur, vel quomodo loquantur. » Et alibi (*Lib.* I *Retract.*, *in prol.*): « Absit ut multiloquium deputem, quando necessaria dicuntur, quantalibet sermonum prolixitate dicantur. » Ostendens eum solum multiloquii vitio laborare, qui multa sine necessitate; non eum qui justa ex causa, ratione sui officii, aut alterius necessitatis loquitur multa.

Et alibi : Mors et vita in manibus linguæ.] Potest enim occidere, aut vivificare, et eum qui loquitur, et eum cui loquitur, et eum de quo loquitur.

Nam loqui et docere magistrum condecet.] Illi enim per Prophetam dicitur : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum* (*Isai.* LVIII). Apposite autem S. Benedictus ait *loqui et docere* : « Id est ad hoc debet loqui ut doceat, inquit Bernardus Cassinensis : neque enim verba magistri debent esse nisi doctrina, quia qui alios admonet ad taciturnitatem, debet habere sermonem ædificativum, ratione comptum, et suo tempore suaque congruitate prolatum; unde non dixit B. Benedictus tantum : *Magistrum loqui condecet*, sed *loqui et*
A *docere*, ut sit sua loquela instructio discipuli, et doctrina ædificatio ejus. »

Tacere et audire discipulo convenit.] Hinc Scriptura : *Audi*, inquit, *tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia* (*Eccli.* XXXII). Plane primus philosophiæ nuncupator et creditor Pythagoras accedentes discipulos nihil ante docuit quam tacere; primaque apud eum meditatio futuro sapienti erat linguam omnem coercere : unde et quinquennii silentium discipulis imponebat; quod illi, ut profanam discerent philosophiam, muti cum gaudio persolvebant. Multo nos potiori jure, ut pote cœlestis philosophiæ discipulos, tacere condecet; nisi forte monachi mores et professionem exuere animus sit : « Vita enim monachi, inquit Joannes Monachus (*Lib.* II *Vitæ S. Odonis*, *n.* 11, *sæc.* V), usque adeo est aliquid donec sub silentio esse studuerit : eo vero remoto, quidquid bene et honeste se agere putaverit, secundum institutionem Patrum nihil erit. »

Et ideo si qua requirenda sunt.] Corporalis spiritalisve necessitatis. B

A priore.] *Id est superiore*, infit Nicolaus de Fractura, sive abbate, qui nomine prioris intelligitur in omnibus Regulæ locis, in quibus vox *prior* sumitur singulariter, et absolute, et non respective, ut probat Menardus. Hic tamen prioris vocabulum non solum pro abbate, sed etiam « pro quocunque seniore, vel priore tempore » usurpari æstimat Boherius; Joannes vero Craesbreeck pro eo qui prior est ordine, loco, ætate, doctrina, alicujus artis peritia, quilibet scilicet senior, prudentior, doctior; Nicolaus Bravus pro eo qui præest conventui, sive sit abbas, aut præpositus, aut quivis alius professione antiquior. Posset etiam intelligi de præposito, juxta illud Regulæ Cujusdam ad virgines (*Cap.* 22): « Nulla monacharum per semetipsam de propria **190** necessitate abbatissæ suggerat, sed omnes per præpositam quidquid necessitatum fuerit abbatissæ studeant intimare. »

C *Cum omni humilitate et subjectione reverentiæ requirantur.*] Ad quem locum Bernardus Cassinensis : « Tria, inquit, ponit in verbis utilibus observanda, videlicet humilitatem, subjectionem, et reverentiam. Humilitas interius monachum disponit; subjectio subditum esse in gestis exterioribus ostendit, ordinat, et disponit; et reverentia sermonem debito condimento componit. » Vel etiam cum humilitate et subjectione reverentiæ, id est ut quidquid responderit, ratum fixumque teneatur, nihil prorsus objiciens. Ex ms. autem Regula incerti auctoris cap. 8 : « Horis tibi ad opus exercendum deputatis quidquid ministris tuis et tibi necesse fuerit, invicem brevi sermone definienda est querimonia.... Cum autem tibi necessitas incumbit loquendi, auctoritas cujusdam sancti Patris jubet ut dicas prius tertio : *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam :* quo perdicto, mox cum omni celeritate, festinanter, cum fervore charitatis redde responsum le-
D viter, et sine risu, humiliter, et pauca verba et rationabilia loquaris. »

Scurrilitates vero. Quid sit scurrilitas discimus ex S. Hieronymo, stultiloquium inter et scurrilitatem discrimen ita explicante : « Inter stultiloquium et inter scurrilitatem apud Paulum (*In epist. ad Ephes. c.* V) hoc interest, quod stultiloquium nihil in se sapiens et corde hominis dignum habet. Scurrilitas de prudenti mente descendit, et consulto appetit quædam vel urbana verba, vel turpia, vel rustica, vel faceta; quam nos jocularitatem alio verbo possumus appellare, ut risum moveat audientibus. » Ex quibus habemus scurrilitatem posse in bonam malamque partem accipi, ut pote quæ et in urbana, et in turpia verba se effundat. Sed hic a S. Benedicto sumi in malam partem constat ex communi et universali omnium sententia; unde Bernardus Cassinensis scurrilitatem describens ait : « Scurrilitas est

verbum turpe, turpisque joci, vel improbum, vel irrisione dignum. »

Hujusmodi scurrilitates æterna clausura damnat S. Benedictus, et ante eum S. Basilius, S. Hieronymus, S. Nicetius, et alii. S. Basilius (*Const. monast. c.* 13), « Vitandæ sunt, inquit, omnes omnino in sermone facetiæ, et scurrilis dicacitas; siquidem fieri solet plerumque, ut qui sese in rebus hujusmodi occupant, ii rectam rationem deserant; quippe cum ex eo illud fiat, ut animus ad ridicula diffundatur, et in tacita secum cogitatione gravitatis severitatisque nervos omnes elidat. » Sanctus Hieronymus ad Nepotianum scribens (*Epist.* 2): « Omnes delicias, et lepores, et risu dignas urbanitates, et cæteras ineptias amatorum, in comœdis erubescimus, in sæculi hominibus detestamur; quanto magis in monachis et in clericis, quorum et sacerdotium proposito, et propositum ornatur sacerdotio! » S. Nicetius abbas et postea episcopus (*Apud Gregor. Turon. l. de Vit. Pat., c.* 17): « Cavenda est scurrilitas, dilectissimi, et omne verbum otiosum, ut sicut corpus omne purum exhibere debemus Deo, ita etiam et os non ad aliud **191** nisi ad laudem Dei. » His adde gravissimam S. Bernardi sententiam (*Lib.* II *de Consid. c.* 13): « Inter sæculares nugæ, nugæ sunt; in ore sacerdotis (nec minus monachi) blasphemiæ. Interdum tamen si incidant, ferendæ fortassis, referendæ nunquam. Magis interveniendum caute et prudenter nugacitati. Prorumpendum sane in serium quid, quod non modo utiliter, sed libenter audiant, et supersedeant otiosis. Consecrasti os tuum Evangelio, talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegium est, etc. »

Non mirum est igitur, si gravissimis pœnis tam in monachis quam in clericis damnatas scurrilitates legamus; nam, verbi gratia, concilium Carthaginiense IV (*Can.* 60), *Clericum scurrilem, et in verbis turpibus jocularem* ab officio retrahendum edicit; et inter excerpta ex lib. II Pœnit. Egberti episcopi, vigesimum septimum ita habetur: « Si quis presbyter, diaconus, aut monachus otiositatem, stultiloquium, scurrilitatem, garrulitatem, somnum, pigritiam, torporem, et his similia dilexerit, triduo pœniteat. » Quibus accedunt antiquæ monachorum regulæ; quas inter Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii ita decernit (*Cap.* 15): « Si aliquis deprehensus fuerit in risu, vel in scurrilitate sermonis, sicut ait Apostolus, quæ ad rem non pertinet, jubemus hujusmodi duarum hebdomadarum spatio, in nomine Domini omni flagello humanitatis coerceri. » Regula Tarnatensis (*Cap.* 13): « Qui joculare aliquid, vel risui aptum in conventu fratrum proferre præsumpserit, vel qui cum junioribus verba otiosa narrare voluerit, aut habere amicitias ætatis infirmæ, increpationi ut dignus est subjacebit. » Regula S. Ferreoli, postquam jocos, plausus et cachinnos prohibuit, maxime in oratorio et ad mensam, addit (*Cap.* 24): « Quod si quis non custodierit, præsenti denuntiatione commonitus, triduani eum jejunii mulctatio castiget. » Denique Regula S. Donati ad virgines (*Cap.* 28): « Fabulas otiosas proferens ad alteram, et statim semetipsam reprehendens, venia tantum sufficit. Si autem se non reprehenderit, tractantes eas superpositione silentii, aut quinquaginta percussionibus pœniteant. » His addere possemus gravissimas pœnas, quibus scurrilitates aliquando Judex justus Dominus mulctavit, ex quibus lugubre prorsus exemplum nobis exhibet Durandus, ex monacho Cluniacensi episcopus Tolosanus, quod videre est in Vita S. Hugonis auctore Raynaldo, n. 18, apud Bollandum, 29 Aprilis.

Porro ad vitandam omnem scurrilitatis occasionem Cassinenses vetant teneri aves aut animalia ad jocum et levitatem promoventia; omne quoque ludi genus interdicunt. « Ludos etiam cujuscunque sint generis, jocos, et fabulas, et verba obscena, et choreas ita prohibent Cœlestini (*In Const. c.* 12, § 3), ut si quis secus fecerit, per mensem in carceribus

A detineatur, et alias pro culpæ merito ad arbitrium superioris corrigatur. » Fulienses vero (*In Const. c.* 6) aves, canes, aut aliud animal ad delicias comparatum alentes jejunio in pane et aqua plectunt; qua etiam pœna dissolutiones, manuum injectiones, impulsiones, et hujusmodi jocos puniunt Cassinenses.

192 Scurrilitatum tamen nomine non prohibentur honesti joci, quibus nonnunquam usos fuisse pios viros legimus, et quales erant Petri Venerabilis, quos laudat S. Bernardus ad eum sic scribens: « Placet, fateor, jocus, est enim et jucunditate gratus, et serius gravitate; nescio siquidem quomodo inter jocandum ita disponitis sermones vestros in judicio, ut et jocus levitatem non redoleat, et auctoritas conservata hilaritatis non minuat gratiam. »

Et verba otiosa.] Verbum otiosum S. Basilio (*Regul. brev. cap.* 23) est « omne verbum quod ad propositum in Domino usum non facit. » S. Hieronymo (*In Matth.* XII), « quod sine utilitate et loquentis di-

B citur et audientis; si omissis seriis, de rebus frivolis loquamur, et fabulas narremus antiquas. » S. Gregorio (*In Pastorali,* III *parte, cap.* 15), « quod ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. » Hujusmodi verba una cum scurrilitatibus sub eadem clausura damnat S. Benedictus, a quibus nos aliunde satis deterrere deberet terribilis Christi sententia dicentis, quoniam *omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Quam ad sententiam attendens Petrus Damiani (*Lib.* V, *ep.* 2), « Dum hæc, inquit, Evangelii verba considero, quid aliud quam quoddam nobis commercium propositum esse perpendo? quia nimirum et momentaneo risu perpetuus fletus eruitur, et temporali fletu perpetua lætitia comparatur. » Hac sententia deterrebantur Pachomiani, apud quos, teste Rufino (*Lib.* III *de Vit. Patr.* 35), *impossibile* erat aliquem verbum otiosum loqui. Hac deterrebantur SS. Serapion, Macarius, Paphnutius, et alter Macarius, quorum in Regula lego (*Cap.* 15): « Si quis ex fra-

C tribus sermonem in congregatione otiosum emiserit, ne reus sit concilii, præcipimus eum triduo a fratrum congregatione vel colloquio esse alienum, ut nullus cum eo jungatur. » Multo severior videtur Regula Cujusdam ad Monachos (*Cap.* 8): « Mendacium, inquit, et juramentum, sive verbum otiosum per omne corpus fraternitatis damnandum est. Si quis sit ex fratribus cum quo aliquid horum inventum fuerit, mittendus est in carcerem, et pœniteat usquequo a vitio corrigatur... Si quis ex fratribus post examinationem carceris cavere hæc vitia non poterit, ejiciendus est a fratribus, et damnandus est. »

Et risum moventia.] Inter quæ et scurrilitatem hoc discriminis afferunt Hildemarus et Bernardus Cassinensis, quod scurrilitas ad lasciviam pertineat, verba risum moventia etiam aliquando ad sapientes spectant. De his egimus supra ad cap. 4.

Æterna clausura in omnibus locis damnamus, etc.] Hic iterum cum Hildemaro Bernardus Cassinensis et

D Boherius observant verbis utilibus a S. Benedicto appositam fuisse custodiam, scurrilibus, otiosis, et risum moventibus murum, perpetuum velut obicem. Quod addit: *In omnibus locis,* ostendit utilia ac necessaria verba non omnibus esse in locis damnata, quamvis nec in omnibus licita; quare pro capitis hujus clausula operæ pretium fortassis erit, quibus potissimum in locis loqui monachis esset prohibitum brevi disserere.

Duo præsertim loca apud veteres monachos adeo sacra erant, ut in **193** iis solvere silentium nemini liceret, oratorium scilicet et refectorium. Ita S. Euthymius, referente Cyrillo (*In ejus Vita n.* 17, *tom.* II *Monum. Eccl. Græc.*), « suadebat honestum amplecti silentium in templo Domini, neve quis loqueretur in synaxi fratrum dum sacra peraguntur mysteria; sed nec in refectorio fratribus ad cœnam collectis linguam laxare, verum in utrisque manere in eodem silentio. » Ita Regula Cujusdam ad Monachos (*Cap.* 16):

« Silentium, inquit, in omnibus sectandum est, et tacendi disciplina per omnia facienda est, maxime autem juxta missam et mensam. » Ita etiam S. P. Benedictus summum ad mensam silentium præscribit cap. 38, et ad oratorium cap. 52, ubi sub nomine oratorii intelligenda est etiam sacristia : unde inter S. Adalardi capitula tertium habetur *De silentio in secretorio, seu in ecclesiis.* Existimat etiam Benedictus Haeftenus silentium a S. Benedicto institutum fuisse in dormitorio, quod ex eo colligit quod nemini post completorium loqui permittat S. Pater, et vix alio tempore solerent fratres dormitorium habitare. Contrarium tamen videtur in Statutis S. Adalardi lib. II, cap. 6. Sed neque id apparet ex Consuetudinibus S. Benedicti Anianensis (*Tom. IV Analect.*), in quibus decernitur « in oratorio summum silentium... in sacrario magnum silentium... in refectorio summum silentium... in claustris hora lectionis summum silentium, » nulla dormitorii facta mentione. De nonnullis tamen monasteriis ibidem additur : « Vidimus etiam et illud observabile, si quis ad perfectionem taciturnitatis venire desideret, quod nullus fratrum in quolibet loco loqui aliquid præsumebat, præter duo ad hoc deputata. » Quænam porro essent illa duo loca locutioni destinata ibidem non exprimitur, sed observatu dignissimum prorsus existimo quod subjicitur : « In ecclesia nullum præter officium divinum, et verba orationis. Si alicui cuilibet loqui necessitas erat, tacto vestimento abbatis, vel cujuslibet fratris, annuit ad illa loca; expositisque paucissimis verbis, vel rationabilibus, statim abscesserunt, timentes ne propter necessaria verba, in nociva et inutilia inciderent. » Cujus observantiæ praxim, si bene memini, videre est in Vita Notkeri Balbuli sæc. V, hancque fortasse respicit locus ex libro Mirac. S. Dunstani n. 20 : « Ille sciens moris non esse monachos in oratorio loqui, digitis innuit ipsum ibi nequaquam debere loqui, » etc., quæ obiter dicta sint. Venio ad Cluniacenses, quorum antiquas consuetudines describens Udalricus, sic loquitur (*Lib.* II, *c.* 3) : « Tales in claustro sunt officinæ, in quibus traditum est a patribus nostris et præfixum ut perpetuum silentium teneatur ; in ecclesia, dormitorio, refectorio, et in coquina regulari ; in his locis tam in die quam in nocte, si vel unum verbum quoquo audiente loquitur, non facile veniam absque judicio meretur. » Eadem leguntur in mss. Benigni Divionensis Consuetudinibus cap. 31. At multo plura silentio addicta fuisse loca patet ex sequenti Petri Venerabilis statuto (*Stat.* 19) : « In infirmaria Cluniacensi, quæ quinque habitaculis sub uno tecto divisis distinguitur, tali discretione silentium teneatur, ut in ea parte in qua fratres defunguntur, quæ media est, et in illa quæ superior a parte meridiana est, silentium et collocutio antiquo **194** more servetur; in tribus vero aliis claustri regularis silentium teneatur. Sic in cella novitiorum, et adjacenti claustro, sive officinis, exceptis novitiis et eorum magistro, qui ubi et quando loqui solent, loquentur; exceptis etiam episcopis et abbatibus supervenientibus, majori priore, et subprioribus ordinis custodibus, qui in partibus ipsius cellæ novitiorum, et ipsi loqui poterunt, et in præsentia tantummodo eorum alii. In operatoriis vero universis continuum teneatur silentium, excepto uno tantum magistro uniuscujusque operatoriæ domus, et exceptis operatoriis novæ ecclesiæ, et operatoriis ipsorum. Teneatur insuper claustri silentium in cœmeterio, et claustro cœmeterii, in sacristaniis omnibus, et via quæ ad domos superiores ducit, quæ juxta majorem ecclesiam sunt, et in adjacentibus locis, exceptis supradictis abbatibus et prioribus, quibus in partibus illis loqui supradicto modo licebit. » Tantam tamen silentii districtionem in parvis cellis seu prioratibus, ut vocant, haud exigebat idem Petrus Venerabilis ; nam statuto 42 decernit, « ut ubi duodecim fratres esse non potuerint, saltem in refectorio, et dormitorio semper; in claustro vero ab hora vespertina usque ad horam tertiam alterius diei perfectum silentium teneatur. Nam quod universaliter in omnibus ecclesiis semper et ubique teneri debeat, certum est. »

In Anglicano S. Albani monasterio, post medium sæculum XI, Paulus abbas ejusdem loci « silentium omnimodum in ecclesia, in claustro, in refectorio, et maxime in dormitorio inviolabiliter observari constituit, » ut scribit Matthæus Parisius (*In Vitis viginti trium abbatum S. Albani*), qui etiam paulo post addit : « In infirmaria silentium, præcipue autem in capella, et ubique post completorium teneri constituit. » Eadem loca, infirmitorio excepto, silentio perpetuo deputant summi pontifices Innocentius III et Gregorius IX, in editis pro Benedictinis constitutionibus. Similiter S. Stephanus, ordinis Grandimontensis institutor, in Regula cap. 47, id quod post Innocentium IV renovavit Clemens V, statuta pœna, ut « quicunque frater fractione dicti silentii considerate facta reus inventus fuerit, pro transgressione qualibet, sine misericordia et dispensatione, sit una die in pane et aqua, et in capitulo verberetur, nisi prius completa parte pœnitentiæ potus aquæ, et aliorum ciborum abstinentiæ de vera humilitate pœnitentis, et de ipsius firmo proposito emendandi priori vel ejus locum tenenti fore cum eo super residuo pœnitentiæ videbitur dispensandum ; et si sæpius sic correctus non emendaverit, ex tunc pro qualibet transgressione per duos dies in solo refectorii, aliis comedentibus, sedens pane grosso familiæ et aqua contentus existat ac illis duobus diebus in capitulo vapulet; nec super iis a priore vel alio præsidente valeat dispensari, majori pœna per priorem ulterius puniendus, si hoc meruit protervitas contumacis. » Prædictis quatuor locis silentio destinatis Cistercienses addunt scriptoria (*Lib. antiq. Definit.*, *dist.* 7, *cap.* 5), ubicunque ex consuetudine scribunt monachi. Addendus insuper focus communis, in quo, ex antiquo ordinis nostri more, inviolabile silentium servabatur, ut patet ex Hildemaro, antiquissimo Regulæ commentatore, in **195** hoc caput ita scribente : « Si hiemis tempus fuerit, et propter frigus convenerint omnes in unum ad calefaciendum se, silentium debet ibi esse, et nullus debet ibi loqui. » Et ex S. Dunstani Concordia : « A calendis Novembris concedatur fratribus accessus ad ignem dum necessitas compulerit, et frigoris nimietas incubuerit, quod tamen sub silentio fiat. »

Quod spectat ad recentiores congregationes, Casinenses volunt (*Declar. Casin. ad Reg.*, *c.* 52), ut « Servetur semper silentium in choro, in dormitorio et in refectorio, etiam extra horam refectionis, et in quadam parte claustri circa capitulum, excepto si in dictis locis oporteret aliqua loqui breviter, et submissa voce. Hujusmodi etiam silentium servetur ad ignem communem fratrum. » Calasini renovant Innocentii Papæ III Constitutionem, qua præcipitur « silentium observari in quatuor locis regularibus, scilicet in ecclesia, claustro, refectorio, et dormitorio. » Idem videre est in editis anno 1536 Statutis reformatoriis pro monasterio S. Porciani, et anno 1549 pro monasterio S. Columbæ. Fuliensium Constitutiones cap. 42 addunt : *In capitulo.* Denique in nova collectione Statutorum Carthusiensium decernitur (*Parte* II, *c.* 14, *n.* 9), ut « silentium ubique, sed maxime in ecclesia, capitulo, refectorio, claustro et rasura strictius servetur.

CAPUT VII.

De Humilitate.

Clamat nobis divina Scriptura, fratres, dicens : *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XIV). Cum hæc ergo dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiæ : quod se cavere Propheta indicat, dicens *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me* (*Psal.* CXXX). Sed quid? *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam, sicut ablactatus* [a] *super matre sua* [b], *ita retribues in animam meam.*

Unde, fratres, si summæ humilitatis volumus culmen attingere, et ad exaltationem illam cœlestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter pervenire : actibus nostris ascendentibus [c], scala illa erigenda est quæ in somnio [d] Jacob apparuit (*Gen.* XXVIII), per quam ei descendentes **196** et ascendentes angeli monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille et ascensus a nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, et humilitate ascendere. Scala vero ipsa erecta, nostra est vita in sæculo : quæ humiliato corde a Domino erigitur ad cœlum. Latera enim ejusdem scalæ, dicimus nostrum esse corpus et animam ; in qua latera [e] diversos gradus humilitatis vel disciplinæ evocatio [f] divina ascendendos inseruit.

Primus itaque humilitatis gradus est, si timorem Dei [g] sibi ante oculos semper ponens, oblivionem omnino fugiat [h] ; et semper sit memor omnium quæ præcepit Deus : et qualiter [i] contemnentes Deum, in gehennam pro peccatis incidunt [j] ; et vitam æternam quæ timentibus Deum præparata est, animo suo semper evolvat [k]. Et custodiens se omni hora a peccatis et vitiis, id est cogitationum, linguæ, oculorum [l], manuum, pedum, vel voluntatis propriæ : sed et desideria carnis amputare festinet [m].

Æstimet se homo de cœlis semper a Deo respici omni hora, et facta sua in omni loco [n] ab aspectu Divinitatis videri, et ab angelis omni hora renuntiari. Demonstrat nobis hoc Propheta, cum in cogitationibus nostris ita Deum semper præsentem ostendit, dicens : *Scrutans corda et renes Deus* (*Psal.* VII). Et iterum : *Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt* [o] (*Psal.* XCIII). Et item dicit : *Intellexisti cogitationes meas a longe* (*Psal.* CXXXVIII) : et, *Quia cogitatio hominis confitebitur tibi* (*Psal.* CXXXVIII). Nam, ut sollicitus sit circa cogitationes suas perversas, dicat semper utilis frater in corde suo : Tunc ero immaculatus coram eo, si observavero me ab iniquitate mea (*Psal.* XVII).

197 Voluntatem vero propriam, ita facere prohibemur, cum dicit Scriptura nobis : *Et a voluntatibus tuis avertere* [p] (*Eccli.* XXVIII). Et iterum : Rogamus Deum [q] in oratione, ut fiat illius voluntas in nobis (*Matth.* VI). Docemur ergo merito non facere nostram voluntatem, cum cavemus illud, quod dicit sancta [r] Scriptura : *Sunt viæ quæ videntur hominibus* [s] *rectæ; quarum finis usque ad profundum inferni demergit* (*Prov.* XVI). Et cum item cavemus [t] illud, quod de negligentibus dictum est [u] : *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in voluntatibus* [v] *suis* (*Psal.* LII). In desideriis vero carnis ita nobis Deum credamus semper esse præsentem, cum dicit Propheta Domino : *Ante te est omne desiderium meum* (*Psal,* XXXVII). Cavendum ergo ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est. Unde Scriptura præcipit, dicens : *Post concupiscentias tuas non eas* (*Eccli.* XVIII). Ergo si oculi Domini speculantur bonos et malos, et Dominus de cœlo semper respicit super filios hominum (*Psal.* XXXIII), ut videat si est intelligens, aut requirens Deum : et si ab angelis nobis deputatis quotidie die noctuque Domino factori nostro [x] opera nostra nuntiantur, cavendum est ergo omni hora, fratres, sicut dicit in psalmo Propheta, ne nos declinantes in malo et inutiles factos (*Psal.* LII), aliqua hora aspiciat Deus, et parcendo nobis in hoc tempore, quia pius est, et exspectat [y] nos converti in melius, ne dicat nobis in futuro : *Hæc fecisti* [z], *et tacui* (*Psal.* XLIX).

[a] Al., *ablactatum.*
[b] Al., *matrem suam.*
[c] Deest apud Hild. *ascendentibus.*
[d] Al., *somno.*
[e] Al., *in quæ latera.* Al., *inter quæ latera.* Al., *in quibus.* Al., *in quibus lateribus.*
[f] Ita omnes mss.; sed Hild. cum editis, *vocatio.*
[g] Deest apud Hild. et in uno ms., *Dei.*
[h] Hild., *oblivionem præceptorum Dei omnino fugiens.* Afflig., *elationem omnino fugiat monachus.*
[i] Oxon., Concord., Flor., *ut qualiter.*
[j] Oxon., *gehennam de peccatis incedunt.* Flor., *in gehenna de peccatis incidunt.* Cassin., Conc., Regula Magistri ms., *gehenna de peccatis incendat;* quam lectionem præfert Menardus. Boherius tamen ita scribit : « Smaragdus et Italici habent : *Gehennam de peccatis incendunt.* Prima littera magis plana, minori indiget glossa. » Nihilominus Italica nihil habet difficultatis, nec sine fundamento vulgatam lectionem rejicit Menardus, tanquam ab imperito correctore profectam.
[k] Recentiores, *revolvat.*
[l] Deest *oculorum* in Conc., Flor. et mss. Cassin.
[m] Menardus hæc verba *amputare festinet* amputanda existimat : exstant tamen in cod. Oxon.
[n] Al., *omni loco*, omisso *in.*
[o] Hæc verba, *quoniam vanæ sunt*, desunt in Oxon., Cassin., Conc., Hild., Lyr. Compend. et aliis ; ea tamen exponit Hildemarus.
[p] Oxon., *averte.*
[q] Deest *Deum* in Conc. et Flor.
[r] Deest *sancta* in Cass., Conc. et Flor.
[s] Al., *videntur ab hominibus.* Hild., Sabin., Conchens., Lyr., *putantur ab hominibus.* Oxon., *putantur hominibus.*
[t] Cass., *pavemus.* Flor., *paveamus.*
[u] Oxon., *scriptum est.*
[v] Quinque mss. cum quibusdam editis, *voluptatibus.*
[x] Cass., *factorum nostrorum.*
[y] Smar., *exspectans.* Lyr. et Ebrul., *exspectando.*
[z] Conchens., *hæc fecistis.*

Secundus humilitatis gradus est, si propriam quis non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere: sed vocem illam Domini factis imitetur, dicentis: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me* (*Joan.* VI). Item dicit Scriptura: *Voluntas* [a] *habet pœnam, et necessitas parit coronam.*

Tertius humilitatis gradus est, ut quis pro Dei amore, omni obedientia se subdat majori, imitans Dominum, de quo dicit Apostolus: *Factus est* [b] *obediens usque ad mortem* (*Phil.* II).

Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris **198** et contrariis rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis injuriis, tacita conscientia patientiam amplectatur [c]: et sustinens, non lassescat vel discedat, dicente Scriptura: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV). Item, *Confortetur cor tuum, et sustine Dominum* (*Psal.* XXVI). Et ostendens fidelem [d] pro Domino universa etiam contraria sustinere debere, dicit ex persona etiam sufferentium: *Propter te morte tota die afficimur: æstimati sumus ut oves occisionis* (*Psal.* XLIII).

Et securi de spe retributionis divinæ, subsequuntur gaudentes, et dicentes: *Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos* (*Rom.* VIII). Et item alio loco Scriptura: *Probasti nos*, inquit, *Deus; igne nos examinasti, sicut igne* [e] *examinatur argentum; induxisti nos in laqueum; posuisti tribulationes in dorso nostro* (*Psal.* LXV). Et ut ostendat sub priore debere nos esse, subsequitur, dicens: *Imposuisti homines super capita nostra.* Sed et præceptum Domini in adversis et in injuriis, per patientiam adimplentes, qui percussi in maxillam [f], præbent et aliam; auferenti tunicam, dimittunt et pallium (*Matth.* V): angariati [g] milliario, vadunt et duo (*Luc.* VI); cum Paulo apostolo falsos fratres sustinent, et persecutionem [h]: et maledicentes se benedicunt (*II Cor.* XI).

Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala a se absconse commissa, per humilem confessionem abbati [i] non celaverit suo. Hortatur [j] nos de hac re Scriptura, dicens [k]: *Revela Domino viam tuam, et spera in eum* (*Psal.* XXXVI). Et item dicit: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CV). Et item Propheta: *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitias meas non operui* [l]. *Dixi: Pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino; et tu remisisti impietatem cordis mei* [m] (*Psal.* XXXI).

Sextus humilitatis gradus est, si omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus; et ad omnia quæ sibi injunguntur, **199** velut operarium malum et indignum se judicet, dicens sibi cum Propheta: *Ad nihilum redactus sum, et nescivi: ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum* (*Psal.* LXXII).

Septimus humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem et viliorem, non solum sua lingua pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu, humilians se, et dicens cum Propheta: *Ego autem sum vermis, et non homo; opprobrium hominum et abjectio plebis* (*Psal.* XXI); *exaltatus sum, et humiliatus, et confusus* (*Psal.* LXXXVII). Et item: *Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discam mandata tua* (*Psal.* CXVIII).

Octavus humilitatis gradus est, si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula, vel majorum cohortantur exempla.

Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat monachus; et taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur, monstrante Scriptura: Quia *in multiloquio non effugitur* [n] *peccatum* (*Prov.* X). Et quia *vir linguosus non dirigitur super terram* (*Psal.* CXXXIX).

Decimus humilitatis gradus est, si non sit facilis ac promptus in risu, quia scriptum est: *Stultus in risu* [o] *exaltat* [p] *vocem suam* (*Eccli.* XXII).

Undecimus humilitatis gradus est, si cum loquitur monachus, leniter et sine risu, humiliter cum gravitate, vel pauca verba [q] et rationabilia loquatur; et non sit clamosus in voce, sicut scriptum est: *Sapiens verbis innotescit paucis.*

Duodecimus humilitatis gradus est, si non solum corde monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus se semper indicet; id est, in opere [r], in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro: vel ubicunque sedens, ambulans, vel stans, inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, reum se omni hora de peccatis suis existimans, jam se tremendo judicio Dei [s] repræsentari æstimet; dicens sibi in corde semper illud, quod publicanus ille evangelicus, fixis in terram oculis, dixit: *Domine, non sum dignus, ego peccator, levare oculos meos ad cœlos* (*Luc.* XIII). Et iterum cum Propheta: *Incurvatus et humiliatus sum usquequaque* (*Psal.* CXVIII).

[a] Cass., Regula Magistri, Flor., Conc., Conch., Comp., Dunstanus, *voluptas.*
[b] Oxon. et alii mss. addunt *Patri.*
[c] Oxon., *tacite conscientium amplectatur.* Narb., *tacite conscientia amplectatur.* Flor., *tacitæ conscientiæ patientiam amplectatur.* Sabin., *tacita conscientia per patientiam amplectatur.* Quidam mss. cum editione Parisiensi et Guidone Juvenali, *tacita conscientiam amplectatur*, omisso *patientiam*, quod etiam reprobat Hildemarus, asserens verbum *amplector* tam servire dativo casui quam accusativo, et ita recte dici *amplecti injuriis* atque *amplecti injurias:* quare nec *patientiam* hic amplectitur.
[d] Narb., *fidem.*
[e] Deest in quibusdam *igne.*
[f] Cass., *in maxilla.*
[g] Flor., *angarianti.*
[h] Al. deest *et persecutionem.*
[i] Flor., *abbatem... suum.*
[j] Al., *Hortans.*
[k] Al., *dicit.*
[l] Al., *non abscondi.*
[m] Al., *peccati mei.*
[n] *Effugietur*, edit. *effugies.*
[o] Oxon. *in risum.*
[p] Narb. *exaltavit.*
[q] Deest in Oxon. *verba.*
[r] Cassin., Flor., Conc. et quidam alii, *in opere Dei.*
[s] Sabin., *judicii die.* Cass. et Flor., *judicio*, omisso *Dei.*

200 Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis, monachus mox ad charitatem Dei [a] perveniet illam, quæ perfecta foras [b] mittit timorem : per quam universa, quæ prius non sine formidine observabat, absque ullo labore velut naturaliter ex consuetudine [c] incipiet custodire; non jam timore gehennæ, sed amore Christi et consuetudine ipsa bona et delectatione [d] virtutum, quæ Dominus jam in operarium suum mundum a vitiis et peccatis, Spiritu sancto dignabitur demonstrare.

[a] Deest apud Hild. *Dei.*
[b] Al., *foris.*
[c] Conc. et Flor., *et consuetudine.*
[d] Hild. *dilectione.*

COMMENTARIUS.

Hoc caput, quod S. Benedictus subjungit silentio, Prophetæ secutus exemplum, qui ait : *Obmutui et humiliatus sum*, quanto apud veteres fuerit in pretio, exinde patet, quod et S. Donatus et Magister suis in Regulis illud integrum inseruerint; quod venerabilis Benedictus Clusensis S. Michaelis monasterii sæculo XI abbas illud « ut unusquisque memoriæ commendaret persuaderet, dicens ibidem virtutum summam constare, unde quis facile queat ad celsitudinem cœlestem scandere, » teste Willelmo ejus discipulo; quod in pleno concilio Carisiaco anno 838, præsentibus S. Carilefi monachis lectum sit, ut ad meliorem frugem reducerentur; denique quod Grimlaicus postquam multa de humilitate in solitariorum Regula disseruit, sic tandem concluserit : « Si cui de humilitate altius libuerit perscrutari, ad Regulam S. Benedicti percurrat, ibique duodecim humilitatis gradus satis luculenter expositos inveniet. » Est autem humilitas virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit, sive, ut citatus a Boherio S. Augustinus ait : « Virtus, per quam animus in nullo se efferens, nihilque boni sibi ascribens, exterius etiam dejecti præfert habitum. »

Clamat nobis divina Scriptura, fratres.] Clamat, non simpliciter admonet; surdos enim noverat homines ad humilitatis et abjectionis prædicationem, quos ad alta semper ferri probe sciebat.

Qui se exaltat humiliabitur.] Ut præclara hac similitudine explicat S. Augustinus (*Serm.* 22, *de Script.*): « Sicut deficit fumus deficiant. Qui sunt qui sicut fumus deficiunt, nisi superbi non confitentes peccata sua, sed defendentes? Quare fumo comparati sunt? Quia fumus erigit se, extollit se tanquam in cœlum, sed quanto fit superior, tanto facilius evanescit et disperit. Rursus considerate quod dixi : solidior est fumus igni proximus, et terræ proximus, nondum sic evanescit, nondum sic **201** est dispersus in ventos : quando autem attenuatur, evanescit, et disperit? quando se multum extulerit. Quia ergo superbus sic se erigit contra Deum quomodo fumus contra cœlum, restat ut ita deficiat, ut tanquam in ventos suæ vanitatis elatione dissipatus intereat, quemadmodum disperit fumus elatus tumida, non solida, magnitudine inflatus. Sic est enim fumus : vides magnam molem, habes quasi quod videas, et non habes quod teneas. » Quomodo autem humilientur qui se exaltant, et vicissim exaltentur qui se humiliant, Hildemarus et post eum Bernardus Cassinensis ita intelligunt, ut qui hoc in sæculo se exaltant, humilientur in futuro; et vicissim : verum non solum in futuro, sed etiam in præsenti Deus superbos humiliat, in grave aliquod peccatum eos cadere permittens, « sicut medicus sapiens in remedium majoris morbi patitur infirmum in leviorem morbum incidere, » ut angelici Doctoris exemplo utar (2-2, *q.* 162, *a.* 6, *ad* 3), frequentius autem in luxuriam : et vicissim etiam humiles hoc exaltat in sæculo; hinc pie Petrus Venerabilis (*Lib.* I *Mir.*, *cap.* 20) : « Sancti, infit, inter abdita latibulorum opera sua semper celare laborant; sed ea si homines taceant, lapides clamant. »

Cum hæc ergo dicit, ostendit omnem exaltationem genus esse superbiæ.] Supponit hic S. Benedictus plura esse superbiæ genera, et revera quatuor assignare videtur doctor mellifluus his verbis (*Serm.* 47, *de Divers.*) : « Est superbia cordis, superbia oris, superbia operis, et superbia habitus. Superbia cordis est, quando homo in oculis suis magnus est, contra quam Sapiens orat dicens : *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi*; et alibi : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris.* Superbia oris vel linguæ, quæ et jactantia dicitur, est quando homo non solum magna de se sentit, sed etiam loquitur; unde et Psalmista : *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.* Superbia operis est, quando homo exteriori quadam superbia, ut magnus appareat, agit, de qua idem Psalmista ait : *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Superbia habitus est, quando homo ut gloriosus videatur, pretiosis se ornat vestibus; unde Paulus : *Non in veste pretiosa*; et Dominus : *Qui in mollibus vestiuntur in domibus regum sunt*, ubi superbia abundat. »

Superbia autem quæ Cassiano est « sævissima bestia, et superioribus cunctis (vitiis de quibus locutus fuerat) immanior, perfectos maxime tentans, et propemodum jam positos in consummatione virtutum morsu diriore depascens, » a verbo *supereo* dicitur, ut superbire idem sit ac *super* se, *super* alios, *super* mensuram debitam *ire;* unde S. Isidorus (*De Sum. Bono.*, *cap.* 38) : « Superbus, inquit, dictus est, qui super vult videri quam est : qui enim vult supergredi quod est, superbus est. »

Quod se cavere Propheta indicat, dicens, etc.] Ut nos humilitatis sequi vestigia, superbiamque fugere persuaderet, ad Christi comminationem Prophetæ subjungit exemplum, de se dicentis : *Domine, non est exaltatum cor meum*, etc. Quibus verbis, ut observat Bernardus Cassinensis, duplicem declarat habere se humilitatem : interiorem **202** cum dicit : *Non est exaltatum cor meum;* exteriorem cum addit : *Neque elati sunt oculi mei*, etc. Quod ex Smaragdo est dicere : « Nihil meis meritis reputavi, nihil scientiæ meæ contuli; sed si aliquid boni habui, totum gloriæ Dei dedi; nolui quasi mirabilis innotescere hominibus, nec quæsivi aliquid super vires meas, unde me apud imperitos jactarem. Aliter : In magnis enim ambulare est magna de se unumquemque sentire. In mirabilibus est, mirabile de se aliquid existimare. »

Sed quid? si non humiliter sentiebam, etc.] Quod ait : *Sicut ablactatus*, etc., duobus modis intelligit Hildemarus : 1. Sicut puer ablactatus cum solidum cibum comedere non potest, mortis subit periculum, ita et ego pro tuæ beatitudinis dulcedine mortis amaræ discrimen incurram, si non humiliter sensero : quam expositionem sequitur Bernardus Cassin. 2. Sicut mater infantem ablactatura, mamillis amaritudinis aliquid imponit, ut, ea degustata, lactare refugiat, ita mihi pro felicitatis dulcedine amaritudinem tribuas.

Unde, fratres.] Fratres vocat non solum monachos, inquit Boherius, sed omnes etiam fideles, quos ad cœlestem patriam venire peroptat.

Si summæ humilitatis volumus culmen attingere.] Summæ dicit humilitatis, magnum aliquid humilitatis virtutem esse demonstrans. Et revera *humilitas*

pro Christo suscepta regiam præfert dignitatem, ut loquitur Gilbertus de Hoillandia (*Serm.* 18, *in Cant.*), cujus etiam magnitudo ex ipso Christi exemplo, et in hanc virtutem amore colligi potest, ut merito S. Bernardus dixerit (*Serm.* 45, *in Cant.*) : « Magna humilitatis virtus, cui etiam Deitatis majestas tam facile se inclinat. » Et iterum (*Epist.* 42) : « Nescio quo pacto familiarius semper humilitati propinquare solet Divinitas. Denique illa se induit, ut appareret hominibus; substantiam, formam, habitumque gestavit humilem, ipsius nobis commendans virtutis excellentiam, quam speciali sui voluit honorare præsentia. » Culmen autem humilitatis Bernardo Cass. est charitas perfecta, quæ foras mittit timorem, de qua ad gradum 12; Boherio vel charitas, vel cœlestis patria, vel ipse Deus, qui est exemplum et doctrina totius humilitatis.

Et ad exaltationem illam cœlestem.] Hæc verba priorum possunt esse expositiltia, exaltatio enim cœlestis et summæ humilitatis culmen idem sonant, nempe cœlestem patriam, ut mox explicabat Boherius.

Ad quam per præsentis vitæ humilitatem pervenitur, etc.] Hæc est enim ad eam via, quæ sicuti sola, ita et securissima; unde Joannes Climacus dicebat (*Grad.* 25) : « Si superbia ex angelis dæmones quosdam effecit, haud dubie etiam humilitas ex dæmonibus facere potest angelos.

Actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est, etc.] Hæc in scala ascendentes aut descendentes angeli dicuntur, nulli subsistentes aut residentes; « quatenus, inquit S. Bernardus **203** ad Garinum scribens (*Epist.* 254), palam daretur intelligi, inter perfectum et defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inveniri; sed quomodo ipsum corpus nostrum continue aut crescere constat aut decrescere, sic necesse sit et spiritum aut proficere semper aut deficere. »

Non aliud sine dubio descensus ille et ascensus a nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, et humilitate ascendere.] Quibus quadrat illud S. Cypriani (*De Zelo et Livore*) : « Humilitate ad summa crescimus; » et S. Hieronymi ad Desiderium scribentis (*Epist.* 154) : » Scis dogma nostrum humilitatis tenere vexillum, et per ima gradientes ad summa scandere; » denique S. Augustini seu cujusvis alterius (*Serm.* 297 *in append. Serm.*) : « Humilitatis passibus ad cœli culmina conscenditur; quia Deus excelsus non superbia, sed humilitate attingitur, de quo scriptum est : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*; unde et in Psalmis dicitur : *Excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit.* Alta posuit pro superbis; humilia vero respicit, ut attollat; alta, id est superba, cognoscit ut dejiciat.

Latera vero ejusdem scalæ dicimus nostrum esse corpus et animam.] Quem in locum Smaragdus : « Sapienter, inquit, nostrum corpus et animam hujus scalæ duo dicit esse latera; quia ex utroque omnis homo compositus constat, et pro amore Christi et vita æterna, ex utraque substantia quæ prævalet, agit bona; et ut in resurrectionis gloria in utraque substantia laboris sui recipiat præmia, in utraque substantia sollicite satagit Domini custodire mandata. » Ut autem hæc duo coaptentur latera, dolari debent; dolatur autem anima, ut post Bernardum Cassinensem ait Boherius, cum corpori suo compatiens de sua voluntate subtrahit, quod ejus impenditur necessitati ac sustentationi; dolatur et corpus, cum subtrahit sibi de potu, de cibo, de somno, de necessitate.

In qua latera diversos humilitatis gradus.] Varios humilitatis gradus varii assignaverunt, quos, si lubet, vide apud Haeftenum lib. VI, tract. 4, disq. 64. Sed in iis recensendis assignandisve nullus S. P. Benedicto felicius aut melius scripsit, qui suam de humilitate doctrinam a Cassiano, lib. IV cap. 39, acceptam procemio ornavit, debitum in ordinem disposuit, singulosque gradus illustravit, quibus undecimum duodecimumque gradum adjecit. Cujus scalam tanti fecere posteriores, ut variis eam commentariis illustrarint.

Divina evocatio ascendendos inseruit.] Recentiores legunt *Divina vocatio*, atque ita Bernardus Cassinensis, cui « divina vocatio est electio, qua Deus eligit per gratiam quos per fructum boni operis misericorditer perducit ad gloriam; » sive, ut loquitur Boherius, « prædestinatio, quia quos vocavit, hos et prædestinavit; per hos enim gradus tantum prædestinati ascendunt ad superos. » Et hac forte de causa S. Joannes Climacus (*Grad.* 25) dixerit solam esse virtutem humilitatis, quam dæmoniorum nullus queat imitari. Nostra vero lectio omnium est antiquorum, uno forte excepto Hildemaro. Quid autem **204** sit evocatio ita explicat Smaragdus : « Evocatio dicitur quando ad summum bellum non solum milites, sed etiam cæteri vocantur; unde evocare, educere seu provocare intelligitur; quod verbum apte satis hoc loco est positum, quia ut ad bellandum contra diabolum duodecim gradibus humilitatis armati fortiter consurgamus, quotidie a Domino evocamur, educimur et provocamur, » etc.

Hactenus visionem Jacob mystice exposuit S. Benedictus, eamque humilitati adaptavit, quod alii cum ipso fecisse reperiuntur. Alias ejusdem visionis apud alios expositiones offendes. S. Gregorius hanc exhibet (*Lib.* V *Moral.*, *cap.* 22) : « In itinere dormire, inquit, est in hoc præsentis vitæ transitu a rerum temporalium amore quiescere..... Angelos vero descendentes et ascendentes cernere, est cives supernæ patriæ contemplari, vel quanto amore auctori suo semetipsos transcendendo inhæreant, vel quanta compassione charitatis nostris infirmitatibus condescendant. Et notandum valde est quod ille dormiens angelos conspicit, qui in lapide caput ponit... Caput quippe in lapide ponere, est mente Christo inhærere, » etc. Aliter Hildemarus : « Per scalam intelligitur Scriptura divina, per angelos ascensores et descensores intelliguntur prædicatores sancti; tunc enim ascendunt sancti, quando de Divinitate prædicant, sicut Joannes facit dicendo : *In principio erat Verbum*; et descendunt cum de humanitate prædicant, ut cum idem Joannes dicit : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, » etc. Aliter etiam Petrus Boherius in primo commentario : « Potest intelligi hæc scala religio monachalis..., latera cujus sunt claustrum monasterii et stabilitas collegii : gradus sunt vita, instituta, et doctrinæ sanctorum Patrum; angeli ascendentes sunt boni monachi, qui per observantiam regularium mandatorum recto cursu perveniunt ad celsitudinem perfectionis; descendentes quoque angeli sunt mali monachi, qui per præmissorum transgressionem ad ima mundi, et utinam non inferni, descendunt. »

De primo humilitatis gradu.

Primus itaque humilitatis gradus est, si timorem Dei sibi ante oculos semper ponens.] Primus ergo humilitatis gradus, cui S. Bernardus peccandi consuetudinem opponit, S. P. Benedicto est timor Dei : « Primus, infit Smaragdus, ordine, quia primus est in cogitatione, in corde et voluntate. » Primus, quia initium sapientiæ omnisque virtutis timor Domini, ut loquitur Propheta; primus denique, quia, ut dicit Cassianus (*Lib.* IV, *cap.* 39), « principium nostræ salutis, ejusdemque custodia timor Domini est; per hunc enim et initium conversionis, et vitiorum purgatio, et virtutum custodia his qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur; qui dum penetraverit hominis mentem, contemptum rerum omnium parit, oblivionem parentum, mundique ipsius gignit horrorem. »

Hunc vulgo distinguunt in servilem, mercenarium, et filialem. « Primus **205** S. Bernardo est (*Serm.* 2 *Dom. post oct. Epiph.*) ne cruciemur in gehenna, secundus ne exclusi visione Dei privemur tam ineffabili gloria, tertius timor replet animam omni sol-

licitudine timidant, ne forte deseratur a gratia. » Utrumque hic indicat S. Benedictus, primum cum ait, *qualiter contemnentes Deum in gehennam pro peccatis incidunt*; secundum cum addit, *et vitam æternam quæ timentibus Deum præparata est*; tertium cum præmisit, *semper sit memor omnium quæ præcipit Deus*. Atque hunc præsertim hoc loco præscribit S. Benedictus, pro primo utilitatis gradu assignans non simpliciter *timorem*, sed *timorem Dei*; quod ideo dixit, infit Hildemarus, *quia est et timor aliorum* : est timor ignis, est timor morbi, est timor mortis, etc.; licetque Dei timorem in servilem, mercenarium, et filialem distinguant, proprie tamen loquendo unus est filialis : nam servilis aut mercenarius ad timorem aliorum rectius reduci possunt, nec tam timere Deum quam gehennam aut gloriæ amissionem videntur.

Oblivionem omnino fugiat.] « Hoc est, illud peccatum fugiat, quod est oblivio, inquit Hildemarus, cujus medicina est jugis meditatio.... quasi diceret aliis verbis, Non sit obliviosus, » omnium scilicet quæ jugi memoria mandare debet, timoris perpetuæ pœnæ, gaudii cœlestis patriæ, laboris præsentis vitæ, etc.

Et semper sit memor omnium quæ præcipit Deus.] Memor, inquam, sed recordatione efficaci, quæ timori filiali propria est; nam *qui timent Dominum custodiunt mandata illius*.

Et qualiter contemnentes Deum in gehennam pro peccatis incidunt.] Contemnitur Deus aut in se, aut in suis: in se, quia ei pro beneficiis gratia non redditur, quia sicut Dominus non timetur, quia sicut pater non amatur, quia sicut Deus et Creator non adoratur, quia debitum servitium non impenditur sibi, quia contra ipsum continue peccatur; in suis, quia prælato non obeditur, quia dixit : *Qui vos spernit, me spernit*; et aliis modis quando charitatis opera immisericorditer omittuntur, inquit Bern. Cass.

Et vitam æternam quæ timentibus Deum præparata est, etc.] De qua Psalmista : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te!*

Et custodiens se omni hora a peccatis et vitiis, etc.] Quamvis *peccatum* et *vitium* ad idem significandum promiscue soleant usurpari, aliquid tamen inter utrumque discriminis qui rectius loquuntur afferre norunt. Ita peccatum ad boni omissionem, vitium ad commissionem mali referunt Hildemarus, Bernardus Cassinensis et Boherius. Hic etiam illam inter utrumque differentiam adducit, quod tam omissum bonum quam commissum malum ad peccatum spectet; ad vitium vero peccandi consuetudo. Brevius et melius dici possent actus esse peccata, habitus vitia. Sed Smaragdus hunc locum exponens ita habet : « Quod dicit a peccatis custodire se omni hora, subauditur a pravis operibus, quæ fiunt cogitatione, locutione, et opere... Quod vero dicit custodire a vitiis, subauditur a septem principalibus, **206** id est a gula, fornicatione, avaritia, ira, tristitia, acedia, vana gloria, et ab octava eorum genitrice superbia, et ab omnibus prorsus illorum nocivis ramusculis, » etc.

Sed et desideria carnis amputare festinet.] Quia, ut ait S. Odo (*Lib.* II *Collat.*, *n.* 6), « omnimodis exsecrabilius videtur, si religionis professores, quibus, ut ait Apostolus, eloquia Dei credita sunt, carnalibus desideriis contigerit ancillari; relictis cœlestibus, terrenis inhiare; contempto Deo, mammonæ servire. »

Æstimet se homo de cœlis semper a Deo respici omni hora, etc.] Ut divinum nobis incutiat timorem, divinam nobis incutit et omni hora et in omni loco præsentiam; quia *videri sic, et a tali, et semper, et ubique, magnus terror est*, inquit Bernardus Cassinensis. Probatque verbis Prophetæ dicentis, *scrutans corda et renes Deus*. Ubi per corda cogitationes, per renes cogitationum rimas, sive initium et intentionem unde ipsæ cogitationes oriuntur intelligi vult Hildemarus; sed rectius cum Smaragdo, Bernardo Cassin., Boherio et Trithemio per corda cogitationes, per renes

A corporeas delectationes interpreteris; vigent quippe in renibus delectationes venereæ. Aliter etiam Boherius : « Scrutans corda et renes, id est fideles et Judæos : Judæi dicuntur renes, a quibus Christus descendit secundum carnem; unde in psalmo, *Usque ad noctem increpuerunt me renes mei*, id est Judæi, a quibus descendi secundum carnem, persecuti sunt me usque ad mortem. »

Et iterum Dominus novit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt.] Quem in locum Hildemarus : « Nunquid solummodo homo cogitationes habet malas et non bonas? Quid est cum bona meditatur, cum Deo placere cogitat, nunquid non est bona cogitatio? Vere bona est hæc cogitatio, sed Propheta dixit, *Hominum quoniam vanæ sunt*, ac si diceret, Quantum ad homines attinet, vanæ sunt, quia hominum sunt; nam quantum ad Deum attinet, bonæ sunt, quia ex Deo sunt : quoniam homo nihil boni habet a se, sed si aliquid boni habet, a Deo habet. »

Et item dicit : Intellexisti cogitationes meas a longe.] B Id est antequam fiant; neque enim hic attenditur loci distantia, sed temporis.

Et quia cogitatio hominis confitebitur tibi.] Id est cognoscetur a te. Nam « quia cogitatio nota est Deo, inquit Hildemarus, ipsa notitia dicitur Deo confiteri. » Quam expositionem sequitur Bern. Cassinensis, et confirmat Guido Juvenalis, hunc regulæ textum ita Gallice reddens : *La pensée de l'homme se montrera à toi et te fera hommage, car elle ne peut fuir ta connaissance.* Aliter tamen Smaragdus : « Cogitatio hominis, ait, tunc Deo confitetur, quando peccata præterita humili satisfactione ab illo damnantur; quia dum unusquisque divina illuminatione prævenitur, statim molestiis turpium cogitationum pulsatur, sed eas Domino confiteri humiliter non veretur. »

207 *Nam ut sollicitus circa cogitationes suas perversas.*] Ut nempe non exeant in deliberationem, sicuti ait Hildemarus.

Dicat semper utilis frater in corde suo.] Utilis frater C Trithemio « ille est, qui omnibus prodesse, et nulli desiderat obesse, qui nihil sapit, nisi quod Deo placere cognoscit, qui totam spem suam ponit in Domino, sine cujus auxilio se nihil posse facere certissime credit; » et Nicolao de Fractura « quem pœnitet de cogitationibus suis perversis dicitur utilis frater. »

Tunc ero immaculatus coram eo si observavero me ab iniquitate mea.] Licet iniquitas vulgo pro peccato sumatur, hic tamen pro sola cogitatione prava debere accipi censent Smaragdus et Bernardus Cass., idque postulare videtur sensus verborum S. P. Benedicti; nam ut sollicitus sit utilis frater circa cogitationes pravas, vult eum semper dicere : *Tunc ero immaculatus coram eo, si observavero me ab iniquitate mea*, quasi diceret, infit Smaragdus : « Tunc immaculatam potero ducere vitam, si me non maculaverit cogitatio prava; neque enim potest sine macula vivere, cujus iniqua cogitatio polluit mentem, sed ille tantum bene immaculatus vivit, qui se ab iniquitate D pravæ cogitationis custodit. »

Voluntatem vero propriam ita facere prohibemur, cum dicit Scriptura nobis : « Et a voluntatibus avertere. »] Quod tam de bona quam de mala intelligunt voluntate Hildemarus et Bernardus Cassin. Et certe ipsa bona voluntas cessat esse bona, cum efficitur propria, etiamsi bona appetere videatur; unde et Dominus illa reprobat jejunia, in quibus reperitur voluntas nostra.

Et iterum rogamus Deum in oratione, ut fiat ejus voluntas in nobis.] Id est in nostra, inquit Hildemarus. Recte omnino ad B. Benedicti mentem S. Augustinus seu quivis alius (*Serm.* 65 *in Append. serm.*) : « Certe cum dicimus, *Fiat voluntas tua*, docemur semper ad Dei, non ad nostram respicere voluntatem; quia in nostra voluntate aliquoties contraria sunt; in Domini voluntate vita est semper et bonitas. »

Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, etc.] Hunc

Scripturæ locum ita explicat citatus a Boherio abbas Moyses : « Scripturæ Judæorum vel gentilium inducunt monacho quamdam complacentiam plusquam codices fidei Christianæ, expositiones etiam sacræ Scripturæ novum dantes intellectum videntur ei rectæ, multiplicata jejunia, et orationes ultra usum communem cœnobii recte dijudicat; persequi vero extra cœnobium pias causas, puta monasteriorum, monachorum, desolatorum, monialium, rectum ei videtur et sanctum; quod tamen illusione sæpe diabolica procuratur; et ideo istæ viæ quæ videntur rectæ usque ad infernum demergunt. » Sed Smaragdus textum illum intelligi posse existimat de illis « qui nunc electi esse videntur, sed quia non sunt a Domino, reprobantur; » additque : « Potest et de **208** illis non inconvenienter intelligi, quos vitia sub simulatione virtutum decipiunt.... Intelligitur et de hæreticis, quorum dogma illis videtur rectum, sed a catholicis viris discernitur, et judicatur esse pravum, quia sequaces suos ducit ad tartarum. » Hildemarus vero locum interpretatur de vitio sub specie latæ virtutis; vel quando bonum pro meliori, et melius accipitur pro optimo; et iterum de bonis illis quæ fiunt absque benedictione patris spiritalis, ut sunt jejunare, vigilare, etc., quæ S. Benedictus præsumptioni deputat, et vanæ gloriæ, non mercedi.

In desideriis vero carnis ita nobis Deum credamus esse præsentem, cum dicit Propheta Domino : « Ante te omne desiderium meum. »] Quem Prophetæ versiculum S. Augustinus de bono desiderio, hunc S. Benedictus de malo intelligit, nimirum de desiderio carnis, quod cum spiritui rectæque rationi repugnet, non potest esse bonum, nisi forte occasionaliter, in quantum illius procurat bonum, qui sibi resistit. Hildemarus et Bernardus Cassinensis tam de bono quam de malo interpretantur; quibus favet vox universalis *Omne : Ante te omne desiderium meum*, hoc est, notum tibi est. Vel etiam ante te omne desiderium meum, id est subditum est voluntati tuæ, nec aliud desidero quam quod me desiderare jubes.

Ergo si oculi Domini.] Oculi Domini Smaragdo « respectio est divina, qua semper respicit super bonos, ut eos ab insidiis inimici defendat, a peccatis custodiat, et bonis jugiter operibus persistere faciat; » vel juxta Cassianum (*Lib.* VIII, *cap.* 4) in oculis Dei « immensitatem perspicaciæ, qua universa perlustrat et perspicit, et quod nihil eum ex his quæ ex nobis geruntur, gerendave sunt, seu cogitantur, lateat, scire possumus. » Absit enim ut corporeum aliquid in Deo existimemus, ut quondam voluerunt anthropomorphitæ, quorum errorem refutat Theodoretus quæst. 20 in Genesim. De his agunt Sozomenus, lib. VIII, cap. 11; Cassianus, collat. 10, cap. 2 et sequentibus; Gennadius, de Viris Illustrib., cap. 33; Niceph., lib. II, cap. 14.

Speculantur bonos et malos.] Speculantur ergo oculi Domini bonos et malos, ut bonis bona e. malis retribuat mala, ut illis pro bonis operibus præmia, istis pro pravis actionibus pœnam tribuat sempiternam; istos ut exaudiat et salvet, illos ut perdat et damnet, sicut scriptum est : *Oculi Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum; vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum*, inquit Smaragdus.

Et Dominus de cœlo semper respicit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum.] Particula *aut* ex Hildemaro hic sumitur copulative pro *et*, ut is sit intelligens Deum, qui et requirens.

Et si ab angelis nobis deputatis quotidie die noctuque Domino factori nostro opera nostra nuntiantur.] Nuntiant ergo cœlestes illi spiritus opera nostra Deo, **209** unde et angeli, id est nuntii dicuntur, non quasi nesciat ille, sed « ut officium suum et ministerium impleant, quia nuntii sunt, » inquit Haimo Halberstatensis. Vel, ut ait Origenes : « Offerunt sancti angeli Dei, non quasi nesciat is qui omnia novit antequam fiant, sed ut testes efficiantur sanctitatis atque pie-
A tatis justorum. Iterum tanquam deflentes impietates et injustitias injustorum, atque etiam ipsius diaboli; hæc namque demonstrans atque significans Dominus dicit de illis bonis servis, hoc est angelis : Venientes autem nuntiaverunt Domino suo omnia quæ facta fuerant. » Vel etiam, ut addit Menardus noster : « Nuntiant opera nostra mala, ut a Deo accipiant quomodo et quando sunt castiganda ad emendationem; et ideo renuntiatio illa angelorum timenda, et congrua emendatione eorum correptio prævenienda. »

Modum annuntiandi exponit Hildemarus his verbis : « Cum unusquisque angelus sive bonus sive malus gaudet de nostris bonis, vel tristatur de nostris malis, ipsum gaudium, quia Deo notum est, vel ipsa tristitia, quia cognita est Deo, ipsius gaudii vel tristitiæ notitia Deo dicitur ab angelis nostra facta nuntiare. »

Porro cum de angelis nobis deputatis hic in plurali
B loquatur S. P. Benedictus, videtur in ea fuisse sententia, quæ duos unicuique hominum angelos deputatos fuisse tenet, quorum unus bonus ad custodiam datus, alter malus ad exercitium. Plane de bono angelo nulla est apud catholicos controversia; constat enim multis Scripturæ testimoniis suum quemque hominum habere custodem; de malo vero non ita pro certo habetur, tum quia parum solidum hæc sententia fundamentum in Scriptura habere videtur, tum quia liber Pastoris, cujus auctoritate hanc opinionem acceperunt veteres scriptores, inter apocrypha a Gelasio recensetur, tum etiam quia si Deus malos deputasset hominibus angelos, auctor peccati aliquo modo censeretur.

Non defuere tamen ex antiquis Patribus qui ita docerent. Ita Origenes homilia 10 in Lucam, Gregorius Nyssenus in Vita Mosis, Cassianus collatione 8, cap. 17, et collat. 13, cap. 12; Beda in cap. XII Actuum apost.; Hildemarus et Bernardus Cassin. in hunc locum, sed et multi haud ignobiles theologi, quos
C inter Petrus Lombardus lib. II Sent., dist. 11. Et sane Apostolus datum sibi angelum Satanæ, qui se colaphizet, testatur. *Vide* Maldonatum in cap. XVIII Matthæi.

Quandonam vero illi nobis deputentur varias fuisse opiniones scribit Hildemarus : « Unusquisque, inquit, homo habet angelum bonum et malum sibi deputatum; malum quippe a die nativitatis, bonum autem angelum, secundum quorumdam opinionem, a die nativitatis; alii autem dicunt a die baptismatis; nonnulli vero dicunt a discretionis boni et mali unumquemque hominem bonum angelum habere. » Idem habent Bernardus Cassin. et Boherius. Ex his tribus opinionibus prima probabilior videtur, quam Smaragdus his verbis, quæ desumpsit ex S. Hieronymo (*In cap.* XVIII *Matth.*), tuetur : « Magna dignitas animarum, ut unaquæque **210** anima habeat ab ortu nativitatis in custodiam suam angelum delegatum.

D *Cavendum est ergo omni hora, fratres, etc.*] Hæc omnia plana sunt, nec expositione indigent, sed meditatione.

De secundo humilitatis gradu.

Secundus humilitatis gradus est, si propriam quis non amans voluntatem.] Secundus humilitatis gradus, cui libertatem peccandi opponit S. Bernardus, est ut quis propriam non amet voluntatem; utquid enim amaret, cui abrenuntians Domino Christo vero Regi militaturus obedientiæ fortissima atque præclara arma assumpsit, quam in monasterio sequi prohibetur, quam odio habere præcipitur, cujus potestatem se haudquaquam habere cognoscit? Merito autem inter humilitatis gradus odium propriæ voluntatis reponitur; quia, ut dicit S. Joannes Climacus (*Grad.* 25), « humilis corde suam voluntatem semper tanquam deceptricem exsecratur. » Et postea : « Crux est, et grave onus humili, quando sibi credere cogi-

tur, uti superbo quando alterius sententiæ stare jubetur. » Hinc præclara illa senioris cujusdam sententia a Boherio in secundo comm. relata : *Mea namque tristitia est, si propriam fecero voluntatem.*

Desideria sua non delectetur implere.] Recte inde consequitur, ut qui propriam non amat voluntatem, is desideria sua non delectetur implere. Implentem vero desideria recte onagro comparat S. Odo abbas Cluniac., explicans illud Scripturæ (*Lib.* I *Collat.*, *n.* 33) : *Quasi pullum onagri liberum se putat :* « Onager, inquit, dicitur asinus agrestis ; agrestia autem animalia libertatem amant, et ire quo volunt, et quiescere quando volunt : qui ergo implere mala quæ desiderat per effrenatam libertatem quærit, pullo onagri similis esse concupiscit ; talis videlicet, quia ad aliud non reservatur, sub disciplina quasi agrestis bestia non restringitur. » Porro ad odium propriæ voluntatis triplici nos stimulo excitat S. P. Benedictus : exemplo Christi, comminatione pœnæ propriam voluntatem sequentis, et corona quam illius abnegandæ felix parit necessitas.

Sed vocem illam Domini factis imitetur dicentis : Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.] « Idcirco enim, ut ait apud Cassianum (*Coll.* 24, *c. ultimo*) abbas Abraham, Dominus noster ac Salvator, ut nobis amputandarum voluntatum nostrarum formam traderet, *Non veni*, inquit, *facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me ;* et iterum : *Non sicut ego volo, sed sicut tu :* quam virtutem illi specialiter exercent, qui in cœnobiis commorantes senioris reguntur imperio, qui nihil omnino arbitrio suo agunt, sed voluntas eorum ex voluntate pendet abbatis. » Quapropter, ut hic Hildemari verbis utar, « debet monachus, cum aliquid durum aut contrarium sibi imperatum fuerit, dicere : Non veni **211** facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me, id est : Non veni adimplere voluntatem carnis, sed Dei, cujus instinctu huc missus sum. Sive etiam : Non veni facere voluntatem meam, id est carnis, hoc est quod mihi leve et suave est, sed abbatis mei, qui me misit in hanc obedientiam. »

Et item Scriptura dicit : « Voluntas habet pœnam et necessitas parit coronam. »] Hic locus nullibi in Veteri aut Novo Testamento reperitur ; sed Scripturæ vocabulum ad alias etiam quam sacras Scripturas significandas nonnunquam usurpant scriptores. Ita S. Valerius : « Quoniam Scriptura testatur, quod omne peccatum quod remissus indisciplinatusque admiserit frater, ad negligentem protinus revertatur seniorem. » Petrus Venerabilis : « Accedat et peccator Theophilus, qui, ut Scriptura apud plures jam usitata narrat, post quadraginta dierum pœnitentiam Christi corpore suscepto facie refulsit ut sol. » Milo episcopus Mindensis ad Gorzienses monachos scribens : « Nam licet in divina pagina legatur quod exhibitio operis probatio sit veræ dilectionis. » Quæ verba sunt ex S. Gregorio, non ex Scriptura sacra : eodem ergo sensu Scripturæ vocem usurpat hic sanctus Benedictus ; quamvis ea quæ profert implicite variis in sacræ Scripturæ locis reperiantur. Sed reperiatur necne, sane præclara et omnium monachorum mentibus altius insculpenda sententia est, Voluntas habet pœnam, et necessitas parit coronam.

Voluntas habet pœnam.] Quod duobus modis ex Hildemaro potest intelligi. 1° Voluntas abnegata habet pœnam tam ex parte naturæ, cui ad amputandas voluntates magnus superandus est labor, quam ex parte falsorum fratrum, qui obedientem monachum infestare non cessant. 2° Voluntas propria superiori haud subjecta habet pœnam, et quidem perpetuam : est enim *murus ferreus, qui hominem a Deo separat atque divellit*, ut dicebat apud S. Dorotheum abbas Pastor (*Doctr.* 5, *n.* 4). Vel etiam temporalem, primo ab eo qui eam implere delectatur, quem justo Dei judicio propria inde conscientia cruciat. Nam, ut ait S. Bernardus (*Epist.* 11), « Hoc ad æternam A justamque Dei legem pertinuit, ut qui a Deo noluit suaviter regi, pœnaliter a seipso regeretur ; quique sponte jugum suave et onus leve charitatis abjecit, propriæ voluntatis onus importabile pateretur invitus. » Secundo a prælato, qui propriam in subdito plectit voluntatem : quo sensu locum istum Regulæ videtur intellexisse Richardus de S. Angelo, in eum ita scribens : « In hoc habet pœnam, quia nos renuntiamus propriæ voluntati in ipsa susceptione ordinis ; postmodum promittimus obedientiam, et renuntiationem sive promissionem nostram servare debemus ; si vero contrarium facimus, pœnam habet, et erit arbitraria, cum hic non statuatur. »

Et necessitas parit coronam.] Necessitas scilicet propriæ voluntatis amputandæ tam in rebus malis, ut non peccemus, quam in bonis, quas sine benedictione Patris spiritalis facere prohibemur, parit coronam, quam reddet nobis aliquando justus judex.

212 Porro hunc gradum humilitatis non scandunt, B qui aut importunitate, aut pusillanimitate licentiam a superiore extorquent ea faciendi etiam bona quæ desiderant ; nam *extorta seu coacta licentia, licentia non est, sed violentia*, inquit S. Bernardus (*Epist.* 87), frustraque sibi de abbatis permissione blandiuntur, qui non tam vocem quam voluntatem attendere debuerant. *Vide* Petri Vener. epistolam ad Gislebertum eremitam, lib. I, epist. 20.

De tertio humilitatis gradu.

Tertius humilitatis gradus est, ut quis pro Dei amore, omni obedientia se subdat majori.] Recte enim sequitur, ut qui propriam non amans voluntatem desideria sua haud delectatur implere, omni obedientia se subdat majori : quod duobus modis ex Hildemaro intelligi potest. 1° Referendo vocem universalem *omni* ad *obedientia*, ut sensus sit, quæcunque jusserit abbas, sive contineantur in Regula, sive non, ea impigre monachus exsequatur. Atque ita hunc S. Benedicti C locum intellexit S. Bernardus (*De Præc. et Disp.*, *cap.* 6) : « In eadem Regula, inquit, tertius gradus humilitatis præscribitur, ut omni obedientia monachus se subdat majori. Dicens quippe *omni*, non vult nos in obediendo mensura esse contentos professionis, non attendere promissi debitum, non de pacto sumere modum ; sed transire alacriter etiam votum, et obedire in omnibus. » Similiter Petrus Boherius in secundo comm. : « Omni obedientia, id est nihil suæ discretioni, sed judicio ejus universa committat, ac monita ejus sitiens libenter auscultet. » Eodem modo etiam Menardus. 2° Referendo terminum *omni* ad *majori*, quasi diceret, Omni majori se subdat et obediat. Majoris autem nomine non solum abbas, qui *Major monasterii* in conc. Carth. IV, can. 13, appellatur, intelligendus esset, sed etiam quicunque alius supra se positus, ut præpositus, decanus, alicujus obedientiæ seu ministerii præfectus, verbi gratia, sacrista, cellerarius, aut alicujus artis magister, vel etiam antiquior ordine professionis ; imo etiam inferior, D quem sibi ex humilitate superiorem arbitratur. Atque hunc esse Hildemari sensum, quem Bernardus Cassinensis et Boherius in primo Comm. sequuntur, satis indicat his verbis : « Altero modo intelligitur, id est ut in omni obedientia cupiat, vel habeat majorem, id est magistrum. »

Imitans Dominum, de quo dicit Apostolus : Factus est obediens usque ad mortem.] Eamdem obedientiæ formam præscribit monachis S. Basilius (*Reg. Brev. interr.* 116), cum facta interrogatione : « Usque ad quem modum obedire oporteat, qui placendi Deo regulam implere cupit ? » respondet : « Apostolus hoc ostendit, ubi nobis obedientiam Domini, qui factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, ita proposuit, ut præmiserit illud : *Hoc autem sentite in vobis quod et in Christo Jesu.* » Idem ergo sentire debet humilis monachus, quod et in Christo Jesu, atque ejus exemplo obedire **213** etiam usque ad mortem : id quod duobus item modis cum Hildemaro

accipere possumus. 1° Usque ad mortem, id est toto vitæ tempore, quo sensu S. Bernardus ait (*De Præcepto et Disp.*, *cap.* 6) : « Est sane quidam obedientiæ limes secundum tempus, ipsa temporis extremitas, ut is sit terminus obedientiæ qui et vitæ : hunc nobis maxime unigeniti Dei commendat exemplum, qui factus est Patri obediens usque ad mortem. » 2° Usque ad mortem, ut si necesse sit obedientiæ causa ipsam mortem subire, non refugiat. Uterque sensus optimus est, et monachum imprimis decet; sed hic solis his competit qui nihil sibi a Christo charius aliquid existimant, et pro ejus amore omni obedientia se subdunt majori; *in amore enim Christi nec modus ponitur nec mensura*, ut loquitur Boherius in primo comm. Porro huic humilitatis gradui, decimum superbiæ, rebellionem opponit S. Bernardus.

De quarto humilitatis gradu.

Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris et contrariis rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis injuriis tacita conscientia patientiam amplectatur.] Supremam obedientiæ perfectionem hoc in quarto humilitatis gradu S. Benedictus constituit. In secundo quidem propriæ voluntatis odium jubens, ad obedientiam monachum disposuerat; in tertio omni se majori subdere docens, obedientem reddiderat; hic vero dura, contraria, irrogatasque injurias in obedientia æquo animo amplecti præcipiens, obedientem omni ex parte perficit. Porro quamvis dura, contraria, irrogatæ injuriæ, ad idem significandum promiscue nonnunquam usurpentur, hic tamen aliquid inter utrumque discriminis proferunt antiqui Regulæ commentatores. Hildemaro, « dura sunt illa quæ ad materiam rei attinent, verbi gratia, sicuti est petram levare, aut aliquid immensæ magnitudinis portare vel agere. » Idem docent Bernardus Cassinensis et Boherius. Turrecremata vero dura intelligit res graves et diffici'es ad exsequendum : sic nimirum leges et imperia dicuntur dura, in quibus occurrit major difficultas : hinc populus Roboam rogabat ut minueret aliquid de imperio patris sui *durissimo*. Dura quoque locum habent in imponendis pœnitentiis, ut sunt humi cubare, jejuniis corpus atterere, flagris cædere, etc.

Contraria ex præfato Hildemaro « sunt quæ ad voluntatem attinent, si hoc quod sibi imperatur, non sibi placuerit. » Sive, ut ait Bernardus Cassinensis, et ex eo Boherius (*Lib.* VI, *tract.* 5, *disq.* 7), « contraria sunt quæ ab ipsius facientis voluntate discordant. » Paulo fusius Benedictus Haeftenus : « Contraria, inquit, duobus modis intelligo : 1° quæ rationi repugnare videntur, ut si jubearis vestem suere et rursum dissuere, plantare herbas, pangere arbores et denuo evellere, ire cubitum et mox surgere e strato, aquam haurire et fundere in sole; 2° quæ repugnant inclinationi obedientis, ut si solitudinis et cellæ cultori imponatur cura hospitum, **214** officium cellarii, aut contra pronus ad discurrendum per domum, et garriendum cum hospitibus, mandatum accipiat in cella residendi, tacendi, et studendi. »

Injuriæ vero sunt opprobria, irrisiones, verba contumeliosa, et his similia.

Atque his in tribus tota pene, imo tota abit monachorum vita, ut vel minimam rerum asceticarum notitiam habenti exploratum est. Audiendus hanc in rem Petrus Damiani : « Sæpe, inquit, frater de cella ad cellam jubetur habitaturus abscedere, nec aliquid utensilium quæ suo etiam labore paraverat permittitur asportare; sæpe optantes in remotione quiescere, ad peragendum opus compelluntur exire; aliquando claves cellarum foribus subtrahuntur, et quam longo tempore nisi per singulos dies dominicos, non redduntur; aliquando districtam sibi victus continentiam indicentes coguntur remissius vivere, volentesque reficere compelluntur econtrario jejunare; sæpe post sagmarios frater procul ire præcipitur; sæpe distrahendi vel emendi gratia ad nundinas destinatur. » Hinc abbas Zacharias projectam sub pedibus cucullam conculcans dicebat : Nisi ita conculcatus fuerit homo, non potest esse monachus. Hinc S. ipse Benedictus venientem ad conversionem injuriis appeti voluit, nec ante admitti in claustro monasterii quam irrogatas sibi injurias patienter sufferre visus fuerit; admisso omnia dura et aspera prædicari, eumque in omni patientia probari. A qua lege nec ipsos ægrotos aut moribundos aliquando solvebant; cujus rei insigne habemus exemplum in Vita S. Bernardi (*Lib.* VII, *cap.* 26), qui positum in extremis quemdam fratrem conversum Clarevallensis monasterii, virum miræ simplicitatis et innocentiæ, de proxime sibi retribuenda gloria coram omnibus præfidentem, ita adorsus legitur : « Signa cor tuum, frater, signa cor tuum : quid est quod locutus es? unde tibi subrepere potuit tantæ præsumptionis audacia? Enimvero tune ille pauperculus et miserabilis homo qui cum nihil aut prope nihil haberes in sæculo, necessitate forsitan magis quam timore Dei cogente, ad nos confugisti, multis precibus tandem aditum impetrando? Nos vero causa Dei collegimus inopem, et parem te fecimus in victu, et vestitu, cæteris commoditatibus, his qui nobiscum sunt sapientibus atque nobilibus viris; et factus es quasi unus ex illis. Quid igitur tribuisti Domino pro omnibus istis? Et ecce non sufficit ingratitudini tuæ gratis te accepisse tot beneficia de manu Domini, nisi et regnum ipsius hæreditario jure vindices tibi, quod nullus unquam regum vel principum quantislibet auri et argenti molibus potuit comparare. » Quod si ita moribundum S. abbas impetebat, quomodo putas sanos et valentes? Certe suam mentem et morem satis indicat, cum fratribus suis congratulans, quod sub increpationis velamine eorum virtutes tegerentur, ait (*Serm.* 4, *in psal.* XC) : « Si scire vultis quantum in hac absconsione lucramur, credo nullum hic esse qui si quartam partem eorum quæ facit, in sæculo actitaret, non adoraretur ut sanctus, reputaretur ut angelus; nunc autem **215** quotidie tanquam negligens arguitur et increpatur. » Longe ergo ab eorum erat sententia, qui viros pios et sanctos sine fictione aut mendacio increpari a superiore non posse affirmant : quæ si vera forent, omnes ironiæ, allegoriæ et metaphoræ dicenda essent mendacia : nam qui fratrem, verbi gratia, legentem solito altius in refectorio increpando vocat declamatorium, superbum, minus honeste legentem, non magis mentiri censendus est quam is qui virum pessimum ironice appellat optimum ; hæc enim omnia non assertive proferuntur, sed increpative. Hæc obiter dicimus, de quibus qui plura desideraverit, adeat librum de Officiis et perfectione monachorum, cap. 12. Redeo ad S. Benedicti textum, qui, ut notat Hildemarus, non simpliciter jubet ut dura, contraria, injuriasque patienter perferamus, sed, quod majus est, *amplectamur*, id est cum gaudio et amore suscipiamus; « nos enim eam rem, inquit, quam diligimus amplectimur, quia non solum monachus debet adversa sufferre aut tolerare, sed etiam cum gaudio sufferre. » Talis erat insignis illa sanctimonialis Tabennensiotarum monasterii, quæ, teste Palladio (*Laus. cap.* 41), « non murmuravit, non parvum vel magnum quid est locuta, etsi contumeliis afficeretur, et pugnis tunderetur, et maledictis appeteretur, et plurimi eam abominarentur. » Talis S. Willelmus Gellonensis monasterii fundator et monachus, qui « interdum cæsus, et injuriis læsus, neque resistebat, neque comminabatur, gaudebat plane in subjectione. » Talis Benedictus Cluniacensis monachus, de quo Petrus Venerabilis (*Lib.* I *Mirac.*, *c.* 20) : « Multas a quibusdam, quia inferre verbera non audebant, verborum injurias tolerabat. Recordor ego sæpius falsis aut quasi nullis accusationibus in communi fratrum conventu a talibus impetitum innumeris vocibus, quasi reus existeret in terra prostratum, cum nihil prorsus deliquisset, culpabilem se

tantummodo respondisse; hunc enim morem habebat, ut quandocunque culparetur, nunquam fere culpam diffiteretur. »

Et sustinens non lassescat.] Id est animo ne despondeat. « Necesse est enim, verba sunt Hildemari, ut istud *lassescat* ad animam referatur, non ad corpus; quia perfectus monachus licet lassetur corpore pro fragilitate, tamen mente desiderat semper implere. »

Vel discedat.] Sed istud *discedat* ex Bernardo Cassinensi « pertinet ad utrumque, ad corpus videlicet vel ad mentem; quia si propter prædicta monasterium dimittit, vel opus injunctum prætermittit, hoc est discedere corporaliter. Item si murmurans in corde suo proponit obedientiam non implere; hoc est discedere mentaliter. » Brevius Boherius, non discedat a Deo, vel a patientia.

Dicente Scriptura: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Et item: Confortetur cor tuum, et sustine Dominum.] Quem in locum Bernardus Cassinensis, « Sustine, inquit, Dominum, quasi diceret: non est quodlibet aliud pondus quod portas; sed ipsum Dominum obediendo toleras et portas; ipse vero dulce pondus est, quia onus ejus leve, et jugum **216** ejus suave. Ipsum ergo sustine, ipsum patienter porta; nam tu ab ipso sustentaris, tu ab ipso salvaris. »

Et ostendens fidelem pro Domino, etc.] Ut nos magis ad quartum hunc humilitatis gradum scandendum, et universa etiam contraria alacriter sustinenda excitaret, ad Scripturæ testimonium addit exempla, vocesque sanctorum martyrum, quorum verba Scriptura nobis eorum nomine proponit dicens: *Propter te morte afficimur*, quod ita Gallice reddit Guido Juvenalis: *Nous pensons en la mort, et mortifions nos membres. Tota die*, id est omni vitæ tempore, ut exponit Hildemarus, *æstimati sumus sicut oves occisionis.* Tribus præsertim de causis ovibus se sancti martyres comparant: 1° quia sicut ovis occidenti non resistit, ita nec ipsi resistunt, nec malum pro malo rependunt; 2° quia, sicut ovis suis etiam percussoribus lanam tribuit, ita et SS. martyres suos adversarios, ubi se locus obtulerit, adjuvant beneficiis; 3° quia, sicut ovis lac de visceribus impertit, ita et illi viscera misericordiæ et compassionis suis exhibent inimicis. Horum hic nobis proponit exemplum S. Benedictus, ut illud imitemur in adversis, et sicut oves coram tondente obmutescamus: unde lepide hunc in locum Bernardus Cassinensis, et post eum Boherius: « Sicut ovis quæ deputata est occisioni, ad hoc nutritur, ad hoc pascitur, ad hoc conservatur, ut postmodum occidatur, sic et monachus ab aliis æstimatur, et in se debet æstimare quod non ob aliud pascatur in refectorio, non ob aliud sibi serviatur in infirmitorio, non ad aliud conservetur in claustro, nisi ut sit Christi hostia, Christi victima, et sub obedientiæ gladio moriatur. »

Et securi de spe retributionis divinæ subsequuntur gaudentes, etc.] Prosequitur S. Pater voces SS. martyrum, in quibus novum patientiæ stimulum advertimus in proxima spe retributionis divinæ; qua exci tati *subsequuntur, gaudentes*; « grata est enim ignominia crucis ei qui crucifixo ingratus non est, » ut dicebat S. Bernardus (*Serm.* 25, *in Cant.*). *Et dicentes: Sed in his omnibus*, scilicet duris, contrariis, irrogatisque injuriis, *superamus*, id est usque ad mortem perseveramus ex Hildemaro, et Boherio; *propter eum qui dilexit nos*, cum adhuc illius essemus inimici: et in hoc novum patientiæ stimulum agnosce; si enim eum qui nos tanto prosecutus est amore, tantisper dilexerimus, quid ejus causa non tolerabimus adversi?

Et item alio loco Scriptura: Probasti nos, inquit, Deus.] Et istæ voces sunt adhuc SS. martyrum. *Probasti nos, Deus*, inquiunt, non simpliciter *probati sumus*; quia nulla accedit hominibus probatio, nisi a Deo volente aut permittente. *Igne nos examinasti sicut igne examinatur argentum.* O pietas! o clementia! igne nos examinasti, non consumpsisti; ad hoc enim tribulationis ignem immittit Deus, non ut pereamus, sed ut puriores evadamus, et ut ab omnibus sordibus mundati, venire mereamur ad diadema regis æterni, ut loquitur Smaragdus.

217 *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro.*] Quem in locum Smaragdus: « Induxisti nos in laqueum propter exaggerationem dicit tribulationis, ut intelligas omne genus tribulationis in hoc sæculo super electos venire; quia omne genus gloriæ a Domino in futuro sperant recipere. » Laqueus iste SS. martyrum est carcer, et vincula quibus constringuntur. Porro has SS. *sufferentium* voces merito sibi vindicare possunt monachi, et dicere Christo: Induxisti nos in laqueum. Laqueus eorum ex Bernardo Cass. et Boherio, est claustrum monasterii, in quo per stabilitatem et professionem monasticam non minus stringitur monachus quam captum animal laqueo; « sed hujusmodi quidem vinculum libertatem animæ operatur, et claudit inferni ostium, » inquit Boherius. Isto nos Christus Dominus (gratias Deo) laqueo illaqueavit, cum nos inextricabili sæculi laqueo liberavit.

Et ut ostendat sub priore debere nos esse.] *Sub priore*, id est sub abbate, secundum Smaragdum, Hildemarum et Bernardum Cassinensem. Hic tamen addit: « vel sub priore, id est sub præpositis, decano, et aliis locum tenentibus prioratus. »

Subsequitur dicens: Imposuisti homines super capita nostra.] Et istæ iterum sanctorum sunt martyrum voces, quas hic ad propositum explicans Bernardus Cassinensis: « Nota, inquit, quod non dicit tantum: posuisti homines super nos, sed super capita nostra; posuisti homines, non angelos, natura justos, puros, stabiles, et a Deo confirmatos, sed homines de limo terræ plasmatos, de vili semine conceptos, fragiles, peccatores, aliud docentes, et aliud facientes. Super capita nostra: in capite est imaginatio rationalis et memorativa, ut et sic omnia sint sub ejus imperio captivata. Item in capite sunt quinque sensus corporis, qui per veram obedientiam et superioris imperium captivantur: hoc est enim imponere hominem super capita nostra, videlicet ille homo qui est capitaneus monachorum. »

Sed et præceptum Domini in adversis et injuriis per patientiam adimplentes, qui percussi in maxillam, præbent et aliam.] Ubi Smaragdus: « Qui in injuriis irrogatis non reddit malum pro malo, ille maxillam percutienti unam præbet et aliam. Apud Cassianum (*Collat.* 16, *cap.* 22) abbas Joseph per *aliam* intelligit, non *sinistram maxillam*, sed aliam *dextram maxillam*, interiorem scilicet; ita « ut si exterior dextra tua impetum ferientis exceperit, interior quoque homo per humilitatis assensum dextram suam præbeat verberandam, compatiens exterioris hominis passioni, et quodammodo succumbens atque subjiciens suum corpus ferientis injuriæ, ne exterioris hominis cæde, vel tacitus intra moveatur interior. » Hildemarus quoque locum istum explicat de animi præparatione ad sufferendum percussorem, ejusque si ita placuerit plagas iterato excipiendas; aliasque hujus loci mysticas expositiones adducit, sicuti et Boherius, quas **218** consulto prætermittimus. Potest tamen et in sensu litterali accipi, magnamque indicat perfectionem, dummodo non ex superba mente, et quasi aliis insultandi et provocandi gratia, ut illi de quibus Cassianus collat. 16, cap. 20, sed humili corde suam ipsius abjectionem sitiente exerceatur.

Auferenti tunicam dimittunt et pallium.] Quod ita exponit Smaragdus: « Ille qui maledictum non reddit pro maledicto, auferenti tunicam dimittit et pallium. » Aliter Bernardus Cassinensis: « Hoc est, subtrahenti sibi de utilibus seu superfluis dimittit etiam de sibi necessariis: Dimittit dico, id est ad dimittendum paratus est. » Sed Hildemarus hunc locum ad litteram capiens, « si quis, inquit, adversator, et probator patientiæ sive impatientiæ nostræ voluerit a

nobis aliquid nostrum tollere, et de nostro jure in suum jus transferre, nos non solum debemus illi relinquere ea quæ improbe petiit, sed etiam illa quæ ipse non petierat dimittere. » *Vide* Vitam S. Macarii Ægypt. abbatis cap. 4, apud Boll. 15 Januar.

Angariati milliario vadunt et duo.] *Angariati milliario*, id est milliarium facere coacti, sive mille passus; nam milliarium mille passus terminat; passus autem quinque pedes continet, ut notat Hildemarus. *Vadunt et duo*, ita ut tria vadant milliaria. Tria posuit, quia ternarius numerus pro perfectione ponitur in Scripturis, ob honorem sanctæ Trinitatis, ut ostendat perfectam debere esse monachorum perfectionem, inquit Hildemarus. At vero secundum Smaragdum, « qui non vincitur a malo, sed vincit in bono malum, angarianti milliario voluntarie pergit duo. »

Cum Paulo apostolo falsos fratres sustinent et persecutionem.] Falsi fratres Bernardo Cassinensi « sunt mala opera facientes, ad peccatum suis suggestionibus, suorum exemplorum corruptionibus simpliciores vel minores inducentes, murmuratores, detractores, conspiratores, etc. » Qui tamen portandi, eorumque sive corporum, sive morum infirmitates patientissime tolerandæ sunt.

Et maledicentes se benedicunt.] Benigne respondendo, Deum pro eorum conversione orando, et bonum eis exemplum præbendo.

Porro huic quarto humilitatis gradui S. Bernardus opponit nonum superbiæ, scilicet fictam confessionem, qua quis reum se confitetur, non quidem humilitatis ergo, ut puniatur, sed ut sanctus reputetur, sive ne ab aliis arguatur.

De quinto humilitatis gradu.

Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala a se absconse commissa per humilem confessionem abbati non celaverit suo.] Unde et apud Cassianum **219** (*Coll.* 2, *c.* 10) abbas Moyses: « Humilitatis, inquit, hæc erit prima probatio, si unicuique non solum quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur seniorum reserventur examini. » Et quidem recte omnino postquam in quarto humilitatis gradu patientiam in duris, contrariis, et irrogatis injuriis reposuit S. P. Benedictus, in quinto humilem constituit confessionem; quia difficile est ut qui patitur injuriam, aliquo indignationis aut murmurationis motu adversus inferentem non feratur, ad quem superandum non parum confert humilis confessio.

At gravis hic oritur difficultas, qua de confessione loquatur S. Benedictus: de sacramentali, an de usitata illa et laudata a spiritalis vitæ magistris, quæ consilii causa a monachis usurpatur. Qua in re satis divisas video commentatorum sententias. Nam Bernardus Cassinensis, Richardus de S. Angelo, Boherius, Joannes de Turrecremata, Matthias Lambertus, Columbanus Uranx, de sacramentali confessione sanctum Benedictum interpretari videntur. Quidam de utraque locutum fuisse existimant. Atque ita Theobaldus Artaldus Cœlestinus in Gallica expositione Regulæ Benedictinæ, Joannes Craesbeeck, Antonius Perez, ad quam sententiam inclinat Benedictus Haeftenus, ita tamen ut magis in eam propendeat, quæ de sola, quæ consolationis aut directionis gratia fit, confessione textum Regulæ intelligit. Et hanc solam saniorem opinionem amplectitur Menardus; « nam in confessione sacramentali, inquit, non solum occulta mala, sed aperta revelanda sunt. » Et sane hanc confessionem solis abbatibus (neque enim alios nominat) faciendam esse S. P. Benedictus præcipit, ex quibus illius ætate, et etiam multo post permulti haud erant sacerdotes, nec proinde sacramentalem poterant excipere confessionem. Adde, quod notat Nicolaus Bravus, omnia quæ hic S. Pater adducit Scripturæ testimonia, ad confirmandam confessionem hanc, desumpta esse ex Veteri Testamento, nec posse ad litteram intelligi de confessione sacramentali.

Porro quæ hic S. Benedictus instituit de humili ad abbatem conscientiæ manifestatione, eadem præscripta offendes in Regula S. Antonii, n. 25, in ejus Vita, cap. 29; in Regula abbatis Isaiæ, cap. 6; in Regulis fusius disputatis S. Basilii, cap. 26; apud Cassianum, lib. IV Instit., cap. 9, et collat. 2, cap. 10; apud S. Dorotheum, doctrina 5; in Regula vivendi monachis a S. Davide præscripta, apud Bollandum, 1 Martii; in Regula S. Isidori, cap. 14; in Regula S. Fructuosi, cap. 13; in Regula Magistri, cap. 15; in Regula S. Donati, cap. 23; in Regula Cujusdam ad virgines, cap. 6. Et quidem hac in Regula ter singulis diebus fieri præscribitur, scilicet post secundam, post nonam, et ante completorium; quod usu receptum fuisse olim in virginum monasterio Evoriacas dicto, vulgo Faræ monasterio, testatur relata a S. Benedicto Anianensi historia in Concordia Regularum cap. 15, § 12. *Vide* Vit. S. Pachomii n. 85, apud Boll. 14 Maii.

Eadem praxis apud nostros passim laudata et commendata reperitur, maxime vero in Vita S. Benedicti abbatis Anianensis, n. 33 (*Sæcul.* IV, *p.* 1); in **220** Vita B. Alcuini, n. 8, et in Vita S. Adalardi, auctore S. Gerardo, n. 41, ubi omni prorsus admiratione dignum videtur quod de eo ibidem scribitur: « Ipse vero, scilicet S. Adalardus, tantam memoriam filiorum habebat in visceribus paternis, ut non solum mores inspiceret, sed etiam numerum et nomina eorum semper haberet descripta in manibus suis, quatenus non sibi excideret pro quibus rationem redditurus esset Deo, et pro quantis. Ideo maximam gerens curam eorum, nullum ex eis in hebdomada relinquebat inallocutum, ne scilicet inimicus inveniens vacantes, zizania superseminaret cordibus eorum. » Erant vero Corbeiæ monachi sub S. Adalardo non minus trecentis, nec amplius quadringentis.

Hortatur nos de hac re Scriptura dicens: Revela Domino viam tuam, et spera in eum.] Hac in Scripturæ auctoritate quatuor hujusce confessionis conditiones S. P. Benedictus indicat: 1° Ut sit clara, aperta, absque ulla verborum obscuritate, cum dicit *Revela;* hoc enim revelari dicitur, quod aperte declaratur. 2° Ut fiat abbati non tanquam homini, sed tanquam Deo, aut ejus vicario; Christi enim vices in monasterio agere creditur, cum addit *Domino.* 3° Ut fiat de propriis delictis, tentationibus, pravis cogitationibus, nulla facta aliorum mentione, cum subjungit *viam tuam.* 4° Cum firma spe obtinendæ veniæ, *Et spera in eum.*

Et item dicit: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.] In qua proinde firmiter sperandum.

Et item Prophetæ: Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitias meas non operui. Dixi: Pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei.] Quibus in verbis quatuor iterum denotat observanda hac in confessione: 1° ut nihil omnino superiorem celet, quia vix congruum medicus ægroto potest afferre remedium, nisi integram morbi cognitionem habeat, *Non operui;* 2° ut priusquam ad superiorem accedat, morbi sui qualitatem consideret, ejus causas, naturam, effectusque perquirat, ut ampliorem de eo abbati notitiam tribuat, quod colligitur ex verbo *Dixi*, id est mecum statui; 3° ut id faciat cum voluntate et intentione se accusandi, *Pronuntiabo adversum me;* 4° idque cum humilitate, quod indicat vox *injustitias.*

Et hæc quidem S. Benedictus ex parte illius qui conscientiam superiori manifestat: quid vero ex parte ipsius superioris, cui perversæ cogitationes et mala absconse commissa revelantur, exigat, prætermisit; quia humilem hic duntaxat intendit reddere discipulum; sed illud aliunde repetere lectoribus haud erit fortassis ingratum.

Itaque S. Fructuosus quatuor potissimum ex parte

abbatis requirit (*In Regul. cap.* 13), scilicet, ut « consolatione, oratione, castigatione, sive etiam exercitatione idonei operis, » fratri tentato, aut alias afflicto medeatur : quæ **221** pene eadem videre licet in Regula Magistri, in qua præscribitur (*Cap.* 15), ut « cum de aliquo fratre nuntiatum fuerit a * præpositis abbati, convocet mox universam congregationem, et dicat omnibus abbas : Venite, fratres, subveniamus per dilectionem invicem nobis apud Dominum..... Ergo unanimes pro hoc fratre nostro oremus ad Dominum, ut dignetur in eo signaculo crucis suæ, vel jussione potentiæ suæ diaboli tentationes compescere. » Ecce abbatis totiusque congregationis pro fratre tentato orationem, cujus praxeos egregium habemus exemplum in Vita S. Anastasii Persæ monachi, qui aliquando recordatione artis magicæ, quam in sæculo exercuerat, tentatus, cum rem abbati manifestasset, ille « admonebat eum, et confortabat in Domino, secundum quæ data illi fuerat in Domino gratiam; et faciens orationem pro eo coram omnibus fratribus in ecclesia, effugavit ab eo pugnam diabolicam (*Apud Boll.*, 22 *jan.*) » Addit Magister : « Cum ergo oratum pro eo ab omnibus diutissime fuerit, surgens abbas cum omnibus, et complens, mox exeuntes singuli opus, quod faciebant, reprehendant ; et retento apud se illo solo fratre qui malo cogitationis laborat, proferat codices, et adversus necessitatem vulneris ejus similis divina medicina legatur. Nam et per dies quibus ille frater interrogatus ab abbate forte responderit non transisse, illis horis quibus contingit legi sive per hiemem, sive per æstatem pertinentia codicum ad ipsam cogitationis necessitatem legatur ipsa decada de qua est ipse frater. Verbi gratia, si suaserit fornicationem, legatur illi ex diversis codicibus, ubi castitatem diligit Deus ; si mentitionem suadet frequenter, legatur illi in diversis, ubi præcepit veritatem..... Unde oportet abbatem multum de lege instructum, aut ut testimoniis omnia doceat, aut pertinentia ad locum legenda consignet. » Ecce consolationem : Ideo enim dimissis omnibus fratribus solum tentatum retineri apud se jussit ; ideo congruentes ejus morbo lectiones indicavit faciendas ; ideo instructum lege divina abbatem requisivit, qui Scripturæ testimoniis omnia doceat, id est consoletur. Deinde paucis interjectis subjungit : « Alia die mane interrogetur ab abbate, si cogitatio inimica cessavit, aut non ; quod si responderit non cessasse, supponatur jejunium ab omnibus. Quod item si alia die reinterrogatus responderit non transisse, reficientibus omnibus mensis subtrahatur vinum..... Si tertio die reinterrogatus responderit non transisse, item oleum mensis subtrahatur cum vino, ut multorum labore et abstinentiæ cruciatione nullus pereat, sed omnes evadant. » Ecce corporis afflictionem, quam inter alia tentationis remedia assignaverunt quotquot de vita spiritali moribusque dirigendis tractavere scriptores, cujus eximium habemus documentum in Vita S. Eupraxiæ virginis, quæ ineunte sæculo v vivere desiit in virginum monasterio inferioris Thebaidis (*Boll.*, 13 *Mart.*) : « Hæc autem erat consuetudo in monasterio, inquit anonymus scriptor n. 14, si quando contigerat aliquam sororem tentari a diabolo per somnum, mox diaconissæ (id est abbatissæ) pandebat ; illa vero cum lacrymis Deum postulabat, ut diaboli tentatio ab **222** ea recederet, jubebatque ut lapides portaret, et sub stratum suum supponeret, et cinerem super cilicium spargeret, et ita dormiret usque ad decimum diem. » Denique ita concludit Magister : « Et hoc debet frater moneri, ut cum cogitatio aliqua ei advenerit, mox fixis in terra cum cervice genibus, vel signo crucis in fronte depicto, debet ad Dominum convolare, ut dignetur suos milites a diabolo defendere. » Solebant veteres monachi signo crucis technas diaboli dissipare, ut passim occurrit in eorum actis. His omnibus addendum quod præscribit Tarnatensis monasterii Regula (*Cap.* 8) : « Qui cogitationum impugnationes consolationis suæ causa secretius confitetur, non oportet eum despici, nec aliis publicari ; sed quantum in ipso est blanda exhortatione foveri. » Et Regula Cujusdam ad Virgines : « Abbatissa vel præposita... crimina minora vel maxima nullatenus manifestent, nisi solo justo judici, qui omnium confitentium crimina lavat. Illa enim quæ confessa est sua vulnera verecunde, non ad opprobrium recipiendum, sed ad salutem reintegrandam confessa est, justum habens testem Deum, a quo et mederi exspectat. Ea vero senior quæ recipit (confessionem) cum gravitate et moderatione penes se occultando, honestissime teneat, ne dum alterius vulneri medicinam infundit, suæ mentis corrumpat nitorem. » Et hæc maxime attendere debent abbates, ut si quam in se fiduciam ab inferioribus desiderent, sibi revelata perpetuo tegant silentio.

De sexto humilitatis gradu.

Sextus humilitatis gradus est, si omni vilitate et extremitate contentus sit monachus.] Ut aliquem ex humili ad abbatem confessione, de qua superiori gradu, fructum percipiat monachus, ad omnia debet esse paratus : unde consequenter S. P. Benedictus in sexto humilitatis gradu requirit, ut *omni vilitate et extremitate* contentus sit : quibus in verbis tria nobis in præsenti investiganda occurrunt : 1° quid sit *vilitas* ; 2° quid *extremitas* ; 3° cur S. Pater non simpliciter vilitate aut extremitate contentum esse debere dixerit, sed præmiserit *omni*.

Etsi vilitas et extremitas promiscue soleant usurpari ut ea accepisse videtur S. Gregorius papa in l. IV Dialog., cap. 55, aliquid tamen inter utrumque discriminis afferunt insigniores Regulæ commentatores Hildemarus, Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Boherius, et Turrecremata. Nam vilitas, ex Bernardo Cassinensi, « pertinet ad omnem utilem seu necessarium usum, extremitas ad omnem statum, gradum, opus et locum. »

Vilitas ergo attenditur in omni utili seu necessario usu, sive, ut distinctius loquitur Hildemarus, « attinet ad cibum, vel potum, et vestitum, calceamentum, ad lectum, vel etiam ad habitationem. » Ubi vilitatem ad tria potissimum redigit : ad victum, ad vestitum, ad habitationem ; **223** quæ passim laudantur apud auctores asceticos. De vilitate in victu dicemus infra ad caput 35 aut 39, de vilitate in vestitu ad cap. 55 ; et interim videsis S. Greg. homil. 40 in Evangelium, et S. Bernardum hom. 4 super *Missus est*, n. 10. De vilitate habitationis non sine magno animi dolore hic dicere cogor, considerans quam procul dissiti sumus ab his temporibus quibus non alias monachi domos inhabitabant præter eas quas proprjis sibi manibus paraverant (*Rufin. lib.* II *de Vitis Pat. c.* 23), easque vel uno die constructas ; attendens ad magni tot monachorum Patris, sancti scilicet Martini, exemplum, qui, referente Severo Sulpicio (*Lib.* I *de Vit. S. Mart.*), « ipse ex lignis contextam cellulam habebat, et multi quidem ex fratribus in eumdem modum, plerique saxo superjecti montis cavato receptacula sibi fecerant ; » recolens felices illos dies quibus S. Ebrulfus abbas Uticensis una cum sociis (*In ejus Vita, n.* 8, *sæc.* I *Bened.*) « nomen Domini invocantes, pro quantitate habitantium de virgultis et frondibus construxere tugurium, quod claustro parvulo ejusdem materiæ circumcingentes, manserunt ibi ; » quibus S. Sigirannus abbas Longoretensis (*In ejus Vita, n.* 10, *sæc.* II) parvulum ex lignis habitaculum ædificasse legitur ; quibus nostri Floriacenses tecta monasterii stipula cooperiebant. Sed o tempora ! o mores ! quis jam aliqua nonnullorum monasteriorum ædificia contuens, ea monachorum, hoc est pauperum, sæculi vanitatibus renuntiantium habitacula crederet, et non principum palatia ?

* Non enim ipsi per se, sed mediantibus præpositis malum cogitatum abbati prodebant.

Sed non hac primum ætate hoc virus monachorum cordibus irrepsit; cum inter præcipuas, quibus olim ordo monasticus occubuit regularisque disciplinæ observantia labefactata est, causas, recenseatur nimia ædificiorum magnificentia (*Mabil. præf. ad sæc. 4*): cui morbo mederi cupientes monachi Fuldenses, porrecto ad Carolum Magnum imperatorem libello supplici, postularunt (*Num.* 12), « ut ædificia immensa atque superflua, et cætera opera inutilia omittantur, quibus fratres ultra modum fatigantur, et familiæ foris dispereunt; sed omnia juxta mensuram et discretionem fiant. » Unde Ludovicus Pius imperator, Caroli filius et successor, in exhortatione ad Eigilem electum Fuldensis monasterii abbatem (*In Vita Eigilis n.* 12. *Sæc.* 4 *Bened.*) : « Immensa, inquit, ædificia, Pater, et opera non necessaria, quibus familiæ foris et intus fratrum congregatio fatigatur, ex hinc penitus ad mensuram dimitte; et memento quam sæpe hujus nimietatis querimonia genitoris mei ac nostras aures inquietabat. » Longe modestior erat in construendis monachorum ædificiis magnus Benedictus abbas Anianensis (*Sæc.* IV *Bened., parte* I) : « non enim ornatis parietibus tegulisque rubentibus, vel pictis laquearibus, sed stramine vilique materia cooperire, vel facere domos decreverat : licet enim multiplex numerus fratrum augeretur, ille semper viliora et humiliora appetebat, » inquit Ardo in ejus Vita, n. 14. Scio tamen aliquos sanctissimos viros sumptuosa olim sibi construxisse cœnobia; sed hæc magnatum aut principum frequentius sumptibus, atque in hoc *compassum est animalibus*, ut loquitur Guillelmus abbas S. Theoderici ad fratres de Monte Dei scribens (*De Vita solitar., c.* 12), ubi præclara et lectu quidem dignissima dicit, quæ prætermittimus, ne longius materias protraxisse videamur. Hæc retulisse hactenus **224** sufficiat ad memoriam antiquæ filius simplicitatis et humilitatis quam in ædificiis præferebant, quos imitari tenemur, patres nostri; quæ tamen in eos cadere nolumus, qui, pene emortuam excitantes in cœnobiis regularem disciplinam, collapsa restaurant ædificia, quatenus solida atque in æternum, si fieri possit, duratura pietati ædificia et congruas locorum dignitati ac celebritati ædes restituant; congruas, inquam, locorum dignitati. Neque enim decorum fuerit basilicis augustissimis, quas regum aliorumque fidelium pietas monachis erexit, ac superbissimis principum mausoleis, rudes circumponere casas : quanquam ab his etiam locis longe abesse debeat vana et inanis ornamentorum ostentatio; alioquin merito redundabit in nos illud Hieronymi ad Heliodorum (*Epist.* 1) : « Filius hominis non habet ubi caput reclinet, et tu amplas porticus et ingentia tectorum spatia metiris. » Et certe nulla unquam a nobis delere debet oblivio quod scribit præcitatus Guillelmus abbas S. Theoderici : « Credite, fratres, et utinam vobis experiri non contingat quia pulchritudines istæ et forenses honestates cito virile propositum enervant, et masculinum animum effeminant. Nam etsi ipso sæpe usu sopiuntur earum delectationes, etsi sint aliqui qui utantur hujusmodi quasi non utentes; tamen contemptu melius quam usu exstirpantur et vincuntur hujusmodi affectiones; » vixque dici potest quantum vanitatis superba ædificia inspirent humilitatis professoribus. Plane id aliqua ex parte expertus est olim S. Pachomius, qui cum oratorium ædificari fecisset (*Paralipomena de S. Pach., apud Boll.*, 14 *Maii*), « porticibus et columnis super bases dispositis insigniter ornatum, non parum amabat illud ædificium, sibique plaudebat, quod insigne opus ad finem perduxisset; sed cum hanc animi sui affectionem animadvertisset ex diabolica fraude ortam, ut propter exstructi oratorii pulchritudinem lætitia efferretur, funes parari, eosque columnis aptari jussit, et instituta primum oratione, fratrum usus opera, columnas omnes ad terram inclinari, atque ut sic curvæ manerent, imperavit. Ad fratres deinde conversus, oro, inquiebat, vos fratres, ne manuum vestrarum opera ad ostentationem pulchra admodum esse unquam velitis. » Simile periculum pertimescebat haud dubium S. Wlstanus episcopus Wigorniensis qui, ut ejus in Vita legimus (*Apud Boll.* 19 *Feb.*), « Cum monasterii Wigorniensis novam ecclesiam perfecisset, et veterem ecclesiam, quam S. Oswaldus construxerat, subrui videret, lacrymas fundendo dixisse fertur : Nos miseri sanctorum opera destruimus, ut nobis laudem comparemus. Non noverat illa felicium virorum ætas pompaticas ædes construere; sed sub qualicunque tecto seipsos Deo immolare, subjectosque ad exemplum attrahere; nos e contra nitimur ut animarum negligentes curam accumulemus lapides. » *Vide* Petri Damiani lib. VIII, epist. 2; Vitam S. Roberti abbatis Molismensis n. 8; Hieronymum Camaldul. in serm. de S. Romualdo, n. 12, apud Boll., 7 Febr.

Extremitas ex Bernardo Cassinensi pertinet ad quatuor : ad statum, gradum, opus, locum. Ad statum, ut extrema omnium conditione, **225** hoc est sua, quæ si bene attendatur est omnium humillima, sit contentus; ut in sua professione perseverans Ecclesiæ dignitates, aut ministeria non ambiat; a quibus non dicam recedere, sed abhorrere, si sic loqui fas est, debet quisquis vel minimum humilitatis gradum attigerit. Nota est omnibus antiqua priscorum monachorum sententia (*Cass. lib.* XI, *cap.* 17, *vid. cap.* 14, *et lib.* VII, *de Vit. Pat., c.* 33) : *Omnimodis monachum fugere debere mulieres et episcopos*, ne scilicet ab eis assumpti in clerum, ad ecclesiastica muni provehemtur. »

Ad gradum, ut monasterii dignitates et officia non requirat, juxta illud S. Basilii (*In Const. monast. c.* 25) : « Dignitates plane non competit appetere religiosum; si namque in hac vita laborum ac virtutum præmia requirit, miseram sciat esse mercedem, ubi æterna temporaneis commutata amittit : si vero maluerit hic quidem certare, in cœlo autem coronas reportare, debet non solum non affectare dignitates, sed oblatas quoque recusare ac spernere, ne dignitas hujus vitæ futuram imminuat, etc. » Sed hæc doctrina minus sapit superbo monacho, qui, ut ait S. Bernardus (*De Grad. humil. cap.* 16) : « Si cum tempus advenerit, non promoveatur ad prioratum, abbatem suum aut invidum judicat, aut deceptum. » Hujusmodi homines alibi deflet idem S. Bernardus his verbis (*Homil.* 4, *sup.* Missus est) : « Video, quod multum doleo, post spretam sæculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis humilisque magistri gravius insolescere, et impatientes amplius fieri in claustro, quam fuissent in sæculo; quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur esse contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt : ut quia videlicet, ubi a pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur. »

Ad opus, ut abjectissimas artes et obedientias, verbi gratia, in coquina servitoribus ministrare, sordidos pannos lavare, cloacam purgare, non modo non refugiat, sed et libens amplectatur, attendens ad illam S. Basilii sententiam (*In Const. monast. c.* 24) : Decet religiosum etiam viliora opera cum multa diligentia et animi promptitudine amplecti, scientem non esse exigui, sed magni momenti, et spiritale, cœloque dignum, et cœlestem nobis mercedem afferre, quidquid propter Deum geritur. Proinde etiamsi sequenda sint jumenta oneraria, communi necessitati servientia, contradicere non debet, si cogitet quam alacriter Domino obedierint apostoli pullum adducere jubenti; ac reputet fratres esse Domini, quorum gratia nos curam jumentorum suscipimus... tantum hujusmodi ministerium negligentiæ causam non faciat; sed in omni diligentia seipsum custodiat, ut et sibi ipsi et iis cum quibus agit, prosit. Ubi vero

aliquid viliorum operum obeundum est, scire oportet, et Servatorem ministrasse discipulis, nec humilia opera dedignatum esse. Denique magni esse momenti, si homo fiat imitator Dei, et per humilia illa ad sublimitatem humiliationis hujus ascendat : quis autem dixerit etiam humile esse, cujus operationem Deus ipse usurpavit. » Ita plane sentiebat S. Radegundis, quæ ex potentissima Franciæ regina monasticen **226** in Pictaviensi virginum cœnobio professa (*Venant. Fortunat. in ejus Vita, n.* 23. *Sæc.* I *Bened.*), « vicibus suis scopans monasterii plateas, simul et angulos, quidquid erat fœdum purgabat, et sarcinas quas alii horrent videre, non abhorrebat evehere, secretum etiam purgare, opus non tardans, sed occupans ; ferens fetores stercoris credebat se minorem sibi, si se non nobilitaret vilitate servitii, ligna supportans brachiis, focum flatibus et forcipibus admovens, calens, nec læsa se retrahens, extra suam hebdomadam infirmantibus serviens, etc. » Quibus fere similia (*Sæc.* II *Bened.*) de Easterwino abbate Wiremutensi ex ministro Egfridi regis refert Beda in lib. I de Vita S. Benedicti Biscopi, n. 8. Sed ista non capit superbus, qui « si mediocris ei aliqua obedientia injuncta fuerit, indignatur, aspernatur, arbitrans se non esse minoribus occupandum, qui se ad majora sentit idoneum (*S. Bern. de Grad. humil. c.* 16).

Denique ad locum, ut si jusserit abbas antiquiorem aliquem in ultimo congregationis ordine et loco sedere, libens assentiatur ; futurum est enim aliquando ut sint novissimi primi et primi novissimi ; quod certe maxime pertimescere debet superbus, qui, ut loquitur S. Bernardus (*Ibidem*), « primus in conventibus residet, in consiliis primus respondet, non invitatus accedit, non jussus se intromittit. »

Jam vero cur non simpliciter vilitate aut extremitate, sed omni vilitate et extremitate contentum esse debere monachum dixerit, ita explicant Hildemarus, Bernardus Cassinensis, et Turrecremata ; quia nimirum nonnulli ciborum, non vestimentorum vilitate sunt contenti ; nonnulli vestimentorum, sed non ciborum ; nonnulli utrorumque, sed non habitationis. Item nonnulli vilitatem tolerant, at extremitatem pati non queunt. Vel etiam « omni vilitate et extremitate dixit, inquit Hildemarus ; quia et corpus et mentem comprehendit ; id est sicut in corpore existit vel extremus, ita debet esse et in mente ; nam si corpore videtur vilis et extremus, et non in mente, jam non est monachus, sed hypocrita. » Et certe id satis indicat vox *contentus*, quæ interiorem mentis inclinationem et voluntatis assensum designat : unde Hildemarus : « Si abbas, inquit, præposito jusserit ut sedeat in ultimo loco, et ille cum tristitia ierit ; prævaricator hujus præcepti est : et quia prævaricator hujus præcepti est, perfectus monachus non est : » de sua enim abjectione *et non gaudere, et non gloriari, minus est a perfecto*, ut dicit S. Bernardus (*Epist.* 250). Porro ad conservandam vilitatem duos nobis versiculos hosce proponit alter Bernardus, scilicet Cassinensis :

Spernere mundum, spernere nullum, spernere sese,
Spernere se sperni, quattuor ista beant.

Et ad omnia quæ sibi injunguntur velut operarium malum et indignum se judicet.] Non modo vilitate et extremitate contentum vult esse monachum S. P. Benedictus, sed ipsa etiam vilitate et extremitate indignum se reputare ; ita ut quæcunque sibi vilia in victu, vestitu, etc., ministrentur, etiam viliora sibi deberi existimet ; quocunque constituatur loco licet humili, etiam altiori quam mereatur constitutum reputet ; quæcunque injungatur obedientia **227** vel abjectior, digniorem tamen meritis agnoscat. Sicut enim qui a furca redimitur (exemplum est Hildemari), si ab eo a quo redemptus est domino vilis ei aliqua opera injungatur, non audet respondere se nolle adeo vili se non occupandum labore, majoribus dignum, sed cum omni animi demissione mandatum suscipit : ita et monachus a sæculi vinculis divina benignitate ereptus, quodcunque jusserit abbas in nomine Domini, cujus vices gerit, quodcunque opus humile injunxerit, non secus ac magnum favorem suscipiat.

Dicens sibi cum propheta : Ad nihilum redactus sum et nescivi.] « Id est nescientem me esse cognovi, stultum et parvulum deputavi, et velut insipientem despexi, » inquit Smaragdus. Vel ut loquitur Turrecremata, Nescivi, « id est abscondi, quia vera humilitas bona sua sibi abscondit. »

Ut jumentum factus sum apud te.] Quæcunque vel vilissima suscipiens et deferens onera. Pulchra equidem comparatio jumenti et monachi : « Es quidem et tu jumentum Domini, inquiebat olim Petrus Venerabilis ad Gislebertum Inclusum scribens (*Lib.* I, *ep.* 20) ; sed clausus stabulo ejus recubas, et ruminas pabula ejus. Sunt illi (cœnobitæ) equi fortes parati in diem belli, in quibus eques cœlestis residens fortiter expugnat, et perimit principem mundi ; aguntur isti freno obedientiæ, concitantur stimulis disciplinæ, anheli et sæpe latera cruentati viam mandatorum Dei discurrunt, nec, nisi cursu consummato bravium comprehendant, quiescunt. Hi pondus diei et æstus tolerant, jugum obedientiæ forti cervice sustentant, jacula iracundiæ fortiter ab hostibus et proximis intorta patientiæ scuto repellunt. » Et hoc quidem apprime noverat abbas Nosteros, qui in Vitis Patrum (*Libro* V, *libello* 15, *n.* 30) de seipso dicit : « Quando intravi in initio in congregationem, dixi animo meo : Tu et asinus unum estote ; sicut enim asinus vapulat et non loquitur, injuriam patitur et non respondet ; sic et tu quemadmodum in psalmo legitur : Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. »

Et ego semper tecum.] *Id est in operibus tuis*, inquit Richardus de S. Angelo ; vel ego semper tecum sum *per conformitatem voluntatis, et per infatigabilem constantiam*, ut loquitur Turrecremata cum Bernardo Cassinensi et Boherio.

Porro ad hunc humilitatis gradum, cui S. Bernardus septimum superbiæ, scilicet præsumptionem opponit, ascendendum, non parum adjumenti confert septimus humilitatis gradus de quo nunc agendum est.

De septimo humilitatis gradu.

Septimus humilitatis gradus est, si se omnibus inferiorem et viliorem non solum sua lingua pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu.] In hoc potissimum gradu SS. Patres humilitatis virtutem constituunt. Ita nimirum S. Basilius : « Humilitas est, inquit, omnes seipso **228** superiores existimare. » Et alibi (*Reg. brev., inter.* 198) : « Humilis omnes terrenos honores respuens ultimum se judicat. » S. Ambrosius : « Hæc est enim humilitas, si nihil sibi quis arroget ; sed inferiorem se esse existimet. » S. Joannes Chysostomus (*Homil.* 33, *super Genes.*) : « Non eis tantum, qui ætate nobis sunt majores vel etiam æquales, honorem exhibeamus : non enim est humilitas quod facere debes necessitate ; vera autem est, quando cedimus iis qui nobis videntur esse minores, et eos veneramur qui videntur magis indigni quam nos : quod si recte sapimus, nullos etiam nobis minores arbitrabimur ; sed nos excelli ab omnibus hominibus dicemus. » Denique S. Bernardus (*Serm. in oct. Epiph.*) : « Sicut enim grandis et gravis est superbia, præferre se æquali aut æquare prælato, ita magnæ humilitatis est inferiorem se exhibere etiam ipsi inferiori : sicut enim summa et intolerabilis superbia est superiori se præponere, ita inferiori se subdere summa et plena justitia est. » Quibus ex verbis S. Bernardi habemus, non solum veram humilitatis virtutem, sed summam et, ut ita dicam, virtutum virtutem, sanctorum perfectionem, summam et plenam justitiam hoc in gradu constitui : unde idem alibi S. doctor ait (*Serm.* 13 *in Cant.*) : « Magna

et rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, et manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem; mirabilem te apparere, et contemptibilem te reputare: Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico. » Et alibi ad monachos Alpenses scribens (*Epist.* 143): « Recta facere, et inutilem se reputare apud paucos invenitur; ideo multi admirantur: hoc, inquam, hoc prorsus de illustribus reddit illustriores, sanctiores de sanctis :.... hæc virtus me judice præfertur protractis jejuniis, anticipatis vigiliis, omni denique corporali exercitio, tanquam vere pietas, quæ ad omnia valet.

Ad hæc forte stupebit aliquis, quærens num, illæsa veritate, ita de se sentire et prædicare queat, et qua tandem ratione id fieri possit, ut monachus Deo charus, Deo semper intentus, virtutum gratia ornatus, homicidæ, adultero, blasphemo et apostatæ inferiorem et viliorem se judicet. Cui respondebit S. Basilius (*Const. monast. c.* 2): « Non mendacium dices, si te peccatorem esse dixeris; nam si recte intellexeris, eo ipso peccabis, si te sine peccato esse dixeris. » Et S. Joannes Chrysostomus (*Homil.* 33, *in Genes.*): « Si recte sapimus, nullos etiam nobis esse minores arbitrabimur; sed nos excelli ab omnibus hominibus dicemus. Et hoc dico, non de nobis, qui innumeris submersi sumus peccatis; sed etiam si quis sibi plurimorum bene gestorum conscius sit, nisi apud se sentiat quod omnium sit postremus, nulla ei futura utilitas est ex omnibus suis bonis operibus. »

Quomodo autem illæsa id veritate fieri queat duobus modis explicant regulæ commentatores Hildemarus, Bernardus Cassinensis et Boherius. Primo nimirum propter latentia in nobis mala, et latentia in aliis bona; quibus concinit S. Thomas his verbis (2-2, *q.* 161, *a.* 6, *ad* 1): « Potest aliquis absque falsitate se credere et pronuntiare omnibus viliorem secundum defectus occultos, quos in se cognoscit, et dona Dei, quæ in **229** aliis latent: unde Augustinus dicit in lib. de Virginitate: *Existimate alios in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores.* » Et certe ut hic citatus dicit alibi S. Augustinus (*Lib.* 83, *quæst.* 71): « Illud cogitandum nullum esse hominem, qui non possit habere aliquod bonum, etiamsi lateat, in quo possit esse superior; quæ cogitatio ad contundendam et edomandam superbiam valet. Nec arbitreris quoniam bona tua eminent et apparent, et ideo alterum nulla habere, quæ lateant majoris forte ponderis, quibus te superat nescientem. » Et hac forte ratione suos S. Bernardus alloquens inter alia hæc dicit (*Serm.* 36, *de Divers.*): « Tu ergo non magnopere cogites quæ tibi videris habere, nisi forte interdum, ut gratias agere possis, et te noveris debitorem ei qui dedit; seu gratia consolationis, cum id necesse fuerit, ne qualibet ex causa tristior fias. De cætero ea semper magis attende, quæ alius habet, tu non habes; quod hæc cogitatio te in humilitate custodiat, et a descensu tepiditatis elonget, magis autem et accendat desiderio proficiendi. Vide autem quanta e regione mala cogitatio illa parturiat, qua sedule versas in animo quod tibi habere videris, et alterum quempiam æstimas non habere: hinc enim elevaris in superbiam, dum te præponis alteri; hinc proficere negligis, dum te magnum quempiam arbitraris; hinc demum incipis deficere, dum tibi alterius comparatione etiam nimis egisse videris. » Eadem etiam forte mente interroganti cuidam fratri abbatem Pœmenem (*Lib.* III *de Vit. Pat.*, *n.* 131): « Quomodo possum me minorem videre ab eo qui homicida est? » respondit: « Si videns hominem qui forte occidit alium, dicis in temetipso: Iste quidem hoc solum peccatum fecit; ego autem omni hora homicidium committo, meipsum interficiens. Et cum frater requireret quomodo hoc possit fieri, respondit: Hæc sola justitia hominis, ut semetipsum reprehendat; tunc enim justus est, cum sua peccata condemnat. »

Secundo, propter incomprehensibilia judicia Dei. Terribilis enim Deus in consiliis super filios hominum, ut quos sæpe sanctiores existimamus, hos a Deo reprobatos; deteriores vero prædestinatos infallibilis scientia Dei cognoscat. Nam quis, verbi gratia, Saulem a Deo electum, ejusque mandato in regem consecratum; Saulum autem minas spirantem ac necem intuens; illum de libro vitæ delendum, istum vas electionis Deo factum credidisset. Cum ergo nullus hominum sciat utrum amore an odio dignus sit; nulli se præferat, quinimo coriarii illius Alexandrini æmuletur virtutem, qua celeberrimum toto orbe Antonium abbatem superavit. Cum enim vir sanctus in cella aliquando oraret, cœlestis ad eum vox advenit dicens (*Ruffin. lib.* III *de Vit. Pat.*, *n.* 130): « Antoni, necdum ad mensuram coriarii istius, qui in Alexandria est, pervenisti. » Quo audito venerabilis senex Alexandriam properat, ad dictum coriarium se confert, eum rogat, ut opera sua sibi denuntiet; cui ille respondens ait: « Nescio aliquando me aliquid boni perpetrasse; unde et ex cubili proprio mane consurgens, antequam in opere meo resideam, dico, quod omnis hæc civitas a minore usque ad majorem ingrediatur in regnum **230** Dei propter justitias suas; ego autem solus propter peccata mea pœnam ingrediar sempiternam, quod verbum antequam sero quiescam ex cordis veritate recenseo. » Quod audiens S. Antonius addidit: « In veritate, fili, sicut bonus artifex sedens in domo tua, cum requie regnum Dei adeptus es; ego autem velut sine discretione omne tempus meum in solitudine terens, necdum verbi tui assumpsi mensuram. »

Secundam hanc rationem eleganter illustrat S. Bernardus his verbis (*Serm.* 37, *in Cant.*): « Quid si in eo discordaret a veritate, ut minorem se inferioremque putaret quam veritas haberet? Excusaret eum sua procul dubio ignorantia, et minime reputaretur superbus, nec tam inveniretur iniquitas ejus ad odium, quam humilitas fortassis ad gratiam. Si enim in quonam statu unumquemque nostrum habeat Deus liquido cognosceremus, nec supra sane, nec infra secedere deberemus, veritati in omnibus acquiescentes: nunc autem quia consilium hoc posuit tenebras latibulum suum, et sermo absconditus est a nobis, ita ut nemo sciat si dignus sit amore an odio, justius tutiusque profecto, juxta ipsius Veritatis consilium, novissimum nobis locum eligimus, de quo postmodum cum honore superius educamur, quam præsumimus altiorem, unde cedere mox oporteat cum rubore. Non est ergo periculum quantumcunque te humilies, quantumcunque reputes minorem quam sis, hoc est quam te veritas habeat. Est autem grande malum horrendumque periculum, si vel modice plus vero te extollas, si vel uni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem forte parem tibi veritas judicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim si per ostium transeas, cujus superliminare (ut ad intelligentiam loquar) nimium bassum sit, non nocet quantumcunque te inclinaveris; nocet autem si vel transversi digiti spatio plusquam ostii patitur mensura erexeris, ita ut impingas, et capite quassato collidaris; sic in anima non est plane timenda quantalibet humiliatio; horrenda autem nimiumque pavenda vel minima temere præsumpta erectio. Quamobrem noli te, homo, comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim, o homo, si unus ille, quem forte omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cujus vitam sceleratissimam ac singulariter fœdissimam horres, et propterea illum putas spernendum, non modo præ te qui forte jam sobrie, et juste, et pie vivere te confidis; sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis tanquam omnium sceleratissimum; quid scis, inquam, si melior illis et te et illis mutatione dexteræ Excelsi in se quidem futurus sit, in Deo vero jam sit? Et propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter novissimos eligere locum nos voluit; sed recumbe, inquit in novissimo loco, ut solus videlicet omnium

novissimus sedeas, teque nemini non dico præponas, sed nec comparare præsumas. »

Tres alias rationes addit Benedictus Haeftenus (*Lib.* VI, *tract.* 6, *disq.* 5), ob quas vel sceleratissimis nos inferiores judicare debemus, ex quibus prima repetitur ex gratiis et beneficiis nobis collatis, quibus si alter donatus fuisset, longe **231** sanctior nobis evasisset; nos vero illo multo pejores, si iisdem, quibus ille afflicti fuissemus tentationibus. Secunda ex consideratione summorum atque virtute clarissimorum virorum : si enim, sepositis malorum vitiis, insignes tantummodo bonorum virtutes attendamus, quanto nos pietatis superant intervallo, quotque nobis desint virtutes, jam non ausi oculos levare, omnibus nos inferiores facile judicabimus. Hac potissimum ratione Petrus Venerabilis Gilbertum eremitam ad humilitatem hortatur in l. I, epist. 20. Tertia ex reddenda pro acceptis beneficiis ratione : dum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Si ergo consideremus quanta pro acceptis a Deo beneficiis rependere teneamur, et quam pauca revera rependamus, quomodo nos vel omnium minimos non existimabimus?

His de hoc septimo humilitatis gradu satis prolixe tractatis, ad alios gradus gradum accelerare deceret, ni gradum hic sistere nonnulla cogerent, quæ circa S. Regulæ textum supersunt expendenda. Non enim simpliciter dicit, ut *se omnibus inferiorem et viliorem pronuntiet;* sed ut id insuper ita esse credat; quia multos videas qui se omnium peccatores maximos prædicant, ad infernum usque deprimunt; quos si vel minimo tetigeris verbo, excandescentes injuriam sibi fieri conqueruntur; quos non tam humiles, quam humilitatis larvas dixeris. Talis erat monachus ille apud Cassianum (*Collat.* 18, *cap.* 11), qui cum se plurimum verbis depressisset, ita ut nec communem spirare aerem dignum se clamaret; admonitus a Serapione ne vagaretur otiosus, sed in cella consisteret, ferre haud potuit, nec dissimulare dolorem. Notat porro S. Bernardus (*Serm.* 16, *in Cant.*) alios esse, qui jactanter et impudenter vitia et malefacta confitentur; alios qui dolose et quasi pœnitendo ea commemorant; sed gloriam intentione captantes; alios denique qui non quia sunt humiles, sed ut humiles appareant sua aliis peccata declarant, quos omnes S. doctor reprobat et damnat.

Deinde S. P. Benedictus non solum dixit, *ut omnibus inferiorem et viliorem se credat*, sed *intimo*, inquit, *cordis credat affectu*, hoc est talem se foris exhibeat, qualem se intus existimat, talem se ab aliis tractari gaudeat, qualem ipse se prædicat: hæc enim est vera cordis humilitas, quam adeo commendavit Christus, cum dixit : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Corde* dixit; non verbo aut lingua; *corde* dixit, non judicio aut cognitione; *corde* dixit, qualis ipse fuit, cui, ut loquitur S. Bernardus (*Serm.* 42, *in Cant.*), *placuit minimum reputari, qui se summum non ignorabat.* Et sane quid prodest se peccatorem prædicare? quid omnibus inferiorem et viliorem se credere? Talem et ipsi dæmones habere possunt humilitatem, quam ipsa nostri cognitio exigit, et habere nos cogit veritas, humilitatem scilicet oris et intellectus, non humilitatem cordis; humilitatem veritatis, non humilitatem amoris. Quid igitur? « Vera est humilitas cordis retinenda, inquit apud Cassianum (*Collat.* 18, *c.* 11) abbas Piammon, quæ non de affectata corporis atque verborum, sed ex intima mentis humiliatione descendit, quæ tunc demum evidentissimis patientiæ **232** suæ fulgebit indiciis, cum quis non ipse de se crimina ab aliis non credenda jactaverit, sed ab aliis arroganter ingesta et irrogatas injurias mansueta cordis æquanimitate toleraverit. » Talem a Cælantia S. Hieronymus requirebat, cum diceret (*Epist.* 50): « Humilitatem sequere, non quæ ostenditur, aut simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro affectu cordis exprimitur : aliud est enim virtutem habere, aliud virtutis similitudinem; aliud

A est rerum umbram sequi, aliud veritatem. Multo deformior est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet; nescio enim quomodo turpiora sunt vitia, cum virtutum specie celantur. » Vide S. Doroth. doctrinam 2.

Humilians se.] Non solum lingua, sed insuper cordis affectu.

Et dicens cum propheta : Ego autem sum vermis.] Sicut enim omnibus vilior animalibus vermis, nascens ex putredine, et in putredine, sine strepitu graditur, et vilipenditur, et conculcatur; sic ego omnium vilissimus, ex peccato et in peccato natus, ex peccato et in peccato vivens, ab omnibus contemni et conculcari desidero.

Et non homo.] Quis enim hominem dixerit eum, qui tot se peccatis commaculans ratione se caruisse demonstrat?

Opprobrium hominum.] Utpote totus ex peccato, totus in peccato Vel opprobrium hominum, id est quia vermis sum et non homo, opprobrium hominum

B esse cupio, et abjectio plebis, sicuti S. Arsenius, quem cum Theophilus episcopus una cum judice interrogasset, sermonem ab eo audire cupiens, paulisper tacuit; deinde, si dixero, inquit, custodietis? quod cum spopondissent : *Ubicunque*, ait, *audietis Arsenium, nolite appropinquare.*

Exaltatus sum.] Scilicet in sæculo ubi honoratus vixi, uti exponunt Hildemarus et Bernardus Cassinensis. Vel, ut dicit Richardus de S. Angelo, Exaltatus *in superbia: vel in baptismo recepta peccatorum remissione.*

Et humiliatus et confusus.] Cognita vilitate propria et peccatis, quæ postea miser commisi.

Et item bonum mihi quia humiliasti me, ut discam mandata tua.] Sed licet humiliatus confundar, gratias tibi tamen, o bone Jesu, quia cum me humiliasti, didici mandata tua, quæ olim elatus spernebam.

De octavo humilitatis gradu.

C *Octavus humilitatis gradus est, si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula.*] Hic locus multos potest sortiri sensus. Primo enim Hildemarus contendit vocabulum *communis* ad vocabulum *monasterii* referri; et ex Bernardo Cassinensi commune monasterium est cœnobium, in quo vivitur in communi a multis. Et sic hoc sensu octavo humilitatis gradu **233** præcipitur, ut monachus sive cœnobita suo contentus statu, temere non appetat anachoretarum vivendi rationem : « Superbus enim, ut ait Cassianus (*Lib.* XII, *c.* 30), « ipsam disciplinam cœnobii perhorrescit, ac veluti fratrum consortio de perfectione retrahatur, ac de bono patientiæ atque humilitatis aliorum vitio et impedimento revocetur, habitationem solitariæ cellæ desiderat, » quam supra vires sua prospiciens humilis, in aliis quidem veneratur, sed pro se appetere non præsumit.

Secundo, verbum *communis* cum *regula*, uti vulgo accipitur, conjungendo; et regulis communes in cœnobio, quæ toti congregationi proponuntur, dis-

D tinguendo a particularibus, quæ quibusdam tantum scriptæ sunt, ut cap. 21, de Decanis; cap. 31, de Cellerario; cap. 65, de Præposito; cap. 66, de Ostiario; sensus hujus loci esse potest, ut monachus communibus adhærens regulis, particularibus se non intromittat, verbi gratia ut privatus aliquis frater, cui nulla ab abbate commissa est obedientia, ad portam monasterii non pergat responsa venientium accepturus aut redditurus, quod est ostiarii; utilitates necessitatesque monasterii non curet, quod spectat ad cellerarium; hospitii lecta non præparet, etc., hujusmodi, quæ non leves aliquando simultates in monasteriis generant.

Tertio, si per *regulam monasterii* intelligatur non solum ea, quæ a S. Legislatore scripta est; sed cum Boherio in secundo commentario *commune statutum, vel usus cœnobii* (habita enim ratione regionum ac locorum, in quibus sita sunt monasteria, multa

observare necesse est, quæ non sunt hæc in Regula A contenta, ut satis innuit S. P. Benedictus, cap. 40, 48 et 55), hujusce loci sensus erit, ut monachus monasterii sui ritus, et usus receptos probatosque sequens, aliorum cœnobiorum statuta non ambiat, ut verbi gratia ubi cervisia defectu vini ministratur, vinum sibi nolit dari; aut ubi vinum datur, cervisiam sibi ministrari haud requirat, atque hunc sensum huic loco aptare videtur S. Bernardus in lib. de Præcepto et dispensatione cap. 16.

Quartus denique hujus loci sensus est, ut non solum aliorum ritus et usus monasteriorum non sectetur, sed ita suæ regulæ adhæreat, ut communibus fratrum exercitiis contentus, nihil contra aut supra eam faciat, omnem omnino vitans singularitatem: quo sensu S. Benedictum hic intellexit Nicolaus de Fractura: « Hoc, inquit, vult dicere littera ista, monachus in congregatione positus non aliter pauperem vitam gerat, vel etiam pomposam in victu, vel in vestitu, quam alii fratres gerunt; sed in omnibus B illorum moribus se conformet: dummodo a semitis regulæ non recedant; quia turpis est illa pars quæ suo non congruit universo. » Et quia nihil perniciosius est in cœnobiis singularitate, nihilque adeo exsecrati sunt quotquot exstiterunt vitæ monasticæ veri cultores; nonnullas hic rationes quibus ab ea deterreri possimus breviter subjungere non erit fortassis otiosum.

Prima ratio petitur ex illo celebri S. Leonis papæ effato (*Serm.* 3, *de Jejun. septimi mensis*): « Sacratius est quod publica lege celebratur, quam quod privata institutione dependitur. **234** Nihil in tali populo inordinatum, nihilque diversum est, ubi ad unum pietatis vigorem omnia sibi totius corporis membra consentiunt. »

Secunda ratio est, quia quidquid contra communis monasterii regulam præsumitur, a maligno spiritu esse dignoscitur, ut docet inter alios Cassianus (*Collat.* 18, *cap.* 3), eleganterque describit S. Bernardus his verbis (*Serm.* 33, *in Cant.*): « Quoties, C verbi gratia, suggessit anticipare vigilias, quo ad solemnia fratrum illuderet dormitanti? quoties produci jejunia, ut divinis obsequiis eo inutilem redderet, quo imbecillem? quoties bene proficientibus in cœnobiis invidens, obtentu quasi majoris puritatis eremum petere persuasit, cognoverunt miseri tandem, quam verus sit sermo, quem frustra legerant: Væ soli, quoniam si ceciderit non habet sublevantem? quoties ad opus manuum plus quam opus fuerat incitavit, et fractum viribus cæteris regularibus exercitiis reddidit invalidum? etc. »

Tertiam rationem indicat Cassianus his verbis (*Lib.* v, *cap.* 23): « Quidquid extra consuetudinem præsumitur usumque communem, ut vanitatis, et gloriæ, atque ostentationis morbo pollutum antiquissima Patrum traditio notavit, nec quemquam ex his quos merito scientiæ ac discretionis enituisse pervidimus, vel quos ad imitandum gratia Christi velut splendidissima luminaria omnibus prælocavit, esu D panis, qui apud eos vilis habetur et facilis, abstinuisse cognovimus; nec eorum quempiam, qui hanc regulam declinantes præermisso panis usu, leguminum, vel olerum, seu pomorum refectionem sectati sunt, inter probatissimos habitum aliquando conspeximus; sed ne discretionis quidem aut scientiæ gratiam consecutum. » Eamdem rationem adducit lib. I, cap. 3, et lib. II, cap. 18; et S. Basilius Regul. brev., interrog. 138; et S. Bern. de Grad. humil. cap. 14.

Quarta ratio secundum Boherium est, quod singularis monachus abnegatam in professione propriam voluntatem iterum sibi vindicat, contra id quod promisit; quo nomine apud suos conqueritur S. Bernardus (*Serm.* 19, *in Cant.*): « Non vultis esse communi contenti vita, non sufficit vobis regulare jejunium, non solemnes vigiliæ, non imposita disciplina, non mensura quam præbemur vobis in vestimentis et alimentis: privata præfertis communibus; qui vestri curam nobis credidistis, quid rursus de vobis vos intromittitis? Nam illam, qua toties Deum conscientiis vestris testibus offendistis, propriam scilicet voluntatem ecce nunc iterum magistram habetis, non me; illa vos naturæ docet non parcere, rationi non acquiescere, non obtemperare seniorum consilio vel exemplo, non obedire nobis. » Eadem ratione singularitatem in suis damnabat S. Euthymius, ex ejus Vita, n. 17, tom. II Mon. Ecclesiæ Græcæ; S. Basilius in Brevibus Regulis, interrog. 137 et 138; et iterum S. Bern. serm. 71, in Cant.

Quinta ratio est, quod totam singularitas perturbat congregationem: unde cum de B. Simeone Stylita fratres ad abbatem questi essent, quod per continuos septem dies jejunasset; hic illum increpans **235** ait (*In Vita S. Sim. Stylit. cap.* 3): « Unde nobis advenit iste homo destruere volens regulam monasterii? Fili, quid dicunt fratres de te? non tibi sufficit jejunare sicut nos? etc. » *Vide* S. Bern., sermone de Humberti monachi obitu, et Petr. Blesen. serm. 50.

Sexto denique, Petrus Damiani exemplo Christi hortatur (*Opusc.* 47) « ne peregrinæ adinventionis præsumas superinducere novitatem; nam et ipse qui Magister est angelorum in cœlo, morem in terra tenuit quem invenit; nec dedignatus est terrenam servare consuetudinem, qui venerat exhibere cœlestem. Nam, ut infinita prætercam, cur sibi caput ac pedes unguento conspergi muliebri ministerio passus est, nisi quia Palæstinæ atque Judaicæ regionis mos erat, ut ejus accolæ crebrius ungerentur? »

Vel majorum cohortantur exempla.] Majorum nomine Smaragdus intelligit Patres tam Veteris quam Novi Testamenti, ut monachus « exemplum accipiat humilitatis a Christo, devotionis a Petro, charitatis a Joanne, obedientiæ ab Abraham, patientiæ ab Isaac, tolerantiæ a Jacob et Job, etc. » Eamdem in sententiam abit Petrus Diaconus; sed et Hildemarus majores intelligit eos quorum vitam sancta Scriptura manifestat.

Secundo, majorum exempla idem Hildemarus dicit esse « de quibus in ultimo capitulo dicit, id est Regula Basilii, collationes Patrum, atque instituta monachorum; » in quibus non nihil quo ad exteriorem hominis mortificationem, amplius quam in Regula S. P. Benedicti reperitur.

Tertio, nonnulli, ut notat præfatus Hildemarus, a quorum ipse sententia non recedit, majorum nomine interpretantur eremitas, quorum exemplis in solitudinem secedere, ibique variis pietatis officiis, diversis pœnitentiæ operibus sese exercere, post sufficientem in cœnobio probationem et abbatis benedictionem, singularitas non est. Soli namque singulares hac in parte censendi sunt, qui cum ipsas monasteriorum observantias nunquam bene expleverint, temere majora viribus aggrediuntur, et ad singulare certamen etiam abbate reluctante prodeunt.

Quarto, Boherius: « hic autem, inquit, intelligo majores abbates, et alios seniores viventes, vel etiam dormientes in Christo. » Et sane abbates superioresque monasteriorum apud antiquos frequenter appellari majores pro comperto est. Et hanc etiam sequi expositionem videntur Richardus de S. Angelo, et Turrecremata.

Quinto, Menardus majores intelligit seniores et antiquiores ejusdem congregationis monachos; « quia, inquit, seniores ex longo vitæ regularis usu sunt in ea magis obfirmati, et, ut ait D. Hieronymus, bos lassus fortius figit pedem; inest in eis morum gravitas et maturitas, animi motus pacatiores, carnis ardor et cæterorum sensuum pene sopitus, nec præcox, ut in juvenibus, sed concocta prudentia. Sunt præter ea veteris disciplinæ, regularis observantiæ, et eorum quæ ab antiquis **236** Patribus statuta sunt tenaciores, quod summum est in vita religiosa bonum, etc. »

Sexto, majores etiam dici queunt ii in quibus majora refulgent virtutum exempla, quorum senectus venerabilis, non diuturna, neque annorum numero

computata, quorum cani sunt sensus et vita immaculata. Atque ita sentire videtur Bernardus Cassinensis, qui postquam docuit posse monachum media panis libra abstinere, vinum aqua multa diluere, ad nocturnos surgentem ante lectum silenter orare, frequenter confiteri, cum lacrymis Deo preces effundere; sic tandem concludit: « Hic non facit, nec contra regulam, nec extra regulam, et in istis *major est* ista non faciente. » Quanquam existimet securius esse talia superiori suggerere; quæ quidem non accedente ejus benedictione sine præsumptione fieri haud posse censet Boherius. In his tamen quæ minoris sunt momenti, nec fiunt in conspectu fratrum, superioris licentia haberi præsumitur. Postremo hoc sensu majoris verbum accepisse videntur Petrus Damiani mox citandus, et Joannes Caramuel.

Cæterum posteriora hæc S. Benedicti verba, quibus imitanda proponit SS. Patrum exempla, duobus modis dicta esse docet Hildemarus: 1° humilitatis gratia, sicuti ultimo capite, ubi tendenti ad perfectionem proponit doctrinam SS. catholicorum Patrum, Regulam S. Basilii, vitas et instituta Patrum; quamvis desideranti perfecte vivere omnino nihil desit in ejus Regula; 2° quia licet interiorem hominis mortificationem integram præscribat, quoad exteriorem tamen amplius aliquid in sanctorum relucet exemplis.

Hæc sunt præcipua quæ gradum hunc humilitatis octavum spectant, cui S. Bernardus quintum superbiæ singularitatem opponit. ubi certe notandum est, eos singularitatis nota haud esse culpandos, qui in eis cœnobiis degentes, in quibus strictior regulæ observantia non nihil relaxatur, præter communem aliorum fratrum vivendi rationem regulæ s atuta generosa pertinacitate custodiunt; quin potius cæteros omnes meri o singulares esse dicendos, utpote præter communem regulam agentes.

Sed neque eos qui cum abbatis benedictione aliquid supra regulam facere tentant, cum id consulat ipse S. P. Benedictus, nosque ad id hortentur sanctorum exempla et dicta. « Si vero, inquit S. Basilius (*Reg. brev., inter.* 138), quisquam putet se pluribus opus habere, vel in jejunando, vel in vigilando, sive quacunque alia in re; causam suam patefaciat iis quibus communis fratrum concredita est cura, et quod ab illis decretum fuerit custodiat. » Et Petrus Damiani: « Illud te præcipue, et sub distri ta prorsus animadversione præmoneo, ne quorumlibet te fratrum offendant privata jejunia; novi enim quorumdam mihi similium vitia. Nonnulli enim aliis jejunantibus tanto livoris atque invidiæ felle torquentur, ut illorum salutem sibimet in perniciem vertant, et, ut ita loquar, per alieni profectus scalam ipsi in præcipitium corruant. Non, inquiunt, licet **237** agere nisi quod communis monasterii regula vel majorum cohortantur exempla. Quibus facile responde ur, quia si regula a regendo dicitur, potius ad districtionem jejunii quam ad dissolutionem vel ventris pertinere videtur ingluviem; atque ideo illi inter eos non immerito *majores sunt judicandi*, eorumque exempla sectanda, qui per angustam gradientes portam, sub sobrietatis legibus et arctioris crucis Christi noscuntur vive e disciplina. » Hactenus Petrus Damiani; quæ utinam in cœnobiis aliquando experiri non liceat: nunc enim eo devenimus, ut singularitatis nota inurantur ii qui ad majora pietatis et pœnitentiæ opera assurgere student; econtra regulam prævaricantes, atque a Patrum institutis recedentes, licet aliquas nonnunquam a superiore extorqueant dispensationes, veri utique singulares, patientissime tolerantur, charitative seu potius immisericorditer excusantur, aliquando etiam laudantur, cum in hos magis inclamandum fuisset.

Cæterum, quos ad majora supra regulam aggredienda Deus vocat, duo monet hic Menardus: 1° ut totam adamussim regulam custodiant; neque enim ferendus est ille qui « vigilat in lecto, dormit in choro; cumque aliis psallentibus ad vigilias tota nocte dormitet; post vigilias aliis in claustro quiescentibus, solus remanet in oratorio (*S. Bern. de Grad. humil. c.* 14); » 2° ut occulte, quantum fieri potest, aliorum fugiens oculos, quæ sibi permittuntur faciat.

De nono humilitatis gradu.

Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat monachus.] Postquam superiori humilitatis gradu monachorum actus repressit S. P. Benedictus, consequenter in præsenti eorum verba compescit. Et quidem ad humilitatis virtutem pertinere silentium pro comperto est; nam cum superbiæ proprium sit peccata sua excusare, bene sive male acta jactare, indulta sibi a Deo talenta prædicare; ad humilitatem econtra pertinet peccata propria agnoscendo, nihil in se boni perspiciendo, semper latere desiderando, linguam ad loquendum prohibere; unde Grimlaicus (*In Reg. solit c.* 61): « Taciturnitas, inquit, virtus est humilitatis, et indicium gravitatis, nutrix virtutum, et custos animarum. »

Et taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur.] Ita etiam S. Basilius (*Serm. de Abdic. rerum*): « Interrogatus decenti et humili voce responde; non interrogatus, tace. Si alter interrogetur, os tuum comprime; ne a procaci corde impulsa lingua tua feriat aliquem eorum qui se in pietate exercent, et te vinculis criminum constringat. » Sed et in monasterio Hermopolim dicto, « tanta erat taciturnitas cum abstinentia, ut nullus auderet nisi cum justa interrogatione vel recto responso reddere verbum, » ut testatur Paphnutius in Vita S. Onuphrii cap. 3 (*Lib.* I *de Vit. Pat.*). Fuitque lex ista communis apud omnes fere veteres monachos, quam videre est in Regula S. Ferreoli cap. 29; **238** in prima Regula S. Fructuosi, cap. 12, et in secunda, cap. 5; in Regula Magistri, cap. 8; in Regula Solitariorum, cap. 61; apud Ruffinum in lib. III de Vitis Pat., n. 186, et in lib. V de Vitis Patrum, libello 10, n. 58.

Sed huic S. Benedicti decreto duplicem alium Regulæ locum opponit Hildemarus; unum ex cap. 6, ubi absque ulla interrogatione necessaria a priore requiri S. Pater permittit; alterum ex quinto humilitatis gradu, quo perversas cogitationes et mala absconse commissa per humilem confessionem abbati non interroganti revelare jubemur.

Difficultatis nodum solvit idem Hildemarus cum Bernardo Cassinensi et Boherio, quadruplicem distinguendo interrogationem. *Est enim interrogatio mentis, in conscientiæ reprehensione*, de qua quinto humilitatis gradu. *Et est interrogatio necessitatis, quæ fit in corporali provisione*, de qua cap. 6. *Et est interrogatio utilitatis, quæ fit in morum vel conscientiæ instructione.* Tandem *est interrogatio superioris pro subditi obedtione vel rei alicujus inquisitione.* Ergo ubi reprehendit conscientia, ubi insurgit aliqua necessitas, ubi gravis exoritur utilitas, interrogatus censetur monachus, et licite potest loqui.

Duas alias ad hanc objectionem solutiones adhibuit Boherius, scilicet: 1° ut monachus *non loquatur in conventu seu in præsentia seniorum* ad spiritalem collationem congregatorum; quod maxime decet juvenes, *et quod vidi*, inquit, *a multis regularibus observari*; 2° ut non interrogatus, id est non jussus non loquatur publice per verbi divini prædicationem; quod monacho non licet, ut discimus ex hoc synodi Constantinopolitanæ decreto a Gratiano relato: « Monachorum vita subjectionis habet verbum et discipulatus, non docendi, vel præsidendi, vel pascendi alios. » Et ex hoc Alexandri papæ II canone: « Juxta Chalcedonensis tenorem optimi concilii, monachis quamvis religiosis ad normam S. Benedicti intra claustrum morari præcipimus; vicos, castella, civitates peragrare prohibemus, et a populorum prædicatione omnino cessare censuimus. » Et novissime concilium Tridentinum (*Sess.* 5, *in decret. de Ref., c.* 2):

« Regulares cujuscunque ordinis, nisi a suis superioribus de vita, moribus et scientia examinati et probati fuerint, etiam in ecclesiis suorum ordinum prædicare non possint : cum qua licentia personaliter se coram episcopis præsentare, et ab eis benedictionem petere teneantur antequam prædicare incipiant. In ecclesiis vero quæ suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare possint. » His accedit S. Bernardi auctoritas (*Serm.* 64, *in Cant.*): « Publice prædicare nec monacho convenit, nec novitio expedit, nec non misso licet. » Gilberti de Hoillandia (*Serm.* 18 *in Cant.*) : « Nemo prædicationis officium assumat, nemo sibi sumat honorem nisi vocatus a Deo. » Et certe recte argumentatur auctor Sermonum ad Fratres in eremo, cum dicit (*Serm.* 23) : « Officium vestrum est non solum carnem jejuniis, abstinentia escæ et potus affligere, quantum valetudo naturæ permittit; sed etiam mundum contemnere, et *non doctoris* **239** *appetere cathedram*, sed in cilicio et cinere perseverare in eremo debemus. » *Vide* Petri Blesensis epist. 13. Cæterum quam hic tradit hujus loci Regulæ explanationem Petrus Boherius, eamdem sequitur Julianus *Warnier* in eo quem conscripsit libro de Antiqua et vera Regulæ S. Benedicti praxi, cap. 33.

Monstrante Scriptura quia in multiloquio non effugitur peccatum.] Hanc sententiam supra exposuimus.

Et quia vir linguosus.] Vir linguosus ex S. Augustino dicitur (*In psal.* CXXXIX) ille qui sine justa loquitur necessitate : « Necessitas sit in locutione tua, et non eris vir linguosus ne non dirigaris, » inquit S. doctor.

Non dirigitur.] Id est, non prosperabitur.

Super terram.] Videlicet viventium, nam in terra morientium mali sæpius prosperantur.

De decimo humilitatis gradu.

Decimus humilitatis gradus est, si non sit facilis ac promptus in risu.] Cum levitas manifestum sit superbiæ signum, risumque ex inani gloria nasci doceat S. Joannes Climacus (*Grad.* 26); merito inter humilitatis gradus S. P. Benedictus reponit, ut non *sit facilis ac promptus in risu* monachus. Ubi observat Hildemarus, quod licet *facilis* ac *promptus* idem fere significent, hoc tamen inter utrumque discriminis afferri possit, quod *facilis* sit ille qui cito movetur, *promptus* qui intentus est risui vel paratus, id est qui totam ad risum mentem applicat, quales sunt scurræ, qui aliud nihil cogitant quam ridere aut risum excitare. Valde autem differunt cito moveri in risum, quod sæpe contingit invitis; et risui esse intentum, quod summæ signum est levitatis. Notat præterea Nicolaus de Fractura, non simpliciter prohibitum hic a S. Benedicto risum, cum homo natura sit risibilis; sed facilem ac promptum, qui, ut ait S. Ferreolus (*Cap.* 24 *Regulæ*), *publicanum* (*) *commutat ex monacho*, quemque ideo triduano jejunio mulctat. Et certe terrere nos debet quod scribit S. Leander in lib. de Institut. virginum cap. 11 : « Quale sit cor virginis plerumque in risu monstratur; neque enim impudenter rideret, si cor castum haberet; speculum cordis facies hominis; non ridet lascive, nisi quæ corde lasciva est. » De risu jam multa diximus, quæ hic non repetimus, pluraque addi possent, quæ viris pœnitentibus et mundo crucifixis haud credimus necessaria.

Quia scriptum est : Stultus in risu exaltat vocem suam.] Unde et citatus hic a Boherio Socrates dicebat : « Non rideas, neque irascaris multum; quia is a duo sunt opera fatuitatis. » Et S. Ephræm : « Noli dissolutis labiis risum proferre; amentia namque est cum strepitu ridere. »

240 *De undecimo humilitatis gradu.*

Undecimus humilitatis gradus est, si cum loquitur monachus.] Interrogatus scilicet, eo quo diximus modo.

Leniter.] Id est *suave*, inquit Nicolaus de Fractura; sive ut dicit Smaragdus, « temperate vel placide. Lenitas enim de fonte dulcedinis pariter procedit et pacis; hinc Salomon, *verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos.* » Richardo autem leniter loqui, est loqui plano modo, vel breviter, quia prolixitas inducit confusionem. Hildemaro vero, cum quis ita loquitur, ut ab eo solo, quem alloquitur, audiatur.

Sine risu.] Quia, « si nihil ita competit humilitati quam luctus animi, certum est nihil illi adeo adversari quam risum (*S. Joan. Clim. grad.* 7). »

Humiliter.] Magna, tumida et ampullosa verba devitans : « Humilitate enim comprimitur verborum ampliositas, » ut loquitur Bernardus Cassinensis, pro qua lectione Boherius habet *ampullositas*.

Cum gravitate.] Sive honeste, « in gravitate enim continetur honestas, » inquit præfatus Bernardus. Vel cum gravitate, id est ita ut pondus insit sermonibus, juxta illud Eccli. XXVIII : *Verbis tuis facito stateram.*

Vel pauca verba.] Qui enim multis utitur verbis lædet animam suam. Idem præcipit S. Ferreolus in Regul. cap. 29

Et rationabilia loquatur.] Quia qui inconsideratus est ad loquendum sentiet mala. Inconsideratus autem censetur ille qui absque necessitate aut justa utilitate loquitur.

Et non sit clamosus in voce.] Juxta illud S. Ambrosii (*Lib.* I *de Offic.*, *c.* 17) : « Ipsum vocis sonum libret modestia, ne cujusquam offendat aurem vox fortior. » Merito autem inter humilitatis gradus S. Benedictus inseruit ne monachus clamosus sit in voce; nam et SS. Patres clamorem inter superbiæ signa reponunt. Ita Cassianus superbum describens (*Lib.* XII, *c.* 27) : « Iræ quoque stimulis acrius instigatur; deinde post hæc excelsa vox, sermo rigidus, amara et turbulenta responsio, etc. » Et iterum (*Ibid. cap.* 29) : « Inest primitus in loquela ejus clamor. » Et S. Gregorius (*Lib.* XXXIV *Moral.*, *cap.* 20) : « cunctis apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione. »

Quid autem sit clamor eleganter explicat S. Basilius his verbis (*Reg. brev.*, *inter.* 151) : « Vocis modum audientium necessitas ipsa definit. Igitur si submissior sit, tanquam segnior prope accedit ad susurrum, ac propterea damnanda est; si vero supra necessitatem sit altior quam is qui audit submissius loquentem possit audire, tunc clamor existit, qui damnatus est, excepto si lentitudo audientis tanta sit, ut necessario cogamur uti clamore. » Quibus autem pœnis sit damnatus, ibi non exprimit; sed S. Fructuosus Bracarensis episcopus (*In Regul.* c. 15), « qui hujusmodi est, inquit, et sæpe castigatus non fuerit emendatus, flagellis verberibusque curandus **241** est et acriter emendandus. » Et Regula Cujusdam ad monachos (*Cap.* 16) : « Si quis præter hanc disciplinam cum clamore et acerbiore sermone responderit, notetur usquequo corrigatur. Si autem hoc vitio curari non poterit, ejiciatur ab unitate fratrum. »

Sicut scriptum est.] Non quidem in sacra Scriptura, nisi forte quoad sensum; sed, ut observat Menardus, exstat in sententiis Sixti, sent. 134.

Sapiens verbis innotescit paucis.] Quem in locum Joannes Caramuel : Aliquando, inquit, non sine acumine exponebam sic : Sapiens ex solis verbis innotescit paucis hominibus : sed ex operibus nulli non innotescit. » Contra manifestum Regulæ sensum, quæ hic pauca nos verba loqui jubet, ut simus veloces ad audiendum, tardi ad loquendum; nam et natura quæ duas quidem concessit hominibus aures,

(*) Menardus non *Publicanum*, sed *planum*, id est scurram legendum censet.

unicam dedit linguam, quo oa.e.u. intelligi duplo amplius esse audiendum quam loquendum, uti observat S. Basilius in lib. de vera Virgin.

De duodecimo humilitatis gradu.

Duodecimus humilitatis gradus est, si non solum corde monachus, sed etiam corpore humilitatem videntibus se semper indicet.] Humilitatis scalam duodecimo tandem gradu S. Pater absolvit : quo non solum corde, sed e iam corpore humilitatem indicari jubet. Et quidem *corde* propter Deum ; *corpore* propter proximum, qui ex motu corporis exteriori, de interiori animi, quem non videt, statu judicat humilem aut superbum : humilem, cum omnes corporis actus ad modestiam compositos apprehendit; superbum, cum inconditos suspicit. Vide Juliani Pomerii lib. III de Vita contemplativa, cap. 8, et Cassian. lib. XII, cap. 27.

Id est in opere, in oratorio, etc.] Distinctius hic exprimit, quod quasi generatim præmiserat, ut humilitatem co pore videntibus se semper indicet, scilicet *in opere*, sive humano sive divino; *in oratorio*, etiam extra divini cursum officii; *in monasterio*, etc., *vel ubicunque*, in omni scilicet loco; *sedens, ambulans, stans*, in omni scilicet corporis actu; *semper*, et non tantum aliquando; *inclinato suo capite, defixis in terram aspectibus :* fixam enim animo superbiam demonstrat, qui fixis in terram oculis incedere contemnit. Terram autem hic Bernardus Cassinensis mystice intelligit corpus nostrum, « in quo, inquit, debemus attendere carnis vilitatem, nostram fragilitatem, et peccandi pronitatem : hoc est enim in terram aspectus figere, prædicta oculata fide considerare. » Nicolaus de Fractura mystice et litteraliter. Et quidem mystice secundum eum « debemus in terram aspectus figere, pro eo quod de terra, id est de B. Maria Veritas, id est Christus orta est..... vel debemus oculos in terram semper affigere, ut consideremus materiam **242** de qua sumpti sumus, et ad quam resolvi finaliter debeamus. » Litteraliter vero, ut inclinato capite hanc, quam terimus pedibus, terram semper aspiciamus. Et hic videtur esse genuinus S. Regulæ sensus, a SS. Patribus adeo commendatus, et a perfectis monachis toties ad praxim redactus : « Monachum oportet oculos ad terram habere dejectos, animum ad cœlum erectum, » inquit S. Basilius (*Serm. de Ascesi*). Et S. Dorotheus (*Doctr.* 19) : « Honesta ac modesta, Deoque et hominibus grata monachi compositio hæc est : Primum oculos tuos cohibe, ne huc illucque circumferantur, sed quæ ante te sunt tantum intueri ac spectare velint. » Quod adeo religiose observabat Silvanus monachus (*Lib.* v *de Vit. Pat., libello* 11, *n.* 28), ut hortum rigaturus, cucullo caput tegeret, ad pedes tantum attendens ne arbores aspiceret. Plurima hujusmodi occurrunt exempla apud auctores, quale est illud abbatis Isidori, qui profectus Alexandriam ad Theophilum archiepiscopum, reversusque et interrogatus a fratribus quomodo se haberet civitas, respondit : *Ego hominis faciem non vidi præterquam archiepiscopi.* Item Elladii monachi, qui cum annos viginti in cella exegisset, sursum oculos non levavit, ut videret tectum ejus (*Tom.* I *Mon. Eccles. Græcæ*). Notum est omnibus quod de S. Bernardo legitur in ejus Vita lib. III, cap. 2 (*Lib.* v *de Vit. Pat., libell.* 4, *n.* 16). At stupendum prorsus videtur quod de Sara virgine referunt, eam nimirum annos sexaginta super fluminis alveum habitasse, nec unquam inclinatam, ut flumen ipsum aspiceret (*Lib.* v *de Vit. Pat., libell.* 7, *n.* 19).

Reum se omni hora existimans, etc.] Quia vero stupide statuarum aut animalium instar oculos ad terram defixos habere monachum non sapit; jam qua mente istud Regulæ præceptum observare debeamus describit, nonnullas inserens rationes, quibus quasi totidem stimulis ad illius praxim excitari possimus. Primam proponit his verbis : *Reum se omni hora de peccatis suis existimans.* Quomodo enim, inquit S. Bernardus (*Serm.* 36 *in Cant.*), non vere humiliabitur anima, cum se perceperit oneratam peccatis, intricatam curis, carnalium desideriorum fæce infectam, curvam, infirmam, etc.? Unde huic extollentia oculorum? Unde levare caput? » Hinc pia illa regis Manassis oratio : *Domine, multiplicatæ sunt iniquitates meæ, et non sum dignus intueri altitudinem cœli præ multitudine iniquitatum mearum.*

Secunda ratio continetur his verbis : *Jam se tremendo Dei judicio repræsentari æstimet.* Quis enim coram districto judice erecta cervice judicandus appareat? Certe « Si mente cernerent homines quale judicium immineat mundo, sensus humanus non vanitate dispergeretur, » inquit S. Hieronymus.

Tertia repetitur ab exemplo Publicani, in quo etiam Pharisæi propter superbiam includitur humiliatio. Quare si cum Pharisæo nolumus humiliari, cum Publicano fixis in terram oculis dicamus : *Domine, non sum dignus ego peccator levare oculos meos ad cœlos.* Quod duobus modis intelligit Hildemarus : 1° levare oculos in cœlum, æthereum scilicet, sive sidereum; 2° in cœlum, id est in sanctos, qui cœli nomine sæpissime vocantur, ad quorum contemplationem se dignum non credebat.

243 Quarto, ad Publicanum S. Benedictus Regii Prophetæ adjicit exemplum, de se ipso perhibentis testimonium, quia *incurvatus et humiliatus sum usquequaque*. Incurvatus sum corpore, humiliatus mente; quia nihil proficit exterioris hominis incurvatio, nisi accedat interior mentis humiliatio. Vel, ut dicit Nicolaus de Fractura : « Incurvatus sum, per peccatorum accumulationem; humiliatus sum, per peccatorum confessionem. »

Plures hisce aliæ rationes possent addi, quibus ab inconsiderato revocemur intuitu, de quibus videsis Benedictum Haeftenum lib. VI, tract. 7, disq. 4. Obiter hic observo quod in ms. S. Benigni Divionensis Consuetudinibus legitur, cap. 3, ubi de novitio instruendo : « Quocunque incedit, semper demisso capite incedit; et si aliquando visus fuerit erecta cervice, non negligitur innotatus. » Idem habet Uldaricus lib. II, cap. 11. Quamvis, ut ait S. Bernardus (*De Grad. humil., cap.* 10), « duabus ex causis inculpabiliter oculos levas, vel ut petas auxilium, vel impendas. Levavit oculos David in montes ut peteret; levavit et Dominus super turbas ut impenderet; alter miserabiliter, alter misericorditer, ambo inculpabiliter. Tu quoque si locum, tempus et causam considerans, tua vel fratris necessitate oculos levas, non solum non culpo, sed et plurimum laudo; hoc enim excusat miseria, illud commendat misericordia. Sin alias, non prophetæ, non Domini, sed Dinæ, aut Evæ, imo ipsius Satanæ imitatorem te dixerim. »

Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis, monachus mox ad charitatem Dei perveniet illam.] Ergo via ad charitatem humilitas. Via utique vera et sola; unde S. Augustinus : « Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis,... hoc in te fode fundamentum humilitatis, et pervenies ad fastigium charitatis. » S. Bernardus (*Epist.* 42) : « Ut castitas seu charitas detur, humilitas meretur, etc. » Et quidam ex antiquis Patribus (*Ruffin. lib.* III *de Vit. Pat., n.* 126) : « Humilitas præcursor est charitatis; sicut Joannes erat præcursor Jesu, omnes trahens ad eum ; ita et humilitas attrahit ad charitatem, id est ad ipsum Deum quia Deus charitas est. »

Quæ perfecta foras mittit timorem.] « Dedignatur enim charitas timoris commercium, cogi nesciens, quæ nescit compesci, inquit Gilbertus de Hoillandia (*Serm.* 19, *in Cant.*). Ideo charitas perfecta foras mittit timorem, velut inutilem et supervacuum; sed non timorem illum qui castus permanet in sæculum sæculi. Est enim timor quem foras mittit charitas; et est timor quem foras mittit veritas; et est timor quem intromittit et charitas et veritas. Primus cautus; secundus castus, sed non permanens in sæculum

sæculi; tertius et castus, et permanens. Primus veretur pœnam, secundus offensam, tertius totus libera quædam et secura reverentia est, etc. »

Per quam universa, quæ prius non sine formidine observabat, absque ullo labore, et velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire.] **244** Describit hic effectus perfectæ illius charitatis quæ foras pellit timorem, per quam scilicet universa, quæ prius non sine formidine pœnæ aut laboris observabat, jam absque ullo labore incipiat custodire. *qui enim amat aut non laborat, aut ipsum amat laborem*, inquit S. Augustinus (*De S. Viduitate*). Et iterum: « Nullo modo sunt onerosi labores amantium; sed ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, piscantium. »

Non jam timore gehennæ.] Quem expulit charitas. *Sed amore Christi et consuetudine ipsa bona, et delectatione virtutum,*] quam intromittit ipsa charitas.

Quæ Dominus in operarium.] Quem quæsivit in multitudine populi, ut in officina monasterii spiritalem artem instrumentis bonorum operum munitus exerceret; *mundum a vitiis et peccatis*, igne nimirum charitatis, ad cujus culmen pervenit; *Spiritu sancto præveniente et adjuvante*; *dignabitur demonstrare*, et postmodum æternam gloriam retribuere. Faxit Deus.

CAPUT VIII.

De Officiis divinis in noctibus.

Hiemis tempore, id est a calendis Novembris [a] usque ad Pascha [b], juxta considerationem rationis, octava hora noctis surgendum est; ut modice [c] amplius de media [d] nocte pausetur [e], et jam digesti surgant. Quod vero restat post vigilias a fratribus, qui psalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi inserviatur. A Pascha autem usque ad supradictas calendas Novembris [f], sic temperetur hora vigiliarum agenda; parvissimo [g] intervallo, quo fratres ad necessaria naturæ exeant, custodito, mox matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

[a] Cass., Flor., *novembribus*.
[b] Cass., Flor., Hild., Conch., Comp., *in Pascha*.
[c] Comp., *ut in ea modice*.
[d] Al., *dimidia*.
[e] Flor., Conch., *pausentur*.
[f] Cass., Flor., *Novembres*.
[g] Recentiores, *ut parvissimo*.

COMMENTARIUS

Hiemis tempore, etc.] Licet annum quatuor in partes æquales sive tempestates dividere soleant, hiemem scilicet, quæ juxta S. Isidorum VIII calendas Decembris incipit; juxta Græcos et Romanos, « quorum, inquit Hildemarus, in hujusmodi disciplinis potius **245** quam Hispanorum auctoritas sequi consuevit, » VII idus Novembris; ver, quod juxta prædictum Isidorum VIII calendas Martii, juxta Græcos et Romanos VII idus Februarii; æstatem quæ juxta Isidorum VIII calendas Junii, juxta Græcos et Romanos VII idus Maii; et autumnum, qui juxta Isidorum VIII calendas septembris, juxta Græcos et Romanos VII idus Augusti, exordium ducit. Tamen ex justa rationis consideratione, convenientius existimavit S. P. Benedictus in ordinandis divinis officiis duas tantum in partes annum dividere, scilicet a calendis Novembris usque ad Pascha, et a Pascha usque ad prædictas calendas. Priorem partem hiemem vocat, *hiemis tempore*, inquit, licet in ea aliquid autumni verisque contineatur, vel quia aliarum tempestatum non nisi aliquæ partes; hiems vero tota et integra in ea comprehenditur, et a majori parte denominatur totum. Vel quia a calendis Novembris incipit, quo mense hiems initium capit.

Id est a calendis Novembris.] Calendæ proprie loquendo sunt primi mensis cujusque dies: sed cum calendæ a decimo quarto aut decimo sexto die mensis præcedentis incipiant numerari, merito hic quæri posset qua ratione iste locus *a calendis Novembris* intelligendus sit; an scilicet a die 16 Octobris, quo incipiunt numerari Novembres calendæ, eo nimirum modo quo cap. 48 calendas Octobris pro die 14 Septembris usurpat; an vero a prima die Novembris, in quem incidunt ipsæ calendæ. Hildemarus ad usum forte sui temporis respiciens, existimat per calendas Novembris intelligendam esse dominicam primo mensis Novembris diei proximiorem, sive primo Novembris die, sive ante, sive postea contingat; ita ut si feria 2, 3 aut 4, calendæ eveniant, institutus a S. Benedicto ordo dominica præcedente incipiat; si vero feria 5, 6 aut sabbato, a dominica sequente Optima sane explicatio, dummodo tempore S. P. Benedicti is fuerit in Ecclesia officii divini recitandi usus, qui ab ævo Hildemari ad nostrum usque perseverat. At cum nobis id non constet, nec aliunde appareat S. Benedictum diem Octobris 16 hic intellexisse: calendas Novembris in naturali et genuino sensu accipientes, primum hujus mensis diem intelligendum censemus.

Usque ad Pascha.] « Pascha, inquit Hildemarus, antiquitus Ecclesia quarta decima luna celebrabat, quocunque die occurreret; quem ritum SS. Patres in Nicæna synodo prohibuerunt, constituentes non solum lunam paschalem et mensem inquirere, sed etiam et diem Resurrectionis dominicæ observare, etc. » Hic locus si in rigore sumatur, fœde allucinatur Hildemarus in eo quod ait, quarta decima luna, quacunque accidisset die, antiquam Ecclesiam celebrasse Pascha. Et quidem in ipsis Ecclesiæ nascentis primordiis, Judæis ad fidem conversis priscum quarta decima luna Martii Pascha celebrandi morem sequi permissum est; at ob honorem dominicæ Resurrectionis subsequente quartam decimam Martii lunam dominica semper in Ecclesia paschalis festivitas celebrata est. Certe ante concilium Nicænum illud in Arelatensi can. 1 decretum fuerat, **246** ut eodem die, hoc est dominica, per universum orbem Paschæ Domini festum celebraretur; id quod longe antea Victor papa, coacto Romæ concilio, mandaverat sub pœna excommunicationis, reclamantibus licet Asianis, maxime Policrate Ephesino episcopo. Quod decretum de celebrando Pascha die dominico in concilio Antiocheno anno 341, can. 1, instauratum, plurimas in Hibernia turbas, quæ sæculis secutis contigerant ea de causa, minime prohibuit, de quibus · præfation. ad Sæc. III Bened., parte I.

Juxta considerationem rationis octava hora noctis surgendum est.] Quænam sit hora ista noctis octava non consentiunt commentatores. Bernardus Cassinensis respiciens ad usum sui temporis, diem naturalem in horas 24 dividendi, mentem suam ita explicat: « Istud quod dicit Pater, scilicet juxta considerationem rationis, tempus æquinoxii attendisse

videtur, quod post medium Septembris mensis esse dignoscitur; et ita post illud æquinoctium Septembris, November habet in nocte horas 14. Considerato ergo quod November habet 14 horas in nocte, ut dixi, dividas noctem per medium, et remanent in qualibet parte noctis septem horæ; facta autem jam hora octava modicum erit amplius de media nocte, quando surrexerit horologio excitante qui habet horologium custodire, et accensis lucernis ecclesiæ, quæ poterant propter prolixitatem noctis fuisse obscuratæ, ac pulsatis campanis ad dormientium fratrum excitationem, potuit transire dimidia octavæ horæ antequam surrexerint fratres. Et secundum intellectum istum potest accipi quod dixit: Juxta considerationem rationis octava hora noctis surgendum est; et ideo sequitur, ut magis quod dixerat declaretur: ut modice amplius de media nocte pausetur: satis est modicum amplius hora dimidia, vel parum plus. » Hactenus Bernardus Cassinensis, ex cujus mente hora post nostram duodecimam media surgendum foret: vult enim ut facta B sive incipiente hora octava noctis, quæ mense Novembri statim post mediam noctem currere incipit, horologii custos excitatus surgat, in oratorium pergat, lampades forte exstinctas aut saltem valde obscuratas accendat, tandemque ad excitandos dormientes fratres signum pulset, atque in eo dimidiæ horæ spatium insumat, post quam excitati fratres surgant, media scilicet post nostram duodecimam elapsa; quod confirmat exponens illa verba: *Ut modice amplius de media nocte pausetur*, ubi ait: « Satis est modicum amplius hora dimidia, vel parum plus. »

In eamdem abit sententiam Guido Juvenalis in versione Gallica Regulæ S. Benedicti, horam noctis octavam tempore hiemis circiter intra mediam noctem et horam primam constituens.

Sed neque multum ab ea recedere videtur Joannes de Turrecremata, qui etiam octavam noctis horam secundum proportionem ad tempus calendarum Novembris sumendam existimat; quo tempore, ut modo dicebat Bernardus Cassinensis, octava noctis hora a C nostra duodecima incipiens ad nostram primam desinit. In hoc solum differt a Bernardo, **247** quod non assignet qua parte horæ octavæ, initio, an medio spatio, an vero in fine surgendum sit: Bernardus vero statim post mediatam octavam surgendum esse asserit.

Neutri tamen S. Benedicti sensum attigisse videntur; quem etiam multo amplius fugit Hispana congregatio Vallisoletana, quæ, referente et probante Antonio Perezio, horam noctis octavam ad mediam noctem statuit, eo quod a calendis novembris a quarta pomeridiana ad mediam noctem horæ octo intercipiuntur. Quamvis haud improbet eorum praxim, qui duabus tantum post horis surgunt.

Hos omnes decepit sui temporis usus, diem naturalem in horas viginti quatuor æquales dividendi; cum tamen veteres maxime Judæi, Romani, et Itali, ut historiæ et mathematicorum libri testantur, artificialem diem, hoc est totum illud spatium temporis D quod ab ortu solis ad occasum intercipitur et noctem, sive tempus illud quod solis inter occasum et ortum elabitur, in horas sive partes duodecim æquales partirentur, modo breviores, modo prolixiores, pro brevitate aut prolixitate noctis aut diei: nam æstate, qua breviores sunt noctes, horæ diurnæ prolixissimæ, nocturnæ brevissimæ, et e converso hiemis tempore; unde horas illas vocabant inæquales, non quod inter se non essent æquales, sed quod respectu diei sequentis vel præcedentis, aut diurnæ horæ respectu nocturnarum, excepto æquinoctio, essent inæquales: quam consuetudinem per sæcula duodecim in Ecclesia viguisse scribit Paulus *Lefort*, Cisterciensis monachus, eo in libello quem de antiquis et modernis horis conscripsit cap. 2, § 3 (*De prima vivendi ratione Cisterc. part.* III, *cap.* 1, § 1). Imo auctor est Julianus Parisius horis inæqualibus usos fuisse Cistercienses usque ad annum 1429, quo in generali capitulo constituerunt

A ut in singulis ordinis monasteriis ferialis diebus hora post mediam noctem secunda; solemnibus et dominicis diebus prima vigilias sacrista pulset

Quæ cum ita se habeant, octava noctis hora modo citius, modo tardius incipiebat pro noctium diversitate. Et quidem mense Novembri, quo nox juxta præsentem nostrum horarum usum, horas habet quatuordecim, hora noctis octava secundum ritum antiquum incipiebat paulo ante quadrantem post nostram horam primam, et desinebat paulo post quadrantem nostram horam secundam subsequentem. Mense Decembri, quo prolixiores noctes horas sexdecim habent, hora octava incipiebat paulo post quadrantem post horam nostram primam, et desinebat paulo ante tertium quadrantem post nostram horam secundam.

Jam vero quia, ut ait Hildemarus, « dubium est an inchoante octava, an media, an prope finem ipsius horæ octavæ surgendum sit, » ut fixum aliquod tempus, quo diebus singulis regulariter surgatur (talem namque fuisse S. P. Benedicti voluntatem existimandum est) assignetur; cum eodem Hildemaro asserendum videtur, « quanto minores sunt noctes, tanto prope finem ipsius horæ debere signum tangi, » **248** et econtra quanto majores, tanto prope initium; ita ut circa mensem Martium, quo octava noctis hora circiter hora nostra prima evoluta incipit, et elapsa secunda desinit, octava mediata surgendum sit ad signum vigiliarum primum, post quadrantem pulsetur signum secundum, elapsa vero integra hora octava tangatur tertium et ultimum; inter signorum enim intervalla mediam horam explicari vult Smaragdus, qui, ut dicit Joannes Bona (*De Divin. Psalmod. c.* 4, § 3, *n.* 2), monastici spiritus purissimos latices in ipso fonte potarat. Mense autem Decembri, quo majores sunt noctes, et tardius incipit hora octava, paulo post eamdem incœptam surgatur, primumque vigiliarum signum tangatur, ultimum vero octava hora mediata, hoc est circa horam nostram secundam, qua communiter in omnibus ordinis nostri monasteriis nocturni celebrantur. Et sic intelligendum puto, quod ait S. P. Benedictus *juxta considerationem rationis*, ut citius quando prolixiores sunt noctis horæ, tardius cum breviores surgatur: unde quando Smaragdus dicit, ut dormiatur « hora septima noctis tota, et octava dimidia; tunc pulsato signo omnes pariter surgant, et sic illa quæ restat dimidia hora de octava inter signorum explicetur intervalla, ut ab hac hora nona noctis inchoetur psalmi laus ipsa nocturna, » ita capiendum est: Cum breviores sunt noctis horæ, puta mense Martio; nam quando prolixiores existunt, ut mense Decembri, octava inchoante, aut saltem paulo post surgendum est, et elapsa media, quæ in nostram horam secundam incidit, dato ultimo signo, incipienda nocturna laus; si tamen S. Benedictus media ante ultimum vigiliarum signum fratres surgere voluerit, quos vestitos dormire jubet, ut sint parati, et facto signo absque mora surgentes, festinent se prævenire ad opus Dei, quamvis id haud negaverim tum propter Smaragdi auctoritatem, tum quia id colligitur ex antiquo Ordine conversationis monasticæ S. Benedicto perperam ascripto, sed tamen vetusto; tum quia id non obscure insinuat ipsa Regula cap. 48, plura ad horas divini officii signa præscribens. Et sane modice amplius de media nocte duntaxat pausare debent monachi, quod modicum non jam modicum, sed jure maximum videbitur; si ultra integram horam cum dimidia extendatur, cum ad hoc sufficere mediam asserat Bernardus Cassinensis. Et hæc nobis certior videtur de assignata a S. P. Benedicto hora surgendi sententia, quam confirmat Hildemarus iterum, cum sibi objiciens, quod Decembri et Januario nox horas decem et octo habeat; respondet S. Patrem ad æquinoctium, quo diebus pares sunt noctes, respexisse.

Ut modice amplius de media nocte pausetur.] Ex hoc loco manifestum est eos a præstituta Regulæ

hora recedere, qui media nocte surgunt, ut sunt Bursfeldenses in Allemania, Vallisoletani in Hispania: nam, quod ait Antonius Perez, modicum pro nihilo reputari; modicum est, et pro nihilo reputari debet.

Et jam digesti surgant.] Quod ait *digesti*, interpretantur nonnulli *decoctis cibis*, juxta illud Hieronymi ad Eustochium: « Ad orationem **249** tibi surgenti nocte non indigestio ructum faciat, sed inanitas. » At cum S. Benedictus hic loquatur de tempore hiemis, quo fratres unicam ad nonam refectionem accipiunt, hæc præcautio non videtur fuisse necessaria. Itaque *digesti* hoc loco significare videtur, ut sufficienti somno refecti, jam læti et alacres surgant.

Quod vero restat post vigilias, a fratribus qui psalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi inserviatur.] Hic locus sua difficultate non caret; unde et varie a variis intelligitur; nam quod ait: *meditationi inserviatur*, Bernardus Cassinensis tribus modis exponit: « 1° pro studio et Scripturarum pertractatione; 2° pro psalmorum silenti sibimet decantatione; 3° si Deus dederit, pro attenta contemplatione gehennæ ad timendum, gloriæ ad desiderandum, Dei ad amandum, sanctorum ad imitandum, peccatorum ad fugiendum. »

Ex tribus hisce expositionibus primam et tertiam admisisse videtur S. Hildegardis, hunc in locum sic scribens: « Post noctis vigilias, id est psalmis nocturnis finitis, intervallum habere per meditationem orationum aut lectionum designavit. »

Aliter Joannes Craesbeeck hunc locum explicat, scilicet, « ut quem forte imprudentem et negligentem aliquid de psalmis vel alia divini officii pars in communi synaxi præterit, id privatim suppleat. » Nova quidem explicatio, et sua novitate merito rejicienda. Addit tamen: « Vel qui cupit aliquam lectionem publice recitandam discere, seu cogitatione aut memoria percipere, vel sacræ Scripturæ studere, vel alia ratione spiritum ad pietatem exercere, id faciat secum meditando, non cum aliis conferendo, quia tempus silentii est. »

At vero Nicolaus Bravus meditationem hic interpretatur non de spiritus contemplatione; sed « de exercitio circa psalmos et lectiones, aliaque similia addiscenda. » Attendens scilicet ad usum et morem suæ congregationis, quem fusius describit Joannes Caramuel his verbis: « Tempore quod interest laudibus et primæ, licitum est senioribus ad suas cellas reverti; novitii vero et juniores (tales audiunt qui non habent quinque professionis annos), quia creduntur psalterii lectione indigere, congregati in cubiculo prope calefactorium præparato (quod Hispanice vocant *La Lamparilla*), meditantur psalmos, mandantque memoriæ. Iste juniorum conventus actus communitatis est, cui præsidet majoris missæ hebdomadarius, sine cujus licentia nullus potest discedere ex illo loco. Cum auditur signum præparatorium ante primas, advenit magister novitiorum, qui lectiones eorum recipit, et videt quantum singuli memoriæ tradiderint. Ecce ad litteram praxi mandatur Regulæ textus. »

Menardus etiam meditationem hic exponit pro studio psalterii et lectionum, « ut discant rudiores recte legere, et pronuntiare lectiones, et psalterium, atque etiam interpretari, imo et ipsum psalterium memoriæ mandent si possint, » quod confirmat ex Vita S. Gosvini **250** abbatis Aquiscinctensis, qui instituit ut post vigilias pueri ad lucernam psalmos, et lectiones, et similia edicerent, et ex Concordia Dunstani cap. 2. Possetque insuper stabiliri ex antiquis Germaniæ Consuetudinibus mss., in quibus n. 53 hæc habentur: « Quod vero restat post vigilias a fratribus, qui Psalterii et lectionum, seu *cantus* aliquid indigent, meditationi inserviatur, sicut præcipit Regula, usquequo aliquod indicium lucis appareat; » ex Statutis Lanfranci, quæ decernunt (*Cap.* 1), ut post nocturnos « infantes cum luminaribus in capitulo diligenter a magistris custodiantur, canentes

A quod necessarium erit; » ex Consuetudinibus Cluniacensis monasterii, in quibus Udalricus exprimens quid per intervallum ageretur, « pueri, inquit, sedent in capitulo, et per aliquem præcinentem cantum addiscunt; » denique ex Vita S. Gildasii abbatis Ruyensis n. 42 (*Sæc.* I *Bened., pag.* 150): « Nocte quadam dum pueriles monachi ad mensam sederent, et psalmos firmarent, adversarius adfuit. »

Tandem Guido Juvenalis in Gallica versione sanctum Benedictum ita intelligit, ut qui legere, prævidere et quærere aliquid opus habent id exsequantur: alii vero contemplationi seu rerum divinarum meditationi vacent, Regulæ textum contra fidem omnium mss. ita corrumpens: *Quod vero restat post vigilias, a fratribus (nisi qui Psalterii, vel lectione aliquid indigent) meditationi inserviatur.*

Ut autem in tanta opinionum varietate etiam quid sentiam aperiam: Primo, existimo S. Benedictum eam non præscripsisse meditationem quæ in rerum B divinarum contemplatione consistit, quam vulgo orationis mentalis nomine intelligimus; tum quia non videtur credibile eum tanto temporis intervallo mentes discipulorum applicasse, qui in conventu omnino breviari orationem jubet; tum quia si ita esset, his qui psalterio et lectione indigent, aliud tempus ad meditationem assignandum fuisset, quod tamen haud facit; tum denique quia in antiquis monachorum regulis nullam orationi mentali horam indictam fuisse legimus, cum in omni loco et tempore cœlestia jugiter meditarentur.

Secundo, existimo S. P. Benedicti sensum hic loci non esse, ut qui in psalmis aut lectionibus sua negligentia in communi synaxi aliquid omiserit, post vigilias omissum repetat; quamvis id non omittendum foret: nam hæc sententia sua novitate destruitur.

Tertio, nec puto S. Patrem præcepisse ut cantum ignari tunc temporis discerent, propter silentii nocturni religionem, quam ea ratione non violare impossibile fuisset, nisi cum Bernardo Cassinensi in- C telligamus de *psalmorum silenti sibimet decantatione;* licet eam fuisse communem et pene generalem ordinis nostri per X, XI et XII sæculum consuetudinem pro comperto habeatur.

Quarto, dico S. Benedictum hoc loco duo attigisse, lectiones et psalmos: multum autem in eam propendeo sententiam, quæ tenet S. Patrem præscripsisse ut rudiores cantandas sive recitandas publice lectiones privatim prævidérent, et Psalterium ipsum memoriter discerent **251**, maxime cum nondum inventa arte typographica, mss. codices multis referti mendis in infinitos errores inter legendum juniores et imperitos inducerent, morisque fuerit apud veteres monachos Psalterium memoriter discere; nam *meditari* apud antiquos sæpe sumitur pro simplici lectione, ut in secunda Regula SS. Patrum cap. 5, sive pro studio; unde antiqua versio Gallica ms. Conchensis monasterii hunc Regulæ textum ita vertit: *Le temps qui reste après vigile soit occupé à dire Psautier ou à étudier.*

D Quinto, non solum Psalterium, sed alios insuper Scripturæ libros ex mente S. Benedicti memoriæ commendandos esse existimo, maxime cum nonnullas lectiones ad opus Dei memoriter recitari voluerit, communisque apud veteres monachos usus obtinuerit, Scripturam memoriæ mandandi. Addo præterea occultos illius variosque sensus esse rimandos: nam Scripturæ sacræ studium apud eos præcipuum fuisse constat; unde etiam Hildemarus nolenti vigilare fratri, et nihil se adjuvante Domino indigere dicenti, « Abbas, inquit, talem propositionem debet proponere, quam ille frater non possit solvere, ut humilietur, » aliquem scilicet Scripturæ locum perdifficilem cujus sensum frater ille negligens et superbus ignoret.

Sexto, denique non sic credo Scripturæ studium aliaque quæ diximus à S. Benedicto præcipi, ut orationi vacare valenti, quod Deus dat exsequi, permis-

sum non fuerit, maxime cum prolixius orare volentem in oratorio remorari infra permittat. Atque ita Odilo Æduensis monachus usu habuisse dicitur (*In Vita S. Hugon.*, n. 11, *sæculo* v) « post expletionem matutinalis synaxis, ut B. permittit Benedictus in oratorio peculiaris orationis gratia remorari. »

Quod vero S. Pater ait *a fratribus qui Psalterii vel lectionum aliquid indigent*, sic intelligit Menardus, ut fratres qui Psalterio aut lectione non indigent, liberas hoc per intervallum horas habeant, quia non omnia diei momenta S. Pater minutatim prosecutus est, neque ordinavit quid inter laudes et primam fieri deberet, neque tempore jejunii quid a vesperis ad collationis lectionem. Sed Hildemarus, ut modo dicebamus, censet ei qui nihil se indigere credit talem ab abbate Scripturæ quæstionem esse proponendam, quam ille difficile solvat. Verum cum Regulæ textum non solum de prævidendis lectionibus et Psalterio memoriter addiscendo, sed etiam de studio scrutandisque Scripturæ locis difficilioribus explicuerimus; nullusque sit qui his non indigeat, omnes æqualiter hic Regulæ locus tangere dicendus est; possetque ita intelligi: A fratribus qui omnes indigent Psalterio et lectione, meditationi inserviatur: nam verba illa *qui indigent* notant causam hujus præcepti. An vero ita intellexerit Nicolaus de Fractura, cum facta sibi objectione, « quod si non indigeat psalmis vel lectione intendere, nunquid in lectis ad pausandum se ponent? » respondet: « Dicas quod non, quia etsi non indigeant psalmis, vel lectionibus, seu orationibus quoad doctrinam eorum, indigent tamen ipsis **252** quoad salutem animarum ipsorum; et propterea dicit Hieronymus ad Rusticum monachum: Nunquam de manu tua cadat psalterium. » Cæterum hic præterire non possum quod de piis Sanctigallensis monasterii Notkero, Ratperto et Tutilone monachis scribit Ekkehardus junior (*In Vita Notkeri*, n. 4, *sæc.* v *Bened.*): « Erat tribus his inseparabilibus consuetudo, permisso quidem prioris, in intervallo laudum nocturno, convenire in scriptorio, collationesque tali horæ aptissimas de Scripturis facere. »

Ex dictis hactenus constat perfectum S. Benedicti discipulum post nocturnas vigilias lectum non posse repetere; id quod tum antiquis tum recentioribus monachis sub magna districtione cautum videmus: nam S. Chrysostomus monachorum sui temporis vitam describens (*Homil.* 59, *ad popul. Antioch.*), « cum matutinas orationes et hymnos celebraverint, inquit, ad Scripturarum lectionem convertuntur. » Idem de Ægyptiis monachis asserit Cassianus in lib. II, cap. 12. Refert etiam Ruffinus (*Lib.* III *de Vit. Pat.*, *n.* 199) nonnullos fratres, quatuor nocte horis somno, quatuor psalmis, quatuor labori manuum operam dedisse. S. Cæsarius in Regula ad virgines, qualis est apud Bollandum Jan. 12, præscribit ut « ipsæ vigiliæ sic temperentur, ut quæ sane sunt post vigilias somno non opprimantur; » et S. Aurelianus (*Regul. cap.* 28), « post matutinas orationes, inquit, ad somnum reverti non liceat. » In antiquo etiam Ordine conversationis monasticæ legitur (*Cap.* 2): « Post expletionem vero nocturnæ laudis, in illo intervallo summum silentium fiat tam in voce quam in incessu, sive sono alicujus rei, ut liceat unicuique sine alterius inquietudine peccata Domino confiteri, et veniam et remissionem pro ipsis flendo Deum postulare. » Et in Consuetudinibus S. Benedicti abbatis Anianensis (*Tom.* IV *Annal.*): « Post matutinas horas non redeatur ad lectulos, nisi quando plenarium officium celebratur, vel contigit ante horam surrexisse, excepto infirmis vel pro lassitudine non valentibus, quorum imbecillitas a priore consideranda est. » Chrodegangus etiam Mettensis episcopus (*Spec. tom.* I), ne quis post nocturnas vigilias, nisi forte infirmus, et hoc cum licentia, dormiat, sub pœna excommunicationis vetat in Regula Canonicorum, cap. 15. S. Romualdus usque adeo post nocturnas vigilias somnum

A exosum habuit, ut, Petro Damiani referente (*In Vit. S. Rom.*), « si quis ei confiteretur post duodecim psalmorum vigilias, vel maxime circa diluculum obdormisse, nequaquam posset eo die cum ejus licentia missarum solemnia celebrare. » Idem Petrus Damiani hanc suis legem præscripserat (*Opusc.* 15, *cap.* 17): « Post nocturnum officium repetere accubitum omnino non licet; unde nos, ut hæc regularis observantia posset facilius custodiri, hoc instituimus, ut quotidie signum primitus ad vigilias sonet; deinde expleto ex more Psalterio, vel quantum ratio temporis considerata permittit, sonante iterum signo, nocturnale peragatur officium, ut juxta diluculum, quo videlicet tempore gravius incumbit acedia, stantes nos et canonicis inveniat occupatos officiis. » Statuta Lanfranci (*Cap.* 1 § 1) decernunt, ut post nocturnas vigilias fratres in choro sedeant, infantes in capitulo cum suis magistris cantum addiscant, atque interim prior, accensa lucerna, videat num omnes ordinate **253** sedeant, omniaque monasterii membra perlustrans, si quem dormientem reperiat, excitatum signo reverti in chorum præcipiat. Eadem pene disciplina vigebat apud Cluniacenses, quorum antiquæ Consuetudines apud Udalricum præscribunt (*Lib.* I, *cap.* 41), ut privatis diebus, si nullæ sint octavæ, postquam semel surrexerint, ad lectos non redeant; deinde factæ interrogationi quandiu duraret ipsum intervallum? respondetur sic temperari, ut per illud prior claustralis omnes monasterii officinas percurrere possit; tum ut fratres de ecclesia B. Mariæ simul exeuntes, postquam corporeis naturæ necessitatibus, si qui indigeant, providerint, in chorum revertantur; ubi caput cooperti sedeant; ibique quidquid voluerint aut potuerint faciant: nihil enim tunc temporis fratribus agendum præscribitur. Poterant autem si vellent surgere, altaria circuire, et ibi peculiariter orare. Ubi merito corrigas Haeftenum, qui ex eo quod conqueritur Petrus Venerabilis quod multa adhuc nocte in hymnis laudum cantetur: *Aurora lucis rutilat: Aurora jam spargit polum*, et similia; existimat *jam olim Cluniacenses intervallum illud non servasse*. Non enim queritur Petrus Venerabilis quod nullum servaretur intervallum; sed quod auroram usque non extenderetur. Ait autem Udalricus fuisse aliquando cum intentius oraret, aliquando psalmos ruminaret, aliquando somno oppressus, vellet nollet, dormitaret: additque non multos Cluniaci fuisse dissimiles. Hæc in memoriam revocant qua arte S. Joannes Gorziensis somnum hoc in intervallo fugaret (*In ejus Vita*, *n.* 80, *sæc.* v *Bened.*), scilicet « in morem apis psalmos tacito murmure continue revolvendo, nunc circa altaria, nunc paululum residendo, mox exsurgere et aliquandiu stare; itemque egressus cella tempus noctis inspicere; deinde lucernis aut emungendis, aut reficiendis assistere; tum etiam scholas canentium revisere; interdum retibus texendis quod noctis superesset expendere. »

Cistercienses etiam constat post nocturnas vigilias D lectos non repetiisse ex libro Usuum Cist. c. 74, quo statuitur, ut « post vigilias vel post officium defunctorum, si dicendum fuerit, accenso lumine a servitore ecclesiæ ante armarium et in capitulo, sedeant fratres in ipso capitulo, et legant qui voluerint, nec sedeant in angulis nisi legentes: qui taliter habeant caputia in capitibus, ut possit agnosci si dormiant, an non. » Et hæc quidem hieme; nam æstate in claustro sese recipiebant, ex cap. 84; unde S. Bernardus singularem monachum describens (*De Grad. humil.*), *aliis in claustro quiescentibus*, inquit, *solus remanet in oratorio*: ubi quod dicit *quiescentibus* non de corporea, sed de spiritali quiete intelligendum est, ut patet ex Aelredo abbate hom. de duobus discipulis euntibus in Emmaus, et ex Gilberto de Hoillandia Serm. 23, in Cant. Denique apud primos B. Stephani abbatis Obazinensis discipulos (*Tom.* IV *Misc. Baluz.*), « illud quod post vigilias intervallum restabat, non quieti aut somno deputabatur,

peculiaribus orationibus aut operibus manuum inserviebat, » ut legitur in ejus Vita, n. 7.

Istud autem institutum antiquis monachis, ut vidimus hactenus, inviolabile **254** duplici ex causa commendat Joannes Cassianus : 1° ne purificationem nostram nocturnis orationibus acquisitam invidus hostis illusione somni contaminet; 2° ne somnus ille inertiam in monacho parturiat, ac per totum diem vigorem ejus obtundat, cordis pinguedinem exhauriat, et debilem reddat eum adversus insidias inimici. Adde quod ait Smaragdus : « Scriptum est in lectulo meo! Quæsivi quem diligit anima mea; quæsivi eum et non inveni eum : non enim in lectulo carnalium voluptatum dilectus Christus invenitur, sed in laboribus sanctis, excubiis sacris et orationibus invenitur crebris : non in somni torpore, sed in vigiliarum oratione, et orationis invenitur compunctione. » Et illud Petri Damiani (*Opusc.* 15, *cap.* 17) : « Absit tunc nos sopori vel ignaviæ cedere qua videlicet hora constat Redemptorem nostrum destructo mortis imperio surrexisse, ne si tunc dormiamus, quando oriente sole corporeo etiam interior noster homo lucem debet inocciduam exspectare, quod absit, irrisio nobis videatur illa congruere : *Discipuli ejus nocte venerunt, et nobis dormientibus furati sunt eum.* »

Non defuerunt tamen ex priscis monachis, quamvis pauci, qui post nocturnum officium somno indulgere permiserunt, puta S. Isidorum in Regulæ cap. 6, et Magistrum item Regulæ cap. 44. Idque usu receptum fuisse circa finem sæculi sexti in Reomensi S. Joannis monasterio colligimus ex libro de Translatione et miraculis ejus, n. 1; sed et S. Galli abbatis discipulos *post laborem matutinalis officii quiescendi gratia lectos* revisisse auctor est Walfridus in Vita S. Galli cap. 26 (*Sæc.* II). Similiter S. Geremarus abbas Flaviacensis *completo officio revertens in dormitorium in stratu suo collocare se consueverat*, ut habent ejus acta n. 14. Idem viguisse in Longoretico monasterio discimus ex Visione Baronti, n. 7, sæculo II Bened.; in Pauliacensi sanctimonialium ex Vita S. Austrobertæ, n. 15, sæc. III, part. I; in Lindisfarnensi ex Carmine Ethilvulfi monachi cap. 10, 21, 22; in monasterio S. Corbiniani ex ejus Vita auctore Aribone n. 3, denique in Suessionensi B. M. Parthenone aliis in ecclesia vigiliis et orationibus insistentibus, aliæ post nocturnum officium dormire permittebantur ex Vita S. Drausii episc., n. 17, apud Bolland., 5 Martii. Sed hæc meræ indulgentiæ, et præter Regulam S. Benedicti, quæ nullum post vigilias somnum concedit.

De tempore quod laudes inter et primam intercipitur, aliqua posset esse difficultas : nam S. Pater nullum tunc definivit exercitium. Item de dominicis diebus, in quibus maturius ad vigilias monachos surgere jussit, laudesque vigiliis immediate subjungit; num privatis diebus saltem brevi illo spatio, quod est inter laudes et primam, ac diebus dominicis post nocturnum officium ex mente S. Benedicti lectum revisere possimus.

Sed cum eæ rationes et causæ, propter quas somno post vigilias interdixere Patres nostri, adversus eum qui post laudes capi posset, militare constet; æqualiter utroque tempore prohibitum esse asserendum est. Et sane cum matutinæ laudes ad solam auroram celebrari debeant, **255** nec minus hora dimidiata absolvi queant, tam breve a finitis laudibus ad primam (quæ orto iam sole incipitur) spatium intercedit, ut vix dormiendi locum reperias. Quapropter S. Benedictus abbas Anianensis (*In ejus Vita*, *n.* 52) « tempore siquidem æstatis post expletum matutinorum officium, mox egredi ab ecclesia propter somnolentiam jussit, seseque calceantes lotis faciebus ad ecclesiam concite redeant, et juxta præfatum ordinem (*Quem scilicet ante vigilias instituerat*, *cap.* 31) altaria cum reverentia circumeant, sanctisque se aquis perfundant, et sic deinceps ad loca constituta accedant, diurnum expleturi honeste officium. » In capitulis etiam monachorum Sangallensium anno 817 editis præscribitur (*Cap.* 31), « ut intervallum post matutinos, et ante primam hiemis vel æstatis tempore eo protelетur spatio, quo se fratres apte parare et convenienter orando altaria circuire possint, ut clara luce vel orto sole, exeuntes a prima, vel lectioni vacent, vel injunctam sibi obedientiam subeant. » In antiquo ordine conversationis monasticæ, ut « ex hac matutina laude summum et præcipuum fiat silentium in orando et legendo. » Concordia Dunstani, cap. 2, a calendis Octobris ad Pascha matutinis laudibus ad lucis crepusculum persolvendis primam sine ullo vacuo intervallo subjicit; et cap. 5 decernit, ut a Pascha tota æstate, finitis matutinis, « egredientes ecclesia fratres calcent se, lavent, peractisque in ecclesia tribus orationibus, sedentes in claustro vacent lectioni usque dum primæ signum auditum fuerit : » quamvis, si nondum dies illuxerit, de licentia prioris lectum repetere permittat. Statuta etiam Lanfranci a calendis Novembris ad Pascha matutinis laudibus et subsequentibus SS. commemorationibus primam subjiciunt, sic ut clarescente die omnia finiantur; si vero quid noctis superfuerit, nullus, præter sanguine minutos, ad lectum revertatur; sed sicut primo intervallo vigilias inter et matutinas laudes ita se gerant. Eadem forte disciplina vigebat apud Cluniacenses, quorum antiquæ Consuetudines de tempore hiemis apud Udalricum ita habent (*Lib.* I, *cap.* 41) : « In privatis diebus, et si nullæ fiant octavæ, postquam semel surgimus, non redimus ad lecta. » Denique liber Usuum Cisterciensium decernit (*Cap.* 74) hieme, ut « si forte post matutinas dies nondum claruerit, accenso lumine a fratribus, fiat intervallum; et fratres qui voluerint sedeant in claustro, sed non legant : » æstate vero (*Cap.* 84) « post matutinas dicant laudes pro defunctis, quibus dictis, et facto intervallo sicut festis diebus, calcent se diurnalibus, et sumant cultellos, quod et faciant quoties calceant se diurnalibus consuete; deinde aspersi aqua, et facta oratione, secundum tempus dicant primam. » Econtra autem Regula B. Aelredi ad virgines a calendis Novembris ad caput quadragesimæ *matutinas laudes cum horæ primæ hymnis* consequenter persolvendas *albescente aurora*, præscribit (*Cap.* 14 *et* 15); a Pascha vero ad prædictas calendas, matutinis expletis usque ad plenum solis ortum, orationibus vacent et psalmis, et tunc dicatur prima.

Neque tamen inficias ibo aliam fuisse nonnullorum consuetudinem et praxim. Inter alios magister æstate matutinas laudes una cum **256** vigiliis jungi jussit, ut iis celebratis, qui vellent ad primam usque pausarent. Statuta Lanfranci a calendis octobris usque ad calendas novembris decernunt (*C.* 1, § 1), ut « privatis diebus post matutinas revertantur ad lectos suos. » Idemque tota æstate usu receptum fuisse patet ex eo quod indulgent, ut « diebus Rogationum, dictis matutinis pro defunctis, fratres ad lectos redeant, et qui volunt plus solito dormiant. » Ergo solebant æstate dormire; nam hieme id prohibi um supra vidimus. Idem reperimus etiam apud Udalricum in antiquis Cluniac. Consuetudinibus (*Lib.* I. *cap.* 22), in quibus item de Rogationibus statutum legitur, et insuper, ut per octavas S. Martini, Nativitatis Domini et Epiphaniæ dormiatur : quo forte respexit S. Bernardus cum Roberto nepoti, qui ad Cluniacenses transierat, exprobrans ait (*Epist.* 1) : « Securus nunc, projectis armis, capis matutinos somnos, cum illa hora Christus resurrexerit. »

Verum præterquam quod hoc speciale fuit illis congregationibus, idque pro æstate tantum atque, ut plurimum, ad libitum; manifestum est a communi in hoc regula dispensatum fuisse; quam dispensationem tamen numeroso psalmorum decursu, quos præscripto a S. Benedicto officio adjiciebant, satis compensabant.

De dominicis diebus major videtur difficultas. Ut A quid enim maturius surgere, et matutinas laudes cum vigiliis uno tenore decurrere, nisi ut postea fessis corporibus aliqua concedatur requies? Adde quod veteres monachi, teste Cassiano, quos in multis S. Benedictus æmulatus est, sabbato post nocturnas vigilias duabus circiter horis dormirent; et ex Regula Pauli et Stephani (*Lib.* I, *cap.* 8), « mane dicta prima nullus se in lecto recubitet, *excepto die dominico aut festis diebus*, in quibus vigiliarum labore, et præteriti diei solito amplius fatigati paululum post primam qui ex vobis voluerint membra ponant in lectulis, quod non omni tempore idipsum, sed tantum æstivis mensibus liceat. » His accedit suffragium S. Hildegardis, quæ illa S. Regulæ verba commentans: *Data benedictione incipiant matutinos*, sic loquitur: « Hic intervallum ad meditationem orationum seu lectionum non ostendit; nec in his diebus fratres, finitis matutinis, ad quiescendum ad lectos redire prohibet; sed si tempus permiserit, ita ut ma- B turius surrexerint, quia in prolixitate nocturni et divini servitii fatigati sunt, in arbitrium eorum ut ad lectos redeant silenter ponit. »

Nihilo tamen minus, cum eædem pro omnibus pariter diebus valeant rationes, quas supra adduximus, dominicos dies sub eadem lege comprehensos esse, nec in iis somno post vigilias indulgendum esse ex mente S. P. Benedicti asserendum est. Hinc canon 5 concilii Aquisgranensis, « ut nullo unquam tempore post vigilias causa dormiendi, nisi contigerit eos ante horam constitutam surgere, ad lectos redeant suos; » narratque Browerus (*Lib.* II *Antiq. Fuld.*, *cap.* 16) Ludovicum Pium imperatorem apud Gregorium papam obtinuisse monachis in civitatibus, et matricularibus ecclesiarum locis consistentibus, qui cum magno labore et studio divinum servitium toto anni tempore peragunt, post vigilias æstivalium **257** noctium atque in festis 12 lectionum somno reficere corpus. Porro si id ex Regula licuisset, a summo pontifice dispensationem requirere haudqua- C quam necesse fuisset. Quapropter quod S. Benedictus dominicis diebus nocturnis vigiliis sine ullo intervallo jungit matutinos, non sic capiendum est, quasi laudes accelerare voluisset, et consuetam illarum horam mutare; sed potius nocturnos ad auroram usque produxisse dicendus: nam matutini, quos laudes appellamus, semper ad auroram, sive ut loquitur S. P. Benedictus *incipiente luce* dicendi sunt: unde et matutini dicti sunt a voce *matuta*, id est aurora, eo quod ad auroram celebrari debeant: quare Hildemarus illum S. Regulæ textum, *qui incipiente luce agendi sunt*, commentans, hæc scribit: « In hoc loco manifestat B. Benedictus cum dicit, *matutini qui incipiente luce agendi sunt*, quia omni tempore, id est tam quotidianis diebus quam in dominicis et festis diebus matutini incipiente luce agendi sunt. » Idem docet ad cap. 11 idem cum eo etiam Bernardus Cassinensis, et Nicolaus de Fractura ad cap. item 11; quorum sententiam confirmat praxis, quam videre D est apud anonymum Sangermanensem qui, principatu Caroli Magni translationem S. Germani Parisiensis episcopi describebat, in qua, n. 7, refert (*Sæc.* III *Bened.*, *part.* II) contractum quemdam « *mane facto*.... clericis (id est monachis), juxta morem diei dominici matutinorum officia consummantibus » curatum fuisse; apud Aimonium in lib. II Mirac. S. Germani, cap. 10, ubi fratribus « matutinale, *orto jam crepusculo*, Paschalis sacrosanctæ festivitatis officium celebrantibus, » Normanni adesse dicuntur; apud Hildegarium in Vita S. Faronis, cap. 113 (*Sæc.* II): « Nocte quadam cum jam *nova aurora claro suo crepusculo dilucidaret*, ac concinentes monachi resonarent ecclesiam quodam versu, *Deus misereatur nostri et benedicat nobis*, » etc., qui versus dicitur ad matutinos: hic tamen locus non prorsus evincit pro die dominica: clarior est ille, qui desumitur ex lib. I de Gestis SS. Rotonensium, cap. 6 (*Sæc.* IV, *part.* II): « Cum *aurora diei claresceret*, et monachi matutinas psallerent, et Dominum una voce laudarent, ventum est ad illum psalmum qui appellatur *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*, » etc., qui psalmus ad solas dominici diei laudes, aut in festis 12 lectionum dicitur. At nihil luculentius hanc in rem proferri potest, quam locus ex Vita S. Adonis ex abbate episcopi Viennensis, quam ex antiquo breviario Viennensi edidit noster Mabillonius, cujus in n. 8 hæc leguntur (*Sæc.* IV *Bened.*, *part.* II): « Temporius fratres ad vigilias nocturnas surgere compellebat, ubi et ipse solito præsens lectiones et responsoria protrahendo decantari faciebat, quousque diei luce appropinquante matutinæ laudes agerentur. » Eodem modo Venerabilis Benedictus abbas Clusensis monasterii, ut scribit Vuillelmus, ejus discipulus, in ejus Vita, cap. 5, « observabat lectiones terminando, processionesque protrahendo, ut *ad diem usque* divinum opus procederet, ne quid post matutinas ad lectum revertentibus invida hostis fraus subriperet, quod castitatis flosculos suaveolentes adureret, et ita solemne gaudium fœdando a sacra communione absterreret. » His omnibus accedit **258** Joannis monachi egregium testimonium in Vita S. Odonis lib. I, n. 10: « Ecce enim sunt evoluti haud plusquam sex anni, dum ante ejus corpus (nempe S. Martini) vigiliarum excubias diversus ordo ecclesiæ celebraret; contigit ut ipse ibidem interesset. Verum quia ejusdem officii antiphonæ, uti omnibus patet, breves sunt, et ejus temporis longiores noctes, volentes officium ad *lucem usque* protendere, unamquamque antiphonam per singulos psalmorum versus repetendo canebant, » etc. Hæc omnia confirmant antiquæ Consuetudines Germaniæ mss. in quibus n. 24 decernitur ut in cœna Domini, « nocturni ita temperentur, ut in tenebris compleantur: » ex quo colligas alio tempore non completos in tenebris, sed ad lucem usque productos fuisse, alioquin frustra diceretur, ut nocturni in tenebris complerentur. Et liber Usuum Cisterciensium, cap. 68, « solet sacrista, cum se viderit temporius quam debuerat surrexisse, cantorem signo præmonere ut duodecimam lectionem faciat prolongare; et tunc qui eam legerit, non eam finiat usque ad nutum sacristæ vel sonitum horologii: » quare enim lectio duodecima prolongaretur non video, nisi quia nondum solita matutinorum hora advenisset.

Nec refert quod S. P. Benedictus Dominicis festisque diebus temporius ad vigilias surgere præcipiat, et prolixissimæ sint hiemis noctes. Nam primo istud de maturius surgendo præceptum, solas ex Hildemaro respicit æstatis noctes; hieme enim citius solito non esse surgendum asserit; sed « ita considerandum est, inquit (*In cap.* 11), in hiemali tempore, ut ita surgant juxta numerositatem fratrum, et prolixitatem lectionum, ut incipiente luce agantur matutini. » Et Bernardus Cassinensis (*In cap.* 11): « Hoc tamen quod dicit, dominicis diebus citius esse surgendum, attinet proprie ad tempus æstivum, in quo si ita tarde surgeretur, sicut quando grandes sunt noctes, esset negligentia magna, nec inciperentur matutinæ laudes incipiente luce, quia in lectionibus secundæ vigiliæ appareret aurora: tempore vero hiemali satis sufficit octava surgere hora, quia tunc 12 lectiones, cum 12 responsoriis, cum psalmodia 12 psalmorum, et tribus canticis, cum hymno Te Deum laudamus, et Evangelio cum debita modulatione dicto, matutinæ laudes incipiente luce poterunt inchoari. »

Deinde etiamsi media hora citius solito surgeretur, cum diebus solemnibus majori cum gravitate et modulatione divinum celebretur officium, facili negotio totum illud intervallum, licet hieme prolixum, poterant implere; maxime si consideremus, quantæ prolixitatis apud majores nostros lectiones cantarentur: nam, v. g., S. Cæsarius in Regula ad monachos, cap. 20 ad singulas lectiones *terna folia* legi

præcipit. Similiter S. Aurelianus in ordine psallendi « *unus frater legat paginas aut tres, aut quatuor*, inquit, quomodo mensura fuerit libri; si minute scriptus aut majore forma, ternas paginas; si minor, quatuor : » quapropter ne somnus in tanta lectionum prolixitate subreperet, aliquid operis *de sparta aut de canape*, aut aliquis hujusmodi labor **259** manuum exerceri, diebus vero dominicis festisve stare præcipit, in Regula, cap. 29, quod item præscribunt Regula S. Cæsarii ad virgines, cap. 13, et Tarnatensis cap. 6 : ex quo apparet non adeo breves fuisse eorum lectiones; alioquin frustra eo tempore arreptum esset opus continuo dimittendum. Et ut de nostris etiam aliquid dicamus, apud Cluniacenses adeo magnæ erant hiemali tempore vigiliarum lectiones, ut in una Septuagesimæ hebdomada integrum Geneseos librum in choro percurrerent, totamque Isaiæ prophetiam intra sex privatas vigilias, teste Udalrico; quo etiam referente discimus fratrem qui lectiones terminaret, cum unam tantum ad duas privatas vigilias Epistolam ad Romanos legi fecisset, increpatum fuisse in capitulo, quod lectiones breviores fecisset. At quod de S. Joanne Gorziensi scribit Joannes Mettensis omnem nunc excederet fidem, nisi id referret testis oculatus et sincerus; eum scilicet « sub una quondam lectione Danielem totum dum tertius lecturus assurrexisset, explevisse. » His omnibus suffragari videtur Boherius in primo commentario ad cap. 11, sic scribens: « In majoribus noctibus majores lectiones recitari consueverunt, et psalmi ac responsoria spatiosius decantari. »

Præterea docet Menardus S. Benedictum ad singulos psalmos Ægyptiorum monachorum more orationes interposuisse; id quod etiam decernunt S. Isidorus in Regula 7; S. Fructuosus cap. 3, et Magister cap. 33. Adde quod S. Pater psalmos cum antiphonis cantari præcipit : quod de inserendis singulis psalmorum versiculis antiphonis, ut supra vidimus in ecclesia Turonensi, non sine fundamento interpretari posset aliquis. Quæ cum ita se habeant, nemo jam non videt qua ratione etiam in nocte prolixiori vigilias ad auroram usque producere possent; alioquin si matutinas laudes una cum nocturnis mediis adhuc in tenebris persolvissent, non septies exemplo prophetæ, sed sexies laudem Deo dixissent, ut notat iterum Hildemarus ad cap. 11. Unde nec S. Hildegardis absolute dicit diebus dominicis indultum fuisse a S. P. Benedictino post matutinas somnum; sed tantum *si tempus permiserit, ita ut maturius surrexerint*; quo casu, ut dicit Hildemarus, « tunc si dies non fuerit, debet prior signum tangere, ut dormiant; » tuncque, ut existimo, laudes a nocturnis separabant: quia non nisi incipiente luce ex Regula dicendæ sunt. Atque ex dictis hactenus patet quod diebus dominicis *vigiliæ prolixiores, et nocturna synaxis in lucem usque producta matutinum* A *soporem non admittunt*, ut scribebat Stephanus Tornacensis ad novitium Pontiniacensem, qui Cisterciense institutum deserere cogitabat.

Cæterum nemini durum aliquid aut austerum nimis his in vigiliis videri debet, consideranti antiquum veterum monachorum fervorem, qui, ut docet Cassianus, sabbati et dominicæ noctes fere insomnes agebant, si forte duas postremas horas excipias, in quibus qualicunque requie corpus reficiebant; quas nec monacho indulgendas esse censebat S. Arsenius (*Tom. I Monum. Eccles Græcæ*), dicens ei *sufficere unam horam dormire, modo is pugilis nomen mereatur*. Cujus rei vestigium aliquod in Cluniacensi monasterio **260** olim advertimus, ubi in die natali SS. Petri et Pauli vigiliæ nocturnæ pridie clara adhuc die incipiebantur, nec nisi postridie orta jam sole absolvebantur (*Udalr. l. 1, c. 41*).

A Pascha autem usque ad supradictas calendas Novembris sic temperetur hora vigiliarum agenda : parvissimo intervallo, quo fratres ad necessaria naturæ exeant custodito, mox matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

B

Hiemis tempore octavam noctis horam ad surgendum S. Benedictus assignat; quod vero æstatem spectat nullum tempus fixum determinat; sed sic horam temperari imperat, ut parvissimo custodito intervallo, mox incipiantur matutini. Verum cum breviores sint æstatis vigiliæ, nec nisi breve præscribat intervallum, in eamdem circiter horam omni tempore incidebant.

Quantum vero esse debeat illud intervallum, S. Pater non dicit, *brevissimum* tantum requirens. Porro in cap. 6 monachorum Sangallensium decernitur, « ut intervallum post nocturnum in æstivo tempore usque dum psalmi quinque dici possunt proteletur. » Et in mss. Germaniæ Consuetudinibus n. 28, « ab octavis Paschæ usque in calendis Novembris.... matutini mortuorum ad parvissimum intervallum inter nocturnum et regulares matutinos compleantur; nisi forte lux prævenerit, et tunc differendi erunt, usquequo de omnibus sanctis perficiantur. » Ex Regula autem sufficere debet, ut fratres ad naturæ necessaria exire possint, hoc est ad purgandum ventrem; ubi Boherius in primo commentario, « nota, inquit, quod intrantes domum necessariarum vultus suos debent abscondere cum caputiis quantum valent, nec intrantes dormitorium absque caputiis esse convenit in capite, ut Patres nostri asseruerunt, et ordo servat Præmonstratensium. »

C

Denique quare incipiente luce matutini agendi sunt docet Regula ms. incerti auctoris, quam ex codice bibliothecæ reginæ Sueciæ eruit noster Mabillonius, in cujus cap. 3 hæc leguntur : « Matutinorum solemnitas incipiente luce celebranda est, qui matutina luce radiante Dominus et Salvator noster ab inferis resurrexit.

CAPUT IX.

Quanti psalmi dicendi sint nocturnis horis.

Hiemis tempore, præmisso [a] in primis versu [b], *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me* **261** *festina* (*Psal.* LXIX); in secundo ter [c] dicendum est : *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam* (*Psal.* L). Cui subjungendus est tertius psalmus, et *Gloria*. Post hunc, D psalmus nonagesimus quartus cum antiphona [d], aut certe decantandus [e]. Inde sequatur Ambrosianum [f] : deinde sex psalmi cum antiphonis. Quibus dictis, dicto versu, benedicat abbas. Et sedentibus omnibus in scamnis, legantur vicissim a fratribus in codice super analogium tres lectiones, inter quas et tria re-

[a] Oxon. Flor., *hiemis tempore suprascripto.*

[b] Oxon., *In primis versum, in secundum dicendum* omissis psalmi LXIX verbis. Flor., *in primis versus, id est, Deus, in adjutorium*, etc., *cum gloria*. In multis deest *Domine, ad adjuvandum me festina.*

[c] Al., *tertio*; al. *tertium*.

[d] Oxon. cum septem mss. addit *venite exsultemus.*

[e] Cass., *decantando.* Haeft., *indirectum decantandus.*

[f] Sabin. Dion., *Ambrosianus hymnus*

sponsoria cantantur [a]. Duo responsoria sine *Gloria* dicantur [b]: post tertiam vero lectionem, qui cantat dicat *Gloria* [c]. Quam dum incipit cantor dicere, mox omnes de sedilibus suis surgant ob honorem et reverentiam sanctæ Trinitatis.

Codices autem legantur in vigiliis tam Veteris Testamenti quam Novi divinæ auctoritatis; sed et expositiones earum quæ a nominatissimis doctoribus orthodoxis et catholicis Patribus [d] factæ sunt. Post has vero tres lectiones cum responsoriis suis, sequantur reliqui [e] sex psalmi cum *alleluia* [f] canendi. Post hos lectio apostoli sequatur ex [g] corde recitanda, et versus, et supplicatio litaniæ [h], id est, *Kyrie eleison*: et sic finiantur vigiliæ nocturnæ.

[a] Al., *cantentur;* in Oxon. deest.

[b] Hæc verba, *duo responsoria sine gloria dicantur*, desunt in multis mss.

[c] Al., *gloriam.*

[d] Oxon., *a nominatis doctorum, et orthodoxis, catholicisque Patribus.* Flor., *a nominatis, et orthodoxis, catholicisque Patribus.* Cass., *a nominatissimis, et orthodoxis catholicisque Patribus.* Ita etiam S. Germ. ms. Ebrul., Faron, Vict. ms., sed omisso *Patribus.* Comp., *a nominatissimis doctorum orthodoxis Patribus.*

[e] Oxon., *Qui.*

[f] Ebrul., *cum albis.*

[g] Oxon., *inde.*

[h] Vict. ms., *et litania.*

COMMENTARIUS.

Hiemis tempore præmisso in primis versu Deus, in adjutorium, etc.] Hic est versiculus ille a priscis monachis adeo celebratus, quem ad universa quæ aggrediebantur opera usurpabant, cujus vim et efficaciam describit Cassianus collat. 10, cap. 10. Hunc S. P. Benedictus ad omnia divini cursus officia præmitti primus instituit; quem ritum ab eo acceptum pontificia auctoritate postea firmavit, atque ab universali Ecclesia recipi curavit S. Gregorius Magnus, ut docent Pamelius annot. 15 in Cypr. lib. de Orat. Dominica, et Polydorus **262** Virgil. lib. VI de Invent. rerum, c. 2, quanquam ritus hujus auctorem Damasum suasu S. Hieronymi faciat Navarrus de Orat. c, 3, n. 64. Sed epistola illa S. Hieronymi, unde id desumit, quæ tom. I Concil. habetur, ut commentitia et adulterina jure exploditur.

Hunc versiculum, quem ad implorandum divinum auxilium adhibere solemus, merito S. Benedictus nocturnis vigiliis præmitti voluit, quia hoc potissimum tempore variis cacodæmonum infestationibus agitati, illo præsertim opus habemus. « Cum enim insonuerit signum spiritalis tubæ ad orationem vocans, invisibiliter conveniunt inimici. Et alii quidem cum experrecti fuerimus, nos ut iterum decumbamus lectulo hortantur: Exspecta, inquiunt, dum compleantur principales hymni, sicque demum proficisceris. Alii cum ad orationem assistere cœperimus, nos in somnum præcipitant. Alii suadent ut in ecclesia colloquamur. Alii præter consuetudinem ventrem immodice stimulant. Alii mentem nostram in turpes cogitationes pertrahunt. Alii super parietem reclinare nos ut debiles admonent; nonnunquam etiam oscitare immodice faciunt. Nonnulli risum nobis movent, ut per hunc ad indignationem contra nos Deus provocetur. Alii per summam desidiam festinare nos in versuum pronuntiatione impellunt. Alii con ra psalmodiam protrahere voluptatis causa hortantur. Nonnunquam vero ori etiam assidentes nostro, ita illud claudunt, ut vix aperiri posse videatur (*S. Joan. Clim.*, *grad.* 18). »

In secundo ter dicendum est: Domine, labia mea aperies, etc.] Quia, ut dicit S. Augustinus (*Lib.* II *contra duas epist. Pelag.*, *cap.* 8), *nemo potest laudare Deum, nisi Deus aperiat labia.* Sed cum oratio plus cordis sit quam labiorum, cur labia et non corda petimus aperiri? Respondet Joannes Bona (*De Divin. Psalm. cap.* 16, § 4) labiorum usum non esse tantum ad eloquium, sed etiam ad osculum: unde « Ecclesia, dum dicit, *Domine, labia mea aperies*, non tam petere videtur divinum auxilium ad laudes ejus digne annuntiandas, quam mysticam labiorum purificationem ad castissimum dilecti osculum recipiendum. »

Illum autem versiculum ter repeti S. Benedictus instituit, idque vel ob majorem nocturni officii majestatem et solemnitatem, vel ob memoriam ternæ illius orationis, quam in horto tertio Christus oravit; vel ad excitandum pietatis affectum, orationisque vehementiam et perseverantiam; vel ad honorem SS. Trinitatis, et imitationem cœlestis illius trisagii, quo Deum trinum et unicum cœlites adorant: quæ omnia fuse prosequitur Haeftenus lib. VII, tract. 6, disq. 2; vel etiam propter necessitatem divini auxilii ad laudes Deo debite concinendas; vel tandem ad demonstrandum quam stricto labia silentio claudere debeamus, quæ non nisi post trinam divini numinis invocationem, idque ad laudandum Deum aperiri necesse sit.

Porro hunc versum pronuntiando, digito signum crucis in os formamus, ut eadem aperiatur clavi, qua pridie obseratum fuerat. Narrat enim Beletus (*In explic. divini offic. cap.* 24) primis Ecclesiæ temporibus sacerdotes crucis signaculo sese muniisse, vocem comprimentes ad tempus usque matutinum, quo in laudem Dei prorumpebant: unde Honorius Augustodunensis (*Gemm. animæ lib.* II, *cap.* 1) « signa, **263** inquit, militibus per tubas dantur, Christianis signa campanis dantur, qui quasi milites convenientes imperatorem salutant, dum per versum *Domine, labia mea aperies* laudes Christi incboant. Dum enim in nocte dormitum eunt, signaculo crucis quasi sigillo se muniunt, quæ nunc aperiunt, dum ora in nocte clausa ad laudem Dei solvunt. »

Cui subjungendus est tertius psalmus et gloria.] Hunc etiam psalmum nocturnis præmitti voluit S. Benedictus, vel quia *de somni surrectione dicit*, ut aiunt Hildemarus et Durandus, vel quia de resurrectione Domini agens, dum illum audit monachus, pervigilem se et devotum ad vigilias custodit, ut docent Bern. Cass. et Turrecremata, vel quia per illum « contra adversantes dæmones, mundum videlicet et carnem, divinum invocatur auxilium, » ut a dit idem Bernardus. Ipsum etiam præmitti voluit, ut negligentioribus tempus sit occurrendi ad invitatorium, sicuti ad laudes psalmum LXVI præmisit, ut omnes occurrant ad quinquagesimum.

Et gloria.] Quæ merito psalmo tertio, in quo agitur de Christi resurrectione, subjungitur, quia in ea Dei gloria specialiter prædicatur, inquit Bernardus Cassinensis. Porro circa hunc glorificationis hymnum tria sunt observanda: 1° a quo sit compositus; 2° quis illius pronuntiandi modus; 3° quis illius usus.

Quod spectat ad primum, « Illud certissimum est, hymnum glorificationis ab apostolis compositum, a Patribus Nicænis auctum, ab universa Ecclesia receptum, omni reverentia cantandum esse, » inquit cardinalis Bona (*De div. Psalm. cap.* 16, § 6). Manavit ergo ad nos apostolica traditione; atque erraverunt qui ex Theodoreto l. II Hist. Eccles., cap. 24;

Sozomeno lib. III, cap. 19; Tripartita lib. IV, cap. 35; clarius ex Nicephoro lib. IX, cap. 24, Flavianum monachum Antiochenum hujus hymni faciunt auctorem. Cum enim catholici imperante Constantio Patrem cum Filio pari gloria celebrarent, et Ariani ambiguis locutionibus Filium Patre inferiorem ostendere conarentur; Flavianus, ut aiunt isti, coacta monachorum caterva, primus omnium clara voce cantavit *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*. Sed hunc hymnum Flaviano antiquiorem evincunt SS. Athanasii et Basilii auctoritates. S. Athanasius in lib. de Virg.: « Cum surrexeris a mensa, inquit, rursum gratias agendo ter dicas: *Misericors et miserator Dominus escam dedit timentibus se: Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto;* rursumque post peractam glorificationem preces tuas absolves. » S. Basilius vero in libro de Spiritu sancto, capp. 7: « Quapropter glorificationis hymnum Patri simul cum Filio offerimus; sed nonne hoc nobis sufficit, quod hæc Patrum sit traditio? » Idem docet cap. 27 et 29 ejusdem libri, ubi agit de traditionibus apostolicis. Ejusdem quoque hymni fit mentio in Vita S. Eugeniæ, quæ sub Commodo imperatore floruit: « Et angeli transeuntes hymnum Deo dicebant: hoc solum intelligebatur, quod nomen Jesu Christi et Spiritus sancti in ipsis laudibus resonabat: *Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* »

264 Quapropter quod Walfridus in libro de Rebus eccles. cap. 25 asserit a magno Nicæno concilio compositum fuisse, intelligendum est de appendice *Sicut erat*, etc., quam revera eo in concilio additam fuisse docet cardinalis Bona, idque ad obstruendum sacrilegum os Arianorum blasphemantium, et asserentium fuisse tempus cum Filius non erat cum Patre; id quod testari videtur concilium Vasense, seu Vasatense, verius Vasionense I, in Gallia paulo post Nicænum, tempore Constantii imperatoris, sub Julio papa celebratum, licet ejus canones existant cum Vasionensi II, sub Leone Magno hac sanctione edita: « Quia non solum in sede apostolica, sed etiam per totum Orientem et totam Africam vel Italiam, propter hæreticorum astutiam, qua Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed a tempore cœpisse blasphemant, in omnibus clausulis post *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen* dicitur: etiam nos in universis ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus. » Quanquam hæc verba *totum Orientem* adđititia esse existimet Menardus, cum nusquam repereris apud Græcos *Sicut erat in principio* fuisse in usu. Sed et Walfridus cap. 25 ait Græcos non dicere *Sicut erat in principio*, sed hoc modo *Et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.*

Modus illum exprimendi varius fuit et multiplex. 1° *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* 2° Ex S. Basilio lib. de Spir. sancto cap. 27: *Gloria Patri, et Filio, cum S. Spiritu.* 3° *Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto:* qui modus exprimitur in Vita S. Eugeniæ supra citata, et decernitur in concilio Toletano IV, can. 14, his verbis: « In fine psalmorum non sicut a quibusdam hucusque *Gloria Patri*, sed *Gloria et honor Patri* dicatur, David propheta dicente: *Afferte Domino gloriam et honorem.* » 4° Ariani verbis Apostoli ad suæ hæreseos patrocinium abutentes, ita efferebant: *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto*, ut constat ex Theodoreto l. I Hist. eccl., c. 24, ubi Leontius patriarcha Antiochenus, ut dissimularet hæresim, cum esset in synaxi, hæc ejusdem hymni verba *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto* submisse dicebat; reliqua vero *in sæcula sæculorum* clare et distincte. 5° Vigilius papa epist. I etiam quorumdam reprehendit errorem, qui subducta una conjunctiva syllaba, perfectum SS. Trinitatis vocabulum minuere conabantur, dicentes *Gloria Patri et Filio Spiritui sancto.*

Quod spectat ad appendicem, Joannes Bona asserit

A (*De Divin. Psalm. cap.* 16, § 5) a Nicæno concilio additum *Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen;* quod etiam vidimus statutum in concilio Vasionensi. Et tamen in Vita S. Eugeniæ, in Liturgia S. Joan. Chrysost. et apud Joannem Moschum in Prato spirituali c. 119, sola hæc habetur clausula: *Nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen;* quam solam apud Græcos in usu fuisse auctor est Walfridus cap. 25. Quidam etiam hæc verba tantum addebant: *In sæcula sæculorum, Amen*, ut videre est in conc. Tolet. IV.

265 Nunc de usu hujus versiculi aliquid proferendum. In fine cujusque psalmi a nobis decantari solet, huncque ritum S. Hieronymo quidam perperam ascribunt, cum illa epistola, unde id deducunt, tanquam falsa ab eruditis viris merito explodatur: nam in ea dicitur ita cani in Oriente, quod falsum esse convincit istud Cassiani testimonium (*Lib.* II, *cap.* 8): « Illud autem quod in hac provincia (Massi-
B liensi) vidimus, ut uno cantante in clausula psalmi omnes astantes concinant cum clamore, *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, nusquam per omnem Orientem audivimus; sed cum omnium silentio, ab eo qui cantat finito psalmo orationem succedere. » Aliquando prolixiores psalmi dividebantur, ut præcipit S. Benedictus, et in fine cujuslibet divisionis addebatur *Gloria Patri;* id quod decernit concilium Narbonense his verbis (*Can.* 2): « In psallendis ordinibus per quemque psalmum *Gloria* dicatur omnipotenti Deo, per majores vero psalmos, prout fuerint prolixiores, pausationes fiant, et per quamque pausationem *Gloria* Trinitatis Domino decantetur. »

Aliquando duo sub una *Gloria* dicebantur psalmi, ut præscribit Regula S. Benedicti, sed id fieri prohibet Regula Magistri cap. 33. In Oriente hac Trinitatis glorificatione antiphonas tantummodo terminare solebant, ut scribit Cassianus. Denique in fine ultimi responsorii cujuscunque nocturni a S. Benedicto decernitur dici, atque in responsoriis crebrius a Roma-
C nis usurpari asserit Walfridus cap. 25. De hoc versiculo tractatum Anagogicum edidit Joannes *Gerson*, quem consule, si lubet, tom. III de Hymno gloriæ.

Post hunc psalmus nonagesimus quartus.] Invitatorius appellari solitus, quem Regula Magistri *Responsorium hortationis*, S. Isidorus in officio Mozarabo *Sonum* vocat. Hunc in ipso divini officii exordio ante S. Benedicti tempora recitatum fuisse constat ex S. Athanasio testante (*Serm. de Deipara*) Christianos ad precum principium invitantes invicem et adhortantes, clamare solitos verba hujus psalmi.

De illius usu ita scribit cardinalis Bona (*De Divin. Psal. cap.* 16, § 8): « Marcus Gazæus Diaconus, qui vivebat anno Domini 430, processionem describit Christi fidelium psalmum *Venite exsultemus* concinentium, et in versiculorum psalmi intercisione dicentium alleluia; quæ modulatio quamdam invitatorii speciem repræsentat. Scribit quoque Amalarius hunc psalmum se audisse Constantinopoli in ecclesia S. So-
D phiæ in principio missæ celebrari. Solet Ecclesia Romana invitatorium omittere in solo officio Epiphaniæ; qui ritus antiquissimus est, teste Alcuino et Hugone; tum quia totum officium est de vocatione gentium, ut docet Bonaventura, et ea verba frequentius iterantur: *Venite adoremus eum;* tum quia idem psalmus in tertio nocturno cantatur; inconveniens autem esset bis in eodem officio eumdem psalmum recitari. Nos vero, qui ex præscripto regulæ nostræ in tertio nocturno tria cantica e Veteri Testamento psallimus, ipsa etiam Apparitionis die invitatorium more solito decantamus. » Hactenus cardinalis Bona. Constat tamen ex Amalarii Supplemento (*Analect. tom.* II) omissum fuisse olim etiam apud Benedictinos in **266** Epiphania hunc psalmum, et in secundo nocturno decantatum.

Cum antiphona.] Antiphonam hic vocat invitatorium huic psalmo præmitti solitum, verbi gratia, *Regem confessorum Dominum venite adoremus*, quod Amala-

rius (*De Ord. Ant. cap.* 69 *et* 70) vocat invitatoriam antiphonam : id quod confirmat Ordo Rom., in quo ad vigilias Paschæ legitur : *Infra albas Paschæ super* Venite *dicitur antiphona : « Surrexit Dominus vere. »* Repetitur autem aut ex toto, aut ex parte ad singulos psalmi versiculos; idque a tempore S. Benedicti, ut scribit Boherius in secundo commentario.

Aut certe decantandus.] Particula *aut* copulativa pro *et* hic sumi videtur, quasi diceret *cum antiphona, et certe decantandus*; nam psalmus iste omnino morose pronuntiari debet ex Regulæ cap. 43, et semper in Ecclesia magna cum solemnitate fuit decantatus. Existimat tamen Bernardus Cassinensis in directum esse dicendum : sic enim ad hunc locum scribit : « *Aut certe decantando*, supple in directum, et sine antiphona, sicut tertius psalmus; quod in æstate faciunt in partibus Gallicanis. » Similiter in Petri Diaconi textu legitur : « Aut certe decantando sine antiphona in directum. » Confirmat Amalarius in supplemento ad lib. IV de Offic. divinis : « Invitatorium æstivis diebus hebdomadalibus sine modulatione antiphonæ solet dici. » Et certe Paulus Augustinus a Janua observat in Regul. cap. 12 particulam *de* interdum esse negativam, ut idem sit decantare ac non cantare, sed simpliciter sine vocis modulatione recitare.

Inde sequatur Ambrosianum.] Id est hymnus, quem S. Pater Ambrosianum nuncupat, tanquam aliquid vere Ambrosianum, sive divinum, ac cœleste, divinitusque inspiratum, ut exponit Smaragdus, et post eum citatus a Bernardo Cassinensi Petrus Diaconus; vel ab Ambrosio præsule, hymnorum magistro, ut item exponit idem Smaragdus, quia hymni a S. Ambrosio compositi ejus tempore frequentius cantari cœperunt, ut ipse testatur in fine concionis de Basilicis non tradendis hæreticis. Postremam explicationem illustrat Amalarius in præfato Supplemento sic scribens : « Certum autem probatur quodammodo S. Benedictus consuetum morem S. Ambrosii in nonnullis ecclesiasticis elegisse, verbi gratia, de hymnis quos Ambrosianos appellat. » Et Walfridus in lib. de Rebus eccles. (*Cap.* 25) : « S. Benedictus hymnos Ambrosianos nominans, vel illos vult intelligi quos confecit Ambrosius, vel alios ad imitationem Ambrosianorum compositos : » unde cardinalis Bona de Cisterciensibus suis loquens (*De Divin. Psalm. cap.* 18, § 4), « quod D. Benedictus hymnos Ambrosianos vocet, inquit, hymnos omnes ab Ambrosianis accepimus iisdemque prorsus omni tempore quibus et illi, quorum catalogum inveniet curiosus lector apud Radolfum Tungrensem. » Plura de hymnis habes apud eumdem cardinalem in lib. de Divin. Psalm. cap. 16, § 9.

Deinde sex psalmi cum antiphonis.] Guillelmus Durandus antiphonam dici putat (*Ration. lib.* v, *cap.* 2) per respectum ad psalmum, id est *ante psalmum sonans*. Sed proprie antiphona est cantus reciprocus, a voce Græca ἀντιφωνεῖν, quod est contra clamare, aut vicissim et ex adverso **267** respondere. Porro « inter responsorios et antiphonas hoc differt, quod in responsoriis unus dicit versum, in antiphonis autem versibus alternant (*S. Isid. lib.* VI *Orig. c.* 19) : id quod aliquis ita explicare posset : Ad singulos psalmorum versus antiphonas cantant, quia revera ita in usu fuisse apud veteres docet eruditus vir Josephus Thomasius.

An vero ita intellexit Hildemarus? cum scribit : « Antiphonas primum Græci composuerunt, duobus choris alternatim concinentibus, quasi duo Cherubim. . . Apud Latinos autem primus idem B. Ambrosius antiphonas instituit, Græcorum exempla imitatus; ex hinc in cunctis occiduis regionibus earum usus crebuit. »

Quibus dictis, dicto versu.] Versus a vertendo dicitur, vel quia ab officio psalmorum ad lectiones vertimus, vel quia « quando versum audimus, faciem illico vertimus ad altare, ut omnis cogitatio, quæ

A foras exivit per evagationem, revertatur ad Deum per devotam introversionem, » ut loquitur cardinalis Bona (*De Divin. Psalm. cap.* 16, § 13).

In nono autem capitulo monachorum Sangallensium decernitur « ut versus in unoquoque concursu altius, et distinctius, atque protractius honeste dicantur. » « Dicitur autem clara et acuta voce, inquit præfatus cardinalis (*Ibid.*), ut eo audito excitentur pigri et revertantur ad cor. Dicitur noctu ante lectiones, ut qui psallendo laboravit, sedeat jam et requiescat, et ad lectionum doctrinam vigilanter audiendam elevetur, ne forte sedenti importune irrepat dormitatio, etc. »

Benedicat abbas.] Non signo quidem crucis, inquit Boherius, sed verbo benedictionis. Quæ autem sint illa benedictionis verba explicat Smaragdus his verbis : « Id est post versum a cantante dictum, dicat abbas : *Precibus omnium sanctorum suorum salvet et benedicat nos Dominus*, vel aliquam ejusmodi benedictionem. » Hæc est brevis illa precatio quam absolutionem vocamus, et præcedit oratio dominica, B sequiturque benedictionis petitio a lectore : quæ omnia sub benedictionis nomine complecti videtur Bernardus Cassinensis hunc in locum sic scribens : « Nam abbas, antequam legantur lectiones, dominicam præmittit orationem. Postmodum aliquam aliam orationem præmittit, videlicet : *A vinculis peccatorum nostrorum*, etc. Lectore vero benedictionem postulante per illud, scilicet *Jube, domne, benedicere*, tunc dat benedictionem abbas. » Quæ quidem omnia minutatim S. Benedictus haud exposuit, quia ex usu satis nota esse existimavit; si tamen usus fuerit S. Benedicti tempore lectionibus præmittere orationem dominicam, quam Boherius uti et absolutionem præter Regulæ præscriptum additas esse censuit. Et certe Cistercienses utramque omittunt, ut scribit Joannes Bona de Divina Psalm. c. 18, § 4. Videtur tamen usus ille antiquissimus, ad quem forte respexit capitulum 5 monachorum Sangallensium, decernens « ut dictis sex psalmis primis ad nocturnum, genua non C inflectant, sed stantes orent. »

Lector autem benedictionem petens dicit : *Jube, domne, benedicere*, cujus ritus antiquitatem probat Gretserus tom. II de Cruce in orat. De **268** hac petendæ benedictionis formula ita scribit Petrus Damiani (*Lib. de* Dominus vobiscum, *cap.* 2) : « Lecturus magnæ humilitatis gratia non a sacerdote, sed ab eo cui sacerdos jusserit, se postulat benedici dicens : *Jube, domne, benedicere*. Sacerdos autem ut tantæ humilitatis vicem reddat, non subjecto cuiquam benedicendi delegat officium, non per semetipsum benedictionem dare præsumit, sed prius ut a Deo, qui est super omnia benedictus, prærogetur, exposcit. »

Sedentibus omnibus in scamnis.] Nota quam vilem et humilem velit esse oratorii supellectilem, qui sedentibus non superba subsellia, sed sola concedit scamna. Ita veteres monachi *sedilibus humillimis insidentes ad vocem psallentis* a Cassiano describuntur (*Lib.* II, *cap.* 12). Ita etiam de nostris legimus in D lib. II de Gestis SS. Rotonensium cap 5. Porro licet Petrus Boherius hunc locum exponens dicat in hac expresse Regula non contineri, num standum an sedendum sit quando psalmi canuntur, ex his tamen S. Benedicti verbis satis apposite intulit Menardus, instituti nostri monachis inter psallendum esse standum : qui enim jubentur sedere dum leguntur lectiones, prius stetisse psallendo necesse est, quod confirmat ex Reg. cap. 60 : *Concedatur ei post abbatem stare et benedicere*, et ex cap. 63 : *Sic accedat ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, in choro standum*. Nam licet stare non semper pro corporis erectione, sed pro præsentia aliquando sumatur, ut cum dicitur *sunt de hic stantibus*, nihil tamen vetat hic illo sensu accipi : si enim sedissent, naturali loquendi ratione dixisset : *Concedatur ei post abbatem sedere, et sic accedant ad pacem . . . in choro sedendum*, etc. Atque hæc fuit veterum monachorum

praxis, quam videre est apud S. Athanasium in libro de Virginitate: « Media nocte surgito, et psalmos dicito, quantum potes *stans;* » apud S. Joannem Chrysostomum de Vita monachorum sui temporis ita scribentem (*Homil.* 14, *in I Timoth.*): « Cum ante lucem gallus emittit vocem, omnes cum reverentia discusso sopore consurgunt, a suo excitati prælato; *adstantique* sacro choro, protinus expansis manibus sanctos concinunt hymnos; » apud Cassianum, referentem (*Lib.* II, *cap.* 12) eum qui psalmos, aliis audientibus et sedentibus, psalleret, stando decantasse; in Regula Magistri (*Cap.* 47): « Oportet psallentem immobili corpore, inclinato capite *stare*, et laudes Domino moderate canere; » apud S. Vincentium Ferrerium: « Pulsatis matutinis, et factis veniis, et inclinationibus, psallendo *sta* super pedes tuos, non appodiatus. » Testatur etiam Boherius in hunc locum in monasterio Sublacensi et Specus, ubi S. Benedictus primo pœnitentiam egit, fratres in psalmis omnino non sedisse, ut se vidisse pluries asserit: quanquam dicat in magnis Galliæ cœnobiis advertisse dum psalmi explentur fratres sedere; interdum fratrum medietatem in uno psalmo sedisse, aliam alternatim in alio. Quod de Sublacensi Boherius, hoc de Cassinensi asserit Bernardus Cassinensis: « Usque hodie, inquit, in psalmis canendis non sedent fratres in monte Cassinensi, licet alibi videam sedentes alternatim per vices, quod et ego non vitupero: istud tamen ut pote magis consonum intentioni P. N. Benedicti magis laudo. »

269 Inter magna illa Galliæ monasteria, in quibus fratres sedentes in choro vidisse se Boherius affirmat, recenseri merito posset Cluniacense, in quo si quis « sedere voluerit inter psalmodiam, inquit Udalricus, observat ne sedeat juxta alium sedentem, sed ita ut unus stet, et sedeat alter, et invicem exhibere debent occasionem sedendi; » Divionense S. Benigni cujus antiquæ Consuetudines mss. eamdem cum Udalrico præscribunt, hoc solum addito, quod unus *per duos psalmos* sedeat, et alter stet; et Cisterciense in cujus libro Usuum decernitur (*Cap.* 68), ut « nec sedeat aliquis ex quo incipitur *Deus in adjutorium* usque post hymnum, et tunc plicatis manibus super genua sedeant simul primum psalmum, et secundum stent, et sic percurrant cæteros. » Bursfeldenses etiam ad psalmos alternatim sedent. Nos vero ad omnes horas diurnas semper stamus, quod magis consonum est intentioni S. Benedicti, ut dicit Bernardus Cassinensis. De non sedendo ad opus Dei integrum edidit Petrus Damiani opusculum 39; quod, si lubet, consule.

Legantur vicissim a fratribus in codice super analogium tres lectiones.] Cum S. P. Benedictus lectiones in codice legi præcipiat, recte ex hoc loco Haeftenus infert psalmos sine libro memoriter ex mente S. legislatoris esse cantandos: optime enim distinxit inter duos hosce loquendi modos; *legantur*, et *dicantur*. Priori utitur S. Pater cum de psalmis, posteriori cum de lectionibus agit. Et sane id evincit antiqua veterum monachorum consuetudo, psalterium aliosque sacræ paginæ libros memoriæ commendandi: « Volens renuntiare sæculo, inquit S. Pachomius (*In Regul. art.* 26), ... manebit paucis diebus foris ante januam, et docebitur orationem dominicam, et psalmos quantos potuerit discere. » Et alibi (*Art.* 80): « Omnino nullus erit in monasterio qui non discat litteras, et de Scripturis aliquid teneat, quod minimum est, usque ad Novum Testamentum et Psalterium. » S. Basilius (*In Animadv. num.* 1): « Si quis integra corporis valetudine orationes facere, aut psalmos memoriæ mandare neglexerit, excusans excusationes in peccatis, hic a cæterorum consortio segregetur, aut hebdomadam unam jejunet. » S. Ferreolus: « Omnis qui nomen vult monachi vindicare, litteras ei ignorare non liceat; quin etiam psalmos totos memoriter teneat; neque se quacunque excusatione defendat quominus sancto hoc studio capiatur. » S. Hieronymus Rusticum monachum instituens (*Epist.* 4): « Nunquam de manu et oculis tuis recedat liber; discatur Psalterium ad verbum. » Et alibi de Ægyptiis monachis loquens (*Epist.* 22): « Quotidie aliquid de Scripturis discitur. » Et iterum (*In psal.* CXXXIII): « Solent monachi hoc inter se habere certamen, ut plures ediscant Scripturas, et in eo putent se esse meliores, si plures edidicerint. » Et certe sæculo IV in quodam parthenone S. Eupraxiæ se suscipi roganti, respondit abbatissa (*In ejus Vita Boll.* 13 *Mart.*): « Filia, si vis hic permanere, litteras habes discere et Psalterium. » S. Apollinaris (*In ejus Vit. apud Boll.*, 5 *Janu.*), quæ sæculo V obiit, in monacham consecrari desiderans, parentes rogavit, « unam adducerent monacham, ut eam doceret Psalterium, et legere; » qui « paucis post diebus adduxerunt ad eam monachas, **270**
quæ eam docuerunt Psalterium, et legere Scripturas. » S. Sabas in monasterio Flavianæ admissus (*In ejus Vit. n.* 4, *tom.* III *Mon. Eccl. Græc.*), « brevi tempore Psalterium, reliquasque didicit cœnobiacæ regulæ constitutiones. » Anastasius Persa monachus (*In ejus Vit. n.* 12, *Boll.* 22 *Januar.*) ad conversionem veniens, cuidam fratri traditus legitur, « qui docuit eum litteras, simul et placitam Dei doctrinam, simul cum psalterio. » De nostris patet ex dictis cap. superiori, et in lib. I de Antiquis monach. Ritibus c. 6. Sed quid quod ab ipsis presbyteris et episcopis exigeretur ut Psalterium discerent? Certe S. Gregorius (*Lib.* XII *Regist.*, *ep.* 6) Rusticum diaconum electum in episcopum, eo quod psalmos ignoraret, noluit ordinari, nisi prius diligenter inquisitum esset quantos psalmos minus teneret. Idem S. doctor (*Lib.* IV, *ep.* 45) Andreæ Scholastico ita scribit: « Sed nec Joannem presbyterum psalmorum nescium præsumpsimus ordinare; hæc enim res minus sui profectus habere studium demonstrabat. » Unde mirari subit quod scribit Walfridus Strabus (*Lib. de Reb. eccl.*, *cap.* 25), psalmodiæ memoriter exercendæ ante sua tempora usum rariorem fuisse, « ut de novissimis pene Romanorum præsulibus, inquit, et qui nec ducentis annis nostra tempora præcesserunt, quasi memorabile quiddam et singulare scribatur, si qui eorum prædictis in rebus eminentiores cæteris viderentur.... De Gregorio autem tertio velut inauditum quiddam, et novum refertur, quod omnes psalmos memoriter tenuerit. »

Ut autem ad propositum revertamur, cum omnes veteres monachi Psalterium ex corde discerent, ut hactenus demonstratum est, et alioquin rariores illo tempore forent codices manu exarati (nam, verbi gratia, in Centulensi monasterio, in quo trecenti minimum erant monachi cum centum pueris, non nisi septem psalteria habebantur, ut constat ex librorum ejusdem monasterii catalogo anno 831 facto), manifestum est psalmos a nostris ex corde decantatos fuisse: unde etiam antiquæ Germaniæ Consuetudines mss. præscribunt (*Num.* 13), ut lectori provideatur ab oratorii provisore candela, abbati ab armario, eo quod prius psalmos in tenebris sine lumine, ac proinde sine libro cantarent.

Lectiones autem a fratribus *vicissim* recitari voluit S. Benedictus, « id est per vices, alternatim, vel mutuo, id est tunc iste, tunc ille; nunc hinc, nunc inde, » inquit Smaragdus; sive, ut ait Bernardus Cassinensis, « alternative sibi succedendo, » ita ut nunquam duas unus et idem legat lectiones, unde et ad singulas petitur benedictio, quam iterare necesse non esset, si unus et idem plures consequenter legere deberet lectiones. Et certe id postulabat summa S. Patris discretio, ne forte nimium laborarent in legendo, maxime cum prolixiores tunc temporis essent lectiones, nec ita facile esset legere in codicibus manuscriptis. *Vide* lib. II de Antiquis monachorum Ritibus cap. 1.

Super analogium.] Quid sit analogium describit in prima expositione Boherius his verbis: « Vocatur hic analogium locus altus supra chorum, ubi stant libri sanctæ prædicationis, ut sunt legendarii, sive lectio-

narii, qui continent sermones SS. doctorum. » Apte omnino si nominis **271** etymon attendamus: ἀνὰ Græce *sursum* Latine, et λόγος *sermo* dicitur; unde etiam S. Isodorus (*Lib.* xv *Orig.*, *cap.* 4), « analogium, infit, inde dictum est, quod sermo inde prædicetur, nam λόγος Græce *sermo* dicitur, quod et ipsum altius situm est. » Aliis tamen analogium est pulpitum, quod supponitur libro. Glossæ Isidori: « Lectrum analogium super quo legitur. » Et rursum: « Pulpitum, analogium, lectrum. » Unde Gregorius Turonensis describens analogium basilicæ S. Cypriani martyris (*Lib.* I *de Gloria martyr.*, *c.* 94): « Analogius, in quo libro superposito cantatur, aut legitur. » In antiqua delineatione monasterii S. Galli tria habebantur in choro analogia; duo ex utraque parte ad legendum in nocte, et tertium paulo inferius in medio choro ad Evangelium.

Inter quas et tria responsoria canantur.] De responsoriis ita scribit S. Isidorus (*Lib.* I *de Offic. eccl.*, *cap.* 8): « Responsoria ab Italis longo ante tempore sunt reperta, et vocata hoc nomine, quod uno canente chorus consonando respondeat: ante autem id solus quisque agebat; nunc unus, interdum duo, vel tres communiter choro in plurimis respondente. » Ruperto vero, « responsoria dicuntur, quia respondent lectionibus, tristia tristibus, læta lætis; vel quia choro respondente cantantur. » Ita etiam fere Nicolaus de Fractura.

Quod autem dicit S. Isidorus (*Lib.* VIII, *cap.* 8) responsoria ab Italis fuisse inventa, auctor est tamen Sozomenus S. Joannem Chrysostomum responsorias cantiones instituisse ad æmulationem Arianorum, qui in cœtus distributi, alternatim et ad modum responsoriorum canebant, et corollaria adjiciebant in gratiam suæ sectæ composita.

Duo responsoria sine Gloria *dicantur. Post tertiam vero lectionem, qui cantat dicat* Gloria.] « Priscis temporibus non cantabatur *Gloria* post versum, sed repetebatur responsorius, » inquit Amalarius (*De Ordine antiph.*, *cap.* 2), sed B. Benedictus saltem in tertio responsorio decantari voluit, narratque Walfridus (*De Rebus eccl.*, *c.* 25) crebrius a Romanis in responsoriis usurpatum fuisse; sed et concilium Toletanum IV redarguit eos qui in responsoriis non adhibebant *Gloria Patri*; statuitque cum hac discretione esse canendum (*Can.* 15), « ut in lætis sequatur *Gloria*, in tristioribus repetatur principium; id quod est adhuc in usu, unde nec dicitur in officio defunctorum ex conc. Aquisg. c. 66, nec a dominica Passionis usque ad Pascha; quia tunc temporis vituperium et injuriæ Trinitatis in personam Filii recitantur, inquit Boherius; licet hoc contra regulam esse asserat Hildemarus in cap. 14, aitque in suo monasterio semper dici *Gloria* in fine responsorii, præterquam in triduo ante Pascha, quo, juxta definitionem concilii in Francia celebrati, Romanum dicebant officium.

Codices autem legantur in vigiliis tam Veteris Testamenti quam Novi divinæ auctoritatis.] Hic aperit S. Pater unde lectiones in nocturnis recitandæ desumi debeant, scilicet a codicibus Veteris ac Novi Testamenti divinæ auctoritatis: divinæ, inquit, auctoritatis, id est quos tanquam vere canonicos **272** agnoscit Ecclesia, quales sunt ii quorum indicem contexuit Tridentina synodus (*Sessione* 4). Horum per anni circulum legendorum ordinem distribuisse fertur Gelasius papa in concilio Romano cum septuaginta episcopis, quod probant ex Gratiani decreto dist. 15, cap. *Sancta Romana Ecclesia*. Ea tamen quæ hac de re habentur in dicto Gratiani decreto, in ejus mss. haud reperiuntur; scribitque Theodemarus ante Gregorium papam in Ecclesia Romana Scripturas non esse lectas.

Sed et expositiones earum quæ a nominatissimis doctoribus orthodoxis et catholicis Patribus factæ sunt.] « Non dixit a nominatis, inquit Hildemarus, sed a nominatissimis; quia fuerunt multi nominati, et tamen in eorum libris inventus est error; et ideo dixit a nominatissimis, ac si diceret, illorum doctorum legant expositiones quorum in libris non invenitur error, sicut est Augustinus, et Gregorius, sive Ambrosius, et cæteri alii Patres catholici. » Nicolao de Fractura doctores nominatissimi sunt Gregorius, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius. Addit tamen: « Alii enim doctores, ut est Hilarius, Basilius, Joannes Chrysost., Gregorius Nazianzenus, Beda presbyter, nominatissimi similiter possunt dici, ex eo quod eorum dicta sunt ab Ecclesia approbata, etc. »

Hujusmodi expositiones in Ecclesia legi, dummodo sincerus et optimus fiat earum delectus, tanquam pium et utile satis approbat S. Gregorius, Joanni Ravennensis Ecclesiæ subdiacono sic scribens (*Lib.* x, *ep.* 22): « Illud quod ad me quorumdam relatione perlatum est, quia reverendissimus frater et coepiscopus meus Marianus legi commenta B. Job publice ad vigilias faciat, non grate suscepi; quia non est illud opus populare, et rudibus auditoribus impedimentum magis quam provectum generat. Sed dic ei ut commenta Psalmorum legi ad vigilias faciat, quæ mentes sæcularium ad bonos mores præcipue informant. » Ex quibus verbis observare licet nondum in Ecclesia ordinata fuisse lectionaria, ut vocant, ex SS. Patrum homiliis compilata; sed in arbitrio episcoporum et prælatorum fuisse, assignare libros unde lectiones desumerentur. Primus id feliciter aggressus esse videtur Carolus Magnus imperator, qui per manum Pauli diaconi Cassinensis duo volumina ex SS. Patrum homiliis et sermonibus per anni circulum legenda confecit, cum hoc titulo: *Opus præclarum omnium homeliarum et postillarum venerabilium ac egregiorum doctorum Gregorii, Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Bedæ, Herici, Leonis, Maximi, Joannis episcopi, atque Origenis integraliter de Tempore et de Sanctis per totius anni circulum, cum quibusdam eorum sparsim interpositis sermonibus hinc inde suis locis collectis, et coaptis temporibus in partem hiemalem ac æstivalem divisum.* Quod quidem opus ab Alcuino adornatum Paulus Diaconus jussu Caroli Magni elimavit. Exstat (*Tom. I Anal.*) ea de re epistola Caroli omnibus religiosis lectoribus suæ ditionis, quam publici juris fecit noster Mabillonius, in qua asserit « ad nocturnale officium compilatus quorumdam casso labore, licet recto intuitu, minus tamen **273** idonee lectiones. » Antequam vero prædictum lectionarium Paulus concinnaret, auctorum eorum quorum homiliæ recitabantur in divinis officiis, nomina haud præcinebantur, uti Carolus in præfata epistola est auctor.

De passionibus SS. martyrum ne quidem mentionem facit S. Benedictus. Usus tamen in nonnullis Ecclesiis jam invaluerat ante ejus tempora eas in Ecclesia publice legendi; cujus rei præclarum habemus S. Augustini testimonium in serm. 2 de S. Stephano, ubi sic loquitur (*Serm.* 315): « Cum aliorum martyrum vix gesta inveniamus, quæ in solemnitatibus eorum recitare possimus, hujus passio in canonico libro est. » Et certe in concilio Carthaginensi III, sub finem sæculi IV celebrato, permissum fuerat *legi passiones martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur.* In Regula etiam S. Cæsarii ad virgines apud Boll. n. 69 (*Jan.* 12), decernitur, ut « quando festivitates martyrum celebrantur, prima missa de Evangeliis legatur, reliquæ de Passionibus martyrum. » Idem habetur in Regula S. Aureliani in ordine psallendi; et in Regula S. Ferreoli cap. 18. Gravis igitur existit error Agobardi episcopi Lugdunensis, qui in opusculo de veteri ritu canendi psalmos, et de correctione antiphonarii nihil divinis in officiis audiri debere propugnat, nisi sacram Scripturam, ne, inquit, ignem alienum offeramus Deo. Errandi occasionem præbere potuit concilii Laodiceni canon 59, quo prohibetur alios quam sacros et canonicos libros, quos sigillatim recenset, legi.

Post has vero tres lectiones cum responsoriis suis,

sequantur reliqui sex psalmi cum alleluia canendi.] Ad instar sancti illius angeli, qui cum in conventu Ægyptiorum monachorum undecim psalmos decantasset, duodecimum sub *alleluia* responsione consummans, ab universorum oculis repente subtractus est (*Cassian. lib.* II, *cap.* 5).

Post hos lectio Apostoli.] Pauli scilicet, qui semper intelligendus est cum vox *Apostoli* sine addito auditur.

Ex corde recitanda.] Id est memoriter, et sine codice, « in hoc ostendens, inquit S. Hildegardis, quod cum fratres lectionibus et meditationibus inserviunt, ea quæ in divina Scriptura necessaria habent, memoriæ commendent, ita ut cum opportunum tempus institerit, aut cum necessitas se immerserit, absque materialiter scripto illa in medium proferant, quemadmodum et prædictas lectiones (scilicet quæ cap. 9 et 10 præscribuntur) ex corde et memoriter, id est sine libro, quoniam breves sunt, recitabunt, ne in brevitate earum impedimentum sustineant, si aut codicem ad legendum, aut lumen ad videndum in promptu non habuerint, etc. » Cujus expositionem B confirmat Regula Magistri cap. 44 : « Lectionem vero cui jussum fuerit, ut ex animo recitet non ex codice legat, nisi in vigiliis solummodo, hoc est quod constituimus, ut frequentius aliqua meditentur, et memoria teneant Scripturas fratres, ut quando in quovis loco, quod ex deesse (*Sic*) **274** textum lectionis vel paginæ, si opus fuerit, memoria recitetur. » Ex quibus A patet quam male quidam exponant *ex corde*, id est *cum magno devotionis affectu*, maxime cum contrarium ex sequenti capite eluceat.

Supplicatio litaniæ.] Per supplicationem Bernardus Cassinensis et Boherius in utraque expositione inclinationem aut genuflectionem intelligunt, forte quia ad litaniam olim genua flectebant, sicuti præscribitur in capitulo 7 monachorum Sangallensium, « ut finitis cursibus, incœpturi *Kyrie eleison* genua flectant, et non ante surgant quam SS. Trinitatis vocabulis perdictis, presbyter dicat, *Per omnia sæcula sæculorum. Amen.* »

Quid autem sit litania exponit ipse S. P. Benedictus cum subjicit, *id est Kyrie eleison ;* quo sensu sumitur in Græcis SS. Jacobi, Basilii, et Chrysostomi liturgiis. De hac voce ita definit concilium Vasionense sub Leone Magno (*Can.* 2) : « Et quia tam in sede apostolica quam etiam per totas Orientales atque Italiæ provincias dulcis et salubris consuetudo intromissa est, ut *Kyrie eleison* frequentius cum grandi B affectu ac compunctione dicatur; placuit etiam nobis ut in omnibus ecclesiis nostris ista consuetudo sancta, et ad matutinum, et ad missas, et ad vesperam Deo propitiante intromittatur. » *Vide* Joan. Bona de Divina Psalmod. cap. 14, § 4.

Et sic finiantur vigiliæ nocturnæ.] Per collectam sive orationem, quæ semper divinum terminabat officium.

CAPUT X.

Qualiter æstatis tempore agatur nocturna laus.

A Pascha autem usque ad calendas Novembris [a], omnis (ut supra dictum est) psalmodiæ quantitas teneatur : excepto quod lectiones in codice, propter brevitatem noctium, minime legantur [b]; sed pro ipsis tribus lectionibus, una de Veteri Testamento memoriter dicatur [c], quam breve responsorium subsequatur; et reliqua omnia, ut dictum est, impleantur; id est, ut nunquam minus a duodecim psalmorum quantitate, ad vigilias nocturnas [d] dicatur [e] : exceptis tertio et nonagesimo quarto psalmo [f].

[a] Cass., *novembres.*
[b] Sabin., *excepto quod lectiones sine codice legantur.*
[c] Oxon., *memoria legatur.*
[d] Oxon., *noctis.*
C [e] Ita Oxon.; sed alii fere omnes codices mss., *dicantur.*
[f] Al., *psalmis.*

COMMENTARIUS.

275 *A Pascha autem usque ad calendas Novembris*, etc.] A Pascha, inquit, scilicet Resurrectionis, ad differentiam aliarum solemnitatum Domini nostri Jesu Christi, inquit Boherius, quas etiam quædam provinciæ Paschata vocant. Ita in antiquis Germaniæ Consuetudinibus mss., feria v in Cœna Domini Pascha appellatur.

Pro ipsis tribus lectionibus una de Veteri Testamento memoriter dicatur.] Huc spectare videtur illud D Guigonis Carthusiæ prioris statutum (*Cap.* 5) : « A Pentecoste usque ad Novembris calendas, una, nisi festum intersit, lectione sicut cæteri monachi contenti sumus. » Quod dicit *a Pentecoste*, ostendit toto tempore Paschali plures recitatas fuisse lectiones, et revera tres olim in omnibus passim monasteriis legebantur, uti observavimus in lib III de Antiquis monachorum Ritibus, cap. 18, quod etiam exemplo Romanæ Ecclesiæ tota æstate præstitisse Cassinenses constat ex Theodemari abbatis epistola ad Carolum Magnum. Scribit etiam Amalarius in Supplem. quod « in quibusdam monasteriis monachorum propter consuetudinem Romanam, ne penitus ab ea discrepent, ut historiam Veteris Instrumenti plenius in ecclesiis legant, æstatis tempore feria tantum 2, 3 et 4, tres lectiones aguntur; et aliis tribus diebus nisi sancti alicujus memoria fuerit, propter observationem Regulæ S. Benedicti una contentum est. » Sed Cistercienses adeo mordicus S. Regulæ legibus adhæserunt, ut toto æstatis tempore nullum omnino trium lectionum festum habeant, ut scribit cardinalis Bona (*De Divina Psalm. cap.* 18, § 4).

Hæc lectio, quam pueri apud Cluniacenses legebant ex Udalrico l. III, c. 8, apud Carthusienses cantor hebdomadarius ex Nova Collect. Statut., part. I, c. 16, ex Regulæ præscripto memoriter, hoc est D ex corde, sine libro recitanda est; adeoque brevis esse debet, brevior tamen aut prolixior pro brevitate aut prolixitate noctium. « Si quem autem movet, inquit Theodemarus (*Epist. ad Carolum Magn.*), quare B. Benedictus in æstatis tempore quotidianis diebus ad nocturnale officium unam tantum de Veteri Testamento lectionem legi præceperit, cognoscat necdum eo tempore in Romana Ecclesia, sicut nunc leguntur, sacras Scripturas legi morem fuisse; sed post aliquod tempus hoc institutum esse sive a papa Gregorio, sive, ut ab aliis affirmatur, ab Honorio. »

Unicam hic quæstionem movet Hildemarus, et post eum Bernardus Cass., Boherius, et Turrecremata, cur nimirum S. Pater unicam duntaxat lectionem mensibus Septembri et Octobri præscripserit, qui tamen æquales cum Martio et Aprili, in quibus tres instituit lectiones, habent noctes; aiuntque hoc potissimum factum esse ad sublevandos **276** fratres

ab illis magnis laboribus quos in colligendis frugibus et vindemiis subire coguntur. Adde quod quadragesimale tempus, in quod Martius et Aprilis solent incidere, ad solitum pensum aliquid addi postulabat : quanquam, si S. Benedicti attendatur intentio, nihil præter Regulam egerint bonæ voluntatis fratres, qui tres Septembri et Octobri lectiones in codice recitant, sicuti prædicti commentatores sentiunt.

Quam breve responsorium subsequatur.] Breve utique, quod ex uno alicujus psalmi versiculo componi solet, ut notat Boherius.

Ut nunquam minus a duodecim psalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicatur.] Eumdem psalmorum numerum tanquam sacratum et cœlitus acceptum etiam in dominica S. P. Benedictus retinuit; eumdem præscribit concilium Turon. II, can. 18; eumdem persolvebant ad vigilias et ad vespertinam synaxim Ægyptii monachi ex Cassian. l. II, cap. 5 et 6; eumdem S. Pachomio pro suis monachis ab angelo injunctum fuisse tradit Palladius in Laus. c. 38; eumdem et alii monachi observabant ex Regula Solitariorum. Deinde etiam, ut docet Hildemarus, obtinuit consuetudo per Ecclesias Africanas et Occidentales, ut duodecim psalmos ad vigilias nocturnas decantarent.

CAPUT XI.

Qualiter dominicis diebus vigiliæ agantur.

Dominico die [a] temporius [b] surgatur ad vigilias. In quibus vigiliis teneatur mensura, id est modulatis, ut supra disposuimus, sex psalmis et versu, residentibus cunctis disposite, et per ordinem in subselliis, legantur in codice, ut supra diximus, quatuor lectiones cum responsoriis suis. Ubi tantum in quarto responsorio dicatur a cantante *Gloria*. Quam dum incipit, mox omnes cum reverentia surgant. Post quas lectiones, sequantur ex ordine alii sex [c] psalmi cum antiphonis, sicut anteriores, et versus [d]. Post quos iterum legantur aliæ quatuor lectiones [e] cum responsoriis suis, ordine quo supra. Post quas dicantur tria cantica de prophetis [f], quæ instituerit abbas : quæ cantica dum **277** *alleluia* [g] psallantur, Dicto etiam versu, et benedicente abbate, legantur aliæ quatuor lectiones de [h] Novo Testamento, ordine quo supra.

Post quartum autem responsorium, incipiat abbas hymnum *Te Deum laudamus*. Quo perdicto [i], legat abbas lectionem de Evangelio, cum honore et tremore [j], stantibus omnibus. Qua perlecta, respondeant omnes, *Amen*. Et subsequatur mox abbas hymnum *Te decet laus*. Et data benedictione, incipiant [k] matutinos. Qui ordo vigiliarum, omni tempore, tam æstatis quam hiemis, æqualiter in die dominico teneatur : nisi forte (quod absit) tardius surgant [l], aliquid de lectionibus breviandum est aut responsoriis : quod tamen omnino caveatur ne proveniat. Quod si contigerit, digne inde satisfaciat Deo in oratorio per cujus evenerit neglectum.

[a] Oxon., *Dominicis diebus*.

[b] Ita in Oxon., Narb., S. Germ. ms., Bern. Cass., Boher. Sed alii communiter, *temperius*; quam vocem etiam usurpant aliquando quidam scriptores non infimæ Latinitatis.

[c] In Oxon. deest *sex*.

[d] Al., *versu*.

[e] Oxon., *dicantur tria cantica*, omissis intermediis.

[f] Al., *prophetarum*.

[g] Ebrul., *cum albis*.

[h] Flor., *Veteri*.

[i] Al., *dicto*.

[j] Cass., Flor., Affl., *timore*.

[k] Flor., Ebrul., Faron., Lyr., Affl., editio Veneta, *incipiat*; quam lectionem probat Menardus. In codice Narb. hæc periodus ita effertur : *Et subsequatur mox abbas hymnum : Te decet hymnum, te decet laus. Et de benedictione incipiant*, etc.

[l] Al., *surgatur*.

COMMENTARIUS.

Speciale sacris dominicarum vigiliis caput consecravit S. P. Benedictus. Hoc nimirum decebat noctes illas *reverendissimas*, ut eas vocat S. Columbanus; hoc postulabat præcipua inter alias hujus diei solemnitas et prærogativa : hæc est enim dies quam fecit Dominus, in qua lætari et exsultare omnes Christi fideles David invitat. « In hac die, inquit Boherius in primo comm., mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem et mors interitum, et vita accepit principium. Hæc est dies consecrata, dies Domini vocata, dies plena gratia, dies felix, dies chara, dies dulcis, non amara. » De ea pluribus in serm. 167 et 280, in Appendice S. Aug., ubi quanta hac die hominibus beneficia collata sint plene ostenditur, ac proinde quali cum reverentia celebrari debeat.

Dominico die temporius surgatur ad vigilias.] Quia solemnius prolixiusque est dominicarum vigiliarum officium, fratres solito citius surgere præcipit S. P. Benedictus, maxime propter brevitatem noctium æstivalium, in quibus, si consueta vigilias hora celebrarent, matutinas non *incipiente luce*, uti præscribit Regula, sed clara jam die decantarent. Neque enim omne tempus istud S. Benedicti de maturius surgendo statutum respicit; sed, si credimus Hildemaro, Bernardo Cassinensi, et Joanni de Turrecremata, solam æstatem. Unde etiam S. Pater postquam præcedenti capite de vigiliis æstatis **278** egit, hoc decretum consequenter edidit, in quo vigiliis eodem tenore subjungit matutinos incipiente luce dicendos, ad quod sufficit hieme octava noctis hora surgere.

Quantum vero solito temporius fratres surgere debeant S. Pater non aperit; at si mens ejus et intentio attendantur, habita ratione brevitatis aut prolixitatis noctium, ita temperanda accelerandaque est hora surgendi, ut matutini nocturnis vigiliis absque ullo medio intervallo conjungendi, incipiente luce, agantur. In Parisiensi autem S. Germani monasterio ante mediam noctem fratres olim surrexisse colligimus ex Aimonio ejusdem loci monacho in lib. II Mir. S. Germani, cap. 1, ubi quædam mulier dicitur « permissa in atrio ejusdem ecclesiæ ipsa nocte requiescere ; sed priusquam mediæ noctis spatium transmitteretur, evigilans, quasi quodam medicamine delibuta, per seipsam aggreditur ecclesiam, fratribus jam ex more vigiliarum solemnia celebrantibus. »

Quæ quidem verba de aliquo die dominico aut festo intelligi necessario debent, cum aliis diebus non ita cito surgerent. Idem fere de Floriacensi colligitur ex Adelerio in lib. Mir. S. P. Benedicti. In Centulensi etiam S. Richarii tempore Gervini abbatis piissimi, quidam prior Bevenardus nomine, antea infirmus, in festivitate S. Vigoris confessoris, « cum fratribus hora noctis duodecima in nocte intravit in chorum sanus et hilaris, » quemadmodum scribit Joannes de Capella in Vita S. Gervini n. 7 (*Boll. 3 Mart.*). Hancque olim fuisse communem monasteriorum consuetudinem discimus ex Amalarii Supplemento, in quo hæc habet : « Omnibus enim dominicis Resurrectionis diebus recte a monachis circa mediam noctem surgitur. » Et prius dixerat S. P. Benedictum id accepisse a S. Ambrosio, « cui, inquit, semper consuetudo fuit dominicis diebus ante horam noctis mediam surgere ; quod hymnus ejus demonstrat : *Surgamus omnes ocius, Et nocte quæramus pium.* » In Cisterciensi vero anni 1420 capitulo generali statutum est ut dominicis festisque diebus una hora citius solito surgatur. Bursfeldenses, qui privatis diebus hora duodecima, hoc est media nocte surgunt, Dominicis festisque 12 lectionum hora undecima aut etiam maturius id præstant ex Cærem. cap. 3. Similiter Casalini dominicis festisque simplicioribus media circiter ante mediam noctem ; in majoribus autem et summis hora undecima præcise ex Cæremoniali ms. cap. 3.

In quibus vigiliis teneatur mensura.] « Quæ in omnibus habenda est, inquit Nicolaus de Fractura, sine qua nemo recte vivit; unde dantur quidam versus magistrales sculpti in corona regis Franciæ.

> Sicut in omne quod est, mensuram ponere prodest,
> Sic sine mensura non stabit regia cura.

Et dicitur mensura quasi mentis cura. » Quid autem sit *teneatur mensura*, exponit dicens :

Id est modulatis, ut supra disposuimus sex psalmis **279** *et versu.*] *Modulatis*, id est suaviter decantatis ; nam, ut ait Smaragdus, « modulatio dicitur dulcedo vel suavitas cantus, quæ fit in modulata canora * vocis; » vel etiam *modulatis* secundum Bernardum Cassinensem, id est ad antiphonæ tonum decantatis : « Hæc autem modulatio, inquit, est quædam modi illatio, quæ habet fieri secundum tonum antiphonæ competentem. » Voluit ergo S. Bernardus ad opus Dei cantum adhiberi, non ad aurium delectationem, sed ad excitandam in suis devotionem. De cantu ecclesiastico hic plura dicendi locus foret ; at solum id observare libet quod refert Rabanus (*Lib.* II *de Instit. Cleric.*, *c.* 48) : « Primitiva Ecclesia ita psallebat, ut modico flexu vocis faceret resonare psallentem, ita ut pronuntianti vicinior esset quam psallenti : propter carnales autem, non propter spirituales consuetudo cantandi est instituta, ut quia verbis non compunguntur, suavitate modulaminis moveantur. » De utilitate cantus ecclesiastici vide Joannem Bona, de Divina Psalmodia, cap. 17.

Residentibus cunctis disposite et per ordinem in subselliis.] « Id est in humilibus sellis, quæ etiam scamna dicuntur, » inquit Boherius. Hic autem Smaragdus aliquam videtur ponere distinctionem inter sedes, cathedras et subsellia, ut sedes sint regum, cathedræ doctorum, subsellia cæterorum hominum.

In quarto responsorio dicatur Gloria.] In antiquis Germaniæ Consuetudinibus mss. præscribitur, ut uniuscujusque nocturnæ quartum responsorium post *Gloria* a capite repetatur, et excelsius cantetur. »

Quam dum incipit mox omnes cum reverentia surgant.] Quid sit cum reverentia surgere explicat Hildemarus his verbis : « Non debent festinanter surgere, sed honorifice et inclinato capite tandiu debent incurvi sistere quousque dicat cantor *Spiritui sancto.* » Eodem modo Bernardus Cassinensis reverentiam illam explicat de supplicatione et inclinatione, quæ quidem talis esse debet, ut manus super genua poni possint; et « qui plus aut minus fecerit, inquit Hildemarus, debet duci per gradus. » Quid sit duci per gradus diximus alibi.

Post quas lectiones sequantur ex ordine alii sex psalmi, etc.] « B. Benedictus ad perfectioris vitæ culmen aspirans, inquit Joannes Belethus (*Explic. divini offic.*, *c.* 23), sex psalmos in nocturno primo cantari, et quatuor lectiones cum quatuor responsoriis instituit, totidemque in secundo, ut per hoc nobis duplicem vitam, contemplativam et activam, aperte innueret; nam senarius numerus psalmorum vitam nobis indicat activam, in qua sane convenions est sex opera misericordiæ exercere, si ad perfectionem vitæ contemplativæ feliciter pervenire velimus, quæ itidem ut per quatuor Evangelia, ita hic per quatuor exprimitur lectiones. »

Tria cantica de prophetis, quæ instituerit abbas.] Addit Nicolaus de Fractura *cum consilio sui capituli*; quæ cantica tempori aut festivitati quæ celebratur debent congruere : aliquando **280** tamen canticorum loco psalmos decantatos fuisse reperimus. Ita in ms. Consuetudinibus S. Germani a Pratis in festo Dedicationis, ubi pro canticis assignantur psalmi *Lætatus sum*, *Nisi Dominus*, et *Lauda, Jerusalem.* Quid autem differant canticum et psalmus docet S. Isidorus his verbis (*Lib.* I *de Offic. eccl.*, *c.* 4) : « Canticum vox humana est; psalmus vero qui canitur ad psalterium. » Vide Joannem Bona, de Divina Psal., cap. 16, § 12.

Dicto versu, et benedicente abbate, legantur aliæ quatuor lectiones de Novo Testamento ordine quo supra.] Non tamen de Evangelio, alioquin fratres stare præciperet.

Incipiat abbas hymnum Te Deum laudamus.] Cujus auctores Ambrosium et Augustinum vulgus facit, dum hic ab illo baptizaretur, sicuti prænotatur in Dacii Chronico, lib. I, cap. 10. Verum cum illud Chronicon stylo Dacii tempora non redoleat, et alioquin falsa plurima contineat, illius fœtus non esse apud eruditos quosque pro certo habetur, ac proinde quæ de composito ab Ambrosio et Augustino hymno *Te Deum laudamus* narrantur, dubiæ omnino, ne dicam nullius, sunt fidei. Quis autem illius sit auctor hactenus incompertum est. Solus a Smaragdo et aliis quibusdam creditur Ambrosius. Sed in Abbonis abbatis Floriacensis epistola nondum edita tribuitur S. Hilario, ut docuit me, qui ex nostris novæ operum hujus sancti editioni adornandæ laborat.

Hujus hymni præter S. Benedictum meminere S. Cæsarius in Regula ad monachos, c. 21, et S. Aurelianus in Ordine psalm., qui illum ad matutinas laudes decantari decernunt. Hunc vulgatus Alcuinus in lib. de Offic. per ferias vocat *hymnum dominicalem*; forte quia a S. Benedicto et antiquis monachis omnibus omnino dominicis, ne quidem Adventus et Quadragesimæ exceptis, præter communem Ecclesiæ consuetudinem decantaretur : quod cum episcopi in Galliæ et Italiæ conciliis congregati minime probarent, interpellarentque abbates monachosque nonnullos cur in dominicis Adventus et Quadragesimæ *Te Deum laudamus* ad vigilias psallerent, « responderunt se pro nulla re illud agere, nisi ex B. Benedicti nominatissimi atque excellentissimi Patris præceptione, cujus etiam actus simulque dicta a summo Romanorum pontifice, videlicet Gregorio, haberentur descripta ac laudabiliter roborata. His denique comperti episcopi ** usus monachorum authentico ex

* Non video quomodo hæc phrasis explicari possit, nisi forte legatur *in modulato canore vocis.* Edit.

** Phrasis evidenter mendosa. Quid si legeretur : *His compertis usus*, etc., voce *episcopi* abstracta? Edit.

more viguit, » quemadmodum scribit Rodulfus Glaber (*Lib.* III *Hist.*, *cap.* 3). Neque tamen id solis S. Benedicti monachis singulare exstitit, cum talem consuetudinem *a quibusdam canonicorum ecclesiis* observatam fuisse doceat Amalarius in Supplemento ad lib. IV de Divinis Officiis (*Tom.* II *Anal.*); qui tamen in libro de Ordine Antiph., cap. 2, dicit, se interrogasse Romanæ Ecclesiæ magistrum, « si canerent per dominicas noctes *Te Deum laudamus;* » responsumque sibi esse · « Tantum in Natalitiis pontificum *Te Deum laudamus* canimus. »

Quo perdicto, legat abbas lectionem de evangelio.] **281** Idque cum planeta, orario, duobus candelabris, et thuribulo, ex Hildemaro, et Ruperto l. II in Regulam S. Benedicti, cap. 7, quem ritum retulimus in l. II de Antiquis monach. Rit., c. 1. Lectionem etiam S. Evangelii abbati, aut eo absente præpositis per vices committit Magister in Regulæ cap. 46, qua de observatione laudatur Gervinus, abbas Centulensis, ab Hariulfo in Chron. l. IV, c. 26. Multis tamen jam abhinc sæculis usus invaluerat, ut non abbas, sed sacerdos hebdomadarius Evangelium legeret : cujus consuetudinis rationem reddit Smaragdus his verbis : « Dicit enim : Incipiat abbas hymnum, lectionemque Evangelii legat. Tamen non hæc omnes debent valentque facere abbates : sunt enim qui aut impediente culpa non debent, aut impossibilitate nocente non valent. Igitur sunt abbates qui nec sacerdotis nec levitæ funguntur ministerio, et ideo nec sacrosanctum legere possunt Evangelium; cantoris non gestant officium, et ideo non possunt Ambrosianum alte boando hymnum incipere, gregem tamen cum superno juvamine possunt gubernare sibi commissum, et propterea eliguntur ad abbatis ministerium peragendum. » An vero ita se res habuerit apud primos vitæ monasticæ patres, aut tempore S. Benedicti, nos latet : constat tamen eos in synaxi frequenter Evangelium legisse, ut pote qui privatis diebus unam de Novo Testamento, dominicis et sabbato duas lectiones haberent, nec ita frequentes apud eos essent sacerdotes aut levitæ. An etiam absolute necessaria sit ad legendum in vigiliis Evangelium ordinatio, quæstio esse posset; quam solvit Boherius dicens : « Hæc lectio, quæ fit in vigiliis, potest competere non solum non ordinato, imo et mulieri; » et citat. art. ext. de pœnit. et remiss. cap. *Nova* et 20, q. 1, *Sanctimoniales*. Vide 16 c., q. 1.

Quare autem ad vigilias S. Evangelium legi jusserit S. Pater, declarat S. Hildegardis his verbis : « Dominicis autem diebus, et in aliis solemnitatibus post nocturnos Evangelium legi præcipiens, intelligi vult quod omni tempore, videlicet tam in nocte quam die nuntium Dei audiri, et compleri, et per illud Deo serviri debet; et ut etiam audito Evangelio monachi illius Evangelii recordarentur : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te;* et etiam hoc intendit, ut si quis pro raritate sacerdotum, seu præoccupatione alicujus impedimenti eo die missam habere, vel missæ interesse non poterit, lectum et auditum Evangelium sibi sufficiat. »

Cum honore et tremore stantibus omnibus.] Hæc verba, *cum honore et tremore*, possunt referri ad hæc præcedentia, *legat abbas lectionem de Evangelio*, vel ad subsequentia, *stantibus omnibus*. Ad priora referunt Hildemarus et Boherius in primo comm. Ad posteriora Bernardus Cassinensis et Nicolaus de Fractura : « Cum honore, inquit Nicolaus, quia omnes debent stare pedibus rectis, et caputiis amotis de capite, dum legitur lectio de Evangelio; cum tremore, quia cum magno tremore debemus intelligere et audire pœnas et præmia quæ nobis per Evangelium promittuntur. » Boherius econtra : « Cum honore, **282** inquit, quia indutus vestimentis sacerdotalibus, quia capite discooperto, quia in pulpito

A contra altare erecto, et cum lumine et incenso. » Similiter Hildemarus : « Cum planeta, orario, et candelabris duobus, et thuribulo. »

Stantibus omnibus.] Juxta antiquam atque ab apostolis traditam consuetudinem, cujus meminit Liturgia S. Marci : « State * audiamus S. Evangelium. » Missa S. Basilii : « Legitur Evangelium stantibus omnibus cum timore et reverentia. » Constitutiones apostolicæ apud Clementem (*Lib.* II, *cap.* 57) : « Cum legitur Evangelium, presbyteri et diaconi, universusque populus magno cum silentio stent. » S. Germani Theoria mystica : « Verbum Dei est, audiamus recti S. Evangelium. » Rodulfus, in Vita Rabani, n. 42 (*Sæc.* IV, *part.* II) : « Cum in ecclesia publice missarum agerentur solemnia, et lectio legeretur Evangelii stantibus omnibus juxta morem cum silentio et reverentia. » Idipsum ab Anastasio papa auctoritate apostolica firmatum scribit Anastasius Bibliothecarius in illius Vita, et Micrologus in lib. de Observ. eccles., c. 9. Exstat hac de re ejus constitutio in Gra-
B tiani decreto (*De Cons. dist.* 1, *c. Apostolica*) his verbis concepta; « Apostolica auctoritate mandamus, dum sancta Evangelia in ecclesia recitantur, sacerdotes et cæteri omnes præsentes non sedentes, sed venerabiliter curvi in conspectu S. Evangelii stantes, dominica verba attente audiant et fideliter adorent. »

Hujus ritus rationes esse possunt : 1° honor et reverentia S. Evangelii; 2° quod non deceat alios sedere stante S. Evangelii lectore, « qui sive abbas ipse, sive alius quilibet sacerdos ille sit, Domini nostri Jesu Christi personam gerit, » ut loquitur Rupertus (*Lib.* II *in Regul. S. B.*); 3° ut hac nostri corporis dispositione demonstremus, nos tanquam veros Dei servos ad ejus, quæ proferuntur, exsequenda mandata semper esse paratos.

Qua perlecta, respondeant omnes Amen.] Quæ vox est Hebraica, duplicem habens significationem · unam optantis, id est *fiat*, quo sensu sumitur ab Ecclesia
C in fine collectarum; alteram affirmantis, id est *verum est*, qua in significatione a S. P. Benedicto usurpatur, « quia, inquit Boherius, omnes debent ad verba Dei attendere, et ea per *amen* asserere vera esse, ut mens audientis concordet voci docentis. » Unde merito cum Smaragdo possis redarguere eos qui impudenti temeritate S. Patrem insimulare ausi fuerunt, quasi omnino inepte et incongrue *amen* in fine Evangelii præcepisset dici. Certe in missa Mozarabum in fine Epistolæ, prophetiarum et Evangelii respondetur *amen*. Sed et Alexander Alensis de eadem praxi ita scribit (*De Offic. missæ in* IV *parte Sum.*) : « Perlecto Evangelio, dicunt assistentes *Amen*, faciat nos Deus perseverare in doctrina Evangelii; alii dicunt *Deo gratias*, in gratiarum actionem pro beneficio tantæ doctrinæ et tam salutaris. » Et Joannes Belethus, doctor Parisiensis, qui quingentis circiter abhinc annis vivebat (*In Explic. divini officii*, *c.* 39) : « Lecto jam Evangelio, quisque debet dicere *Amen*, vel, ut alii volunt, recitato Evangelio statim dicamus opor-
D tet *Deo gratias*, quemadmodum post quamlibet lectionem sive capitulum; sed melius est ut dicatur *Amen*. » Obiter **283** hic referre juvat quod notat Boherius in secundo comm., S. Isidorum, Hispalensem episcopum, in officio missæ instituisse ut ad quamlibet petitionem orationis dominicæ clerus responderet *Amen;* sed ad hanc, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, responderet *Qui es Deus*.

Et subsequatur mox abbas hymnum TE DECET LAUS.] Qui idem esse creditur cum illo qui apud Clementem Romanum in Constitutionibus apostol. exprimitur his verbis (*Lib.* VII, *cap.* 49) : *Te decet laus, te decet hymnus, te decet gloria, Deum Patrem per Filium in Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.* Et tamen appellatur Ambrosianus hymnus in lib. I Mir. S. Ri-

* Legendum videtur *Stantes audiamus*. vel saltem sic distinguendum : *State, audiamus*, etc. EDIT.

charii abbatis, cap. 6, ab auctore antiquo descripto A (*Sæc.* II *Ben.*).

Et data benedictione incipiant matutinos.] Quid sit illa benedictio non consentiunt interpretes. Primo enim Columbanus Uranx significari existimat benedictionem quæ datur cum incipiendo matutinos dicitur, *Deus, in adjutorium*, quod tum signum crucis formetur per quod benedictio dari consuevit; postea vero ait hac benedictione designari psalmum LXVI, in cujus principio et fine dicitur, *Benedicat nos Deus.* Quod sine fundamento profertur. Secundo, « Quidam equidem, inquit in secundo comm. Boherius, et etiam Gratianus in canone, voluerunt hanc benedictionem intelligere de illa quæ datur ingredientibus et egredientibus coquinæ officium; sed illa nempe datur finitis matutinis, ut patet infra de septimanariis coquinæ. » Tertio, « Dabatur tunc forsan, addit idem Boherius, benedictio quæ hodie episcopis vel privilegiatis abbatibus est jure specialiter reservata; nam tunc etiam magis erat communis. » Sed huic sententiæ refragatur Bernardus Cassinensis his verbis : B « Benedictio non est illa quam pontifices solemniter faciunt, quia cuilibet abbati non competit illam dicere vel dare; sed benedictio illa appellatur oratio, quæ post Evangelium dici consuevit. » Aliud tamen a collecta esse benedictionem videtur indicare Amalarius in Supplemento sic scribens (*Tom.* II *Anal.*) : « Benedictio autem quæ post collectam recitante abbate Evangelium dicitur, et sic incipiunt matutinos, ostendit orationes nostras, etc. » Sed vereor ut legendum sit *per collectam*, non *post collectam* : nam benedictionis nomine orationem sive collectam intelligendam esse contendunt S. Hildegardis, Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Boherius in primo comm., Joannes de Turrecremata, Antonius Perez, Theobaldus Artaldus, Nicolaus Bravus, Benedictus Haeftenus, denique Joannes Bona cardinalis, qui mentem suam ita exprimit (*De Divin. Psal.*, *cap.* 16, § 17) : « Dubitavi sæpius, fateor, quidnam intelligeret B. Pater per benedictionem, quam dari vult an- C tequam laudes incipiantur. Nam omnes monachi collectam currentis officii legunt, post quam immediate subsequuntur laudes. Sed inveni tandem qui nodum solveret Amalarium Fortunatum : Episcopus, inquit (*Lib.* II, *cap.* 9), vel sacerdos dicit, *Oremus*, ac deinde subsequitur *benedictio*. Utroque nomine benedictionis et orationis vocatur oratio sacerdotis. De benedictione dicit Apostolus : *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicit amen super tuam benedictionem, quia* **284** *nescit quid dicas?* Hanc benedictionem vocat Ambrosius orationem, dicens : « Imperitus audiens quod non intelligit, nescit finem orationis, et non respondet *amen*, id est *verum*, ut confirmetur *benedictio*. » Idem paulo post confirmat auctoritate S. Augustini, benedictionem pro oratione usurpantis (*De Dono persever.*, *c.* 23) : « An quis sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit, *Da illi, Domine, in te perseverare usque in finem*, non solum voce ausus est, D sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potius super talem ejus *benedictionem* et corde credente, et ore confitente respondit, *amen*. » Certe ipse S. Pater Benedictus preces et orationes super coquinæ hebdomadarios, infra c. 35, et super lectorem mensæ dicendas, cap. 38, benedictionem appellat (*Constit. Mont. Oliv.*, I *part.*, *c.* 11). An vero ista benedictio dicenda sit ab abbate S. Pater non exprimit, quare in congregatione montis Oliveti dicitur ab hebdomadario.

Qui ordo vigiliarum omni tempore tam æstatis quam hiemis æqualiter in die Dominico teneatur.] Quod dicit *æqualiter*, intelligi debet quoad numerum lectionum, psalmorum, responsoriorum, etc., non vero quoad quantitatem seu morositatem rerum dicendarum, ut exponunt Bernardus Cassinensis et Boherius; nam licet duodecim dici lectiones tam æstate quam hieme debeant, non tamen ita prolixæ æstate atque hieme.

Nisi forte, quod absit, tardius surgant, aliquid de lectionibus breviandum est, aut responsoriis.] Idem fere decernitur in Regula S. Cæsarii ad virgines apud Bollandum (*Jan.* 12) : « Si vero evenerit ut tardius ad vigilias consurgant, singulas paginas, aut quantum visum fuerit abbatissæ legant, in cujus potestate erit ut, quando signum fecerit, quæ legit sine mora consurgat, ut canonicus missarum numerus possit impleri. » Quæ totidem pene verbis etiam exstant in Regula S. Aureliani in ordine psallendi. Sed sicut lectiones breviabant, si quando tardius surrexissent, ita e converso, cum citius, prolongabant; unde liber Usuum Cisterciensium : « Solet sacrista, cum se viderit temporius quam debuerant surrexisse, cantorem signo præmonere, ut duodecimam lectionem faciat prolongare. » Atque inde facile colligas, lectiones olim sicuti nunc exstant in nostris breviariis distinctas non fuisse; sed neque earum prolixitatem aut brevitatem definitam; verum proferebatur sacræ Scripturæ, aut alicujus S. Patris codex, in quo continuatim ita legebant, ut ubi unus desivisset, alter legere inciperet. Ita antiquæ Germaniæ Consuetudines mss. : « A calendis Novembris, inquiunt, privatis diebus, ad nocturnos, tres lectiones *continuatim* agant ex prophetis et cæteris bibliothecæ libris consuetum est : si natalitia SS. supervenerint, non aliud ob id agant. » Ergo Scripturam aliosque bibliothecæ libros *continuatim* legebant, hoc est sine ulla divisione aut distinctione lectionum, quas ad nutum abbatis terminabant, ut modo legebamus in Regulis S. Cæsarii et S. Aureliani : « Quantum abbati visum fuerit, tantum legatur; quando signum fecerit, qui legit sine mora consurgat. » Quale esset illud signum **285** non declarat. Veteres monachi in Ægypto, qui majores psalmos intercidebant, plausu manus super sedem edito finem cantandi faciebant : « Si quispiam juniorum, inquit Cassianus (*Lib.* II, *cap.* 11), vel pro fervore spiritus, vel pro eo quod necdum institutus est, cœperit modum decantationis excedere, psallentis progressio senioris interciditur plausu, quem dans manu sua in sedili quo sedet, cunctos facit ad orationem consurgere. » Nec dubito quin eodem prorsus modo lectiones terminarent. In regia Caroli Magni basilica lectiones terminabantur ad sonum gutturis ab ipso imperatore prolatum, ut videre est in lib. I de Ecclesiastica Cura Caroli Magni, in cujus cap. 7 hæc leguntur : « Finem vero lectionis sono gutturis designavit (Carolus imperator), ad quem universi ita intente suspensi erant, ut sive finita sententia, sive in media distinctione, sive subdistinctione significaret, nullus sequens superius aut inferius inciperet quantumcunque incongruum initium vel finis videretur. » In plurimis tamen monasteriis usus obtinuerat ut pridie lectiones terminarentur ab uno aliquo cui hæc cura demandata erat, qui singulis indicabat lectoribus quid quantumque quis legere deberet. Hic erat ut plurimum cantor sive armarius : « Lectiones ab armario pridie ante sint terminatæ et correctæ, » inquiunt mss. Consuet. Germaniæ. Et lib. Usuum Cisterc. (*Cap.* 11) : « Prima dominica Septuagesimæ... incipiatur lectio Genesis, vel aliorum librorum, ut diximus, ibi ubi cantor lectiones vigiliarum usque ad quadragesimam debere finire prævider it. » Et infra (*Cap.* 16) : « Librum Jeremiæ prophetæ his diebus tam in ecclesia quam in refectorio dividat cantor. » Vide Udal. l. I, c. 1. Finem vero lectionum aut cera apposita, aut ungue codici impresso notabant : « Nullus ad terminum vel ceram apposuit, vel saltem unguibus quantulumcunque signum impressit; sed cuncti omnia quæ legenda erant ita sibi nota facere curaverunt, ut quando inopinato legere juberentur, irreprehensibiles apud eum invenirentur, » inquit præfatus lib. de Cura eccles. Caroli Magni : quæ verba indicant contrariam apud alios consuetudinem.

Redeo ad S. Benedicti textum, qui non modo lectiones, sed etiam responsoria breviari imperat;

quod qui fieri possit, non facile est disserere. Existimat Bernardus Cassinensis breviari posse minus protrahendo, et cum minori nota, aut etiam in directum sine cantu recitando, addens tamen : *Qui melius videt, melius dicat.* Eadem est sententia Nicolai de Fractura. Censet nihilominus Boherius futurum nihil incommodi, si his in casibus lectionum aut responsoriorum minuatur numerus. Sed refragatur Hildemarus his verbis : « Non attinet ad numerum lectionum *brevietur*, sed ad quantitatem lectionum, ut quamvis duodecim sint, tamen breviores sint quam debet. » Duodecimum ergo sacratum numerum lectionum retinere voluit S. P. Benedictus, quem etiam olim observabant Ecclesiæ Gallicanæ ut patet ex liturgia Gallic., l. II, p. 106.

Quod si contigerit, digne inde satisfaciat Deo in oratorio per cujus evenerit neglectum.] Qualis **286** esse debeat illa satisfactio subticuit S. Benedictus, sed eam aperiunt aliquo modo commentatores : « Postquam completum fuerit matutinum, inquit Hildemarus, et postquam exierint, sive intraverint hebdomadarii coquinæ, ille per cujus evenerit neglectum tandiu debet stare in curvum ante altare, quoadusque fratres exeant foras. » Et Boherius : « Erit ibi prostratus in terram tandiu, donec arbitrio abbatis fuerit satisfactum; vel non imponet in choro utique psalmum et antiphonam, donec, etc.; vel erit forsan hæc oratorii punitio, quia non stabit in ordine suo in choro, sed in loco in quo aspici valeat ab omnibus confusive. » In ms. libro Usuum Beccensis monasterii decernitur : « Si contigerit ut tam tarde surgatur ad vigilias ut collecta de laudibus possit dici luce diei, debent omnes sacristæ satisfacere ibi in oratorio, ubi beatus jubet Benedictus. Dum dicitur ad laudes *Kyrie eleison*, prosternantur in choro et jaceant ibi donec dicat sacerdos post collectam *Per Dominum*. Post hanc satisfactionem non faciant aliam, quam qui facere voluerit, in capitulo debet emendari. » Bernardus Cassinensis et Nicolaus de Fractura existimant hoc in abbatis arbitrio esse relictum. Quidquid sit, certe duo hic dicit S. Benedictus : 1° ut digna sit satisfactio, *digne inde satisfaciat*, id est secundum gravitatem aut levitatem negligentiæ; nam cujus major est negligentia, ex Hildemaro non solum ad matutinum, sed etiam ad primam vel tertiam satisfacere debet : cujus minor, ad matutinum duntaxat : gravitas autem negligentiæ, ex eodem Hildemaro, repetitur vel ex temporis prolixitate, quo tardius surrexerunt, vel ex affectu et intentione fratris negligentis; 2° ut satisfactio fiat *in oratorio*, « ut quia in omnibus fratribus negligenter agens deliquit, jussit Smaragdus, ab omnibus satisfaciens videatur, et pro ejus delicto omnibus Cunctipotentis imploretur misericordia. »

CAPUT XII.

Quomodo matutinorum solemnitas agatur.

In matutinis dominico die in primis dicatur sexagesimus sextus psalmus sine antiphona in directum. Post quem dicatur quinquagesimus cum *Alleluia*. Post quem dicatur centesimus septimus decimus et sexagesimus secundus. Inde *benedictiones et laudes*, lectio una de Apocalypsi ex corde, et responsorium, et [a] Ambrosianum, versus [b], canticum de Evangelio, litania [c] : et completum est.

[a] Particula *et* desideratur in Flor. et duobus mss.

[b] Oxon., *versum*.

[c] Oxon., *litaniam*. Narb., *letaniam*. Cass., Flor. et quidam alii, *letania*. Nonnulli ab hac voce *lectio* reliquum caput exprimunt in accusativo.

COMMENTARIUS.

287 *In matutinis.*] Id est laudibus, quas matutinorum nomine appellabant veteres, a voce matuta, hoc est aurora, eo quod ea oriente inciperentur. Nunc vero matutinorum nomine intelligimus vigilias nocturnas, quas etiam ita appellatas olim fuisse probat Menardus noster ex conc. Turon. II, can. 18, et Mabillonius in lib. II de Antiqua Liturgia Gallicana. Atque ita Beda in Vita S. Cuthberti cap. 15 (*Sæc.* II *Bened.*) : « Omne, inquit, nocturnæ sive matutinæ psalmodiæ tempus stando persolvit ; » anonymus in Vita S. Austrebertæ n. 15 (*Sæc.* III, *part.* I) : Quadam die matutinis expletis, cum sorores fessis corporibus post laborem se in lectis collocassent. »

Dominico die in primis dicatur psalmus sexagesimus sextus.] Nulla hic mentio versus *Deus, in adjutorium*, quem ideo juxta Regulam prætermittendum censent Menardus et Haeftenus lib. VII, tract. 7, disq. 2 : moti præsertim hac loquendi ratione S. Benedicti, *in primis*. Crediderim tamen cum Boherio esse præmittendum; nam etsi de eo taceat S. Pater, cum tamen omnibus illud horis præmiserit, in animum inducere meum non queo, ad solos matutinos prætermisisse, præsertim cum nulla ratio id persuadeat; nam quod dicunt implicite contineri in duobus primis versiculis psalmi sexagesimi sexti, similes rationes de aliis horis proferri possent.

Psalmus sexagesimus sextus.] Hunc psalmum, quo a Deo illuminari super nos vultum suum rogamus, in primis dici voluit, ut sicut corporeo tunc sole incipimus illustrari, ita a vero Sole justitiæ Deo mens nostra illuminetur ad cognoscendam et sequendam viam veritatis et justitiæ. Et quia præcipuum animæ nostræ lumen in SS. Trinitatis fide præsertim situm est, hanc in tribus personis invocamus dicentes : *Benedicat nos Deus*, scilicet Pater ; *Deus noster*, scilicet Filius ; *benedicat nos Deus*, scilicet *Spiritus sanctus :* ubi obiter notandum est Filium inter alios dici *nostrum*, quia licet Pater ac Spiritus sanctus vere noster sint Deus, tamen propriissime Filius est noster per naturæ assumptionem, qua caro nostra et frater noster fieri dignatus est, uti observat Bernardus Cassinensis.

Sine antiphona in directum.] Quid sit dici sine antiphona, exponit dicens *in directum* , ut ibi nulla fiat certi toni modulatio, inquiunt præfatus Bernardus et Boherius.

Post quem dicatur quinquagesimus cum alleluia.] Psalmum quinquagesimum cum alleluia decantari præcipit, eodemque modo sequentes alios dicendos esse censet Hildemarus, licet id tacuerit S. P. Benedictus, cum omnes pene sint alleluiati. Nec mysterio vacat quod psalmum quinquagesimum ad pœnitentiam et luctum pertinentem **288** cum alleluia, voce utique exsultationis et lætitiæ, præcantari voluerit : hoc namque indicat pœnitentiæ lamentum habere semper annexum interioris lætitiæ jubilum, ut docet Bernardus Cassinensis. Vel etiam respexit ad sequentes psalmos, qui cum sint omnes fere alleluiati, noluit quinquagesimum ab iis discrepare : atque ita sentire Paulum Diaconum asserit idem Bernardus,

quamvis quem sub nomine Pauli Diaconi citare solet, Hildemarus id omnino taceat.

Post quem dicatur centesimus septimus decimus.] Qui agit de Christi resurrectione, quam die dominica colimus; ac proinde sicut a S. Benedicro, ita a SS. Cæsario et Aureliano in matutinis dominicarum dici præcipitur.

Et sexagesimus secundus.] Qui, ut notat Bernardus Cassinensis, duo continet huic horæ maxime congrua, nempe *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*; et, *in matutinis meditabor in te.* Qua forte ratione eumdem sanctis virginibus mane recitandum præscribit S. Athanasius in lib. de Virginitate, uti et Clemens in Constit. l. VI, c. 59, et S. Aurelianus in Ordine psallendi. Eumdem mane solitos fuisse decantare veteres monachos auctor est Cassianus lib. III, c. 3.

Inde benedictiones.] Benedictiones etiam ad matutinos dici decernunt S. Cæsarius in Regula c. 21, S. Aurelianus in Ordine psallendi, et Magister in Regula c. 39. *Benedictionis* etiam ad matutinos dicendæ fit mentio apud Greg. Turon. l. de Vit. Pat., c. 6. Quid autem sint benedictiones explicat Bernardus Cassinensis his verbis : *Benedictiones sunt cantica trium puerorum in Daniele.* Hoc est canticum illud quod virginibus illucescente die cantandum S. Athanasius instituit, quod Alcuinus Hymnum hymnorum vocat in lib. de Psalmorum Usu.

Et laudes.] Quid hic sint laudes aliquo modo colligitur ex S. Aureliano in Ordine psallendi, ubi præscribitur, « Post benedictionem, *Laudate Dominum de cælis : Cantate Domino canticum novum : Laudate Dominum in sanctis ejus.* » Et revera tres hosce psalmos sub uno *Gloria* dicendos hic a S. Benedicto per laudes intelligi docent commentatores; eosque in plurali *laudes* appellat, sive quia plures sunt psalmi, ut dicit in primo comment. Boherius; sive quia pluries ad laudes Creatoris invitamur. Hos psalmos mane recitabant Ægyptii monachi, testante Cassiano lib. III, c. 6. Sed et S. Cæsarius in Regula ad monachos c. 2 præscribit ut ad matutinos dicant *Benedictionem; Laudate Dominum de cælis.*

Circa hancce S. Benedicti institutionem ita scribit Petrus Damiani (*Opusc.* 10, *cap.* 2) : « Matutinum quinque laudibus constat, quatuor videlicet psalmis, et uno cantico; et congrue dum diurna lux erumpit, Deo laudes offerimus, quia sub exterioris lucis specie Solem justitiæ nostris dilucescentem cordibus exspectamus, et tanquam advenienti sponso tota gaudens atque tripudians occurrit Ecclesia, sic quinque laudibus, ac si totidem acceptis lampadibus adornata; et velut ultimæ jam exsultationis clamore in cordis aure concepto : *Ecce sponsus venit, exite obviam ei*, consequenter 289 specie tenus impleatur : *Tunc surrexerunt*, inquit, *omnes virgines illæ et ornaverunt lampades suas.* Quod autem in hujus matutinæ laudis officio canticum quotidie psalmis adjungitur, utriusque vitæ, contemplativæ scilicet et activæ, mysterium redolere videtur. Psalterium quippe vas in modum deltæ factum per decem chordas plectro pulsante crispatur; canticum vero solo duntaxat vocis organo exprimitur. Quapropter illud, quia manibus indiget, operationem, ac per hoc denotat vitam activam; istud vero, quia ad jubilum pertinet, contemplativam. Et quoniam contemplationi paulisper et raptim vix ad momentum insistere possumus, jugiter autem in activæ conversationis administratione versamur, jure pluribus psalmis unum tantummodo canticum interponimus : sicut autem a piæ operationis exercitio ad contemplationis culmen ascendimus, et post speculationis intimæ brevissimum punctum, mox ad ejusdem vitæ activæ ministerium declinamus, nimirum ut contemplatio nostra ab activa vita incipiat, et in eadem necessario terminetur; sic psalmis canticum nec præponimus, nec omnino supponimus; sed altrinsecus positis hoc semper penultimum collocamus. Porro autem quia per quatuor totius videlicet anni tempora, corpus nostrum ex quatuor nihilominus compositum elementis actionis exercitio fatigamus, idcirco quatuor psalmos in hujus matutinalis officii celebratione concinimus. Quia vero in speculationis excessu unum solummodo, quod profecto Deus est, quærimus, unum æque canticum decantamus. »

Lectio una de Apocalypsi ex corde.] Id est memoriter, sine codice recitanda : quæ lectio, ut docet Hildemarus, semper in omnibus Dominicis quacunque solemnitate in eas incidente, etiam Nativitatis aut Paschæ, debet esse de Apocalypsi. Quod si quis objiciat lectionem dierum ac temporum solemnitati respondere debere, fatetur quidem rem ita esse, sed tamen ex Apocalypsi facili negotio posse erui lectiones cuilibet festivitati congruentes. Idemque esse intelligendum cum S. Pater lectionem ex Apostolo recitandam instituit.

Et responsorium.] An dicendum cum *Gloria* S. Pater non aperuit; quapropter varius fuit hac in re diversorum usus. De Cisterciensibus suis ita loquitur Joannes Bona (*De Divin. Psalm. cap.* 18, § 4) : « Ad responsoria post capitulum non adjungimus *Gloria Patri;* horum enim nullam Regula mentionem facit. » Verum, etsi Regula taceat, ad mentem tamen S. P. Benedicti dicendum esse asserit Hildemarus; quia S. Benedictus semper in fine ultimi responsorii *Gloria* dici voluit : cum autem istud responsorium solum sit et unicum, censetur esse et primum et ultimum, ac proinde cum *Gloria* decantandum. Ita fere ratiocinatur Hildemarus ad cap. 14.

Canticum de Evangelio.] Quodnam sit istud canticum, Zachariæ an Mariæ, S. Benedictus non declarat; et licet communis jam usus et universalis Ecclesiæ invaluerit dicendi canticum *Benedictus* ad matutinos, a quo recedendum non censeo, invenio tamen apud veteres monachos etiam cantatum fuisse *Magnificat.* Ita S. Aurelianus in 290 ordine psallendi præscribit ad matutinos cum multis aliis dici « post benedictionem *Laudate Dominum de cælis; Cantate Domino canticum novum; Laudate Dominum in sanctis ejus,* cum *alleluia; Magnificat anima mea Dominum,* aut cum antiphona, aut cum alleluia, hymnum *Gloria in excelsis Deo*, et capitellum. » Ubi obiter notandum est hymnum angelicum *Gloria in excelsis Deo* etiam a S. Cæsario præscribi in Regula monachorum cap. 21, et ante ab Athanasio in libro de Virginitate. Similiter Alexander Acœmetus abbas instituisse dicitur, ut « officii absoluta acoluthia, lectionibus servatis, ministeriis peractis, hymnologiam SS. Angelorum nocte ac die septuagies septies decantarent : ea est autem *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax, in hominibus bona voluntas.* »

Et completum est.] « Scilicet cum benedictione, id est benedicamus; aliter enim populus, vel monachorum cœtus non debet juxta Agathense concilium ab ecclesia relaxari, » inquit Boherius in secunda expositione.

CAPUT XIII.

Privatis diebus qualiter matutini agantur.

Diebus autem privatis matutinorum solemnitas ita agatur : id est ut [a] sexagesimus sextus psalmus dicatur,

[a] Deest ut in Flor., Hild. et Comp.

tur [a], sine antiphona, subtrahendo modice sicut dominica [b]: ut omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum antiphona dicatur. Post quem alii duo psalmi dicantur secundum consuetudinem: id est, secunda feria quintus et tricesimus quintus; tertia feria quadragesimus secundus et quinquagesimus sextus; quarta feria sexagesimus tertius et sexagesimus quartus; quinta feria octogesimus septimus et octogesimus nonus; sexta feria septuagesimus quintus et nonagesimus primus; sabbato autem centesimus quadragesimus secundus et canticum Deuteronomii, quod dividatur in duas *Glorias*. Nam cæteris diebus canticum unumquodque [c] die suo ex prophetis, sicut

A psallit Ecclesia Romana, dicatur. Post hæc sequantur *laudes;* deinde lectio una Apostoli [d] memoriter recitanda, responsorium, Ambrosianum, versus, canticum de Evangelio, litania [e]: **291** et completum est. Plane agenda matutina vel vespertina non transeat [f] aliquando nisi in ultimo per ordinem oratio dominica, omnibus audientibus, dicatur a priore, propter scandalorum spinas quæ oriri solent, ut conventi [g] per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt, *Dimitte nobis sicut et nos dimittimus* [h]; purgent se ab hujusmodi vitio. Cæteris vero agendis ultima pars ejus orationis dicatur: ut ab omnibus respondeatur, *Sed libera nos a malo.*

[a] Deest *dicatur* in Hild.
[b] Oxon., *die dominico.*
[c] Flor., *unumquemque.*
[d] Sabin., *Apocalypsi.*
[e] Oxon., *litaniæ*, al., *letania.*
[f] Oxon., *transeant.*
[g] Quinque mss., *ut conversi.* Bern. Cass., *ut convicti.* Sabin., *ut cum venerint ad ipsius*, etc.
[h] Flor., Concb., Dion., Boher., addunt *debita nostra.*

COMMENTARIUS.

Diebus autem privatis matutinorum solemnitas ita agatur, id est ut sexagesimus sextus psalmus dicatur sine antiphona, subtrahendo modice sicut dominica.] Subtrahendo modice, id est non ita celeriter, seu etiam minus alte cantando, inquit Bernardus Cassinensis. Nimirum sicut ad vigilias psalmum XCIV protrahendo et morose voluit dici, ita ad matutinos psalmum LXVI.

Ut omnes occurrant ad quinquagesimum.] Non quidem jam incœptum, sed inchoandum; ita ut finita *Gloria* psalmi LXVI, omnes jam occurrerint, tardiusque venientes satisfaciant, uti post Hildemarum exponit Bernardus Cassinensis.

Qui cum antiphona dicatur.] De antiphonis ad reliquos psalmos nihil dicit S. P. Benedictus: hinc Joannes Bona de Cisterciensibus suis loquens (*De Divin. Psalm. cap.* 18, § 4), « ad laudes, inquit, unam duntaxat dicimus antiphonam, ad cujus tenorem omnes psalmos modulamur. »

Post quem alii duo psalmi dicantur secundum consuetudinem.] Quam ipse instituit, sive, ut loquitur Bernardus Cassin., « secundum consuetudinem monachorum qui tunc in ipso monasterio Cassinensi erant, » non autem aliarum ecclesiarum.

Id est feria secunda, etc.] Feriæ apud antiquos erant dies festi, a feriendis victimis, quas his diebus offerebant, sic dicti. Sed B. Benedictus per ferias hic intelligit dies privatos, sicuti a Silvestro papa ordinatum legimus in lectionibus quæ ad vigilias ejus festi recitantur: « Sabbati et dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies feriarum nomine distinctos, ut jam ante in Ecclesia vocari cœperant, appellari voluit; quo significaretur quotidie clericos, abjecta cæterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere. »

Quintus et trigesimus quintus, etc.] Hic quærunt cur interturbato psalmorum ordine, hos diversis e locis psalmos S. Pater elegerit. **292** Respondet Bernardus Cassin. et ex eo Boherius: 1° auctoritatem statuentis sufficere, cum homo spiritu omnium justorum plenus non sine rationabili causa ac mysterio hos præsertim ad matutinum psalmos elegerit: 2° cum Hildemaro in quolibet istorum psalmorum aut expresse, aut sub mysterio aliquid contineri quod ad horam matutinalem pertineat: id quod fusius demonstrat Hildemarus.

Nam cæteris diebus canticum unumquodque die suo sicut psallit Ecclesia Romana dicatur.] Id est eadem cantica quæ psallit Ecclesia Romana dicantur; vel sicut Ecclesia Romana aliquod canticum quotidie psallit, ita et nos, sive eadem, sive alia.

B *Lectio Apostoli memoriter recitanda.*] Quanti sit meriti huic Regulæ statuto obtemperare, disces ex lib. III Revelat. S. Gertrudis, c. 82.

Plane agenda matutina vel vespertina, etc.] Quid sit agenda docet Boherius his verbis: « Agenda nomen est substantivum; sic enim appellantur horæ canonicæ in quibusdam regionibus. » Et Menardus: « Agenda est officium alicujus horæ, officium divinum, cursus divini officii, anniversaria celebritas, opus Dei, ut infra hoc capite: *cæteris agendis;* S. Gregorii Antiphonarius: *In agenda mortuorum antiphona: Requiem æternam;* Anastasius Bibliothecarius in Leone secundo: *Sed et ne Mauri episcopi anniversitas seu agenda celebraretur.* »

Non transeat aliquando, nisi in ultimo per ordinem oratio dominica omnibus audientibus dicatur, etc.] Plurima hic et notatu dignissima præscribit S. P. Benedictus. Primo, ut ad omnes canonicas horas sub finem officii dicatur oratio dominica, idque propter

C excellentiam haud dubiam hujus orationis, quam tribus potissimum momentis commendat Boherius: 1° a dignitate, quia Magister magistrorum eam composuit; 2° a brevitate, et hoc multiplici, inquit, de causa; nam ideo est brevis, ut melius sciatur, ut facilius retineatur, ut ferventius dicatur, ut dicentem non tædeat, ut per ignorantiam nemo se excuset, ut Dominum cito audire innuat, ut plus affectu quam voce designetur orationem debere fieri; 3° a fecunditate, quia omnes petitiones in se comprehendit. Quod ultimum caput ita exponit S. Augustinus (*Serm.* 64, *in append.*) seu quivis alius: « Hæc oratio compendiosis verbis, id est septem petitionibus omnes species orationis comprehendit, quibus Deum interpellamus aut pro appetendis bonis, aut pro vitandis malis, aut pro delendis commissis. » Quæ tria fuse et apte ex SS. Patribus explicat Alardus Gazæus ad Cassiani collat. 9, c. 18. Et has forte ob prærogativas « mos apostolorum fuit, inquit S. Gregorius, ut ad ipsam solummodo orationem (dominicam) oblatio-

D nis hostiam consecrarent. » S. Clemens in Constit. apost. l. VII, c. 25 (*Epist.* 63), monet Christianos ut eam ter in die recitent. In concilio Toletano IV, can. 9, jubentur presbyteri ac cæteri clerici orationem dominicam, quia quotidiana est oratio, quotidie dicere. Denique in concilio Rhemensi **293** c. 2, legimus: « Nulli Christiano licere orationem dominicam aut non tenere memoriter, aut non intelligere, aut non frequentare. »

Secundo, præscribit S. Benedictus ut oratio dominica alta dicatur voce ad laudes et vesperas: id quod in concilio Gerundensi anno 517 celebrato

(Can. 10) decretum legitur his verbis: « Item nobis semper placuit observari, ut omnibus diebus post matutinas, et vesperas oratio dominica a sacerdote proferatur; » aitque Durandus (*Lib.* v *Ration.*, *cap.* 2) in primitiva Ecclesia post quamlibet horam absque alia oratione alta voce pronuntiatam fuisse, quod adhuc, inquit, Ecclesia Lateranensis dicitur observare. Eamdem alta voce in ecclesia cantatam fuisse innuit abbas Isaac apud Cassianum (*Collat.* 9, *cap.* 22), cum exponens illa verba, *Et dimitte nobis debita nostra*, etc., sic loquitur: « Tantum remittitur nobis quantum nos remiserimus eis, qui nobis quacunque malignitate nocuerant; quod formidantes nonnulli cum in ecclesia hæc oratio ab universa plebe concinitur, hunc locum taciti prætermittunt, ut semetipsos obligare potius quam excusare sua professione videantur. » Ubi quod dicit orationem ab universa plebe concini, respicere videtur illud S. Gregorii (*Lib.* VII, *ep.* 63): « Oratio dominica apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos autem a solo sacerdote, » scilicet in missa.

Tertio, ut dicatur *a priore*, « id est abbate, inquit Boberius, vel ipso etiam absente a priore claustrali, vel ab ipso tandem qui facit majus officium in altari; quia nimirum ille est prior omnium in officio altaris. » Ita etiam Aiardus Gazæus in suo ad Cassianum comm. lib. VIII, cap. 8, per priorem intelligit sacercerdotem hebdomadarium; sed verius cum Bernardo Cassinensi abbatem seu chori præsidem intellexerim, qui hoc in Cassinensi monasterio suo tempore abiisse in dissuetudinem asserit.

Propter scandalorum spinas quæ solent oriri.] *Quid* sint scandalorum spinæ explicat Smaragdus his verbis: « Scandalorum autem spinæ hoc in loco intelliguntur iræ, rixæ, dissensiones, detractiones, æmulationes, vel aliquæ contentiones, commotiones, quæ inter fratres solent oriri; a quibus inter se pacem habentes, charitatemque continuam conservantes, mane et in vespere monachi se debent purgare. »

Ut conventi.] Id est persuasi vel attracti, inquit Smaragdus, vel ut dicit Hildemarus: « Conventi, id est victi, fracti, superati, compulsi. » Vel tandem, ut ait Menardus: « Conventi, id est interpellati, nempe per orationis pactum et sponsionem; nam convenire est interpellare, » quod probat auctoritate Nonii Marcelli c. 4.

Per ipsius orationis sponsionem, etc.] Id est pactum quod Deus nobiscum, et nos cum Deo quasi fecisse dicimur, ut ipse dimittat nobis si dimiserimus, non dimittat si non dimiserimus. Hic respexisse videtur S. Benedictus ad eos qui, ut dicebat modo abbas Isaac apud Cassianum, cum dominica oratio ab universa plebe concineretur, locum hunc taciti prætermittebant, ne semetipsos obligare potius quam excusare sua professione videretur.

294 Porro circa hanc orationis dominicæ petitionem notandum, quod Pelagiani, qui se justos existimabant, orationem quidem dominicam recitabant; sed hanc petitionem, *Dimitte nobis debita nostra* non pro se, sed pro aliis dicebant; aut, si dicebant, tantum humilitatis causa; quos ideo damnavit concilium Milevitanum seu potius Carthagin. can. 7 et 8, et merito quidem: quis enim justificabitur in conspectu Domini vivens? « Quotidie vel cogitatione, vel verbo delinquimus, inquiunt Patres concil. Toletani IV, can. 9; quotidie hanc orationem effundere in conspectu Dei debemus. Quisquis ergo sacerdotum vel subadjacentium clericorum hanc orationem dominicam quotidie aut in publico, aut in privato officio præterierit, propter superbiam judicatus honoris sui ordine privetur. » *Vide* S. Aug. epist. 157, 176, 178, novæ editionis.

Purgent se ab hujusmodi vitio.] Scilicet rancoris, iracundiæ, dissidii, contentionis, sicuti locum istum explicat Hincmarus Rhemensis episcopus ad Rotrudem sic scribens (*Apud Flodoard. l.* III *Hist. Rhem.*, *cap.* 27): « Scitis quia Regula quam professæ estis, propter scandalorum spinas, quæ oriri in monasterio solent, orationem dominicam in matutinis et vespertinis officiis, ita ut omnes illam audiant, a priore orari præcipit, ut timentes convenientiam qua dicimus: Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, omnem rancorem de corde nostro pellamus. » Duabus porro de causis orationem dominicam alta voce decantari voluisse S. Benedictum post Hildemarum docet Durandus (*Lib.* III *Ration.*, *cap.* 3), scilicet propter simplices, et astutos. Propter simplices, ut audientes orationem dominicam, illam memoria retineant: sed hanc rationem merito refellit Haeftenus l. VII, tract. 8, disq. 3. Propter astutos, qui si taciti orationem dominicam recitarent, petitionem de dimittendis peccatis prætermitterent, ne forte duplici se vinculo ligarent.

Cæteris vero agendis.] Id est horis canonicis.

Ultima pars ejus orationis dicatur, ut ab omnibus respondeatur, Sed libera nos a malo.] Solis matutinis vespertinisque horis orationem dominicam alte pronuntiari voluit, quia nec oriri, nec occidere solem super iracundiam nostram desiderabat.

CAPUT XIV.

In natalitiis sanctorum qualiter agantur vigiliæ.

In sanctorum vero festivitatibus, vel omnibus solemnitatibus, sicut diximus dominico die agendum, ita agatur: excepto quod psalmi aut antiphonæ vel lectiones, ad ipsum diem pertinentes, dicantur. Modus autem suprascriptus teneatur.

COMMENTARIUS. 295

Natalitia sanctorum vocat hic S. P. Benedictus festivitates eorum; quas tribus potissimum de causis in Ecclesia celebramus. Primam assignat S. Augustinus (*Serm.* 220, *in append.*) seu quivis alius his verbis: « Quotiescunque sanctorum martyria celebramus, toties laudes Salvatoris edicimus; et quoties eorum asserimus passiones, toties Christi gloriam prædicamus: » ita propheticum votum adimplentes: *Laudate Dominum in sanctis ejus.* Alteram causam indicat S. Cæsarius, cum dicit (*Serm.* 225, *in append. Serm. S. Aug.*): « Solemnitates martyrum exhortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat quod celebrare delectat. » Tertia causa est ad eorum apud Deum implorandа patrocinia; quæ tria videtur notasse S. Bernardus cum in SS. festivitatibus tria nobis esse consideranda docet (*Serm. in vigil. SS. Petri et Pauli*), scilicet *auxilium sancti, exemplum ejus, confusionem nostram.*

Quare autem obitus sanctorum vocentur natalitia eorum, omnibus notum; nempe, quia « tunc incœperunt nasci ad vitam, cum vitam deposuerunt pro vita, » ut loquitur Petrus Damiani (*Serm.* 23).

In sanctorum vero festivitatibus vel omnibus solemnitatibus.] Licet festivitas et solemnitas idem fere sonent, ac promiscue pro invicem soleant usurpari, hoc tamen inter utrumque discriminis afferri posse censet Hildemarus, quod festivitas ad natalitia sanctorum, solemnitas ad Christi mysteria attineat;

ubi etiam observat haud vacare mysterio, quod S. Benedictus solemnitatibus præmiserit terminum universalem *omnibus*, ad festivitates prætermiserit: *In SS. festivitatibus*, inquit, *vel omnibus solemnitatibus;* quia non omnes sanctorum festivitates, sed tantum præcipuæ; omnes vero Christi solemnitates debent ab Ecclesia celebrari. « Solemnitates autem Christi, ex eodem, sunt Nativitas, Circumcisio, Apparitio, Præsentatio in templo, Cœna Domini, Parasceven, Sabbatum sanctum, Pascha, Ascensio, Pentecosten. Festivitates vero SS. quæ præcipuæ habentur, sunt duodecim Apostolorum, S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii, S. Mariæ in medio Augusti, S. Martini, S. Cæciliæ, S. Agathæ et S. Agnetis, et S. Benedicti in Quadragesimæ diebus; et in calendis Novembris celebratur festivitas omnium SS. Istæ omnes, quia per totum mundum celebrantur, ideo sunt præcipuæ. Deinde præcipuæ sunt omnium SS. qui in illa civitate requiescunt, ubi eorum corpora humata sunt. » Hactenus Hildemarus. Aliter Bernardus festivitates a solemnitatibus ita videtur distinguere, ut solemnitates ad Christi sive sanctorum festa præcipua; festivitates vero ad alia minus præcipua, de quibus officium 12 lectionum celebratur, pertinere videtur. Sed Hildemari sententiam, quam sequuntur Boherius et Menardus, quam etiam indicat Amalarius in Supplemento, præferrem.

296 *Sicut diximus dominico die agendum, ita agatur.*] Quem in locum Boherius: « Hoc, inquit, adverbium *sicut* notat identitatem in principiis et finibus vigiliarum; in mediis vero similitudinem ut sequitur, quia ad numerum et dicendi modum refertur. » Quasi diceret, hoc idem sit principium vigiliarum quod in dominica; nempe *Deus, in adjutorium; Domine, labia mea aperies:* psalmus tertius et nonagesimus quartus; idem sit finis nimirum *Te Deum; Te decet laus.* Psalmi vero, antiphonæ, lectiones, responsoria, non ad dominicam, sed ad ipsam diem pertinentes dicantur; ita tamen ut sicuti dominica duodecim psalmi totidemque lectiones dicuntur, totidem etiam in SS. festivitatibus omnibusque solemnitatibus dicantur.

Excepto quod psalmi, aut antiphonæ, vel lectiones ad ipsum diem pertinentes dicantur.] Hæc verba *ad ipsum diem pertinentes* duplicem sortiri possunt explicationem, scilicet ad ipsum diem festum qui celebratur et colitur, vel ad ipsum diem ferialem in quem incidit tale festum. Atque hunc postremum sensum, teste Bernardo Cassinensi, magna animorum contentione defenderunt olim nonnulli monachi, hoc præcipue nixi fundamento, quod integrum in septimana Psalterium recitari jubeat S. Benedictus. Sed huic opinioni duo opponit idem Bernardus Cassinensis: 1° contrariam consuetudinem, quæ legum optima est interpres; 2° quod S. Benedictus præcise non præcipiat dici integrum per hebdomadam Psalterium, sed centum quinquaginta psalmos, uti se ipse explicat. Potuisset addere S. Benedictum, cum Psalterium omni hebdomada decurri præcepit, non absolute locutum fuisse, sed hypothetice, posito scilicet quod festa non eveniant, quæ illis temporibus rariora erant.

Cæterum hæc Bernardi sententia, quæ vulgaris est, et pene omnium, his posset insuper argumentis firmari. 1° Quod non magis dicendi sunt psalmi

A feriales, quam lectiones et antiphonæ; nam eodem prorsus modo de his loquitur S. Benedictus. Porro quod nec lectiones, nec antiphonæ feriales dici debeant in vigiliis sanctorum, facili negotio demonstrari potest. Nam quoad lectiones, duodecim in festis præscribit S. legislator, ita ut quatuor ultimæ semper sint ex Novo Testamento; in feriis vero hiemalibus tantum tres, in æstivis unicam duntaxat ex Veteri Testamento. Quæro itaque ubi quatuor accipientur lectiones ex Novo Testamento in iis feriis in quibus Vetus legi Testamentum consuevit. Similiter quoad antiphonas, quas S. Pater dominicis ad primum secundumque nocturnum assignat, in feriis tantum ad primum: unde si antiphonæ feriales in sanctorum vigiliis dicantur, non reperio dicendas in secundo nocturno sicut in dominica, cujus tamen modum omnino servari S. Pater instituit. *Modus autem supradictus teneatur.* 2° Quod Cistercienses, qui Regulam S. Benedicti ad litteram sibi servandam proposuerant, in festis SS. ad omnes horas diurnas

B psalmos quidem feriales retinuerunt, sed ad nocturnos auctoritate hujus capitis convicti mutaverint; unde cardinalis Bona: « In vesperis, inquit, **297** nunquam psalmos feriales mutamus ad mentem Regulæ, quæ in festivitatibus psalmorum mutationem pro nocturnis tantum vigiliis permittit. » 3° Quod cum Aquisgranense concilium, nimis facilem quorumdam abbatum ordinem a S. Benedicto in officio institutum mutandi libertatem cohibere desiderans, statuerit (*Can.* 3), *ut officium quod in Regula S. Benedicti continetur, celebrent monachi*, feriales tamen psalmos haud retinuerit, ut facili negotio potest colligi ex Amalarii Supplemento paulo post prædictum concilium scripto. 4° Quod cum pontifices dispositum a S. P. Benedicto ordinem psalmodiæ haud mutare voluerint, ut docet Walfridus Strabo lib. de Reb. eccl. c. 25, nullo tamen probari potest exemplo aut facto psalmos feriales in aliquo ordinis Benedictini monasterio ad vigilias nocturnas sanctorum aliquando

C fuisse decantatos. Ad vigilias dico, nam de solis vigiliis agitur hoc capite, non de horis diurnis, in quibus feriales psalmos cantant Cistercienses. Isthæc argumenta alicujus mihi videntur esse ponderis, quæ nihilominus libero cujusque judicio, haud gravatim committo.

Modus autem suprascriptus teneatur.] In numero scilicet rerum dicendarum. Ex quo patet ad mentem Regulæ nulla de sanctis trium lectionum festa celebrari debere, sed tantum duodecim. Recte ergo Boherius in secundo commentario scripsit: « Quidam faciunt tres de quibusdam sanctis, et licet lectiones et responsoria recitentur de sanctis, psalmi tamen feriales dicuntur; sed talis quidem mixtura huic non concordat Regulæ; nec etiam probatur sanctorum festivitas nisi dicantur duodecim lectiones, ut in dominica, ad quam hic magister notanter remittit, qui etiam cupiunt hanc ad litteram servare Regulam, habent hoc modis omnibus emendare. » Et hac forte

D ratione in Cassinensium Declarationibus anno 1520 scriptis legimus, « de sanctis non debere fieri aliter quam duodecim lectiones aut commemorationem, præter quam infra octavas, quo tempore tres debent lectiones tantum dici. » Quandonam vero apud nostros incœperint festa trium lectionum non latet.

CAPUT XV.

Alleluia *quibus temporibus dicatur.*

A sancto Pascha usque ad Pentecosten [a], sine intermissione dicatur *alleluia*, tam in psalmis quam in responsoriis. A Pentecoste [b] autem usque ad caput [c] Quadragesimæ omnibus noctibus cum sex posterioribus psalmis tantum ad nocturnas dicatur. Omni vero dominica extra **298** Quinquagesimam cantica,

[a] Al., *Pentecosten*, omisso *ad*.
[b] Plures mss., *a Pentecosten*.

[c] Al., *in caput*; al. *caput*.

matutini [a], prima, tertia, sexta, nonaque, cum A alleluia, dicantur; vespera vero cum antiphona [b]; responsoria vero nunquam dicuntur cum alleluia, nisi a Pascha usque ad Pentecosten [c].

[a] Oxon., *a matutinis*; Flor., *matutinos*. Notat etiam Hildem. quosdam codices legere *ad matutinos*, quod ipse reprobat. Comp., *matutinæ*, al., *matutinæ*.

[b] Oxon., *ante fana*.

[c] Al., *usque Pentecosten*.

COMMENTARIUS.

Speciale S. Benedictus caput instituit de *alleluia*, tanquam de voce divina, vereque angelica, nec nisi ab angelis, aut certe ab hominibus vitæ puritate angelicos spiritus imitantibus decantanda. Hac nimirum voce cœlestes illi spiritus Deum in cœlis perpetuo collaudant, sicuti qui audivit eos, testatur Joannes evangelista (*Apocal.* XIX). Hanc inter homines primus decantasse perhibetur Aggæus propheta, qui, ut scribit Epiphanius (*De Vit. et mort. proph.*), *alleluia* cantavit anno ante Christum 517, B cum novam templi structuram vidit, ut adimpleretur quod venerabilis ille Tobias prophetico spiritu prædixerat: *Ex lapide candido et mundo omnes plateæ Jerusalem sternentur, et per vicos* alleluia *cantabitur* (*Tob.* XIII). Hanc in nova lege non modo clerici aut monachi celebrarunt, sed ipsi etiam reliqui Christi fideles, testante S. Hieronymo (*Epist.* 17): « Quocunque te verteris, arator stivam tenens *alleluia* decantat. » Hoc signo sanctimoniales ad collectam vocabantur, ut scribit idem S. Hieronymus (*Epist.* 27). Quin et ipsi infantes in hanc vocem linguam primum solvere docebantur, ut ex eodem colligitur (*Epist.* 7).

Quid autem sit *alleluia*, quidve significet, paucis docet S. Augustinus (*Serm.* 243, *in append.*) seu quivis alius: « Quid est *alleluia*? inquit, verbum Hebræum est. *Alleluia*, Laudate Dominum; *alleluia*, Laudate Deum. » Hebraicam tamen vocem retinuit Ecclesia, idque « propter sanctiorem auctoritatem quamvis interpretari potuisset, » ut loquitur idem C S. doctor (*Lib.* II *de Doct. Chr. cap.* 11). Quæ quamvis adeo celebris apud Christianos exstiterit, atque a SS. Patribus tantopere commendata, perversorum tamen jacula non latuit, suos passa adversarios, maxime vero Vigilantium, qui, ut scribit S. Hieronymus (*Advers. Vigil.*), *nunquam nisi in Pascha alleluia cantandum* esse dicebat; cujus fortassis in erroris odium toto fere anno *alleluia* decantari voluerit S. Benedictus edito hoc capite.

A sancto Pascha usque ad Pentecosten.] Quasi diceret, ab initio Paschæ usque ad finem Paschæ: totum enim paschale tempus, ut scribit Hildemarus, *Pascha* dicebatur.

Usque ad Pentecosten.] Et ejus octavam, ut interpretatur idem Hildemarus.

299 *Sine intermissione dicatur* alleluia, *tam in psalmis.*] Hoc est in fine psalmorum, inquit Boherius.

Quam in responsoriis.] Atque etiam in antiphonis D et versibus, nam eadem est ratio, quam confirmat praxis, ubi quod antiphonas spectat, aliquando in fine, aliquando initio ponebatur *alleluia*, verbi gratia: *Alleluia. Sancti tui, Domine*, etc. *Alleluia. In velamento*, etc. Solemne autem fuit toto hoc temporis interstitio ob Christi resurrectionem per universam Ecclesiam *alleluia* cantare, ut patet ex his S. Augustini verbis (*Epist.* 55): Ut autem *alleluia* per hos solos dies quinquaginta cantetur non usquequaque observatur; nam aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi; ipsis tamen diebus ubique. »

A Pentecoste autem usque ad caput Quadragesimæ.] Hoc est ad dominicam primam Quadragesimæ, qua incipiebat quadragesimalis observatio, saltem in Occidente; necdum enim quatuor illis præcedentibus diebus servabant jejunium, quod ex S. Gregorii papæ institutione originem ducere creditur.

Omnibus noctibus cum sex posterioribus psalmis tantum ad nocturnas dicatur.] Scilicet privatis diebus, sicuti præscribitur cap. 9. Nam dominicis sex posteriores psalmi cum antiphona sunt dicendi ex cap. 11, sola cantica cum *alleluia* cantanda.

Omni vero dominica extra Quadragesimam cantica, matutini, prima, tertia, sexta, nonaque cum alleluia *dicantur.*] Quem in locum Hildemarus: « Sunt, inquit, qui intelligunt *matutini* genitivum casum esse, ut sensus sit *cantica in matutino*; quia cantica pro psalB mis esse dicta intelligunt et dicunt. Illa vero cantica quæ ad vigilias jussit dici in dominica nihil impediunt, eo quod jam dixerat superius; sed melius est ut *cantica* sit nominativus; similiter sit nominativus etiam *matutini*. » Notandum vero est quod ait S. Benedictus, *extra Quadragesimam*; quia mos semper obtinuit ut in Quadragesima non caneretur *alleluia*, « quod universalis Ecclesiæ consensio in cunctis terrarum partibus roboravit, » inquit conc. Tolet. IV, can. 10. Extra Quadragesimam vero variæ fuerunt Ecclesiarum consuetudines; nam in Africa, teste S. Isidoro (*Lib.* I *de Divin. Offic.*, *c.* 13), solis dominicis ac quinquaginta post Resurrectionem diebus *alleluia* cantabatur pro significatione futuræ resurrectionis et lætitiæ. Additque: « Verum apud nos, secundum antiquam Hispaniarum traditionem, præter dies jejuniorum et Quadragesimam, omni tempore canitur *alleluia*. » S. Benedictus autem nequidem jejuniorum dies excipit. Nunc vero generalis Ecclesiæ consuetudo est ut in Septuagesima dimittatur *al-* C *leluia*; id quod inde factum existimat Hildemarus, quia olim quadragesimale jejunium inciperet a Septuagesima; ex quo acciderit ut cessante consuetudine hac dominica incipiendi jejunii, antiquus tamen in Septuagesima dimittendi *alleluia* ritus remanserit. Idem asserit Bernardus Cassinensis, atque nonnulles suo adhuc tempore observare 300 jejunium quadragesimale a Septuagesima, quod tamen de sola carnis abstinentia intelligendum esse indicant sequentia hæc ejus verba: « Quibus aliis temporibus licet comedere carnes, et ex tunc incipiunt abstinere. » Et revera inceptum fuisse a Septuagesima quadragesimale jejunium patet ex Alcuini epist. ad Carolum Magnum.

Vulgo tamen hujus consuetudinis auctorem faciunt Gregorium Magnum, qui, ut habet de eo breviarium Romanum, « constituit ut extra id tempus quod continetur Septuagesima et Pascha, *alleluia* diceretur. » In synodo etiam Aquisgranensi (*Can.* 80) statutum D est, « ut *alleluia* in Septuagesima dimittatur » a monachis; quod tamen non ita semper usquequaque receptum fuit, ut ab omnibus in Septuagesima dimitteretur. Illud enim retinuisse Cistercienses constat ex lib. Usuum Cist. cap. 10 et 13, et ex illa Petri Abaelardi exprobratione (*Epist.* 5): « *Alleluia* nec in Septuagesima communi Ecclesiæ more intermittitis, sed usque ad Quadragesimam retinetis. » Retinuerunt certe usque ad annum 1604, quo, ut scribit Joannes Craesbeeck, decreto capituli generalis illud deponere cœperunt; quamvis Cistercienses Reformatæ Congregationis in Hispanis in capitulo generali anni 1557 illud jam dimisissent, et docet nos Angelus Manrique in serie abbatum Palatiolensis monasterii, ad abbatem 51. Retinebant et alii Benedictini monachi adhuc tempore Radulfi Tungrensis, auctoris non ita antiqui, uti ipse testatur his verbis: « Benedictini autem et Ambrosiani servant *alleluia* usque ad dominicam Quadragesimæ. » Retinuere et Bursfeldenses ex

eorum Ordinario cap. 15. Neque hoc mirum videri debet in strictioris observantiæ æmulatoribus monachis, cum Ambrosiani et nonnullæ Ecclesiæ temporibus Gregorii septimi papæ, uti observat Menardus noster, *alleluia* ad Quadragesimam usque cantarent. Sane in novissimo breviario Ambrosiano a S. Carolo edito legitur sabbato ante dominicam I Quadragesimæ dimittendum esse *alleluia*, et ejus loco assumendum, *Laus tibi*, *Domine*. Scribit porro Amalarius in Supplemento (*Analect. tom.* II) S. P. Benedictum hanc consuetudinem traxisse ab officio Ambrosiano.

Quare autem in Quadragesima dimittatur *alleluia*, docet concilium Toletanum IV his verbis (*Can.* 11): « Cognovimus quosdam Hispaniæ sacerdotes qui in Quadragesimæ diebus *alleluia* decantant; quod deinceps interdicimus fieri, statuentes ut in omnibus prædictis Quadragesimæ diebus, quia tempus est non gaudii, sed mœroris, *alleluia* non decantetur. »

Sed quæret aliquis cur dimisso *alleluia*, decantemus *Laus tibi*, *Domine*, quod idem significat. Respondeo benedicendum esse Dominum in omni tempore: nos autem retinere Latinum idioma, quia, ut dicit Amalarius, lingua Latina humilior est Hebræa, convenientior proinde temporibus luctus et pœnitentiæ. Sane *alleluia* vox est lætitiæ et exsultationis, nihil in ea nisi gaudium redolet: unde refertur in lib. IV Revelat. S. Gertrudis cap. 27, omnes hac in dictione vocales reperiri, præter solam vocalem O, quæ dolorem significat. De hac voce videsis **301** Menardum, Haeftenum lib. VII, tract. 8, disq. 1, et Joannem Bona de Divina Psalm. cap. 16.

Vespera vero cum antiphona. Responsoria vero nunquam dicantur cum alleluia *nisi a Pascha usque ad Pentecosten.* Sive sit festum alicujus sancti, sive quælibet alia solemnitas; qui enim dicit *nunquam* nullo tempore permittit. Ergo nec die Nativitatis dominicæ, nec in ejus Apparitione. « Unde nos, inquit Hildemarus, ipsum responsum, quia in Epiphania canitur cum *alleluia*, ob hoc dimisimus, quia Regula præcipit ut nunquam dicantur responsoria cum *alleluia*, etc. » Præscribit tamen Regula Magistri (*Cap.* 45) ut « in Natali Domini usque ad Epiphaniam omnes antiphonæ vel responsoria die noctuque cum *alleluia* psallantur. »

CAPUT XVI.

Qualiter divina opera per diem agantur.

Ut ait propheta, *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXVIII). Qui septenarius sacratus numerus a nobis sic implebitur, si matutini [a], primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperæ, completoriique tempore, nostræ servitutis officia persolvamus, quia de his horis diurnis [b] dixit: *Septies in die laudem dixi tibi.* Nam de nocturnis vigiliis idem ipse propheta ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Ibidem*). Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro super judicia justitiæ suæ; id est matutinis, prima, tertia, sexta, nona, vespera, completorio [c], et nocte surgamus ad confitendum ei.

[a] Al., *si matutino.*
[b] Deest in Oxon. et quibusdam aliis *diurnis.*
[c] Narb., *completoria.*

COMMENTARIUS.

Agit præsertim hoc capitulo S. P. Benedictus de canonicarum horarum numero, de quibus priusquam Regulæ textum expendamus, nonnulla præmittenda sunt. Certe mos semper in Ecclesia viguit, certis statisque horis Deo quotidie laudes persolvendi, licet diversas diversa tempora aut loca habuerint consuetudines. Nam bis tantum in **302** die conveniebant Ægyptii monachi, pro nocturnis scilicet vigiliis et pro vesperis ex Cassiani lib. II, c. 2, reliquum diei tempus in cella manibus operando transmittentes, nec tamen psalmodiam intermittentes. Idem in monasterio S. Juliani cognomento Sabæ vigebat institutum ex Theodoreti Philotheo cap. 2. In monasterio etiam S. Publii Zeugmatensis die incipiente cantabant matutinos, eodemque desinente vespertinos.

Tabennenses monachi tres quotidie persolvebant horas canonicas, vigilias nocturnas, nonam, et vesperas, ut docet Palladius in Lausiaca c. 38. Totidem sabbato et dominica celebrabant Ægyptii monachi, in quibus præter nocturnas vigilias et vesperas, *hora tertia sacræ communionis obtentu*, ut scribit Cassianus (*Lib.* III, *cap.* 2) conveniebant.

In vita S. Eupraxiæ, quæ sæculo IV florebat (*Boll.* 13 *Mart.*), fit mentio nocturnæ psalmodiæ, tertiæ, sextæ, nonæ, et vesperæ. Easdem horas etiam persolvebant Afri, ut testatur S. Cyprianus (*De Orat. sub fin.*), quamvis in iis expendendis postea remissiores exstiterint, ut eorum hac in re segnitiem illis exprobrarint Donatistæ, uti observat S. Augustinus (*Epist.* 55). Easdem quoque ab apostolis celebratas fuisse patet ex Cassiano (*Lib.* III, *cap.* 3).

In Constitutionibus apostolorum sex horæ canonicæ recensentur, scilicet matutinum, tertia, sexta, nona, vespera, et gallicinium. Totidem recenset S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ: « Mane, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio per ordinem Psalterium cantabant. » Per mane autem intelligit diluculum, ut patet ex his ad Eustochium verbis: « Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque et vesperam nemo est qui nesciat. » Eumdem statuit numerum in epistola ad Lætam de Institutione filiæ: « Assuescat exemplo ad orationes et psalmos nocte consurgere, mane hymnos canere, tertia, sexta, nona hora, stare in acie quasi bellatricem Christi, accensaque lucerna reddere sacrificium vespertinum. » Denique Regula Cujusdam ad Monachos decernit (*Cap.* 30), ut « tribus conventibus diei, totidemque noctis tempore in ecclesia » conveniatur.

S. Aurelianus ad Regulæ calcem scripsit ordinem psalmodiæ a suis monachis servandum, in quo septem notat horas canonicas, mentionemque facit tertiæ, sextæ, nonæ, lucernarii, duodecimæ, nocturnorum et matutinorum. Eumdem numerum horarum, licet diversis temporibus persolvendarum, in suo monasterio observatum fuisse docet Cassianus (*Lib.* III *cap.* 3, 4 *et* 5); celebrabant enim nocturnas vigilias, matutinos, qui ad auroram dicebantur; alios matutinos, qui nostræ primæ respondebant, quosque suo tempore institutos fuisse testatur, tertiam, sextam, nonam, et vesperas. Similem etiam numerum in monachis sui temporis agnovit Cassiodorus, cum scribens in psalmum CXVIII, exponensque illum versiculum: *Septies in die laudem dixi tibi*, sic loquitur: « Si ad litteram hunc numerum velimus adver-

tere, septem illas significat vices quibus se monachorum devotio consolatur, id est, matutinas, tertiam, sextam, nonam, lucernarium, completorios, nocturnos. »

303 Similes horas instituit Regula S. Isidori, cap. 7. Denique S. Basilius septem etiam horas recenset in serm. 1 de Institutione monachorum, ubi sic discurrit: « Is maxime horarum modus tenendus est, qui a sanctis viris ad orationem descriptus est. Etenim eximius ille David ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ;* quem sane quoque Paulus et Silas secuti reperiuntur, qui, in carcere positi, circiter mediam noctem Deum ambo collaudarent. Addit deinde idem propheta: vespere, mane et meridie. Quin et Spiritus sanctus circiter horam diei tertiam adfuit, sicut in Actis accipimus... Porro nona dominicæ passionis memoriam refert... Verum quoniam item hoc est apud eumdem David: *Septies in die laudem dixi tibi super judicia justitiæ tuæ*, tempora autem illa quæ diximus orationis, septenarium numerum non conficiunt, bipartito dividenda est oratio meridiana, ita videlicet ut pars una cibum præcedat, altera subsequatur, quo perpetua hæc nobis formula sit Deum septies per singulas dierum conversiones laudibus celebrandi. » Hactenus S. Basilius, qui licet videatur horas septem admittere, revera tamen non nisi sex agnoscit; nam sextam, quam meridianam vocat, in duas dividit, nulla facta primæ aut completorii mentione. Alibi vero (*Regul. Fusior. c.* 37) quinque per diem assignat horas, tres per noctem, scilicet per diem matutinum sive diluculum, tertiam, sextam, nonam, et eucharistiam completa die; per noctem vero petitionem noctis initio, mediam noctem, et ante diluculum; quæ forte tribus vigiliarum nostrarum nocturnis respondent. Nulla facta primæ aut completorii mentione, nisi forte quis cum Menardo dicat petitionem de qua hic S. Basilius esse completorium; quæ tamen completa jam die incœptaque nocte dicebatur, cujus nec meminit in supra citato serm. de Institutione monach., nec quisquam, saltem quem sciam, ante eum in Oriente. Quidquid sit, certe ex dictis hactenus patet ante S. Benedictum a nobis celebratas fuisse septem simul horas canonicas, quas nunc observat Ecclesia; nam licet essent omnes jam institutæ, non omnes tamen eodem dicebantur in loco, aliis primam, aliis completorium prætermittentibus. Septem horas in die naturali persolvebant nonnulli, ex quibus sex ut plurimum in die artificiali, septimam nocte decantabant. At vero S. P. Benedictus prophetæ secutus exemplum, septem in die artificiali horas instituit, et nocte ad confitendum Deo fratres surgere voluit. Qui autem post eum supervenere legislatores, hunc etiam numerum auxerunt; nam S. Fructuosus episc. Bracarensis in prima Regula (*Cap.* 2 et 3) undecim horas constituit, primam, secundam, tertiam, sextam, nonam, duodecimam, vesperam, initium noctis, synaxim ad mediam noctem, synaxim post mediam noctem, et matutinum. In secunda (*Cap.* 10), quindecim, primam, secundam, tertiam, quartam, quintam, sextam, septimam, octavam, nonam, decimam, undecimam, vesperam, mediam noctem, gallicinium; decimam quintam non expressit, attamen tot instituisse patet ex textu.

Denique prætermittere hic nequeo quod de instituta psallendi ratione 304 ab Alexandro Acœmeto in monasterio ad Euphratem ædificato scribit anonymus (*Bol.*, 15 *Jan.*): « Primum in Regula sanctæ institutionis normam apostolicam suscipit, statuitque tertiam, sextam, nonam, et simul nocturnum. Deinde expendit quid Deus exigat, et invenit ubique septimum numerum prædicari, quemadmodum dicitur: *Septies in die laudem dixi tibi;* et illud statuit exsequi; quod et perfecit, septies interdiu, et noctu septies concipiens preces, septennio hunc secutus est tenorem. » Postea vero nec his contentus jugem psalmodiam instituit; quam etiam in pluribus ordinis nostri monasteriis viguisse probat noster Mabillonius (*Præfat. ad sæc.* IV, *part.* II).

Ex dictis hactenus satis refutata manet Neocæsariensis Ecclesiæ clericorum temeritas, qui Basilio Magno aliquando vitio vertere ausi sunt quod statis certisque horis Deo laudes persolveret, dicentes moris id non fuisse magno Gregorio Thaumaturgo appellato; quos ille epist. 63 confutat. Sed et impietas Lampetii hæretici, ex cœno Massalianorum exorti, eos qui definitis horis divina celebrarent officia adhuc legi servire asserentis, uti videre est in Bibliotheca Photii, n. 52, de Synodo Sidetana. Sed ad Regulæ textum veniamus

Ut ait Propheta: Septies in die laudem dixi tibi.] Quasi semetipsum aut alium quemlibet interrogando S. P. Benedictus in hujus capitis titulo dixerat: *Qualiter*, id est quoties, *divina opera per diem agantur?* Postea quasi respondendo, inquit Hildemarus, et post eum Bernardus Cassinensis, reponit: *Ut ait propheta: Septies in die laudem dixi tibi*, prophetica verba, sicuti aiunt prædicti auctores, non sensum suo adaptans proposito: nam propheta numerum definitum pro indefinito assignat, ut idem sit *septies* quod semper, econtra vero S. P. Benedictus.

Qui septenarius sacratus numerus, etc.] Septenarium numerum sacratum appellat ob innumera quæ in sese includit sacramenta; ex quibus aliqua revelat S. Bruno Signiensis episcopus his verbis (*Lib.* IV *Sent.*, *c.* 13, *serm.* 2): « Constat non solum apud nos, verum etiam apud sæculi sapientes, septenarium numerum sacratissimum ac perfectissimum esse, quoniam et omnia tempora, et omnes numeri in eo continentur. Constat enim ex pari id est quatuor, et ex primo impari id est tribus: omnis autem numerus aut par est, aut impar. Omnis ergo numerus ex septenarii partibus constituitur, et per hoc alii numeri in hoc uno numero continentur. Hinc est quod Judæi septem diebus comedunt azyma, hinc est quod septem diebus celebrant festivitates, hinc est quod manus sacerdotum quando ordinantur septem diebus unguntur et consecrantur, hinc est quod pontifex tangens in sanguine digitum septies projicit contra propitiatorium et fores tabernaculi, hinc est quod leprosus concluditur septem diebus, hinc est quod Maria soror Moysi septem diebus mansit extra castra, hinc est quod muri Jericho septies circumdantur et corruunt, hinc est quod septies in die laudem Domino dicimus, hinc est quod non solum septies sed etiam septuagies 305 septies nostris debitoribus dimittere jubemur, hinc est quod templum Salomon septem annis ædificatur et septem diebus dedicatur. Hoc septem Ecclesiæ, septem candelabra, septem lucernæ, septem sigilla, septem angeli tuba canentes, septem panes turbam multam in deserto reficientes, et septem gratiæ Spiritus sancti significare videntur. » *Vide* Menardum ad hunc locum, et Joannem Bona de Divina Psalmod. cap. 2, § 5.

Quia de his horis diurnis dixit: Septies in die laudem dixi tibi.] Quem Prophetæ versiculum de die artificiali late sumpto, prout aurora et crepusculo circumscribitur, S. Pater intelligit; hunc de die naturali, qui lucem et tenebras simul involvit, exponunt S. Basilius serm. 1 de Institutione monach., Cassianus et alii.

Nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait: Media nocte surgebam ad confitendum tibi.] Nocturnas vigilias auctoritate divina confirmat, Prophetæ adducens exemplum, qui media nocte surgebat ad confitendum Deo: quod tamen S. Pater non sic proponit quasi nos vellet media nocte surgere, quibus modice amplius de media nocte permittit; sed tantum ut ostenderet monachos nocte surgere debere, ut exponunt Hildemarus et Bernardus Cassinensis. *Vid.* l. 1 de Antiq. monach. Ritibus, cap. 1.

Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro.] Non solum ore, sed etiam corde, imo corde amplius: nam, ut ait Hildemarus, « Ille laudes Deo refert qui hoc quod ore dicit, corde cogitat. Et propterea vigilanter S. Benedictus subjunxit, cum dicit

his temporibus referamus laudes, et statim adjecit A *Creatori nostro*, ac si diceret: Ita laudes referamus, ut Creator noster cognoscatur: nam sunt multi qui videntur laudes referre, sed non referunt Deo; quia hoc quod ore dicunt, corde non intendunt. »

Super judicia justitiæ suæ.] *Super*, id est *propter*, infit Hildemarus; his enim verbis *quare Deo referre laudes debeamus tam in die quam in nocte manifestat*; nimirum propter judicia Dei: quænam sint autem illa judicia non aperit, sed dicit esse incomprehensibilia, attamen justa; sunt enim *judicia justitiæ suæ*; quæ cum clara et aperta Boherio non videantur, judicia justitiæ Dei asserit esse judicia Filii Dei, qui est justitia Patris. Et revera quæ passus est a Judæis Christus judicia justitiæ Dei septem canonicis horis Ecclesia honorare intendit, ut patet ex his versibus, quos refert Boherius:

> In matutino damnatur tempore Christus;
> Quando surrexit primam canit ordo fidelis;
> Tertia cum canitur, tunc est cruciamina passus;
> Sexta sunt tenebræ per mundi climata factæ;
> Emissus nona est divinus spiritus hora;
> Vespere clauduntur Christi sacra membra sepulcro;
> Christo bissena custodia ponitur hora.

Hos tamen tanquam historicæ veritati minus conformes haud omnino **306** probat cardinalis Bona (*de Div. Psal. cap.* 2, § 5); nam resurrectio ante primam horam facta est, et quod de hora duodecima dicunt, in Evangelio non legitur: præferendi sunt ergo vulgatissimi illi glossæ in cap. 1 de Celebr. missarum:

> Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis:
> Matutina ligat Christum, qui crimina purgat;
> Prima replet sputis; causam dat tertia mortis;
> Sexta cruci nectit; latus ejus nona bipertit;
> Vespera deponit; tumulo completa reponit.

Multas alias pias institutionis septem horarum canonicarum adducunt causas, qui de officiis ecclesiasticis tractatus ediderunt auctores, quas omnes hic referre præsentis non est otii; unam duntaxat pro capitis hujus conclusione proferam ex Petro-Damiani (*Opusc.* 10, *cap.* 1): « Septem sunt levia minimaque peccata, inquit, in quibus non solum peccator, sed etiam justus quisque quotidie labitur, etiamsi in excelso jam perfectionis culmine stare videatur; quæ profecto sunt: Cogitatio, ignorantia, inconstantia, necessitas, infirmitas, oblivio, subreptio..... Propter hæc igitur septem levia parvaque peccata, quæ pro fragilitatis humanæ debilitate cavere non possumus, hoc ex magisterio Spiritus sancti a piis Ecclesiæ doctoribus B institutum est, ut vota nostra per unumquemque diem septies persolvamus. Hæc sane septem canonicarum horarum officia quasi septem baptismatum lavacra in sanctæ Ecclesiæ sunt gremio constituta, ut septem offensionum maculas, quas ex quotidiana vitæ hujus conversatione contrahimus, totidem, ut ita loquar, orationis quotidianæ fluentis expiare curemus, quatenus assiduum corruptibilis vitæ pulverem satisfactionis aura decutiat, et mundanæ conversationis lutum superfusæ orationis frequens unda detergat. »

CAPUT XVII.

Quot psalmi per easdem horas canendi [a] *sunt.*

Jam de nocturnis vel matutinis digessimus ordinem C psalmodiæ; nunc de sequentibus horis videamus. Prima hora dicantur psalmi tres, singillatim, et non sub una *Gloria*. Hymnus [b] ejusdem horæ, post versum *Deus, in adjutorium meum intende* [c], antequam psalmi incipiantur. Post expletionem vero trium psalmorum, recitetur lectio una, versus, et *Kyrie eleison*, et missæ sint [d]. Tertia vero, sexta, et nona, eodem ordine [e] celebretur oratio, id est versus, **307** hymni [f] earumdem horarum terni psalmi [g], lectio et versus, *Kyrie eleison*, et missæ [h] sint. Si major congregatio fuerit, cum antiphonis; si vero minor, in directum psallantur [i].

Vespertina autem synaxis, quatuor psalmis cum antiphonis terminetur, post quos psalmos lectio recitanda est, inde responsorium, Ambrosianum [j], versus, canticum de Evangelio, litania [k] et oratio dominica, et fiant missæ. Completorium [l] autem trium psalmorum dictione terminetur. Qui psalmi directanei sine antiphona dicendi sunt; post quos hymnus [m] ejusdem horæ, lectio una, versus, *Kyrie eleison*, benedictio [n], et post missæ fiant.

[a] Al., *dicendi*.
[b] Al., *Hymnum*.
[c] Deest in Oxon., Cassin. et Flor., *intende*.
[d] Oxon., Narb., Flor., *et missas*. Vict. p., *et missa est*.
[e] Oxon., Flor., *idem eo ordine*. Lyr., Comp., *item eo ordine*.
[f] Oxon., *versum hymnus*.
[g] Narb., *ternos psalmos*, *lectionem Kyrie eleison*, *et missas*.
[h] Oxon., Narb., *missas*. Flor., *missæ sunt*.
[i] Narb., *psalletur*. Hild., Conch., *psallatur*. Vict. ms., *canantur*.
[j] Flor., *Ambrosianus*
[k] Oxon., *litaniæ*. Cass., *letaniæ*. Flor. cum aliis quibusdam, *letania*.
[l] Narb., *completorius*. Flor., *completorios*.
D [m] Narb., *hymnum... lectionem unam*, *versum*, *Kyrie eleison*, *benedictionem*. In Flor. etiam legitur *hymnum... lectionem unam*.
[n] Al. *benedictiones*.

COMMENTARIUS.

Jam de nocturnis vel matutinis digessimus ordinem psalmodiæ, nunc de sequentibus horis videamus. Prima hora dicantur tres psalmi singillatim, et non sub una gloria.] Sed sub triplici, ut ad quemque psalmum glorificetur Trinitas. Totidem psalmos ad tertiam, sextam, nonam, et completorium, quinque scilicet horas S. Pater assignat: « Ut quinque sensus nostri corporis tribus animæ virtutibus excellere admoneamur, ut ex toto corde, tota anima, tota mente diligamus Deum », inquit Amalarius in supplemento (*Tom.* II *Anal.*)

Hymnus ejusdem horæ, etc., *Kyrie eleison*, *et missæ sint.*] Hæc omnia clara et aperta sunt, nec quidquam in se difficultatis continent, nisi forte duo extrema verba *missæ sint*, in quibus exponendis non consentiunt omnes. Ut autem in re dubia et obscura lucis aliquid afferamus, prænotandum *missæ* vocabulum valde esse æquivocum, et ad multa significanda usurpari

Primo enim, missa vulgo sumitur pro incruento Christi sacrificio, quod in altari offerunt sacerdotes; quo sensu accipitur infra, cap. 35: *In diebus autem*

solemnibus usque ad missas sustineant; et cap. 38 : *Post missas et communionem* ingrediatur lector ad legendum

Secundo, missa sumitur pro festo alicujus sancti. Ita statuta S. Adalardi : **308** « Isti sunt dies in quibus eis ab opere dominico parcendum est... Nativitas Domini... *Missa* domnæ Balthildæ; » antiquæ Germaniæ consuetudines ms., n. 30 : « Diebus dominicis et festis ab ipsis calendis Octobris usque in *missam* S. Martini. » Et infra : « A *missa* vero S. Martini usque in Purificationem S. Mariæ, etc. » Vide vitam S. Gutlaci, n. 32, sæc. III, part. I.

Tertio, missa sumitur pro hora canonica, sive pro cursu divini officii. Sic apud Cassianum (*Lib.* II, *cap.* 13) : « Quare post missam nocturnam dormire non oporteat. » Et alibi (*Lib.* III, *cap.* 5) : « Missa canonica celebrata, usque ad lucem post hæc vigilias extendunt. » Et concilium Agathense (*Can.* 30) : « Hymni matutini vel vespertini diebus omnibus decantentur, et in conclusione matutinarum vel vespertinarum missarum post hymnos capitella de psalmis dicantur. »

Quarto, missa sumitur pro lectione. S. Aurelianus in Ordine psallendi : « In Natali Domini et in Epiphania tertia hora noctis surgite : dicite unum nocturnum, et facite sex missas de Isaia propheta; iterum dicite secundum nocturnum, et legantur aliæ sex de Evangelio. In Epiphania ita : In primo unum nocturnum, deinde de Daniele propheta facite illas sex missas.... In martyrum festivitatibus tres aut quatuor missæ fiunt : primam missam de Evangelio legite : reliquas de passionibus martyrum, etc. » Magister in Regula (*Cap.* 46) : « Eo ordine quo missæ a clericis celebrantur, id est cum minor clericus apostolum perlegerit, sequitur major diaconus Evangelia sancta lecturus. »

Quinto, missa apud antiquos dicta reperitur pro oratione seu collecta, eo quod mittatur ad Deum. Ita in concilio Milevitano (*Can.* 12) : « Placuit etiam et illud, ut preces, vel orationes, seu missæ, quæ probatæ fuerint in concilio, sive præfationes, sive commendationes, seu manus impositiones ab omnibus celebrentur. » In concilio Toletano 4, can. 13 : « Componuntur ergo hymni, sicut componuntur missæ sive preces vel orationes. » Et apud Cassianum (*Lib.* II, *cap.* 7) : « Qui necdum bene finito psalmo, in orationem procumbere festinamus, ad celebritatem missæ quantocius properantes.

Sexto, denique, missa pro dimissione dicitur, sicut apud Tullium, v de Orat., collecta pro collectione; apud Tertull., l. III cont. Marc., proba pro probatione; apud Cyprianum, remissa pro remissione.

Ex illis : ex missæ significationibus controversia hic tantum esse potest de duabus postremis. Nam : 1° certum est hic missam non sumi pro sacrificio eucharistico, ut voluit aliquando vir quidam doctus, quem merito refellit Menardus hunc in locum; neque enim, saltem ex consuetudine, missa post completorium dicebatur. 2° Certum est etiam non sumi pro festo, nam dies festi neque quotidie, neque ad horas singulas eveniunt. 3° Neque pro integra hora canonica, alioquin peracto divino officio, S. Benedictus jam celebratum iterum celebrari præciperet. 4° Neque pro lectione, nam cap. 48, post primam et post nonam non lectioni, sed operi manuum vacandum esse instituit.

309 Tota ergo difficultas versatur circa duas postremas missæ acceptiones, an scilicet orationes dicendas S. Benedictus his verbis præceperit, an absolutionem seu dimissionem faciendam; utraque enim sententia suos assertores habuit, ut discimus ex Hildemaro : « Missæ sint, inquit, duobus modis intelligunt sapientes. Fiant missæ id est absolutiones. Sive alio modo dicuntur missæ missiones, ut attinet ad illam orationem, eo quod per officium sacerdotis orationes populi diriguntur ad Deum; unde dicit sacerdos : *Exaudi, Domine, vocem populi tui*, A et reliqua. » Ex duabus hisce opinionibus posteriori suffragatur Hildemarus, cum postrema hujus capitis verba, *et missæ fiant*, commentans, addit : « Id est orationes, sive supplicationes monachorum ad Deum transmissæ. » Hildemarum sequuntur insigniores Regulæ commentatores pene omnes. Smaragdus : « Quod in aliis locis dicit et completum est, hac in clausula *et missæ sunt* dicit. *Et missæ sunt* repetit, orationes enim officii, quæ a nobis sunt completæ, Deo sunt missæ, quia in illius honore sunt celebratæ. Aliter orationes id est collectæ, quæ in fine cursus a sacerdote dicuntur, missæ, id est Deo transmissæ, vocantur. » Bernardus Cassinensis : « Quod vero ait *missæ sint*, sic intelligas, quod quando oramus ad Deum orationes mittimus, et ab ista missione dicitur *missa*. Unde quod dicit *missæ sint*, idem est ac si diceret : Post *Kyrie eleison* dicatur oratio quæ mittatur ad Deum. Unde cum agit de vesperis in hoc capitulo, dixit duas orationes faciendas, puta quando B dicit in littera oratio dominica, id est *Pater noster*, et *missæ fiant*. » Nicolaus de Fractura : « *Et missæ sunt*, supple orationes, et psalmodiæ missæ sint ad Dominum. » Boherius in primo comment. : « Quotiescunque Deum oramus, orationes nostras ad Deum mittimus, et a tali missione orationes, quas in fine horarum dicimus, ut sunt preces, oratio dominica, versus subsequens, oratio specialis ipsius horæ vel diei, cum conclusione debita, missæ nominantur, ut hic; unde quando dicit, *Et missæ fiant*, idem est ac si diceret : Post *Kyrie eleison*, orationes fiant quæ ad Deum mittantur. » Et in secundo comm. : « Missæ, id est orationes quæ mittuntur ad Dominum, ut *Pater noster*, illiusque horæ oratio. » Joannes de Turrecremata : « *Et missæ sint*, id est dicantur orationes quæ missæ dicuntur hic a S. Patre, eo quod in illis ad Deum expresse preces mittamus dicentes : Oremus. *Omnipotens sempiterne Deus;* vel *Deus qui;* vel hujusmodi. » Theobaldus Artaldus Cœlestinus in Gallica expositione Regulæ Benedictinæ hæc verba *et* C *missæ sint* ita reddit : *Et soient dites messes, c'est-à-dire l'oraison dominicale, le* Credo, *les prières, et la collecte propre à icelle heure, lesquelles par singulière efficacité sont envoyées à Dieu le Souverain*, etc. Joannes Craesbeeck : « *Missæ sint*, hoc est orationes fiant, et mittantur ad Deum tum a singulis privatim, et submisse dicentibus *Pater noster*, etc.; tum communiter uno sacerdote collectam clare recitante; dicuntur enim orationes nostræ missæ, » etc. Hugo Menardus : « Missæ hoc loco collectæ sunt seu orationes, quæ juxta Cassianum ad finem cujusque psalmi dicebantur a sacerdote, quarum **310** mentionem tantum facit in fine horarum S. P. Benedictus brevitatis causa, tanquam rei suis monachis vulgaris et tritæ, quemadmodum postea agit de brevi oratione veluti obiter et per transennam, tanquam de re monachis nota, quæ majori explicatione non indigeat. Vel certe dicendum S. P. Benedictum juxta aliorum morem quem supra declaravimus rejecisse ejusmodi D collectas ad finem cujusque horæ, ita ut plures dicendæ sint non una, atque ob eam rationem dixisse : *Missæ sint*, non missa sit. » Joannes Caramuel : « Missæ sunt orationes illæ quas in fine dicimus ante *Benedicamus Domino*. » Et infra : « Missæ sunt collectæ illæ ultimæ officii, nempe oratio correspondens diei, et si quæ tunc fiebant confessorum aut martyrum commemorationes. » Idem habet in Nomenclature. Denique Carolus Cointius in tom. I Annalium Eccles. Francorum (*Ann.* 514, *n.* 32) : « Horæ igitur prima, tertia, sexta, et nona, sic clauduntur : Post *Kyrie eleison* dicitur oratio dominica, eo quo supra expositum est modo, tum missæ, seu collectæ. »

Hanc tot gravissimorum auctorum sententiam confirmat usus ac praxis *missæ* vocabulum usurpandi ad significandas collectas sive orationes, ut videre est in secunda Regula SS. Patrum, cap. 6, ubi agens de divinis officiis hæc habet : « Operam vero dabunt

singuli fratres ut tempore quo *missæ* fiunt sive die sive nocte, quando diutius standum est ad *orationem*, non deficiant. » Quem locum explicat alius textus ex Regula S. Macarii, cap. 15 : « Operam Deo dabunt singuli tempore quo *missæ* in vigiliis observandis fiunt, quando omnes conveniunt, ne deficiant. » Ita etiam Cassianus lib. II, cap. 7 : « Nedum bene finito psalmo in orationem procumbere festinamus, ad celebritatem *missæ* quantocius properantes. » Ita S. Cæsarius (*Apud Boll.* 12 *Jan.*) quod in Regula ad Virgines præscripserat, ut a calendis Octobris ad Pascha duo fiant nocturni, et « post nocturnos legantur orationes tres; » in Regula ad Monachos, cap. 20, sic exprimit : « Vigilias mense Octobri duos nocturnos faciant, et tres *missas*. Ab una missa legat frater folia tria, et orate; legat alia tria, et orate; legat alia tria, et levet se : » quasi diceret : *Duos faciant nocturnos et orationes tres : post primam orationem legat tria folia, et fiat secunda oratio; legat alia tria folia, et fiat tertia oratio; legat alia tria, et levet se.* Eodem sensu missam accepisse videtur Gregorius Turonensis (*Lib.* VI *Hist. Franc.*, *cap.* 46), cum dixit Chilpericum regem quædam confecisse « opuscula, vel hymnos, sive *missas*, quæ nulla ratione suscipi possunt. »

Cum igitur constet missæ vocabulum apud antiquos scriptores, maxime auctores regularum monasticarum usurpatum fuisse ad significandas orationes; nihil vetat hic eo sensu a sancto Patre Benedicto acceptum fuisse, præsertim cum constet eum ad opus Dei orationes admisisse, ut patet ex capite 57, ubi præscribit, ut *semper ad orationem ultimam operis Dei commemoratio omnium absentium fiat;* quæ verba non solum orationes eum admisisse probant, sed etiam plures; unde etiam hic non simpliciter dicit, ut *missa sit*, sed ut *missæ sint*, et *missæ fiant*. Quapropter his assentiri non possum, qui missam hoc capite a S. Benedicto **311** pro dimissione dictam velint; quæ si vera essent, non *missæ sint*, aut *missæ fiant* dixisset, sed *missa sit* aut *missa fiat*, neque enim missæ vocabulum in plurali ab aliquo auctore adhibitum videmus ad significandam dimissionem, sed semper in singulari. Multo minus probare possum S. Hildegardis, Antonii Perez, et Benedicti Haefteni sententiam, qua dicunt præter dominicam, aliam a S. Benedicto orationem admissam non fuisse. Nam, præter quam quod semper ad orationem ultimam operis Dei omnium absentium commemorationem fieri jussit, vigilias diebus dominicis festisque duodecim lectionum *benedictione* terminari voluit; quæ benedictio ex S. Hildegarde, Perezio, et Haefteno collecta erat. Præterea scribit Amalarius in Supplemento (*Tom.* II *Anal.*), quod « in omnibus officiis tam clerici quam monachi persolutis, orationem Domino recte offerunt ultimam, quæ per Dominum nostrum Jesum Christum Deo Patri commendatur. » Cujus rei praxim videre est apud nostros Æduenses, quibus Regulæ Benedictinæ observantiam tanto studio commendarat S. Leodegarius, in concilio Augustodunensi; scilicet in Vita S. Mederici abbatis, qui sæculo septimo florebat, in cujus num. 7 anonymus agit de quodam monacho qui « statim ut synaxis oratione consueta finienda esset, et antequam genua flecteret ab ecclesia exiret. » Et certe credibile non est S. Benedictum a communi veterum monachorum consuetudine recessisse, qui omnes ad officium divinum orationes adhibebant, ut de Ægyptiis constat ex Cassiano l. II, c. 7; de Pachomianis ex Palladio Lausi. c. 38 (*Vide vitam S. Pach. c.* 22, *et Reg. cap.* 121 *et* 126), quibus angelus « constituit ut per totum diem facerent duodecim orationes, et cum ad vespertinum lumen venirent, et in nocturnis vigiliis duodecim, et hora nona tres, » tot scilicet quot psalmos. Orationes etiam præscribit S. Cæsarius in Regul. ad Monachos cap. 20; S. Aurelianus in Or-

A dine psallendi; S. Isidorus in Reg. c. 7; S. Fructuosus cap. 3; Magister in Reg. cap. 33, 35, 36, 37; S. Columbanus in Pœnitentiali; S. Macarius in Regula c. 15. *Vide* concil. Milevit. c. 12; Carthag. II, c. 25, et Agathense can. 30, in quibus agitur de Collectis quæ proinde ante S. Benedicti tempora in Ecclesia erant in usu

Hactenus dicta confirmare possem ex lectione quæ reperitur in vetustissimis Regulæ S. Benedicti manuscriptis codicibus, Oxoniensi ante annos mille exarato, Narbonensi ante nongentos, et Floriacensi ante octingentos, in quibus non legitur *et missæ sint*, sed tantum *et missas*, quasi diceret S. Benedictus post tres psalmos *recitetur lectio una, versus Kyrie eleison, et orationes seu missas*. Nec est quod dicat aliquis missas ibi exprimi in accusandi casu, cum reliqua scribantur in casu nominandi : nam id frequenter occurrit in illis codicibus, maxime in Narbonensi et Floriacensi, in quibus sæpe legimus *hymnum* pro *hymnus*, *lectionem* pro *lectio*.

B Nec me multum movet quod dicit S. Hildegardis, nullam a S. Benedicto collectam esse designatam, « quatenus fastidium orantibus tollatur, et ne præmissa oratio dominica in neglectum ducatur. » Cum **312** contrarium experientia constet, nec brevissimæ collectæ fastidium generare queant, nisi ei quem totius tædet officii. Quapropter si quod oppositæ sententiæ argumentum aliud magis urgeat expendendum est. Unicum duntaxat habet fundamentum ex cap. 9 et 12 desumptum, in quorum primo S. Benedictus nocturnarum vigiliarum ordinem instituens, postquam de psalmis et lectionibus disseruit, sic tandem concludit : *Versus, et supplicatio litaniæ, id est Kyrie eleison, et sic finiantur vigiliæ noctu næ.* In altero vero, ubi agit de matutinis, post canticum de Evangelio additur : *litania, et completum est;* ex quibus ita inferunt : Eodem modo sumitur hoc capite *et missæ sint*, quo capite 9, *et sic finiantur vigiliæ nocturnæ*, et cap. 12, *et completum est*. Porro his loquendi formulis nullæ præscribuntur orationes aut collectæ : ergo nec cum dicit *Et missæ sint*.

C Huic objectioni ut fiat satis, respondeo primo satis probabile esse S. Benedictum Ægyptiorum monachorum morem secutum fuisse, qui ad singulos psalmos orationes interponebant, ut constat ex Cassiano; quem morem licet non explicite, tamen implicite sanctus Pater, ut docet Boherius, præscripsit in eo quod eorum adinstar ad vigilias duodecim psalmos cum *alleluia* in fine decantari præcepit : quo decreto eorum ritum approbaverit, iterumque approbare videtur cap. 20, ubi de reverentia orationis, et hæc quoad vigilias. « Quod autem inter ipsos matutinos, inquit iterum Boherius, vel in fine ipsius solemnitatis orationum fieret interjectio, per Patres ordinatum, ut puto, reperit; sicque etiam nec instituere procuravit. » Igitur satis probabile est S. Benedictum ad nocturnos, et ad laudes orationes psalmis inseruisse, quas ad alias horas diurnas in finem officii

D rejecerit, ac propterea ad vigilias nulla facta orationum mentione, dixisse, *sic finiantur vigiliæ nocturnæ*, ad matutinos seu laudes et *completum est*; ad alias vero horas *et missæ sint*, *et missæ fiant*. Hanc opinionem aliquo modo roborat Regula Magistri, quæ magna ex parte constat ex Regula S. Benedicti ritibusque Benedictinis, in cujus cap. 33 vetat ne duo psalmi sub una dicantur gloria *, ne forte orationes inter ipsos dicendæ omittantur : « Caveatur, inquit, ne psalmi aliquando combinentur, quod non licet; sed singulos debere definiri cum *Gloria*, ut nec orationes inter ipsos agendæ perdantur. » Idem etiam præscripsit S. Isidorus, cum Regulæ cap. 7 hæc statuit, « recitantibus monachis post consummationem singulorum psalmorum prostrati omnes humi pariter adorabunt. »

Respondeo secundo S. Benedictum plura subti-

* Legere mallem *sub uno..... Gloria*. EDIT.

euisse, tanquam usu quotidiano fratribus satis nota : nam, verbi gratia, cap. 9 et 10, in quibus agit de vigiliis nocturnis, nullam facit mentionem orationis dominicæ; sed neque cap. 12, in quo matutinorum diei dominicæ ordinem instituit. Nullam etiam hoc capite mentionem facit commemorationis faciendæ pro absentibus ad primam, tertiam, sextam, etc. Quod si quis dicat alibi hæc præscribi, nimirum cap. 13, ut ad matutinos et vesperas alta voce dicatur oratio dominica, in cæteris vero agendis **313** submissa voce; et cap. 57, commemoratio absentium : repono et ego plures ibidem orationes S. Benedictum indixisse, cum dixit : *Semper ad orationem ultimam operis Dei commemoratio omnium absentium fiat.* Certe si orationes aut collectas a S. P. Benedicto admissas fuisse negemus, eo quod nullam earum videatur fecisse mentionem, cum divini officii ordinem disponit, dicendum erit pariter sex primas orationis Dominicæ petitiones prætermisisse in omnibus horis, præter laudes et vesperas, quod eas explicite non præscribat S. Pater.

Respondeo tertio, istas loquendi formulas, *finiantur vigiliæ nocturnæ*, et *completum est*, duobus modis accipi posse : præcipitur enim aliquid finiri, vel ita ut nihil amplius addatur; vel ita ut pauca duntaxat dictis aut factis adjiciantur; sic quotidie alicui multa nimis loquenti dicimus ut finiat, non quasi velimus eum nulla insuper verba facere; hoc enim sæpe nec expedit, nec etiam vellemus. Atque postremo hoc sensu accipienda esse verba S. Benedicti, *et sic finiantur vigiliæ nocturnæ*, manifestum est, siquidem his quæ supra assignavit adjicienda est oratio dominica. Idem de aliis, *et completum est*, debet dici. Et certe ea duobus modis intellexerunt qui ex fratribus nostris novam S. Augustini editionem adornarunt, in prævia admonitione ad secundam Regulam S. Augustini, quam in appendice primi tomi rejecerunt : « Completum est, inquiunt, id est peractum sic erit officium, vel addetur finalis oratio, qualis ea scilicet quæ in antiquis missalibus *ad complendum* vocitatur. » Hæc tamen omnia pro nostro modulo satis male digesta aliorum saniori judicio subjicimus.

Tertia vero, sexta, nona eodem ordine celebretur oratio.] Oratio hic pro hora canonica sumitur, uti observavit Boherius; ut sensus sit : oratio tertia, sexta, et nona eodem ordine celebretur quo prima, cujus seriem modo disposuit, quod clarius exprimit antiqua editio Veneta, quæ ita legit « Tertiæ, sextæ, nonæ eodem ordine celebretur oratio. » Et S. P. Benedictus amplius exponit addens :

Id est versus,] scilicet *Deus, in adjutorium*, etc.

Hymni earumdem horarum, terni psalmi, etc.] Hæc omnia ex dictis hactenus plana sunt.

Si major congregatio fuerit.] Quid sit congregatio exponit Hildemarus his verbis : « Congregatio est ubi duodecim fratres sunt : bene congregatio duodecim fratres sunt, quia possunt illi suam legem implere; verumtamen et hoc in deserto; nam prope civitatem non est bonum tantum duodecim monachos sub uno abbate; quia si miseris eos ad singula officia, non etiam plene sufficiunt ad honestatem diversorum hominum qui ad monasterium veniunt. » Similiter Bernardus Cassinensis congregationem constituit in duodecim fratrum conventu, « quia, inquit, decem secundum jura faciunt populum; super decem vero ponitur decanus, et super decanum ordinatur præpositus, » et super utrumque abbas. Idem asserit Boherius, aitque talem fuisse **314** primam congregationem monachorum, scilicet apostolorum, « in qua fuit abbas Salvator noster, præpositus Simon Petrus, decanus Judas Scarioth. »

Jam vero quæ sit major congregatio, quæve minor, inquirendum est. « Si plures quam duodecim sunt, inquit Bernardus Cassin., id est tredecim, aut quatuordecim aut ultra, major congregatio est; si vero infra duodecimum numerum, minor congregatio dici

A debet. » Similiter Nicolaus de Fractura ad hæc verba : *Si major congregatio fuerit*, addit : « Ut puta tredecim, vel quatuordecim, vel plures, quia duodecim faciunt congregationem, etsi interdum quoad jus eligendi duo tantum faciant congregationem. » Boherius autem triplicem distinguit congregationem : simplicem, quæ est duodecim monachorum; majorem, quæ supra duodecim; et minorem, quæ infra descendendo usque ad duos non computato prælato. Eodem modo Theobaldus Artaldus et Joannes Craesbeek eam congregationem majorem agnoscunt, quæ duodecimum monachorum numerum superat. At vero cardinalis de Turrecremata : « Major congregatio, inquit, dicitur ab aliquibus a triginta et supra; minor vero congregatio, si minus a triginta fuerint fratres descendendo usque ad duodecim, nam minus a duodecim non videtur congregatio regularis. » Hæc sententia magis arridet. Nam S. Benedictus in Regulæ c. 21 decanos in sola majori congregatione instituit, verum supra duodecim aut quindecim monachos, vel circiter, sufficiunt abbas et præpositus. Major ergo congregatio

B haud potest esse, nisi ubi duo minimum existunt decani, singuli supra denos monachos constituti, et super utrosque abbas et præpositus, hoc est viginti quatuor. Atque ita sentit Hildemarus in cap. 21 scribens; additque secundum usum eam esse majorem congregationem in qua sunt quadraginta et triginta monachi.

Cum antiphonis; si vero minor in directum psallantur.] Quid sit cum antiphona psallere, quid in directum, explicat Haeftenus his verbis (*Lib.* VII, *tract.* 4, *disq.* 3) : « Voluit S. Benedictus per psalmodiam cum antiphona designare eam divini officii partem quæ fit cum nota et melodico concentu; quod ipse satis indicat : cum enim dixisset modulatis, ut supra diximus, sex psalmis, idipsum paulo post exprimens ait : *Post quas lectiones sequantur ex ordine alii sex psalmi cum antiphonis, sicut anteriores.* Unde manifestum est cum antiphona psallere idem S. Benedicto esse atque psalmos modulari... Jam vero haud erit difficile

C explicatu quid sit in directum psallere, sive directanee; quod ipse S. Pater exponit sine antiphona, hoc est sine notis, modulatione, aut tono; ita ut æquali vocis tenore recte omnia absque ascensu vel descensu pronuntientur. » Et certe S. Benedictus hic opponit psalmodiam cum antiphona psalmodiæ in directum : nisi forte quis dicat psallere cum antiphona idem esse ac singulis psalmis, imo etiam singulis psalmorum versiculis antiphonas interponere; psallere vero in directum easdem omittere, psalmosque uno tenore cantare. Utramque **315** hanc loquendi rationem distinguit Boherius ad hunc locum sic scribens : « Ne nimio labore paucos opprimat in psallendo, hic eos relevat a duobus, scilicet brevitate, quia sine antiphonis, et a cantus proclamatione, quia in directum psalmi psalluntur. » Simul indicans orationem et causam cur minorem congregationem ab antiphonis et cantu exemerit, nempe ne nimio labore pauci opprimantur; quod enim fit a multis, facilius adimpletur.

D Et certe in minori congregatione, ubi minor solet esse substantia, necesse est quosdam frugibus colligendis foras exire, aliisque monasterii utilitatibus vacare, paucis in choro remanentibus, quibus grave esset has horas cantu solemni persolvere. Possunt tamen, si hanc eis Deus dederit voluntatem. Neque enim hoc sancti Benedicti de minoribus horis in directum dicendis decretum præceptivum est, ut cum Hildemaro annotarunt Bernardus Cass., Boherius, et Turrecremata; sed tantum permissivum : quod etiam solas diei minores horas respicit; unde nocturnas vigilias, matutinum, et vesperas minor congregatio perinde ac major cum cantu persolvere debet; quia tunc omnes congregati ab externis officiis liberi hæc facile possunt implere.

Vespertina autem synaxis.] Id est vespertinum officium, quod synaxis nomine ab antiquis monachis nuncupatum fuisse constat ex Cassiano l. II, c. 11.

Quatuor psalmis cum antiphonis terminetur.] Quinque ut ad matutinos, decurrunt clerici juxta illud concilii Bracarensis : « Placuit omnibus communi consensu, ut unus atque idem psallendi ordo in matutinis vel vespertinis officiis teneatur, et non diversæ atque privatæ, neque monasteriorum consuetudines cum ecclesiastica sint permixtæ. » Quare autem quinque a clericis, quatuor vero a monachis psalmi explicentur, exponit Petrus Damiani his verbis (*De cons., dist.* 5 *c. Convenit, opusc.* 10, *cap.* 4) : « Vesperum non eumdem psalmorum modum apud diversos ordines habet : nam apud clericos quidem quinque psalmos amplectitur; apud monachos autem quatuor solis expletur. Neutrum tamen ratione vacare dignoscitur, si dignæ discussionis indagine perquiratur. Nam de quinque vesperæ psalmis hæc eadem non absurde redditur ratio quæ et superius absoluta de matutinis habetur. Nam quia humani generis judex nocte venturus sit ipso docente cognoscimus, sed qua noctis hora, videlicet utrum media nocte, an galli cantu, an mane veniat, quia ipso perhibente sicut fur venturus est, ignoramus ; recte ergo sicut in matutinæ, ita et in vespertinæ laudis officio sponsum suum sancta electorum ecclesia præstolatur, quæ per numerum est quinque prudentum virginum congrue designata ; cui nimirum cum quinque psalmos bonis operibus ornata conjubilat, accensis quasi totidem lampadibus in ejus occursum lætabunda festinat. Qui vero quatuor psalmos instituit, ad hoc nisi fallor spectasse credendus est, quia sicut sunt quatuor vigiliæ militares, ita nihilominus et quatuor principales noscuntur esse virtutes, justitia scilicet, fortitudo, temperantia, atque prudentia ; **316** in quibus utique per nocturnam mortalis hujus vitæ caliginem jugiter vigilandum est, et in procinctu spiritalis militiæ in cujus arma juravimus pro castris nostris longanimiter standum, et infatigabiliter decertandum. In hoc igitur vespertinæ laudis officio per quatuor quos modulamur psalmos instruimur, ut erga quatuor virtutum custodiam pervigiles excubemus. » Aliter Joannes Belethus (*Explic. Divin. offic. c.* 52) : « In vesperis, inquit, a nobis cantantur quinque psalmi, qui sumus imperfecti ; ut videlicet quod per quinque sensus corporeos commissum est, per quinque psalmorum cantionem penitus dimittatur..... monachi vero, in quo se perfectiores esse ostendunt, tantum quatuor dicunt. Quidquid enim quadratum est in quamcunque partem vertatur, manet semper idem firmum ac solidum. Ad eumdem sane modum perfectus quocunque loco, aut quocunque tempore semper idem atque immobilis permanet. »

Post quos psalmos lectio recitanda est.] Ex corde scilicet sicut ad laudes, alioquin non *recitanda* diceret, sed *legenda*.

Canticum de evangelio.] Nempe *Magnificat*, ut est A probabile; de quo Petrus Damiani sic discurrit (*Opusc.* 10, *cap.* 4) : « Canticum quoque B. Genitricis non incongrue vespertino copulatur officio : illa siquidem velut emenso jam longo præteriti sæculi die, sub ipso scilicet mundi vesperascentis occasu, mox ut lumen æterni verbi felicis vulvæ flore concepit, protinus in vocem divinæ laudis erupit, *Magnificat*, inquiens, *anima mea Dominum*. Adinstar ergo illius quæ mater est Domini, et tota universalis Ecclesia, quæ Christianorum utique mater est, quæ et idipsum lumen portat in mente, quod illa dudum gestavit in ventre, advesperascente jam die digna Deum laude magnificat, et de collatis beneficiis gratias agens, spiritus ejus in Deo salutari suo gratulabunda exsultat. »

Completorium autem.] Ita ultimam diei horam canonicam S. Benedictus appellat, qua cuncta diei complemus officia. Ita etiam S. Isidorus in Regul. c. 7. Sed in lib. I de offic. eccles., cap. 21, *completas* B vocat, nonnulli Patres *completam*. S. Columbanus Regul. c. 7, *initium noctis* ; Fructuosus Bracar. episc., *primam noctis horam*, forte quia dicebatur *in crepusculo vespertino*, ut videre est apud Eddium (*Sæc.* IV, *part.* 1) in Vita S. Wilfridi, c. 64, sive *instante noctis articulo*, ut in Hist. translat. S. Genulfi (*Sæc.* IV, *part.* 2), n. 25. Et hæc forsitan erit hora quam S. Basilius *petitionem* appellat.

Trium psalmorum dictione terminetur.] Apposite ad hunc locum S. Ambrosius (*Lib.* V *in Hexam., c.* 12) : « Quis, inquit, sensum hominis gerens non erubescat sine psalmorum celebritate diem claudere; cum etiam minutissimæ aves solemni devotione, et dulci carmine ortus dierum et noctium prosequantur? » Quare autem trium psalmorum dictione terminetur, ita explicat Petrus Damiani (*Opusc.* 10, *cap.* 5) : « Ex debito reddendæ rationis super tribus psalmis sancta nos Trinitas expedit, sub cujus nimirum signaculo peractum diem completorium claudit : sicut enim primæ horæ **317** officium, ut prætaxatum est, SS. Trini- C tatis fidei dedicatur; ita et completorium in ejusdem SS. Trinitatis assertione concluditur, ut cui totius diei cursus militare dignoscitur, in eum peractæ tandem lucis clausula terminetur. »

Qui psalmi directanei sine antiphona dicendi sunt.] Id est sine cantu aut sine antiphonarum inter psalmos aut psalmorum versiculos interpositione, aut sine utroque simul, ut supra diximus; idque vel quia non satis superest temporis ad completorium antequam cubitum eant solemniter celebrandum, vel quia tempus illud est tempus fletus et mœroris, juxta illud : Ad vesperum demorabitur fletus ; cui non competit lætitia cantus.

Post quos hymnus ejusdem horæ, lectio una.] An ex corde recitanda, aut in codice legenda?

Versus, Kyrie eleison, benedictio, etc.] De quibus vide lib. I de Antiquis monachorum Ritibus, c. ultimo.

CAPUT XVIII.

Quo ordine ipsi psalmi dicendi sunt

In primis semper diurnis horis [a] dicatur versus, *Deus, in adjutorium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina ;* et *Gloria*. Inde hymnus [b] uniuscujusque horæ. Deinde prima hora dominica dicenda [c] quatuor capitula psalmi centesimi octavi decimi. Reliquis vero horis, id est, tertia, sexta, vel nona, D terna capitula suprascripti psalmi centesimi octavi decimi dicantur. Ad primam autem secundæ feriæ, dicantur tres psalmi, id est, primus, secundus, et sextus : et ita per singulos dies ad primam, usque ad dominicam [d], dicantur per ordinem terni psalmi, usque ad nonum [e] decimum psalmum. Ita sane, ut

[a] Cass. et quidam alii omittunt hæc verba, *semper diurnis horis*.
[b] Flor. *hymnum*.
[c] Oxon., *dicenda sunt*.
[d] Al., *usque dominica* ; al., *usque dominicam*.
[e] Al., *usque nonum*.

nonus psalmus et septimus decimus dividantur in binas *Glorias* [a]. Et sic fiat [b] ut ad vigilias dominica [c] semper a vicesimo incipiatur.

Ad tertiam vero, sextam, et nonam secundæ feriæ novem capitula, quæ residua sunt de centesimo decimo octavo psalmo, ipsa terna per easdem horas dicantur. Expenso **318** igitur psalmo centesimo octavo decimo duobus diebus, id est dominico et secunda feria; tertia feria jam ad tertiam, sextam, vel nonam psallantur terni psalmi, a centesimo nono decimo usque ad centesimum vicesimum septimum; id est psalmi novem. Quique psalmi semper usque ad dominicam [d] per easdem horas itidem [e] repetantur: hymnorum nihilominus, lectionum, vel versuum dispositione uniformi [f], cunctis diebus servata. Et ita scilicet ut semper [g] dominica a centesimo octavo decimo incipiatur [h].

Vespera autem quotidie quatuor psalmorum modulatione canatur. Qui psalmi incipiantur a centesimo nono, usque ad centesimum quadragesimum septimum: exceptis his qui in diversis horis ex eis sequestrantur; id est a centesimo septimo decimo, usque ad centesimum vicesimum septimum, et centesimo tricesimo tertio, et centesimo quadragesimo secundo. Reliqui omnes in vespera dicendi sunt. Et quia minus veniunt tres psalmi, ideo dividendi sunt qui in numero [i] suprascripto fortiores [j] inveniuntur; id est centesimus tricesimus octavus, et centesimus quadragesimus tertius, et centesimus quadragesimus quartus. Centesimus vero sextus decimus, quia parvus est, cum centesimo quinto decimo conjungatur. Digesto ergo ordine psalmorum vespertinorum, reliqua, id est, lectiones, responsoria [k], hymni, versus, vel cantica, sicut supra taxavimus, impleantur. Ad completorium [l] vero iidem psalmi repetantur quotidie; id est, quartus, nonagesimus, et centesimus trigesimus tertius.

Disposito ordine psalmodiæ diurnæ, reliqui omnes psalmi qui supersunt, æqualiter dividantur in septem noctium vigilias, partiendo scilicet qui inter eos proliziores sunt psalmi, et duodecim per unamquamque constituantur [m] noctem. Hoc præcipue commonentes, ut si cui [n] forte hæc distributio psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter judicaverit: dum omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada Psalterium ex integro, numero centum quinquaginta psalmorum **319** psallatur. Et dominico die semper a capite repetatur [o] ad vigilias: quia nimis iners [p] devotionis suæ servitium ostendunt monachi, qui minus a Psalterio cum canticis consuetudinariis per septimanæ circulum psallunt: cum legamus [q] sanctos Patres nostros [r] uno die hoc strenue implesse, quod nos tepidi [s] utinam septimana integra persolvamus.

[a] Flor., *partiantur in binos*; al., *partiantur in binas glorias*.
[b] Al., *et sic fit*; al., *et sic si*..
[c] Oxon., Cass. 1, Paris., *dominicas*.
[d] Al., *usque dominica*; al., *usque dominicam*.
[e] Narb., *iidem*.
[f] Flor., *dispositionem uniformem .... s rvatam*.
[g] Oxon., Cass., Conch., *semper*.
[h] Oxon., *incipietur*.
[i] Al., *ex numero*.
[j] Oxon., *potiores*.
[k] Flor., *responsum, hymnus, versus vel canticum*.
[l] Flor., *completorios*, et ita antiquiores Cass.
[m] Oxon., Flor., *constituens*.
[n] Al., *si cui*.
Hild., *repetantur*. Flor., *reprendatur*.
[p] Flor., *inertem*.
[q] Al., *dum legamus*; al., *quia legimus*; al., *quando legamus*; al., *dum quando legamus*; al., *dum quanti legimus*.
[r] Deest in Hild., *nostros*.
[s] Deest in Oxon., *quod nos tepidi*.

COMMENTARIUS.

In primis semper diurnis horis dicatur versus Deus in adjutorium, etc.] Ab hoc versiculo omnes, sive diurnas, sive nocturnas horas S. P. Benedictus incipit; cum tamen clerici, uti observat Boherius, tribus modis horas suas soleant incipere; idque ut triplici quod vulgo committitur occurratur peccato; nempe vigilias nocturnas a versu *Domine, labia mea aperies* contra peccata oris; completorium a versu *Converte nos* contra peccata cordis; reliquas horas a versu *Deus, in adjutorium* contra peccata operis.

Prima hora dominica dicenda quatuor capitula psalmi centesimi octavi decimi.] Octonarios psalmi CXVIII S. Benedictus *capitula* appellat; Cassianus, l. II, c. 11, *intercisiones*; Amalarius, l. IV de Eccl. Off., c. 2, *repetitiones*; Petrus Damiani, opusc. 1, cap. 3, *incisiones*. Huic psalmo dominica ad primam Symbolum S. Athanasii vulgo appellatum, quod Eusebio Vercellensi nonnulli ascribunt, adjicimus; illudque quotidie recitant monachi Carthusienses ex nova collectione Statutor., part. I, cap. 13, n. 12; olimque in aliquibus ecclesiis singulis diebus cantabatur, ex Honorio Augustod., l. II de Gemma animæ, cap. 59. De hoc Symbolo vide quæ diximus in l. I de Antiquis monachorum Ritibus, cap. 4.

Ad primam autem secundæ feriæ dicantur tres psalmi, id est primus, secundus et sextus.] « Prima monachorum, inquit Petrus Damiani (*Opusc.* 10, *cap.* 3), præter dominicam diem convenienter a capite videtur inchoare Psalterii, ut cum libri principio apte concordet diei quoque nascentis origo. »

Et ita per singulos dies ad primam usque ad dominicam dicantur per ordinem terni psalmi, etc.] De instituto toto hoc capite a S. Benedicto ordine plura digessit Amalarius in Supplemento, tom. II Analect., quod si lubet consule. Quare autem adeo celebratum a clericis psalmum CXVIII S. Pater ad primam quotidie **320** decantari non præceperit, has Haeftenus rationes sive conjecturas affert (*Lib.* VII, *tract.* 7, *disq.* 3): « Prima, quod pulcherrimum psalmum, ut pluris fieret, noluerit quotidie repeti, sicut pretiosiora ornamenta non ponuntur in dies. Secunda, vitare voluerit illud, quod ex repetitione subnasci posset fastidium, et nonnulla esset hic variatio. Tertia, hoc pacto psalmodiam fecerit breviorem. » Fuit nihilominus etiam hic psalmus a monachis celebratus, ut videre est in Vita S. Benedicti Anianensis; et Wetino monacho inter alia ab Angelo commendatus, ex ejus visione, n. 4, sæc. IV, part. I.

Quique psalmi semper usque ad dominicam per easdem horas itidem repetantur, hymnorum nihilominus, lectionum, vel versuum dispositione uniformi cunctis diebus servata.] « Quantum ad numerum, inquit Bohe-

rius, quia quantum ad qualitatem aliquoties talia immutantur. » « Ac si diceret, addit Hildemarus, quot psalmos, quot hymnos, quot versus, quot lectiones in uno die dico, tot dico in alio. » Ex quibus, maxime ex Boherii testimonio, apparet mutatos olim ad minores diei horas canonicas hymnos pro varietate temporum ac festorum, id quod observant etiam nunc Cistercienses ad tertiam et completorium, teste cardinali Bona (*De Divin. Psalm. cap.* 18, § 4).

Vespera autem quotidie quatuor psalmorum modulatione canatur.] Id est *dulci decantatione*, ut loquitur Boherius : nam modulatio est cantus dulcedo ; quæ quidem modulatio debet fieri secundum tonum præincœptæ antiphonæ competentem.

Et quia minus veniunt tres psalmi, ideo dividendi sunt, qui in numero suprascripto fortiores inveniuntur.] *Id est longiores, aut prolixiores, vel majores*, inquit Boherius. Hanc porro psalmorum dividendorum consuetudinem S. Benedictus ab Ægyptiis monachis accepit, qui, ut refert Cassianus (*Lib.* II, *cap.* 11), psalmos « pro numero versuum duabus vel tribus intercisionibus, cum orationum interjectione divisos distinctim particulatimque consummabant. » Hujusmodi etiam divisiones præscripsit concilium Narbonense anni 589 (*Can.* 2).

Ad completorium vero iidem psalmi repetantur quotidie, id est quartus, nonagesimus, et centesimus trigesimus tertius.] Utpote nocturno tempori magis competentes.

Dispositio Ordine psalmodiæ diurnæ, reliqui omnes psalmi, qui supersunt, æqualiter dividantur.... Et duodecim per unamquamque constituantur noctem.] Cujus instituti rationem hanc reddit Petrus Damiani (*Opusc.* 10, *cap.* 6) : « Quoniam ad continuæ orationis instantiam excitat nos evangelica tuba dicens : *Quia oportet semper orare et nunquam deficere* ; et Apostolus : *Sine intermissione orate* ; ut hoc non solum in die, sed et in nocte præceptum evangelica impleat disciplina, diligentissime procuratum **321** est, ut duodenis psalmis nocturnæ vigiliæ transigantur. Durum quippe fuerat, ut ægroti, sive prægnantes, ac quælibet ætatum sexuumve diversitas, sicut in die, per nocturna quoque horarum intervalla consurgeret, atque ad ecclesiam festinaret. Ut ergo laborem ecclesiæ magistra discretio temperaret, exquisitum atque altioris consilii dispensatione statutum, ut juxta nocturnarum horarum numerum, nihilominus ad vigilias duodenus decurreret ordo psalmorum ; ut quodammodo tota nox in oratione videretur expensa, dum totidem psalmos orando persolveret, quot videlicet horis et ipsa constaret. »

Notat porro Hildemarus quosdam olim, hujus occasione textus : *Duodecim psalmi per unamquamque constituantur noctem*, aliquo præoccupatos impedimento, v. g. existentes in via, illis in vigiliis quibus prolixiores occurrunt psalmi, hos in breviores mutare voluisse, dicendo, v. g., psalmos graduales, etiam se hoc audere asserentes juxta Regulæ præceptum, scribentis : *Duodecim psalmi per unamquamque constituantur noctem.* Sed « hi tales, inquit Hildemarus, conveniuntur in eo quod digesto ordine psalmodiæ diurnæ, reliqui omnes psalmi, qui supersunt, æqualiter dividantur in septem noctium vigiliis, partiendo scilicet qui inter eos prolixiores sunt psalmi ; qui cum mutant, non dividunt ; et cum non dividunt, transgressores sunt hujus præcepti. »

Hoc præcipue commonentes, ut si cui forte hæc distributio psalmorum displicuerit, ordinet si melius aliter judicaverit.] Egregium sane humilitatis exemplum, quod vir omnium justorum spiritu plenus institutum a se cum tanta diligentia ac discretione ordinem alieno subjiciat judicio. Sed « sive causa humilitatis, sive causa concessionis hoc verbum dixit magister noster ; tutius est ut nullus abbas vel monachus illam sibi præsumptionem assumat, quod aliter disponat ipsum ordinem psalmodiæ, quam ipse hic disposuit, qui

A Spiritu Dei plenus erat, » inquit Bernardus Cassinensis. Et certe si magnum est in S. P. Benedicto humilitatis indicium, quod institutum a se ordinem aliter permittat disponi, non minus superbiæ signum id præsumere : unde nec summi pontifices illum unquam mutare voluerunt, uti observat Walfridus in lib. de Eccl. Rebus, c. 23. Et quia nonnulli novitatum amatores id aliquando præsumpserant, in concilio Aquisgran. anno 802 celebrato statutum est, « ut in monasteriis S. Benedicti Regulam servantibus officium S. Benedicti facerent sicut Regula docet. » Et in altero anni 817, « ut officium quod in Regula S. Benedicti continetur celebrent monachi. » Cujus statuti mentionem facit Chronicon Moisacense his verbis : « Anno tertio Ludovici factum est concilium magnum Aquisgrani in mense Augusto ; et præceptum est, ut monachi omnes cursum S. Benedicti cantarent ordine regulari. » Sed et Paulus V, pontifex maximus, qui nostra ætate breviarium pro omnibus sub

B Regula S. P. Benedicti militantibus instituit, eamdem Psalterii dispositionem illibatam servari voluit ; ut merito eos increpet Hildemarus, qui ordinatam **322** a S. Patre psalmorum dispositionem mutare præsumpserant ; qua de re etiam queritur Walfridus in lib. de Eccles. Reb., c. 25, quamvis pauci tantum monachi, et non omnes Romanum suscepissent officium, ut constat ex Supplemento Amalarii, ejusdem ætatis scriptoris, qui monachorum officia a clericalibus diversa tum fuisse testatur. Vid. Bened. Haefteni l. VII, tract. 5, disq. 4 et 5. Cæterum observo hic cum Hildemaro et quibusdam aliis verba S. Benedicti solam psalmorum dispositionem tangere, non autem hymnorum, versuum, lectionum, etc.

Dum omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada Psalterium ex integro numero centum quinquaginta psalmorum psallatur.] Notat hic Bernardus Cassinensis et post eum Boherius S. P. Benedictum absolute non præscripsisse, ut Psalterium integrum, hoc est ut quilibet psalmus omni hebdomada psallatur ; sed

C addidisse, *Ex integro numero centum quinquaginta psalmorum* : quia propter occurrentes festivitates aliqui sunt psalmi qui per hebdomadam decantari non possunt, licet a numero psalmorum nunquam recedendum sit. Ita illi ad suum propositum. Sed brevius et facilius dixisse potuissent, istud S. Benedicti decretum de Psalterio hebdomadatim recitando hypothetice esse intelligendum, posito scilicet quod festa, quæ ejus tempore non ita frequenter occurrebant, non eveniant : quod autem adjecit, *ex integro numero centum quinquaginta psalmorum*, alio respicere videtur, psalmorumque numerum dedita opera designasse, ne quis supposititios, peregrinos, et apocryphos psalmos interjiceret, juxta concilii Laodiceni can. 59, *Non oportet psalmos privatos in ecclesia dici* ; nam fuerunt olim psalmi sub titulo Salomonis, et quorumdam aliorum, inquit Theodorus Balsamon, quos quidem privatos concilium appellat, quod non essent auctoritate Ecclesiæ recepti. Psalmos et odas Salo-

D monis inter apocryphas scripturas recenset S. Athanasius in Synopsi sacræ Scripturæ : de quibus etiam agit Nicephorus patriarcha Constantinopolitanus in canone, et collocat inter Scripturas quibus contradicitur. Sed et ipse Athanasius in Synopsi inter Davidicos psalmos mentionem facit centesimi quinquagesimi primi, qui reperitur etiam in antiquis Psalteriis mss. exstatque editus in polyglotta. Multi etiam hæretici psalmos composuerunt, inter quos Hierax, quemadmodum docet S. Epiphanius l. II Panarii, hæresi 67. Valentinus quoque, ut videre est apud Tertullianum, lib. de Carne Christi. Denique Donatistæ psalmos humano ingenio elaboratos in suis ecclesiis canebant, ut docet S. Augustinus in epist. 55, novæ editionis.

Ex hoc porro S. Benedicti loco Hildemarus eos qui Benedictinum officium in Romanum mutare præsumunt, ut Regulæ violatores arguit, eo quod non omni hebdomada totum psalterium persolvunt, puta

In hebdomada Paschæ et Pentecostes, in quibus Romani solito brevius decantant officium.

Quia nimis inertis devotionis suæ servitium **323** *ostendunt monachi.*] Imo obligationis; nam quod erat devotionis ante claustri ingressum, obligationis ac debiti evasit post monasticam professionem, ut observat Boherius.

Qui minus a Psalterio cum canticis consuetudinariis per septimanæ circulum psallunt, cum legamus SS. Patres uno die hoc strenue implesse.] Quod ait *uno die* non sic capiendum est, quasi semel et uno tantum die Psalterium recitassent, *sed cum dicit uno die*, inquit Hildemarus, *quasi diceret per singulos dies*, aut saltem frequenter. Quem SS. Patrum fervorem æmulatos fuisse non paucos reperimus. Ita S. Winwaloeus « ter quotidie quinquagenos psalmos psallebat, modo in crucis figuram, modo flexis genibus. » Ita S. Neotus abbas in Anglia immersus fonti, « solitus erat ad rigoris incrementum totum ex integro Psalterium persolvere. » Idem de S. Aldelmo referunt in ejus Vita, n. 4 (*Sæc.* IV *Bened.*, *part.* II). Ita Ceolfridus abbas Romam etiam proficiscens, « exceptis canonicis orationum horis, quotidie bis Psalterium ex ordine decantare curavit, » ut scribit Beda in Vita S. Benedicti Biscopi, lib. II, n. 21. Ita S. Sequanus abbas, ex ejus Vita, n. 2; S. Austrudis abbatissa Laudunensis, ex ejus item Vita, n. 18, nihil cibi aut potus prægustare solebant quin integrum Psalterium recitassent, qua de re etiam laudatur Gervinus abbas Centulensis in Chron. Cent. l. IV, c. 26 (*Specil. t.* IV). Ita denique S. Maurus, teste Fausto in ejus Vita, S. Albericus, abbas Cisterciensis, teste Henriquez in ejus Vita, n. 3 (*Boll.* 26 *Jan.*), etiam ante vigilias nocturnas sæpe Psalterium percurrebant. Quid integras congregationes commemorem, quibus solemne fuit singulis diebus Psalterium decantasse? id quod de Hoemburgensibus S. Odiliæ sanctimonialibus legimus in ejus Vita, n. 21 : « Evenit et ut quadam die, sicut consuetudo in eodem monasterio erat, scilicet ut quotidie secundum ordinem virium jejunarent, et Psalterium decantarent. » Qualem etiam disciplinam apud omnes S. Romualdi eremitas viguisse discimus ex Hieronymo Camaldul. monacho in sermone de S. Romualdo, n. 67, apud Boll., 7 Februarii : « Convocatis Pater S. Romualdus omnibus et singulis eremitis, docebat eos ut per totum anni circulum tribus diebus in septimana in solo pane et aqua jejunarent, Psalterium cum canticis quotidie dicerent, silentium inviolabiliter servarent, disciplinas flagellorum in cella facerent. » De eremitis quoque Fontis Avellani ita scribit Petrus Damiani (*Opusc. c.* 14) : « Consuetudo est ut cum duo fratres simul commorantur in cella, duo persolvant in die Psalteria, unum pro vivis, alterum pro defunctis. Et illud quidem quod est vivorum, cum illis dicitur additamentis quæ B. Romualdus apposuit. Quod vero pro defunctis, cum novem lectionibus dicitur; tribus nimirum per quinquagenos psalmos. Qui autem solus moratur, Psalterium quidem vivorum totum per singulos dies adimplet; defunctorum autem sive medium, sive totum, juxta quod virium possibilitas administrat. Horarum autem canonicarum psalmodia omnino, sicut fit in monasterio, ita hic per ordinem tota nihilominus adimpletur. » Sed **324** quod de S. Dominico Loricato refert idem Petrus Damiani omnem pene superat fidem : « Est inter nos qui nonnunquam uno die continuato cum n cte novem Psalteria meditando decurrat; et interim pene semper utraque manu scopis armata nudum corpus afficiat... Hic mihi aliquando fraterna familiaritate conquestus est, quia A cum novem sic Psalteria sæpe modulando perficeret, ad decimum nunquam potuerit pervenire. » Denique generalis olim in toto ordine Benedictino usus obtinebat integrum in die Parasceves Psalterium recitandi, uti ostendimus in lib. III de Antiq. monach. Rit., c. 14.

Quod nos tepidi utinam septimana integra persolvamus.] Quibus postremis verbis, paternaque increpatione S. Benedictus stimulos addit discipulis, ut aliquid ad solitum suæ devotionis servitium addant : unde satis mirari non possum quosdam monachos, eo quod parvum B. Mariæ officium aliquando recitare cogantur, conqueri, quasi nimis prolixa graventur psalmodia, cum vix ulla olim exstiterit monachorum congregatio, quæ quotidie illud persolvendum non susceperit, tantaque olim apud nostros augendi officii increverit devotio, « ut in quibusdam monasteriis ultra tria in quantitate Psalteria » ad institutum a S. Patre divini operis cursum adjecerint, B ut scribit Boherius : quod certe patet ex his quæ retulimus in lib. I de Antiq. monachor. Ritib., c. 2, 3, 4, 9 et 11. Scio equidem aliquos prolixitatem illam in psalmodia non ita probasse, ut sunt Guillelmus abbas S. Theoderici in epistola ad fratres de Monte Dei, et Petrus Blesensis ad monachum quemdam Carthusianum, quem ad Cluniacenses transire meditantem ita dehortatur (*Epist.* 86) : « Quid, quæso, dulcedinis aut devotionis invenies apud eos quibus versa est in nauseam numerosa atque confusa iteratio, atque farsura psalmorum. Paulus dicit : *Psallam spiritu, psallam et mente.* Si psallentibus non adsit devotio, licet eumdem psalmum millies repetant, non est hic psalmus jucunda decoraque laudatio. » Sed postea zeli sui fervorem paulo temperavit, ad M. abbatem de Evesham sic scribens (*Ep.* 97) : « Fateor quod psalmodiæ prolixitas, si ex devotione procedit, saluberrima est; si acediam habet sociam, occupatio tamen est honesta; si vagos excursus mentis omnino non reprimit, per eam saltem C studiis honestioribus assuescit. » Cæterum longe alia erat mens Petri Damiani, cujus unum testimonium sufficere potest ad obstruendum os adversariorum. Ita porro sese explicat ad Cluniacenses monachos scribens (*Lib.* VI, *epist.* 5) : « Cum tam districtum atque ferventem sanctæ vestræ conversationis ordinem recolo, non adinventionis humanæ studium, sed S. Spiritus magisterium inesse perpendo : nam tanta est in servandi ordinis continua jugitate prolixitas; tanta præsertim in ecclesiasticis officiis protelabatur instantia, ut in ipso Cancri sive Leonis æstu, cum longiores sunt dies, vix per totum diem unius saltem vacaret horæ dimidium quo fratribus in claustro licuisset miscere colloquium. Hoc autem tam continui laboris exercitium ad hoc est, ut reor, solerti satis ac provida magisterii arte provisum, ut levium atque **325** infirmorum fratrum fragilitatem reprimat, et delinquendi propemodum occasionem tollat, quatenus, etiamsi velint, præter cogitationem peccare vix D possint. Fragilium igitur imbecillitati consulitur, dum in persolvendo continui ordinis penso totum non modo diurni, sed et nocturni temporis spatium profligatur. »

Antequam caput istud absolvam, observabo cum Boherio in secundo comm., hujus capitis initio, quosdam olim existimasse S. Patrem Benedictum Gallicano usum esse Psalterio; quod ex iis locis colligebant, quæ S. Pater citat ex Psalterio in Regula, in quibus variæ reperiuntur lectiones quæ non exstant in Romano, bene autem in Gallicano.

CAPUT XIX.

De disciplina psallendi.

Ubique credimus divinam esse præsentiam, et oculos Domini in omni loco [a] speculari bonos et malos: maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum assistimus. Ideo semper [b] memores simus quod ait propheta: *Servite Domino in* A *timore*; et iterum, *Psallite sapienter*; et, *In conspectu angelorum psallam tibi.* Ergo consideremus qualiter oporteat nos [c] in conspectu divinitatis et angelorum ejus esse: et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.

[a] In Oxon. et Hild. deest *in omni loco.*
[b] Deest in Hild. *semper.*
[c] Al. deest *nos.*

COMMENTARIUS

Hactenus de divinis officiis satis fuse S. Benedictus, singulas illius horas assignando, singulas horarum partes distribuendo, psalmorum ordinem disponendo: unum restare videbatur, quod esset horum omnium velut anima, et sine quo vix aut ne vix quidem cuncta prodessent; qua scilicet psallendum sit disciplina; idque præsenti hoc capite exsequitur. B Isthæc autem psallendi disciplina in duobus potissimum sita est, ex quibus unum exteriorem hominis compositionem spectat, alterum interiores animi dirigit affectus. De hoc secundo præsertim agitur hoc capitulo, de primo plurima jam tetigimus tum in ante dictis hactenus, tum in libro I de Antiq. mon. Rit., cap. 2. Unum hic solum addo Benedicti papæ XII decretum, ut in monachorum **326** « ecclesiis, monasteriis, sive locis cum gravitate, et modestia, humiliter, et devote, horis debitis ad divina officia universi et singuli monachi debeant convenire; ipsaque cum devotione sincera, tractim, distincte, convenienter, et debite celebrent; non transcurrendo, aut syncopando, et quoad alia quæ his impedimentum afferrent, servando silentium; quinimo ad divina intentis præcordiis attendendo: transgressores vero præmissorum debitæ subjaceant disciplinæ (*In Const. pro Bened. cap.* 27). » Huc referri potest præclarum S. Bernardi monitum (*Serm.* 47, *in Cant.*): « Vos C moneo, dilectissimi, pure semper et strenue divinis interesse laudibus. Strenue quidem, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes; sed virili, ut dignum est, sonitu et affectu voces S. Spiritus depromentes. » Et alibi (*Epist.* 312): « Cantus si fuerit, plenus sit gravitate, nec lasciviam resonet, nec rusticitatem: sic suavis, ut non sit levis; sic mulceat aures, ut moveat corda. Tristitiam levet, iram mitiget: sensum litteræ non evacuet, sed fecundet. Non est levis jactura gratiæ spiritualis levitate cantus abduci a sensuum utilitate, et plus sinuandis intendere vocibus quam insinuandis rebus. » Recte omnino; nam ab humili prorsus et simplici monachorum psallendi disciplina alieni sunt omnes cantus figurati, musicorum voces seu potius clamores, musicalia omnia instrumenta, a quibus abhorruere quotquot unquam solidæ D pietati et religiosæ simplicitati studuerunt monachi; unde merito a suis olim ecclesiis organa extruserunt nostri Casalini; edito hoc statuto (*Constit. mss. Casalis Ben. c.* 66): « Prohibemus etiam in nostra congregatione organa, interdicentes fratribus nostris tam organorum quam aliorum instrumentorum pulsationem; quibus inhibemus ut nec addiscant, nec doceant eorum usum. Similiter caveatur omnis cantus figuratus. » Quod decretum a Cassinensi congregatione accepisse videntur, siquidem in ejus antiquis declarationibus prohibentur de novo fieri organa sine licentia capituli generalis, nec nisi in præcipuis diebus pulsari permittuntur; et hoc per alios quam per monachos, quibus tam organorum quam aliorum musicorum instrumentorum, pulsationem interdicunt; inhibentque ne addiscere, nec alios docere possint. In Constitutionibus etiam monachorum Fuliensium (*Cap.* 19) hæc leguntur: « In nulla divini officii aut missarum parte liceat cantu figurato, aut symphoniaco, vel musico uti, nec organis aut alio quovis genere instrumenti. Longissimeque absint hæc omnia a monasteriis nostris, nec in ea re dispensari possit. » Certe organorum usus apud veteres monachos raro invenies. Aliqua in novo Wintoniensi monasterio Elfegus construxisse dicitur in vita metrica S. Athelvoldi (*Sæc.* v *Bened. p.* 630); sed hoc in cathedrali ecclesia, quæ monachis Benedictinis olim Wintoniæ commissa erat. Similiter Ramesiensi basilicæ comes Aldermannus (*Chron. Rames.* II *part.*, *cap.* 28, *sæc.* v, *pag.* 756), « triginta libras ad fabricandos cupreos organorum calamos erogavit, qui in alveo suo super unam cochlearum denso ordine foraminibus **327** insidentes, et diebus festis follium spiramine fortiore pulsati prædulcem melodiam et clangorem longius resonantem ediderunt. » Sed hoc comitis liberalitate non monachorum expensis. Denique in ms. Chronico Cavensis monasterii (*Apud Boll.*, *ad Vit. S. Petr. abbatis Cavens.*, 4 *Mart.*) organorum mentionem reperi in dedicatione ecclesiæ ab Urbano II facta; sed hoc in summa festivitate, et præsente summo pontifice. Cæterum in nostris Galliis dubito an visa fuerint in monachorum ecclesiis organa ante trecentos aut ad summum quadringentos annos. Porro erravit Navarrus dum asseruit tempore S. Thomæ Aquinatis organorum usum nondum receptum fuisse: nam præter ea quæ diximus, anno 757 « delata sunt organa de Græcia, missa ab imperatore cum certis muneribus domno Pippino regi, » ex Chronico S. Benigni Divionensis. Sed de his, quæ obiter dicta sunt, satis: venio ad Regulæ textum.

Ubique credimus divinam esse præsentiam.] Licet Deum ubique præsentem esse sit res per se nota, ut vix Deum concipiamus quin eum ubique præsentem intelligamus, non defuere tamen qui vel ipso naturæ lumine destituti, divinam immensitatem limitibus circumscribere voluerunt. De Platonicis et Stoicis ita scribit Tertullianus (*In Apolog.*): « Deum posuerunt extra mundum Stoici, qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc; intra mundum Platonici, qui gubernatoris exemplo intra mundum remaneat, quem regat. » Judæi quoque, referente S. Hieronymo (*In Isai. c.* LXVI), aut saltem rudiores inter ipsos, Deum concludebant in templo Jerosolymitano. Hæretici quoque non pauci divinam immensitatem impugnarunt, scilicet Valentiniani, Gnostici, Manichæi, et alii, ut referunt Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus; nostra vero ætate Vorstius Calvinianus in eumdem scopulum impegit, Deumque voluit substantialiter solo in cœlo esse; in aliis vero virtute tantum, et potentia: imo refert Erasmum dubitasse sitne Deus in antro scarabæi aliisque obscenioribus locis, quamvis id in operibus Erasmi nullibi revera

legatur. Quibus omnibus reclamat Deus: *Cœlum et terram ego impleo.*

Quomodo autem Deum ubique præsentem intelligamus, præclare exponit S. Gregorius hic ab Hildemaro citatus his verbis: « Deus autem ubique esse dicitur, quia ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse super omnia, ipse infra omnia. Et superior per potentiam, et inferior per sustentationem: exterior per magnitudinem, et interior per subtilitatem. Sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. Nec alia ex parte superior, alia inferior; aut alia ex parte exterior, atque ex alia manet interior; sed unus idemque totus ubique, præsidendo sustinens, circumdando penetrans, penetrando circumdans, unde superius præsidens, inferius inde sustinens, et unde exterius ambiens, inde interius replens; sine inquietudine superius regens, sine labore inferius sustinens; interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circumdans. Est itaque inferior, et superior sine loco, est amplus sine latitudine, est subtilis sine attenuatione. »

328 *Et oculos Domini.*] « Oculus Dei, inquit Hildemarus, dicitur illa vis divina qua cuncta videt, sicut auris dicitur illa vis divina qua cuncta audit. » Sive, ut ait Bern. Cass., « Oculorum ejus speculatio est infallibilis, et plenissimæ scientiæ ipsius cognitio. »

Speculari bonos et malos.] Bonos ut corrigantur, ait iterum Hildemarus, sicut respexit Petrum; malos ut puniantur, et condemnentur, sicut respexisse legitur castra Ægyptiorum, solis adinstar, qui et ceram liquefacit et lutum indurat.

Maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus.] Quod ait *maxime* non sic capiendum est, quasi Deus magis uno esset in loco, quam alio; sed ad nos referri debet, non ad Deum ipsum, ut post Hildemarum docet Bernardus Cassin. Et certe, « licet semper videamur, sed tunc etiam præsentamus et ostendimus nos quasi facie ad faciem cum Deo loquentes, » inquit alter Bernardus abbas Clarevallensis.

Cum ad opus divinum assistimus.] Ad opus divinum, ait, « quo quidem nomine, ut loquitur iterum S. Bernardus (*Serm.* 47, *in Cant.*), laudum solemnia, quæ Deo in oratorio quotidie persolvuntur, P. Benedictus ideo voluit appellare, ut ex hoc clarius aperiret quam nos operi illi velit esse intentos. »

Ideo semper memores simus quod ait Propheta: Servite Domino in timore; et iterum: Psallite sapienter.] Quid sit psallere sapienter varie a variis exponitur. Primo enim S. Basilius (*In Regul., apud Rufin., cap.* 57): « Si quis, inquit, ita animam suam intendat ad singula verba psalmorum, sicut gustus intentus est ad discretionem saporis ciborum, iste est qui complet hoc quod dicitur: Psallite sapienter. » Basilio concinere videtur Hildemarus his verbis: « Ille psallit sapienter, qui quod ore dicit, corde cogitat. » Et Bernardus Cassinensis: « Psallite sapienter, hoc est sapide, id est cum devotionis sapore, ut toto posse cogitetur quod psallendo habetur in ore. Quidam enim psallunt, sed insipienter, quia corde vagante, solus est in eis strepitus labiorum. Ille etiam insipienter psallit, qui modulatione vocis solum audientibus placere intendit. » Idem habet Boherius. Huc etiam faciunt illa S. Bernardi verba (*Serm.* 7, *in Cant.*): « Laudem ergo cum cœli cantoribus in commune dicentes, utpote cives sanctorum et domestici Dei, psallite sapienter. Cibus in ore psalmus in corde sapit; tantum terere non negligat fidelis et prudens anima quibusdam dentibus intelligentiæ suæ, ne si forte integrum glutiat, et non mansum, frustretur palatum sapore desiderabili et dulciori super mel et favum. » Et certe si juxta eumdem Bernardum (*Serm.* 85, *in Cant.*), *ille sapiens est, cui Deus sapit*, ille psallere sapienter dicendus, cui Deus psallendo sapit. Eamdem explicationem etiam sequi videtur Magister in Regula, cap. 47.

Aliter Regula Patrum a S. Benedicto Anianensi, et a Smaragdo hic citata: « Sapienter psallit qui voci laudanti noxiis operibus non contradicit, et qualiter oporteat divinæ potentiæ famulari sollicita **329** cura omnique studio prosequitur. » Cui consonat illa Prosperi Aquitanici sententia 72: « Recte in Dei laudem psallit, cujus opera cum voce concordant. Nam finito carmine vox tacet, vita autem in bonis actibus permanens nunquam reticet ejus gloriam, quem in se gaudet operari. »

Denique Nicolaus de Fractura: « Nemo, inquit, sapienter facit quod non intelligit: ideo cum psallimus, sapienter psallamus, id est cum omni puritate animi, et intellectu eorum quæ sursum sunt. »

Et: « In conspectu angelorum psallam tibi. »] Quem locum duobus modis explicat Hildemarus. « Uno modo, inquit, intelligitur, quia cum psallimus Deo, assistentibus angelis psallimus, quia Deus non est sine suis nuntiis, atque ministris. Altero modo intelligitur, quod si nos intendimus corde quod ore dicimus, nostra intentio intentioni angelorum jungitur. »

Ergo consideremus qualiter oporteat nos in conspectu Divinitatis et angelorum ejus esse.] Ne forte cadat in nos terribilis illa S. Bernardi exprobratio (*Serm.* 7 *in Cant. Vide epist.* 78 *ad Sugerium abbatem*): « Doleo aliquos vestrum gravi in sacris vigiliis deprimi somno, nec cœli cives revereri, sed in præsentia principum tanquam mortuos apparere, cum vestra ipsi alacritate permoti vestris interesse solemniis delectentur: vereor ne vestram desidiam quandoque abominantes cum indignatione recedant, et incipiat unusquisque vestrum sero cum gemitu dicere Deo: Longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi. Quapropter attendite principes vestros cum statis ad orandum, vel psallendum, et state cum reverentia, et disciplina.... Usurpemus officium, quorum sortimur consortium: ut in ore infantium et lactentium perficiatur laus, dicamus eis: Psallite Deo nostro, psallite; atque audiamus eos vicissim respondentes: Psallite Regi nostro, psallite. »

Et sic stemus ad psallendum.] Quem in locum Bernardus Cassinensis: « Non dixit *sedeamus ad psallendum*; sed *stemus* dixit, ut indicet corpus erectum esse debere, ut erectam etiam notet mentem: unde usque hodie in psalmis canendis non sedent fratres in Monte Cassinensi, etc. » sed de his superius diximus ad cap. 9.

Ut mens nostra concordet voci nostræ.] Et hoc est potissimum quod toto hocce capitulo intendebat S. Benedictus; ideo enim præmisit divinam adesse præsentiam cum ad opus divinum assistimus, in conspectu angelorum nos psallere, Deo serviendum esse cum timore, psallendumque sapienter, ut tandem concluderet: Sic stemus ad psallendum ut mens nostra concordet voci nostræ. Idem monent S. Basilius (*In Admon. in Regul. cap.* 9): « Ne dissonans sit a sono vocis tuæ sensus tuus; sed in linguæ verba vigil intendat. » S. Augustinus (*Regul. cap.* 7): « Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde quod profertur in voce. » S. Isidorus: « Quando celebrantur psalmorum sacramenta spiritualia, refugiat monachus risus et fabulas; sed hoc meditetur corde quod psallitur ore. » Regula Magistri (*Cap.* 47): « Quod sonat in voce, ipsum sit in mente **330** psallentis. » S. Bernardus: « Nihil aliud dum psallitis, quam quod psallitis cogitetis. » Talis erat S. Adalardus, abbas Corbeiensis, qui, referente Paschasio Ratberto in ejus Vita, n. 27 (*Sæc.* IV, *part.* I): « Si ad Dei intrasset officium, ut idem jucundo animo solitus erat dicere, mox omnes cogitationes, et causas rerum temporalium ante ostium reponebat, et secum totus ingrediebatur, ut totus Deo ac sibi adesset. » Tales erant nostri Meldenses S. Faronis, quorum probata ad Deum attentio Otgerii militis conversionem perfectam operata est, uti habetur in ejus Vita, n. 19 (*Ibidem*). Tales Sancti-Gallenses, quorum devotionem ad opus Dei experimento didicisse leguntur imperatores Ottho et Conradus, apud Ekkehardum, in lib. de casibus S. Galli. Talis denique in Cluniacensi Bene-

dictus monachus (*Petr. Ven. lib.* I *Mir., cap.* 20), « qui psalterium glossatum semper circumferebat, quoniam psalmos non perfunctorie, ut quibusdam A moris est, sed summa cum intentione atque devotione cantabat. Ubi si quid quod non intelligeret offendisset, ad glossas statim oculum convertebat. »

CAPUT XX.

De reverentia orationis.

Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate, et reverentia : quanto magis Domino Deo universorum [a], cum omni humilitate [b], et puritatis devotione [c] supplicandum est? Et non in multiloquio, sed in puritate cordis, et compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideo brevis debet esse et pura oratio, nisi forte ex affectu inspirationis divinæ gratiæ [d] protendatur. In conventu tamen, omnino brevietur oratio; et facto signo a priore, omnes pariter surgant.

[a] Flor., *omnium sanctorum.*

[b] Al., *cum omni humilitatis;* al., *cum cordis humilitate.*

[c] Hild. et Hadr., *et puritate devotionis.*

[d] Al. deest *gratiæ.*

COMMENTARIUS.

Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, etc.] Familiaris quidem comparatio, sed eo ad persuadendum efficacior, quo familiaris magis ac nota. Eadem utuntur Tertullianus, in lib. de Orat.; S. Basilius, in Regul. brevior., interrog. 201; Cassianus, collat. 23, c. 7; Evagrius. in Monachicis, n. 11, tom. III Monum. **331** Eccl. Græc.; S. Eligius, hom. 9; Haymo Halberstatensis, l. de Varietate, c. 20; Magister, in Regula, c. 48; Grimlaicus, in Regula Solit., c. 31, ubi etiam integrum fere hoc caput describit.

Quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate, et puritatis devotione supplicandum est.] Cum omni, inquit, humilitate, *id est corporis et animæ,* ait Hildemarus : addit Bernardus Cassinensis, *et oris;* utraque enim necessaria est, utramque etiam laudat S. P. Benedictus cap. 7.

Merito autem orare volenti S. Pater virtutem commendat humilitatis, quia Deus respicit in orationem humilium, et non spernit preces eorum : unde S. Joannes Climacus (*Grad.* 7; *vide S. Bern., serm.* 25 *de Divers.*) : « Dum das operam precibus, sta coram judice tremebundus, non secus ac reus, ut humili corporis statu foris, et animi intus, justi judicis iram exstinguas : non enim potest animam tanquam viduam dolenter coram se stantem, et importune, quamvis ipse infatigabilis, precibus fatigantem spernere. » Addit S. Benedictus *et puritatis devotione,* quam in cordis simplicitate constituit Bernardus Cass., juxta illud : *In simplicitate cordis quærite illum.* Et certe « nulla debet esse in oratione duplicitas; non unus in ore, alter in corde inveniatur, » inquit in Regula Magister (*Cap.* 48), sed pura ad Deum intentio, « ut qui orat præsentis Christi videatur pedes tenere, » ut loquitur idem Magister.

Et non in multiloquio.] Idem docet S. Basilius : « Ne longitudinem verborum protrahas ante eum; quia non in multiloquio, sed in purissima mente placabitur Deus. » Et abbas Macarius a fratribus interrogatus quomodo esset orandum, respondit (*In admonit. Ruffin. Lib.* III *de Vit. Pat., n.* 207) : « Non sunt necessaria nobis superflua verba, sed extendere tantum manus, ac dicere debemus : Deus, quomodo vis, et sicut tibi placet, ita fiat. Si autem tentat o irruerit, aut impugnatio, dicendum : Deus, auxiliare nobis; ipse enim scit quæ nobis expediant. » Quin et ipse Christus in Evangelio, « Orantes, inquit, nolite multum loqui sicut ethnici; putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur, nolite ergo assimilari eis. » Quid autem sit *in multiloquio orare,* et quid differant multiloquium et diuturna precatio, erudite admodum docet S. Augustinus his verbis (*Epist.* 130) : « Neque enim, ut nonnulli putant, hoc est orare in multiloquio, si diu- B tius oretur. Aliud est sermo multus, aliud est diuturnus affectus : nam et de ipso Domino scriptum est, quod pernoctaverit in orando, et quod prolixius oraverit : ubi quid aliud quam nobis præbebat exemplum in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus? » Et paulo post : « Absit enim ab oratione nostra multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat; nam multum loqui est in orando rem necessariam superfluis augere verbis : multum enim precari est eum quem precamur diuturna et pia cordis excitatione pulsare; nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affectu. » Et sane, ut præclare docet Hugo de S. Victore (*De modo orandi, cap.* 4) : « Homo qui rogatur per narrationem nostram docetur, ut **332** sciat quid velimus; per supplicationem pulsatur ut annuat quod petimus. Sed in illa quæ ad Deum fit oratione narratio necessaria non est, nisi forte homo ad hoc narret ut ipse petitionem C suam melius intelligat; ut et per orationem suam admonitus quid petat consideret, et per considerationem petitionis suæ exercitatus devotius oret. »

Sed in puritate cordis.] Quia soli mundo corde Deum videbunt. « Ut autem eo fervore ac puritate qua debet, emitti possit oratio (ita loquitur Cassianus [*Collat.* 9, *c.* 3]), hæc sunt omnimodis observanda. Primum, sollicitudo rerum carnalium generaliter abscindenda est. Deinde nullius negotii causæve non solum cura, sed ne memoria quidem penitus admittenda; detractiones, vaniloquia, seu multiloquia, scurrilitates quoque similiter amputandæ; iræ præ omnibus sive tristitiæ perturbatio funditus eruenda; concupiscentiæ ac philargyriæ noxius fomes radicitus evellendus : Et ita his ac similibus vitiis extrusis penitus et abscissis, quæ hominum quoque possunt patere conspectibus, talique, ut diximus, respurgii emendatione præmissa, quæ simplicitatis et innocentiæ puritate perficitur, jacienda sunt primum profundæ humilitatis inconcussa fundamenta, quæ scilicet turrim intratu- D ram cœlos valeant sustinere; deinde superponenda virtutum spiritualium exstructio; ab omni discursu atque evagatione lubrica animus inhibendus, ut ita paulatim ad contemplationem Dei ac spiritualis intuitus incipiat sublimari. Quidquid enim ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est ut orantibus nobis per ingestionem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus, etc. »

Et compunctione lacrymarum.] Quid sit compunctio, docetur apud S. Augustinum his verbis (*De Spiritu et anima, cap.* 50) : « Compunctio est quando ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur. » Aliter liber de modo vivendi inte-

opera S. Bernardi (*Cap.* 10) : Compunctio cordis est humilitas mentis, veniens de recordatione peccati et timore judicii. Illa compunctio perfecta, quæ pellit a se omnem delectationem carnalium rerum, et toto studio mentis figit intentionem in contemplatione Dei. » Quibus verbis quasi duo distinguit compunctionis genera, quorum unum est *in mœrore pro nostris excessibus*, *alterum in exsultatione pro divinis muneribus*, ut loquitur S. Bernardus (*Serm.* 66 *in Cant.*) : quæ Grimlaicus in Regula solitariorum (*Cap.* 30) vocat irriguum superius, et irriguum inferius.

Porro ex S. Gregorio (*Lib.* XXIII *Moral.*, *cap.* 13) « quatuor sunt qualitates quibus viri justi anima in compunctione vehementer afficitur : cum aut malorum suorum reminiscitur, considerans ubi fuit; aut judiciorum Dei sententiam metuens, et secum quærens cogitat ubi erit; aut cum mala vitæ præsentis solerter attendens, mœrens considerat ubi est; aut cum bona supernæ patriæ contemplatur, quæ quia necdum adipiscitur, lugens conspicit ubi non est. » Idem videre est in præfato libro de Modo vivendi, cap. 10, et in Regula solitar., cap. 29. Alias compunctionis causas **333** enarrat Cassianus collat. 9, cap. 26. Vide Petri Damiani opusc. 15, cap. 26.

Et ideo brevis esse debet et pura oratio.] Quantum ad tempus et quantum ad verba, inquiunt Bernardus Cassin. et Boherius. Idem monet vulgatum Syntagma doctrinæ S. Athanasii ad monachos : « Per diem frequenter ora, et assidue; attamen sine longa orationis extensione, sine clamore, aut multiloquio inani. » Idque monachorum Ægyptiorum exemplo, qui, ut dicit Cassianus (*Lib.* II, *cap.* 10), utilius censebant *breves quidem orationes, sed creberrimas fieri* : de quibus etiam S. Augustinus in epistola ad Probam (*Epist.* 130) : « Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, et raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat atque hebetetur intentio; ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt hanc intentionem sicut non est obtundenda, si perdurare non potest, ita si perduraverit, non cito esse rumpendam. »

Quare autem ita brevibus delectarentur orationibus, præter eam quam modo protulit S. Augustinus rationem, addit Cassianus (*Lib.* II, *cap.* 10), « ut insidiantis diaboli jacula, quæ infligere nobis tunc præcipue cum oramus insistit, succincta brevitate vitemus. » Et apud eumdem abbas Isaac (*Collat.* IX, *cap.* 36) : « Frequenter quidem sed breviter est orandum, ne immorantibus nobis inserere aliquid nostro cordi insidiator possit inimicus. » Duas hujusce brevitatis rationes profert Magister, quas illius suppresso nomine hic exscribit Smaragdus (*Cap.* 48) : « Ideo diximus brevem fieri orationem, ne quis per occasionem prolixæ orationis obdormiat; aut forte diu jacentes diabolus eis ante oculos diversa ingerat, vel in corde aliud subministret. » Addit S. Hildegardis : « Ne forte psalmodiæ postea insistentes minus ipsi psalmodiæ intendant, cum per præmissam ac prolixam orationem fatigati fuerint. »

Verum ex S. Benedicto non modo brevis, sed etiam pura debet esse oratio. Pura autem illa est quæ Deum ipsum petit, aut aliquid propter Deum, cujusmodi sunt ea quæ recenset S. Bernardus, in sententia 17. Vide ejusdem serm. 107 de diversis.

Nisi forte ex affectu inspirationis divinæ gratiæ protendatur.] Sicut enim non est obtundenda animi intentio, si perdurare non potest; ita si perseveraverit non est cito rumpenda, ut modo dicebat S. Augustinus : quapropter « tandiu debemus in oratione prostrati jacere, donec Domino juvante cogitationes vanas comprimamus. Si autem videmus nos superari agitationibus, etiam non delectamur in oratione jacere, surgendum est, deinde legendum, aut psallendum, aut operandum est, » inquit Hildemarus.

Porro S. Benedicto concinit Aelredus in Regula cap. 14.

In conventu tamen omnino brevietur oratio, et facto signo a priore, omnes pariter surgant.] Hic locus difficilis et obscurus est, quo in explicando non consentiunt auctores **334**, quorum proinde opiniones diversas, ut quæ arriserit possit eligi, referre animus est.

In primis Smaragdus S. Benedictum intellexisse videtur de ritu monachorum Ægyptiorum, qui psalmis orationes interponebant, quod vel ex eo maxime patet, quod ad hunc Regulæ textum exponendum, aliud nihil quam ipsa Cassiani verba, quibus ille ritus exprimitur, proferat. Hildemarus, antiquus Regulæ commentator, mentem suam ita explicat : « In conventu omnino brevietur oratio; non enim dicit de illa oratione, quam presbyter dicit, vel capitulo; sed de oratione uniuscujusque, qua in conventu unusquisque monachus orat; nam statutum est quanta capitula debet presbyter dicere, vel orationem in conventu. » Postea vero explicans sequentia verba, *et facto signo a priore omnes pariter surgant*, duas refert sententias : « Sunt enim, inquit, qui intelligunt illud signum esse cum dicit presbyter *per omnia sæcula sæculorum*, quatenus tu surgens respondeas *amen*, sive sit in te inspiratio divina, qua possis diutius orare, sive non.... Iterum sunt alii, qui istud signum, ad quod præcipit Regula esse surgendum, intelligunt istud signum esse ultimum, quod tangitur ad vigilias, ad matutinum, ad primam, ad tertiam, sextam, nonam, vesperum atque completorium; quatenus, cum tactum fuerit, paratus sit monachus stans in choro ad respondendum dicto *Deus, in adjutorium meum intende*, *Domine ad adjuvandum me festina*. » Moris quippe fuit in ordine nostro, ut inter divini officii signa fratres orando circuirent altaria, quod ad vigilias nocturnas maxime præstabant, uti ostendimus in l. I de Antiq. mon. Ritibus, c. 1, ac de illa oratione sanctæ Regulæ textum illi capiebant. Eo etiam sensu Bernardus Cass. et Richardus de S. Angelo intellexisse videntur, uti et S. Hildegardis, quæ hunc in locum sic scribit : « Quoniam ante singulas horas canonicas orationem dici admonebat, quia cum in sequentibus jubeat quod hospiti pacis osculum non prius offeratur nisi oratione præmissa; multo magis cum omnipotens Deus salutandus est oratio præmittenda est, et brevis, ne forte psalmodiæ minus intendant, cum per præmissam et prolixam orationem fuerint fatigati. » His accedit Theobaldus Artaldus Cœlestinus, in sua expositione Gallica Regulam sic reddens : *L'Oraison qui est faite au convent, c'est à dire depuis que après le son de la cloche les frères sont assemblés en l'église pour accomplir le divin service, soit du tout abregiè, sans avoir regard à l'affection dévote d'aucuns particuliers, qui se doit rendre commune en la présence de la religieuse communauté.*

Priorem tamen sententiam secutus fuisse videtur Paulus Augustinus a Janua monachus Cassinas, cum, prolato Regulæ textu, Et *facto signo a priore omnes pariter surgant*, ita infert : « Ergo in ultima parte officii genua flectebant. » Ab hac sententia non multum recedit cardinalis de Turrecremata, S. Benedictum exponens « de oratione uniuscujusque, quam unusquisque apud se orat cum toto conventu, sicut in fine officii religiosi prostrati, aut inclinati soliti sunt facere orationem **335** aliquam usque ad signum quod fit a prælato; » cujus sententiæ astipulatur Matthias Lamberius, in Gallico commentario; eaque Hildemaro magis arrisit.

Nicolaus Bravus ex utraque expositione « integrat unam, quæ tam de principio, quam de fine horarum intelligat Regulam, » hoc est de oratione quæ præmitti solet officio, et de ea quæ illud sequitur. Et certe præmissam fuisse orationem, eamque completo officio repetitam, vero simile est : an vero de ea oratione hic loquatur S. P. Benedictus non ita liquet.

Alter Nicolaus, de Fractura dictus, mentem suam non satis explicat, cum ait Regulam non esse intelligendam de psalmodia, aut de aliis quæ ad divina officia sunt ordinata, « sed de oratione, qua orat unusquisque in conventu. »

Petrus Boherius in primo comment. diversorum relatis sententiis, in eam propendet quæ S. Benedictum intelligit de brevi et secreta oratione, quæ præmitti solebat horis canonicis : at vero in secundo commentario mentem suam clarius exprimens ita discurrit : « Intelligo siquidem hunc textum de communi oratione, quæ inter psalmos intercidit more Patrum Ægypti, Thebaidis, et Palæstinæ provinciarum. Has, inquit, orationes hoc modo incipiunt, atque consummant, ut finito psalmo non statim ad curvationem genuum corruant, sed antequam flectant genua paulisper orant, et stantes in supplicatione majorem temporis partem expendunt ; itaque post hoc puncto brevissimo projicientes se humi, velut adorantes tantum divinam clementiam, summa velocitate consurgunt, ac rursus erecti expansis manibus, eodem modo quo prius stantes oraverant, suis precibus immorantur : humi namque diutius procumbentes non se solum cogitationibus, aiunt, verum etiam somno gravius impugnari. Et de illa nimirum oratione etiam hunc textum intelligo, quæ fit in horis diurnis non utique inter psalmos, sed post *Kyrie eleison*, quæ missæ aliter nuncupantur. » Hactenus Boherius ex cujus sententia S. Benedictus ad nocturnas vigilias et laudes orationes psalmis Ægyptiorum monachorum more interposuerit ; quas ad horas diurnas in finem officii rejecerit, uti jam supra vidimus, de qua oratione S. P. Benedictum hic fuisse locutum existimat.

Eamdem sententiam amplectitur Menardus noster, probatque bis duobus argumentis : 1° quod S. P. Benedictus veterum monachorum instituta ut plurimum secutus sit, maxime quæ a Cassiano descripta sunt, quorum aliqua aut penitus tacuit, aut velut obiter tetigit, tanquam omnibus magis nota, qualis est ille Ægyptiorum monachorum ritus, quem commendat S. Athanasius in lib. de Virginitate : « Ad quemlibet psalmum preces et genuum flexio cum lacrymis addatur. » Et S. Pachomius, in Regul. art. 126 : « Per domos singulas vespere sex orationes psalmosque complete. » 2° Quod idem ritus aliis etiam monachis communis exstiterit, utpote quem præscribunt S. Isidorus in Regulæ c. 7, S. Fructuosus in Regulæ c. 3, Magister in Regulæ c. 33, quæ quidem
336 Regulæ magna ex parte ex Benedictina conflatæ fuerunt. His adjiciendum est S. Columbani Pœnitentiale, in quo inter alia hæc præscribuntur : « In communi autem omnes fratres omnibus noctibus in tempore orationum in fine omnium psalmorum, genua in oratione, si non infirmitas obfuerit, flectere æquo animo debent, sub silentio dicentes, *Deus, in adjutorium meum intende, Domine, ad adjuvandum me festina;* quem versiculum postquam ter in oratione decantaverint, æqualiter a flexione orationis surgant. » 3° Addere posset quod in antiquis Psalteriis mss. in fine singulorum psalmorum habentur etiam orationes descriptæ. Exstat hujusmodi Psalterium in nostro Parisiensi S. Germani monasterio : tale etiam erat quod Molismo Cistercium detulit S. Robertus, servaturque hactenus in monasterio Cisterciensi.

A 4° Quod narrat S. Gregorius papa (*Lib.* II *Dialog.*, *cap.* 4) de negligenti illo monacho, quem castigavit S. Benedictus, qui quotidie *cum constituta hora expleta psalmodia sese fratres in orationem dedissent*, exibat ab opere Dei, forasque vagabatur. Hic enim locus non potest intelligi de integro opere Dei, ut vult Haeftenus, nam expleto opere Dei omnes cum summo silentio egredi oratorio jubentur infra c. 52. Sed aut de singulis psalmis quibus subjungebatur oratio, ut ad nocturnos et laudes, aut de omnibus quidem psalmis in quorum fine S. Benedictus orationes rejecerit, quæ totum officium terminarent, quo tempore frater ille negligens exire solebat. Et certe huic vitio videntur obnoxii fuisse olim aliqui monachi, cui mederi voluerit Regula secunda SS. Patrum, decernens (*Cap.* 6), « ut tempore quo missæ fiunt, sive die, sive nocte, quando diutius ad orationem standum est, non deficiant, vel superfluo foras recedant. » Idem habet Regula S. Macarii c. 15, et Regula S. Pacho- B mii (*Art.* 11 *in cod. Regul.*) : « Quando in collecta orant fratres, nemo egredietur absque jussione majorum. » Sed hujusmodi leges non magni pendebat negligens ille monachus, S. Mederici abbatis discipulus (*In ejus Vita*, *n.* 7, *sæc.* III *Bened.*, *part.* I), qui « statim ut synaxeos oratio consueta finienda esset, et antequam genua flecteret, ab ecclesia exiret; » cujus ille morbum pene benedicto sanavit.

Denique Benedictus Haeftenus (*Catechism. monast.*, *part.* I, *disq.* 6, § 2) hunc locum intelligit de oratione mentali et secreta, quæ expleto opere Dei fieret in conventu, nixus maxime S. Gregorii testimonio, quod modo retulimus, et explicuimus ; eamque una hora integra perdurasse existimat in suo ad Vitam S. Benedicti commentario, c. 4, quod an sit orationem breviare, judicare quilibet potest. Ejus sententia hoc argumento stabiliri potest, quod S. Benedictus superiori capite egisse videatur de toto officio divino, hic vero de oratione, quæ non in multiloquio, sed in compunctione lacrymarum peragitur. Quamvis ipse C alibi aliter censuisse videatur : nam referens varia divini officii nomina, « dicitur, inquit (*Lib.* I, *tract.* 2, *disq.* 1), divinum officium *conventus*, quod nimirum ad illud fratres conveniant. .. Et hoc modo intelligendum crediderim S. Benedictum, cum ait : In conventu tamen omnino brevietur oratio. » Quæ vero adversus Menardi sententiam, cui favet Smaragdus, profert, non magni videntur momenti, et facili negotio resolvi queunt.

337 Cæterum non est hic prætereundum quod notat Hildemarus, nimirum in eo quod dicitur, *In conventu autem omnino brevietur oratio* satis ostendi, aliis temporibus esse monachis orandum pro sua cuique devotione, brevius aut prolixius, prout Deus dederit ; quod cum negligerent monachi, statuta fuerunt in singulis congregationibus tempora quibus omnes fratres orationi vacarent : unde Boherius : « Puto, inquit, ad relevandum nostri magistri intellectum, introductam inde illam trinam orationem, quæ in pavi- D mento chori positis terræ genibus ante inceptionem horæ nocturnæ, ac primæ, ac post finem completorii in certis Galliæ monasteriis celebratur, quæ communiter trium *Pater noster* interstitio terminatur. » Quæ ex Benedicti Anianensis instituto processisse patet ex eius Vita. n. 51.

CAPUT XXI.

De decanis monasterii.

Si major fuerit [a] congregatio, eligantur de ipsis fratres [b] boni testimonii et sanctæ conversationis, et constituantur decani : qui sollicitudinem gerant super decanias suas [c] in omnibus, secundum mandata Dei

[a] Al., *est*.
[b] Oxon., Conc., Hild., *fratribus*.

[c] Oxon. et Conch. deest *suas*.

et præcepta abbatis sui. Qui decani tales eligantur in quibus securus abbas partiatur[a] onera sua. Et non eligantur per ordinem, sed secundum vitæ meritum et sapientiæ doctrinam. Quique decani si ex eis aliqua forte quis inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis, correptus semel, et iterum, et tertio, si emendare noluerit, dejiciatur; et alter in loco ejus, qui dignus est, subrogetur[b]. Et de præposito eadem constituimus.

[a] Conc., Flor., Lyr., Comp., *partiat.*

[b] Oxon., Sabin. cum aliis sex mss., *succedat.*

COMMENTARIUS.

Ea est virorum prudentissimorum agendi ratio, ut in rebus duris et arduis propriis diffidant viribus, et oneris quod sibi portandum incumbit, saltem partem aliquam in alienos deponant humeros : quapropter cum ars artium sit regimen animarum, nihilque tam arduum ac difficile existat quam multorum servire moribus ; præpositum in **338** monasterio, aliosque, ubi fratrum major est numerus, decanos S. P. Benedictus una cum abbate eligi curavit, quibus ille securus onera partiretur, ut ab iis adjutus, et ipse æquo animo impleret officium sibi commissum. Horum de nomine primum, deinde Regulæ textum exponendo de muniis agendum.

Itaque *decani* vocabulum nomen est militiæ, a castris in claustra translatum ; nam « erant decani decem militibus præpositi, qui nunc caput contubernii vocantur, » inquit Vegetius (*De Re milit. cap.* 8) ; unde S. Isidorus (*Lib.* III *Orig. c.* 3) : « Et decani eo quod decem militibus præficiuntur. » In monasteriis vero decanus dicebatur qui novem monachis decimus præesset, ut docet S. Hieronymus (*Epist.* 22) ; vel potius qui esset denis præpositus, ut habet S. Augustinus (*Lib.* I *de Mor. Eccl. c.* 31), et maxime junioribus, uti colligitur ex hoc Cassiani loco : « Alii traditur seniori, qui decem junioribus præest; quos sibi creditos ab abbate instituit pariter et gubernat secundum illud quod ordinatum in Exodo legimus per Moysen. » Et hac forte ratione Guido Juvenalis in Gallica versione Regulæ S. Benedicti hujus capitis titulum ita reddidit : *Des maistres des novices ou des maistres des mœurs.* Idem etiam vocabulum translatum est ad judicia; nam decanus est judex, ut ostendit Menardus ex l. II Leg. Visigoth., tit. I, l. 26. Decani quoque in Ecclesia dicebantur qui sepeliebant defunctorum corpora, ut probat idem Menardus ex Justiniani novell. 43 et 59. Inter canonicorum dignitates etiam celebre est nomen decani, qui totius est capituli caput. Apud Cluniacenses etiam decani dicebantur majoris prioris suffraganei in temporalibus, qui erant villarum provisores, de quibus Udalricus l. III, c. 5.

An vero decanorum officium prout hic a S. P. Benedicto instituitur, viguitque apud antiquos, diu remanserit in nostro ordine, omnino nos latet. De illis quidem est articulus 11 libelli supplicis monachorum Fuldensium ad Carolum imperatorem, item concilii Aquisgr. can. 55 et 56, at vero nulla eorum mentio in Concordia Dunstani, Statutis Lanfranci, aut Cluniacensis monasterii Consuetudinibus, quæ agunt tantum de abbate, priore majore, decanis villarum provisoribus, priore claustrali, circatoribus, et puerorum magistris. In ordine etiam Cisterciensi decani nomen inauditum fuit, inquit Joannes Craesbeeck ; officium tamen quod in priore conventuali residere videtur non inusitatum. Apud Cassinenses olim unus duntaxat post abbatem erat decanus : et post hunc vicedecanus, ut scribit Nicolaus de Fractura ; sed cum Cœlestinus papa V suos in Cassinensi monasterio introduxisset, « mutavit nomen decani, qui post ipsorum adventum vocatus est prior, » inquit Richardus a Paulo Augustino a Janua citatus ad Regulæ c. 55. Et certe in Fossatensi S. Mauri monasterio priores etiam appellabantur decani, ut patet ex lib. Mirac. S. Baboleni abbatis c. 5 (*Sæc.* II *Bened., p.* 595), ubi Robertus ejusdem monasterii modo prior, modo decanus appellatur. Sed hi proprie non erant decani prout a S. P. Benedicto ordinati sunt, quos tandem restituerunt Cassinenses edito hoc **339** statuto (*Declar. Cass. ad cap.* 21) : « In unoquoque monasterio pro denis quibusque monachis unus tantum constituatur decanus, ut eorum numerus recte sit nomini competens. » In novis tamen Declarationibus non pro denis, sed pro quinis quibusve monachis professis viventibus unum constituunt decanum, ita tamen ut ipsi decani numerum 300 non excedant, sicuti præscribitur in brevi Pauli V dato die 21 Martii anno 1608. Notat insuper Haeftenus (*Lib.* III, *tract.* 6, *disq.* 4) pro decanorum nomine alia subintroducta vocabula ; nam « apud alios usus obtinuit ut decani dicantur priores ordinis. Primus dicitur absolute prior, secundus subprior, alii deinceps priores, prior tertius, prior quartus. » Et certe in antiqua versione Gallica Regulæ S. Benedicti, quæ est monasterii S. Petri de Conchis, principium hujus capitis ita vertitur : *Se il est en moustier grant congregation de moignes, soient esleux aucun d'eulx, qui soient de bonne conscience et de sainte conversation, et soient establis doyens, c'est à dire prieurs.* Hos Regula Magistri, cap. 11, vocat *præpositos;* S. Benedictus, sequenti cap. 22, *seniores.*

Si major congregatio fuerit.] Quid sit major congregatio diximus cap. 17.

Eligantur.] Ab abbate simul et conventu, inquit Boherius; quia cum per decanos ordinetur omnis utilitas monasterii, eorum electio inter præcipua, quæ cum agenda occurrunt, tenetur abbas omnem convocare congregationem, censenda est. Vel potius a solo abbate, ad quem pertinet omnis ordinatio sui monasterii, qui cum possit eligere per se præpositum; multo magis decanum. Et plane si in decanorum electione fratrum teneretur assensum requirere, tales aliquando eligerentur, quibus non confidens, nec secure partiretur onera sua.

Eligebantur autem decani uti et præpositi, non ad vitam, sed ad tempus solum, ut patet ex Vita S. Liobæ, c. 3, ubi de monasterio S. Tettæ (*Sæc.* III *Bened., part.* II) : « Erat in illo virginum monasterio sanctimonialis quædam propter disciplinæ studium, et arctioris vitæ observantiam, qua cæteris præesse videbatur, sæpe præposita ordinata, frequenter autem decana ex more constituta, etc. » Postea tamen in conc. Aquisgr. statutum est (*Can.* 56) « ut præpositus, decanus, cellerarius de eorum ministerio nisi causa utilitatis, aut necessitatis non removeantur. » Quibus tamen verbis non tam perpetuitatem in officiis stabiliri, quam nimis facilem mobilitatem amoveri existimo. *Vide* Innoc. III Constitut., cap. *Cum ad monasterium.*

De ipsis.] Fratribus scilicet, in quo « manifestat, inquit Hildemarus, quia non debent esse aliunde. » Validam tamen fore electionem, si de alieno fieret monasterio, censet Richardus de S. Angelo, quanquam non expediat.

Fratres boni testimonii.] Quod « locum habet quando illi debent eligi, qui non sunt de gremio, inquit præfatus Richardus, quia non sunt eligendi, nisi eos reddat notos laudabile testimonium. »

340 *Et sanctæ conversationis.*] Quod « locum habet, addit idem Richardus, quando eliguntur illi de gremio, quia ex transacta vita sua possumus scire

quid de sequenti conversatione præsumamus. » Sed sive de gremio, sive aliunde, et boni testimonii et sanctæ conversationis. Boni autem testimonii Nicolaus de Fractura intelligit *quantum ad actus*; sanctæ conversationis *quantum ad mores*.

Et constituantur decani.] Id est ordinentur. Ordinationis vero formulam describit in Regula Magister his verbis (*Cap.* 11) : « Convocatis eisdem decem fratribus ab abbate, præsente omni congregatione, in oratorio susceptione virgæ decem illis præponantur voce abbatis, testimonio Scripturæ dicentis : *Reges eos in virga*, id est in timoris vigore. Item dicente Apostolo : *Quid vultis? in virga veniam ad vos an in charitate?* Nam et Moyses divinæ virga virtutis commisso sibi populo per profundum maris salutis viam ostendit. » Ubi observare licet antiquum morem ordinandi decanos per virgæ traditionem; quo modo etiam ipsi abbates et præpositi omnes atque prælati ordinabantur, sicuti observat Menardus in Conc. Regul. c. 28, § 2.

B *Qui sollicitudinem gerant super decanias suas.*] Id est super decem fratres quibus præponuntur : quamvis secundum usum etiam quindecim fratribus unus decanus præfici possit juxta Hildemarum; imo etiam paucioribus quam decem, uti observant etiam nunc Cassinenses. Magister duos decem fratribus præponit in Regul. cap. 11.

In omnibus.] Non solum quæ placent, sed etiam quæ propriis repugnant affectibus.

Secundum mandata Dei, et præcepta abbatis sui.] Ne forte exutos se credant ab ejus potestate, a quo quidquid habent potestatis obtinent; cui semper subjiciuntur, quem in arduis consulere, et ei suæ sollicitudinis rationem debent reddere. Sicut ergo superius abbati frenum imposuit, ne quoslibet eligeret pro nutu, sed fratres boni testimonii; ita hic decanis, ut non ea quæ libuerit agant, sed quæ Deus mandat, et abbas præcipit. Atque « in rebus novis præceptum abbatis debet exposcere; in aliis vero quotidianis sive communibus commissio officii habetur pro præcepto abbatis sine licentia, » inquit Boherius. Sed juvat hic aliunde hanc decanorum sollicitudinem ex regulis et SS. Patrum institutis ac scriptis repetere.

C Primo itaque secundum Smaragdum : « Decani sollicitudo et eruditio hæc erit erga unumquemque quem sibi ab abbate traditum susceperit, ut doceat eum primitus suas vincere voluntates; in quibus illum diligenter exercens, illa ei semper de industria imperet, quæ senserit animo ejus esse contraria; quia multis experimentis hoc doctum est, nunquam posse monachum suas concupiscentias refrenare, nisi prius per obedientiam mortificare didicerit suas voluntates. » Ita Smaragdus Cassianum exscribens (*Cap.* 12). Simili modo S. Fructuosus : « Decani, qui super decanias sunt constituti, tantam sollicitudinem gerant super quos delegatos **341** habent fratres, ut nullas proprias faciant voluntates, non loquantur nisi interrogati, suo arbitrio nihil faciant nisi mandati, alibi non pergant non ordinati, etc. »

D Secundo, « cum decem numero fratres sub sua cura suscipiant, inquit Magister (*Cap.* 11), hanc eis debent sollicitudinem exercere, sive in die, sive in nocte, sive in quovis opere, cum eis ut sint primo præsentes, et cum eis operantes in quovis opere, ut cum sedent, ambulant, vel stant, diligenti sua observantia, vel curioso intuitu diaboli ab eis debent actus compescere. »

Tertio, addit Magister (*Ibidem*) : « propter quod omni hora fratribus præsentes sunt, os eorum et gestum a peccato custodiant, et diversa in eis vitia vel prava compescant, id est si audierit præpositus fratrem non interrogatum loqui, moneat eum dicens : Quid agis, frater, quod regula prohibet? habeto taciturnitatem usque ad interrogationem. »

Quarto, decanorum muneris erat fluctuantes fratres vis tare, consolari, instruere, ut docet S. Hieronymus (*Epist.* 22) : Manebant separati, sed junctis A cellulis usque ad horam nonam : ut institutum erat, nemo pergebat ad alium, exceptis his decanis quos diximus, ut si cogitationibus forte quis fluctuaret, illius consolaretur alloquiis. » Hinc S. Fructuosus (*Cap.* 12). « Non celent, inquit, fratres decanis suis quidquid per singulos dies cogitaverint; decani vero sint eis quasi rectores et custodes, tanquam pro ipsis Domino reddituri rationem. »

Quinto, incorrigibiles ad abbatem deferebant, vel ad præpositum, qui et ipse eos deferebat ad abbatem : « Decanorum officium, inquit Hildemarus, est solummodo custodire subditos; et si per suam admonitionem non possunt corrigere, tunc debent nuntiare abbati. » Et S. Fructuosus (*Cap.* 12) : « Negligentias cunctorum ipsi prævideant, et emendandi potestatem habeant, et quod ipsi non valuerint emendare, præposito non morentur accusare; qui et ipsi præpositi sic hoc distincte et rationabiliter agant, ut abbates suos nullo modo præsumant inquietare, excepto quod utrique non valuerint emendare. »

Sexto, mensis edentium fratrum præerant. Ita decernit Magister (*Cap.* 11) : « Mensæ eorum præsentes sint, ut tacite cum eis et moderate manducent. » Et Cassianus de Ægyptiis et Tabennensiotis (*Lib.* IV, *cap.* 17) : « Tantum silentium ab omnibus exhibetur, ut cum in unum tanta numerositas fratrum refectionis obtentu consederit, nullus nec mutire quidem audeat, præter eum qui decaniæ suæ præest. » Quem in locum Alardus Gazæus ita scribit : « Hinc apparet in uno refectorio fuisse distinctas, et divisas fratrum decurias sive decanias; et unicuique decaniæ suum assedisse et præsedisse decanum aut decurionem; quod et S. Hieronymus indicat ad Eustochium scribens : Unaquæque, inquit, decuria cum suo parente pergit ad mensam, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant. »

Septimo, vestimenta fratribus providebant : « Vestiaria fratrum sub sua cura præpositi contineant, » inquit Magister. Et Cassianus (*Lib.* IV, *cap.* 10) : « Indumenta **342** vicaria præpositus unusquisque suæ decaniæ subministrat, cum illa quibus vestiti sunt sorduisse conspexerit. » Vicaria autem hic vocat alterna, quæ per vices mutabantur.

Octavo, suorum operibus præerant, ut patet ex S. Hieronymo (*Epist.* 22) : « Opus diei statutum est, quod decano redditum fertur ad œconomum. » Et ex S. Augustino (*Lib.* I *de Mor. Eccl. cap.* 31) : « Operantur manibus ea quibus et corpus pasci possit, et a Deo mens impediri non possit, opus autem suum tradunt eis quos decanos vocant. »

Nono, ad suos nocte decumbebant : « Lectis eorum, inquit Magister (*Cap.* 11), lectos præpositi habeant prope, propter aliquam, ut diximus, vitiorum culpam in eis emendandam, et ut reverentius præsente majore dormiant. » Et sic capiendus se ucnti cap. 22 S. Benedictus : « Deni aut viceni cum senioribus suis, qui super eos solliciti sint, pausent. »

Denique Cassinenses declarant (*Declar. Cass. ad c.* 21) ad officium decanorum « pertinere esse sollicitos quod regularis observantia teneatur in monasterio, fratrum sibi per prælatum deputatorum confessiones audiant, officinas monasterii horis competentibus visitent, ipsorum fratrum etiam corrigant excessus, nisi notabiles inveniant prælato reservandos, eis etiam particulares licentias juxta facultatem eis a prælato traditam concedant; diligentem insuper curam habeant quod cæremoniæ congregationis, et ordinata per capitulum, seu prælatum observentur : invigilent ut divinum officium devote dicatur, studeant communibus fratrum exercitiis, aut capitulo culparum interesse. »

Qui decani tales eligantur, in quibus securus abbas partiatur onera sua.] Hic tria occurrunt notanda. Primum, quod ut tales eligantur, quibus abbas securus partiatur onera sua, sex in eis requirunt Hildemarus, Bernardus Cassinensis et Boherius, quæ sunt : « 1° bonum testimonium, et hoc quantum ad affabi-

litatem et amicabilitatem; 2° bona conversatio, et A hoc quantum ad munditiam, vitæ puritatem et sanctitatem; 3° ardor in profectu animarum; 4° discretio in regimine fratrum; 5° obtemperantia in mandatis Dei, et obedientia et reverentia in præceptis abbatis sui; 6° ut propter obedientiam abbatis præcepta Dei nullatenus parvipendat. » Quibus adde vitæ meritum, et sapientiæ doctrinam, quæ prædicta sex continent, ut docet Hildemarus; quibus si quid defuerit in decano, jam non securus abbas ei partietur onera sua. Adde etiam humilitatem; nam si repertus fuerit superbus, jubetur dejici. Porro prædicta sex Nicolaus de Fractura ad tria reducit: ætatis maturitatem, gravitatem morum, et scientiam litterarum.

Secundum, permittit quidem S. P. Benedictus abbati partiri onera sua, sed non deponere: « Minime securum abbatem hic facit et liberum a laboribus, inquit Gerardus Belga monachus, sed tales eligere jubet ut securus sit in collaborantibus, in quos quidem præcipit ut partiatur onera sua, id est quæ unus ipse necessario perfert omnia, etiam aliis credat, vel B singula, vel plura subinde pro salute singulorum felicius **343** procuranda. Interim in omnibus passim abbati perterribilem judicem et tribunal minatur, ne sufficere putet si bonus decanus, si diligens præpositus a se constituatur, etc. »

Tertium, partiatur onera sua, inquit S. Benedictus, non honores; quia revera *plus onerantur quam honorantur*, infit Bernardus; *aliisque præesse pondus est oneris, non honoris*, ut cum Hildemaro loquar.

Et non eligantur per ordinem,] scilicet quo ingressi sunt monasterium. Idem olim legibus civilibus prohibitum est in electione abbatis, C. l. 46, *De episcopis et clericis*, etc. Igitur etiamsi ultimi omnium sint, modo digni, possunt eligi; nam et abbates fieri possunt. Debent tamen annum ætatis vigesimum quintum attigisse, et sacerdotium suscepisse, ex Benedicti XII Constitut. c. 29.

Sed secundum vitæ meritum, et sapientiæ doctrinam.] Debet ergo decanus litterarum scientia esse instructus, C nec minori forte quam abbas, cujus idem fere pondus sustinet; et hac forte ratione Magister decanos a laboris parte eximit Regul. c. 11.

Quique decani si ex eis aliqua forte quis inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis.] Sed si tales eligantur quales descripsimus et requirit S. Benedictus, quomodo aliquis ex eis aliqua inflatus superbia reperietur? Respondet Hildemarus duobus modis id fieri posse: 1° quia quidam sunt hypocritæ, qui sanctitatis speciem præ se ferentes privati, postmodum ad dignitates aut officia assumpti, larvam deponunt, et quales intus fuerint palam faciunt; 2° quosdam revera tales esse ante adeptum honoris gradum, quales requirit S. Benedictus; sed in primaria humilitate ac sanctimonia non permanere; quia nimirum difficile est attolli, et non extolli, et quia honores mutant mores.

Correptus semel et iterum atque tertio.] Neque enim judicari debet superbia inflatus, qui post trinam admonitionem corrigitur, ut aiunt Bernardus Cassinensis et Boherius. Ita vero præcedere debet correptio trina, ut secundum Hildemarum bis secrete, tertio publice admoneatur, vel, juxta Boherium, ter publice, et servato inter utramque monitionem intervallo; magno, vel parvo, secundum criminis gravitatem et superioris arbitrium.

Si emendare noluerit, dejiciatur, etc.] Si tamen reprehensibilis sit in his quæ ad officium ejus spectant, ex Hildemaro; nam si in aliis quæ ad ipsum speciatim pertinent reperiatur reprehensibilis, censet Hildemarus adhibendam esse correptionem disciplinæ regularis; tum fratrum pro eo orationem, ac tandem dejiciendum. Sed Boherius existimat etiam in obedientia sua non offendentem, contra regulam alias peccantem, esse ejiciendum, sicuti de præposito statuit S. legislator

Et de præposito eadem constituimus.] Cum proportione tamen, nam præpositus quater præmonendus, postea disciplinæ regulari subdendus, ac tandem a ministerio expellendus.

CAPUT XXII.

Quomodo dormiant monachi.

344 Singuli per singula lecta [a] dormiant. Lectisternia [b], pro modo conversationis, secundum dispensationem abbatis sui accipiant. Si potest fieri, omnes in uno [c] loco dormiant: si autem [d] multitudo non sinit, deni, aut viceni, cum senioribus qui super eos solliciti sint, pausent. Candela jugiter in eadem cella ardeat usque mane.

Vestiti dormiant, et cincti cingulis [e] aut funibus; et cultellos suos ad latus suum [f] non habeant dum dormiunt, ne forte per somnium vulnerentur dormientes [g]: et [h] ut parati sint monachi semper; et facto signo absque mora surgentes festinent invicem se prævenire ad opus Dei, cum omni tamen gravitate et modestia. Adolescentiores fratres [i] juxta se non habeant lectos [j], sed permixti [k] cum senioribus [l]. Surgentes vero ad opus Dei, invicem se moderate cohortentur, propter somnolentorum excusationes

[a] Oxon., *singula lectula;* recentiores, *singulos lectos.*
[b] Narb., *lectis stramina.*
[c] Hild., *in unum.* Narb., cum pluribus mss., *in unum locum.*
[d] Al., *sin autem.*
[e] Oxon. et Regula Donati, *cingellis.* D
[f] Oxon., *ad latus eorum.* Narb., *ad latos suos.*
[g] Oxon., *vulneret dormientes.* Narb., *vulnerent dormientem.* Flor., *vulnerantur dormientem.*
[h] Particula *et* in sensu superflua est, inquit Hild.
[i] Deest apud Hild. integra hæc periodus: *Adolescentiores fratres juxta se non habeant lectos, sed permixti cum senioribus.*
[j] Al., *lecta.*
[k] Al., *mixti;* al., *mixtim;* al., *permixtim.*
[l] Narb. addit *jaceant.*

COMMENTARIUS.

Quoniam dormientibus nobis vigilat adversarius, artesque prope infinitas exercet, ut fidelibus monachis fessis quiescentibus noceat, septem hoc capitulo cautelas adversus insidias versipellis adhibet S. Benedictus, uti notavit Bernardus Cassinensis. Prima est singularitas lectorum; secunda vicinitas bene conversantium fratrum; tertia multitudo fratrum in eodem loco dormientium; quarta sollicitudo et vigilantia seniorum; quinta accensio lucernæ ardentis; sexta quod vestiti jaceant, et non nudi; septima

separatio minorum et permixtio seniorum : quæ omnia consequenter exponenda sunt.

345 *Singuli per singula lecta dormiant.*] Hæc prima est cautela, quam cum S. Benedicto adhibent S. Athanasius : « Dum dormiunt, unusquisque seorsim discumbat, ac suum quisque habeat sticharium ; sacculum scilicet absconditum, ut quando per noctem preces fundendæ, parati promptique sint ; » abbas Isaias : « Ne cubes cum alio sub eodem stragulo ; » S. Aurelianus : « Omnes divisis maneant lectulis ; » S. Ferreolus : « Duo quamlibet proximi et amici propter secretam orationem, quæ melius ad Dominum nullo teste dirigitur, ut in imo et uno lectulo non teneantur... Quisque strati sui, ut supra diximus, erit solus ipse possessor, habens secum meliori commutatione pro dormitorio fratrum Dominum vigilantem ; » S. Isidorus : « Duobus in lecto uno jacere non liceat ; » S. Fructuosus : « Duo in uno lecto non jaceant, nec dormire extra cubile proprium cuiquam licentia pateat. Intervallum singulorum lectorum singulis cubitis intercedat, ne dum ad invicem proximant corpora, nutriant libidinis incentiva ; » Magister (*Cap.* 11) : « Singulos præcipimus non binos per lectum dormire. » Quibus accedit conc. Turonense (*Can.* 14) : « Ut sinistræ existimationis aditus amputetur, nullus sacerdotum aut monachorum colligere alium in suo lecto præsumat. » Ex quo mirari subit qua ratione Regula Cujusdam ad Virgines præscribat (*Cap.* 14), « Ut binæ et binæ præter infirmas et seniores in lectulis dormiant, » quanquam hujus statuti periculis providisse videatur adjiciens : « Sic tamen ut ad invicem non loquantur, neque ad invicem, id est facie ad faciem respiciant, sed una post aliam quiescens dormiat... ut una ex illis semper senior sit, de cujus religione non dubitetur. Juvenculas vero nullatenus simul quiescere censemus. »

Notat porro hic Bernardus Cassinensis istis S. Benedicti verbis : *Singuli per singula lecta dormiant*, supplendum esse *vel quiescant*, quia perfectus monachus non semper in lecto jacens dormit, sed lacrymis interdum stratum suum rigat, ut Prophetæ ad instar nos hortatur S. Ferreolus in Regula c. 33. Et certe sancti nocturnas vigilias orationibus et precibus prævenire solebant, sicut de S. Mauro refert Faustus in ejus Vita, quod aliquando quinquagenos, aliquando centenos psalmos, aliquando psalterium integrum recitaret ante nocturnæ orationis synaxim ; et Gervinus abbas Centulensis piissimus (*Chron. Centul. l.* IV, *c.* 26), ubi somni parum percepisset, de grabato sese excutiens, domum orationis intrabat, omnes aras orando, gemendo, genuaque flectendo circuibat ; atque ut vigiliarum horam advenire sentiret, ne ab æditiis aut janitoribus observaretur, lectum ullo sine strepitu repetebat.

Lectisternia.] Quid sint lectisternia non consentiunt Regulæ commentatores. Hildemarus : « Sternia, inquit, duobus modis dicuntur ; id est domus ubi lecti sternuntur, seu etiam locus ubi unus lectus stratus existit. » Similiter Smaragdo : « Lectisternia dicuntur ubi homines jacere sedereque consueverunt. » Ita etiam Nicolaus de Fractura : « Lectisternia, id est loca in quibus jacere solent monachi ; » et cardinalis de Turrecremata : « Lectisternia autem, id est loca vel locellos **346** in quibus lecti sternendi sunt. » Quibus consentit Bernardus Cassinensis ita scribens : « De hoc vocabulo, lectisternia, dicunt quidam quod idem est quod lectus stratus, hoc est lectus cum suo stramento ; alii dicunt lectisternium esse domum in qua lecti sternuntur ; sed rei veritas est quod lectisternia sunt loca in quibus sedere et jacere solemus : nam regulariter monachus et lectum in quo quiescat, et locellum in quo sedendo legat habere debet. » Bernardum in primo comment. exscribit Boherius ; in secundo vero : « Lectisternia, inquit, id est lectorum stramenta, » de quibus c. 55, ad quod remittit : « Stramenta lectorum matta, sagum, læna, et capitale. » Denique Richardus de

A S. Angelo : « Lectisternia, id est ordines, seu ordinationes lectorum. » Ad quem accedit Theobaldus Artaldus hunc locum Gallice ita reddens : *Ils doivent avoir et garder les lieux et situations de leurs couches.*

Ex his omnibus sententiis duæ omnino videntur probabiles. Prima, quam refert Bernardus Cassinensis, qua lectisternia dicuntur lecti strati, seu lecti cum suo stramento. Eam sequitur Menardus hunc in locum ita scribens : « Lectisternia sunt lecti. Sidonius epist. 15, l. 4 : *Epulum multiplex et capacissima lectisternia para.* Acta S. Findani, c. 4 : *Pro lectisterniis lapides velatos inter fratres pausans occulte corpori supposuit.* » Concinit antiqua versio Gallica Regulæ S. Benedicti : *Les lits soient appareillés comme il appartient à leur conversation ;* et versio Guidonis : *Et aient les couches garnies de ce qu'il faut selon la manière de leur conversation ;* aliæque plures expositiones Gallicæ. Secunda est quam tradit in secundo comment. Boherius, ubi lectisternia interpretatur
B *lectorum stramenta ;* quo sensu eam vocem aliquando usurpat S. Gregorius : « Ancillis Dei, quas vos græca lingua monastrias dicitis, lectisternia emere disposui ; quia in lectis suis gravi nuditate in hujus hiemis vehementissimo frigore laborant. » Et alibi ad Joannem abbatem de monte Sina scribens (*Lib.* XII, *ep.* 16) : « Cognovimus lectos vel lectisternia in Gerontocomio, quod illic ab Isauro constructum est, deesse ; propterea misimus lænas 15, rachanas 30, lectos 15. » Atque ita Joannes *de Precis*, abbas S. Germani a Pratis, hunc Regulæ locum Gallice reddidit : *Et doivent prendre tels draps, et telles couvertures comme l'abbé établira.* Utraque expositio proba est et probanda ; sed rejicienda videtur utraque Hildemari interpretatio, Smaragdi, Bernardi Cassinensis, Nicolai, et cardinalis Turrecrematæ : nam S. Benedictus nec domum in qua multi sternuntur lecti singulis monachis concedit ; nec singulis singulas domos, in qua unus lectus sternatur indulget ; sed omnes uno vult dormire in dormitorio.

C *Pro modo conversationis.*] Obscura locutio, quam diversimode reddunt commentatores. Hildemarus pro modo conversationis intelligit : *Secundum qualitatem vitæ uniuscujusque ;* quod clarius exponit Bernardus Cassinensis : *Secundum illum modum in quo ipsi conversantur in monasterio bene vel male, tepide vel ferventer.* Et in hoc secundam adversus insidias inimici cautelam constituit, ut nimirum malis boni, tepidis ferventiores vicini dormiant, ut horum exemplo illi eruditi ad **347** meliorem frugem se transferant. In eamdem sententiam abit Nicolaus de Fractura : cui Boherius in primo comm. aliam adjicit, ut pro modo conversationis idem sit ac *secundum qualitatem loci in quo conversantur ;* quia revera in frigidis regionibus pluribus, in calidis paucioribus indigetur stramentis. Turrecremata pro modo conversationis explicat pro modo *vitæ, antiquitatis, debilitatis, aut necessitatis, seu alterius causæ :* quæ omnes expositiones bonæ videntur et legitimæ ; sed his non
D cedit ea quam profert Joannes Craesbeeck, qua lectisternia pro modo conversationis intelligit, *quæ conversationi et instituto monachorum conveniunt :* id quod quædam versio Gallica reddit, *à la monastique ;* et altera, *conformément à leur profession ;* ac proinde cum monasticum institutum omnes carnis illecebras abdicet, vitæ austeritatem prædicet : « Lectisternia monachorum, inquit, esse debent non mollia, non pretiosa, quæ sensibus blandiuntur, carnem delectant, alliciunt, et ad longos iteratosque somnos invitant ; sed dura et vilia, quæ naturæ quidem et necessitati sufficiunt, carnem domant, lascivire prohibent. » Et certe tales fuisse veterum monachorum lectos exploratum habent qui vel minimam rerum asceticarum notitiam consecuti sunt. Notat porro Gazæus (*Comm. in Cass., coll.* I, *cap.* 23) viros olim religiosos : 1° aut humi cubare solitos ; 2° aut in stratis junceis ; 3° aut in ciliciis : quos tres dormiendi modos videre est in una S. Antonii Vita, qui, ut scribit S. Athanasius,

« quieti membra concedens, junco contexto atque A cilicio utebatur; nonnunquam etiam supra nudam humum jacebat. » De S. Hilarione etiam refert S. Hieronymus (*In ejus Vita*), quod « super nudam humum stratumque junceum usque ad mortem cubitavit. » Et de seipso S. doctor (*Epist.* 22) : « Si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. » Denique de S. Martino ita canit S. Paulinus (*Lib.* IV) :

At si quando brevi cessissent lumina somno,
Nuda humus ad tenuem sat erat subjecta soporem.

Plurima hujusmodi exempla offendes in actis sanctorum et maxime nostrorum, ut in Vita S. Mauri auctore Fausto, n. 8; S. Placidi auctore Gordiano, n. 5; S. Marculfi, n. 15; S. Paterni, S. Samsonis, S. Radegundis auctore Fortunato, n. 22; S. Severi, n. 13; et S. Fidoli, n. 10, sæc. I Bened.; S. Bavonis, n. 11; S. Vandregesili, n. 8; S. Tillonis, n. 8, sæc. II, et aliorum prope infinitorum. Atque ita suadet Syntagma doctrinæ S. Athanasii ad monachos et clericos : « Te monachum, te sacerdotem adhortor humi ut dormias, si vales. » *Vide* infra, c. 55.

Si potest fieri omnes in uno loco dormiant.] Juxta veterum monachorum morem, quem in omnibus pene eorum regulis advertere licet. Ita Regula S. Posthumio ab angelo tradita, quæ refertur in ejus Vita, c. 8 (*Lib.* I *de Vit. Pat.*) : « Procul ab invicem contextas vites sternite, cum ad dormiendum seceditis : interstitium unius habeatur cubitus, nedum ad invicem proximant corpora, nutriantur libidinis incentiva. » S. Cæsarius Arelatensis episcopus (*Regul. ad Virg.*, *c.* 7) : « Nulli liceat semotam eligere mansionem, nec habebit cubiculum, aut armariolum, aut aliquid hujusmodi, **348** quod peculiarius claudi possit; sed omnes divisis lectulis in una maneant cellula : quæ vero senes sunt et infirmæ, ita illis convenit obtemperari vel ordinari, ut non singulæ singulas cellas habeant, sed in una recipiantur omnes, ubi et maneant. » S. Aurelianus (*Regul. ad* C *Mon. c.* 8; *ad Virg. c.* 6) : « Nulli liceat cellam, aut armariolum, aut aliquid hujusmodi, quod peculiarius claudi possit, habere. » S. Ferreolus (*Cap.* 16) : « Totam congregationem mansio et domus una concludat. » S. Isidorus (*Cap.* 14) : « Fratres omnes, si possibile est, in uno conclavi commorari decet. Quod si difficile fuerit, certe vel decem, quibus unus est præponendus decanus quasi rector et custos. » S. Fructuosus (*Cap.* 17) : « Intervallum singulorum lectulorum singulis cubitis intercedat, ne dum ad invicem proximant corpora, nutriant libidinis incentiva. » Magister (*Cap.* 29) : « In uno atrio, vel in triclinio lecta in ordine circuitu ordinent; in quo circuitu lectum abbas in medio habeat, ut omnem taciturnitatem vel reverentiam in circuitu considerans, omnium ovium suarum gregem intra unum ovile collectum quasi diligens vel sollicitus pastor attendat. » Regula Cujusdam ad Virgines (*Cap.* 14) : « Omnes, si fieri potest, una domus ad dormiendum capiat, præter si infirmitas, aut senilis ætas poposcerit, D aut culpa damnaverit, aut novitas probata non fuerit, ut in cella separentur. »

Idem constat ex concilio Turon. II (*Can.* 14) : « Nec liceat monachis cellulas habere communes, ubi aut bini maneant, aut peculiares reponi possint; sed schola labore communi construatur, ubi omnes jaceant, aut abbate, aut præposito gubernante. » Ex Justiniani imperatoris novella 5 : « Neque enim volumus in ullo monasterio sub ditione nostra constituto, sive plurimorum hominum est, sive paucorum, monachos qui ibi sunt divisos ab alterutris esse, et propriis habitationibus uti; sed communiter quidem eos comedere sancimus, dormire etiam omnes in communi, unoquoque quidem in propria statura jacente, in domo vero una collocatos; aut si forte non sufficit ob multitudinem monachorum domus una, in duas forsan, aut plures, non tamen seorsim et apud semetipsos; sed in communi testes alterutri sint honestatis et castitatis. » Et ex novella 133, monachi « neque clam testibus vivant, sed et communiter cibum capiant, et in communi loco cubent, et undique bene compositam persequantur vitam, testesque sint invicem mutuæ honestatis. » Atque ex Vita S. Eugendi abbatis Jurensis (*Num.* 24, *sæc.* I *Bened.*, p. 575), qui « destructis mansionum adiculis, uno cunctos secum xenodochio quiescere fecit. »

Idem postea renovavit anno 1222 concilium Oxoniense, edito hoc decreto (*Apud Spelm. tom.* II *Conc. Angl.*) : « Provida deliberatione censemus, ut tam monachi quam canonici regulares et moniales in uno dormitorio pariter dormiant et quiescant, singulis personis singulis propriis lectis assignatis. » Et Benedictus papa XII : « Omnes monachi, vel si multitudo non sinit eorum, saltem quando plures ex ipsis commode poterunt, in una domo dormiant et jaceant, juxta regularia et canonica instituta, non per separatas cameras vel per cellas, exceptis his B quibus in cameris et cellis **349** infirmitorii permittetur propter senectutem, vel invaletudines corporales, vel ex aliis rationabilibus causis. »

Neque vero id solis exstitit monachis singulare; nam et canonicis idem olim præscriptum legimus in concilio Turonensi (*Can.* 23) : « Canonici et clerici civitatum, qui in episcopiis conversantur, consideravimus ut in claustris habitantes simul omnes in uno dormitorio dormiant, simulque in uno refectorio reficiantur. » In Meldensi sub Sergio II (*Can.* 52) : « Canonici in civitate vel monasteriis, sicut constitutum est, in dormitorio dormiant, et in refectorio comedant. » et apud Chrodegangum in Regula Canonicorum cap. 13 (*Spicil. tom.* I) : « Omnes in uno dormiant dormitorio, præter illos quibus episcopus licentiam dederit. »

Ex dictis hactenus habemus, 1° monachos olim uno simul in loco dormisse, quem ideo dormitorium appellabant. 2° Ita tamen ut se invicem non tangerent, ut ex Regulis S. Posthumii, et S. Fructuosi manifestum est. Et certe divisis dormiebant lectulis. 3° Nullos nisi forte propter infirmitatem aut necessitatem extra commune dormitorium pernoctasse : qui enim dicit *omnes* nullum excipit. 4° Ergo nec abbatem, qui in Regula Magistri medius inter fratres tanquam pastor inter gregem dormire jubetur; et in antiquis consuetudinibus Cluniacensis monasterii apud Udalricum (*Lib.* III, *cap.* 1), « In medio dormitorii est lectus ejus prope murum, sonitum ipse facit, quo fratres diluculo ad surgendum excitantur. » In Regula etiam S. Aureliani decernitur (*Cap.* 35), ut « Sanctus abbas extra congregationem non maneat. » In Regula S. Isidori (*Cap.* 14) : « Abbatem cum fratribus pariter in congregatione commorari oportet. » Ex concilio quoque Francofordiensi (*Can.* 13), « Abbas cum suis dormiat monachis secundum Regulam S. Benedicti. » Et ex concilio Londoniensi anno 1102 : « In eadem domo cum suis monachis manducet, aut dormiat. » Et certe S. Benedictum in turri fratrum dormitorio contigua quievisse constat ex l. II Dial. S. Greg. papæ, c. 35. S. Mummolus abbas Floriacensis in communi fratrum dormitorio recubuisse legitur apud Adrevaldum in hist. Transl. S. Benedicti, n. 15, sæc. II. Idem de Eastervino abbate Wiremutensi scribit Beda in Vita S. Benedicti Biscopi, n. 8.

Causæ hujus institutionis tres assignari possunt, ex quibus prima repetitur ex ratione vitæ cœnobiticæ, quæ nihil singulare permittit, sed omnia vult esse communia : unde Justinianus imperator (*Novel.* 133) : « Nullus omnino quidquam habeat proprii, sed diu noctuque in communi vivat, et noctes easdem inter ipsos cum diebus observantiam habeant. » Secunda, *ut testes alterutri sint honestatis et castitatis*, ut loquitur idem imperator (*Novel.* 5). Tertia est propter furentes dæmonum insultus, nocturno maxime tempore monachis infestorum, et horribili

specie aliquando apparentium; quorum aspectus vix ferre posset solitarius, fratrum societate et precibus destitutus. Quibus forte de causis mansiunculas olim monachorum destruxit S. Eugendus abbas Jurensis, destruique præcepit Justinianus imperator in novella 133, ac novissime Benedictus papa XII in sua Constitutione pro monachis Benedictinis, c. 26; **350** cui paruerunt Anglicani monachi ex statuto capituli anni 1341; Bursfeldenses ex Cærem. dist. 3, c. 22; et Cluniacenses in capitulo ann. 1458, sub Joanne Borbonio celebrato.

Nunc vero per universas fere monachorum congregationes usus invaluit dormitoria plures in cellas dividendi, suamque unicuique monacho assignandi. Idque ad vitandam sæcularium curiositatem, qui nonnunquam per nostra pervagantur dormitoria; ut fratres orationi ac spiritali lectioni liberius vacent; variis pœnitentiæ operibus, quæ oculos hominum fugiunt, sese exerceant; tum etiam propter honestatem majoremque silentii ac solitudinis observantiam; sive etiam ut aliquam cœlestis domus imaginem monasteria referant, sicuti de Carthusianis belle dicebat Petrus Blesensis (*Epist.* 86): « Ad exemplar siquidem domus illius de qua scriptum est: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt; habet unusquisque cellulam et mansiunculam suam, ut contemplationi et orationi liberius vacet.* »

Neque vero ita recens aut nova est isthæc institutio, quasi antiquis monachis non fuerit in usu; nam Ægyptii, teste S. Hieronymo (*Epist.* 22), « manebant separati, sed junctis cellulis: » unde Cassianus (*Lib.* II, *cap.* 12): « Cum fuerint, inquit, canonicarum orationum functiones ex more finitæ, unusquisque ad suam recurrens cellulam, quam aut solus, aut cum alio tantum inhabitare permittitur, etc. » Idem institutum imitati sunt in Galliis Lerinenses monachi, ut discimus ex Eucherii epist. ad Hilarium de Laude vitæ solitariæ, ubi inter alias Lerinensis insulæ laudes hæc scribit: « Hæc nunc habet sanctos senes illos qui divisis cellulis Ægyptios Patres Galliis nostris intulerunt. » Eamdem disciplinam arripuisse Agaunenses monachos patet ex vetustissimo scriptore Vitæ S. Romani abbatis Jurensis apud Bollandum (28 *Feb.*), in cujus præfatione, quam Joanni et Armentario monachis Agaunensibus inscribit, postquam Joannem præfatum Joanni Baptistæ et evangelistæ comparavit, de Armentario ita subdit: « Alter vero in modum natatilis arcæ dum illic in cœnobio etiam, *claustro peculiaris cellæ* contentus, mundi turbines impactus irridet. » De Jurensi monasterio constat ex Vita S. Eugendi ejusdem loci abbatis (*Sæc.* I *Bened.*), qui « refutato archimandritarum more, utilius omnes univit in medium: destructis namque mansionum ædiculis, uno secum xenodochio quiescere fecit. » Ergo prius ibidem erant mansionum ædiculæ, in quibus quisque manebat, quas ille destruxit. Sed eas postea reparatas fuisse colligimus ex monacho Fontanellensi in Vita S. Vandregisili, qui eo in monasterio agens, « quadam nocte attentissime precibus insisteret divinis auribus offerendis in *cella sibi constituta.* » Similiter in Elisangiensi a se constructo monasterio « quadam nocte juxta morem cilicio obvolutus *in cella sua* dum ad refocillandum quieti membra dedisset, in excessum mentis subito raptus » legitur. De discipulis S. Martini audiendus est Gallus in dialogo 3 apud Severum Sulpicium (*Lib.* III *de Vit. S. Mart.*): « Contigua flumini habebamus habitacula. » clarius idem Sulpicius in lib. I: « Tunc ille (S. Martinus) convocatis fratribus, refert **351** quid diabolus indicasset, sollicitosque esse præcepit *per cellulas singulorum* quisnam hoc casu fuisset affectus. » In Regula etiam Tarnatensis monasterii lego (*Cap.* 7): « Cellulam alterius præter abbatem et præpositum, nisi dato signo, est illicitum introire; quia ipsis tantum conceditur fratrum secreta cognoscere, et qualiter se unusquisque agat occulta inspectione perquirere. »

S. Gallus oratorium construxisse dicitur (*Walfrid. in Vit. S. Galli, c.* 26) « mansiunculis per gyrum dispositis ad commanendum fratribus. » S. Willibrordus « venit ad suum gratia visitandi monasterium, et post orationes et salutationes fraternas, et admonitiones pacificas, circuiens *singula fratrum habitacula*, si quid in illis emendandum fuisset, pius pastor explorare voluit, » inquit Alcuinus in ejus Vita (*Num.* 18). Denique Trithemius de prima Hirsaugiensis monasterii fundatione anno 830 facta, de cellis agens (*Chron. Hirsaugiense*): « Monachorum tabernacula, inquit, per gyrum claustri disposita, quantum ad consuetudinem istius temporis attinebat, satis pulchra et ordinata fuerunt; quanquam si nostri monachi similibus includerentur cellulis, se mancipatos vinculis et tenebris clamitarent. Factum hoc autem priscorum imitatione. » Hujusmodi cellas habent nostra ætate Carthusienses monachi, quibus illi forte non tam ad dormiendum quam ad legendum utebantur. Vide Menardi notas ad Concord. Regul. cap. 55, § 1. Nihil dico de Sinaitis monachis, de quibus S. Nilus (*Hist. cædis SS. Pat. in Sina, c.* 5): « Faciunt autem habitationes suas non sibi invicem propinquas, sed satis procul distantes, ut qui viginti et eo amplius stadia absint alius ab alio: » nam hi proprie erant eremitæ. De Pachomianis vero illud solum decernitur in Regula ab angelo tradita (*Apud Boll.* 14 *Maii*): « Facies autem diversas cellulas, et ternos per unam cellulam habitare constituas. » Cæterum variis incommodis quæ ex cellarum separatione nasci possunt, ac periculis satis occurrunt quæ eas novissimis temporibus invexerunt monasticæ congregationes, de quibus vide Haeften. lib. XII, tract. 3, disq. 3, 4 et 5.

Sin autem multitudo non sinit, deni aut viceni.] Idem habet Regula S. Isidori, c. 14, et Justiniani novella 5. Sed multo plures in Gemmeticensi monasterio sub S. Filiberto abbate capiebant dormitoria (*Vita S. Filib. n.* 7, *sæc.* II *Bened.*): ibi enim « duplex vergens ad austrum ducentorum nonaginta pedum longitudine, quinquaginta in latitudine, eminebat domus quiescendi obtentu. »

Cum senioribus.] *Id est decanis*, inquit Richardus de S. Angelo: id quod confirmat Nicolaus Bravus ex Regula S. Isidori c. 14.

Qui super eos solliciti sint.] Vigilias noctis custodientes, uti exponunt Hildemarus Bernardus Cass. et Boherius; quia « cum dicit solliciti sint, inquit Hildemarus, præcipit illos vigilare in dormitorio; quia nemo potest esse sollicitus in nocte, nisi vigilaverit; quia nos cum solliciti esse volumus pro aliqua re, vigilamus. » Cui concinit Justinianus imperator (*Novel.* 133): « Neque enim semper omnes dormiunt, sed manifestarium est, quod dum hi dormiendo occupati sunt, illi vigilant, et prorsus quidam dormientes inspiciunt. » Sed Nicolaus de Fractura (*Vide l.* I *de Antiq. mon. Rit., cap.* 1) **352** hanc sollicitudinem in eo constituit, « ut surgant de nocte videre si vestiti, cincti cingulis et funibus, vel alias regulariter dormiant fratres. »

Candela jugiter in eadem cella ardeat usque mane.] Simili prorsus modo S. Eugendus statuerat olim (*In ejus Vit. n.* 21), « ut lumen Dei, sicut in oratorio, indeficiens » arderet in dormitorio. Et S. Isidorus (*Cap.* 14): « Lux nocte dormientium locum illustret, ut depulsis tenebris testimonium pateat singularis quietis. » Et Regula Cujusdam ad Virgines (*Cap.* 14): « In schola qua dormitur per totam noctem lucerna ardeat. » Idem etiam præscribit Regula Magistri c. 29.

Candelæ autem nomine hic intelligitur « vel lampas cum oleo accensa, vel cereus cum cera et lychno, vel etiam sepum in quodam vase aptatum, » inquit Bernardus Cassinensis; cui concinit Nicolaus de Fractura.

Porro licet unius duntaxat candelæ mentionem facere videatur S. Benedictus, duæ tamen vel plures,

ubi non sufficit una toti illustrando dormitorio, debent accendi, *ut clare fratres in lectis singulis videantur*, inquit Bernardus Cassin. Imo tradit Boherius in Cassinensi monasterio, ubi centum monachi residere consueverant, septem lampades tota nocte in dormitorio ardere consuevisse; quod etiam asserit Nicolaus de Fractura : neque id in dormitorio tantum, sed et in *cella*, ut vocant, *necessariarum*, ad quam fratres ventris purgandi gratia pergunt; et in omnibus omnino locis in quibus fratres de nocte transire necesse est, ut tam corporis quam animæ offendicula vitentur : id quod in multis Galliæ monasteriis observatum vidisse se testatur Boherius : « Nam in claustro, inquit, in ingressu dormitorii, et oratorii post completorium, et in prima pulsatione nocturnarum vigiliarum certæ accenduntur candelæ. » Sane in Parisiensi S. Germani monasterio (*Jacob. Brol. in add. ad ms. hist. S. Germ. a Pratis*) « antiquitus erant quinque lampades in dormitorio, ut omnibus fratribus cellis carentibus servirent, præter alias quatuor lampades in diversis locis dispositas : harum una erat in cella magni prioris, altera in cella subprioris, tertia in valetudinario, et quarta in collocutorio, » id quod anno 1377 confirmavit curia Parlamenti Parisiensis. In Croylandensi etiam monasterio unum in capitulo, tria in claustro, quatuor in dormitorio erant luminaria ex Ingulfi statuto mox citando. Ea etiam fuit ordinis Benedictini consuetudo, ut pueri, novitii, aliique juniores monachi noctu sine accensis lucernis, et comitibus magistris incedere non permitterentur, quemadmodum hic scribunt Hildemarus, Bernardus Cassinensis et Boherius, pateique ex diversis monasteriorum consuetudinariis.

Porro ex Regula Orientali c. 28, et ex Regula Magistri cap. 29, ad hebdomadarios pertinebat accendere candelam. Hebdomadarios vero intelligo coquinæ : unde et Udalricus agens de pueris, ait (*Lib.* III, *cap.* 8) : « Quando in coquina obsequuntur, magistri eorum solent providere, ut opportune accendant luminaria dormitorii, et necessariarum, et ad nocturnos. »

353 Accendendi horam assignat Magister his verbis (*Cap.* 29) : « In quo atrio pendeat cicendelus, qui quotidie a cellerario factus, ab hebdomadariis ad seram ante completorios incendatur, ut videant diversi quomodo se collocent. » Hildemarus vero, habita temporum ratione, æstate quidem qua majores sunt dies, post capitulum, id est post collationis lectionem; hieme autem, quando incipiente jam nocte completur capitulum, dum ibidem sedent, lucernam vult accendi. Smaragdus quotidie ante completorium, Bernardus Cassinensis quando propter solis occasum dormitorium incipit obscurari. Sed juvat hic Ingulfi abbatis Croylandensis decretum hanc in rem referre : « Hieme accedente a festo S. Bartholomæi ad festum S. Michaelis statim post terminatam campanam collationis famuli ecclesiæ accendant tria luminaria in claustro, et quatuor in dormitorio: videlicet duo in dormitorio, et alia duo in necessariarum domo. Sed luminare in capitulo antequam campana collationis incipiat pulsari, debet accendi, et continuo ardere usquequo matutinis finitis dormitorium ascenderint monachi universi. Hieme vero recedente a festo Purificationis B. Mariæ usque ad festum S. Guthlaci idem modus illuminationis universorum luminarium prædictorum in omnibus observetur. A festo vero S. Michaelis usque ad festum Purificationis accendantur omnia ista luminaria prædicta antequam monachi ad regularem potationem refectorium ingrediantur; et sic maneant accensi omni tempore anni usque ad ortum solis, præter lampadem pendentem in capitulo, qui debet exstingui postquam conventus dormitorium ascenderit, matutinis in ecclesia consummatis. A festo quippe S. Guthlaci usque ad festum S. Bartholomæi per totam æstatem in ipso solis occasu sacrista, seu subsacrista

A in dormitorio debet accendere luminaria supradicta, ita quod sæcularis tempore nocturno non habeat occasionem dormitorium introeundi; et sic debent ardere usque clarus dies illucescat. Quod si de negligentia sacristæ aliqua dictorum luminarium defecerint statutis temporibus inaccensa, ipse sacrista sit in crastino in refectorio ad panem et aquam absque misericordia. Quod si parvipendens hanc justissimam nostram ordinationem defecerit in illuminatione, vel continuatione de aliquo luminarium prædictorum, comedat in refectorio per quindenam integram sextis feriis in eisdem septimanis pane et aqua tantum contentus. Quod si tertio contigerit aliquis defectus luminarium prædictorum, ab officio amoveatur, et per biennium sequens maneat inhabilis ad omne officium exsequendum. Quod si de famulorum negligentia id accidisset, pro qualibet vice debent amittere corrodia sua per hebdomadam. Quod si bis vel ter acciderit, severior accedat correptio, seu duplicetur pœnitentia ante dicta. » Hac-
B tenus Ingulfus, cujus integrum statutum referre libuit, ut inde pateret omnibus quanti majores nostri res vel minimas facerent.

Ardere autem candela debet usque mane, id est *quousque de die videri valeat tota domus*, ut exponunt Bernardus Cass. et Nicolaus de Fractura. Et tamen Magister in Regula statuit, « ut postquam se omnes percollocaverint, **354** a supradictis tutetur, si forte indigentia olei in monasterio sentiatur. » At longe aliter sensit Petrus Venerabilis, cum decrevit (*Statut.* 49) : « Ne quis fratrum nostrorum, in propriis saltem locis sine lumine noctibus dormiat. Qui si adeo pauper fuerit ut propriam lucernam in dormitorio suo providere non possit, illam quæ in ecclesia fuerit accipiat, et in dormitorio transferat. »

Hujus institutionis causas tres affert Richardus de S. Angelo. Primo, « ut decanus quando accedit visurus utrum monachi honeste dormiant sive jaceant, ut moris est, aperte valeat hoc inspicere. Secundo,
C ut monachi libere accedant ad requisita ventris cum egent. Tertio, ut ostendatur sub isto typo luminis temporalis illa lux de qua legitur in Joannis cap. I : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* »

Vestiti dormiant.] Vestitos olim dormiisse monachos constat non solum ex Regula S. Benedicti, sed etiam ex Regula S. Pachomio ab angelo tradita, ex Regula Magistri c. 2, ex Regula Cujusdam ad virgines cap. 14, ex Regula Solitar. cap. 50. S. Benedicti statutum renovarunt Gregorius IX et Benedictus XII in suis constitutionibus pro monachis Benedictinis.

Sed quæret fortassis aliquis quibus induti vestibus dormirent? Non una fuit omnium hac in re consuetudo; nam in præfata Regula S. Pachomii decernitur, ut « induantur noctibus lebitones lineos, præcincti lumbos, habeantque singuli melotem, id est caprinam pellem confectam albam, sine qua neque
D comedant, neque dormiant. » S. Paternus primum monachus, postea episcopus, « veste tantummodo qua in die usus est, ea per noctem contentus est, » ut scribit Fortunatus episcopus in ejus Vita, n. 9. Similiter S. Fulgentius in episcopatu vitam monachi retinens, « nec deposito saltem cingulo somnum petivit;.... et in qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat; et in tempore sacrificii mutanda esse potius corda quam vestimenta dicebat. » S. Benedictus nihil hoc capitulo definit; sed ex cap. 55 saltem tunica et cuculla indutos quiescere debere monachos Benedictinos colligimus : sufficere enim ait monacho *duas tunicas et duas cucullas habere propter noctes et propter lavare ipsas res.* Quamvis Turrecremata illum in locum sic scribat : « Licet nobis prima facie ita videatur, nihilominus quia hoc grave est et durum, antiquæ consuetudini ordinis, quæ ut interpres legis habenda est, standum in hac parte consulimus. » Verum præterquam quod istud non

decernit S. Benedictus, nisi quia grave est, certum est non unam fuisse ordinis consuetudinem. S. Hildegardis hoc caput exponens : « Vestiti, inquit, dormiant, scilicet simplici et sola veste quæ proxima ad cutem hominis est, ne nudi jaceant, quæ lanea fuit, et non duplici veste induti, quia hoc pati non possent : cincti cingulis aut funibus; ne vestis qua induti dormiunt, ab eis diffluat, et ne ita nudi appareant. » Quæ explicatio videtur laxior. Ex lib. Usuum Cisterc. (*Cap.* 82) « sine cucula, tunica, caligis jacere non debent. » **355** Bursfeldenses ita decernunt (*Carem. dist.* 3, *c.* 25) : « Omnia observent quæ capitulum Regulæ 22 tradit observanda, dormientes videlicet vestiti, ita tamen ut pro qualitate loci vel temporis hujusmodi possit temperari vestitus; locis videlicet et temporibus frigidis pluribus; calidis vero paucioribus seu levioribus utendo indumentis. Pro habitu autem superiori cucalla utantur regulari, clausa sine manicis, nisi fuerint itinerantes, quibus conceditur scapularibus uti dormitionis tempore, non minus tamen omnes quiescentes tunica et caligis vestiantur sub habitu regulari. » Cassinenses declarant (*Cap.* 22) « hoc modo vestitos dormire fratres, cum scapulari scilicet cum caputio sicut in die super tunicellam propter munditiam, quod habet quasi formam cucullæ secundum Clementinam. » Constitutiones Montis Oliveti : « Nocturno tempore inspiciat abbas si monachi cum biretulis laneis induti tunicella, scapulari, cinguloque cincti dormiant ; iisque nocturnum scapulare conficiendum curet : secus dormientem primum aqua et pane jejunare præcipiat; secundo arctiori pœna emendare procuret. » Paulo laxiores sunt Constitutiones Cœlestinorum, quæ solum volunt (*Cap.* 10, § 15) ut « monachi ipsi nudi non dormiant, sed vestiti et cingulo accincti, et sine cultello juxta Regulæ dispositionem; et propter evitandam immunditiam, et in æstate calorem, lanea saltem interula, et parvo scapulari sint induti ; » et FulienSium (*Cap.* 22), ut « nemo sine cuculla et caputio dormiat (cum ex iis constet vestitus monachi) nec discinctus. » Non prætereundi sunt Carthusiani (*Part.* II, *c.* 23, *n.* 34), qui « vestiti cilicio, tunicella, caligis, cingulo, et parva cuculla, » hoc est minimo scapulari dormiunt ex Nova Collectione statutorum. De pedum indumentis audiendus est Hildemarus (*In cap.* 55) : « Sciendum est quia, si necessitas est caloris, potest ille monachus sine pedulibus jacere ; ita tamen ut ad nocturnas statim ut surgit debeat illos induere, et sic cum illis ire debet in ecclesiam..... Si potest fieri ante debet sine femoralibus jacere, quam sine pedulibus. » Hic venit in mentem quod de S. Hugone episcopo Gratianopolitano scribit Guigo in ejus Vita, n. 31 (*Boll.* 1 *April.*) : « Dolebat nonnullos in religioso habitu ad sanctitatis injuriam tibiis dormire nudatis. »

Et cincti cingulis aut funibus.] Quid sit cingulum, quid funis, explicat his verbis Hildemarus : « Funis est qui de canaba fit vel lino in rotundum ; cingulus autem corrigia est de lana vel lino, sed non in rotundum sicut funis, sed in latum sicut tricia. » Et revera S. Stephanus abbas Obazinensis laneo utebatur cingulo ex ejus Vitæ l. II, n. 34 (*Tom.* IV *Misc. Baluz.*).

Et cultellos ad latus suum non habeant dum dormiunt, ne forte per somnum vulnerentur dormientes.] Ergo cultellos seu gladiolos ad latus olim deferrebant monachi per diem, quos ad seram antequam lecto decumberent, deponebant, et mane surgentes resumebant, ut videre est in antiquis Cluniacensis monasterii Consuetudinibus (*Lib.* II, *cap.* 10) : « Ad sonitum qui diluculo fieri solet in dormitorio ad excitandos fratres, facit (novitius) id ipsum quod ad signum nocturnorum : quantocius surgit..... cultelli sui secum portandi cavet oblivisci. » Et postea : « Quoties post vesperas cœnatur, **356** cœna facta, dormitorium ascendit, cultellum deponit, diurnalibus calceis detractis ; nocturnales induit, etc. » Quod de parvis cultellis ad panem, aliaque comestibilia, aut aliquid hujusmodi secandum, est intelligendum : nam « magnos gladios nobis habere non licet, inquit Boherius, imo tenentes inter septa monasterii sunt eo ipso excommunicati, nisi licentiam expressam habuerint suorum prælatorum, » ex decretali Clementis V *Ne in agro dominico.* Porro ad hunc S. Benedicti locum respicit Magister cum dicit (*Cap.* 11) : « Bracile fratrem in nocte uti ideo prohibemus, ne dum se regyrat, per somnum exiens per thecam mucro cultelli carni ejus figatur. »

Et ut parati sint monachi semper.] Ad opus Dei scilicet. Hæc periodus ad superiora verba refertur *Vestiti dormiant, et cincti* ; est enim hic verborum transpositio, quibus rationem reddit quare vestitos dormire velit monachos, scilicet ut parati sint semper ad opus Dei festinare. Porro licet unicam hanc rationem afferat, alio tamen respexisse censent interpretes. Magister tres adducit (*Cap.* 11) : 1° « Ideo, inquit, vestitos et cinctos dormire diximus fratres, ut cum hora operis Dei advenerit, et oratorii index sonaverit, noctu mox consurgant... 2° Inde ergo vestiti et cincti debent fratres dormire, quia non licet fratrem nuda membra sua contegere, nam exinde immunditiæ libidinum in animam ingeruntur, cum membrorum nuditas tactu contingitur, feminarum illico cordi desideria titillantur, unde per somnum coinquinantur membra sorditate. 3° Et maxime ideo vestiti et cincti debent fratres dormire, ne quærentes in obscuro res suas, vel cingula, ab ingredientibus oratorium sollicitis, vel paratis fratribus, cum adhuc illi lectos suos per negligentiam in obscuro subvertendo et dissipando revolvunt, aliquot orationes perdant, aut psalmos. »

Et facto signo absque mora surgentes.] Sicuti præscribit Regula S. Pachomii (*Art.* 73) : « Audito signo excitantis, aut voce psallentis, omnes surgant, currentes ad orationem. »

Festinent invicem se prævenire ad opus Dei, cum gravitate tamen et modestia.] Quæ « notabilem gressum et incessus levitatem refrenet, » inquit Bernardus Cassinensis.

Adolescentiores fratres juxta se non habeant lectos, sed permixti cum senioribus.] A quibus gravitatem et honestatem addiscant. Simile aliquid decernit S. Basilius (*Serm. de Abdic. rerum*) : « Quandocunque capiendi somni causa cubandum, cave ne vestimenta inter se mutuo sibi vestra propinquent, potiusque medius inter vos aliquis senex semper adhibeatur. » Et recte quidem : nam, ut ait Gerardus Belga monachus piissimus : « Sicut carbonis ad carbones, sic incendii motus inter juvenes ; proin misceri oportet (sed frigidos) senes, non qui sunt ipsi sicut oleum ad ignes. Illos autem censeo temperate frigidos quos constat vere exsangues esse, vere mortificatos. »

Surgentes vero ad opus Dei, invicem se moderate cohortentur propter somnolentorum excusationes.] **357** Nullum tamen verbum ore proferentes, quia hoc prohibetur cap. 42 ? « Sed aut sonitu oris, aut pedis in terra, aut tactu lecti absque eo quod dormiens tangatur, » inquit Turrecremata. Apposite autem ad hunc locum Regula Abbatis Isaiæ (*Cap.* 57) : « Si pigritetur corpus tuum dum ad orationem surgendum est, dicito illi : Visne requiem capere modico hoc tempore, deinde abire ad longum supplicium ? nonne præstat ut parum hic labores, tum requiescas illic cum sanctis in æternum ? tunc enim recedit a te pigritia, et adveniet tibi divinum auxilium. » Porro quam benigne excitantes nos ad vigilias excipere debeamus, docet S. Basilius in Regul. Brev. interrog. 43 et 44.

CAPUT XXIII.

De excommunicatione culparum.

Si quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in aliquo [a] contrarius exsistens [b] sanctæ Regulæ, et præceptis seniorum suorum, contemptor repertus fuerit, hic secundum Domini nostri præceptum admoneatur semel, et A secundo secrete [c] a senioribus [d] suis. Si non emendaverit, objurgetur publice coram omnibus. Si vero neque sic correxerit, si intelligit qualis pœna sit, excommunicationi subjaceat. Si autem improbus est, vindictæ corporali subdatur.

[a] Hild. *in aliqua causa.*
[b] Oxon., *contrario consistens.*
[c] Al., *secreto.*
[d] Al., *a majoribus.*

COMMENTARIUS

Si quis frater contumax, aut inobediens, etc.] Sex aut quinque causas casusve pro diversa lectionum interpunctione assignat, in quibus excommunicationis pœna inuri debeat. Prima est, si quis frater contumax sit. Quid vero sit contumax ita exponunt auctores. Hildemarus: « Ille, inquit, est contumax qui contemnit facere in prima fronte quod imperatur: verbi gratia cum dicitur illi, Fac hoc, et ille contumax dicit, Non facio. » Bernardus Cassinensis et Boherius: « Contumacia dicitur illa qua quis citatus ut veniat, non comparet; aut si comparuerit, in judicio non procedit: hic autem aliter assumitur contumacia, quando videlicet correptus de aliqua specie mali, superbe respondet, et resistit in facie corrigenti. » Nicolaus de Fractura: « Sciendum 358 est quod multiplex est contumacia, et multipliciter quis dicitur contumax, cum jussus restituere non restituit. Item si citatus ternis edictis, vel uno peremptorio pro omnibus, ad judicium non venit; vel si venit, illicentiatus discessit. Item si jussus respondere, non respondit; vel quia respondit, si obscure respondit; quod idem est ac si non responderet. Item si venit ad judicium, et non comparet, seu latitat post columnas, habetur ac si non venisset. Hic vero aliter accipitur contumacia, videlicet cum quis secrete correptus resistere nititur corrigenti. » Richardus de S. Angelo: « Tribus modis aliquis dicitur contumax: 1° si vocatus non venit; 2° si venit et non velit obedire; 3° si recedit illicentiatus. » Ita illi secundum jura. Denique Benedictus Haeftenus (*Lib.* VIII, *tract.* 4, *disq.* 3): « Dictum autem volunt contumacem sive a contemnendo, sive, ut aliis placet, a tumore, hoc est superbia. Jurisconsultis contumax dicitur, qui tribus propositis edictis, vel uno pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, judicisque litteris evocatus, præsentiam sui facere contemnit. Apud monachos autem qui non tantum non comparet, sed qui non paret. »

Secunda, *aut inobediens*. Quem a contumace distinguit Hildemarus, in eo quod omnis contumax est inobediens, sed non e converso omnis inobediens est contumax: nam etsi jussionem aut præceptum non impleat, non tamen superbe respondet aut resistit in facie. Hæc vero inobedientia qua de hic agit S. Benedictus, « illa est, inquiunt Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, et Boherius, qua quis non vult facere satisfactionem sibi secrete injunctam. » Non vero illa, addit Boherius, quæ contradictione opponitur obedientiæ professionis, quia per illam totaliter receditur a Deo. » Inobedientem ergo bis secreto admonitum et tertio publice objurgatum S. Benedictus excommunicari præcipit. Econtra S. Pachomius (*Art.* 89): Si perfectæ ætatis sit, decies admoneri ut a vitiis desistat; post hæc audire nolentem monasterii legibus increpari; S. Basilius (*Reg. fus.*, *c.* 47): inobedientiæ rationem nolentem reddere e fratrum contubernio ejici. Simile aliquid habetur apud Cassianum (*Lib.* IV, *c.* 6). Et certe *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam*, inquit Apostolus, *hunc notate, et ne commisceamini cum illo* (*II Thess.* III). Sed S. Columbanus (*Pœnitentiali*) solum decernit, ut « si quis frater inobediens fuerit, duos dies unum paximatium et aquam » tantum accipiat.

Tertia, *aut superbus*, quocunque superbiæ genere.

Quarta, *aut murmurans*, hoc est, qui « non tantum B superbo et præfracto animo tacite inobediens est, sed per apertum murmur virus suum in alios diffundit, et eorum animos ad contradictionem excitat, » inquit Haeftenus. Sed Bernardus Cassinensis et Boherius S. Benedictum hic intelligunt de levi et quasi consueto murmurio, non de illo quod alios ad commotionis peccatum trahit. De murmurio quod S. Benedictus excommunicatione ferit, et post eum Regula Magistri c. 12, et Cujusdam ad virgin. c. 18, diximus ad cap. 4 et 5, ubi varias quibus apud veteres monachos plecteretur pœnas retulimus.

359 *Vel in aliquo contrarius existens S. Regulæ, et præceptis seniorum suorum, contemptor repertus fuerit.*] Quintum hic sextumque casum reponit Bernardus Cassinensis, in quibus excommunicationis medela adhibenda est: scilicet quintum: Si in aliquo contrarius existat quis S. Regulæ; sextum: Si præceptis seniorum suorum contempt r repertus fuerit, sub hac interpunctione Regulæ textum scri- C bens: *Vel in aliquo contrarius existens S. Regulæ, et præceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit.* Cui favent nonnulli codices mss. et antiqua versio Gallica, quæ hunc locum ita reddit, *ou qu'il soit contraire en aucune chose à la sainte rieule, et qu'il soit trouvé despisant les commendemens de ses enciens.* Sed si valeret talis interpunctio, non *præceptis*, sed *præceptorum seniorum suorum contemptor* legendum esset. Similiter Turrecremata quintum casum, si quis contrarius existat Regulæ et præce.tis; sextum in contemptu seniorum constituit, cum hac interpunctione Regulæ textum scribens: *Vel contrarius existens S. Regulæ et præceptis, seniorum suorum contemptor repertus fuerit;* cui concinit versio Gallica Guidonis Juvenalis. Sed non ita recte. Melius qui cum Menardo et Haefteno ita legunt: *Vel in aliquo contrarius existens S. Regulæ, et præceptis seniorum suorum, contemptor repertus fuerit.* Quibus in verbis unam et quintam excommunicationis causam constituunt. Atque ita S. Columbanus in Pœnitentiali: D « Qui vero suum præpositum aut Regulam blasphemaverit, foras repellendus est, nisi ipse dicat: Pœnitet me quod dixi. Si autem non se humiliaverit, quadraginta diebus pœniteat, quia superbiæ morbo detinetur. » Et iterum: « Si quis contradicit mandatum, aut Regulam frangit, duos dies unum paximatium. » Regula vero S. Pachomii ita habet (*Art.* 91): « Qui contemnunt præcepta majorum, et regulas monasterii, quæ Dei præcepto constitutæ sunt, et parvipendunt seniorum consilia, corripientur juxta ordinem constitutum donec corrigantur. » Idem legitur in Regula Orientali cap. 19.

Hic secundum Domini nostri præceptum admoneatur semel et secundo secrete a senioribus suis.] Si tamen honesto et intelligibili animo sit; nam duros corde in

ipso initio peccati durius coercere oportet, ut ex Regulæ cap. 2 hic observat Hildemarus.

Si non emendaverit, objurgetur publice coram omnibus.] A prælato scilicet, qui solus habet potestatem publice delinquentes corripiendi; aut etiam a senioribus cum ejus potestate. Regula Cujusdam ad virgines præscribit (*Cap.* 18), ut « secreto a senioribus semel vel bis corripiatur. Si non emendaverit, tunc simul ab omni congregatione objurgetur. »

Si intelligit qualis pœna sit.] Sive, ut loquitur Regula Cujusdam ad virgines : *Si ejus antea intellectus viguit, excommunicationi subjaceat.* Igitur S. Benedictus post trinam admonitionem incorrigibilem excommunicationi subjicit. Eamdem disciplinam instituit S. Basilius in **360** Regulis brev. interrog. 3, in Constitut. Monast. c. 30; Regula Orientalis cap. 32, Regula Magistri c. 12, et Regula Cujusdam ad virgines cap. 18.

Quid vero excommunicationis nomine hic intelligat S. Benedictus, ita exponunt commentatores. Hildemarus : « Cum d cit excommunicationi, subaudiendum est simplici tantum; id est illi excommunicationi subjaceat quæ a mensa separat monachum. » Similiter Bernardus Cassinensis : « Hæc excommunicatio non dicitur major, neque separatio a sacramentis, sed separatio a mensæ participatione, de qua dicetur in sequenti capitulo; quia istæ culpæ non computantur inter graviores. » Et Boherius : « Nota quod ista excommunicatio non est anathema, quæ a solo fertur episcopo cum certa solemnitate; nec major excommunicatio, quæ separat a corpore Christi et Ecclesia, id est communione fidelium; quia illa non debet fieri pro minoribus culpis, de quibus hic; nec etiam minor excommunicatio, quæ separat a sacramentis Ecclesiæ; sed est ista excommunicatio separatio a mensa fratrum, et chori ecclesiæ communi participatione, de qua loquitur sequenti capite. » Econtra Menardus : « Hæc est propria excommunicatio, quam majorem vocant theologi; nam ex parte excommunicati præcedit contumacia, et contemptus, et gravitas culpæ; ex parte excommunicantis trina admonitio. » Cui consentit Joannes Craesbeeck. Vetus versio Gallica ita reddit textum : *Soit excommunié, c'est-à-dire mis hors de la communauté des autres.* Sed mea quidem sententia S. Benedictus hoc capite loquitur de excommunicatione in genere, de eadem in specie dicturus duobus capitibus consequentibus. An vero pro gravioribus culpis excommunicatione, quæ proprie sit ecclesiastica censura, fratres suos inuri voluerit, discutiendum erit ad caput 25. Interim antiquam excommunicandi formulam ex Regula Magistri accipe (*Cap.* 13) : « Cum suggestum fuerit abbati meritum inobedientis, jam non dicendus frater, sed hæreticus legis; jam non dicendus filius Dei, sed operarius dæmonis, qui dissipando sanctorum facta, velut quædam scabies est procreata in grege. Convocet eum abbas præsentibus suis præpositis, vel cætera congregatione circumstante; et interrogati ab abbate præpositi ejus quid peccaverit, vel quoties monitus de ipso vitio non emendaverit, respondeant quid eum accusant. Quo audito vitio, talem abbatis contra se audiat vocem : O misera anima, quod es responsum datura Deo, quem per inobedientiam quotidie irritas, cum accesseris adorare eum? quare sub dominio Dei servis potius mammonæ? quid mentiris Deo, alter Judas? Ille Judas iniquitatis pretio justitiam vendidit, tu Christianum nomen laceras malefactis. Ille Judas per pacem falsam Domino scandalum generavit, tu sub nomine sancti servitii Deo magis rebellis existis. Ille Judas falsus tradidit Magistrum discipulus, tu sub nomine sancto magis diabolum factis sequeris Christianus. Astare enim

A habet nostra monitio, vel tuus spiritus, cui cum carne per propriam voluntatem repugnas, Deo ante tribunal tremendi judicii dicens : Domine, noluit intelligere **361** ut bene ageret; iniquitatem meditatus est, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non audivit, sed magis gloriatus est in ea, potens fuit in iniquitate. Cum hæc accusatus fueris in judicio, post nostram simul et ipsius tremendi judicis audias vocem dicentis tibi : Tu es qui odisti disciplinam, et projecisti sermones meos post te. Si videbas furem, simul currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnavit dolum. Sedens adversus fratrem tuum detrahebas, et ponebas scandalum. Tota die injustitiam cogitavit lingua tua : sicut novacula acuta fecisti dolum; dilexisti malitiam super benignitatem; iniquitatem magis quam loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba præcipitationis in lingua dolosa. Hæc fecisti et tacui : Existimasti iniquitatem quia eram tibi similis; ar-

B guam te, et statuam illam contra faciem tuam, ut destruat te Deus in finem : evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium. Tunc etiam et omnes justi de sua gloria in judicio videbunt te, cum ab eis fueris sequestratus ad sinistram inter hædos, et super te ridebunt ipsi dicentes : Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem sibi, sed prævaluit in vanitate sua, et non fuit timor Dei ante oculos ejus; quoniam dolose egit in conspectu ejus, et dixit ut insipiens in corde suo : Non requiret Deus, avertit faciem suam ne videat usque in finem. Et ignoravit quia inimici qui mentiuntur Domino, erit tempus eorum in pœnam æternam. Quid ad hæc dicturus es Deo? quas afferre ei habes miser excusationes in peccatis? cum tua te primo impugnaverint mala, et gehenna exspectaverit ut incendat. Post hanc increpantis vocem ante congregationem abbatis, statim exigi jubeatur ab oratorio et communi mensa; et extraneus deputetur : et cum inimicus Dei designatur, non debet ex illa hora jam

C fratribus esse amicus. »

Sin autem improbus est.] Improbus Bernardo Cassinensi est « protervus, aut in malitia perseverans; » Boherio, « improbus dicitur faciens contra legem, vel importunus, vel in malo perseverans; » Joanni Craesbeeck, quem nec opprobria, nec animæ pericula movent. Joannes *de Précis* abbas S. Germani Parisiensis hunc locum Gallice ita reddit : *S'il ne l'entend, et est rebelle.* Versio ms. S. Petri Conchensis : *S'il est obstiné.* Versio Guidonis Juvenalis : *S'il est deshonté ne tenant conte de cela.* Recentiores : *S'il est endurci.*

Vindictæ corporali subdatur.] « Quod duobus modis intelligitur : id est jejuniis nimiis, aut certe flagellis, » inquiunt Hildemarus, Bernardus Cassinensis et Boherius. Jejunii autem nomine omnis corporalis castigatio capienda est ex S. Hildegarde, quæ hunc locum ita exponit : « Vindictæ corporali subdatur, id est verberibus, aut aliis corporalibus castigationibus

D castigetur. » Et merito quidem; nam, ut ait Joannes Craesbeeck : « Improbi quos nec opprobria, nec animæ pericula movent, non excommunicatione, sed verberum acerbitate ad instar irrationabilium pecorum, quæ nullo rationis judicio ducuntur, sed flagello impelluntur, cogendi sunt; ut qui **362** malitia sua excæcati et obdurati nullis rationibus cedunt, illos corporum afflictio et cruciatus commoveat et ad mentem revocet. » Consonat Regula Magistri : « Excommunicati vero fratres, si ita superbi exstiterint, ut in superbia cordis perseverantes, in tertia die hora nona satisfacere abbati noluerint, custoditi usque ad necem cædantur virgis; et si placuerit abbati, de monasterio expellantur, etc. »

CAPUT XXIV.

Qualis debeat esse modus excommunicationis.

Secundum modum culpæ excommunicationis vel A disciplinæ mensura debet extendi : qui culparum modus in abbatis pendeat judicio [a]. Si quis tamen frater in levioribus culpis invenitur, a mensæ participatione privetur. Privati [b] autem a mensæ consortio, ista erit ratio : ut in oratorio psalmum, aut antiphonam non imponat neque lectionem [c], recitet, usque ad satisfactionem. Refectionem autem cibi [d], post fratrum refectionem [e] solus accipiat [f]. Ut si, verbi gratia, fratres reficiunt [g] sexta hora, ille frater nona; si fratres nona, ille vespera [h], usque dum satisfactione congrua veniam consequatur.

[a] Conc. Comp., *pendet judicio.* Sabin. Conch., *pendeat arbitrio.*
[b] Narb., *privato;* al., *privatis;* al., *privatus.*
[c] Narb., *imponat neque responsorium dicat, neque lectionem.*
[d] Al., *sibi.*
[e] Hild. deest *post fratrum refectionem.*
[f] Hild. Conc., *solus percipiat.* Editi addunt *mensura vel hora qua prævideril abbas ei competere;* quæ verba desiderantur in omnibus mss.
[g] Concl. deest *reficiunt.*
[h] Oxon., *vespertina.*

COMMENTARIUS.

Secundum modum culpæ excommunicationis vel B disciplinæ mensura debet extendi.] De excommunicatione quasi in genere dixit superiori capite S. P. Benedictus, de eadem velut in specie isto et sequenti, in quibus agit de levioribus et gravioribus culpis; neque enim unam eamdemque omnium culparum pœnam vult esse, uti contendebant olim Stoici, qui cum omnia hominum peccata esse æqualia assererent, æquali etiam vindicta censebant esse perstringenda; quorum errorem a Joviniano hæretico postea suscitatum confoderunt S. Hieronymus l. II adversus Jovinianum, et S. Augustinus epist. 167; quorum etiam doctrinam secutus S. Benedictus **363** ait : *Secundum modum culpæ*, id est juxta quantitatem aut qualitatem culpæ; a quibus pœnæ modum repetendum esse docent Hildemarus, Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Richardus de S. Angelo, et Boherius. *Excommunicationis vel disciplinæ debet extendi mensura.* Id est quantitas vel qualitas pœnæ; ut tandiu maneat excommunicatus, quandiu deliquit, idque C majori vel minori excommunicatione pro delicti gravitate. Et bene S. Pater ait *excommunicationis vel disciplinæ*, quas licet idem esse asserat Richardus, ab excommunicatione tamen disciplinam distinguunt Hildemarus, Bernardus Cass. et Boherius : nam disciplinæ nomine virgam intelligit Hildemarus; jejunium et virgam simul Bernardus et Boherius.

Qui culparum modus in abbatis pendeat judicio.] Quæ verba non sic capienda sunt, quasi ex abbatis penderet judicio, ut culpa levis sit gravis, aut gravis levis; tales sunt enim eo ipso quo commissæ sunt independenter ab ejus judicio : sed quod ejus sit prudentiæ et judicii discernere et æstimare an talis culpa, tali aut tali circumstantia affecta, gravis sit aut levis. Item non sic capienda quasi ex abbatis penderet voluntate pro suo libito culpis pœnas injungere; sed quod ejus sit agnoscere et dijudicare qualis sit culpa, gravis an levis; qua semel cognita, indictam a S. Benedicto inferat pœnam, non aliam. Atque ita S. P. Benedictum explicare videtur Hildemarus. Porro huc referri posset quod statuit etiam S. Basilius (*Serm. 1 de Instit. mon.*) : « Illius qui in aliquo delicto deprehensus fuerit pœna sit secundum modum peccati : scilicet ut vel non permittatur cum aliis interesse ad psalmodiam, vel non suscipiatur ad communionem orationis, vel repellatur a participatione mensæ; qua in re qui erit communis disciplinæ moderator pœnam etiam commetietur. »

Si quis tamen frater in levioribus culpis invenitur, a mensæ participatione privetur.] S. Benedictus ne levissimas culpas inultas reliquit, ne forte neglectæ tandem graves evaderent; noverat enim quod ait S. Chrysostomus (*Serm. 8 in I Cor.*) : « Parum deficiens, multum in progressu deficiet; etenim si corpus gladio vulnus accipit, corrumpitur; ædificium si parum dehiscit, dissolvitur; si radix parum scinditur, inutilis est; quare hoc parum non est parum, sed prope totum est. Cum igitur parum deliquerimus vel torpuerimus, ne spernamus illud parum, quoniam id quod neglectum est magnum fit : vestimentum frangi incipiens et neglectum, tandem scinditur; et tectum cum paucæ regulæ ceciderunt, neglectum integram domum pessumdat : hæc igitur considerantes nunquam parva spernamus, ne in magna dilabamur. » Ut autem S. Benedicti mentem plenius attingamus, inquirendum est quænam leves culpæ censeri debeant; nam graviores sequenti capitulo investigabimus. Itaque « levioris culpæ reus est, inquit S. Isidorus (*Cap.* 16), qui otiosus esse dilexerit, qui ad officium, vel ad collationem, vel ad mensam tardius venerit; qui in choro horis riserit fabulisve vacaverit; qui relicto officio vel opere, extra necessitatis **364** causam foras discesserit, qui torporem aut somnum amaverit, qui sæpius juraverit, qui multiloquus fuerit, qui ministerium cujuslibet operis injunctum sibi sine benedictione susceperit, ac peracto opere benedictionem minime postulaverit, qui injunctum opus negligenter et tardius expleverit, qui casu vas aliquod fregerit, qui damnum rei parvæ intulerit, qui codice negligenter usus fuerit, qui alicubi ad momentum secesserit, qui occulte litteras ab aliquo vel quodlibet munus acceperit, vel epistolam suscipiens occultaverit, qui sine abbatis consensu rescripserit, vel quemlibet parentum vel sæcularium sine jussu senioris aut viderit, aut cum eo locutus sit; qui seniori inobediens fuerit, qui contumaciter seniori responderit, qui erga seniorum linguam non represserit, qui lascivus in lingua fuerit, qui inhoneste incesserit, qui jocaverit, qui satis riserit, qui cum excommunicato locutus fuerit, oraverit, aut comederit; qui illusionem nocturnam Patri non patefecerit. Hæc igitur et similia triduana excommunicatione emendanda sunt. » His fere similia sunt ea quæ refert Cassianus l. IV, cap. 16.

D Hildemarus vero et Bernardus Cassin. inter leviores culpas spiritualia peccata recensent; inter graviores carnalia. Spiritualia autem peccata vocant ea quæ superiori capite retulit S. Benedictus, contumaciam, inobedientiam, superbiam, murmurium, etc.; carnalia, fornicationem, adulterium, et his similia.

Boherio leviores culpæ sunt peccata venialia; Turrecrematæ, « transgressiones regulæ aut constitutionum quoad ea quæ non sunt de essentia religionis, nec ad actus pertineant virtutum, sed quæ ad cæremonias pertineant, ut est fractio silentii, tarde venire in chorum et refectorium, et similia; aut sunt de numero eorum quæ de suo genere sunt levia peccata, sicut est verbum otiosum, vaniloquium, risus immoderatus, et similia. » Certe de S. Benedicto Ania-

nensi abbate referunt (*Ardo in ejus Vita, n. 32, sæc. IV, part.* I), quod « tanta erat ejus sollicitudo, ut si vel modica grana leguminum, vel exiguæ porri comæ, cauliumque folia ab eo neglecta invenirentur, mox digna excommunicationis animadvertebatur sententia cujus probaretur esse delictum. » Qualis autem esset illa excommunicationis sententia pro levioribus, explicat S. Pater, scilicet *a mensæ participatione privetur*, non autem ab oratorio; nam *dum fratres in refectorio comedunt, ipse sit in ecclesia*, ex statutis Lanfranci cap. 17. Ejusdem pœnæ meminerunt S. Basilius in serm. 1 de Institutione monach.; S. Cæsarius in Regul. ad virg. c. 11; Regula Cujusdam ad virg., c. 19; et Regula Magistri, cap. 13.

Privati autem a mensæ consortio ista erit ratio.] Id est *rationabiliter isto modo procedetur*, inquit Bernardus Cassinensis, sive, ut ait Hildemarus, *Rationabilis causa est.*

Ut in oratorio psalmum, aut antiphonam non imponat.] Sed neque aliquid simile, ut sunt responsoria, hymni, etc., quia idem judicium est in ipsis, infit Boherius.

365 *Neque lectionem recitet.*] Neque missam celebret, si presbyter; neque ad eam offerat, si solum monachus sit, ut post Hildemarum docent Bernardus Cassin., Nicolaus de Fractura et Boherius, Quia, inquiunt, cui minus prohibetur, prohibetur et majus; quorum sententiam confirmant Statuta Lanfranci his verbis : « Ad levis culpæ satisfactionem adjudicatus frater a communi mensa separatur... *In ecclesia missam non celebret*, epistolam, vel lectionem, evangelium non legat, responsorium non canat, antiphonam super psalmos non imponat, nec aliquid hujusmodi nisi cum cæteris agat, ad candelabrum, vel ad thuribulum non se revestiat, *ad offerendam*, vel ad pacem non accedat. » Et Cæremoniale Bursfeldensium (*Dist.* 1, *c.* 8) : « Missus in culpam leviorem ita se habere debet quemadmodum ipsa sibi regula præscribit. In quam tamen nullus mittatur, nisi tale quid commiserit, quod pro sui enormitate videatur districtiori animadversione puniendum. Itaque existens in pœnitentia hujusmodi, antiphonam aut psalmum non imponat, lectionem non recitet, neque invitatorii officium faciat, non osculetur textum Evangelii, *nec communicet, aut celebret*, vel ministret publice in conventu, quæ tamen in privato facere non prohibetur. » Antiquæ Consuetudines Cluniacensis monasterii apud Udalricum l. II, c. 18, et ms. S. Benigni Divionensis c. 32, solum habent : « Non offert, non osculatur textum evangelii, non accedit ad pacem. » Sed ab hac pœnitentia abstinebant in festis duodecim lectionum, ex prædictis Lanfranci statutis, Cons. Cluniac. et S. Benigni, donec privati dies redirent; in quibus privatis diebus etiam privatim missas celebrare poterant, ut habet Cærem. Bursfeldensium, et docet Petrus Boherius in primo commentario.

Usque ad satisfactionem.] Id est donec ab excommunicatione solvatur; quomodo autem solveretur dicemus postea ad cap. 44.

Refectionem autem cibi post fratrum refectionem solus accipiat.] Id est, sine servitore sibi ministrante, sine consortio fratris secum comedentis, in aliquo diversorio a communi fratrum refectorio separato, vel in communi refectorio post fratrum refectionem, uti exponit Bernardus Cassinensis. Ex antiquis etiam definitionibus Cisterc. (*Dist.* 7, *c.* 5) : « Extra refectorium ubi abbati visum fuerit secundum regulam comedant. Nec post refectionem servitorum cum aliis eant ad biberes. » Et tamen Hildemarus asserit quod S. Benedictus *non tollit illi locum in ordine*, quod non de refectorio intelligendum puto, sed de choro, in quo tandiu debet in loco suo stare, inquit Hildemarus, usque dum fratres genuflectunt ad supplicationem litaniæ : quo tempore in deputatum ab abbate locum pergens, ibidem prostratus jacet dum completur opus Dei, ut dicemus infra ad cap. 44, quamvis Lanfranci Statuta decernant (*Cap.* 17), ut « in monasterio, et in capitulo, in loco ubi solet esse, sit aut ultimus omnium, aut inter utrumque secundum quod culpa fuerit, et abbas præceperit. »

Editi fere omnes addunt : *Mensura, vel hora qua prævideril abbas ei* **366** *competere.* Quia si improbus sit, non solum virgis castigandus, sed nimiis etiam jejuniis affligendus : alioquin si vere sit delicti pœnitens, eodem cibo et potu, quo alii reficere debet : neque enim S. Benedictus « tollit illi locum in ordine, inquit Hildemarus, vel cibum, aut potum, præter si ille jam ex hac excommunicatione non se emendaverit. » Unde et Statuta Lanfranci (*Cap.* 17) : « Ad levis culpæ satisfactionem adjudicatus frater a communi mensa separatur, usurus cibo et potu quibus alii fratres, nisi ei nominatim fuerit interdictum. » Et Boherius in primo commentario asserit talem vino non esse privandum; in secundo vero ita scribit ad cap. 25 : « In leviori autem culpa ciborum non mutatur mensura, sed hora retardatur. »

Ut si, verbi gratia, fratres reficiunt sexta hora, ille frater nona; si fratres nona, ille vespera.] Similiter Regula Magistri (*Cap.* 13) : « Quod si forte propter levitatem culpæ non ei voluerit abbas duplicare jejunia; si fratres sexta reficiunt, ille ad nonam horam de uno pulmento, et panis cibarii sibi fragmentum et aquæ a præposito suo pro misericordia porrigatur. Si inculpabiles fratres hora nona reficiunt, illius supradicta refectio protrahatur in vesperum, ut sentiat quid ei malorum culpa contulit, quid per negligentiam bonorum amisit. »

Usque dum satisfactione congrua veniam consequatur.] Congrua autem satisfactio ex Hildemaro et Smaragdo tunc erit, quando secundum modum culpæ peracta fuerit pœnitentia; qua in re semper attendendum est qua intentione, aut quomodo deliquerit, aut quo animo pœniteat; citius absolvendus, si humiliter ac verecunde satisfacit; tardius, si negligenter ac tepide.

CAPUT XXV.

De gravioribus culpis.

Is autem frater qui gravioris culpæ noxa tenetur, suspendatur a mensa simul et ab oratorio. Nullus ei fratrum in ullo [a] jungatur consortio neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi injunctum, persistens in pœnitentiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam dicentis, traditum [b] hujusmodi hominem Satanæ [c] in [d] interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini [e]. Cibi autem refectionem solus percipiat mensura vel hora qua prævideril [f] **367** abbas ei competere. Nec a quoquam benedicatur transeunte, nec cibus qui ei datur.

[a] Al., *ullo*; al., *in nullo.*
[b] Hild., *tradite.*
[c] Oxon. et Lyr. deest *Satanæ*
[d] Al., *in interitu*
[e] Al., *in diem Domini.* Hild., *in die judicii.*
[f] Al., *quam viderit*; al., *qua prædixerit.*

COMMENTARIUS

A De pœnis quibus excommunicati pro gravioribus culpis plecterentur dicturis ante videtur inquirendum quænam graviores pœnæ censeri debeant. Et quidem eo in numero primum reponi posse eas existimo quas veteres monachi plagis emendabant, aut expulsione purgabant, quasque refert Cassianus his verbis (*Lib.* IV, *cap.* 16): « Residua vero quæ apud nos indifferenter admissa, a nobis quoque reprehensibilibus sustinentur; id est aperta convicia, manifesti contemptus, contradictiones tumidæ, libera et effrenata processio, familiaritas apud feminas, iræ, rixæ, simultates, et jurgia, operis peculiaris præsumptio; philargyriæ contagio, affectus atque possessio rerum superfluarum, quæ a cæteris fratribus non habentur, extraordinaria ac furtiva cibi refectio, et his similia, non illa increpatione quam diximus, spiritali; sed vel plagis emendantur, vel expulsione purgantur.

Secundo, quas enumerat in Regula S. Isidorus sic scribens (*Cap* 16): « Graviori autem culpæ obnoxius est, si temulentus quisque sit, si discors, si turpiloquus, si feminarum familiaris, si seminans discordias, B si iracundus, si altæ et erectæ cervicis, si mente tumidus, vel jactanti incessu immoderatus, detractor, susurro, vel invidus, si præsumptor rei peculiaris, si pecuniæ contagio implicatur, si aliquid præter regularem dispensationem superfluum possideat; si fraudator rei acceptæ, vel commissæ sibi, aut minus commissæ. Inter hæc si se de rebus secum allatis extulerit; vel de iis per inobedientiam murmuraverit, si rei majoris damnum intulerit, si furatus fuerit, si perjuraverit, si falsum dixerit, si contentiones et rixas amaverit, si manifestum convicium fratri intulerit, si personam innocentis falso crimine maculaverit, si contumaci animo seniorem despexerit, si rancorem adversus fratrem tenuerit, si peccanti in se et postea supplicanti veniam non concesserit, si cum parvulis jocaverit, si cum altero in uno lecto jacuerit, si extra communem mensam privatim vel furtim quippiam sumpserit, si alicubi extra consultum præpositi vel abbatis discedens medio die vel amplius commoratus C fuerit, si ut otiosus sit falsam infirmitatem prætenderit. Hæc et similia juxta arbitrium Patris diuturna excommunicatione purganda sunt, ut qui graviter peccare noscuntur, acriori severitate coerceantur. »

Tertio, si Regulæ commentatores consulamus, Hildemarus in cap. 22 et 24 graviores culpas docet esse peccata carnalia, ut sunt fornicatio, homicidium, furtum et similia; et in cap. 25, mortalia delicta, criminalia peccata. Similiter Smaragdus, Bernardus Cassinensis, Nicolaus **368** de Fractura, Turrecremata et Guido Juvenalis per graviores culpas intelligunt peccata mortalia, quia nullus secundum canones, nisi peccato mortali obnoxius, majore excommunicatione feriendus est; nihilque addunt specialius, nisi quod Bernardus Cassinensis ait: « Ego tamen sic teneo quod indistincte hic loquitur Pater de illis mortalibus peccatis quæ per actum et perpetrationem cognoscunt, et quæ judicat abbas non leviores, sed graviores esse culpas. » D

Denique Joanni Craesbeeck, « graviores culpæ sunt trium votorum monasticorum violatio, et alia graviora peccata, quæ hominem æternæ mortis reum constituunt, cujusmodi multa recenset Apostolus (*Gal.* V): Manifesta sunt autem, inquit, opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, etc. »

Tales ergo culpæ quomodo emendandæ sint, declarat hoc capitulo S. Pater his verbis:

Is autem frater qui gravioris culpæ noxa tenetur, suspendatur.] Id est excommunicetur.

A mensa simul et ab oratorio.] *Id est Sacramentis et hominum pariter participatione*, inquit Boherius in 2 comm.; ex cujus mente dicendum foret S. P. Benedictum non regulari simpliciter et monastica, sed vere ecclesiastica excommunicatione percutere voluisse gravioribus culpis obnoxios: quam quidem opinionem sequentibus argumentis quis confirmare posset.

Primo, S. Benedictus eodem prorsus modo quo Ecclesia adversus excommunicandos procedit; nam ex parte excommunicandi requirit contumaciam, contemptum, et gravitatem culpæ; ex parte excommunicaturi trinam monitionem præviam, ut patet ex Regulæ c. 23; quamvis, ut notant aliqui commentatores, non semper præcedere debeat trina monitio; nonnulla enim sunt crimina in quibus lapsus ipso facto est excommunicatus.

Secundo, S. Benedictus excommunicatum hoc præsertim capite iisdem omnino privat, quibus ecclesiastica ligati excommunicatione privantur; qua forte ratione asserunt Hildemarus sacros canones, qui hominem ab Ecclesia separant, ex hoc capite tractos fuisse. Et certe excommunicato negat communem mensam, oratorii ingressum, fratrum colloquium, benedictionem transeuntium, alicujus consortium, sive cohabitationem; a quibus excommunicatione nodatos prohibet Ecclesia; ut patet ex duobus hisce versibus, quos refert S. Thomas.

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negetur.

Et licet communio, quatenus sacramentorum participationem involvit, minus expresse hoc nominetur in capitulo, ab ea tamen satis privari intelligitur, cum ab oratorio in quo solet suscipi suspenditur. Et plane si pro levioribus culpis excommunicati nec celebrare nec communicare publice poterant, ut superiori capite vidimus ex Hildemaro, Statutis Lanfranci, Bernardo Cassin. etc., a fortiori majori perculsus excommunicatione **369**, nec publice, nec privatim, celebrare aut communicare poterit.

Tertio, de excommunicatione tanquam de maxima omnium pœna loqui videtur S. Benedictus cum ait (*Cap.* 23): *Si intelligit quanta sit pœna, excommunicationi subjaceat.*

Quarto, hujusmodi *traditum Satanæ in interitum carnis* asserit. Quid vero sit tradi Satanæ explicat S. Augustinus his verbis: « Omnis Christianus qui a sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur. Quomodo? Quia extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesia Christus; ac per hoc quasi Satanæ traditur qui ab ecclesiastica communione removetur; unde illos quos tunc Apostolus Satanæ traditos prædicat, excommunicatos a se esse demonstrat. »

Quinto, cum excommunicato communicantem similem cum eo excommunicationis vindictam sortiri voluit, quod tantum cavendum constat cum majori excommunicatione devincto.

Sexto, accedit communis commentatorum aliorumque sententia, qui S. Benedictum hoc præsertim capite de ecclesiastica excommunicatione locutum censent. Ita Hildemarus, Bernardus Cassin., Boherius in utroque comm., Turrecremata, Guido Juvenalis, Matthias Lambertus in cap. 25, Joannes Craesbeeck in cap. 23, Alardus Gazæus in comment. ad Cassiani lib. II, c. 16; Antonius Perezius, in cap. 25; Theophilus Raynaudus, lib. de Monitoriis eccles. p. II, c. 1, n. 6; Hugo Menardus ad Concord. Regul. c. 50, § 1, et c. 32, § 1, et c. 34, § 1; Benedictus Haeftenus lib. VIII, tract. 4, disq. 1, quibus addere potuissemus S. Bernardum, serm. 44 in Cant., in quorum omnium referendis testimoniis nimius essem: unus omnium ad instar sufficiet Hildemarus, ut pote antiquissimus; nec infimus inter Regulæ commentatores. Itaque scribens in hoc caput sic loquitur: « Hoc capitulum generavit illam sententiam Pauli apostoli, in qua dicit: *Tradite hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis*; inde etiam sacri canones qui hominem ab ecclesia separant tracti

sunt. » Et iterum : « Sciendum est quia istud capitulum de canonica auctoritate tractum est; nam in Veteri Testamento ita præcipitur, ut si leprosus fuerit, maneat extra castra; si autem non fuerit, maneat in castris. Illa lepra significat illa peccata pro quibus extra Ecclesiam fieri debet. Similiter et pollutio majorum peccatorum tenet figuram sicut lepra; per castra autem intelligitur Ecclesia. » Et ad cap. 27 : « Magnum studium debet esse abbati de illo excommunicato, ne contingat ante mori, quam reconcilietur; quia si ante, quod absit, mortuus fuerit, secundum canonicam auctoritatem pro eo sacrificium offerri non debet, etc. » Quod confirmari posset exemplo sanctimonialium quas S. P. Benedictus excommunicavit.

Econtra tamen S. Hildegardis, Columbanus Uranx in ms. comm., Silvanus Razzi Camaldulensis monachus, Julianus Parisius in libro de Prima vivendi Ratione Cisterc. part. II, c. 6, sect. 1; Nicolaus Bravus, Joannes Bona cardinalis de Divina Psalmod. c. 3, § 4, n. 1, censent **370** S. Benedictum non de ecclesiastica, sed de regulari tantum excommunicatione locutum fuisse, his præcipue nixi fundamentis.

Primo. S. Benedictus, licet non presbyter, excommunicasse legitur in lib. II Dialogor. S. Gregorii papæ. Sed hoc non urget, cum simplex abbas etiam non presbyter nec benedictus, modo sit legitime institutus et confirmatus, possit excommunicare. Quid quod simplex monachus Theodosium Juniorem imperatorem excommunicasse legitur (*Cassiod. Histor. eccles. Tripart. l.* X, *c.* 27)? cujus excommunicationem certe non contempsit imperator, licet omnino eam improbet S. Odo abbas Cluniacensis lib. I Collat.

Secundo. Regula S. Benedicti non fuit ab initio approbata ab Ecclesia, cujus est hujusmodi excommunicandi potentiam dare. Huic argumento respondet Haeftenus tacite approbatam fuisse ab Ecclesia Regulam S. Benedicti, nec opus fuisse tunc expresso apostolicæ sedis diplomate, quod necdum hoc sibi reservasset Ecclesia, sed satis fuisse episcopi in cujus diœcesi monasteria ædificabantur approbationem. Certe longe alia est hodierna Ecclesiæ disciplina a disciplina illorum temporum.

Tertio. Gravior esset monachorum conditio, si pro quavis graviori culpa, hoc est pro quovis mortali peccato excommunicentur. Sed non eo ipso quo quis in graviorem culpam incidisset, nisi forte ob materiæ gravitatem, excommunicatione feriebatur; nam triplex ex parte excommunicantis præcedere debet monitio; et ex parte excommunicandi contumacia et contemptus. Deinde hoc statuto non præceptum abbati dedit S. Pater, sed potestatem, qua ille cum summa discretione ac prudentia debet uti, nec pro quolibet peccato mortali statim excommunicare, maxime cum olim eo ipso quo fuisset quis excommunicatus, ad sacerdotium inhabilis evaderet. Quapropter abbatem monet Hildemarus prudenter attendere, num ille qui deliquit sit presbyter, aut possit tandem aliquando ad sacerdotium evectus, aliquam Ecclesiæ conferre utilitatem; eo enim casu, nisi forte talis esset ejus culpa, quæ redderet inhabilem ad sacrum ordinem, abstinere deberet ab excommunicatione, « quia, inquit, si in majori culpa excommunicatus fuerit, si presbyter est, non debet missam cantare; si autem non est presbyter, nec debet esse. » Idem docet in cap. 23.

Quarto. S. Benedictus tam sanctimonialibus quam monachis Regulam scripsit, quarum tamen abbatissæ non possunt excommunicare. Sed non omnia quæ Regula sancta præscribit sanctimonialibus conveniunt, ut sunt ea quæ de sacerdotibus et de excommunicatione leguntur, quod tamen non impedit quominus ea quæ suo statui conveniunt, in delinquentes decernere queant earum abbatissæ, ut sunt privare a mensa, a sororum consortio excludere, et cætera hujusmodi; quæ in Bethleemitico monasterio Paulam

A egisse memorat S. Hieronymus his verbis (*epitaph. Paulæ*): « Quam linguosam, garrulam, procacem, rixisque perspexerat delectari, et sæpius commonitam nolle converti, inter ultimas, et extra conventum sororum ad fores triclinii orare faciebat, et separatim cibum sumere, ut quam objurgatio non correxerat, emendaret **371** pudor. » In Regula Cujusdam ad virgines decernitur (*Cap.* 6), ut « hæ sorores quæ pro gravibus culpis in pœnitentia detinentur, in ecclesia cum cæteris quæ communicant non stent, sed in alia ecclesia secrete cursum cantent. » Sed de his satis. Utriusque sententiæ argumenta proponimus, ut liberum sit unicuique quam voluerit amplecti sententiam. Ad Regulæ textum revertor.

Nullus ei fratrum in ullo jungatur consortio neque in colloquio.] Nam « cum inimicus Dei designatur, non debet ex illa hora jam fratribus esse amicus, » ut loquitur Magister (*Cap.* 13). Ita etiam S. Aurelianus (*Cap.* 36) : « Nulli liceat loqui cum illo qui fuerit excommunicatus, præter eum quem S. abbas custodem

B dederit. » S. Isidorus (*Cap.* 17) : « Ad excommunicatum nulli liceat ingredi citra imperium senioris: cum excommunicato neque orare, neque loqui cuiquam licebit. » S. Fructuosus Bracarensis episcopus in prima Regula (*Cap.* 14) : « Cum excommunicato nullus loquatur, neque qualibet eum compassione vel miseratione refoveat. » Et in secunda (*Cap.* 14): « Absque ullo solatio vel colloquio fratrum jaceat, nisi quem abbatis vel præpositi cum eo præceperit auctoritas ut loquatur. »

Solus sit ad opus sibi injunctum] Solus, inquit, et quidem incarceratus; hanc enim inter alias delinquentium graviter pœnas fuisse, ut peccans carceri manciparetur, constat ex Justiniani imperatoris novella 133. « Si quis delinquat, hunc quidem si mediocre delictum sit, et admoneto, et *seorsim includito*, tempusque illi pœnitentiæ assignato; ut meliore ratione percepta ad se ipsum redeat, neque depensos jam et exhaustos labores amittat; sin vero major

C lapsus fuerit, pro modo peccati adhibetor etiam emendationis diligentia, et item vehementiorem admonitionem, et fortiorem pœnitentiam expetito; » ex S. Joanne Climaco cujusdam monasterii carcerem ita describente (*Grad.* 4) : « Locus erat ab ipso monasterio uno duntaxat lapide seu milliari sejunctus, carcer dictus, omni consolatione destitutus : nullus ibi culinæ fumus cernebatur, non vinum, non oleum in cibum adhibebatur; non aliud quid præter panem et minuta oluscula. In hoc qui post religiosam professionem in peccatum prolapsi erant, ita concludebat (abbas) ut pedem efferre nunquam possent; nec plures simul jungebat, sed singulos seorsim, aut ut plurimum binos, manebantque ibi, donec præses de singulis divinitus edoceretur. » Idem constat ex Regula S. Cæsarii ad monachos (*Cap.* 23) : « Qui pro aliqua culpa excommunicatus fuerit, in una cella recludatur, et cum uno seniore ibi legat, donec jubeatur ad veniam venire; » ex Regula monastica communi S. Fructuosi episcopi (*Cap.* 14) : « Cum ex-

D communicatur aliquis pro culpa, mittatur solitarius in cellam obscuram in solo pane et aqua: » ex Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 19) : Excommunicata vero soror, quæ culpis gravioribus existentibus, aut cellula reclauditur, aut a consortio congregationis separatur; » ex concilio Aquisgranensi (*Can.* 40), in quo decernitur ut his qui quolibet modo, tamen graviter delinquunt, « domus semota..... habeatur, quæ in hieme **372** ignis possit accendi, et atrium juxta sit in quo valeant quod eis injungitur operari; » ex Statutis Lanfranci (*Cap.* 17), quæ præscribunt ut gravioris culpæ reus accepta disciplina, deposito cultello, capite caputio cooperto, ad locum huic negotio deputatum pergat, præcedente fratre qui clavem ipsius loci servat; ex Petro Venerabili, de Matthæo priore S. Martini de Campis et postea episcopo Albanensi ita scribente (*Lib.* II *Mirac. c.* 9) : « Delinquentes *Cluniacensi more*, prout justum videbatur,

sanguinolentis verberibus, ferro, compedibus, et diversi generis vinculis coercebat; *tenebroso plerosque* carceri mancipabat, fame valida et siti, carnis ac spiritus superbiam conterebat; aliquando quoque, quod semel tantum, quia sic oportuit, fecisse dicitur, sepultura perpetua cohibebat. Hoc tunc fecit quando cuidam spiritaliter mortuo *caveam subterraneam velut sepulcrum paravit*, in quo concludens eum, etc.; » ex Bernardo Cassinensi sub finem hujus capitis : « In nonnullis monasteriis frater qui sic excommunicatur pro gravioribus culpis, in aliquo loco includitur, et nulli eundi ad eum patet accessus, et talem locum carcerem appellant, excommunicatis taliter deputatum. » Idem ex eo scribit Boherius in primo comment., additque : « Apud nos vero non omnes sic excommunicatos incarceramus, nec omnes non excommunicatos a carceribus eximimus; sed cum videntur hujusmodi culpabiles esse incorrigibiles, vel fugitivi, eos incarceramus aliquando, vel in perpetuum, vel in longum, vel in breve tempus. »

Ne tamen interim manerent otiosi, sic inclusis aliquid operis injungebatur, sicuti statuit concilium Aquisgran. can. 40, patetque ex S. Joanne Climaco loco a nobis supra relato, hæc addente (*Grad.* 4): « Præfecit autem eis virum quemdam eximium cui Isaacus nomen, qui a sibi commissis precum assiduarum pensum exigebat, et prope nunquam a votis cessare permittebat. Suppeditabat eis magnam palmarum copiam, e quibus ad vitandum otium calathos texebant. » Et ex Regula Magistri (*Cap.* 13): « Ab hac excommunicationis hora soli posito et sequestrato ei aliqua opera propter otiositatem a præposito suo consignetur..... Quidquid vero extra opus assignatum peculiariter vel ultro effecerit, dispergatur, vel dissipetur. » Ita Hugo Dervensis monachus propter fugam ab aliis semotus jussus est *formam crucis dominicæ.... formose componere*, ex lib. Mirac. S. Bercarii abbatis n. 22. Et hoc est quod S. Benedictus ait : *solus sit ad opus sibi injunctum.*

Persistens in pœnitentiæ luctu.] Luctum pœnitentiæ jungit S. Pater, ut cognoscatur, inquit Bernardus Cassinensis, quia illa est pœnitentia fructuosa, qua quis lacrymis et gemitibus lavat peccata.

Sciens illam terribilem Apostoli sententiam dicentis traditum hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.] Cujus sententiæ tres affert expositiones Hildemarus. Prima est eorum qui tradi Satanæ intelligunt detrudi in carcerem; eo quod Satanæ **373** contrarius interpretetur, et carcer omnino carni contrarius cognoscatur. Secunda eorum qui dicunt Apostolus hujusmodi hominem tradidisse in potestatem diaboli, ut illius vexandi haberet potentiam. Tertia eorum qui tenent Paulum hominem illum jussisse occidi. Ex quibus sola secunda ad mentem Apostoli esse videtur; nam interitus carnis, hic non mortem, sed afflictionem ac pœnalitatem significat, ut docet Bernardus Cassinensis.

Cibi autem refectionem solus percipiat, mensura vel hora qua prœviderit abbas ei competere.] Mensura hic non pro quantitate solum, sed etiam pro qualitate ciborum accipienda est; solebant enim graviter de-

A linquentibus et excommunicatis non solum de annona aliquid subtrahere, sed et aliis a communi fratrum refectione viliores cibos præbere, puta panem et aquam. Ita S. Pachomius (*Art.* 84) facilem ad detrahendum, et secundo monitum, non se corrigentem septem diebus cum pane et aqua separat a fratrum conventu. S. Isidorus decernit (*Cap.* 17) ut « cujus biduana vel triduana fuerit illatæ excommunicationis suspensio, sola panis et aquæ in vespertinum sit adhibenda refectio. » S. Fructuosus in prima Regula (*Cap.* 16) : « Trium mensium spatio excommunicationis vindictam suscipiens, sub pœnitentiæ districtione solus recludatur in cella, de vespere in vesperi ex hordeacci panis sex unciis, et aquæ mensura parvula sustentandus. » Et in secunda Regula (*Cap.* 14) : « Cum excommunicatur aliquis pro culpa, mittatur solitarius in cellam obscuram in solo pane et aqua, ut in vespera post cœnam fratrum medium accipiat paximatium, et non ad satietatem aquam. » Regula Magistri (*Cap.* 13) : « Quod si forte propter

B levitatem culpæ non ei voluerit abbas duplicare jejunia, si fratres sexta reficiunt, ille ad nonam de uno pulmento, et panis cibarii sibi fragmentum et aqua a præposito suo pro misericordia porrigatur. » Concilium Tarraconense I (*Can.* 1) : « Si vero religiosus vel monachus in cella monasterii inclusus pœnitentiæ lamentis incumbat, ubi singulari afflictione panis et aquæ victum et abbatis ordinatione percipiat. » Ex quibus omnibus colligitur consuetam excommunicatorum refectionem fuisse in solo pane et aqua; solo, inquam, pane, ex quidem vili, cibario, hordeaceo, aqua vero permodice, idque ad vesperam solum.

Nec a quoquam benedicatur transeunte.] Similiter Regula Magistri (*Cap.* 13) : « Tacito omnium pertranseatur aspectu, petenti benedictionem nullus respondeat : *Deus.* »

Nec cibus qui ei datur.] Ita etiam Magister (*Ibidem*): « Quidquid ei porrigitur a nullo signetur. » Et S. Fructuosus in Regula monastica communi (*Cap.* 14):

C « Medium accipiat paximatium, et non ad satietatem aquam, et hoc ab abbate exsufflatum, non sanctificatum. »

Hæ sunt pœnæ præcipuæ quas in delinquentes S. Benedictus infligi voluit. Fuere in usu et aliæ apud monachos quam plurimæ, ut sunt flagellatio, et e monasterio ejectio, de quibus postea; abrasio coronæ seu capitis decalvatio, conspurcatio sputamenti in facie, ut in Regula **374** S. Fructuosi Bracarensis episcopi cap. 16. Imo notat Mabillonius noster (*Præf. in sæc.* IV *Bened.*, *part.* I, *n.* 139) quosdam exstitisse abbates qui cum eorum judicio Regula culparum remedia credat ac pœnas, errata monachorum suorum orbatione oculorum ac membrorum mutilatione punirent; unde Carolus Magnus in capitulari anni 789 pro monachis edito, cap. 16, præcepit, « ut disciplina monachis regularis imponatur, non sæcularis; id est non orbentur, non mancationes alias habeant, nisi ex auctoritate regulæ. » Et concilium Francofurtense anno 794, cap. 18 : « Abbates qualibet culpa a monachis commissa, nequaquam permittimus cæcare, aut membrorum de-

D bilitatem ingerere, nisi regulari disciplinæ subjaceant. »

CAPUT XXVI.

De iis qui sine jussione abbatis [a] *junguntur* [b] *excommunicatis.*

Si quis frater præsumpserit sine jussione abbatis fratri excommunicato quolibet modo se jungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei [c] dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam.

[a] Deest in Flor., Comp. et Lyr., *abbatis.*
[b] Al., *jungunt se.*
[c] Deest in Conc. *ei.*

COMMENTARIUS.

Inter alias quas superiori capite descripserat excommunicatorum pœnas, S. Benedictus dixerat, ne quis ei fratrum in ullo jungeretur consortio, neque in colloquio. Igitur ne quis falsa pietate, aut commiseratione indiscreta motus contra aliquid præsumeret, sapienter subjunxit :

Si quis frater præsumpserit sine jussione abbatis fratri excommunicato quolibet modo se jungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam.] Quod ex antiqua veterum monachorum disciplina desumpsit, apud quos, « si quis, ut ait Cassianus (*Lib.* II, *cap.* 16), pro admisso quolibet delicto fuerit ab oratione suspensus, nullus cum eo prorsus orandi habet licentiam, antequam submissa in terram pœnitentia reconciliatio ejus, et admissi venia coram fratribus cunctis publice fuerit ab abbate concessa ; ob hoc namque tali observantia semetipsos ab orationis ejus consortio segregant atque secernunt, quod credunt eum qui ab oratione suspenditur, secundum Apostoli sententiam tradi Satanæ ; et si quis orationi ejus antequam recipiatur a seniore inconsiderata pietate permotus communicare **375** præsumpserit, complicem se damnationis ejus efficiat, tradens scilicet semetipsum voluntarie Satanæ, cui ille pro sui reatus emendatione fuerat deputatus, in eo vel maxime gravius crimen incurrens, quod cum illo se vel confabulationis, vel orationis communione miscendo, majorem illi generet insolentiæ fomitem, et contumaciam delinquentis in pejus enutriat. » Idem etiam postea statuit Magister in Regul. c. 13, eamdemque Ecclesia servavit severitatem adversus communicantes cum excommunicatis, ut patet ex can. apostolorum, ex Callixti papæ epist. 2 ad Episcopos Galliæ, ex concilio Antioch. an. 341, can. 2 ; ex conc. Carthag. IV, can. 74 ; ex conc. Later. sub Innocentio II, can. 3. *Vide* Grat. II, q. 8.

Notat vero Hildemarus quinque modis fieri posse ut aliquis cum excommunicato communicet : 1° ignorans eum esse excommunicatum ; 2° ignorans legem prohibentem communionem cum excommunicato ; 3° ei participans animo provocandi eum ad humilitatis satisfactionem ; 4° communicans cum eo, ut eum in malitia confirmet ; 5° ut det illi fugiendi consilium, et medium exsequendæ fugæ subministret. Ex quibus casibus qui primo et secundo modo participant, ut immunes a culpa, ita etiam immunes esse debent a pœna ; sic tamen ut noviliorum magister, qui probationis tempore legem non edocuit discipulos, indictam hic pro illis subeat pœnam. Qui vero tertio modo cum excommunicato participavit, si presbyter est aut esse potest, in minori culpa judicari debet (si enim majorem subiret excommunicationem, inhabilis esset ad suscipiendos aut exercendos sacros ordines). Sin minus eamdem excommunicationis vindictam sortiri debet ; sed ita ut paucis diebus, verbi gratia, duobus vel tribus maneat excommunicatus. Qui vero quarto et quinto modo communicant, eamdem omnino excommunicationis vindictam sustineant ; hoc est tandiu excommunicentur, quandiu ille, quocum communicaverunt, fuit

A et debet esse excommunicatus, ita ut illo excommunicationis vinculo soluto, ipse remaneat ligatus. Ita Hildemarus temporis sui disciplinam repræsentans. Similiter Bernardus Cassinensis et Boherius observant tribus modis aliquem participare cum excommunicato : 1° Simpliciter cum eo loquendo, bibendo, comedendo, osculando, operando ; 2° ut communicet ei cooperatione et consilio ; 3° ut communicet ei auctoritate vel defensione. Quibus duobus postremis modis qui participant excommunicato, eamdem sortiuntur excommunicationis vindictam ; qui vero primo tantum modo, minorem duntaxat incurrit excommunicationem. Sed in hoc illi loquuntur secundum recentiora jura ; nam tempore S. P. Benedicti nulla nisi major agnoscebatur excommunicatio, a qua posteris sæculis nonnihil relaxavit Ecclesia, prædicto casu minorem tantum inferens excommunicationem, quæ nec a suffragiis, nec a consortio fidelium, nec a conferendis alteri sacra-

B mentis excludit, sed a sola sacramentorum participatione. Imo alia etiam accessit ex concilio Constantiensi moderatio, ut excommunicationi etiam minori non sit locus ex participatione cum excommunicato, nisi ille fuerit publice et nominatim denuntiatus.

376 Nec mirum videri debet Ecclesiam aut monachos tantam in communicantes excommunicatis adhibuisse severitatem ; hoc enim exigebat rectus ordo disciplinæ, sive ad incutiendum aliis excommunicationis timorem, sive ad excommunicatos rubore suffundendos, atque hac confusione ad humilitatis satisfactionem provocandos. Alioquin si aliorum perfrui possent consortio, magis ac magis indurati excommunicationis pœnam spernerent, imo alios sibi communicantes pervertere possent. « Perniciosum namque solatium tribuens, inquit Cassianus (*Lib.* II, *cap.* 16), cor ejus magis ac magis faciet indurari, nec humiliari eum sinet, ob quod fuerat segregatus : et per hoc vel increpationem senioris

C non magni pendere, vel dissimulanter de satisfactione et venia cogitare. »

Notat tamen in secundo comment. Boherius hanc legem a S. Benedicto non sic latam fuisse, quasi vellet ut jungens se excommunicato excommunicationis pœnam ipso facto incurreret, « sed, inquit, ostendit textus qua pœna reus dignus sit, et plecti merito possit. » Similiter Richardus de S. Angelo. « Non credo, ait, quod ipso facto incurrat ipsam dictam vindictam excommunicationis, cum istud verbum *sortiatur* tempus futurum designet ; propter quod dico quod debet excommunicari per abbatem. » Addit tamen : « Vel dicas quod ipso facto incurrat ipsam vindictam, ut magis timeantur quæ hic dicuntur. »

Sunt etiam nonnulli casus in quibus licite quis potest participare cum excommunicato, qui hoc comprehenduntur versiculo :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

D Cujus explicationem videre est apud auctores qui ea de re tractaverunt.

CAPUT XXVII.

Qualiter debeat abbas sollicitus esse circa excommunicatos.

Omni sollicitudine curam gerat abbas circa delinquentes fratres : quia *non est opus sanis medicus, sed male*[a] *habentibus* (*Matth.* IX). Et ideo uti debet omni modo, ut sapiens medicus, immittere quasi occultos consolatores[b] sympectas[c], id est seniores sapientes fratres, qui quasi secrete consolentur fratrem flu-

[a] Narb., *mala.*

[b] Tres mss., *consiliatores.*

[c] Al., *Sempetas.* Al., *Senpectas.* Al., *Sempectas.* Al., *Sepectas.* Al., *Sinpectas.* Al., *Sempectas.* Editiones recentiores, *Senipetas.* Quidam antiqui editi, *Senipectas.*

ctuantem, et provocent eum [a] ad humilitatis satisfactionem. Et consolentur eum [b], ne abundantiori 377 tristitia absorbeatur: sed, sicut ait idem apostolus, *confirmetur in eo charitas, et oretur pro eo ab omnibus* (II *Cor.* II).

Magnopere enim debet sollicitudinem gerere abbas, et omni sagacitate et industria curare [c] ne aliquam de ovibus sibi creditis [d] perdat. Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super A sanas tyrannidem: et metuat prophetæ comminationem per quem dicit Deus [e]: *Quod crassum videbatis assumebatis, et quod debile erat projiciebatis* (*Ezech.* XXXIV). Et Pastoris boni pium imitetur exemplum [f], qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem quæ erraverat quærere (*Luc.* XIX): cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere [g], et sic reportare ad gregem.

[a] Oxon. et Cass. deest *eum*.
[b] Hild. deest *et consolentur eum*.
[c] Oxon., Flor., Hild., Boher., *currere*.
[d] Al., *subjectis*.
[e] Al., *Dominus*.
[f] Sabin., *et Pastor bonus pium misit exemplum, qui*
[g] Hild., *imponeret*.

COMMENTARIUS.

Omni sollicitudine curam gerat abbas circa delinquentes fratres.] Propter delictum excommunicatos, ut apposite supplet Richardus de S. Angelo. Attendant hic abbates quanta sollicitudine S. P. Benedictus velit eos fratris excommunicati salutem curare, circa quam non simpliciter curam aut sollicitudinem habere præcipit, sed, uti post Hildemarum et Bernardum Cassinensem observat Boherius, omnem omnino sollicitudinem exhibere, idque « per se, per alios, verbis, exemplis, monitionibus, terroribus, blandimentis, afflictionibus, consolationibus, remissionibus spiritualibus et temporalibus, ne nimis remisse tractatus similia vel pejora iterum committendi materiam habeat, aut nimis crudeliter afflictus de misericordia desperare contingat, » inquit Bernardus Cassinensis.

Quia non est opus sanis medicus, sed male habentibus.] Hic ostendit S. P. Benedictus abbates aliosque prælatos non tam propter bonos quam propter perversos imperfectosque monachos, imo fere unice propter tales esse superiores; et in hoc præcipuum eorum onus esse, quod talibus præfecti sint, uti egregie docet S. Bernardus ad Rainaldum abbatem de prælationis munere nimis anxium scribens in hæc verba (*Epist.* 73): « Hoc autem onus animarum est et infirmarum; nam quæ sanæ sunt portari non indigent, ac per hoc nec onus sunt. Quoscunque igitur de tuis inveneris tristes, pusillanimes, murmurosos, ipsorum te patrem, ipsorum te noveris esse abbatem. Consolando, exhortando, increpando agis opus tuum, portas onus 378 tuum, et portando sanas quos sanando portas. Si quis vero ita sanus est, ut magis juvet te quam juvetur a te, hujus te non patrem, sed parem; comitem, non abbatem cognoscas. Quid igitur causaris te aliquorum qui tecum sunt magis gravari consortio quam frui solatio, cum solus omnium datus sis solatium tanquam omnibus sanior, omnibus fortior, qui omnibus sufficias per Dei gratiam solatiari, et a nemine omnium indigeas confortari. Denique in quantum gravaris, in tantum lucraris; in quantum juvaris, in tantum tua tibi præmia minuis, etc. »

Et ideo uti debet omni modo ut sapiens medicus.] Eamdem comparationem instituit S. Basilius in Regulis brev., interrog. 23. Sapiens vero medicus, inquit Boherius, ille reputatur, « si morbos noverit prævidere, et qui propter multiplicata recidiva in desperationem patientem hujusmodi non inducit; et qui secundum diversitatem personarum et temporum diversam medicinam novit propinare, quia novis morbis nova convenit antidota proparari. »

Immittere quasi occultos consolatores sympectas.] Sympecta vox obscura et explicatu difficilis, qua in in exponenda variant commentatores. Nonnulli enim vulgatam lectionem retinentes, *senipetas* intelligunt senium petentes, sicuti Romam proficiscentes *Romipetas* vocat Callixtus papa q. 24, c. 3; et dæmones B noctipetæ dicuntur in Vita S. Posthumii. Quam expositionem confirmare videtur S. Pater cum subjicit: *Id est seniores sapientes fratres.* Verum cum huic lectioni refragentur omnes codices mss. antiqui, qui non *senipetas*, sed *senpectas*, *sempectas*, *simpectas* legunt, et celebriores Regulæ commentatores, Smaragdus, Bernardus Cassin., Boherius in utroque comment., qui vocem hanc non Latinam, sed Græcam esse asserunt: manifestum est in recentioribus editis corruptum esse Regulæ textum, idque inscitia aut incuria amanuensium, qui cum ignorarent quid sit *sympæcta*, sive, ut legitur in mss., *sempecta*, existimaverunt ex duabus litteris *ni* unicam a scriptoribus *m* factam fuisse, quod facile credi potuit ex nonnullis mss. in quibus *m* vix distinguitur a *ni*; cumque nescirent quid sibi vellet senipectas, additam fuisse litteram *c* existimaverunt, legeruntque *senipetas*. Verum *senipeta* non est verbum Græcum, sed *sympæcta*.

Quid vero per sympæctas intelligit S. Benedictus, « nec alibi quoque positum aut expositum valui reperire, » inquit Boherius. Attamen C συμπαίκτας vox Græca interpretatur *collusor*, cujus mentio est apud Palladium in Vita Serapionis Sindonitæ: « Narrant vero Patres quod assumens quemdam sympæctem monachum συμπαίκτην ἀσκητὴν, vendidit se in quadam civitate nimis gentilibus. » Ex quo loco Benedictus Haeftenus infert (*Lib.* VIII, *tract.* 4, *disq.* 5) S. P. Benedictum voluisse « submitti aliquos socios et familiares, cum quibus olim forsitan colludere fuerat solitus (frater excommunicatus), et qui actionum ejus fuerint consortes, ut ita grati et amici efficaciorem ei exhibeant consolationem. » Sed hæc parum concinere videntur sequenti S. Patris expositioni, *id est seniores sapientes* 379 *fratres*. Rectius forsan per sympæctem aliquis intelligeret seniorem aliquem fratrem qui cum abbate conspiraret ad excommunicatum colludendum, dolo bono capiendum, et ad debitum officium reducendum: atque ita intelligit Paulus Augustinus a Janua. Porro ex Ingulfi Historia *quinqua-* D *genarius in ordine sempecta vocandus est.*

Id est seniores sapientes fratres.] Ita nimirum vocem illam S. Pater interpretatur, personæ potius quam vocis rationem habens; quia, inquit Menardus, hoc nomen quocunque modo legatur, non potest hæc tria nomina significare. Immittat ergo seniores sapientes fratres, ut maturitas sit in sene, amor in fratre, cautela debita sive discretio in sapiente, ut aiunt Bern. Cass. et Boherius.

Qui quasi secrete consolentur fluctuantem fratrem.] Julianus Paris in lib. de Prima vivendi Ratione Cisterc. (*Part.* II, *c.* 6, *sect.* 3) eam tradit fuisse consuetudinem, ut cum aliquis pœna culpæ gravioris plecteretur, abbas omnibus indiceret faciendam pro eo orationem, designaretque unum aut alterum qui eum visitarent, consolarentur, et ad humilitatis satisfactionem provocarent. Verum huic consuetudini, quæ fuit Cisterciensium, repugnant antiqui Regulæ

commentatores, Hildemarus, Bernardus Cassin., Boherius, qui hæc verba *quasi secrete* exponunt *tanquam ab abbate non missi* : « Quasi non ab abbate, sed a se ipsis venisse illi fratri excommunicato loquantur, » inquit Hildemarus. Et Bernardus Cassinensis : « Istud secrete hic importat quod non videantur ab ipso missi specialiter abbate, ne forte nimis de misericordia præsumens in sua duritia perseveret. » Idem fere iisdem verbis habet Boherius. Verum cum haud lateat excommunicatum neminem nisi ex abbatis licentia secum loqui posse, ne de abbatis clementia præsumat, hujusmodi sympæctæ erit discretionis pie ac sapienter decipere incautum. « Potest autem, inquit Bernardus Cass., dicere sic : Frater, ego multum compatior tibi, et multum desiderarem salutem animæ tuæ, et diligo te in Christo Jesu; et ideo compatiendo tibi ego obtinui a domno abbate quod liceat me loqui tibi. Hæc autem quæ dicturus sum dico ex me, et rogo te quod si tu aliquando loquaris abbati reconciliatus, sibi non dicas quod tibi dixerim verba ista; et tunc incipiat suas consolationes et alia verba ad animam lucrandam apta. » Hanc autem sollicitudinem cellerario, si prudens sit, committi posse asserit Hildemarus, in cujus monasterio illius erat excommunicatis cibum ministrare.

Et consolentur eum, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur.] Ne sic desperans in æternum pereat.

Sed, sicut ait Apostolus, confirmetur in eo charitas.] Quod Bernardus Cassinensis exponit *eum charitate firmare*. Similiter Haeftenus (*Lib.* VIII, *tract.* 4, *disq.* 5) : « Ita, inquit, in charitate confirmetur, ut non vacillet circa statum suum immutandum, aut a bono proposito deficiat, et præfracte rebellis efficiatur : quæ ex consolationis defectu suboriri possunt. « Sed hæc expositio supponit excommunicatum esse in charitate, **380** quod esset probandum. Rectius Hildemarus : « Confirmetur in eo charitas, » inquit, id est habeatur et teneatur erga illum charitas, ne frangatur; sive, ut ait Richardus de S. Angelo, confirmetur in eo charitas « diligendo fratrem, et non ipsius vitia; » et Boherius in secundo comm. : « Confirmetur in eo charitas, scilicet fraternitatis, ut dignus sit aliorum consortio. » Hanc charitatem erga illum nos habere demonstrabimus, si quod sequitur exsequamur.

A *Et oretur pro eo ab omnibus.*] Ut convertatur ad Dominum, quam orationem distinctam ab illa de qua sequenti capite S. P. Benedictus, asserunt Hildemarus, Bernardus Cass., Boherius. Ita etiam Haeftenus (*Lib.* VIII, *tract.* 4, *disq.* 5) : « Id non de publica oratione, sed de privata intelligendum, aut vult ut omnes pro excommunicato apud prælatum intercedant, ut ab excommunicatione absolvatur. »

Porro sicut immittebantur ad consolandum excommunicatum seniores fratres, ita etiam aliquando ad increpandum, et probandum si vera esset ejus pœnitentia, ut patet ex Regula S. Fructuosi episcopi, cap. 14.

Magnopere enim debet sollicitudinem gerere abbas circa delinquentes fratres.] Ut cognoscant abbates quanti redemptas pretioso Christi sanguine facere debeant animas, repetit quod hujus capitis initio dixerat : Omni sollicitudine curam gerat abbas circa delinquentes fratres.

B *Et omni sagacitate et industria curare, ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat.*] Ac proinde si de alicujus fuga timeat, eam in carcerem mittat, catenis, compedibus aut vinculis stringat, ut ex hoc loco infert Hildemarus. Notat autem Bernardus Cass. quosdam codices non *curare*, sed *currere* scribere; et revera ita legunt codex Anglicanus, Smaragdus Floriacensis, Hildemarus et Boherius, et quidem recte : nam proprium pastoris est post ovem errantem currere; debet autem « non corpore, sed mentis et intelligentiæ gressibus currere, ne aliquam de ovibus suis perdat per suam negligentiam, tarditatem, vel segnitiem, » ut loquitur Smaragdus.

Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem.] Ita etiam de prælatis Ecclesiæ S. Augustinus (*De Mor. Eccl. cathol.*, c. 32) : « Non enim sanatis magis quam sanandis hominibus præsunt. » Additque : « Perpetienda sunt vitia multitudinis ut curentur, et prius toleranda quam sedanda pestilentia. » Et S. Bernardus bonos C describens prælatos (*Serm.* 25 *in Cant*) : « Medicos se, non dominos agnoscentes, parant confestim adversus phrenesim animæ non vindictam, sed medelam. »

Et metuat prophetæ comminationem, etc.] Hæc non indigent expositione.

CAPUT XXVIII.

De iis qui sæpius correpti non emendaverint [a].

381 Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus, non emendaverit, acrior ei accedat correptio, id est, ut verberum vindicta in eum procedat. Quod si nec ita correxerit, aut forte (quod absit) in superbiam [b] elatus etiam defendere voluerit opera sua, tunc abbas faciat quod sapiens medicus.

Si exhibuit fomenta, si unguenta [c] adhortationum, si medicamina Scripturarum divinarum, si ad ultimum ustionem [d] excommunicationis, vel plagas virgarum [e], etiam si viderit nihil suam prævalere industriam : adhibeat etiam (quod majus est) suam et omnium fratrum pro eo orationem : ut Dominus, qui omnia potest [f], operetur salutem circa infirmum fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc D jam utatur abbas ferro abcissionis, ut ait Apostolus : *Auferte malum ex vobis* (*I Cor.* V). Et iterum : *Infidelis si discedit, discedat : ne una ovis morbida omnem gregem contaminet* [g] (*I Cor.* VII).

[a] Al., *emendare noluerint.*
[b] Al., *in superbia.*
[c] Hild., *sive unguenta.*
[d] Narb., Sab., *ultionem.*
[e] Oxon., Flor., *vel plagarum virgæ.* Cass., *plagarum virgas.* Conc., *plagas virgæ.*
[f] Oxon., Cass., *omnipotens est.*
[g] Flor., *contagiet.* Hild., *contagiet, id est contaminet.*

COMMENTARIUS.

Si quis frater frequenter correptus.] Hoc est bis secrete monitus, et tertio publice objurgatus, ut exponunt Hildemarus, Bernardus Cass. et Boherius. Licet ex Nicolao de Fractura, *frequentia in duabus vicibus consistere videtur.*

Pro qualibet culpa.] Minori scilicet vel majori, ut

loquuntur Bern. Cass., Richardus de S. Angelo, et A Boherius. Levis enim culpa, ut ait Bernardus, per contemptum gravis efficitur

Si etiam excommunicatus.] Minori aut majori sententia, inquit Boherius in 4 comment., et indicare videntur ista verba, *pro qualibet culpa.*

Acrior ei accedat correptio.] Ubi quærunt interpretes, **382** quomodo excommunicato acrior accedere possit correptio, cum maxima omnium pœna sit excommunicatio. Quam difficultatem duobus modis solvere possumus. 1° Dicendo verberum vindictam una cum excommunicatione acriorem esse pœnam, quam solam excommunicationem : et hoc voluerit Bernardus Cassinensis, cum ait : « Quidquid additur acrius judicatur; non quod sic periculosius, vel majus, sed quia magis timentur diversæ pœnæ quam una. » 2° Quia « verberum vindicta est acrior, et sensibilior corpori, » inquit Boherius; sive, ut ait Richardus de S. Angelo, « dicas quod S. Benedictus vertit se ad conditiones delinquentium, qui magis dolent si percutiuntur externis, id est in corpore, quam si percussi sunt internis, id est anima per excommunicationem. »

Id est ut verberum vindicta in eum procedat.] De verberibus, sive, ut nunc loquuntur, de disciplina diximus in lib. II de Antiq. monach. Ritib., c. 11.

Quod si nec ita se correxerit, etc., *tunc abbas faciat quod sapiens medicus.*] Hic observat Hildemarus sapientis prudentisque esse medici non statim mutare aut multiplicare temere remedia ; sed iisdem semper uti donec inutilia reddantur, atque ad alia transeundi cogat necessitas. Ex quo infert abbati tanquam sapienti animarum medico non ita propere transeundum ab uno gradu ad alium, nec verbi gratia statim ut aliquem privatim monuit, hunc publice objurgare debere; aut ut publice objurgavit, statim excommunicare; sed aliquandiu exspectare, si forte sua patientia delinquentem ad pœnitentiam adducat.

Si exhibuit fomenta, si unguenta exhortationum, etc.] Quosdam hic veluti gradus describit per quos ad ferri præcisionem, hoc est ad ejectionem e monasterio medicus spiritalis tandem ascendere debeat. Sex præcipue numerant Hildemarus, Bern. Cass. et Boherius (*Vide Cons. Bened. tom.* IV *Anal.*), scilicet 1° binam admonitionem secretam, 2° publicam objurgationem, 3° excommunicationem, 4° jejunium, 5° verberum vindictam. 6° orationem : quos omnes hic assignatos esse asserunt. Primum gradum his aiunt verbis contineri, *Si exhibuit fomenta, si unguenta exhortationum;* nam fomenta levia sunt medicamenta, quæ sæpe cum oleo fiunt ; similiter et unguenta, quæ odorem reddunt, unde hic pro monitionibus secretis, quæ nihil asperi, nihil duri, nihil nisi leve continent, ponuntur : « Castigationes cum pietate et mansuetudine recte fomenta vocantur; exhortationes vero cum dulcedinis lenitate unguenta dicuntur, » inquit Smaragdus. Sed tamen Richardus de S. Angelo per fomenta medelam, quam pro gravioribus culpis c. 25 præscribit sanctus Benedictus, per unguenta exhortationum consolationes per immissos sympæctas, qui provocent ad humilitatis satisfactionem, intelligit, hoc est lenitatem cum asperitate.

Si medicamina Scripturarum divinarum.] Hæc quia terrent non incongrue objurgationem publicam significant, secundumque gradum repræsentant.

383 *Si ad ultimum ustionem excommunicationis.*] En tertius gradus, quem sanctus Pater *ustionem excommunicationis* appellat, qui revera urit animam; « sed ustio ista a peccati rubigine humilem purgat animam, superbam vero in plumbi convertit naturam, » inquit Smaragdus. De triplici hoc gradu ita discurrit sanctus Bernardus (*Serm.* 44, *in Cant.*) : « Necessarium habet spiritalis medicus etiam vinum fervidi zeli cum oleo mansuetudinis, cui sane convenit non modo consolari pusillanimes, sed etiam corrigere inquietos : si enim viderit illum qui vulneratus est, id est qui peccavit, blandis ac lenibus hortamentis, quæ in eum prærogata sunt, minime emendatum, magis autem abutentem sua mansuetudine, et patientia negligentiorem fieri, et in peccato suo etiam securius obdormire; frustrato tam suavium oleo monitionum, oportebit sane mordacioribus uti medicamentis, et vinum compunctionis infundere, duris videlicet cum eo increpationibus agere; et si causa requirit, et duritia tanta est, etiam censuræ ecclesiasticæ baculo percellere contemptorem. »

In tertio autem gradu quartum scilicet jejunium contineri docent, et certe una cum excommunicatione solet jungi; nam S. P. Benedictus excommunicatos cibi refectionem mensura vel hora qua prævideiit abbas eis competere sumere præcipit.

Vel plagas virgarum.] En quintus gradus, de quo in lib. II de Antiquis monachorum Ritibus.

Adhibeat etiam quod majus est suam, et omnium fratrum pro eo orationem.] Sextum gradum tanquam efficacissimum omnium remedium præscribit orationem omnium fratrum, quia, ut ait S. Leo (*Serm.* 3 *de* B *Jejun. sept. mensis*), « Plenissima peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Ecclesiæ una est oratio et una confessio : si enim duorum vel trium sanctorum pio consensu omnia quæ poposcerint Dominus præstanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi unam observantiam pariter exsequenti, et per unum Spiritum concorditer supplicanti ? »

Eosdem fere gradus correctionis offendes in Regula Cujusdam ad virgines cap. 20. *Vide* Regulam Orientalem cap. 32 et sequentibus.

Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc jam utatur abbas ferro abscissionis.] Ita etiam sanctus Basilius (*Regul. fus. c.* 28) : « Qui ad obediendum mandatis Dei segniter est affectus, principio tanquam infirmo membro condolendum est ab omnibus, et a præposito tentandum an suis ipsum laudibus ab ea infirmitate restituere valeat ; perdurantem vero in ea inobedientia emendationemque respuentem severius coram omnibus fratribus arguere oportet, et cum omni adhortatione ut medelam suscipiat inducere. Quod si post C multam correptionem nec pudorem induerit, nec seipsum curaverit, tanquam (ut in proverbio est) sui ipsius corruptorem, et veluti corruptum, ac prorsus inutile membrum multis cum lacrymis ac lamentis ad exemplum medicorum a communi corpore amputetur ; etenim illi si **384** quod membrum incurabili morbo corruptum invenerint, ne ad ulteriora malum illius proserpat, propter vicinitatem proxima quæque corrumpens, incisionibus illud et ustionibus auferre solent ; quod et nobis erga eos necessario faciendum est, qui inimico animo præditi, ut impedimento sint mandatis Domini, juxta mandatum Domini dicentis : Si oculus dexter tibi obstaculo fuerit, erue eum et projice abs te. »

Ut ait Apostolus : Auferte malum ex vobis.] Apostolico confirmat testimonio quod hic statuit, ejusque verba suo proposito adaptat : Auferte malum ex vobis, ejiciendo scilicet extra monasterium : ita enim placuerat antiquis illis vitæ monasticæ Patribus, eos D qui nulla arte emendari poterant, expellere e monasterio, ut patet ex loco sancti Basilii modo relato, et ex Regul. brev. interrog. 44, et ex Cassian. l. IV, c. 16. Ita etiam Regula Orientalis decernit (*Cap.* 35), ut « Si quis fuerit tam durus, tam alienus a timore, ut tot castigationibus et tot remissionibus non emendet, projiciatur de monasterio. » Regula sancti Fructuosi (*Cap.* 8) : « Si se corripere non permiserint, foras projiciantur. » Et iterum (*Cap.* 14) : « Quod si in malo perseverans perduraverit, et propria voluntate pœnitentiam agere noluerit, et sæpe ac sæpe contumax, et murmurator patule contra seniorem vel fratres in facie perstiterit, et cum propinquis se vindicare maluerit, in collationem deductus exuatur monasterii vestibus, et induatur quas olim adduxerat sæcularibus, et cum confusionis nota a monasterio expellatur. » Et item (*Cap.* 15) : « Verberatus denuo carceri mancipetur, aut si pœnitere noluerit, foras projicia-

tur. » Regula tertia S. Augustino attributa (*Cap.* 25) : « Convictus debet emendatoriam sustinere vindictam ; quam si ferre recusaverit, etiamsi ipse non abcesserit, de vestra societate projiciatur ; non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. » Ita etiam Justinianus imperator (*Novell.* 133) : « Si delictum atrocius sit quam quod medela reparari possit, tunc prorsus e monasterio ipsum expellito. » Hinc quoque Gregorius papa IV in epist. ad episcopos Galliæ, etc., *De privilegiis Floriacensis monasterii* (*Misc. Baluz. tom.* II) : « Permittimus etiam ut, si alicujus de ipsis fratribus onerosa conversatio fuerit, ipse potius cum suo detrimento discedat quam alios inquinet. » Hujusce rei praxim videre est in Vita S. Sabini n. 41 et 44, tom. III Monum. Eccles. Græc. ; in Vita sancti Aigulfi abbatis et martyris, n. 13, sæc. II Bened., et alibi passim apud auctores. Imo, juxta sextam synodum cap. 12, abbas vitiosus e monasterio ejici poterat.

Porro circa ejusmodi ejectionem duo veniunt observanda. Primum non eam semper fuisse perpetuam, sed aliquando solum ad tempus, ut notat Menardus noster ad Concord. Regul. c. 31, § 5. Secundum ejectum ejusmodi monachum sub episcopi cura remansisse, uti præscribitur in concilio Meldensi can. 59 : « Monachus de monasterio sine consultu et præscientia episcopi aut vicarii ejus ad hoc regulariter deductus non ejiciatur ; cujus dispositione et auctoritate de cætero vita et conversatio **385** ejecti, ne perditus perpetuo fiat, si aliquo modo salvari potest, ordinari debet atque decerni. »

Nunc vero alia viget in monasteriis consuetudo, scilicet non ejiciendi rebelles incorrigibilesque monachos, sed solum incarcerandi ; id quod olim præscripserat sanctus Isidorus his verbis (*Cap.* 15) : « Quamvis frequentium gravissimorumque vitiorum voragine sit quisquam immersus, non tamen a monasterio projiciendus ; sed juxta qualitatem delicti coercendus est ; ne forte qui poterat per diuturnam C

A pœnitudinem emendari, dum projicitur, ore diaboli devoretur. » Et Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 20) : « Quod si nec sic corrigi voluerit, intra septa monasterii sub pœnitentiæ tenore ab omnibus præter custodibus segregata, tandiu castigetur diversis correctionibus, usque dum ejus humilitas omnibus vera credulitate patefiat, quoniam et invitis sæpe salus præstatur. » Idem approbasse videtur S. Gregorius, seu quivis alius in libros Regum (*Lib.* IV, *cap.* 9), ita scribens : « Qui sunt in monasteriis tepidi, medendi sunt quasi ægri, non sunt ejiciendi ut mortui. » Accedunt nova statuta Cartusianorum (*Part.* II, *cap.* 9, *n.* 5) : « Nullus pro quocunque crimine de ordine expellatur, sed pro modo criminis et delicti, carceri perpetuo vel ad tempus intrudatur. » Atque ita Paulus sæculo XI abbas S. Albani in Anglia, « contumacibus carcerem tetrum et fortem constituit præparari, » ut scribit Matth. Paris. in lib. de Vit. viginti trium abbatum S. Albani. Eadem lex fuit B sanctimonialibus posita, quarum cum una ex monasterio Metensi S. Petri, detracto velo, ejecta esset, recipi jussa est, et intra monasterium in ergastulo poni decreto synodi Metensis anni 888, can. 9. Possunt tamen etiam nunc incorrigibiles, servatis servandis, ex bulla Urbani VIII expelli ex monasteriis.

Et iterum infidelis, si discedit, discedat.] Hæc dicit Apostolus de infideli cum conjuge fideli matrimonio conjuncto, quem si propter fidem relinquat, discedere permittit. Ejus verba suo proposito S. Benedictus adaptat : Infidelis si discedit, aut sponte de monasterio egrediens, aut invite projectus, uti exponit Hildemarus, discedat.

Ne una ovis morbida totum gregem contaminet.] Sive, ut loquitur Justinianus imperator (*Novel.* 133) : « Ut cum seipsum a melioribus ad deteriora contulerit, ipse solus improbitatis suæ fructum capiat, neque vitiorum suorum aliquid cæteris contagione affricet, quemadmodum peste laborantia et incurabiliter ægrotantia solent pecora. »

CAPUT XXIX.

Si debeant iterum recipi fratres exeuntes de monasterio.

386 Frater qui proprio vitio egreditur aut projicitur de monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitii pro quo egressus est ; et sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur. Quod si denuo exierit, usque tertio ita recipiatur. Jam postea sciens omnem sibi reversionis aditum denegari.

COMMENTARIUS.

Frater qui proprio vitio egreditur aut projicitur de monasterio.] Cum nullus sit adeo scelestus, aut tam grandis peccator, quem victrix tandem gratia ad meliorem frugem revocare non possit, quemque vere revertentem ad Deum omnino abjicere, non modo durum, sed et impium foret : cum superiori capite S. P. Benedictus incorrigibiles expelli e monasterio præscripsisset, statim docet, an, quoties et quomodo recipi debeant qui proprio vitio egrediuntur aut projiciuntur de monasterio. Proprio autem vitio egredi, Richardo de S. Angelo idem est ac *propria voluntate* ; Boherio in secundo comm. : *Sua quidem vitiosa voluntate occasione proprietatis in ejus forsan pectore bullientis* ; minus quidem, uti videtur, proprie : melius et rectius in primo comment. : « Scias, inquit, quod ideo dicit proprio vitio, ut excludatur egressus virtuosus, qui fit quando petita licentia, licet non obtenta, quando spiritu Dei ducitur frater ad arctiorem religionem intrandam ; et ut excludatur transitus a monasterio in eremum : sed loquitur quando frater timore disciplinæ, vel animi inconstantia, vel levitate, vel propter mundanas voluptates egreditur sine licentia de monasterio ad sæculum redeundo, ut se celet abbati, et talis dicitur fugitivus. » Aliter Hildemarus proprium vitium exponit, quod ita fugitivo aut projecto est proprium, ut nulli sit alteri commune : « Proprium, inquit, vitium est illud, ubi cum perpetratur, alius non intermiscetur, D sed solus unus illud malum peragit. » Si enim vel alterum secum vitii conscium habeat, jam non erit proprium, sed commune : atque ideo a Bernardo Cassinensi *contagiosum* appellatum, de quo ex eodem Bernardo et Hildemaro tacet hoc capite sanctus Benedictus. Hic nimirum quinque distinguit causas, pro quibus aliquis egredi de monasterio potest. 1° Quidam propter relaxatam in proprio cœnobio **387** vitæ regularis disciplinam exeunt, ad aliud observantiæ strictioris transituri. 2° Alii, studio majoris perfectionis aut contemplationis, eremum appetunt. 3° Alii levitate et inconstantia, aut timore disciplinæ egrediuntur. 4° Alii propter superbiam, contumaciam aut aliud vitium projiciuntur, aut propria temeritate exeunt. 5° Denique propter vitium contagiosum, hoc est commune, pro quo cum alio expel-

luntur. Et primi quidem et secundi non solum, si revertantur, suscipiendi, sed etiam cum honore et amore amplectendi, ut eorum exemplo alii ædificentur. Tertii et quarti eo modo recipiendi, quem hic describit S. Benedictus. De contagiosis omnino silere S. Benedictum docent Hildemarus et Bernardus Cassinensis: de quibus idem ferendum judicium, etsi id non scribat sanctus Pater, ac de tertio egressis, aut projectis: hoc est, ut etiam post primam egressionem aut ejectionem revertentes non recipiantur; aut si motus abbas misericordia suscipiendos censuerit, recipiat quidem, sed habitaturos in tali loco, hoc est in monte, aut locis ubi haud queant alios ad peccatum trahere et maculare, et « si ita voluerint agere, inquit, ut supra diximus, recipiantur tandiu, donec possit illos cognoscere abbas, et eis credere sine difficultate: » alioquin, si ita noluerint, nec recipiantur. Fatetur tamen idem Hildemarus maximam monasteriorum Franciæ partem hunc locum aliter intellexisse, nec inter proprium aut commune vitium distinxisse, sed simpliciter pro qualicunque vitio egressos usque tertio recepisse, nec eos quos post secundam aut tertiam fugam reciperent, in ea qua ante fugam digni erant, pœnitentia detinuisse. « Sed tamen, addit, illi faciunt melius, qui secundum priorem sensum faciunt; eo quod sapientiores et acutiores sunt qui ita intelligunt; nam et ego ita facio in nostro monasterio, et ita hortor ut cæteri faciant, sicuti sapientiores intelligunt et faciunt. »

Porro crimina capitalia propter quæ meretur monachus, si non emendaverit, e monasterio ejici, ex Nicolao de Fractura sunt, « sacrilegium, homicidium, adulterium, fornicatio, falsum testimonium, rapina, furtum, superbia, avaritia, concupiscentia; et si longo tempore tenetur iracundia; et ebrietas, si assidua sit, in eorum numero computantur. » Carthusienses in antiquis statutis « confessum coram testibus vel convictum de incontinentia, de manu violenta, de furto, de proprietate, rebellione, inobedientia, infamatione criminis, quod quis objicit alteri, nec probare potest, de magisterio conspirationis, nec non de frequenti seminatione discordiæ, » etiam professum a toto ordine faciunt alienum.

Spondeat quidem omnem emendationem vitii pro quo egressus est.] Isthæc autem « omnis emendatio comprehenditur specialiter in duobus, ut debita fiat satisfactio, et vitii non sit iteratio, » inquit Bernardus Cassinensis. Idem habet Hildemarus. Vult ergo S. Benedictus non simplicem in redeunte vitæ in melius de cætero instituendæ sponsionem, sed etiam sinceram pro culpis ante **388** et post fugam aut ejectionem commissis satisfaciendi voluntatem: unde Hildemarus hunc locum exponens: *Spondeat omnem emendationem vitii pro quo egressus est*, idem esse asserit « ac si diceret, in ipsa pœnitentia suscipiatur, quam dignus erat habere quando projectus est, vel egressus est, » etc. Imo etiam majori propter fugam et delicta quæ eam comitari solent.

Et sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur.] Ita etiam Regula S. Pachomii (*Art.* 79): « Qui absque commonitione fratrum recesserit, ac postea pœnitentia venerit, non erit in ordine suo absque majoris imperio. » Regula sancti Fructuosi (*Cap.* 20): « Si certe ipsi apostatæ ab omnibus fuerint expulsi, et huc illucque vagantes, diversis locis instabiles atque vacillantes, suo monasterio reverti se petierint necessitate compulsi, in fornace probentur; et cum probati fuerint, suo monasterio reformentur; et non prima, sed ultima cathedra recipiantur. » Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 21): « In extremo loco inter pœnitentes recepta tandiu examinetur, usque dum probabilis ejus vita inveniatur. » Statuta Guigonis (*Cap.* 77): « Si quis habitatorum loci hujus vel aufugerit, vel pulsus fuerit, et ductus pœnitentia redierit, promittens suarum emendationem perversitatum, et ejus proprie vitii propter quod pulsus fuerat vel aufugerat, tractabit prior causam ejus communi consilio, et sicut vel fratrum numerus, vel domus utilitas, vel etiam salus ipsius postulare videbitur, faciet ei: et si consilium recipiendi placuerit, ad probationem humilitatis in ultimo constituetur loco. » Antiqua statuta Carthusianorum (*Part.* II, *c.* 32, *n.* 26): « Omnes autem criminosi clerici vel laici postquam reconciliati fuerint, omnium quos invenerint semper ultimi erunt, sine spe restitutionis in primum gradum. » Paulo indulgentiores in Nova Collectione statutorum (*Part.* II, *c.* 25, *n.* 31): « Qui cum semel reconciliati fuerint, inquiunt, amittent quantum ad locum annos quos extra ordinem nostrum expenderunt; illique tantum anni quos in ordine fecerant, reddentur eis. Si autem bis reconciliati fuerint, omnium quos invenerint ultimi semper erunt. » Instituta capit. general. ord. Cisterc. (*Cap.* 64): « Fugitivus, si infra undecim dies redierit, restitui potest in ordine quem prius habuerat; si vero ultra undecim dies redierit, recipi quidem potest, ita tamen quod in eo gradu in quo ultimus recipitur, semper permanebit. » Hanc multam nonnihil augent Instituta capit. gener. ejusdem ord., in quibus hæc lego (*Dist.* 10, *cap.* 5): « Omnes fugitivi qui modo extra ordinem sunt vel a modo exierint, nisi infra septem dies post egressum redierint, omnium quos invenerint ultimi semper erunt; et monachi qui bis exierint, nunquam promoveantur in abbates. Fugitivi vero qui infra septem dies redierint, ultimi erunt ad minus per annum. »

Quia vero hic agitur de receptione fugitivorum sponte revertentium, haud erit fortassis ingratum lectoribus antiquum ordinem eos in monasterio recipiendi hic referre, quem tam ex mss. libris quam ex editis depromemus.

Ex mss. Consuetudinibus Romani S. Pauli et Farfensis monasterii.

389 Frater fugiens de monasterio, dum reverti voluerit, nudus et discalciatus veniat in capitulum, in brachia tenens cucullam, et manu virgam ferens; acceptoque judicio *, eat foras in aliquo loco, et vestiat se, et calciet, revertensque in capitulum, petat veniam ante abbatem, et ipso jubente, eat sedere sicut regula præcipit. Si abbas deest, ipsi reservetur judicium. Cum autem ventus fuerit, ipse frater subducat se a conspectu ejus donec tali in loco veniat ubi petat veniam suam satisfaciendo, et quod ei præceperit, id faciat: una nocte jaceat in hospitale antequam recipiatur. Si fugerit de aliqua cella, et ibi reversus fuerit, recipiatur ut est supradictum; et quando venerit ad caput monasterii, similiter id faciat. Si fugerit de aliqua cella, et ibi non reversus fuerit, et venerit ad caput monasterii, recipiatur ut est superius prænotatum, donec vocetur prior de cella, et audiantur querelæ amborum, et ubicunque fuerit culpa inventa, emendetur; post hæc, si priori videtur, revertatur ipse frater ad ipsam cellam.

Ex mss. Consuetudinibus S. Benigni Divionensis, cap. 52.

Fugitivi vero monasterii cum redierint, hoc modo debent satisfacere: si veniunt post capitulum, debet eleemosynarius eos suscipere donec in crastino fratres fuerint in capitulo: quibus congregatis, postquam aliquantulum de ordine suo locuti fuerint, mittitur eleemosynarius, ut eos adducat. Illi autem in auditorio nudati et discalciati, cuculla plicata in sinistra, acceptoque manipulo virgarum in dextera, sic debent venire in medium capituli, positisque cucullis ad sinistram, et virgis ad dexteram, coram domno abbate vel priore humiliter veniam petant in medio eorum. Deinde, dicto eis ut surgant, sedent ad terram, resumptis cucullis tantum super genua;

* Id est *accepta flagelli disciplina.*

tunc si domnus abbas adfuerit, quale illi judicium placuerit dabitur eis; si vero non adest, non dabitur eis judicium, sed dicet eis, qui tenet capitulum: Istud judicium domni abbatis est, ille exspectandus est: ite, et circumdate vobis vestimenta vestra, ac redite. Quo facto, petunt iterum venias suas, et præcipitur eis ut eant sessum ultimi omnium; et sic semper sunt et in choro, et in capitulo, et in omnibus locis, extremi videlicet omnium, etiam novitiorum, quousque domnus abbas faciat eis misericordiam. Qui autem habitum abjecerunt, eodem quidem modo suscipiuntur, excepto quod habitum secum in capitulo non deferunt, sed ponitur ante pedes ejus qui tenet capitulum; et postquam, ut dictum est, nudi satisfecerint, dicitur eis a præsidente, ut si volunt habitum, quem voluntate propria reliquerunt, sponte sua accipiant. Quando autem domnus abbas venerit, si, ut dictum est, eo absente suscepti sunt, tam illi quam isti non debent **390** venire in præsentia illius, donec ipse præcipiat; sed vel in infirmaria, vel in alio loco manere, donec ipse pro eis mittat; et tunc non nudantur, neque discalceantur, sed staminias (*Sic*) suas præparant, ut si domno abbati placuerit, nudi suscipere judicia parati inveniantur. Cum autem capitulum ingrediuntur, non ad sedes suas, sed recto tramite ante domnum abbatem gradiuntur, et venias petere non morantur.

Eadem fere leguntur in mss. Consuet. Cluniac.

Ex ms. libro Usuum Beccensium.

Quando frater qui proprio vitio egressus fuerat, vel de monasterio projectus, pœnitens revertitur; si abbas et conventus eum suscipere voluerint, quandiu foris erit, in eleemosynæ hospitio erit, de cellerario victum habebit. Si pannos non habet, camerarius inveniet. Cum vero recipi debuerit, in capitulum veniet nudus et discalceatus, succinctus staminia, ferens cucullam plicatam super sinistrum brachium, et virgas in manibus. Et accipiens veniam prostratus, ponet ex una parte virgas, ex altera cucullam: jussus ab abbate surgat, statimque redibit ad suscipiendam disciplinam, et trahet cucullam super genua sua. Post judicium vestiet staminiam suam et cucullam; et reducetur ubi induatur cæteris vestimentis suis: postea revestitus revertetur in capitulum ad locum ubi fuit prius, et accipiet plures venias prostratus toto corpore per singulas dicens: *Mea culpa*, donec abbas dicat, Sufficit. Tunc suscipiet sententiam gravis culpæ, et exibit capite operto capitio. Et frater sibi deputabitur, qui eum ducet ad locum ad hoc destinatum, ubi erit quandiu abbas secundum modum culpæ judicaverit: quando vero vocatus in capitulum venerit, nihil cuiquam dicet, nec quisquam sibi; sed accipiet veniam, et surget injussus; et mox præparabit se ad suscipiendum judicium, et sic reducetur in priorem locum. Die quo in capitulum veniet, habebit omnes cibos quos conventus habuerit; si non venerit, non habebit præter panem et aquam, nisi abbas jusserit. Ad omnes horas nocte et die sedebit foris ad ostium oratorii, et in fine horæ jacebit in terra, sicut S. Benedictus jubet, operto capite, pronus omnium pedibus exeuntium. Similiter faciet ad prandium et ad cœnam, quando conventus venerit de refectorio, et quando post versum exierit de oratorio; et cum omnes exierint, revertetur in locum suum. Ad capitulum et ad collationem non satisfaciet, nec ad introitum, nec ad exitum; sed erit in loco suo usque in sequentem horam. Cum vero abbas de tam gravi pœna dimiserit, veniens in capitulum, accipiet veniam, et quæret judicium. Post hæc cum abbas dixerit quod dimittet eum de gravi culpa, accedens frater discooperiet caput, et corruet ad pedes ejus; et absolutus sedebit ultimus in capitulo et choro; et erit in levi culpa: antiphonam non imponet, responsorium non cantabit, lectionem non leget, nec manducabit cum fratribus; ad omnes canonicas **391** horas prostrabit se in choro ante gradus, ubi bene-

A dictio accipitur, dum incipitur *Kyrie eleison*, et surget sacerdote dicente in fine collectæ *Per Dominum*. Festis duodecim lectionum, si concedat abbas, non faciet satisfactionem istam. Quando vero domnus abbas eum de levi culpa in capitulo dimiserit, prosternet se ad pedes ejus, et de suo absolutus sedebit ubi abbas jusserit. Si ultimus fuerit inter benedictos fratres, et eos si qui sunt qui nondum sunt professi, sedebit quandiu abbas jusserit. Hoc totum de utraque culpa fiet de fratre qui in monasterio vel extra fecerit quod talibus pœnis debet emendari. Si autem abbas tam longe abfuerit a provincia, ut ejus reditus ad præsens non exspectetur, et aliquis frater hujusmodi redierit, prior consilio fratrum poterit eum suscipere eo ordine quo dictum est. Nam aliter non debet absque notitia et jussu abbatis præsumere cuiquam gravis vel levis culpæ pœnam imponere. Nullus alius hoc ullo modo attentare audeat, nec fratrem quilibet verberari a duobus jubere debet, nisi solus
B abbas, et hoc in præsentia sua.

Ex Statutis Lanfranci, cap. 17.

Fugitivus de monasterio monachus, si reversum ad monasterium suscipiendum eum esse abbas judicaverit, hoc modo suscipiatur. In hospitali domo aliquantis diebus primum maneat; ad claustrum, vel ad officinas claustri, vel ad monasterium nisi jussus nullatenus accedat, ut interim pœnitudinis suæ, et humilitatis, et patientiæ aliquod documentum ostendat. Nullus frater secum conversetur, nullus ei in aliquo consortio vel colloquio conjungatur, nisi ei ab abbate, vel a priore, vel ab eo qui servat ordinem, jubeatur. Ea vero die qua in capitulum intraturus est, in locutorio vestimentis suis se exuat; staminia, si habitum non reliquit, circumposito cingulo se circumcingat, sinistro brachio cucullam plicatam, et in dextera manu virgas sumat; et sic nudis pedibus, nudo desuper corpore, ducente eum fratre cui injunctum fuerit, in capitulum veniat. Quo ingressus
C in loco ubi prosterni solet, statim se prosternat. Interrogatus more solito, culpam dicat; dehinc sedens corporalem disciplinam ad imperium abbatis suscipiat: qua suscepta, cuculla tantum ibi induta, sicut venit, sed non ferens virgas, in locutorium redeat, ibi se calceet, et regulariter induat, et in capitulum rediens, tandiu se prosternat donec ab abbate dicatur ei: Sufficiat. Injungatur ei satisfactio gravis culpæ, et in ipsa satisfactione habeat se, sicut superius dictum est, cum de gravi culpa ageretur. Si abjectis monachi vestimentis in sæculari habitu ad monasterium redit, servatis circa eum cæteris, quæ superius dicta sunt, sæculari veste, in qua reversus est, circumcinctus, sicut supra de staminia dictum est, et non portans cucullam, capitulum ingrediatur, et post susceptam disciplinam, cuculla a camerario ante ipsum posita ab eo suscipiatur, et ibi statim induatur.

Ex Constitutione Benedicti papæ XII, cap. 24.

D **392** Ad ecclesias etiam, vel monasteria, seu loca hujusmodi redeuntes, ad communionem aliorum monachorum seu fratrum donec satisfactionem hujusmodi fecerint, nullatenus admittantur; quæ subjicitur esse talis, videlicet quod a porta regulari, parlatorio, seu alio loco consueto per claustrum cum magistro novitiorum, vel alio ad hoc deputato, ad capitulum veniat in staminia, vel nudus, secundum quarumdam ecclesiarum, monasteriorum, et locorum religiosorum morem, femoralia et caligas sine pedalibus tantum habens; cucullam, seu scapulare vel floccum in brachiis, ac ferulam in manibus suis ferens, cum quibus, ibi prius venia recepta, et sua recognita culpa, coram omnibus publice verberetur. Demum vero per abbatem vel alium prælatum principalem, si sit ibi, aut priorem, vel alium post abbatem, seu per principalem prælatum hujusmodi pœnitentia seu pœna levis aut gravis culpæ sibi qualitate demeriti

imponatur secundum morem cujuslibet ecclesiæ, monasterii, seu loci laudabiliter observatum. Proviso attentius, quod modum peccati modus correctionis nequaquam excedat.

Ex antiquis Carthusiensium Statutis, part. II, *cap.* 31, *num.* 30.

In reconciliatione fugitivorum qui non sunt criminosi, talis forma servetur : Redeuntes in primis clament culpam suam præsente conventu misericordiam postulantes, et emendationem promittentes, et tam monachi quam conversi, si infra quinque dies redierint, statim reconcilientur ordini et conventui, et quindecim in capitulo recipiant disciplinas, et quindecim diebus comedant ad terram in refectorio super asserem nudum, cum exceptionibus supradictis, et sint novitii : prior tamen suus cum consilio conventus possit eos restituere, quando sibi videbitur, in pristinum gradum. * Si vero ultra quinque dies redire distulerint, ad minus per hebdomadam sustententur extra cellam et extra conventum : qua completa, prior cum consilio conventus poterit eos, quando sibi placuerit, conventui plenarie reconciliare. Porro isti a prima die sustentationis per quadraginta dies sustineant in victualibus **393** disciplinas; postquam vero conventui sociati fuerint, per viginti dies disciplinentur : monachi sc licet post vesperas, laici diebus ferialibus post matutinas, et festivis post vesperas, ut dictum est de criminosis, et per viginti dies comedant ad terram in refectorio, sicut criminosi, et per annum sustineant prædictam generalem ordinis disciplinam, nec habeant obedientiam, nec vocem in conventu, nec contra aliquem, ut supra dictum est de criminosis, donec per capitulum generale concedatur. Qui cum semel reconciliati fuerint, amittent quantum ad locum annos, quos extra ordinem nostrum expenderunt, illique tantum anni, quos in ordine fecerant, reddentur eis. Si autem bis reconciliati fuerint, omnium, quos invenerint, semper ultimi erunt. Post tertiam reconciliationem, sciant omnes tam clerici quam laici, omnem sibi reconciliationis aditum secundum B. Benedicti dicta denegari.

Ex mss. Statutis S. Stephani Grandimontensis, aliorumque ejus successorum pastorum a Guillelmo Pellicerii primo abbate Grandimontensi collectis, cap. 11.

Quicunque frater ordinis nostri ultra dies tres exiverit de ordine, nunquam recipiatur ulterius in ordine, nisi per capitulum generale. Et novitii, qui infra annum suæ probationis a nostro ordine exiverint, ulterius in nostro ordine minime admittantur, nisi de consensu capituli generalis. Fugitivi ab ordine per annum verberentur in capitulo omnibus diebus dominicis, et in omni sexta feria sint in pane et aqua, et sedeant in solio [*f.* solo] refectorii refectionis tempore, et in ecclesia ad horas, et in capitulo dum capitulum tenebitur, in inferioribus sedibus stent per annum.

Ex ms. Constitutione Clementis V papæ pro ordine Grandimontensi.

Fugitivi autem de dicto ordine, si ad ordinem ipsum reversi fuerint, per triennium ad aliquam administrationem vel officium in eodem ordine habere non possint, nec prior vel definitores secum super hoc durante dicto triennio valeant dispensare.

Ex Constitutionibus Fuliensium cap. 29.

Quod si redire voluerint, sic accipiantur : carcere conclusi per quantum tempus superiori congregationis visum fuerit, triduum singulis hebdomadis in pane et aqua jejunent, et semel quaque hebdomada virgis cædantur. Egressi vero de carcere ad infimum locum abjiciantur; si clerici sunt, clericorum; si conversi, conversorum, omni præcisa spe restitutionis in pristinum locum, et simul jure suffragii **394** quinquennium priventur. Quas pœnas superior congregationis pro ratione circumstantiarum et personæ possit augere vel mitigare, etc.

Ex dictis hactenus de ordine suscipiendorum ejectorum aut fugitivorum, constat : 1° aliquod ante tempus in eleemosynaria aut hospitio exegisse, quam in monasterium admitterentur, 2° admissos in capitulo nudos virgarum plagas excepisse, 3° gravioris culpæ pœnas postea sustinuisse, ac proinde aut in carcere, aut in cella saltem a communi fratrum consortio semota permansisse; cujus rei praxim videre est in Vita S. Sabæ, qui Jacobo cuidam, quem ut homicidam sui, eo quod sibi tentationis superandæ gratia testiculos amputasse, laura ejecerat, postea tamen pœnitenti « in mandatis dedit, ut in propria cellula quietem silentiumque teneret, nunquam prodiret, neque neminem reciperet, cum nemine congrederetur, nisi cum uno illo qui ei ministraturus esset; » in lib. Mira. S. Bercharii, abbatis Dervensis, in quo Hugonem monachum, monasterio fuga elapsum et reversum abbas cum fratribus « in remoto diversorio cum sibi necessariis manere constituerunt, ubi ad votum cuncta ei, etiam superflua, quod dictu grave est, ministrantes, formam crucis dominicæ jubent, ut noverant eum posse, formose componere ; » et ex lib. I Mir. S. Bertini, cap. 3, ubi de quodam monacho Benjamin dicto refertur (*Sæc.* II. *Bened.*), quod post fugam, pœnitentia ductus, ad portam ecclesiæ humiliter accedebat quotidie ; « at Pater monasterii, videns ejus humilitatem, a Domino cor ejus intellexit visitatum, et ad portam eum collocavit, præbendo victum quotidianum. » Postea vero, probata ejus pœnitentia sinceraque virtute ex miraculo sancti Bertini, fratres « statim sine mora eum in priorem revocavere locum.

Porro licet habitu monastico statim ut redierant revestitos fuisse appareat, aliquibus tamen saltem in locis eis denegabatur, ut patet ex præfato lib. Mir. S. Bercharii, ubi prædictus Hugo, Dervensis monachus, tandem morbo correptus, « auxilium fratrum stat in revocare cœpit, ut eum quam citissime habitu monastico renovarent. » Antiqua etiam Cartusiensium statuta decernunt (*Part.* II, *cap.* 31, *n.* 41), ut « omnibus expulsis et fugitivis, si fieri potest commode, habitus auferatur, vel ad minus detruncetur, exceptis fugitivis, qui ad alium ordinem litteras accipiunt de non repetendo : clericus ergo cucullam, laicus caputium deponat et barbam. » Sed ex tertia statutorum compilatione (*Cap.* 10, *n.* 6) « apostatæ ante omnia ad reassumendum habitum ordinis compellantur. » In synodicis etiam canonibus Nicephori PC. decimus quartus ita habetur (*Tom.* III *Mon. Eccl. Græc.*) : « Monachum, qui habitum dimisit, et postea conversus est, oportet iterum vestimento monachali, quod exuit, induere absque precibus consritutis. »

Quæret aliquis quid de rebus ab hujusmodi in sæculo acquisitis faciendum esset? Rem definit Justi-

* In Nova statutorum Collectione part. II, cap. 23, ita habetur : « Qui vero ultra quinque dies redire distulerint, de cætero quandocunque redierint non recipiantur nisi ad carceres; a quibus tamen, si criminosi non fuerint, nec secundo jam fugerint, priores eorum de consilio conventus poterunt illos educere, quando videbitur expedire. Educti vero viginti in capitulo recipiant disciplinas, et per viginti dies comedant ad terram, et per annum generalem ordinis sustineant disciplinam, nisi ex aliqua causa rationabili prior has pœnas moderandas judicaverit.... Fugitivi autem criminosi, qui vel crimine commisso fugerint, vel in fuga crimen commiserint, quandocunque redierint, nunquam nisi ad carceres recipiantur, a quibus non possunt nisi per capitulum generale aut R. Patrem educi. Educti vero criminosorum pœnam, de qua dictum est, sustineant.

nianus ad monasterium pertinere; sed Petri abbatis Cavensis exemplum proponere malumus. Hic, ut scribit Venusinus abbas in ejus Vita, n. 24, monachum apostatam revertentem **395** cum magno gaudio recepit; ea vero omnia, quæ attulit, contempsit; ingentem foveam fieri jussit, in qua delata omnia igne concremavit. » Sed de his satis : ad Regulæ textum revertor.

Quod si denuo exierit, usque tertio recipiatur; jam vero postea sciat sibi omnem reversionis aditum denegari.] Idem habetur in Regula Cujusdam ad virgines, cap. 21. Hæc lex fugitivum quidem constringit, non abbatem; ita ut ille quartam receptionem exigere non possit, licet illam ei misericorditer concedere iste queat. Atque ita docent explicantque sanctum Benedictum Hildemarus, Bernardus Cass., Boherius in secundo comm., Turrecremata, Theobaldus Arialdus, Matthias Lambertus, Joannes Craesbeeck, Nicolaus Bravus, quibus accensendus est Petrus Venerabilis, qui ad sanctum Bernardum scribens idem argumentum fuse et eleganter prosequitur, ac tandem relato Regulæ textu, *Sciat sibi omnem reversionis aditum denegari*, ita concludit (*Lib.* I, *epist.* 28) : « Non, inquit, denegatur : sed sciat sibi denegari. In qua sententia cum nihil præcepti inveniatur, non obicem misericordiæ posuisse, sed terrorem temerariis incutiasse cognoscitur. Ergo desinite talia loqui, et non Scripturas vestro sensui, sed sensum vestrum Scripturis applicate, et converti veraciter cupientes absque ulla retractatione etiam millies suscipite, alioquin Deo contrarii, et Regulæ adversarii inveniemini. » Sed hæc subtiliora existimat Menardus, simpliciorem que S. Benedicti sensum esse, ut ei qui tertio de monasterio exiverit, reverenti omnino negetur ingressus; id quod confirmat ex Regula Magistri, qui S. Benedicti mentem explicans ait : « Frater, si exierit frequenter de monasterio, usque ad tertium reversus resuscipiatur : amplius non jam, quia talis apud Dominum ejus agnoscitur divini servitii fides, qualis apud homines pedum instabilitas constitit : et utquid in monasterio jam opus sit, quem Deus non possidet? Ideoque post tertiam correptionem juste monasterio sit ut ethnicus et publicanus. » Et ex Petro Blesensi, qui epist. 88 asserit S. Benedictum misericordiam ad ternarium numerum coarctasse. Eamdem sententiam sequitur Benedictus Haeftenus l. VIII, tract. 4, disq. 8. Id quod observant etiam nunc Carthusienses, quorum in Statutis ita legitur (*Nova Collect. Stat.*, *part.* II, *cap.* 25, *n.* 28) : « Decernimus et declaramus, apostatas criminosos post tertiam apostasiam non esse amplius requirendos, sed nec in ordine recipiendos. » Eremitæ sancti Augustini ex eorum Constitut. p. 6, c. 14, Carmelitæ discalceati ex eorum item Constitut. part. III, c. 35, n. 9. Nec misericordiæ janua hujusmodi reverenti omnino præcluditur, cum abbas possit post trinam remissionem ejecto fratri charitatis officia extra monasterium exhibere, inquit Menardus, in aucatque ejectus sub cura episcopi, qui salutem illius curare debeat. Cistercienses tamen recipiebant quidem, sed non ad habitum : « Fugitivi, inquiunt institutiones Capit. gener. ord. Cisterc. (*Dist.* 10, *c.* 4), qui juxta Regulam usque tertio recipiuntur, si plus quam ter exierint, nullatenus ad habitum monachi vel conversi admittantur in ordine. Abbas transgressor hujus sententiæ **396** omni sexta feria sit in pane et aqua usque ad capitulum generale, et inde veniam petat. » Et antiquæ Definitiones ejusdem ordinis (*Dist.* 11, *c.* 5) : « Fugitivi, qui juxta Regulam usque tertio recipiuntur, si plus quam ter apostataverint, et pœnitentes redire voluerint, et satisfacere pro delicto, omnino recipiantur vel in domibus propriis, vel in locis aliquibus earum, si aliud canonicum non obsistat, semel tantum ad victum, et non ad habitum regularem; sed ad alium sicut abbati visum fuerit expedire, quem quidem habitum si recipere noluerint aut portare, eisdem temporalia denegentur. Si vero suscepto illo habitu, iterum ad sæculum regressi fuerint, vel aliquid tale commiserint, pro quo monachus teneatur emitti, nullus eis de ordine teneatur ulterius providere. Eis autem in habitu sibi constituto vel tradito existentibus, horis vigiliarum venire teneantur ad ecclesiam extra chorum, et jejunia conventus prosequantur. Conversi vero in familiarium habitum redacti teneantur ad observantias conversorum. » Atque ita etiam recipiendos esse asserit Boherius : « Intellige, inquit, quod hic dicitur de non recipiendo fugitivum ultra tertiam vicem, scilicet in communi consortio fratrum, sed bene in ergastulo. »

Hactenus de fugitivis aut ejectis monachis sponte redeuntibus : quid vero de obstinatis, in peccato perseverantibus, et reditum ne quidem cogitantibus? De his nullum hic protulit verbum S. P. Benedictus : unde apparet hanc in illos servari legem voluisse, quam superiori capite sancivit : *Infidelis si discedit, discedat.* Et certe si putridæ carnes abscissionis ferro sunt resecandæ, multo minus repetendæ videntur.

Constat nihilominus jam olim ab ipso fere S. Benedicti tempore, ne dicam antea, requisitos et ad proprium monasterium reductos fuisse : « Fugitivum monachum, inquit sanctus Ferreolus (*Regul. c.* 20), deserentem disciplinam et perdentem se, velut contemptorem placuit revocari. » « Et S. Fructuosus (*Regul. c.* 20) : « Cum aliquis per vitium elapsus fuerit a monasterio, in aliud non recipiatur cœnobium, neque in humanitatis charitatem, neque in pacis osculum; sed continuo vinctis post tergum manibus reducatur proprio. » Ita quoque Justinianus imperator (*Novel.* 123) : « Si quis monachus monasterium reliquerit, et ad sæcularem vitam transierit, hic militia primum et honore, si quem habet, denudatus, per locorum episcopum, et provinciæ præsidem in monasterium remittitor, et res quas postea habere monstratus fuerit, ad monasterium in quod immittitur, pertinento. Si denuo quoque monasterium relinquat, tunc præses eum provinciæ in qua inventus fuerit, detineto, et subjectæ sibi cohorti connumerato. » Idem decernunt concilia, Aurelianense I : « Ipsi autem monachi, qui fuerint pervagati, ubi inventi fuerint, cum auxilio episcopi tanquam fugaces sub custodia revocentur; et reum se ille abbati futurum esse cognoscat, qui hujusmodi personas non regulari adversione distinxerit, vel etiam qui monachum susceperit alienum; » Toletanum VII : « Quicunque ex sacerdotibus **397** vel ministris vagantes monachos reperierit, aut si lis est, in propriis locis cœnobio suis rectoribus eos reformet, aut si difficile est, pro sola honestate vigore suæ potestatis erudiendos inclinet. » Constantinopolitanum II : « Si quis qui præest monasterio, eos qui ei subjecti sunt monachos cum multa diligentia non requirat, vel inveniens non recipiat, statuit synodus eum segregationi subjici. » Quem canonem de fugitivis intelligit Balsamon. *Vide* concilium Lambethense an. 1281, apud Spelmannum. His adde Gregorii papæ IX constitutionem pro monachis Benedictinis : « Statuimus ut præsidentes capitulis celebrandis secundum statutum concilii generalis, seu Patres abbates, seu priores fugitivos et abjectos de ordine suo requirant sollicite annuatim. Qui si in monasterio suo recipi possunt, secundum ordinem regularem abbates seu priores eorum, monitione præmissa, ecclesiastica censura compellantur ad receptionem eorum, salva ordinis disciplina. Quod si hoc regularis ordo non patitur, auctoritate nostra provideatur ut apud idem monasterium in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit; alioquin ex aliis religiosis domibus ejusdem ordinis ad agendam ibi pœnitentiam talibus vitæ necessaria ministrentur. Si vero hujusmodi fugitivos inobedientes invenerint, eos excommunicent, et tandiu faciant ecclesiarum prælatis excommunicatos publice denuntiari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur. » Denique Constitutiones Richardi epi-

scopi Sarum anno 1217 editæ (*Apud Spelm. tom. II Conc. Angl.*): « Cum quidam apostatæ salutis suæ immemores, abjecto timo e Dei, de ordine suo egredi sine licentia suorum prælatorum, et in sæculo sæculariter conversari, abjec o religionis habitu, non vereantur; præcipimus archidiaconis, decanis etiam, monitione præmissa competenti, ut tales ad claustrum per ecclesiasticam censuram redire compellant: quod si nec sic ad reassumendam religionem induci possint, jubemus eos comprehendi, et ad pœnitentiam A in carcerem retineri. » Tandem canones Synodici Nicephori P. C. n. 25 (*Tom. III Monum. Eccles. Græc.*): « Si monachus, habitu sancto neposito, carnem comederit, uxorem duxerit, oportet eum converti, nolentem anathemati submitti, et invitum monasticis vestibus indui, atque in monasterio concludi. » Cæterum antiquam hujus rei praxim videre est apud Joannem Diaconum in lib. I de Vita sancti Gregorii papæ, cap. 14, et apud Ardonem in Vita S. Benedicti Anianensis n. 24.

CAPUT XXX.

De pueris minori ætate, qualiter corripiantur.

Omnis ætas vel intellectus proprias debet habere mensuras. Ideoque quotiens pueri, vel adolescentiores ætate, aut qui minus intelligere possunt quanta pœna sit 398 excommunicationis; hi tales dum delinquunt, aut jejuniis nimiis [a] affligantur, aut acribus [b] verberibus coerceantur, ut sanentur [c].

[a] Flor. cum quibusdam antiquis mss. *nimis*.
[b] Conc., Cass., Flor., Hild., Conch., Comp., *acris.*, Ebrul., Lyr., *acrius*.
[c] Narb., *salventur*.

COMMENTARIUS.

Omnis ætas vel intellectus.] Hic notat Menardus ætatem ab intellectu seu capacitate intelligendi distingui: nam etsi pueris mens sit immaturior, sunt tamen nonnulli grandiores, aut duræ cervicis, aut imbecillioris intellectus, quos virga agere solet, non ratio, nec excommunicationis vis.

Proprias debet habere mensuras.] « Id est judicii disciplina non uniformiter est omnibus exhibenda, sed secundum uniuscujusque ætatem vel intellectum cum magno est moderamine inferenda. Aliter enim parvuli, aliter adolescentes et juvenes, aliter senes, aliter vero in decrepita positi debent judicari ætate, » inquit Smaragdus.

Ideoque quotiens pueri.] Pueritia a septimo anno incipit, et decimo quarto completo desinit.

Vel adolescentiores ætate.] Adolescentia ab anno decimo quarto ad vigesimum octavum peragitur. Porro acute notat hic Bernardus Cassinensis S. P. Benedictum duas hic ætates comprehendisse, integram unam, scilicet pueritiam, inceptam alteram, nempe adolescentiam; nec simpliciter dixisse *adolescentes*, sed *adolescentiores*, quia ætas pueritiæ proxima de pueritiæ levitate magis retinet.

Aut qui minus intelligere possunt quanta pœna sit excommunicationis.] « Ille, inquit Hildemarus, non intelligit qui non verecundatur, nec turpitudinem habet pro excommunicatione. » Ubi S. Pater « omnem comprehendit ætatem, uti observat Bern. Cass., et istos in capite 23 supra improbos appellavit, quos vindictæ corporali subjacere decrevit. »

Hi tales dum delinquunt.] Et delictum exigit.

Aut jejuniis nimiis affligantur.] Quod ex Hildemaro duobus modis fieri potest: aut aliquid de cibo et potu subtrahendo eadem qua cæteri hora reficientibus, aut eamdem quam alii sumunt refectionem in vesperam, B aut alterum diem differendo. Additque quosdam esse qui nimium jejunium « intelligunt mediam libram panis solummodo, et unum stauppونem aquæ in hieme, in æstivo tempore duos; alios vero quartam partem libræ panis et aquam sicut super ores Sed isti, inquit, qui quartam partem libræ panis dicunt, non bene discernunt. » Verum istud *nimiis* non stricte pro excessu in jejuniis 399 accipiendum reor; sed late, quasi diceret *duris jejuniis*, servata tamen discretione.

Aut acribus verberibus coerceantur.] Ita etiam sanctus Pachomius (*Art. 97*): « Omnes pueri qui non timent confundi pro peccato, et correpti verbo non emendaverint, verberentur quandiu disciplinam accipiant, et timorem. » S. Isidorus (*Cap. 17*): « In minori ætate non sunt coercendi sententia excommunicationis, sed pro qualitate negligentiæ congruis emendandi sunt plagis, ut quos ætatis infirmitas a culpa non revocat, flagelli disciplina compescat. » Magister (*Cap. 14*): « Infantules usque ad quindecim C annos non excommunicari, sed præcipimus vapulari pro culpis. « S. Fructuosus (*Cap. 6*): « Quod si in aliquo, quæ diximus deprehensi fuerint, continuo ab ipso suo decano virga emendentur. » Sed S. Basilius pueros ita puniri præscribit (*Regul. fus., cap. 15*): « Cibum, inquit, usurpavit intempestive? majore diei portione jejunus maneat. Immodeste et turpiter comedit? tempore refectionis cibo prohibitus, cogatur alios scite vescentes contueri, ut et abstinentia puniatur, et gravitatem discat. Otiose quid locutus est? Convicium dixit proximo suo? mentitus est? aut aliorum quid eorum dixit quæ prohibita sunt? et jejunio et silentio castigetur. »

Ut sanentur.] Nam, ut ait Scriptura, *Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ effugabit eam* (*Prov.* XXII).

CAPUT XXXI.

De cellerario monasterii qualis sit [a].

Cellerarius [b] monasterii eligatur de congregatione sapiens, maturis moribus, sobrius, non multum edax [c], non elatus, non turbulentus, non injuriosus [d], non tardus, non prodigus, sed timens Deum, D qui omni congregationi sit sicut pater. Curam gerat de omnibus, sine jussione abbatis nihil faciat. Quæ jubentur custodiat: fratres non contristet. Si quis frater ab eo forte aliqua irrationabiliter postulat,

[a] Oxon., Narb., *qualis debeat esse*.
[b] Al., *Cellararius*.
[c] Al., *audax*.
[d] Al., *non jurgiosus*.

non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate [a] male petenti deneget.

Animam suam custodiat, memor [b] semper illud apostolicum, quia *qui bene ministraverit, gradum bonum sibi acquirit* (*I Tim.* IV). Infirmorum, infantium, hospitum pauperumque cum omni sollicitudine curam gerat, sciens sine dubio quia pro his **400** omnibus in die [c] judicii rationem redditurus est. Omnia vasa monasterii cunctamque substantiam, ac si altaris vasa sacrata conspiciat. Nihil ducat negligendum; neque avaritiæ studeat, neque prodigus sit, aut exstirpator [d] substantiæ monasterii : sed omnia mensurate faciat, et secundum jussionem abbatis.

Humilitatem ante omnia habeat : et cui substan- A tia [e] non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur [f] bonus, ut scriptum est : *Sermo bonus super datum optimum* (*Eccli.* XVIII). Omnia quæ ei injunxerit abbas, ipsa habeat sub cura sua; a quibus prohibuerit, non præsumat. Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo [g] vel mora offerat, ut non scandalizentur, memor divini eloquii, quid mereatur *qui scandalizaverit unum de pusillis* [h] (*Matth.* XVIII). Si congregatio major fuerit, solatia ei dentur, a quibus adjutus et ipse æquo animo impleat officium sibi commissum. Horis competentibus dentur [i] quæ danda sunt, et petantur quæ petenda sunt : ut nemo perturbetur neque contristetur in domo Dei

[a] Hild. deest, *cum humilitate.*
[b] Narb., *memoret.* Al., *memorans.*
[c] Cass., Narb., Flor., *in diem.*
[d] Flor., Hild., *et stirpator.* Conch., Comp., Lyr. et quidam alii., *aut stirpator.*
[e] Al., *et cum substantia.*
[f] Hild., *tribuatur.* Edit. Paris., *dirigatur.*

B [g] Oxon., Hild., Haef., *sine aliquo typho.* Conc., *sine aliqua typho.* Al., *sine aliquo verbo.*
[h] Cass. addunt *istis : expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.*
[i] Al., *et dentur.*

COMMENTARIUS.

Cellerarius monasterii.] Ita nimirum S. Pater vocat eum cui curam et administrationem rerum temporalium committit, a cella, seu cellario, in quo reservantur ac celantur ea quæ ad vitæ sustentationem pertinent. Nonnulli cellarium custodem cellarii appellant, alii œconomum, quidam provisorem, aliqui procuratorem nominant, cujus vocis fit mentio in Tripartito libro Mir. S. Roberti abbatis Casæ Dei, auctore Bertrando, dist. 1, n. 3.

Eligatur.] Non ait : ponatur ad libitum abbatis; sed eligatur, id est constituatur, qui melior ex omnibus repertus fuerit; alias personarum esset acceptio, non electio : « Quid est enim electio, inquit Hildemarus, nisi separatio optimi a meliore, vel melioris a bono, aut boni a malo? »

De congregatione.] Quia, ut ait idem Hildemarus, non aliunde debet eligi : » Ubi « laicos excludit, et illos qui mores et **401** actus religionis et fratrum ignorant, » inquit Bernardus Cassinensis, atque, ut addit Nicolaus de Fractura, « clericis ac religiosis oppido sunt infesti. » Nihil tamen vetat aliquando piis laicis ac Deum timentibus uti ad exsequenda servorum Dei extra monasterium negotia, ut non sit necesse cellerariis toties progredi foras, et cum sæcularibus conversari, quia non omnino expedit animabus eorum. *Vide* Vitam S. Joannis abbatis Gorziensis, n. 85 et 86, sæc. V.

Sed quæret aliquis a quo fieri debeat hujusmodi cellerarii electio, quando, et quomodo? Respondet Boherius : « Per abbatem pariter et conventum, cum hujus officium sit de præcipuis causis. » Atque ita Regula S. Fructuosi (*Cap.* 6) : « Eligatur cellerarius bonæ patientiæ probatus, quem communis elegerit collatio. » Sed Bernardus Cassinensis hanc electionem asserit fieri non debere « secundum ordinem juris, sed secundum discretionem abbatis, convocato aliquo concilio seniorum aliquorum. » Eodem modo Nicolaus de Fractura, Turrecremata, Matthias Lambert, Joannes Craesbeeck maturo dicunt judicio ab abbate eligendum *cum consilio saltem seniorum.* Sicque observant Cassinenses, ad verbum *eligatur* ita declarantes (*Declar. Cass.*, *c.* 31) : « A prælato scilicet de consilio seniorum Patribus proponendus; sit autem decanus, et omnino moribus gravis. » Sed Constitutiones Montis Oliveti præscribunt (*Part.* II, *cap.* 31), ut cellerarii monasteriorum eligantur in banchetto per vota secreta, de consensu majoris partis ipsius. Generalis vero abbas pro quolibet monasterio ad hoc munus duos idoneos nominabit, ex quibus electus censeatur qui plura vota habuerit. »

Isthæc autem electio singulis olim annis apud nostros celebrabatur, ut docet nos Mabillonius his verbis (*Præf. ad sæc.* IV *Ben.*, *part.* I, *n.* 126) : « Officium istud (*obedientiam* vocabant veteres) in annum committi antiquus mos est in ordine nostro usitatus. » Cujus sententiam confirmat anonymus in Vita S. C Salabergæ (*Sæc.* II *Ben.*) : « Famulaque Christi, cui obedientiæ causa eodem anno juxta tenorem Regulæ ad cellarium custodiendum sororibusque ministrandum ordo evenerat. » Idem colligitur ex Vita S. Joannis Gorziensis n. 73. Auctor est tamen Hildemarus, decanos et cellerarios plures in annos continuari debere : « Cellerarius, inquit (*In cap.* 32), et decanus non dicit ut per vicem sibi succedant, sed usque dum non potest meliorem invenire, semper ille debet esse in decania sua, aut ille in cellario suo, etiamsi per decem annos meliorem non potest invenire, ille solus agat illud ministerium. » Bernardus etiam Cassinensis et Boherius docent cellerarios, decanos præpositosque non sibi succedere per vices. Sed ex Constitutionibus Cong. Montis Oliveti cellerarius « per quadriennium tantum duret, quo elapso, per alios quatuor annos idem munus in eodem monasterio exercere non possit. » De aliis obedientiis dicemus sequenti capite.

D Electionis modus erat omnino solemnis : eadem enim benedictione qua prior ordinabatur absolvebaturque cellerarius, ut patet ex Udalrico, l. III, c. 18, et ex mss. Consuet. S. Benigni, c. 38.

402 *Sapiens.*] Ut domus Dei a sapientibus sapienter administretur, ubi sapiens ex Bernardo Cassinensi, « et prudentiam, et scientiam, et intelligentiam importat, nec solummodo debet esse sapiens in rebus ordinandis humanis, sed et maxime philosophus, id est amator sapientiæ in divinis. » Quid vero sit esse philosophum in divinis, ita explicat Hildemarus : « Philosophia cœlestis est discernere inter vitia et virtutes; deinde amare virtutes, et odire vitia, ac deinceps ipsas virtutes, quas cognovit, operibus exercere studeat, eo quod nihil valet sapere, et cognoscere bonum, et illud non diligere, atque amando non operari : talis enim est qui sapit bonum et illud non diligendo operatur, qualis est ille qui portat panem et vinum, et exinde nec manducat, nec

bibit. » Et tamen Richardus de S. Angelo ait : « Non A credo quod requiratur in isto scientia divinarum Scripturarum, sed scientia solummodo naturalis, ut sit maturus moribus, et sobrius, prout hic sequitur. »

Maturus moribus.] Moribus, inquit, non ætate; quia, ut hic notant Bernardus Cassinensis et Nicolaus de Fractura, cum cellerarius per monasterium frequenter discurrere debeat, et singulas ejus officinas perlustrare, ægre injunctum sibi officium impleret, si multa foret gravatus ætate. Ex Constitutionibus vero Montis Oliveti (*Part.* II, *cap.* 31) debet esse « saltem viginti octo annorum, et decem ante annos in religione professus. »

Sobrius.] Sobrius Smaragdo « intelligitur cautus, vel consideratus, in cibo et potu frugalis et parcus, verbo et opere temperatus; » a Boherio « temperatus in victu et in aliis; » a Menardo « non temulentus. » Aliter Hildemarus : « Ille dicitur sobrius, qui temperatus est, id est nec plus nec minus quam oportet agit. » Eodem modo S. Benedictum interpretantur Bernardus Cassinensis et Nicolaus de Fractura. Et certe quod parcitatem in cibo et potu S. P. non hic intelligat ex sequentibus verbis, *non multum edax*, colligitur. Sit ergo cellerarius sapiens, maturus moribus, et sobrius, « ut per sapientiam cuncta disponat, per maturitatem morum levitatem indebitam fugiat, et per sobrietatem seipsum temperet in actibus et in verbis, » inquit Bernardus Cassinensis.

Non multum edax.] Et hoc potissimum vitium in cellerario vitari volebant veteres monachi; unde Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii et alterius Macarii : Abbas, inquit (*Cap.* 12), « decernere debet quomodo debeat esse qui cellarium fratrum contineat; debet talis tantummodo eligi, qui possit in omnibus gulæ suæ suggestionibus dominari, et evangelico ordine fratribus suis victum gubernare. » Et Regula Magistri (*Cap.* 16) : « Cellerarius vero ipse frater ordinatur, qui probatus fuerit ab abbate fidelis et abstinens esse, quem numquam vicit aliquando aliqua desideriorum gula, vel qui non multum amat manducare aut bibere. » Id tamen maxime vitare debet, cum extra monasterium cum sæcularibus manducat : qua de re vide Joannis Gorziensis exemplum.

403 *Non elatus.*] Elatus dicitur in superbia elevatus, audax, jactans et arrogans, » inquit Smaragdus. In hoc tamen superbiam ab elatione distinguit Hildemarus, quod elatio in spiritualibus, superbia in spiritalibus simul et temporalibus fiat.

Non turbulentus.] Turbulentus ex Hildemaro « dicitur obscurus, non sincerus, non hilaris, furibundus; veluti aer dicitur turbulentus cum non est serenus, id est lucidus. Sive aqua dicitur turbulenta cum non est limpida et lucida; ita homo dicitur turbulentus cujus vultus obscurus est, id est non hilaris aut suavis. » Eodem fere modo Bernardus Cassin., Nicolaus de Fractura et Turrecremata.

Non injuriosus.] Ad injurias inferendas contumeliasque irrogandas promptus.

Non tardus.] « In obediendo scilicet mandato superioris, nec in constitutam annonam fratribus etiam tribuendo, » inquit Boherius.

Non prodigus.] Id est, nimis largus, aut profusus, consumptor et dilapidator bonorum monasterii, ne forte ex ejus profusione totius monasterii ruina manaret. Ita autem se gerere debet, ut annui sumptus monasterii non excedant redditum; quin imo nec totum expendat, ut semper supersit aliquid pauperibus erogandum, fortuitisque casibus opportune possit occurri.

Sed timens Deum.] Quod est veluti antedictorum corollarium, ad quod illa omnia referri debent. Qui enim Deum timuerit, prædicta omnia facili negotio observabit.

Qui omni congregationi sit sicut pater.] Ut cum charitate cuncta administret, omnes fratres tanquam filios diligat, eisque necessaria affatim subministret, nullum negligens, nullum spernens; et quia patris est omnium quæ familiam spectant curam suscipere, apposite subjungit :

Curam gerat de omnibus, sine jussione abbatis nihil faciat.] Quæ duo, licet inter se pugnare videantur (nam curam gerere de omnibus haud potest, cui nihil sine jussione facere permittitur), facile tamen conciliantur ex consequentibus.

Quæ jubentur custodiat.] « Quod idem est, inquit Smaragdus, ac si diceret : Quod superius dixi de omnibus illum curam agere; de his, quæ custodire jussus fuerit, curam gerat; de cæteris vero rebus sine jussione abbatis nihil faciat. » Eodem modo ratiocinatur Boherius in secundo comm. Quænam vero sint illa quorum curam abbas cellerario committere debet, colligi potest ex Regula S. Isidori, in
B qua hæc scribuntur (*Cap.* 19) : « Ad eum qui cellario præponitur pertinebit sollicitudo eorum quæ in promptuario sunt. Iste præbebit hebdomadariis quidquid necessarium est victui monachorum, hospitum et infirmorum. Isto præsente dispensantur ea quæ mensis deferenda sunt. Is etiam quidquid residuum sumptui fuerit pro pauperum usibus reservabit. Huic quoque hebdomadarius, expleta hebdomada, vasa sibi tradita exhibebit, ad perspiciendum utique si negligenter habita non 404 sunt; ac denuo succedenti hebdomadario coram isto tradantur. Ad hunc quoque pertinent horrea, greges ovium et pecorum, lana et linum, aviaria; sollicitudo cibaria administrandi pistoribus, jumentis, bobus et avibus; industria quoque calceamentorum, cura pastorum seu piscatorum. » Et ex Regula Orientali quæ decernit (*Cap.* 25), ut cellerarius « omnia utensilia, quæ in monasterio sunt, id est vestem, vas, ferramentum, et quidquid usibus quotidianis necessarium est, custodiat, et unamquamque rem proferens cum fuerit
C necessarium, ab eo iterum ad reponendum cui utendo consignaverit recepturus. Ad victum vero fratrum proferat et tradat septimanariis, ad condiendos cibos det necessaria secundum quotidianæ expensæ consuetudinem, neque profuse, neque avare; ne vitio ipsius vel monasterii substantia gravetur, et fratres patiantur injuriam. Sed et necessitatem infirmorum fratrum ac laborem considerans, nihil ægrotantium desideriis neget ex his quæ habuerit, quantum illis necesse fuerit : advenientibus diversis fratribus escas parabit. Hæc erit cura custodis cellarii, recurrens semper ad seniorum consilium, et requirens de omnibus, et præcipue de his quæ proprio intellectu non potuit adimplere. » Quæ postrema verba hunc sanctæ Regulæ locum illustrant, ut scilicet in his quæ dubia sunt, nec proprio potest adimplere intellectu, sive, ut loquitur Lanfrancus (*Stat. c.* 9), *in majoribus causis*, sine abbatis jussione nihil faciat. Optimum quoque erit quod ait Bernardus Cassinensis, si scripturam ei tradat, in qua
D distincte contineantur ea quorum ei curam committit, sive, ut loquitur Hildemarus, quæ curare habet, « debet illi abbas constituere isto modo, v. g. : Sub cura tua sint infantes, hospites, infirmi, pauperes; servi etiam, qui ad usum horti, vel coquinæ sunt deputati, flebotomati, et illa generalitas monachorum. Deinde debet illi constituere hospitum curam isto modo, v. g. : Si venerint episcopi, aut abbates, aut comites, tali modo illis servire stude : si autem venerint clerici, canonici, tali modo servitium eis exhibe. Si certe venerint monachi, tali modo illos recollige. Et postremo debet illi dicere : Si in his tibi dubietas venerit, me interroga, etc. » Additque, si talis sit cellerarius, qualem hic describit S. Benedictus, posse abbatem cuncta ejus arbitrio committere.

Ut autem possit abbas agnoscere an quæ jubentur fideliter custodiat cellerarius, debet ab eo certis

temporibus rerum gestarum et administratæ substantiæ rationem repetere; id quod singulis mensibus faciendum præscribit sanctus Fructuosus: « Quod per singulos menses expensum fuerit, per omnium capita mensium rationem suo abbati faciat (præpositus, qui substantiam monasterii dispensandam accipiebat), et hoc cum tremore, et simplicitate, et vera cordis humilitate tanquam redditurus Domino rationem. » Et instituta Capitul. gener. ord. Cisterciensis (*Cap.* 78): « Major cellerarius semel in mense, vel sæpius, si abbas voluerit, de omnibus, quæ accipit, abbati, vel quibus jusserit, computet. » Sed Institutiones eorum indefinite tantum decernunt, 405 ut « major cellerarius, quando abbas voluerit, de omnibus quæ accipit et expendit, abbati vel quibus jusserit computet. » Cassinenses vero volunt ut quilibet cellerarius computa, rationes, debita, et credita monasterii quater in anno, hoc est per singulos quosque tres menses ostendat prælato et superioribus, qui omnes eadem manu sua subscribant. Idque juxta Gregorii papæ IX constitutionem, in qua hæc lego: « Ut domorum status certior habeatur, singulis tribus mensibus coram abbate seu priore, si ibi non est abbas, et senioribus reddant officiales de suis officiis rationabilem computationem de omnibus expensis, et fideliter facientes abbates et priores bis in anno, scilicet in calendis Octobris, collectis annuis fructibus; et in calendis Aprilis, statum domus suæ in capitulo, vel coram senioribus, et etiam coram visitatoribus cum venerint plenarie manifestent. Abbas autem, vel prior, sive præpositus, qui in prædictis ratiociniis gravia debita suppresserit fraudulenter, ab administratione quam obtinet penitus repellatur. » Ex constitutione etiam Benedicti papæ XII, cap. 3, abbates, priores, seu administratores singulis annis in capitulo generali rationem debent reddere; cellerarii vero et alii officiales ter in anno coram abbate et conventu. Simile aliquid habetur in Statutis Nigrorum Monachorum anno 1238 Londini editis. *Vide* Ottobonis legati in Anglia Constitutiones apud Spelmannum ad annum 1248. Ad Regulæ textum revertor.

Fratres non contristet.] Quod ita exponit Hildemarus: « Nulli debet acrius responsum dare, sed eis bonum sermonem in omnibus tribuere; » sive, ut ait Bernardus, « Nihil faciat vel dicat per quod possint rationabiliter contristari: » verbi gratia, « In denegando quæ debet dare, vel in dando tardius quam debeat, » ut loquitur Boherius.

Si quis autem frater ab eo forte aliquid irrationabiliter postulet, non spernendo eum contristet, etc.] Ita S. Benedictus, in monasterio S. Sequani cellerarius, et postea abbas Anianensis (*In ejus Vita*, *n.* 9, *sæc.* IV), « juxta præceptum Regulæ totis viribus sese componere, ac licita petentibus sine mora studebat largiri; male petentibus denegare, impossibilia exquirentibus blande excusare. » Et ante eum sanctus Leobinus factus cellerarius (*Sæc.* I *Bened.*), « ita se reddidit providum, ut nec superpetenti daret aliquid superfluum, nec indigenti congruum subtraheret alimentum. » Quid autem sive petendo, sive distribuendo observari deceat, docent sequentes versiculi ex Boherii in primo comm.:

In poscente novem, sex in donante notanda,
Causa, fides, modus, locus, et penuria, tempus,
Ætas, nobilitas, cum conditione petentis,
Mens hilaris, festina manus, adsitque facultas
Dulcior affatus, discretio dantis, et ordo.

Animam suam custodiat.] Quæ verba ita exponit Smaragdus: « Non offendat in his quæ non sunt danda dando, aut quæ respondenda 406 non sunt respondendo. » Cui concinere videtur Bernardus Cassinensis his verbis: « Hoc attinet ad fidelitatem specialiter, ut videlicet sit fidelis conservator et dator; alias enim animam suam male custodiret. » Additque: « Præterea animam suam bene custodit, A quando nec ipse in officio sibi commisso peccat, nec alios peccare permittit. Hoc autem verbum ad omnia illa quæ contra Deum sunt vitanda, et cum Deo sunt facienda, large potest extendi. » Unde etiam Cassinenses in suis declarationibus ad hæc verba: « Cellerarii, inquiunt, non sic se immergant temporalibus, quin vacent spiritualibus; sed sic transeant per bona temporalia, ut non amittant æterna. » Et Bursfeldenses (*Dist.* 2, *cap.* 5): « Cellerarius quamvis exemplo Marthæ, cujus suscepit officium, circa multa sollicitari et turbari necesse habeat, non tamen se prorsus a conventualibus alienare, aut silentium et quietem cellæ penitus abjicere et abhorrere; sed potius quantum sinit opportunitas, necessariis expeditis ad opus Dei et conventum, sed et ad cellam quasi ad quietissimum et tutissimum portus sinum recurrat, ut legendo, orando, meditando, turbulentos animi sui motus ex cura et dispositione exteriorum surgentes sedare possit, et spiritualibus consolationibus refrigerari. » B Similiter Constitutiones Fuliensium (*Cap.* 31): « Ne cura temporalium rerum sic obrui se sinat cellerarius, ut in spiritualibus langueat; cum illæ his tanquam administræ ancillari debeant. Quare det operam ut quam rarissime absit a choro et officio divino, a meditatione et aliis exercitiis regularibus, quæ quidem illius officium non impediant. » Eadem ratione Regula Magistri præscribit (*Cap.* 16), ut « quotidie cellerarius cum septimanariis coram abbate in oratorio cum congregatione communicet, » ne forte prætextu rerum gerendarum a cœlesti pane sumendo abstineret; quo magis omnibus indiget, ut in fortitudine cibi illius ambulet feliciter per invia et inaquosa rerum temporalium, neve contabesceret cor illius intra se, si oblivisceretur comedere panem suum.

Memor illius apostolici, quia qui bene ministraverit gradum bonum sibi acquirit] Ita etiam Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii et alterius Macarii: « Studere debet qui huic officio deputatur, ut audiat, C quia qui bene ministraverit, bonum gradum sibi acquirit, et animæ suæ lucrum facit. »

Infirmorum, infantium, hospitum pauperumque cum sollicitudine curam gerat.] Quatuor hic potissimum curæ ac sollicitudini cellerarii S. P. Benedictus committit. Primo infirmos, quorum curam ante omnia et super omnia adhiberi voluit, ut sicut revera Christo, ita eis serviatur; præcipitque abbatem attendere ne a cellerariis aut servitoribus negligantur. Eadem mente Orientalis Regula præscribit (*Cap.* 25) ut cellerarius « nihil ægrotantium desideriis neget, ex his quæ habuerit, quantum necesse fuerit. » Et antiquæ Cluniacensis monasterii consuetudines apud Udalricum (*Lib.* III, *c.* 18): « Si quis fratrum adeo est infirmus ut de lecto surgere non possit, ad hunc 407 quotidie summo diluculo simul cum infirmario venit cellerarius, et de omnibus quæ habere potest sciscitatur ab eo, quid sit, quod sibi videatur, ut præparet ad ejus recreationem. » Et iterum (*Lib.* III, *c.* 11): « Si quis D dederit nobis decem solidos, aut pauciores, hi semper cellerario sunt deputati ad hoc tantum ut fratribus infirmioribus vel aliquantulum delicatis, absque hoc quod generaliter omnibus datur, aliquam possit impendere charitatem. » Mirum prorsus est quanta sollicitudine hanc regulæ partem observaret B. Raingardis in Marciniacensi monasterio olim sanctimonialis et cellararia, quæ, ut scribit venerabilis ejus filius Petrus abbas Cluniacensis (*Lib.* II, *ep.* 17), « Scripserat in mente sua quo unaquæque corporali incommodo laboraret, et morbos earum vel qualitatem sollicita adnotaverat, ut posset unicuique absque errore subvenire, cum nihil eam talium cura ingereret ignorantiæ. Noverat eas ut nobiles et delicatas, ut fragiles et infirmas, pro sexu, pro loco, pro usu multis egere; et ideo mentem, ne quid eis deesset, multo sollicitabat angore. Occupabat eam servilium cura officiorum, et ancillarum Dei se famulam esse gavisa, vilia quæque ministeria procurabat. Variabat

in corde suo diversos apparatus ciborum, et talium inexperta coquinæ disciplinam addiscere cogebatur. Huic assa, illi elixa, salsa isti, insulsa alteri providere, sollicita circa frequens ministerium satagebat; præparabat ipsa, coquebat ipsa, inferebat ipsa; et ut nihil sibi de mercede periret, nihil sibi de labore imminui patiebatur. Collegerat uno suo in corde animos singularum, et quod unaquæque mag s affectaret agnoscens, effectu operis omnium affectibus consonabat. »

Secundo, infantes, « ut considerans in eis ætatis fragilitatem, et corporis teneritudinem, quæ necessaria sunt paterno ministret affectu, » uti loquitur Smaragdus.

Tertio, hospites, quibus advenientibus *escas parabit* ex Regula Orientali cap. 25. Sive, ut præscribit S. Isidorus (*Cap.* 19), « ipse præbebit hebdomadariis quidquid necessarium est victui monachorum hospitum et infirmorum. » Observat etiam hic Hildemarus moris fuisse apud veteres monachos ut cellerarius hospitum curam gereret; successu vero temporis propter nimiam eorum multitudinem, alios ad id muneris constitutos fuisse, illudque, quod Regula S. Benedicti cellerario injungit de cura hospitum, intelligendum esse quando dicuntur in refectorio manducaturi. Cujus sententiam confirmare videntur Statuta S. Adelardi lib. II, cap. 3.

Quarto, pauperes, quibus ex Regula S. Isidori *quidquid residuum fuerit* reservabit. Sed et juxta Regulam Magistri (*Cap.* 19), « Cellerarius eleemosynam faciat cum jussu abbatis in præsentia ejus. In absentia vero liceat ei pe en i pauperi eleem synam exhibere, propter præceptum Domini, qu d dic t : *Omni petenti te tribue*; et item : *Da, ne cui non dederis, ipse sit Christus.* »

Utrorumque autem e. hospitum et pau, erum omni prorsus admiratione dignam sollicitudinem gerebat B. Raingardis (*Petr. Vener. lib.* II, *ep.* 17), « Hos honorifice **408** suscipiens, istis sollicite providens; ut nec illis congrua, nec istis deessent necessaria. Cura tamen propensior circa pauperes erat, quorum egestas in corde mulieris sanctæ præponderabat, ut quos major premebat indigentia, major illis adhiberetur præ aliis diligentia. Ea de causa si quid de commissa obedientia superesse poterat, in usus eorum devote expendebat. Erogabantur frequentes eleemosynæ, vestes pro posse parabantur, aut emebantur novæ, aut veteres sororibus subreptæ dabantur, omnibus secundum Evangelium petentibus absque quæstione quidquid cibi vel indumenti undequaque corrodere poterat, tribuebat : quosdam vero, quos filios ludens vocabat, quotidiano victu et sumptibus reficiebat : pausabat in eis mens dedita Deo, et velut ab antiquis mundi laboribus requiescebat, nunc tandem reputans invenisse se locum Domino, tabernaculum Deo Jacob; quidquid enim in pauperes dispergebat, sibi totum congregari gaudebat, sciens proprium lucrum esse, quod ab aliis crebrescebatur subs antiæ detrimentum. » Egregium plane charitatis in pauperes sanctæ mulieris exemplum quod utinam bene imitentur cellerarii.

Omnia vasa monasterii cunctamque substantiam, ac si altaris vasa sacrata conspiciat.] Hæc verba non secundum omnimodam similitudinem accipienda esse docent antiqui Regulæ commentatores, Hildemarus, Bernardus Cassinensis, et Boherius, *sed respective, ut sic tractentur secundum sui valorem, sicut sacra vasa secundum sui dignitatem.* Verum, ut mihi videtur, non ita recte ad mentem S. P. Benedicti veterumque monachorum, qui res monasterii habebant non tanquam indifferentes, sed ut sanctificatas ac Deo vere sacratas, sicuti patet ex Regula SS. Patrum Serapionis, Macarii, Paphnutii et alterius Macarii : « Nosse debent etiam fratres, quia quidquid in monasterio tractatur, sive in vasis, sive in ferramentis, vel cætera omnia esse sanctificata. Si quis de fratribus aliquid negligenter tractaverit, partem

A se habere noverit cum illo rege qui in vasis domus Dei sanctificatis cum suis bibebat concubinis, et qualem meruit vindictam. » Ita etiam S. Basilius ad interrogationem (*Regul. brev. interr.* 143), « Quomodo qui opus faciunt, curam gerere debent instrumentorum sibi commissorum? » respondet : « Ut eorum quæ dedicata et consecrata sunt Deo. » Et ad interrogationem (*Ibid., interr.* 144). « Si quid ex incuria amiserit aliquis, aut ex contemptu abusus fuerit? » respondet : « Prorsus qui ab sus fuerit tanquam sacrilegus : qui vero amiserit, tanquam sacrilegii auctor judicetur, cum omnia Domino sint dedicata, et Deo consecrata. » Eadem omnino mens erat aliorum Ægyptiorum monachorum, qui, referente Cassiano (*Lib.* IV, *c.* 20), « non solum seipsos non esse suos; sed et omnia quæ sua sunt, credunt Domino consecrata; propter quod si quid fuerit monasterio semel illatum, ut sacrosanctum cum omni decernunt reverentia debere tractari : » et item utensilia ac

B vasa coquinæ « tanta sollicitudine curaque suscipientes custodiunt, ne quid ex eis imminuatur et pereat, ut credant pro minimis quibusque vasis tanquam pro sacrosanctis rationem non solum dispensatori præsenti **409**, sed etiam Domino reddituros, si forte aliquid eorum negligentia fuerit imminutum. » Hæc omnia confirmat concilium Aurelianense can. 7 (*Apud Burchard. l.* III, *c.* 129) : « Omnia quæ Deo offeruntur consecrata habeantur in vineis, terris, silvis, utensilibus, vestimentis, pecoribus et reliquis possessionibus; et quæ ecclesiis, sine dubio Christo, qui sponsus earum est, offeruntur. » Ex hac porro doctrina recte infertur quod sequitur.

Nihil ducat negligendum.] Ex vasis substantiaque monasterii tanquam parvum nulliusve momenti. Certe vix cogitari potest quam religiosi fuerint in rebus minimis prisci monachi, quod vel uno exemplo a Cassiano relato stupebit aliquis. Narrat siquidem (*Lib.* IV, *cap.* 20) quod cum quidam frater coquinæ ministerio deputatus, tria lenticulæ grana ad terram

C decidere sivisset, ad abbatem delatus ab œconomo, « velut inversor neglectorque sacri peculii judicatus, ab oratione suspensus sit. » Nec minus profecto movet quod de Benedicto Anianensi abba e scribit Ardo ejus discipulus (*In ejus Vita n.* 32, *sæc.* IV *Bened.*) : « Tanta erat ejus sollicitudo, ut si vel modica grana leguminum, vel exiguum porri comæ, caulium que folia ab eo neglecta invenirentur, mox digna excommunicationis animadvertebatur sententia, cujus probari tur esse delictum. Sin autem quis ei aquam ad lavandum porrigeret, et ut solet largius quam decet effunderet, peccatum incurrere fatebatur, eo quod discretionis non incederet calle. » Simile aliquid legimus de sancto Stephano abbate Obazinensi in ejus Vita lib. II, n. 53 (*Tom.* IV *Misc. Baluz.*) : « Si vero per porticum ambulans, vel in quocunque loco olera sive legumina per incuriam elapsa, terræque sparsa conspiceret, mox ea incurvus granatim, quantumque modica colligebat, vocatisque quorum culpa deciderant, pro sua eos negligentia durius arguebat. »

D *Neque avaritiæ studeat.*] Huc spectat quod in concilio Francofordiensi sub Carolo Magno decernitur (*Can.* 4) : « Ut cellerarii in monasteriis avari non eligantur, sed tales electi sint quales Regula S. Benedicti docet. » Huc etiam referri potest quod præscribit Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii : « Cellerarius debet talis eligi, qui possit in omnibus gulæ suæ suggestionibus dominari, et evangelico ordine fratribus suis victum gubernare, qui timeat Judæ sententiam, qui ab initio fuit fur. »

Neque prodigus sit aut exstirpator substantiæ monasterii.] Dando quæ dare non debet.

Sed omnia mensurate faciat.] Media incedens via avaritiam inter et prodigalitatem, ut etiam præscribit Regula Orientalis (*Cap.* 25) : « Ad victum vero fratrum proferat ac tradat septimanariis ad condiendos cibos, det necessaria secundum quotidianæ expensæ

consuetudinem, neque profuse, neque avare, ne vitio illius vel monasterii substantia gravetur, vel fratres patiantur injuriam. » Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 4) : « Avaritiæ et cupiditatis pestem omnino fugiat. Similiter sicut non avara, sic non sit prodiga, id est sicut dono omnipotentis Dei sub avaritiæ vitio occultando subtrahere non debet; sic nec sine justa
410 dispensatione nimis fenerando communem substantiam non debet diripere, sed omnia per discretionem temperando pensare. » Denique Petrus Damiani (*Opusc.* 13, *c.* 19) : « Cellerarius debet officium sibi commissum tanta dispensationis arte peragere, ut manum et aperiendo substringat, et stringendo discretus aperiat : quatenus in eo et parca sit largitas, et parcitas larga. Summopere cavendum est ne parcitatem tenacitas, largitatem effusio mentiatur; sæpe enim vitium virtutis se specie palliat; quantoque quasi bonum esse quod malum est cernitur, tanto difficilius emendatur. Bonus autem administrator sic dispensat necessaria corporum, ut saluti etiam consulat animarum, quia et parcendo sobrietatem nutrit, et largiendo murmurationis vitium ne oriatur obsistit. »

Humilitatem ante omnia habeat.] Cujus ut exemplum aliquod omnibus demonstraret, antiqua fuit ordinis nostri consuetudo, ut cum in capitulo hoc regulæ caput legeretur, cellerarius pronus coram omnibus veniam peteret de omnibus excessibus in commissa sibi obedientia perpetratis : « Lecta vero in capitulo et exposita prædicta sententia, inquit Lanfrancus (*In Stat. c.* 9), cum dictum fuerit a priore, loquamur de ordine nostro, statim prostratus in loco ubi mos est dicat : Istam obedientiam quæ mihi injuncta est, mea culpa negligenter et tepide, et multa aliter quam oportet tracto, et in ea in multis offendo Dominum et nostros seniores, mea culpa, et requiro inde absolutionem vestram et seniorum. Quo dicto absolvat eum qui capitulum tenet de his offensis quas ibi enumeravit, et de omnibus reliquis quæ in eo sunt, ad cujus absolutionis finem responso ab omnibus cum omni devotionis affectu, ut mos est, *amen*, vadat ad pedem ejus, et deinde jubeatur ire sessum, etc. » Idem sed in sequenti capitulo præstabant Cluniacenses, ut patet ex Udalrico : « In sequente rursus capitulo veniam petit, seque reum de multis negligentiis per occasionem obedientiæ confitetur. Absolvit eum prior, et imperat ut psalmum quinquagesimum cum collecta pro eo ad sanctam Mariam communiter ab omnibus cantetur. » Eodem fere modo loquuntur mss. Consuetudines S. Benigni Divionensis c. 38.

Et cui substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus.] Idem præscribit Regula Cujusdam ad virgines, cap. 4, et sanctus Dorotheus in doctrina 4, n. 46; et merito quidem, « quia sermo superbus et malus etiam bonos viros convertit ad malum, sermo vero humilis et bonus etiam malos mutat in melius, » ut dicebat abbas Macarius (*Apud Rufin. l.* III *de Vit. Pat., n.* 127). Debet ergo cellerarius mansuetus esse et lenis, ut libera sit omnibus ad eum accedendi facultas; multi enim maxime juniores sunt timidi, qui ad morosum et iracundum vix auderent accedere, ac proinde multam rerum necessariarum penuriam ferre cogerentur. Egregium hujusce lenitatis exemplum præbuit B. Raingardis (*Petrus Vener. lib.* II, *epist.* 17) : nam « cum sæpe paupertas charitatis ejus divitiis non responderet, tristabatur, dolebat; et quia satisfacere universis pro voto non poterat, magno tormentorum supplicio torquebatur :
411 et cum a non habente multa exigerentur, secundum Regulam patientiam servabat in corde, mansuetudinem referebat in sermone; nec inanis ab ea recedere poterat, quam mentis hilaritate ac verborum jucunditate replebat. In qua virtute ita præcelluit, ut sorores omnes ea defuncta attestarentur, nunquam per viginti fere annos, quibus inter eas conversata est, verbum aliquod durum ab ejus ore vel leviter se audisse. Sic semper hilaris, semper jucunda, non

A solum nihil nubilum præferebat; sed et si quas tristitiæ nebulas in perturbatis mentibus aliquando offendisset, sereno verborum lumine exturbabat. » *Vide* Vitam S. Antonini abbatis Surrentini n. 8, sæc. IV. Porro in Regula Cujusdam ad virgines præscribitur (*Cap.* 4), ut « quamvis quod petitur non sit unde tribuatur, nullatenus respondeat se non habere, sed dicat fideli voce : *Dominus dabit.* »

Sermo bonus super datum optimum.] Quod cum mala voluntate, aut cum tristitia, vel iracundia tribuitur.

Fratribus constitutam annonam.] Quid hic sit annona explicat Smaragdus his verbis : « Annonam dicit alimoniam ciborum, et omnem victum monachorum : hora enim nona veteres comedere solebant, et ideo a tempore ipso horæ nonæ, quo illi cibos sumebant, omnis victus hominis non incongrue nomen accepit annona; ab actu enim et tempore multa derivantur nomina. » Eodem fere modo loquuntur Hildemarus, Bernardus Cassin., Petrus Diaconus, citatus ab Augustino a Janua; Richardus et alii.

B *Sine aliquo typo et mora offerat.*] Typus, sive, ut legit Hildemarus, « typhus dicitur lanugo, id est herba viridis, aquæ quæ supernatat, quæ neque in radicibus, neque in crementis aliquid habet, sed tantummodo aspectum habere dignoscitur, vel ostenditur; » et quæ, ut ait Smaragdus, « se ab aqua inflat, unde etiam ambitiosorum et sibi placentium tumor typus vocatur. » Typus etiam, si vim nominis attendamus, idem est ac figura : « τύπος enim Græcus est sermo quem nos figuram dicimus, seu formam, » inquit Smaragdus. Et Hildemarus : « Interpretatur tumor vel figura. » Ex quibus Bernardus Cassinensis ita infert : « Considerari possunt tria, videlicet quod non debet cum tumore seu inflatione superbiæ; et quod non debet sub aliqua indecenti figura verborum; et quod moram noxiam, vel notabilem, vel scandalizantem in dando evitet. Hoc enim est sine typo et mora dare. » In Regula etiam
C SS. Pauli et Stephani statuitur, ut « hi quibus in singulis rebus custodia commissa est, convenienti devotione et charissima humilitate quæ necessaria sunt sine mora et fastidio jubente seniore ministrent; nec per superbam inflationem differendo occasiones faciant querelarum, per quas murmuratio contra eorum laborem, qui nobis in assignatis rebus charitate deserviunt, non debet excitari. » Typi etiam dicuntur febres frigidæ; eoque forte respexit versio Gallica quæ Constitutionibus sanctimonialium Vallis Gratiæ præmittitur, hunc locum ita reddens, *sans agir avec froideur chagrine et* 412 *dédaigneuse*; Guido Juvenalis vertit, *sans fascherie*; altera versio, *sans chagrin*; alia vero, *sans arrogance*. Non desunt etiam qui typum hic pro excusatione interpretantur; alii qui typum et moram idem esse existimant.

Memor divini eloquii, quid mereatur, qui scandalizaverit unum de pusillis.] Nimirum expedit ei ut suspendatur in collo ejus mola asinaria, et demergatur in
D profundum maris. Terribile prorsus judicium! quamvis haud minus terrere debeat quod respondet sanctus Basilius (*Regul. brev.*) ad interrogationem « Quid si ex negligentia res necessarias fratri non tribuerit? » Scilicet « Perspicuum est hoc judicium ex verbis Domini cum dixit : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus : esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum*, et quæ sequuntur, et quoniam maledictus qui facit opus Dei negligenter. »

Si congregatio major fuerit, solatia ei dentur.] Ita etiam Regula Tarnatensis : *Ubi utilitas poposcerit, solatium non denegetur.* Solatium hic vocat adjutores fratres, unum aut plures, a quibus nonnihil levaminis accipiat cellerarius. Hic in statutis S. Adalardi l. II, c. 3, cellerarius junior appellatur. Apud Cluniacenses cellerarius tres quatuorve habebat suffraganeos, ut patet ex Udalrico : « Hi sunt quos cellerarius suf-

fraganeos habet. Primus, qui per omnia vices agit ejus absentis, et de omnibus respondet, de quibus solet et ipse respondere. Secundus est qui annonam recipit quem et granatarium vocamus. › Et cap. sequenti: ‹ Tertius e t suffraganeus ejusdem cellerarii, qui vinum recipit et custodit. › Et sequenti capite: ‹ Et hortulanus debet cellerario esse subjectus. › Eodem fere modo loquuntur mss. Consuetudines S. Benigni Divionensis (*Cap.* 38), scilicet: ‹ Hi autem sunt quos habet suffraganeos: granetarius, custos panis et vini, et hortulanus. Est quoque primus horum quidam frater, qui ad solatium ei datus est, et per omnia vicem agit ipsius absentis; et de omnibus respondet, de quibus et ipse solet respondere. Frater etiam, qui pisces comparat, sub eo est. Hic potest post vesperas de monasterio exire, et ad obedientiam illam ire, quæ huic negotio deputata est. Hi omnes nequaquam debent obsistere præcepto et voluntati cellerarii, nisi tale quid præcipiat, quod sit damnum ecclesiæ. › Horum omnium officia descripta habes tum in prædictis Consuetudinibus, tum apud Udalricum.

Horis competentibus, etc.] Horæ competentes Smaragdo sunt ‹ horæ convenientes, et congruentes, quando utrumque licet utrisque, id est, et petenti petere, et dare donanti. Nam quando vel lectioni, vel orationi debent vacare, silentiumque tenere (inquit) nisi causa necessitatis nec petere uni, nec donare licebit alteri. › Simili fere modo Bernardus Cassinensis horas competentes vocat, ‹ quando fratres non sunt in aliis valde necessariis occupati; non enim sunt **413** horæ competentes ad petenda necessaria de nocte; vel quando fratres psalmodiæ vel lectioni vacant; unde illis horis, nisi necessitas urgeat, non debet cellerarius aut alii officiales inquietari. › Addit que: ‹ Dicunt antiqui Patres nostri quod cellerarius debet habere certam sedem, et ibi debent eum invenire subofficiales sui, ut non quæratur per monasterium. › Ubi respicere videtur ad illa verba Hildemari: ‹ Ferunt quia apud antiquos mos fuerit, quia cellerarius in cathedra in loco suo noto sedebat, et habebat discipulos, quos dirigebat ad singulis aliquid dandum. Ideo e im in uno loco sedebat, ut omnes qui necesse habebant aliquid ab illo petere, semper præsentem invenirent. › Apud Cluniacenses illæ dicebantur competentes horæ quibus animi relaxandi gratia mutuis sese colloquiis fratres recreare debebant. Ita discimus ex Udalrico, cujus hæc verba (*Lib.* III, *c.* 11): ‹ Quoties loquuntur in claustro, camerarius, vel ejus junior, qui clavem cameræ portat, nunquam debet deesse; tunc enim auditurus est a singulis quid ille, aut ille opus habeat; et nec ad ipsos pueros venire negligit, ut ab eis si quid sit quo indigeant, sciscitetur. Ergo ea vice dat quidquid est dandum, ne si fratres, qui ab eo ad aliam horam, qua silentium est, quæsierint, silentium tenere non possint. › Et alibi agens de his quæ non licet facere nisi ad horam loquendi, ita habet (*Lib.* II, *c.* 20): ‹ Si quid opus habet a camerario quærere, tunc maxime quærit. › Idem præscribunt Divionenses S. Benigni Consuetudines c. 43. Quod nec obscure insinuant Hildemarus et præcitati Smaragdus et Bernardus Cassinensis, cum horas competentes esse asserunt, quando silentium tenere fratres non debent, sive legere, aut orationi vacare; item sit judicium de tempore laboris, et comestionis, quo strictum fratribus silentium indictum est.

Dentur quæ danda sunt, et petantur quæ petenda sunt.] Hic tacite omnia superflua ac statui monastico contraria S. P. Benedictus resecat, cellerarium astringens ad solas res necessarias distribuendas; *dentur quæ danda sunt*; et fratres ad petenda *quæ petenda sunt*, et non alia.

Ut nemo perturbetur neque contristetur in domo Dei.] Hoc est in monasterio; ‹ Vere enim monasterium domus Dei est, inquit Richardus de Sancto Angelo, quia ibi semper oratur. › Addit Nicolaus de Fractura: ‹ In quo Deo servimus. › Vel etiam, ‹ domus Dei bonorum monachorum sanctissima corda, et eorum sunt purissima habitacula, in quibus mundissimum Domino suo præbent habitaculum, › ut loquitur Smaragdus.

CAPUT XXXII.

De ferramentis vel rebus monasterii.

414 [a] Substantiæ monasterii in ferramentis vel vestibus, seu quibuslibet rebus provideat [b] abbas fratres de quorum vita et moribus securus sit [c]; et eis singula, ut utile judicaverit, consignet custodienda [d] atque recolligenda. Ex quibus abbas brevem [e] teneat: ut dum sibi in ipsa assignata fratres vicissim [f] succedunt, sciat quid dat aut quid recipit. Si quis autem sordide aut negligenter res monasterii tractaverit, corripiatur; si non emendaverit, disciplinæ regulari subjaceat.

[a] Oxon., Conc., Flor., Cass., *Substantia.*
[b] Oxon. et Lyc., *prævideat.*
[c] Hild. deest, *sit.*
[d] Oxon., *Constituenda.*
[e] Al., *breve.*
[f] Oxon., Cass., Conc., Conch. Hadr., *vicibus.*

COMMENTARIUS.

Substantiæ monasterii.] Quid substantiæ nomine hic intelligatur, explicat Bernardus Cassinensis his verbis: ‹ Substantia pro rebus illis quibus vivimus et subsistimus, vel quæ ad nostram substantiam sunt cooperativa intelligitur. › Quod quasi exponens Richardus de Sancto Angelo ait: ‹ Puta granum, milenum, hordeum, et similia. › Rectius tamen meo judicio Boherius in secundo comm. substantiam hic interpretatur pro rebus mobilibus monasterii; quod et in consequentibus fatetur ipse Bernardus; indicatque haud obscure sanctus P. Benedictus cum subjicit:

In ferramentis.] ‹ Videlicet utilibus ad laborandum, › inquit Richardus de S. Angelo. Ubi ferramentorum nomine omnia intelligit instrumenta quibus inter laborandum fratres utuntur, ‹ sive sint ex ferro, sive ex ære, sive etiam sint vasa de lignis, › ait Bernardus Cassinensis. Et Hildemarus: ‹ Ferramenta attinent ad sappam, ad securem, seu dolatoria, et reliqua his similia. ›

Vel vestibus.] Hunc locum non ita recte videtur intellexisse Hildemarus, cum dicit: ‹ Vestes attinent ad vestimenta illa quæ debent in operam habere, quando operantur aliquid quod eis a priore injunctum fuerit; › nam S. Benedictus hic loquitur de quibuslibet rebus.

Seu quibuslibet rebus.] « Ut privilegiis et aliis munimentis. **415**, vasis argenteis, libris, ornamentis ecclesiasticis, bladis, vinis et aliis pretiosis, quæ non debent extra monasteria poni, » inquit Boherius. Recte.

Provideat abbas fratres de quorum vita et moribus securus sit.] Quos magister vult « fide divina constringi, ut timore vel testimonio Dei fideliter possint commissa implere; » et quorum ex Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 17) « et sollicitudo animi vigeat, et conscientiæ firmitas sit probata. » Et certe quod de his, postquam egit de cellerario S. Pater immediate pertractat, haud obscure insinuat (*Cap.* 13), « quia iisdem omnino qualitatibus eos esse constitutos convenit, quibus ille, ut loquitur Gerardus Belga monachus, hoc est, ut sint sapientes, maturis moribus, etc. »

Et eis singula ut ut te judicaverit.] Utile, inquam, *monasterio quidem, non sibi*, inquit Boherius; et hoc, « habito scilicet consilio cum omnibus fratribus, vel saltem cum senioribus; » uti id m explicat juxta sui temporis morem.

Consignet custodienda atque recolligenda.] Finito scilicet labore manuum. Vult igitur sanctus Benedictus hoc capite primo unum ab abbate institui custodem instrumentorum; idque juxta priscorum monachorum consuetudinem, quam videre est in Regula sancti Pachomii (*Art.* 66 *in cod. Regul.*), quæ id munus ei qui post præpositum secundus est, committit. « Cum ad domos suas pervenerunt, ferramenta, quibus opus fecerant, et gallicas tradent ei, qui secundus est post præpositum domus; et ille inferet ea vespere in cellulam separatam, ibique concludet. » In Regula SS. Pauli et Stephani (*Cap.* 35) : « Euntes in qualecunque opus, ferramenta necessaria is qui inter ipsos vadit prior, a custode ferramentorum mane annumerata suscipiat, et uni de minoribus ex his qui cum eo ituri sunt, quem ad hoc idoneum viderit, custodienda assignet. Quo opere completo, ab ipso sollicite ipse recipiat; et custodi contradat ut nihil depereat oblivione solita, et negligentia plurimorum. » In Regula sancti Isidori (*Cap.* 19) : « Instrumentorum custodia et ferramentorum ad unum, quem Pater monachorum elegerit, pertinebit; qui ea operantibus di tribuat, receptaque custodiat. » In Regula sancti Ferreoli (*Cap.* 7) : « Ferramenta vel utensilia quælibet artificum sub uno recondenda sunt conclavi, et custodia unius fratris industrii et providi; quique segregatim illa idoneo collocans loco, prout res expetit, poscentibus ad operandum fratribus tribuet, atque ad vesperum suis ea colligens locis, curam habebit, ne quid de his aut pereat, aut per negligentiam æruginet, vel qualibet occasione vilescat. » Denique in Regula Magistri (*Cap.* 17) : « Ferramenta monasterii in uno contineantur cubiculo, et uni fratri cujus diligentiam abbas agnoverit, eorum conservandorum curam committat; qui quotidie fratribus ad facienda opera consignet ad numerum; et a disjungentibus similiter munda ipse recipiat et reponat. » Sanctus vero Basilius (*Regul. fus. cap.* 41) de cura ferramentorum sive utensilium ita decernit : « Cura instrumentorum, utensilium præcipue **416** quidem uniuscujusque operis artificem concernit, ut arti suæ deputata custodiat. Si vero contigerit aliquando ut aliquid illorum negligatur, tanquam commune omnium bonum ab iis competenter colligatur, quorum primum conspectui objectum fuerit : licet enim illorum usus sit separatus, et quibusdam peculiariter deputatus, utilitas tamen ipsorum communis est : nam si quisquam tanquam ad se nihil pertinentia aliarum artium instrumenta contempserit, animi alienati notam habebit. Neque tamen convenit artifices instrumentorum suorum dominium sibi ipsis vindicare; ita ut nolint ipsorum usum præposito fratrum ad quamcunque rem ille velit permittere; vel sibi ipsis id potestatis usurpare, ut illa vel vendant, vel commutent, aut alio quocunque modo abjiciant, vel alia ad ea quæ habent acquirant. »

A Deinde vult S. Benedictus alterum ab abbate constitui fratrem qui curam gerat vestimentorum : cujus exemplo sanctus Fructuosus hæc statuit (*Cap.* 4) : « Quidquid in veste vel cultu est monachorum, non peculiariter apud unumquemque habendum, sed sub manu unius fratris spiritualis in una cella recondendum est; quique, cum necessitas poposcerit, petenti cuique congrua staturæ mutatoria tribuat. » Hic apud nostros dictus est camerarius, cujus officium ex antiquis Farfensis monasterii Consuetudinibus mss. accipe:

« Ipse camerarius debet procurare cum alio fratre omnium vestimenta fratrum, emere, atque invenire, et distribuere ad unumquemque prout condecet, et in loco est constitutum : videlicet ut omnibus fratribus det per singulos duas staminias, simili er femoralia, duas tunicas, et duas cucullas cum latis manicis, duas pelliculas cum strictis manicis, et tertiam cum largis; caligas distribuat nocturnas et diurnales, pedules ad arcendum frigus. Duo paria B dentur ex nocte, et duo ex die, et ad unumquemque vagina cum cultello, præter scriptores, qui duo habeant, et corrigia ad cingendum. Tabulæ, acus, pecten, cum indumento, capellum in capite, qui alio nomine capitium vocatur. In lectulo ad unumquemque deputetur læna cum pellicula investita, sagum laneum, capitale. Vestimenta sive calciamenta dum rumpitur, seu suitur *, unusquisque frater lavet imprimis; deinde ante ostium auditorii deferat, et camerarius accipiat, et deportet ad sartores, ut emendent. De fratribus nullus debet pergere ad ipsos, nec aliquam emendationem facere de vestimentis secundum suum libitum, nisi quæ consueta fuerit monasterii, et camerarius ordinaverit : qui aliud fecerit, districte dijudicetur ab omnibus fratribus, ut cæteri metuant; nam et ipse frater semper sollicitus sit, ut cuicumque viderit vestimentum, et ex fratribus quod aliquam reprehensionem habeat, ut emendetur vel auferatur; quia ad ipsum respicit, si neglexerit. Lecta cum priore frequenter provideat, ne alicui aliquid C veniat. Paleas vel fenum ipse cum sartoribus habere faciat octo dies ante festum Principis apostolorum in singulos lectos. Linteamina opportuna manibus sive pedibus ipse provideat : similiter mantilles r fectorii. Videat ut semper **417** præcepta abbatis custodiat : similiter faciat prioris, vel decani, seu illius qui ordinem tenuerit, quando abbas ab eis fuerit : et nulla habeat sub sua cura absconsa tam ille quam secretarii vel cellerarii, quæ non sint præcognita priori vel decano. Similiter de omnibus obedientiis, quia si ad judicium venerit, et aliquid inventum fuerit ab aliquibus ex ipsis fratribus, ipsi proprium deputabitur, et in pœna mergitur, sicut ex monasterio beati Gregorii papæ contigit de Justo monacho, et e multis aliis cœnobiis jam experti sumus. In coquina regulari, sive familiare, omnia utensilia, sive caccavi præparentur ab ipso, præter bancos et scutellas, quæ dentur a cellerario et præposito. » Ejusdem etiam officium descriptum habes in mss. Consuetudinibus Sancti Benigni c. 43; in Statutis Lanfranci c. 7, et D apud Udalricum l. III, c. 11. Ex quo etiam discimus ad eum quoque pertinuisse monasterii pecunias servare : id quod confirmat Hildemarus; cum explicans illud sancti Benedicti, *Ne dissimulans aut parvipendens salutem animarum*, hæc scribit (*Comm. in Regul. S. B. cap.* 2) : « Abbas habet vestiarium plenum divitiis, et videt fratrem necessitatem habentem : iste talis timens ne suum vestiarium minoretur, non succurrit fratri patienti necessitatem, aut cellas infirmorum non restaurat propter avaritiam; hic talis manifestat se plus studere rebus terrenis quam de salute fratris. » Et Joannes Diaconus in lib. I de Vita sancti Gregorii papæ, c. 10, ubi referens insignem in naufragum pauperem sancti Patris charitatem, hæc habet (*Sæc.* I *Bened.*) : « Cui liberalissimus Pater, accersito *vestiario*, alia sex numismata dari præcipiens, cognovit in *vestiario* nihil numismatum unde posset

* Sensus et syntaxis exigunt ut legatur, *rumpuntur*, et, *dissuuntur*. EDIT.

consolari naufragum remansisse. » Idem videre est in Regula sancti Isidori c. 19.

Præter ferramentorum vestiumque custodes, alteri etiam committebatur cura conservandorum diplomatum, privilegiorum, chartarumque monasterii; qui omnia debito in ordine disposita, tutissimo in loco inclusa servabat; apud Floriacenses quidem in *turricula*, ex Tortarii lib. de Mirac. S. Benedicti, c. 27; in Croylandensi monasterio in chartaria *arcu lapideo per totum contecta* ex Ingulfi historia Croylandensi (*Ad ann.* 1091): quorum exemplaria pluribus in locis aliquando deponebant, ut videre est in Chronici Ramesiensis parte secunda, cap. 7. In typico seu Regula Irenes Augustæ cap. 19, hæc cura committitur vasorum sacrorum custodi.

Alteri insuper libri custodiendi dabantur. Huic obedientiæ custodem sacrarii sanctus Isidorus deputat (*In Reg. c.* 9), præscribens, ut « omnes codices custos sacrarii habeat deputatos, a quo singulos singuli fratres accipient, quos prudenter lectos vel habitos semper post vesperam reddent. » Apud nostros hoc officium præcentori demandari solebat, quem propterea armarium, ab armario in quo libri recondebantur, appellabant. Illud in Fuldensi monasterio olim exercuit Gerhohus presbyter ex Rabani carmine 16, in Tolosano B. Mariæ S. Geraldus postea episcopus Bracarensis (*Misc. Baluz. tom.* III), qui « quia divinæ Scripturæ pabulo refici magnopere exoptabat, armarii, in quo libri divini reponebantur, custos factus **418** est, in cujus officii obedientia annis multis perduravit, » inquit Bernaldus in ejus Vita n. 1. Sed ex Regula Magistri cap. 17, custos ferramentorum et libros et diplomata sub sua cura habebat.

Quod de sancto Geraldo scribit Bernardus eum in armarii obedientia *annis multis* perdurasse, non sic capiendum est, quasi ad vitam officia monachis essent commissa, cum potius singulis annis renovata fuisse constans sit traditio, quam colligere licet ex sancto Hieronymo de Tabennensibus referente (*Præf. in Reg. sancti Pach.*, *n.* 8), quod singulis annis mense cui vocabulum est mesore, id est Augusto, « disponuntur monasteriorum capita, dispensatores, præpositi, ministri, prout necessitas postulaverit; » ex Leone Ostiensi docente morem fuisse apud Cassinenses (*Chron. Cass. l.* I, *c.* 31) ut pridie calendas Septembris omnium in circuitu monachorum conventus fieret, in quo « sequenti die ordinabantur et describebantur, atque destinabantur in obedientias per singulas prout opportunum erat provincias; » ex Vita sancti Joannis Gorziensis (*Num.* 73, *sæc.* V *Bened.*), quem Einoldus abbas *diversis exercere mutationibus* non destitit; cujus etiam diversa officia describit Joannes abbas Mettensis his verbis: « Jussus præpositus, paret (continuo.) Præpositura deposita, decanus esto; jugum quietus admittit. Eo abiens cellarium cura, manum illico profert. Alio ibi succedente, vestes fratrum serva; nihilo plus reluctatur. Sic hospitibus, sic, si ita contigit, infirmis, sic quibusque aliis imperatis summa cum alacritate moræ nescius ministravit; » ex Vita sancti Guidonis abbatis Pomposiani (*Boll.* 31 *Mart.*), quem Guillelmus abbas « per omnia officia monasterii, per series temporum constituit, » uti scribit anonymus in secunda illius Vita n. 5 (*Spicil. tom.* VI); ex Fulcuino de gestis abbatum Laubiensium cap. 19, ubi obedientiarum commutationem annuam aliquid *regulare* esse asserit; ex Ekkehardo in lib. de Casibus sancti Galli cap. 15, ubi hæc scribit: « Quot annis more Romano officia apud nos mutari solent. » Denique ex Hildemaro, qui fratres in inferioribus ministeriis sibi per vices succedere debere asserit. Poterant tamen, si ita probasset abbas, plures per annos in eodem officio continuari, præsertim cellerarii, decani, et præpositi, ut docet idem Hildemarus, decerniturque in Statutis reformatoriis monachorum Benedictinorum provinciæ Narbonensis a Gregorio IX approbatis, cap. 1, his verbis (*Spicil. t.* VI): « Et renuntient absolute,

A omni excusatione, dilatione ac contradictione remotis, etiam non requisiti (scilicet singulis annis post redditam suæ administrationis rationem) in manu abbatis administrationibus suis, nihil penes se vel alium penitus retinentes. Abbates tamen eos restituant, quos invenerint fideliter ministrasse, ut sic servetur et devota humilitas in subjectis, et utilis providentia in prælatis. »

Porro isthæc officialium institutio ab antiquis monachis in oratorio celebrata fuisse videtur: nam et claves obedientiæ suæ desuper altare accipiebant, quemadmodum præscribit sanctus Aurelianus in Regula ad monachos, in cujus cap. 21 sic lego: « Quibus claves de cellario, cannava, horreo, posticio, et oratorio tradenda sunt, probatæ **419** sint personæ, et desuper altari vel Evangelio vas accipient, scientes se reddituros Deo rationem de ministerio sibi credito; » quæ verba desumpsisse videtur ex Regula sancti Cæsarii ad virg., cap. 30, ubi hæc leguntur: B « Quæ cellario, sive cannavæ, sive vestibus, vel codicibus, aut postitio, vel lanipendio præponuntur, super Evangelium claves accipiant, et sine murmuratione serviant reliquis. » Eadem verba suæ item ad virgines Regulæ cap. 62 inseruit sanctus Donatus. His accedit Typicum seu Regula Irenes Augustæ pro sanctimonialibus; quæ ritum instituendi officiales describens, ita habet: « Quoties opus fuerit quamdam institui ad quodlibet officium, claves quidem ante sacrum adytum ponentur, et una cum illis verba ejusdem officii ex præsenti imperii mei typico transsumpta. Trisagio autem dicto, accedet quæ ad illud officium designata est; et facta triplici genuflectione, acceptisque clavibus, caput postea præfectæ inclinabit, prius procedens ad pedes ejusdem, et postea surgens. Illa vero eam instituet hæc verba dicens: *Immaculata et gratia plena Deipara designat te ad officium illud.* In quibus vero officiis claves non sunt, ad institutionem sufficient eadem institutionis verba a præfecta prolata, et acceptio descriptorum de sin- C gulis officiis statutorum ex loco, qui ante sanctum adytum situs est, ut dictum est. Oportet autem, ut unaquæque officialium specialia statuta commissi sibi officii e loco ante sanctum adytum sito accipiat; ut consideret, et unde officium desumat, et cui polliceatur se illud administraturam. »

Istas autem obedientiæ suæ claves ad zonam appensas deferre solebant, ut colligimus ex Vita S. Maximini abbatis Micacensis n. 25 (*Sæc.* I *Ben.*, *p.* 587): « Cum ergo, ut jam præfatum est, sanctus vir *a cingulo solutis clavibus* januas aperuisset, etc. » Sed de his satis: ad Regulæ textum revertor.

Ex quibus abbas breve teneat.] Breve hoc loco « appellatur scriptura memorialis, quam debet abbas habere in chartulario suo, » inquit Bernardus Cassinensis. Hujusce vocis apud veteres variæ fuerunt acceptiones, de quibus audiendus est Baronius: « Ea vox, ait (*Ad ann.* 142, *n.* 10), penes antiquos diversæ reperitur esse significationis: nam apud Opta- D tum Milevitanum brevis dicitur charta illa in qua conscripta essent bona ecclesiastica, quam nos usitatius dicere solemus inventarium: alio nomine idem Optatus vocat commemoratorium. Eamdem vocem in eumdem sensum usurpat sanctus Augustinus contra Cresconium, et Gregorius papa. Sed et Cassiodorus pro regiis jussionibus; nam Theodoricus ad Gemellum scribens, ait: Admonitio nostra non deerit, ut instructior reddaris dum infrascriptis brevibus definita susceperit. Verum apud Lampridium eadem vox pro matricula, seu catalogo, in quo nomina scriberentur, accipitur, sicut et in codice Justinianeo et citatis aliis locis superius. » Hactenus Baronius. Breves etiam, seu brevia dicuntur Romanorum pontificum litteræ, apostolica auctoritate datæ. Præterea in monasteriis brevis dicebatur charta in qua altaris ministri aliique officiales chori notabantur; quo sensu sumitur in cap. 3 **420** Monachorum ad Augiam directorum, « ut sint equidem quotidie sex

per *brevem* deputati fratres sacram offerentes oblationem, etc. » Denique brevis dicebatur schedula illa quam ad annuntiandum fratrum defunctorum obitum ad diversa mittebant monasteria, atque ita passim accipitur apud Udalricum, et in antiquis ordinariis ritualibusque mss. Sed hoc loco brevis, sive, ut loquitur S. Benedictus, breve significat chartam bonorum monasterii memorialem, de qua hæc declarant Cassinenses (*Decl. Cass. in cap.* 32) : « Quilibet officialis intra mensem a die publicationis suæ faciat inventarium de rebus monasterii, quæ pertinent ad suum officium. Et prælatus habeat apud se inventarium universale omnium rerum tam mobilium quam immobilium monasterii, ne perdantur; quod etiam visitatoribus exhibeatur. » Et Benedictus papa XII, in sua pro monachis Benedictinis constitutione præscribit (*Cap.* 13), ut ab omnibus superioribus fiant inventoria et registra « in quibus scribatur quot monachi in quolibet loco ipsarum administrationum juxta ipsius loci facultates possint et debeant commorari ; et in quo statu quilibet recipit ecclesiam, monasterium, prioratum, seu administrationem, et inter alia quæ exstent, vel deficiant animalia, et qualia, quanta blada, vina, et cætera victualia, et moneta, vasella aurea, vel argentea; et quæ, et quot, et quibus ecclesia, monasterium, prioratus administratio, seu locus hujusmodi debent; et quæ, et quot, et a quibus debentur eisdem, et sub quibus obligationibus debent, et debetur eisdem; et quæ, et quot, alia bona mobilia, vel vasa sive ornamenta, vel supellectilia et similia initii fuerint. »

Ut dum sibi in ipsa assignata fratres vicissim succedunt.] A Hæc verba confirmant annuam, quam supra diximus, obedientiarum mutationem, quæ etiam amplius patet ex cap. 53, quo præscribitur, ut ad hospitum coquinam *ad annum ingrediantur duo fratres*. Ex Bernardo tamen Cassinensi « Cellerarius, seu decani, aut præpositi non succedunt per vices. » Ita ille, habita ratione ad usum sui temporis.

Si quis autem sordide aut negligenter res monasterii tractaverit, corripiatur; si non emendaverit, disciplinæ regulari subjaceat.] Hoc est, ducatur per sex gradus, de quibus supra, ex Hildemaro in cap. 3, ex Bernardo Cass. et Nicolao de Fractura hic. In Regula vero Orientali decernitur (*Cap.* 13), ut « in qualicunque omnino arte, quæ exercetur a fratribus, si quid perierit, et per negligentiam fuerit dissipatum, increpetur a Patre minister operum ; et ipse iterum increpet alium, qui opus perdiderit, duntaxat juxta voluntatem et præscientiam principis, absque quo nullus increpandi fratrem habebit potestatem. » B In Regula S. Cæsarii ad virgines : « Si quæ vero vestimenta, calceamenta, utensilia negligenter expendenda vel custodienda putarint, tanquam interversores rerum monasterialium severius corrigantur. » Denique in Regula Magistri : « Qui vero frater non mundum ferramentum a terra de agro revocaverit, accusatus **421** ad mensam a custode ferramentorum, pœnæ nomine in refectione in portionem panis sui unam quadram minus accipiat usque ad satisfactionem vel emendationem promissam ; quia exinde æruginat ferramentum, cum mundum non fuerit positum. »

CAPUT XXXIII.

Si quid debeant monachi proprium habere.

Præcipue hoc vitium peculiare radicitus amputandum est de monasterio, ne quis præsumat aliquid dare aut accipere sine jussione abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino [a] : quippe quibus nec corpora [b] sua, nec voluntates licet habere in propria potestate [c]. Omnia vero necessaria a Patre monasterii sperare ; nec C quidquam liceat habere quod abbas non dederit aut permiserit.

Omniaque omnibus sint communia, ut scriptum est : nec quisquam suum aliquid dicat aut præsumat (*Act.* IV). Quod si quisquam huic nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admonitus semel et iterum, si non emendaverit, correptioni subjaceat.

[a] Oxon. deest *omnino*.
[b] Hild., *propria corpora*.
[c] Oxon., Hild., Ebrul., Faron., Vict. uterque, *voluntate*.

COMMENTARIUS.

Cum ea sit pecuniæ aliarumque rerum temporalium natura, ut picis ad instar vix tangi possint quin hæreant manibus, apposite omnino sanctus Benedictus postquam de cellerario aliisque substantiæ monasterii administris egit, ne forte prætextu administrationis commissæque sibi obedientiæ aliquid sibi proprium vindicare præsumerent, de amputanda a monachis proprietate consequenter tractat : quam hoc capite primum a corde, deinde ab opere, tandem ab ore eliminare conatur. Sibi enim in titulo quasi proponens, *si quid debeant monachi proprium habere?* respondet :

Præcipue hoc vitium radicitus amputetur de monasterio.] Radicitus, id est a corde, quod est fons, radix, et **422** origo omnis mali omnisque cupiditatis; « ut nec in intentione, nec in voluntate remaneat aliquid de proprietate, per quod possit ad actum aliquem pullulare, » inquit Bernardus Cassin. Et recte omnino : nam, ut ait Cassianus, « non solum pecuniarum est cavenda possessio, verum etiam voluntas ipsa ab D animo penitus extrudenda : non enim tam effectus philargyriæ vitandus est, quam affectus ipsius radicitus amputandus est; nihil enim proderit pecunias non habere, si voluntas in nobis fuerit possidendi. » Verum non solum voluntas desideriumque habendi, sed etiam vel minimus, in his quæ nobis ad usum conceduntur, affectus resecandus est. Quis enim non irrideat monachos post amplas sæculi divitias abjectas næniis detineri, tantoque his affectu inhærere, quanto, si non majori, avarus thesauris? Et tamen id jam de nonnullis ævi sui monachis deplorabat Cassianus his verbis (*Collat.* 1, *c.* 6) : « Nonnullos mundi hujus maximas facultates, et non solum multa auri atque argenti talenta, verum etiam prædiorum magnificentiam contemnentes, post hæc vidimus pro scapello, pro graphio, pro acu, pro calamo commoveri..... Nam et plerumque nonnulli tanto zelo codicem servant, ut eum ne leviter quidem vel contingi ab aliquo patiantur, et inde occasiones impatientiæ ac mortis incurrunt : unde monentur stipendia cha-

litatis ac patientiæ acquirere; cumque omnes divitias suas pro Christi amore dispersérint, pristinum tamen affectum in rebus minimis retentantes et pro ipsis nonnunquam mobiliter irascentes, veluti qui non habet apostolicam charitatem ex omnibus infructuosi sterilesque inveniuntur. »

Ne quis præsumat aliquid dare aut accipere sine jussione abbatis, neque aliquid habere proprium.] Tria hic prohibet S. legislator. Primum aliquid sine jussione abbatis cuiquam *dare :* id quod, ne falsa pietas deciperet, etiam erga pauperes intelligendum esse docet illud S. Isidori (*Cap.* 5) : « Non est præsumendum sine conscientia abbatis egenis vel quibuslibet conferre de eo quod regulari dispensatione noscitur monachus possidere. » Imo nec de his quæ ab abbate pauperibus eroganda constituta sunt, ex Regula S. Basilii (*Regul. brev., interrog.* 87) : « Dare aut accipere etiam secundum mandatum non est cujuslibet, sed illius cui commissum est cum approbatione munus dispensandi. Proinde hic erit qui sive vetus, sive novum (vestimentum) habita ratione temporis cujusque dabit et accipiet. » Et alibi interrogatus (*Interrog.* 100) « venientes ad ostium, et petentes quomodo dimittemus, et si debet unusquisque porrigere panem, vel quodcunque aliud, aut oportet ad eum qui præest pertinere, » respondet : « Is cui dispensatio credita est cum consideratione debet hoc facere. Si quis autem præter illius voluntatem facere hoc præsumit, tanquam inquietus et indisciplinatus confundatur, usquequo discat loci sui ordinem custodire, secundum quod Apostolus dixit : unusquisque in quo vocatus est in eo permaneat. »

Porro hoc nomine S. Pater vetat non solum quidquam dare; sed **423** et permutare, aut mutuo commodare; idque juxta priscorum monachorum disciplinam, quam videre est in Regula S. Pachomii : « Mutare de his quæ a præposito acceperit cum altero nemo audebit, nec accipiet melius, et dabit deterius aut econtrario dans melius, deterius accipiet. » In Pœnis incerti auctoris apud S. Basilium (*Art.* 58. *Idem habetur in Reg. Orient c.* 9) : « Si quis permutet aliquid cum aliquo, aut quid largiatur præter voluntatem archimandritæ, careat benedictione. « In Regula Tarnatensi : « Nihil de his quæ perceperit ei sit licitum commutare, nec pro abjectiore viliora, nec pro commodo meliora; sed qualiacunque fuerint attributa, cum gratiarum actione suo tantum usui vindicabit. » In Regula S. Isidori : « Cum alio quoque fratre quippiam commutare, nisi abbas vel præpositus jusserit, nulli licebit. » Et in Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 17) : « Ea quæ sibi fuerint ab abbatissa commendata, id est necessitatem præsentem, aut in vestimento, aut in qualibet re, nihil exinde aut dare aut commodare cuiquam præsumat, nisi tantum ab abbatissa illi fuerit ordinatum. » In rebus tamen minoris momenti possunt fratres sibi invicem commodare, verbi gratia, acum, cultellum, tabulas, etc. hujusmodi, quemadmodum docet Hildemarus.

Secundo, prohibet S. Pater quidquam *accipere* sine jussione abbatis. Ita etiam S. Pachomius : « Nemo ab altero accipiet quidquam nisi præpositus jusserit. » Regula Orientalis (*Art.* 58) : « Sine seniorum verbo et auctoritate, nullus fratrum quidquam agat, neque accipiat aliquid, neque det. » Pœnæ incerti auctoris apud S. Basilium (*Cap.* 31; *idem habetur in* 2 *Regula SS. Patr. c.* 1) : « Si quis foras dederit aliquid, aut acceperit præter voluntatem archimandritæ, excommunicetur. » Et S. Fructuosus : « Munus quodlibet, sive epistolas nemo monachus accipiat. »

Hoc etiam nomine S. Benedictus vetat quidquam ab alio mutuare sine prælati licentia : id quod similiter prohibet Regula SS. Pauli et Stephani his verbis (*Cap.* 27) : « Nec inter se fratribus liceat, ut id quod de communi quisquam acceperit, nisi permissu prioris, cum alio fratre quasi peculiari amore mutuare, ne hac occasione nascatur amor illicitus. »

Tertio, S. Benedictus prohibet ne quisquam aliquid habeat possideatque proprium : quod certe adeo monasticæ professioni est annexum, ut sine proprietatis abjectione monachus esse non possit, uti sentiebat olim sanctus Fulgentius. Nam « dicebat frequenter, nec debere, nec posse monachum judicari, cui voluntas habere privatum peculium persuaserit. » Et S. Isaac apud sanctum Gregorium (*Lib.* III *Dial., c.* 14) : « Monachus qui in terra possessionem quærit, monachus non est. » Eadem mente S. Basilius, ad Senatorem quemdam, qui sæculo renuntians aliquid sibi de propriis facultatibus retinuerat, dixit : *Et Senatorem perdidisti, et monachum non fecisti* (*Apud Cass. l.* VII, *c.* 19). Et revera quotquot exstiterunt aliquando veri monasticæ vitæ cultores, quotquot Regularum conditores de abdicanda proculque amandanda proprietate leges aut sanxerunt, aut servaverunt. Præclarum hanc in rem exemplum habemus in discipulis sancti Gerasimi abbatis, qui, ut scribit Cyrillus in Vita sancti Euthymii, « nihil **424** possidere tantæ eis erat curæ, quantæ nihil aliud..... erantque adeo remoti ab omni sollicitudine, et a negotiis humanis ita disjuncti, ut nihil haberent præter ea quibus induebantur, adeo ut non esset secundus amictus..... Hæc autem lex est optime tradita a Gerasimo (*Tom.* II *Monum. eccles. Græc.*), ut exeuntes cellas dimitterent apertas, ut liceret ei qui vellet ingredi, et quod vellet accipere ex illis vilibus, et ad usum necessariis, nemine prohibente. » Et in discipulis sancti Martini, de quibus Severus Sulpicius (*In ejus Vit. c.* 7) : « Nemo, inquit, ibi quidquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur, non emere, aut vendere, ut plerisque monachis moris est, cuiquam licebat. » Denique in Tabennensibus monachis, de quibus in Vita sancti Pachomii, n. 38 (*Apud Boll.*, 14 *Maii*) : « Auri argentive nullus inter eos usus. Quin etiam reperti sunt, qui cum finem facerent vivendi, quid aurum argentumve omnino esset ignorarent. Soli videlicet, quibus administrandi necessaria officium erat impositum, pecuniæ rationes noverant : et hi ipsi postquam ad monasterium erant reversi, nihil retinuissent in manibus, ne ad diem quidem unum, sed redditam sibi pecuniam servabat œconomus, donec eos rursus contingeret egredi. Hujusce institutionis decreta videre est in ipsa S. Pachomii Regula, qua præscribitur (*Art.* 47) ut « nemo in cella sua habeat præter ea quæ monasterii lege præcepta sunt, nec paucos nummos, nec proprium aliquid extra habitum suum. Si quid inveneris, absque contradictione auferes. » Et iterum (*Art.* 63) : « Nihil in cella sua absque præpositi jussione quidquam condet, nec poma quidem. » Item ad amputandam omnem proprietatis occasionem (*Art.* 46) : « Si quis transfertur de domo in alteram domum, excepto ea quæ usui quotidiano ad habitum necessaria sunt, secum transferre non poterit. » Similia statuta in aliis monachorum Regulis advertere licet, quas hic singulatim referre etsi videatur prolixum, haud erit fortassis lectoribus ingratum. Itaque Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii decernit (*Cap.* 7) : « Si dives est, et habens multas divitias in sæculo, et converti voluerit; debet primo Dei voluntatem implere, et consequi præceptum illud præcipuum, quod adolescenti divi i dicitur : *Vende omnia bona tua, et da pauperibus, et tolle crucem tuam, et sequere me.* Deinde instruendus est ab eo qui præest patre, ut nihil sibi relinquat n s crucem Christi quam tenet. »

Regula secunda SS. Patrum (*Cap.* 1) : « Ante omnia habentes charitatem, humilitatem, patientiam, mansuetudinem, vel cætera quæ docet sanctus Apostolus, ita ut nemo quidquam sibi vindicet, sed sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, habeant omnia communia. »

Regula tertia SS. Patrum (*Cap.* 2) : « Abbati nulli liceat sibi quidquam proprie vindicare (multo minus monachis), cum omnia Deo propitio in illius maneant potestate. Si quis vero quod in Regula junioribus

prohibetur, sibi aliquid ex successione parentum, seu quolibet donato retinere præsumpserit, et non omnia in communi posuerit, a fratribus arguatur. Si in vitio perstiterit, in notitiam episcopi deferatur; qui si ab episcopo correptus, nec sic emendaverit, deponatur. »

425 Regula S. Macarii (*Cap.* 24) : Novitius « si aliquam in cellula voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Qui si susceptus fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed etiam nec de seipso ab illa judicabit hora. Nam si aliquid prius erogavit pauperibus, aut veniens in cellulam aliquid intulit fratribus, ipsi tamen non est licitum ut aliquid habeat in sua potestate. »

Regula Orientalis (*Cap.* 3) : « Nemo suum quidquam vindicet, neque ullus aliquid peculiariter usurpet, sed habeant omnia communia. »

S. Basilius interrogatus (*Reg. brev., interrog.* 85), « Si oportet aliquid habere proprium in communi fratrum societate, » respondet : « Hoc contrarium est testimoniis illis quæ habentur in Actis de his qui crediderunt, in quibus scriptum est : *Neque quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat;* quare qui suum esse dicit aliquid, is seipsum reddit alienum ab Ecclesia Dei, et a charitate Domini, qui quidem et verbo, et re docuit ponendam esse animam suam pro inimicis suis, nedum res externas. » *Vide* ejusdem Constitutiones monast. c. 35.

Doctrina sancti Orsiesii abbatis de institutione monachorum (*Cap.* 22) : « Cui ministerium aliquod et dispensatio est credita monasterii; et si ex ea lucrum faciat, scelus patetur et sacrilegum quidquam ex ea contingere, et in propriam vertere requiem, quasi despiciens eos qui non habent, et felici paupertate sunt divites, ut non solum ipse perierit, sed et cæteros provocet ad pereundum. » Et infra : « Qui autem vixerunt in cœnobio, et de communi in suos aliquid averterunt usus : væ eis cum de corpore exierint, dicetur illis : Mementote quia recepistis bona in vita vestra. »

Consensoria monachorum (*Cap.* 8) : « Non poterit proprie retinere quod per pactum ad omnes pertinet, et Deo utique est consecratum. »

Regula incerti auctoris (*Cap.* 2) : « Nemo sibi aliquid vindicet proprium, sive in vestimento, sive in quacunque re : apostolica enim vita optamus vivere. »

Regula sancti Cæsarii ad virgines (*Cap.* 15) : « Nemo sibi aliquid judicet proprium, sive in vestimento, sive in quacunque alia re. »

Regula sancti Aureliani ad monachos (*Cap.* 5) : « Nihil occulte accipiatis, sed si propinquus aut amicus aliquid in vestimento, aut in auro, vel aliud quodcunque dederit aut transmiserit, in potestate sit abbatis; et si illi cui transmittitur necesse fuerit, tribuatur; sin vero ille nihil indiget, in commune redactum cui necessarium est, tribuatur. »

Regula S. Ferreoli (*Cap.* 10) : « Illud etiam statui debere perspeximus, ut nullus monachorum aliquid sibi proprium absque societate fratrum audeat vindicare : ita ut etiam in his quæ sua sunt nihil amplius credat sibi juris esse quam cæteris; quia cum seipsum alterius subdidit potestati, omnia secum in alienam potestatem transmisit. Quidquid ergo secum rerum detulerit expetito consortio monachorum, ac ubi corpori congregationis membrum factus adhæserit, statim cognoscat omnia in **426** communionem transiisse; et hoc tantum judicet proprium, quidquid cum fratribus possederit indivisum, etc. »

Regula sancti Columbani (*Cap.* 4) : « Nuditas et facultatum contemptus prima perfectio est monachorum. »

Regula Tarnatensis (*Cap.* 2) : « Nulli liceat sequestratam eligere mansionem, nec armariolum, aut aliquid simile quod peculiarius claudi possit per- A mittatur habere proprium. » Et iterum (*Cap.* 14) : « Nihilque habere vos proprium reputetis. »

Regula sancti Isidori (*Cap.* 5) : « Monachi in communi viventes nihil peculiare sibi facere audeant neque in suis cellulis quidquam quod ad victum vel ad quamlibet rem aliam pertineat, sine regulari dispensatione habere vel possidere præsumant. In Pentecoste autem, qui est dies remissionis, omnes fratres sub divina professione se alligent, nihil peculiare apud conscientiam suam habere. »

Regula sancti Fructuosi (*Cap.* 8) : « Peculiaritas aut in utensilibus, aut in vestimentis, aut in quibuslibet rebus vilissimis saltem et abjectis omnimodo vitetur : quia abominatio monachis est et infamium quidquam possidere superfluum aut reservare proprium vel occultum, quod non longe ab Ananiæ et Saphiræ exemplo segregatur. »

Regula Cujusdam ad monachos (*Cap.* 17) : « Nihil possidendum unquam proprium et specialiter inter monachos, sed sint eis omnia communia. »

B Regula Magistri (*Cap.* 82) : « Si quod ergo peculiare inventum in aliquo fuerit, grandi eum abbas et diuturna excommunicatione condemnet, ut exemplo illius vindictæ nullus hoc audeat imitari : hoc enim ne sit in aliquo, frequenter omnes scrutentur a præpositis suis; et si in aliqua re fuerit visus sibi frater multum gaudere aut plaudere, tollatur ei, et alio detur, et alterius illi quodvis fuerit, ut propria in eo non extollatur voluntas. »

Regula solitariorum (*Cap.* 6; *vid. cap.* 41) : « Hi ergo qui sæculum perfecte derelinquunt, nihil debent possidere præter Dominum, etc. »

Typicum Irenes Augustæ pro sanctimonialibus monasterii SS. Deiparæ Gratia plenæ (*Cap.* 50, *in Græcis Analectis*) : « Summæ paupertati operam date, non tantum in pecuniis usque ad obolum, sed et in cibo et in potu usque ad minimum quodlibet. Quo enim hujusmodi nostrum præceptum non violetur, hortamur præfectam ut quoties et quando voluerit vos perlustret, et nihil plus habere sinat C quam a cœnobitica regula concedatur. »

His accedunt summorum pontificum decreta : Innocentii III, Gregorii IX, Nicolai IV, et Benedicti XII, ex quibus unum hic Innocentianum proferre sat erit (*Cap. Cum ad monasterium*) : « Prohibemus, inquit, districte in virtute obedientiæ, sub attestatione divini judicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat; sed si quis aliquid habeat proprii, totum in continenti resignet. Si vero post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari modo prædicto de monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam. » **427** Et sub finem : « Nec æstimet abbas quod super habenda aliqua proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere. »

D Idem videre est in Conciliis passim, præsertim in Aurelianensi I, can. 21; Autissiodorensi can. 23, Lateranensi sub Alexandro III, et aliis plurimis. Sed de his satis. Ad textum revertor.

Nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino.] Nullam omnino rem, « quasi diceret : dummodo sit res, istam tibi excludo; et omnino, id est omnibus modis, hoc est per nullum modum habeas : » inquit Bernardus Cassinensis.

Quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate.] Reddit his verbis rationem cur monachus possidere proprium haud debeat : nam si nec voluntatis propriæ, nec sui corporis potestatem habere liceat, multo minus rerum temporalium : Quod vero nec voluntas, nec corpora, nostra sint in potestate, vel inde maxime patet, quod per sæculi fugam, Deique dilectionem *nos ipsos vendidimus*, ut loquitur S. Johannes Climacus (*Grad.* 3) :

quapropter sicuti res vendita haud amplius est ejus qui vendidit illam, ita nec nos nostri sumus, sed Dei, cui per monasticam professionem venditi sumus. Eadem ratione proprium a monachis amputandum censuit S. Ferreolus; « quia, inquit, cum seipsum alterius subdidit potestati, omnia secum in alienam potestatem transmisit. » Et Magister : « Ideo aliquid peculiare habere denegatur; quia nemo serviens Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit, ut cum omnibus rebus suis alieno eum se imperio subdiderit, non sit res ubi propria ejus voluntas extollatur. »

Porro acute hic notat Haeftenus triplicem hoc capite a S. Benedicto præscriptam esse abdicationem, tribus votis respondentem : rerum temporalium, quas per paupertatem abnegamus; corporum, quæ per castitatem Deo consecramus; et voluntatis propriæ, quam per obedientiam Deo immolamus. Et hanc ultimam abdicationem a suis fratribus ante omnia exigebat V. Wala Corbeiensis abbas, qui, ut scribit Paschasius in ejus Vita, l. I, c. 21 (*Sæc. 4 Bened., part.* I), « quam sæpe cunctos generaliter, non minus quam plurimos specialiter de voluntate liberi arbitrii, et potestate proprii corporis, juxta professionem monasticæ disciplinæ satis argumentose monebat, ne nostrum aliquis voluntatem propriam sequeretur; alioquin, aiebat, quomodo rationem pro aliquo redditurus ero, nisi et potestatem sui corporis, et voluntatem liberi arbitrii mihi relinquat. Quod si ipse sibi in sua se retinuerit potestate vel voluntate, noverit rationem se redditurum, non solum pro suis, verborum, aut cogitationum, vel gestorum factis; verum etiam quia contra professionem monasticæ legis, in sua se retinuit potestate vel voluntate cordis. Tanto profecto, inquiens, liber ero, quanto **428** non mihi debita potestas concessa manet, neque voluntas sui relaxatur arbitrii. »

Omnia vero necessaria a Patre monasterii sperare.] Plurima hunc in locum observanda occurrunt. Primo per monasterii Patrem : 1° intelligi posse Deum ipsum, qui communis omnium pater est, in quo oculi omnium sperant, et dat escam illorum in tempore opportuno, aperitque manum suam, et implet omne animal benedictione; 2° abbatem, qui vices ejus in monasterio agit, ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo : Accepistis spiritum adoptionis in quo clamamus, Abba Pater : quo sensu monasterii Patrem hic intellexit Richardus de S. Angelo; 3° cellerarium, qui ex Regulæ cap. 31, *omni congregationi sit sicut pater.*

Secundo, per *omnia necessaria*, hic non solum intelligi victum aut vestitum, si stricte sumantur, sed ea omnia quæ ad vitam monasticam decenter convenienterque agendam requiruntur : quæ sanctus Pater exposuisse videtur, cum cap. 55 ait : « Et ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab abbate omnia quæ sunt necessaria, id est cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabulæ; ut omnis auferatur necessitatis excusatio. »

Tertio, abbatem et cellerarium in necessariis administrandis valde sollicitos esse debere; quia, « sicut sancitum est ut nihil proprium habeant, ita justum est ut omnes quæ necessaria fuerint a sancto abbate accipiant, » inquit sanctus Cæsarius in Reg. ad monachos (*Cap.* 16). Et citatus hic ab Hildemaro Gregorius : « Si vult pastor suis discipulis proficere, magnum studium debet habere de temporalibus necessitatibus præbendis. » In quibus etiam distribuendis attendere debet quod ait Trithemius (*De Propr. monach., cap.* 9) : « Quæ sine culpa potest concedere, non debet cum periculo denegare : suscepit enim infirmorum curam, non fortium. »

Quarto, quod sicut omnia necessaria a Patre monasterii sperare, ita superflua resecare oportet : « Ab abbate igitur necessaria speranda sunt, inquit Trithemius (*Ibid., c.* 5), non superflua; quia ubi necessitas

A ad usum monachorum permittitur, superfluitas ut crimen condemnatur; et sicut abbas necessaria fratribus denegans, graviter a Deo reprehenditur, ita si concesserit superflua, tanquam prævaricator sancti ordinis condemnatur. » Hinc concilium Tridentinum (*Sess.* 25, *de Regul., c.* 2) : « Mobilium usum ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis quam professi sunt conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur. » Jam vero si quæras quid sit superfluum? respondet Joannes de Fano (*In discursu super observ. paupert. Fratr. Minor.*) : « Superfluum est illud quo sublato reliquum sufficit. Duarum altera superfluit, quando una illarum sufficit; multum superfluit, quando parum satis est : pretiosum abundat, si vile satisfacit. »

Quinto, observat Hildemarus sanctum Patrem Benedictum non dixisse omnia necessaria *a parentibus, vel ab amicis, sed a Patre monasterii* speranda B esse. Et certe indignum est abjectis sæcularibus curis, relictis **429** sæcularibus charis, monachum quasi fastidientem monasticam paupertatem, ad parentum aut amicorum thesauros recurrere; quos pauperibus distribuendo in cœlestes thesauros recondere deberet.

Nec quidquam liceat habere quod abbas non dederit aut permiserit.] Quod sic non capiendum, quasi posset abbas fratribus permittere proprium, cum nec summus pontifex id queat, ut supra dicebat Innocentius III.

Omniaque omnibus sint communia.] Utpote quibus « Deus communis est, communis pietatis negotiatio, communis salus, communia certamina, communes labores, communes quoque coronæ, » ut loquitur sanctus Basilius (*Constitut. monast. cap.* 19).

Nec quisquam suum esse aliquid dicat aut præsumat.] Hactenus S. P. Benedictus proprietatis vitium ex corde et opere monachi eliminare aggressus est : jam vero illud etiam in ore ejus condemnare videC tur, dicens : *Nec quisquam suum esse aliquid dicat :* ad quem locum illustrandum Joannes Trithemius (*De Propr. monach., c.* 6) : « Non dicat abbas suum aliquid, non codex meus, non ager, non villa, non census; sed si tale coram hominibus dicere oporteat, *noster*, non *meus* dicat. Etenim cum res monasterii communitatis sint, et communitas præsupponit multos, nulli videatur ridiculum si monachus aut abbas, singularis persona dixerit *nostrum.* Ad communitatem dicti sermonis refertur intentio; neque puerilia sunt hæc, quæ SS. Patres antiquissimos tam studiose constat observasse, ut pœnitentiam in transgressores præscriberent. » Ad SS. Patres quod spectat ex antiquis eorum institutis ac regulis apparet quanta sollicitudine frigidum illud verbum *meum* in communi sermone vitarent. De Ægyptiis Tabennensiotisque audiendus est Cassianus (*Lib.* IV, *c.* 13) : « In aliis quoque monasteriis, in quibus aliqua remissius indulgentur, hanc regulam D videmus strictissime nunc usque servari, ut ne verbo quidem audeat quis dicere *suum* aliquid; magnumque sit crimen, ex ore monachi processisse codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas; proque hoc digna pœnitentia satisfacturus sit, si casu aliquo per subreptionem, vel ignorantiam hujusmodi verbum de ore ejus effugerit. » Ex sancto etiam Basilio (*Reg. fus., cap.* 32) : « Doctrina veritatis omnino illud meum ac tuum inter fratres dici vetat. » Idem videre est in aliis monasticis regulis passim. In Regula sancti Augustini (*Cap.* 1) : « Non dicatis aliquid proprium. » In Regula sancti Aureliani (*Cap.* 25) : « Nullus præsumat quidquam suum dicere. » In Pœnitentiali sancti Columbani : « Meum et tuum dixisse sex plagis. » In Regula a sancto David monachis tradita (*Apud Boll., Mart.* 1) : « Omnia omnibus communia, et nihil meum, nihil tuum dicebant; quisquis enim diceebat meum es hoc, vel istud, duræ pœnitentiæ subji-

ciebatur. » In Regula S. Fructuosi (*Cap.* 4) : « Nec quisquam e monachis suum asserens dicat, codex meus, tabulæ meæ, et reliqua : quod verbum si de ore ejus effugerit, pœnitentiæ subjacebit, ne velut propria quælibet in monasterio habere videatur. » In Regula Cujusdam (*Cap.* 17) : « Qui autem dixerit, **430** meum est hoc, aut illud, peccavit coram Deo, nisi tantum per obreptionem sermonis; sed pro hoc ipso tamen veniam petat a Deo, et caveat de reliquo, et ne iterare audeat. » In Ordine Conversationis monasticæ (*Cap.* 10) : « Nullus ex fratribus suum aliquid dicat, aut rem aliquam, aut membrum corporis, sed semper nostrum : hoc solum oportet dicere proprium, *mea culpa*. » Apud Udalricum (*Lib.* II, *c.* 20) : « Nihil appellat singulariter suum, sed omnia dicit nostrum, nisi de patre et matre; de his solis solet licenter dici *meus* et *mea*. » Consuetudines S. Benigni Divion. c. 31 habent : « Omnia dicit nostrum, nisi de patre, vel matre. vel de peccato. »

Quod si quisquam hoc nequissime vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel et iterum; si non emendaverit, correptioni subjaceat.| Quod S. Pater alibi exprimit his verbis (*Cap.* 55) : « Et si cui inventum fuerit quod ab abbate non acceperit, gravissimæ disciplinæ subjaceat. » Quid vero sit gravissimæ disciplinæ subjici, ita exponunt Regulæ commentatores, Hildemarus : « Si per furtum habuit illam rem, si grandis est, sicut jam diximus, id est quatuor valens denariis; eo modo in minori culpa judicandus est. Si autem major est, tunc debet res incendi; et ipse in graviori culpa judicandus est. » Bernardus Cassinensis : « Gradibus non servatis, excommunicationem intelligo gravissimam disciplinam, ut sicut de notorio proprietario dictum est puniatur. » Econtra Boherius in primo comm. : « Dic, inquit, quod prius semel et iterum debet proprietarius admoneri secreto, et inde graviori, id est publicæ correctioni subjici, et postea per reliquos gradus deduci. » At non multo post ita habet : « Dic subjaceat gravissimæ disciplinæ, id est corporali vindictæ, quod erit arbitrarium. » In secundo vero commentario ad verba gravissimæ *disciplinæ subjaceat*, addit ex Cassiani l. IV, cap. 16, *plagarum scilicet, vel expulsionis*. Sed Bernardi sententiam sequi videtur Nicolaus de Fractura. Ita nimirum illi S. Benedictum explicant. Pro conclusione autem hujus capitis haud erit abs re de proprietariorum pœnis paulo fusius disserere; quod tunc præstitisse nos credimus, postquam antiqua regularum monasticarum statuta, conciliorum, Romanorumque pontificum decreta, ac tandem recentiorum etiam congregationum constitutiones hanc in rem protulerimus.

Itaque in Regula tertia SS. Patrum decernitur, ut abbas proprietarius « a fratribus arguatur; si in vitio perstiterit, in notitiam episcopi deferatur : qui si ab episcopo correptus, nec sic emendaverit, deponatur. » Pœnæ incerti auctoris apud S. Basilium : « Si quis possidet aliquid in monasterio, vel extra monasterium, sit excommunicatus. » Et iterum : « Si quis foras dederit aliquid aut acceperit præter voluntatem archimandritæ, excommunicetur. » S. Columbanus in Pœnitentiali : « Operis peculiaris præsumptio, centum plagis. Possessio alicujus rei, quam non necessitas generaliter fratribus concessit, amissione ejusdem, et centum plagis coerceatur. Necessarium vero ac licitum **431** aliquid facere, dare, accipere sine jussione duodecim plagis, nisi ratio aliqua defendat, ut supplex satisfactio remittat. » S. Donatus (*Regul. c.* 8) : « Si quæ hoc nequissimo vitio deprehensa fuerit delectari; tribus superpositionibus pœniteat. » Regula Cujusdam ad monachos (*Cap.* 17) : « Si quis in hoc vitio exstat insanabilis, expellendus est ab universis fratribus : quoniam vitium philargyriæ gravissimum est præ omnibus vitiis. » Regula Cujusdam ad virgines quasi explicans S. Benedicti mentem (*Cap.* 17) : « Quod si huic vitio aliqua sororum delectari fuerit deprehensa, et post primam, secun-

A dam, vel tertiam correctionem emendare noluerit, disciplinæ regulari subjaceat. » Denique Regula Magistri (*Cap.* 82) : « Si quod ergo peculiare inventum in aliquo fuerit, grandi eum abbas et diuturna excommunicatione condemnet, ut exemplo illius vindictæ nullus audeat imitari. » Et hæc ex veterum monachorum regulis : venio ad summorum pontificum decreta.

In primis S. Gregorius Constantium quemdam, in abbatem cujusdam monasterii electum, ordinari recusavit, eo quod peculiaritati studeret, et solus pergere præsumpsisset, quemadmodum ipse testatur (*Lib.* X, *epist.* 22). Innocentius autem III, in sua decretali ita habet (*Cap. Cum ad monast.*) : « Si quis aliquid habeat proprii, totum in continenti resignet. Si vero post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari modo prædicto de monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam. Quod si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa B cum eo in signum proditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur (*sic*), secundum quod B. Gregorius narrat se fecisse in dialogo. » Gregorii factum offendes in lib. IV Dialog., cap. 55. Simile reperies in Vita S. Leufredi, abbatis Madriacensis. n. 23. Ab Innocentio haud discrepare videtur Gregorius IX, cum in constitutione pro monachis Benedictinis statuit, ut « monachi proprietarii excommunicentur ab abbatibus suis; et si in morte inventus fuerit proprietarius, ecclesiastica careat sepultura. Nulli autem prorsus nisi pro officio sibi commisso arcam cum clave habere liceat absque licentia abbatis sui; et quoties abbas hanc petierit, eidem tradatur. Et si aliter habeat, eo ipso proprietarius reputetur. Excommunicationis sententiam in proprietarios abbates semel in anno, scilicet in Ramis palmarum solemniter in capitulo publicabunt : et si post alias inventus fuerit monachus habere proprium, baillivam, si quam habet, amittat; nec infra annum sibi alia committa- C tur; nec tunc, nisi proprio restituto, et peracta pœnitentia competenti. Abbas qui scienter proprium concesserit monacho, vel punire contempserit, suspendatur ad tempus secundum Regulam S. Benedicti. » Et in bulla ad Cluniacenses : « Monachis proprietariis etiam pœna juxta morem Cisterciensis ordinis infligatur, et in proprietarios excommunicationis sententia promulgetur, nisi monachus proprietarius deposita restituerit, quæ suis fuerint monasteriis resignanda. » Hanc pœnam paulo mitigasse videtur Nicolaus IV, in bulla item ad Cluniacenses : « Pœna, inquit, **432** insuper monachis proprietariis infligatur, videlicet ut per annum ad statum novum redigantur; et infra dictum annum assidue coram conventu comedant in terra sedentes. Et in depositarios, si monachis proprietariis deposita restituerint, quæ sunt suis monasteriis resignanda, monitione præmissa, excommunicationis sententia promulgetur. » Benedictus vero XII, in sua constitutione, c. 16, proprietarios monachos, ad quodcunque officium D seu beneficium obtinendum declarat inhabiles.

Jam vero ad concilia quod spectat, Autissiodorense II ita habet (*Can.* 23) : « Si monachus peculiare habere præsumpserit, ad agendam pœnitentiam in alio monasterio detrudatur. » Londoniense, sub Lanfranco anno 1075 celebratum (*Apud Spel. et in Vit. S. Lanf., c.* 12) : « Si quis vero aliquid proprii sine præfata licentia habere in morte fuerit deprehensus, nec ante mortem id reddiderit, cum pœnitentia et dolore peccatum suum confessus; nec signa pro eo pulsentur, nec salutaris pro ejus absolutione hostia immoletur, nec in cœmeterio sepeliatur. » Item Londoniense alterum anno 1200 (*Ibid.*) : « Si peculium habuerit, nisi ei ab abbate fuerit pro injuncta administratione permissum, a communione removeatur altaris; et qui in extremis cum peculio inventus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat sepulturam. » Tridentinum vero

(*Sess.* 25, *de Regul. c.* 2) : In proprietate « deprehensus, aut convictus, biennio activa et passiva voce privatus sit; atque etiam juxta Regulæ et ordinis constitutiones puniatur. » Quænam autem sint illæ ordinis constitutiones, jam aperiendum est.

In primis hanc apud Cistercienses legem reperio in lib. Institutionum cap. gener. ord. Cist. (*Dist.* 6, *c.* 16) : Monachus vel conversus in furto vel proprietate deprehensus, ultimus omnium per annum erit ad minus, et quantum ultra visum fuerit abbati; et omni sexta feria per annum sit in pane et aqua, et quadraginta diebus grossiori pane vescatur. Conversus ad terram comedat, et illis quadraginta diebus in claustro sedeat, et operetur in silentio quod ei fuerit imperatum; nec loquatur nisi cum abbate, vel cum eo qui conventum tenet, et cum magistro conversorum, et de confessione. Et omnibus horis canonicis intersit, et omnibus capitulis, quibus interfuerit, per annum verberetur; et monachus quadraginta diebus vapulet in capitulo monachorum. Et si furtum excesserit valorem viginti solidorum, tam monachus quam conversus, ablato ei habitu, ad portam emittatur. Et si conversus fuerit recipiendus, non recipiatur nisi in familiarem, ita quod per annum grossiori pane vescatur, et lineis non utatur. Si autem in hoc statu iterum commiserit furtum, vel incarceretur, vel de ordine emittatur penitus. Monachus vero si recipiatur, culpæ gravioris in primis pœnitentiam agat, et nihilominus pœnam monacho superius inflictam sustinens, ab officio altaris per annum abstineat, licet furtum vel proprietas committatur in re parva, vel vili. De pœna tamen temperanda pro re minima erit in discretione abbatis. » Et alio in loco (*Dist.* 6, *cap.* 5) : « Proprietarii singulis annis in Ramis palmarum.... ab eo, qui præest

433 capitulo, cum stola, et candela accensa, et baculo pastorali, si abbas fuerit, auctoritate Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et B. Mariæ, et omnium SS. excommunicentur. » In antiquis vero Definitionibus ejusdem ordinis ita habetur (*Dist.* 7, *c.* 6) : « Proprietarii, quos, ipso facto quo hujusmodi criminibus implicantur, capitulum generale decernit in excommunicationis laqueum incidisse, singulis annis in Ramis palmarum post habitum sermonem in omnibus capitulis ordinis, ab eo qui præest capitulo, cum stola, candela accensa et baculo pastorali, si abbas fuerit, auctoritate Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et B. Mariæ, et omnium SS. et totius ordinis excommunicati denuntientur. » His adde statutum capituli generalis anni 1227 : « Conversus qui subito defunctus inventus est habere quinque denarios, et non fuit confessus, imo in sacra solemnitate Nativitatis dominicæ accessit ad sacram communionem, non facta confessione, remaneat prout est extra cœmeterium tumulatus. » Non possim hic præterire factum S. Stephani, abbatis Obazinensis, ordinis Cisterciensis (*Tom.* IV, *Miscel. Baluz.*), cujus cum Petrus prior aliquos solidos ex simplicitate potius quam ex cupiditate occultasset : « hoc cum abbati compertum esset, in tantum commotus est, ut eum ab officio suo deponeret, et in quadam cella remotiore habitare præciperet; ubi per aliquos annos in multa afflictione degens, tandem vocante Domino a terrenis ad cœlestia, a labore ad requiem, a peregrinatione ad patriam feliciter emigravit. » Hæc quoad Cistercienses, quorum antiquas Definitiones dist. 7, cap. 7, videsis.

Antiqua Carthusiensium statuta adversus proprietarios ita definiunt (*Part.* II, *cap.* 22, § 10) : « Singulis annis a Circumcisione usque ad Quinquagesimam conversi et redditi : monachi vero a Quinquagesima usque ad Ramos palmarum quidquid habent ostendant, et exponant voluntati prioris; et in ipsa dominica Ramis palmarum omnes tam monachi quam conversi et redditi conveniant in capitulo monachorum, ibique, non præmisso alio sermone, tractetur de consuetudinibus ordinis, et excommunicetur a priore, et a singulis sacerdotibus omnis tam præsens quam absens, qui occultandi animo retinuerit aliquid ultra (*a*) duodecim denarios valens, donec illud ostendat et exponat priori. Vel si quid a præterito die Ramis palmarum sine licentia donando, seu aliter alienaverit, vel etiam commodaverit ultra summam prædictam, donec confiteatur priori, indulto tantum spatio præsentibus ad confitendum usque ad diem cœnæ, et absentibus usque ad octavam diem reversionis ad domos suas. Quicunque itaque exinde retinuerit, aut de donatis, alienatis, sive accommodatis ultra valorem trium solidorum domum gravaverit, nec fuerit, ut dictum est, confessus, tanquam de proprio judicetur, si convictus

B fuerit, et de ordine expellatur. Si vero infra prædictam summam deliquerit, prioris arbitrio puniatur. Quicunque seras clandestinas habuerit, sit extra cellam, et extra conventum. » Statuta reformatoria abbatum de Samnhyaco, et de Maceriis **434** ordinis Cisterciensis, et priorum de Ligeto, et de Gladeriis Carthusiensis ordinis, auctoritate Gregorii papæ X, pro ordine Grandimontensi, hanc in proprietarios pœnam decernunt (*Cap.* 4) : « Statuimus ut omni anno Dominica in Ramis palmarum abbas, in loco ubi fuerit, et quilibet prior conventualis, in cella ubi præsidet, excommunicet in capitulo omnes proprietarios, stolis ad collum appositis, et exstinctis candelis, et si quis in fine proprietarius inventus fuerit, in sterquilinio subterretur. » Statuta vero monachorum Benedictinorum provinciæ Narbonensis, anno 1226 a Gregorio IX approbata ita habent (*Specil. tom.* VI) : « Si autem monitus retinere præsumpserit aliquid, a domo propria penitus expellatur, et in alio monasterio retrudatur, nec aliqua ra-

C tione in proprio monasterio recipiatur usque ad nutum capituli generalis. Apud quem vero proprietas in morte inventa fuerit, in signum suæ proditionis in sterquilinio subterretur. » Statuta reformatoria Nigrorum monachorum ab Othone legato anno 1238 promulgata (*Apud Matth. Paris. in Hist.*) : « Statuimus quod prælati, vel saltem in anno publice in conventu in omnes proprietarios excommunicationis ferant sententiam; alias eos, si non resipuerint, punientes, maxime per ignominiam sepulturæ. » Alia statuta anno sequenti in capitulo generali edita (*In addit. Matth. Paris.*, *pag.* 412) : « Proprietarii et omnes qui aliis falso crimen imponunt, singulis annis, in secunda feria primæ hebdomadæ Quadragesimæ, in capitulis a suis prælatis excommunicati publice denuntientur cum stola et baculo pastorali. » Statuta etiam capituli provincialis anno 1343 Nortamptoniæ celebrati, cap. 6, proprietarios feria secunda post dominicam primam Quadragesimæ; Bursfeldenses item feria quinta in Cœna Domini

D excommunicari decernunt. Constitutiones vero Congregationis montis Oliveti statuunt (*Parte* I, *cap.* 33), ut « proprietarii, et abbates, ac superiores non punientes proprietarios, tanquam effractores voti, præter excommunicationem, a qua non nisi ab abbate generali, et in articulo mortis ab alio absolvi possint, incurrant in pœnam carceris arbitrio abbatis generalis, et jejunii in pane et aqua per annum bis in hebdomada quarta et sexta feria, et inhabilitationis a quocunque munere per sex annos, quæ pœnæ a nemine remitti possint. » Constitutiones Cœlestinorum (*Tract.* I, *c.* 20, § 16) : Si quis proprietarius repertus fuerit, videlicet si officialis in

(*a*) *In novis statutis*, part. II, c. 5, habetur : *Ultra valorem trium solidorum Turonensium. Quos qui retinuerint ipso facto excommunicati in Ramis palmarum tantum in capitulo denuntientur.*

tribus tarenis in pecunia, vel sex in valore; si vero subditus fuerit, ab uno parvo denario, usque ad Carolenum, tot diebus pœnam sustineat gravis culpæ, in quot denariis proprietarius invenitur. Si vero ultra excedens summa fuerit, ad abbatis arbitrium infra tres menses pœnam sustineat gravis culpæ, omnique actu legitimo sit privatus, et proprio careat officio, A et per triennium ad officia quæcunque sit inhabilis; præter pœnas a sacro Tridentino concilio injunctas. » Denique Constitutiones Fuliensium (*Cap.* 33) : « Qui monachus in proprietatis crimen lapsus esse deprehensus fuerit, cum aliis pœnis gravissimis puniatur, tum monasterium pro carcere per annum habeat, ita ut ex eo pedem non efferat. »

CAPUT XXXIV.

435 *Si omnes æqualiter debeant* [a] *necessaria accipere.*

Sicut scriptum est [b] : ***Dividebatur singulis prout cuique opus erat :*** ubi non dicimus, ut personarum [c] (quod absit) acceptio sit, sed infirmitatum consideratio. Ubi [d] qui minus indiget, agat Deo gratias, et non contristetur; qui vero plus indiget [e], humilietur pro infirmitate et [f] non extollatur pro misericordia : et ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia, ne murmurationis malum pro qualicunque causa in aliquo qualicunque verbo vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit [g], districtiori disciplinæ [h] subdatur.

[a] Al., *debent.*
[b] Flor., *scriptum est.*
[c] Oxon., *quod personarum.*
[d] Narb., Hild., Ebrul., cum Regula Donati, *ubi.*
[e] Oxon. deest *indiget.*
[f] Deest pluribus mss., *etc.*
[g] Al., *Quod si deprehensus fuerit.*
[h] Narb., *disciplina.*

COMMENTARIUS.

Sicut scriptum est : Dividebatur singulis prout cuique opus erat, etc.] Eamdem Regulam ducem sequuntur S. Basilius in Regulis brevior., interrog. 135, S. Augustinus in Regula cap. 1, Regula Tarnatensis, c. 14, et S. Leander in lib. de Institut. Virg., cap. 13.

Ubi non dicimus ut personarum, quod absit, acceptio sit, sed infirmitatum consideratio.] Huc respexit Gregorius IX in sua pro monachis Benedictinis Constitutione præscribens, ut « abbas det singulis et unicuique prout opus fuerit, ut non sit personarum acceptio, sed infirmitatis consideratio habeatur. » Isthæc vero consideratio, ut scribit Boherius, debet attendi in omni infirmitate naturæ, juventutis, senectutis, vitæ, morum. Et recte quidem. Nam, ut dicit Grimlaicus (*In reg. Solit., c.* 47), « habenda est inter nobiles et ignobiles, inter sanos et infirmos, inter senes et juvenes magna discretio : non enim possunt hi qui de deliciis veniunt, et hi qui in deliciis nunquam fuerunt, æqualem tenere rigorem abstinentiæ, neque sani et infirmi æqualiter possunt abstinere. » Vide S. Basilii Regulam ex versione Ruffini cap. 10.

Ubi qui minus indiget, agat Deo gratias.] Pro collata sibi fortitudine, et virtute abstinentiæ.

436 *Et non contristetur.*] Murmurando quod aliis minus aliquid accipiat, quasi divino munere haud contentus. Sive, ut loquitur S. Augustinus in Regula (*Cap.* 5) : « Quæ infirmæ sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec injustum videri, quas fecit alia consuetudo fortiores. Nec illas feliciores putent, quia sumunt quod non sumunt ipsæ, sed sibi potius gratulentur, quia valent quod non valent illæ : et si eis quæ venerunt ex moribus delicatis ad monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, stramentorum, operimentorum datur quod aliis fortioribus et ideo felicioribus non datur, cogitare debent quibus non datur, quantum de sua sæculari vita illæ ad istam descenderint, quamvis usque ad aliarum, quæ sunt corpore fortiores, frugalitatem pervenire nequiverint. Nec illæ debent conturbari, quod eas vident amplius (non quia honorantur sed quia tolerantur) accipere, ne contingat detestanda perversitas, ut in monasteriis, ubi quantum possunt fiunt pauperes laboriosæ, fiant pauperes delicatæ. » Eodem fere modo loquitur Regula Tarnatensis cap. 16; S. Isidorus Regul. cap. 20, et sanctus Leander de Institutione virg. cap. 8.

Qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate.] B Et « sanos, et laborantes anteponendos sibi non dubitet; » ut ait sanctus Isidorus (*Cap.* 20). Simili prorsus ratione S. Leander virgines instituens : « Illa, inquit (*Cap.* 8), quæ infirmitatis obtentu meretur aliquid lenius, sit præ cæteris humilis; doleatque se non posse quæ aliæ possunt, et abstinentiam temporæ laxatam non reputet virtuti, sed infirmitati. » Et S. Fulgentius Ruspensis episcopus (*In ejus Vita, apud Boll.*, 1 *Januar.*) : « Quibuscunque plus cæteris consulebat, eos humilitatem custodire amplius admonebat, dicens eis : De substantia communi quisquis aliis plus accipit, omnium sit debitor, quorum est illa substantia : debitorem porro sola juvat humilitas. » Et certe qui non humilietur, considerans ac perpendens istud Hippocratis verbum? « Tanto quis plus elongatur a Deo, qui nullo indiget, quanto plus indiget? »

Et non extollatur pro misericordia.] Quæ sibi impenditur, quasi proprio merito illam meritus esset accipere. Recte omnino Bernardus Cassin. : « Fatuus est, inquit, qui superbit ex eo quod pellis ovina est sibi necessaria contra frigus. » C

Et ita omnia membra erunt in pace.] Et ita, id est, si et abbas sine personarum acceptione considerans infirmitates indigentium, et non malam voluntatem invidentium, singulis ut necesse fuerit necessaria distribuat; et qui minus indigent Dei dono contenti, non murmurent, sed potius gratias agant; qui autem plus indigent humilientur pro infirmitate, et non extollantur pro misericordia : omnia membra, id est tam abbas, qui est caput, quam fratres, qui membra sunt corporis monastici, erunt in pace, et Deus pacis erit cum eis.

Ante omnia ne murmurationis malum, etc.] Hæc **437** verba ex Hildemaro et inferiores respiciunt et superiores : inferiores, ut non murmurent, si quid eis desit, aut aliis minus aliquid accipiant, sed magis benedicant Deum, ut loquitur S. Benedictus cap. 40; superiores, quatenus, sic omnia temperent atque disponant, ut et animæ salventur, et quod faciunt fratres absque ulla murmuratione faciant. Hoc autem D loco S. Pater satis exprimit quanta sollicitudine murmurationis malum a claustris arceri desideret : *Ante omnia,* inquit. Magnum noveris esse quod sequitur; id enim isthæc præmissa duo verba demonstrant. *Ne murmurationis malum.* Non dicit simpliciter *ne murmuratio,* sed *ne murmurationis malum,* ne quis crederet parum aliquid esse. *Pro qualicunque causa,* minori scilicet vel majori. *In aliquo qualicunque verbo.*

Attende, non dicit tantum *in verbo*, sed addit *in aliquo*; nec solum *in aliquo verbo*, sed *in aliquo qualicunque verbo*, ut expressione prohibitionis magis intelligatur transgressio, et quantitas malæ murmurationis. Vide Regul. S. Ferreoli cap. 7.

Quod si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinæ subdatur.] Districtiorem disciplinam hic A intelligunt, aut exaggerando culpam in privata sive publica correptione, aut uno prætermisso gradu ad aliud transeundo, verbi gratia post primam correptionem secretam, prætermissa secunda, transeundo ad publicam. Ita exponunt Hildemarus, Bernardus Cassinensis et Boherius. De murmurantium pœna diximus alibi.

CAPUT XXXV.

De septimanariis coquinæ.

Fratres sibi invicem serviant ut nullus excusetur a coquinæ officio, nisi aut ægritudine [a], aut in causa [b] gravis [c] utilitatis qui occupatus fuerit: quia exinde major merces et charitas [d] acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, ut non cum tristitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia secundum modum congregationis aut positionem loci. Si major congregatio fuerit, cellerarius excusetur a coquina, vel si qui, ut diximus, majoribus utilitatibus occupantur [e]. Cæteri sibi sub charitate invicem serviant. Egressurus de septimana, sabbato munditias faciat. Lintea [f] cum quibus sibi fratres manus aut pedes tergunt [g], lavet. Pedes vero tam ipse qui egreditur quam ille qui intraturus est, omnibus lavent. Vasa ministerii sui munda et sana cellerario reconsignet [h]. Qui cellerarius item [i] intranti **438** consignet, ut sciat quid dat [j], aut quid recipit. Septimanarii autem, ante unam horam refectionis, accipiant super statutam annonam, singulos biberes, et panem [k], ut hora refectionis sine murmuratione et gravi labore serviant fratribus suis. In diebus autem solemnibus usque ad missas [l] sustineant.

Intrantes autem et exeuntes hebdomadarii in oratorio mox matutinis finitis dominica [m], omnium genibus provolvantur, postulantes pro se orari [n]. Egre- B diens autem de septimana dicat hunc versum: *Benedictus es, Domine Deus, qui adjuvisti [o] me, et consolatus es me.* Quo dicto tertio, accipiat [p] benedictionem egrediens. Subsequatur ingrediens, et dicat: *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.* Et hoc idem tertio [q] repetatur ab omnibus. Et accepta benedictione, ingrediatur.

[a] Flor., *ægritudo.* Al., *ægritudo sit.*
[b] Hild., Dunst., *causa.*
[c] Al., *grandis.*
[d] Al. deest *et charitas.*
[e] Hild. deest *vel si qui, ut diximus majoribus utilitatibus occupantur.*
[f] Al., *linteamina.*
[g] Al., *tergent.* Al., *terserint.*
[h] Cassin., *consignet.*
[i] Al., *iterum.*
[j] Al., *quot dat et quot recipit.*
[k] Oxon., *singulus sibi bibere et pane.* Cassin., Conc., Flor., *singulas biberes et panem.*
[l] Al., *ad missam.*
[m] Al., *die dominico.*
[n] Flor., *orare.*
[o] Oxon., *juvasti.*
[p] Faron., *accipiant benedictionem egredientes.* Concord., Flor., Cassin., Sancti Germ. ms., *accepta benedictione egrediens.*
[q] Al., *tertio dicto.*

COMMENTARIUS.

Fratres sibi invicem serviant.] Fratres, inquit S. P. Benedictus, non sæculares aut laici: dedecet enim monachos humilitati addictos ac pœnitentiæ, frequenti famulorum ad sibi serviendum uti ministerio: unde Fuldenses olim monachi porrecto ad Carolum Magnum imperatorem libello supplici enixe flagitaverunt, « ut ipsa monasterii ministeria per fratres ordinentur, id est pistrinum, hortus, braciarium, coquina, agricultura, et cætera ministeria, sicut apud decessores nostros fuerunt (*Vide S. Bonif. epist. ad Zachar. papam*); quia devotius ac dignius per fratres omne exercebitur officium quam per laicum aut servum malevolum. » Quod illi adeo enixe postulaverant, in universis ordinis monastici monasteriis haud multo post instituere conati sunt abbates sub Ludovico Pio Aquisgrani congregati, edito statuto (*Can. 4*), « ut in coquina, in pistrino, et cæteris officinis propriis operentur manibus » monachi. Et certe si omnia monasterii utensilia ac si altaris vasa sacrata conspicienda sunt, haud profanis, sed per vitæ religiosæ propositum sanctificatis manibus tractari debent. Procul ergo omnes illi servitorum **439** laicorum greges, quos non sine aliquo animi rubore nostra ætate in cœnobiis cernimus, heu quam longe distamus ab illis temporibus, quibus ne quidem pedem in coquinam inferre, dum illic fratres operarentur, laicis licebat: quorum opera si quid aut afferendum, aut referendum opus esset, per fenestram allata, reddendave porrigebantur, uti his expressis verbis præscri- C bunt Statuta S. Adalardi: « De laicis hæc est una et definita sententia, ut quandiu ibi aut pulmentaria præparantur, aut præparata ministrantur; sive quando fratres prius generaliter, sive quando postmodum reficiuntur, nullus ingrediatur. Si vero talia aliqua, aut prius præparanda, aut postmodum mundanda, vel curanda fuerint, quæ laicis deputata sint; fenestra, aut ostium, aut locus extra coquinam talis constitutus sit, ubi fratres vel præparanda suscipiant, vel mundanda referant, ubi ea illi vel ponere, vel posita recipere possint, ut tamen nullam occasionem pro qua coquinam ingrediantur habeant. » Eadem sub pœnis sævissimis disciplina vigebat apud Cistercienses, in quorum capitulo generali anni 1195 definitum est (*Instit. Cist. dist. 6, c. 13*), ut « sæculares non serviant in coquina conventus, nec in infirmitoriis: quod si in domo aliqua factum fuerit, prior et cellerarii, quandiu factum fuerit, sint in pane et aqua omni sexta feria. Abbas vero si hoc scierit, et non emendaverit, culpam hanc in capitulo generali fateatur, nec ad mensam abbatis infra abbatiam aliquis sæcularium ministret, nisi forte in hospitio comedentis. » Hanc tamen constitutionem postea temperavit capi- D tulum generale anni 1237, statuens, « ut in abbatiis in quibus non essent nisi octo conversi, admitterentur ad hujusmodi ministerium sæculares. » Nec minori religione a refectorii, dum mensæ sternerentur, ingressu laicos arcebant Cluniacenses, quorum antiquæ consuetudines hæc legunt (*Lib. III, c. 21*):

A « Refectorarius habet sub se tres alios fratres..... Lecto missæ majoris evangelio, apportant vinum, ut per justitias partiantur. Verum quidquid apportaverint, quidquid tale fecerint, semper tamen id cavent, ut nullus famulus pro illorum invitatione in refectorio compareat. » Eadem habent mss. Consuetudines S. Benigni Divionensis cap. 42. In Regula etiam S. Isidori decernitur, ut « tempore quo refectionis debitum solvitur, claustra monasterii obserentur, nec ullus extraneus intersese præsumat, ne quidem fraternam præsentia sua impediat. » Quid? quod in Regula S. Aureliani non solum coquinæ aut refectorii, sed ne ipsius quidem monasterii accessus viris sæcularibus liber relinquitur : « Provisores vero monasterii, si in habitu laico fuerint, nec ipsi permittantur intrare : pro his utilitatibus quas in hac Regula statuimus (*Cap.* 19) cum marcionibus, aut carpentariis, si aliquid necesse fieri, aut reparari, aut certa aliqua ratione abbati facienda, introeant. De cætero nullam licentiam aut libertatem habeant introeundi. » Quod S. Aurelianus ait *si in habitu laico fuerint*, in memoriam revocat antiquam monasterii S. Galli consuetudinem qua laicis etiam potentissimis haud fas erat dominicis diebus processionem in claustro sequi, nisi habitu monastico indutis, ut testatur Ekkehardus **440** junior his verbis : « Vidi ego ante tempora quæ a Gallis patimur, monachorum schismatis, comites aliosque potentes loci milites, pro dilectione festis diebus crucem nobiscum per claustrum sequendo; juvenes et senes quosdam ad cingulum barbatos monachicis indutos roccis nobiscum quaque ivimus ingredi. » De cætero autem claustrum « ab antiqua patrum memoria tantæ venerationi est habitum, ut nemini vel potentissimorum sæculi canonicorum seu laicorum introitus, vel etiam introspectus eis licuerit. » Hanc disciplinam suis in cœnobiis etiam instituerat S. Columbanus abbas; unde inter alia accusationis capita, quibus querebatur de sancto viro Theodoricus rex, illud erat (*In Vita S. Columb. n.* 19, *sæc.* II *Bened.*) : « Cur intra septa secretiora omnibus Christianis aditus non pateret. » Ad quod S. abbas respondit : « Se consuetudinem non habere, ut sæcularibus hominibus et a religione alienis famulorum Dei habitationis pandat introitum, sed opportuna aptaque loca ad hoc habere parata, quo omnium hospitum adventus suscipiatur. » Eamdem institutionem etiam in Farfensi monasterio viguisse colligimus ex Vita S. Paldonis n. 7, ubi Thomas Farfensis abbas nobiles adolescentes, conversionis gratia Gallias petentes, ad suum legitur invitasse monasterium, sic eos alloquens : « Ad monasterium cui deservio revertimini mecum, et propter ardorem vestri desiderii, *quamquam extra usum monasterii* intrinsecus vos recipiam, ut simul cum fratribus edatis, simul dormiatis, simul orationi vacetis simulque ad opus manuum exeatis, ut his exercitiis probati, sciatis quibus modis propositum monachi adimplere valeatis. » Sed revertor ad propositum. Quod si laicorum hominum ministerio uti in monasterio haud decet monachos, multo minus clericorum aut aliorum religiosorum, id quod expresse vetat Benedictus papa XII in sua pro monachis Benedictinis Constitutione his verbis (*Cap.* 18) : « Cæterum ut viam scandalis præcludamus, prohibemus expresse ne in ecclesiis, vel monasteriis, seu locis, aliis conventualibus ejusdem ordinis seu religionis, clerici sæculares, vel laici, seu alterius monasterii monachi, vel religiosi alterius religionis ad victum monachis ministrandum de cætero deputentur. »

Ergo quia nec laicis licet nec clericis, fratres sibi invicem serviant : *Invicem* dico, id est per vices singulis sibi hebdomadis succedendo, ut ex consequentibus patet; communisque apud omnes monachos usus passim obtinuit. Sicuti videre est in Regula Magistri (*Cap.* 18) : « Superius diximus decadam fratrum sub sua cura duos præpositos continere : qui decem fratres in coquinæ servitio vicibus combinati septenos exoleant dies. Et cum vicibus istis unius decadæ fuerit adimpletum servitium, consignatis omnibus a cellerario utensilibus, sibi alia in exercitatione decada succedat. Qua expleta, succedant sigillatim per singulas septimanas. » In Regula S. Donati ad Virgines (*Cap.* 67) : « Sorores sibi invicem serviant in omni ministerio corporali, tam in coquina, vel quidquid quotidianus exegerit usus, vicibus sibi, excepta matre seu præposita, succedere debent. » In Regula **441** Sancti Ferreoli : « Temporibus dispositis vicibusque discretis, de ciborum præparatione solliciti serviant sibi invicem ; atque alterutrum sub æqualitate ministerii dominentur. » Apud S. Basilium (*Serm.* I *de Instit. monach.*) : « Ministerium in communi conventu alternis vicibus fiat, duo secundum ordinem in hebdomada una omne studium ad usum requisitum expleant. » Apud S. Hieronymum in præfatione ad Regulam S Pachomii : « In hebdomadarum ministerio sibi succedant per ordinem. » Apud Cassianum (*Lib.* IV, *c.* 19) : « Per cunctam namque Mesopotamiam, Palæstinam, et Cappadociam,
B ac totum Orientem, singulis hebdomadibus vicissim fratres ad hæc officia sibi reddenda succedunt. ita ut secundum cœnobii multitudinem ministrorum quoque numerus deputetur. » Denique in Vita S. Mariani ad S. Germanum Autissiodorensem monachi, sæculo V, ad quem Olinitius item monachus dixisse fertur : « Sors mea est ad me sam fratribus ministrare et alimoniam parare. » Soli, aut saltem fere soli Ægyptii monachi contrariam inierant consuetudinem : « Apud Ægyptios enim, ut scribit Cassianus (*Lib.* IV, *c.* 22), quibus maxima cura est operis, non est hebdomadarum mutua vicissitudo, ne sub occasione hujus officii omnes ab operis canone impediantur; sed uni probatissimo fratrum cellarii vel coquinæ cura committitur, qui perpetuo donec vires vel ætas admittit, jugiter opus illud exerceat. » Et tamen S. Hieronymus de Ægyptiis monachis loquens : « Unaquæque decuria, inquit (*Epist.* 22), cum suo parente pergit ad mensas, quibus per singulas
C hebdomadas vicissim ministrant. » Sed S. Hieronymum de solo mensæ servitio, non de coquinæ officio forte intellexeris.

Ut nullus excusetur a coquinæ officio.] Quod omnibus fratribus S. Pater imponit coquinæ officium, illud uni soli committebant Ægyptii monachi, ut modo docebat Cassianus. Solis etiam junioribus injungit Regula SS. Pauli et Stephani, cujus hæc verba (*Cap.* 22) : « In omnibus obsequiis, et ministeriis, in quibus fratres juniores sibi vicissim succedunt, unusquisque bona voluntate susceptam hebdomadam vicis suæ in quolibet ministerio hilariter absque murmuratione cum gratia Dei impleat. » Similem in suo monasterio, sed contra Regulam S. Benedicti consuetudinem instituerat V. Turketulus, abbas Croylandensis : hic enim teste Ingulfo (*In Hist. Croyl.*) « dividens totum conventum in tres gradus, ut quilibet gradus suum statum agnosceret, et teneret, statuit videlicet, quod juniores ab ingressu mona-
D sterii usque ad annum vigesimum quartum in ordine, subeant omnia opera chori, claustri, et refectorii, canendo, legendo, serviendo, et omnes regulares observantias secundum magistri sui doctrinam custodiendo, etc. » Quam legem postea renovavit ipse Ingulfus, ejusdem monasterii factus abbas.

Nisi aut ægritudine, aut in causa gravis utilitatis quis occupatus fuerit.] Quod quasi generaliter dixerat jam solita S. Pater discretione temperat, a coquinæ officio ægrotos, et gravioribus utilitatibus occupatos eximens. Et certe inhumanum **442** foret infirmos huic officio deputare. Sed quæret aliquis quænam sit meritoque dici debeat causa gravis utilitatis? Respondet Hildemarus eam esse, quam agnoscentes fratres, dimissa concordia, haud murmurant ; quod propter eam talis frater excusetur a coquina : quapropter « hæc utilitas grandis sive magna ex Bernardo Cassinensi debet esse abbati manifesta, et fratribus non incognita, ne forte possit esse alicujus

discordiæ causa, videlicet quod hic excusaretur, alio laborante. »

An vero inter hujusmodi gravioribus utilitatibus occupatos abbas recenseri debeat, forte dubitabit aliquis : at mihi nullus videtur dubii locus, si vel minimum ad S. Benedicti mentem attendatur : quis enim in monasterio gravioribus causis occupetur illo, qui rerum omnium curam suscepit? Et certe si cellerarius solis temporalibus curis detentus excusetur, quidni excusabitur et abbas, ad quem et temporalium et spiritalium sollicitudo respicit? Sed quod subticuit S. P. Benedictus, illud claris enucleatisque verbis expressit S. Cæsarius in Regula ad virgines, in qua sic loquitur (*Cap.* 12) : « In omni ministerio corporali, tam in coquina, vel quidquid quotidianus exigit usus, vicibus sibi, excepta matre, vel præposita, succedere debent. » Cæsarium in sua item ad virgines Regula exscribit S. Donatus cap. 67. Similiter S. Aurelianus in Regula ad monachos (*Cap.* 22) : « In omni, inquit, ministerio, sive in ordine psallendi, aut legendi, vel operandi, vicibus sibi succedant, absque S. abbate, et nimis senibus, et perparvulis, infantibus, et certe ita infirmis ut surgere omnino non possint : non compellantur facere pro eo quod non prævalent. »

Neque tamen inficias ibo, aliter in nonnullis Regulis contineri, aliamque in quibusdam ordinis nostri monasteriis viguisse rationem : maxime autem in Regula S. Ferreoli, cujus hæc verba (*Cap.* 38) : « Abbas tribus per annum vicibus, id est in die Natalis Domini, similiter in primo Paschæ, nec non in festivitate peculiaris Patroni sancti, ac beatissimi venerandi semper martyris Ferreoli, aut certe quidem ad quorum nomina sanctorum idem locus consecratus fuerit, coquinam cibos congregationi paratu us introeat, ibique suscepto junioris ministerio, serviendo mensis humilitatis formam ministret in ferculis, sanctæ huic abjectioni se libenter inclinans, quæ majorem illum producit cæteris, dum reddit æqualem. » Et Regula Magistri (*Cap.* 23) : Quotiesque hebdomadarii in servitio mensarum negligenter mensis deserviunt, alia die hora refectionis levet se abbas, et cum uno de præpositis aut duobus, si grandis fuerit congregatio, ipsi facient servitium ad omnes mensas, ut doceat eos quomodo faciant. » Nostros vero quod spectat S. Salaberga, Laudunensis abbatissa (*In ejus Vit. n.* 24, *sæc.* II *Bened.*) « coquinam, vel reliquas causas [*Forte* curas], quæ monasticis rebus peragi solent, vicissim suis hebdomadibus ministrabat. » S. Benedictus, abbas Anianensis teste Ardone ejus discipulo, in ejus Vita, num. 14, « laborantibus fratribus ipse aliquando collaborare, aliquando autem eorum ad vescendum decoquere victum, librumque **443** etiam pariter circa coquinam occupatus scribere satagebat; lignamina vero sæpe propter penuriam boum humeris propriis cum discipulis deferebat. » De Eigili etiam, Fuldensi abbate, ita scribit Candidus in ejus Vita, n. 24 (*Sæc.* IV *Ben.*, *part.* I) : « Hic quoque, sicut semper facere consueverat, cum consilio et consensu fratrum suorum constituit atque decrevit, ut fratres qui extra monasterium ministeria providere noscuntur, fratribus infra monasterium commanentibus per singulas anni septimanas juxta ordinationem præpositi vel decanorum in cibo, et potu, atque aliis quibuslibet commodis monasticæ vitæ congruentibus, super indictam sibi annonam ad honestam consolationem non coacti, sed ut eos sumptus permitteret spontanea voluntate servirent; ita tamen ut ipse primo omnium hujus servitutis initium in die Natalis Domini ad exemplum cæteris cum gaudio suscepisset. » Idem præstabant olim in Cluniacensi monasterio abbates, ut docet Udalricus lib. I, cap. 46, idque ipsum communis ordinis nostri usus obtinebat. Et certe probandi laudandique in primis abbates qui, cum sibi per otium licet, in hisce humilitatis exercitiis suis fratribus exemplo præeunt; nec suam inde putent minui auctoritatem, aut dedecere dignitatem, unde totam suam gloriam quæsierunt viri sanctissimi, in sæculo olim clarissimi, et in populis principes, ut de SS. Guillelmo, ex potentissimo duce, Gellonensi monacho; Carolomanno, ex Austriæ rege monacho Cassinensi; de SS. reginis Franciæ Radegunde et Baltilde, ut alios plurimos interim sileam, legimus. *Vide* Vitam S. Galteri, abbatis Pontisarensis, num. 11, apud Boll., 8 April.

Neque prætereundum est quod de monachis S. Vincentii de Vulturno habetur in Vita S. Thomæ abbatis Farfensis (*Sæc.* III *Ben.*); quod scilicet congruis temporibus ad Farfense monasterium veniebant, « et hebdomadas suas in coquinæ officio sicut et alii fratres in ipso faciebant monasterio. »

Porro nullum hoc capite discrimen ponere videtur S. Benedictus inter coquinæ hebdomadarios et mensæ ministros : utrosque tamen distinguit cap. 38, ubi, agens de hebdomadario lectore, ait : *Postea autem cum coquinæ hebdomadariis, et servitoribus reficiat.* Quem in locum Boherius in primo comment. : « An enim isti servitores per septimanas serviant, an per dies non curo, quia nec in Regula hoc reperio, sibi tamen vicissim hujus servitutis officium impendent. » Ubi manifeste servitores ab hebdomadariis coquinæ, qui per totam septimanam serviebant, distinguit. Apud Cluniacenses tamen, Divionenses S. Benigni, et Cistercienses, hebdomadarii coquinæ utrumque munus obibant. De Cluniacensibus audiendus est Udalricus (*Lib.* II, *c.* 35) : « Finita hora post quam fratres sunt refecturi, celeriter exeunt, ut fabas administrent, quas qui prior est coquorum, si tamen bene noverit, et hujus est valetudinis, cum cocleario ad hoc facto mittit in scutellas; alii portant ad mensas, a principali mensa incipientes. De oleribus econtrario fieri solet; quæ ita administrant, ut a novissimo incipiant. » Idem habent mss. Consuetudines **444** S. Benigni, cap. 35, adduntque : « Et non solum ipsi, sed et omnes, qui scutellas in refectorio portant, hanc diligentiam debent habere, ne scutellam ita bassam portent, ut intus possint anhelare, nec aliquam psalmodiæ mussitationem interim faciant, ut fundum ipsius nec sordidum sit provideant, ut tutelam frocci ab ipsa custodiant, ut digitum ne intus intingant, caveant. » Generale tamen et pittantiam tam ex Udalrico quam ex prædictis consuetudinibus, non ipsi ex debito, sed cellerarius et alii quibus innuebat ipse, ministrabant. Generale autem, quod dominica, fer. 3, 5, et sabbato serviebant, illud vocabant, quod singulis in singulis scutellis porrigebatur. Pittantia vero, quæ fer. 2, 4, 6, illud quod duobus in una scutella ministrabatur ex eodem Udalrico.

De Cisterciensibus ita liber Usuum, cap. 108 : « Ubi quatuor hebdomadarii coquinæ fuerint, duo una die, et duo alia vicissim serviant. » His tamen adjungebatur cellerarius ex cap. 76, in quo sic legitur : « Cellerarius, et coci prævideant, ut ambo pulmentaria priusquam campana pulsetur (si sic tamen viderit expedire) per mensas disponant. » Quem morem forte respicit locus ex Vita S. Stephani, abbatis Obazinensis, lib. II, num. 19, quo cellerarius ex ejus præcepto refectorium præparasse, et mensas mantilibus ornasse dicitur (*Miscell. Baluz.*, *tom. IV*).

Præterea tam apud Cluniacenses quam apud Cistercienses a coquinæ hebdomadariis distinctus erat refectorarius, qui, adjutus ab aliis fratribus, si necesse esset, quotidie refectorium parabat, mantilibus, cochlearibus, cultellis, pane et vino mensas sternebat, cujus officium fusius descriptum habes apud Udalricum, lib. III, cap. 21, in Consuetud. S. Benigni, cap. 42, et in lib. Usuum Cister., cap. 118.

Quia exinde major merces et charitas acquiritur.] Quia *exinde*, scilicet vel ex ægritudine, aut ex causa gravis utilitatis, major merces acquiritur, si et illa patienter portetur, et ista debita devotione persolvatur; vel *exinde*, id est ex eo quod omnes sibi in-

vicem serviunt, major merces et charitas acquiritur, ac proinde nullus ab hoc officio excusandus, ut nec mercede privetur. Qualis autem et quanta sit illa merces exprimit S. Basilius his verbis : « Magnum opus *ministrare*, regnumque cœlorum procurans. Sagena est enim virtutum omnia in se mandata Dei comprehendens ; et primo humilitatem omnem in se virtutem comprehendentem, et bonorum infinitam multitudinem afferentem ; deinde et illud : *Esurivi et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere.* Et paulo ante renuntianti sæculo auctor est, ne patiatur alterum sua exsequi ministeria, ne privatus mercede, eam recipiat alter, illiusque divitiis ditetur.

Ut autem et certa merces in futuro, et charitas in præsenti sæculo acquiratur, non perfunctorie, aut tepide ministerium istud persolvi debet; nam bonum gradum non simpliciter ministranti promittit Apostolus, sed bene ministranti : porro ut bene ac debite ministretur, tria potissimum a coquinæ hebdomadariis requirit S. Adalardus in **445** Statutis. 1° Ut continuum inter laborandum silentium custodiant. 2° Ut pro necessariis tantum modo rebus loquantur ministri. 3° « Ut ipsum silentium cum fructu alterius mercedis ab omnibus illis ibi servari possit; psalmi, inquit, sine intermissione canendi sunt. » Docet postea quem in psallendo modum observare deberent. Ista disciplina vigebat apud Cluniacenses, teste Udalrico lib. II, cap. 35, ubi assignat psalmodiam in coquina recitandam. In mss. etiam S. Benigni Consuetudinibus cap. 35 hæc lego : « Ibi in coquina summum silentium, nulla vox, et pauca signa, excepta psalmodia, quæ canitur. » Præterea utile erit silentium et psalmodiam pio aliquo atque interiori animi affectu condire, ad instar egregii illius coqui monasterii Alexandriæ de quo S. Joannes Climacus (*Grad.* 4) : « Non possum facere quin vobis exponam coqui illius loci rarissimam, et plane singularem virtutem ; nam cum in culinæ ministerio perpetuo occupatum viderem, et sibi tamen semper præsentem jugique lacrymarum fonte inundatum, rogavi ne mihi aperire gravaretur, qua ratione tantam a Deo gratiam impetrasset. Coactus ille mea importunitate respondit : Non homini unquam sed Deo ministrare visus, omni me, inquit, quiete indignum arbitratus sum; et per contemplationem ignis præsentis, assiduam futuri inferorum incendii memoriam excitare consuevi. » Similem animi dispositionem in serviente requirebat S. Basilius (*Regul. Brev.*, *interr.* 160), cum interrogatus « cum qua animi affectione fratribus oportet ministrare, » respondebat : « Perinde ac si Domino ipsi ministraretur ; qui dixit : Quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. » Non minori ædificatione digna sunt ea quæ ad sequentem interrogationem, « cum qua humilitate aliquis accipere debet quod sibi ministratur a fratre, » respondet, scilicet, « cum ea qua servus cui a Domino suo ministraretur, et ea quam Petrus apostolus ostendit, cum ei Dominus ministraret, in quo et docemur de illorum periculo, qui recusant quominus sibi ministretur. » Hæc responsio aliam mihi revocat in memoriam, quam Silvanus S. Pachomii monachus (*Paralipomena de S. Pachom.*, *apud Boll.*, 14 *Maii*) fratribus interrogantibus, cur inter edendum perpetuo fleret, fecisse dicitur, nimirum : « Prohibere vultis ne plangam, cum tot mihi homines sanctos ministrare videam, quorum ego pulverem pedum abstergere dignus non sum? »

Imbecillibus autem procurentur solatia.] Imbecilles ex Hildemaro dicuntur : 1° licet minus proprie, delicati, quibus quasi a natura est, hujusmodi officium non posse exercere; 2° illi qui ex infirmitate surgunt; 3° claudi, et qui non possunt sine baculi adjutorio incedere : imbecillis enim dicitur quasi sine baculo. Imbecilles etiam Smaragdo et Bernardo Cassinensi sunt fragiles, delicati, vel debiles corpore : quod ad idem aut fere idem redit. Brevius et forte rectius Richardus de S. Angelo imbecilles vocat *monachos qui sunt modicæ potentiæ*. Hujusmodi ergo imbecillibus procurentur solatia, id est socii, unus aut plures, prout exigit necessitas. Huc vero respexisse videtur S. Adalardus (*In Statut. Specil. tom.* IV), cum non omnes ordine suo ministrare decrevit, **446** ne forte simul omnes senes, aut omnes juniores coquinæ servitium exercere contingeret.

Sed habeant omnes solatia secundum modum congregationis, aut positionem loci.] In quem locum ita Smaragdus . « Quod autem dicit secundum modum congregationis, secundum numeri modum et quantitatem intelligitur monachorum. Secundum enim multitudinem congregationis, et numerus ministrorum, aut minor, aut amplior deputetur. Quod autem dicit, ac positionem loci, intelligitur ædificatio, vel constructio monasterii. Constructio enim monasterii, si congruo ponitur loco, ubi secundum hujus Regulæ capitulum omnia in claustra contineat necessaria, minus coquus aliorum indiget adjutorio. Si vero in arcto loco et angusto vel arido ponitur situ, ubi nec aquam sine labore, nec hortum habere possint sine penuria, plura cocis administrentur solatia. » Eodem fere modo loquuntur Hildemarus, Bernardus Cassin., Nicolaus de Fractura, Richardus de S. Angelo, Boherius in utroque comm., Turrecremata, Mathias Lambertus, et Menardus.

Si major congregatio fuerit, cellerarius excusetur a coquina.] Cellerarium a coquina eximit S. Pater quia majoribus utilitatibus occupatur ; quapropter si proprio motu aut ex devotione istud officium secundum ordinem vicis suæ exercere voluerit, difficile, ei permittendum esse decernit S. Adalardus his verbis (*Stat. lib.* I, *cap.* 3) : « Senior autem cellerarius tam interius quam exterius, id est, vel in refectorio, vel in coquina, vel in his habitaculis quæ ad coquinam pertinent in omnibus, et pro omnibus sollicitudinem gerat, neque sibi aliter agendo, loquendo intemperanter vel se vel ea quæ agit tractare præsumat, nisi secundum quod religioni nostræ omnino conveniat. Nec quærendum, nec exigendum ab eodem cellerario est ut ipse, ac si propria devotione, in præparandis pulmentis se ingerat, et præfatam sollicitudinem ob hoc in aliquo postponat, sed potius secundum Regulæ auctoritatem aliud solatium, si opus fuerit, requirat, ut ipse quidem super hinc et inde ad ea quæ Dei sunt providenda liber remaneat. Hæc ideo non dicimus ut ejus devotioni, quando absque offendiculo præfatæ sollicitudinis fieri potest, obsistamus ; sed ne dum se in his quæ ad eum eo tempore non pertinent, ac si devotius immergit, certam sibi impositam providendi necessitatem postponere præsumat. » Apud Cistercienses (*Lib. Usuum Cist.*, *c.* 117) vero pertinebat ad cellerarium « præparare pulmenta cocis utriusque coquinæ, et mittere sal in pulmentis generalibus, et hæc per scutellas dividere, nisi ubi abbati aliquando visum fuerit, quod non possit fieri.... Panem et vinum, vel siceram hora competenti in refectorio ad distribuendum præparare ; illis qui ad prandium usque ad tertiam partem panis comedunt, ad cœnam de grossiori pane, ubi habetur, superaddere ; comedentes fratres tam ad prandium quam ad cœnam semel ad minus invisere. »

Egressurus de septimana sabbato munditias faciat.] **447** Quid per munditias hic intelligat S. P. Benedictus varie exponunt commentatores. Hildemarus omnium fere antiquissimus mentem suam ita exprimit : « Intentio S. Benedicti fuit, ut omnia in ipsa hebdomada faciat ; sed nunc quia labor grandis est, eo quod non possunt in coquina servire, et iterum porticus scopare, et cæteras munditias facere, idcirco dividitur isto modo ; id est in die sabbati scopatur coquina, et lavantur lapidea, et scutella, sive etiam scamna. In altera vero sequenti hebdomada scopant totos porticus, id est ante coquinam et ante refectorium. Capitulum vero et dormitorium ante vestiarium debet camerarius scopare, et ante basilicam basilicanus. Refectorium vero cellerarius debet scopare;

si labor illi fuerit, debet petere adjutorem a decano. » Hildemarus igitur munditias in verrendo monasterio et abluendis coquinæ vasculis reponit. Sed Bernardus Cassinensis munditias in tribus omnino constituit : 1° « Munditiæ istæ, inquit, sunt vasorum; 2° scopatio domorum; 3° ablutio linteaminum, cum quibus tergunt manus et pedes. » Idem sentiunt Boherius et Joannes de Turrecremata. At vero Matthias Lambertus S. Benedictum intelligit de sola vasculorum munditie; S. Hildegardis de sola scopatione; quam postremam sententiam tuetur Menardus his verbis : « Munditias faciat, id est verrat monasterium; unde Magister cap. 19 Regulæ : Munditias monasterii exerceant. Munditias facere est verrere. Plautus in Sticho : Munditias volo facere, afferte scopas. Neque hic locus S. P. Benedicti comprehendit vasa et lances, nam quotidie tergendæ sunt. » In mss. etiam Cons. S. Benigni cap. 35, munditias facere idem est « quod bene lavare cum scopis lavatorium claustri, et mundare pavimentum necessariarum. Quæ munditiæ in B Quadragesima inter sextam et nonam fieri debent; alio autem tempore post nonam, aut post prandium, si dies jejunii fuerit. »

Ad praxim vero hujus capitis respicere videtur quod præscribit Regula Magistri his verbis (*Cap.* 19): « In eadem hebdomada servitium ad mensas ipsi adimpleant, omnem diligentiam monasterii ipsi exerceant : ipsi omnes fratres in hebdomada ipsa discalceent, adjunctis in solatio de decada sua fratribus, cum quibus et discalceent, et ipsa calcearia faciant, et facto mane sedentibus ad ordinem fratribus ipsi consignent. Simul et in eadem hebdomada munditias monasterii exerceant, refrigeria lavent, ligna conscindant, aquam faciei tradant, ad communionem intrantibus fratribus aquam manibus ipsi ministrent. Mappas, et sabana, et facitergia, vel res sordidas fratrum ipsi lavent illis horis in quibus non coquent. Candelas monasterii a cellerario factas, quotidie ipsi incendant et tueantur. Mox enim cum in hebdomadam, ut diximus, prima die post primam dictam intraverint, C primum opus servitii sui munditias oratorii exhibeant, et mattas oratorii pavimento retendant; quod in totis septem diebus hebdomadæ suæ post matutinos dominicos hoc opus primum servitii sui oratorio exhibeant. » *Vide* Udal. lib. II, cap. 35; lib. Usuum Cist., cap. 108; Cæremon. Bursfeld. dist. 2, cap. 15.

448 *Lintea cum quibus sibi fratres manus aut pedes tergunt, lavet.*] Hic particula *aut* sumitur copulative pro, *et*.

Pedes vero tam ipse qui egreditur quam ille qui intraturus est, omnibus lavent.] Ita nimirum ut ille qui egreditur pedes lavet, qui vero ingreditur tergat, ex Hildemaro, Bernardo Cassinensi, Turrecremata, lib. II Consuetud. Clun. cap. 35, Consuetud. S. Benigni cap. 35, et Cæremoniali Bursfeldensium dist. 3, cap. 21. De hoc ritu est capitulum 10 monachorum ad Augiam directorum : « Ut in sabbato quando munditias facere solent, pedes cum silentio lavent, ne detur occasio loquendi. Ibidem vero sedentes collationem complent, et sic accedunt ad completorium. » Item et canon. 23 concilii Aquisgr. : « Ut in Quadragesima sicut et in alio tempore vicissim sibi pedes lavent, et antiphonas huic officio congruentes decantent. In Cœna vero Domini pedes fratrum, si valet abbas, lavet, et osculetur; demum proprio ria manu poculum eis porrigat. » Et canon. 24 : « Ut mandatum, si tempus cœnæ est, tam fratrum quam etiam peregrinorum post cœnam fiat. »

Ritum ita describit lib. Usuum Cisterc. cap. 108 : Hebdomadarii coquinæ redditis cellerario vasis, « præparent quæ ad mandatum necessaria sunt. Mox autem ut signum pulsaverit, induti scapularibus deponant cucullas in capitulo, et sic veniant in claustrum. Incipiente ergo abbate antiphonam *Postquam*, vel cantore, absente abbate; prior intrantium in coquinam abluat pedes abbatis, et junior tergat; hoc modo percurrentes cæteros in sinistra parte. Junior vero A exeuntium pedes lavet, et prior tergat, similiter percurrentes cæteros in dextra parte. Et ne hic ordo perturbetur, si duo abbates fuerint, minor abbas in dextra parte sedeat. Qui citius percurrerint, in alteram partem transeuntes alios adjuvent, qui quotiens ante eum qui collationem tenet, transeunt, reverenter inclinant. Qui pedes lavat, et cui lavantur, post ablutionem invicem se inclinent. Similiter qui tergit, et cui terguntur. Porro nemo se discalciet donec abbas se di calciet : discalceati vero observent quantum possunt ne pedes nudi appareant, sed sub cuculla recondantur. Nec sedentibus manicæ defluant, sed apte eas ante se componant. Ante lectionem omnes sint recalceati.

Ex dictis hactenus tria sunt observanda. 1° Hanc pedum lotionem quam mandatum vocant aliquibus in locis factam fuisse sub silentio; ut ex cap. Monachorum ad Augiam directorum apparet; in aliis cum cantu, ut ex conc. Aquis. et ex lib. Usuum Cist. colligitur. 2° Factam fuisse ante completorium ex cap. Monachorum ad Augiam directorum, idque post cœnam ex conc. Aquisgr. Scribit tamen Boherius in monasteriis Cassinensi et Specus fieri solitam ante vesperas, excepto Quadragesimæ tempore. 3° In claustro ex libro Usuum Cisterc. et ex statutis S. Germani a Pratis; *ante capituli arcum* ex Consuet. S. Benigni Divion. cap. 35.

Hunc porro ritum, quem ex Regula nostra S. Fructuosus in sua c. 9 **449** transcripsit, S. P. Benedictus ab antiquis monachis acceperat, apud quos ut scribit Cassianus (*Cass. lib.* IV, *cap.* 19), post cœnam, non sabbati, ut vult S. Benedictus, sed dominicæ, qui fratribus hebdomada præterita servierant, iis pedes lavabant. In præcipuis tamen festivitatibus earumque vigiliis, non sabbato, sed feria quinta præcedenti solebant nostri mandatum celebrare. Ex his in mss. sancti Benigni consuetudinibus recensentur « sabbatum ante Pentecosten, ante natale Domini, et Assumptionem B. Mariæ et Dedicationem ecclesiæ, et festum omnium Sanctorum, Purificationem quoque B. Mariæ, et solemnitatem SS. Trinitatis, et natale S. Mauritii, si tamen in sabbatis, aut dominicis diebus evenerint. » In libro etiam Usuum Beccensium istud statutum reperio : « Si vigilia Natalis Domini sabbato contigerit; feria quinta ante mandatum debet fieri. Pro nulla alia vigilia mutatur mandatum, si evenerit sabbato. Quod si ipsa festivitas Natalis Domini, vel aliqua de his qui primam processionem habent, sabbato eveniant, quia videlicet invitatorium a quatuor vel a tribus dicitur; similiter feria quinta ante debet fieri mandatum. Et si Annuntiatio sabbato evenerit, fiet mandatum feria quinta. » Et in mss. Statutis S. Germani a Pratis : « Si festum duplex die dominico evenerit, non fiet sabbato præcedenti mandatum in claustro, sed fiet die Jovis præcedentis. » Primus qui huicce mutationi locum dederit in antiquo Corbeiensi ordinario ms. perhibetur S. Odilo, abbas Cluniacensis, D qui, ut ibidem dicitur, sanxit ut mandatum « feria quinta præcedente Pentecosten a fratribus celebretur. In Nativitate etiam Domini, natalique summorum apostolorum Petri et Pauli, et Assumptione B. Mariæ, si in sabbatis, aut in dominicis diebus evenerint, hoc idem fieri quinta feria censuit. » Quibus S. Hugo addidit « festum Vinculorum B. Petri, et festivitatem omnium Sanctorum, et transitum B. Martini, Purificationem quoque B. Mariæ, et Dedicationem ecclesiæ, si extra Quadragesimam evenerit, et solemnitatem SS. Trinitatis. »

Vasa ministerii sui munda et sana cellerario reconsignent. Qui cellerarius item intranti consignet, ut sciat quid dat, aut quid recipit.] Idem decernunt S. Isidorus in Regula, cap. 19, et Magister, cap. 16. Ex mente autem S. P. Benedicti cellerarius, ut ait Hildemarus, ab egredientibus « tria debet requirere in vasculis, hoc est munditiam, integritatem, atque numerum; munditiam, si munda sunt; inte-

gritatem, si sana sunt; numerum, si tota sunt. »

Quærit vero hic Boherius quandonam cellerarius intrantibus hebdomadariis vasa coquinæ reconsignare debeat? Respondetque, Aut statim ut egrediens reddiderit, aut saltem ante completorium, aut demum dominica, finitis matutinis. Certe veteres monachi a quibus S. P. Benedictus hunc canonem in suam Regulam invexit, feria secunda, qua suam incipiebant hebdomadam, post matutinos hymnos hujusmodi utensilia sibi succedentibus consignabant (*Cassian. lib.* IV, *cap.* 19). Ex libro autem Usuum Cisterc. « statim post vesperas, si dies jejunii fuerit (*Cap.* 108); aut post **450** refectionem servitorum, si Quadragesima; vel post cœnam eorumdem, si dies fuerit prandii, vasa, et cætera quæ in coquina receperunt, cellerario reddant, et cellerarius intranti. Quod si aliqua de his quæ reddenda sunt, desunt, in capitulo satisfaciant; et quæ defuerint notificent. » Horum vasorum seu utensilium numerum et nomina offendes apud Udalricum, lib. II, cap. 36, et in mss. Cons. S. Benigni cap. 35.

Obiter hic notandum ad eos, qui ex coquinæ exercitio exibant, pertinuisse sequenti hebdomada communem focum hiemis tempore præparare, ut discimus ex his Hildemari verbis (*Comm. in cap.* 6): « Abbas debet locum deputatum habere, ubi se calefaciant, et illi debent facere focum, qui hebdomadam coquinæ dimiserunt. » Et ex Udalrico (*Lib.* I, *cap.* 41): « Quod si tanta est hiemis asperitas, est officina in qua grandis focus ab ipsis fratribus qui fuerunt coqui prioris septimanæ præparatur; et illuc omnes tam majores quam minores licenter accedunt, cum summa tamen gravitate, sicut dignum est in tali hora. » Apud Cistercienses tamen huic muneri deputabatur infirmarius, ad quem pertinebat « ignem in calefactorio per hiemem post vigilias, vel post matutinas, vel primam facere (*Lib. Usuum Cisterc.*, *cap.* 116). » In Corbeiensi monasterio fratres *vice sua* hiemalem calefaciebant domum, ex Vita Walæ abbatis lib. I, cap. 11 (*Sæc.* IV *Ben.*, *part.* I). In Regula vero Cujusdam ad virgines præscribitur (*Cap.* 12), ut « focos in schola pœnitentes, si fuerint, binæ et binæ per hebdomadas faciant. »

Circa focum communem tria hic observanda veniunt: 1° Quod ex Concordia Dunstani, cap. 2, calendis Novembris fratribus concederetur *accessus ignis*; 2° quod sub silentio fratres se calefacerent, ex Hildemaro supra citato, 3° *Honeste, et non nudis pedibus præsente aliquo*, ut scribit liber Usuum Cisterc., cap. 72.

Septimanarii autem ante unam horam refectionis.] Hæc verba, *ante unam horam*, ita intelligit Bernardus Cassinensis, « ut si fratres reficiant ad sextam, isti debent recipere mixtum post tertiam; si fratres ad nonam, isti ad sextam; si fratres ad vesperas, isti ad nonam. » Cujus sententiam exponens Benedictus Haeftenus (*Lib.* X, *tr.* 4, *disq.* 9): « Ne autem, inquit, nimium anticipetur hæc mixti sumptio, tam Bernardum Cassinensem quam S. legislatorem prædictis locis intelligendum arbitror labente aut fere finita hora ultima ex tribus æquinoctialibus respondentibus uni horæ canonicæ; ita ut qui post tertiam jubetur mixtum sumere reficientibus fratribus hora sexta, illud sumat sub finem horæ quintæ; et qui ad sextam, aliis comedentibus nona, mixtum sumat circa finem horæ octavæ, sive paulo ante nonam; et sic de reliquis. » Mentem suam confirmat ex Smaragdo, qui hunc locum exponens, ita habet: « Quod autem dicit ante unam horam refectionis, subintelligitur in una hora illa antequam fratres reficiantur; » ex libro Usuum Cisterc. quo præscribitur (*Cap.* 73), ut « si dies fuerit prandii, ad mixtum percutiatur signum in ecclesia tribus ictibus ante sextam: si autem jejunii, totidem post sextam: » per horam sextam horam canonicam, quæ canitur in templo ante refectionem intelligens, non horam diurnam; et ex **451** Cæremoniali Bursfeld., in quo hæc leguntur

A (*Dist.* 3, *c.* 17): « Omni tempore decantata in ecclesia hora illa, post quam immediate reficere debent fratres, sive sexta fuerit, sive nona: si dies talis fuerit, quo mixtum præsumere solent, lector mensæ et servitor in sumptione illius festinent prævenire refectionem fratrum, ne illa forte propter eos retardetur. » His omnibus addere potuisset Hildemarum, qui S. Benedictum ita explicat: « Cum dicit ante unam horam, non dicit propter terminum horæ, sed propter congruum intervallum, ut possint rationabiliter accipere hoc quod jussum est; quia sic aliud dicit de lectore: Accipiat mixtum priusquam incipiat legere, verbi gratia, si tempus est quando ad nonam reficiunt fratres, cum canitur missa ad octavam; et post missam vadunt omnes qui debent accipere mixtum, id est hebdomadarii coquinæ, lector, hospitalarii, et qui infirmis serviunt pariter, et inveniunt quartam libræ panis præparatam, et singulos biberes. »

Huic opinioni ultro assentirer, ni refragari vide-
B rentur ea, quæ subjungit S. Benedictus, *In diebus autem solemnibus usque ad missas sustineant.* Quæ verba supponere videntur aliis diebus ante missam, sive ante horam qua diebus solemnibus missa finitur (nam tempore S. Benedicti privatis diebus probabiliter non canebatur missa publica) mixtum esse sumendum; una scilicet, aut circiter, hora ante refectionem. Et certe quotquot viderim in Regulam S. Benedicti versiones Gallicæ, hunc locum ita reddunt: *Une heure avant la réfection.* Opinionem nostram sequitur Carolus Cointius, Oratorii presbyter doctissimus (*Annal. eccles. Franc.*, *ann.* 544); confirmatque capitulum quinque monachorum ad Augiam directorum, quo decernitur ut legentibus fratribus, « hora qua præviderit præpositus competere, sive qui in vice ejus constitutus, id est senior decanus, pulset signum tintinnabuli, ut hebdomadarii, et cæteri servitores juxta præceptum Regulæ accipiant supra statutam annonam mixtum, ut non sit eis grave jejunium, dum ministrant, sustinere. Lector vero post
C sextam, antequam accedat ad legendum. » Ubi distinguitur hora qua hebdomadarii servitores sumerent mixtum, ab ea qua lector mensæ.

Accipiant super statutam annonam.] Hæc verba duobus modis intelligi possunt; vel ita ut panis et vinum de statuta libra panis et hemina vini sumantur, vel ita ut ad statutam panis ac vini annonam aliquid superaddatur; ut idem sit *super*, ac *præter*, *insuper*. Priorem sensum sequuntur Menardus, Carolus Cointius, dissertator Gallicus de hemina vini et libra panis Benedictina, cum quibusdam Regulæ versionibus Gallicis. At sententiam in altera dissertationis editione retractavit dissertator, num. 32, ubi contendit *super* a Græco ὑπέρ formatum, unde etiam *insuper* proprie significare id quod superabundat. Idem sentit Matthias Lambert, et monachus Cisterciensis in Gallica expositione Regulæ S. Benedicti, quorum primus Regulæ textum ita Gallice reddidit, *outre la portion ordonnée*, alter vero, *pardessus la portion qui*
D *leur est dessignée.* Eodem modo etiam S. Benedictum explicat Theobaldus Artaldus Cœlestinus; confirmaturque ex praxi, quam videre est **452** apud Hildemarum, et maxime apud Udalricum: « Ad mixtum, inquit, non accipiunt nisi quod S. Benedictus præcipit, quartam partem panis *absque libra sua;* et de vino similiter: » et ex Regula S. Cæsarii ad virgines, quæ jubet ut « quæ coquunt, singulis illis meri pro labore addantur; » et certe S. Benedictus biberes et panem non indulget nisi propter graviorem laborem; cum vero propter laborem aliquid concedit, illud solet consuetæ annonæ superadditum esse, ut cap. 39, 40 et 41. Adde quod in sententia Menardi et dissertatoris, qui tantopere heminam contrahunt, si de hemina vini assumendi essent biberes, vix aliquid superesset ad prandium, et ad cœnam; nec magnum S. Pater concessisset solatium, quod certe non impediret quo minus cum gravi labore servirent

Neque eam tamen indulgentiam habuit Regula.

Orientalis (*Cap. 6. Idem habet Regula S. Pachomii, art.* 41), statuens, ut « qui coquinat, antequam fratres reficiant, non gustabit quidquam. » Sed neque Regula Magistri (*Cap.* 21), volens ut post communionem ab Oratorio hebdomadariis exeuntibus dicat abbas : « Videte fratres ne ante orationem communem mensæ præbendam aliquid de cibo aut de potu suasione diaboli præsumatis, etc. »

Singulos biberes.] Biberes, ut aiunt Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Boherius, et Turrecremata, « sunt parva vascula, quæ plena sufficiunt ad unum haustum moderatum. » Suffragatur epistola Theodemari ad Carolum Magnum Augustum : « Direximus etiam mensuram unius calicis, quam obsecuturi fratres juxta sacræ Regulæ textum solent accipere. »

Et panem.] In quali pondere non exprimit. Frustulum designat Antonius Perez, sive, ut loquitur Smaragdus, *modicum panis;* quod modicum Boherius ita explicat, *ut ultra quartam partem libræ propensæ non ascendat.* Atque ita communis ordinis nostri usus olim obtinebat ut coquinæ hebdomadariis cum vino quarta pars libræ panis ad mixtum indulgeretur, ut patet ex Hildemaro, Udalrico, Bernardo Cassinensi, Boherio et aliis. Camaldulenses buccellam panis, et vini cyathum concedunt; Cassinenses tantum vini quantum potest capere unus scyphus, cum quo in refectorio bibitur, et circa uncias duas panis; Fulienses, quatuor ad summum panis uncias omni tempore, præterquam in diebus jejunii ecclesiastici, quibus ad summum duas uncias cum vini scypho permittunt. Bursfeldenses quartam libræ panis partem, et de potu tertiam partem mensuræ cuilibet in die competentis. Apud Cistercienses monachorum mixtum erat *quarta pars libræ panis, et tertia pars eminæ vini;* conversorum vero *medietas libræ panis sui, vel major quantitas grossioris, et aqua* (*Antiq. Definit., dist.* 14, *cap.* 5, *et Inst., dist.* 14, *cap.* 14); quod non satis distinxit Joannes Craesbeek; sed neque Benedictus Haeftenus, hunc antiquarum definitionum ordinis Cisterc. locum proferens lib. x, tract. 4, disq. 7.

Scribit præterea Boherius vidisse se « in Francia dare hujusmodi servitoribus legumina, vel olera, in parva tamen quantitate, et modica, respectu prandentium, quod non reprobo, » inquit. Sed hoc **453** præter Regulam S. P. Benedicti; quamvis id aliquando permittant Bursfeldenses, in quorum Cæremoniali reperio (*Dist.* 3, *c.* 17) : « Diebus quibus uti licet mixto, poterit abbas, quibus necessarium viderit, loco mixti pulmentarium aliquod indulgere. » Addit Boherius : « Vidi in quibusdam magnis monasteriis dare panem sine certa mensura hujusmodi prægustantibus; sed magister novitiorum, quia ibi consueverunt pueri confluere, faciebat signum sufficientiæ; et tunc uno momento omnes pariter recedebant. »

In diebus autem solemnibus usque ad missas sustineant.] Hujus exceptionis varias rationes afferunt antiqui Regulæ commentatores. Imprimis Hildemarus mentem suam ita explicat : « Consuetudo namque fuit in illa terra, sicut et hodie faciunt canonici, post missam statim incipere sextam. Voluit itaque B. Benedictus tollere hanc consuetudinem; ideo dixit usque ad missam sustineant, ut dum ante missam non audet lector manducare, facto intervallo propter illum illa consuetudo rumperetur. » Aliter Smaragdus : « Quod autem dicit usque ad missas sustineant, intelligitur usque ad missam principalem, quæ ab omnibus solemniter canitur. Nam sunt plerique monachorum ministeriales, qui mane audiunt missam, et comedunt, et pergunt quo volunt, et dicunt se missas audisse, et ita comedisse : quod vitium prævidens, et prohibens B. Benedictus dixit : In diebus solemnibus usque ad missas sustineant. » Boherius vero in primo commentario : « Forte quia habent spectare lectorem mensæ in hujusmodi mixto. Lector enim in fine missæ majoris jejunus recipit li-

A centiam, et benedictionem legendi; et tunc expone Solemnibus, id est dominicis. Vel forte quia illis diebus majorem missam quisque ex integro, et jejunus audire debet. Vel quia illis diebus solemnibus quique fideles tenebantur ad aliam ecclesiam concurrere, et communionem secundam recipere, vel accipere. » Sed aliam hujus exceptionis causam nullam existimo, quam ut sacram eucharistiam in missa solemni jejuni perciperent. Atque ita docet præfatus Boherius in secundo commentario ad verbum *ad missas* sic scribens : « Ut integre ipsas jejuni audiant, et in eis pure communicent, ac devote. » Quod confirmatur ex cap. 38, quo præscribitur ut lector mensæ dominica *post missas et communionem* ingrediatur ad legendum. Ex quibus duobus locis haud obscure colligitur antiquos ordinis Benedictini monachos saltem diebus dominicis festisque, ut vocant, de præcepto sacram percepisse eucharistiam. De Augiensibus res absque controversia est ex ca-
B pitulo 4 Monachorum ad Augiam directorum : « Ut in dominicis diebus omnes pariter secundum quo ingressi sunt ordine in monasterium, sic accedant ad pacem, ad communionem, præter illos qui pro nimia senectute, vel infirmitate, inter illos stare non possunt, qui tamen separatim communicant. Si quis vero hoc spiritali dono, id est corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi se privaverit, Pater monasterii, qui præsens semper esse debet dum communicant, **454** cur hoc illi evenerit scire debet omnino. » De aliis vero Germaniæ monachis ita præscribunt Germaniæ Consuetudines mss. n. 21: « Communionem dominicam tempore duodecim lectionum, pacem, oblationem quoque tempore suo nullus prætermittere audeat absque permissu prioris. » Et certe citra omnem dubitationem videtur S. Pater Benedictus priscorum monachorum æmulatus fuisse exempla, qui, teste Cassiano (*Lib.* III, *c.* 2), sabbatis dominicisque diebus *sacræ communionis obtentu* hora tertia convenire solebant; quique, ut
C scribit S. Joannes Damascenus (*In Vita SS. Barlaam, et Iosap., lib.* I *de Vit. Patr.*), « procul inter se constructis ædiculis dominicis diebus ad unam et eamdem ecclesiam pergunt ac divina mysteria, hoc est incruentum puri corporis et pretiosi sanguinis Christi sacrificium percipiunt. » Ubi Sinaitas monachos designasse videtur, de quibus S. Nilus in Historia cædis SS. Patrum in Sina (*Apud Boll.* 13 *Jan.*) : « Diebus autem dominicis ad unam veniunt ecclesiam, et inter se conveniunt post unam hebdomadam.... Divinis itaque communicant sacramentis, et se invicem excipiunt convivio exercitationis eorum quæ convenit eloquiorum. » Idem de S. Gerasimi discipulis narrat Cyrillus in Vita S. Euthymii n. 89 (*Apud Boll.* 20 *Jan.*). De Pachomianis audiendus est Palladius, seu potius angelus in Regula S. Pachomio tradita (*Lausiac.* 38) : « Ingredientes autem ad Christi communionem sabbato et dominica zonas solvant, et pellem ovillam deponant, et cum sola cuculla in-
D grediantur. » Atque ad hunc morem referendum est quod interrogatus a Paphnutio S. Onuphrius (*Lib.* I *de Vit. Patr.*) : « Pater benigne, die dominico et sabbato communionem percipiebas ab aliquo? » Respondit : « Omni die dominico, vel sabbato angelum Domini paratum invenio sacrosanctum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi secum deferentem; » et quod de S. Severo abbate Agathensi scribunt : « Tantum diebus dominicis post perceptam eucharistiam sumebat escam. » Nimirum cum S. abbate Theona sibi persuasum habebant justius esse, « ut cum hac cordis humilitate qua credimus et fatemur illa sacrosancta mysteria nunquam pro merito nos posse contingere, singulis ea dominicis diebus ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus, quam ut vana persuasione cordis elati, vel post annum dignos eorum participio nos esse credamus. » Ubi quosdam redarguit, qui in monasteriis consistentes, dignius ac devotius se communicaturos ex-

stimabant, si differrent in annum: quibus cum Ambrosio, seu quovis alio dicere potuisset (*De Sacrament.*): « Si quotidianus panis est, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit; sic vive ut quotidie merearis accipere. »

Non defuere tamen qui etiam frequentius, imo quotidie divinis mysteriis participarent. Macnus monasterii abbatis Petri monachus (*Lib.* x *de Vit. Pat*, c. 17) *tertio singulis hebdomadibus communicabat.* S. Simeon Stylita (*Lib.* I *de Vit. Pat.*) quotidie *divinum cibum* percipiebat. De abbate Apollonio ita scribit Ruffinus (*Lib.* II *de Vit. Pat. c.* 7): « Consuetudo autem erat apud eum ut fratres qui cum ipso manebant non prius cibum sumerent quam communionem dominicam **455** perciperent circa horam diei nonam; et post hoc sic interdum usque ad vesperam permanebant.... Sed et hoc monebat, ut si fieri posset quotidie monachi communicarent mysteriis Christi, ne forte qui se longe facit ab his, longe fiat ab eo. » In Regula etiam Magistri decernitur (*Cap.* 16), ut quotidie cellerarius cum septimanariis coram abbate in oratorio cum congregatione communicet; » et in Regula Solitariorum Grimlaicus (*Cap.* 36): « Non mea, inquit, opinione, sed SS. Patrum assertione hæc utraque reor posse fieri; id est et missas quotidie celebrare, et sacrosancta corporis et sanguinis Domini mysteria quotidie cum tremore et timore sumere. » Sed et ut de nostris etiam mentionem faciamus, S. Dunstanus in sua Concordia (*Cap.* 1) præscribit ut « post pacem fratres quotidie (nisi qui crimine se aliquo vel carnis fragilitate reos cognoverunt) regulari studio prorsus intenti, eucharistiam accipere non renuant, attendentes illud quod ait B. Augustinus in libro de Verbis Domini, quod videlicet in oratione dominica non annuum, sed quotidianum poscimus panem. » In mss. quoque Germaniæ Consuetud. num. 28 legitur: « quotidie tamen eant cuncti ad pacem et ad communionem per totam hebdomadam Paschæ. »

Postea vero, refrigescente in dies monachorum fervore, res primum in statum revocanda fuit. Quapropter inter Statuta Petri abbatis Sylvæ Majoris istud reperitur (*Anno* 1188): « Monemus omnes et singulos nostros subditos qui non sunt in sacerdotio constituti, ut in quolibet die dominico corpus Domini recipiant reverenter. » Præterea aliquot post annis (*Anno* 1198) idem Petrus hortatur, « ut cum diaconus et subdiaconus ad quamlibet missam majorem conventualem fuerint revestiti, corpus Domini suscipiant reverenter. » Remissior postmodum evasit Clemens V summus pontifex, cum in concilio Viennensi sequentem edidit sanctionem (*Cap.* Ne in agro): « Singulis mensibus tam in monasteriis quam extra sublata occasione quacunque ad confessionem saltem semel accedant omnes et singuli monachi, et in prima dominica mensis cujuslibet in monasteriis semper communicent, nisi ex causa forte quam abbati, priori, aut pœnitentiariis monasteriorum non differant intimare, eorumque judicio vel abstineant, vel accedant. » Eamdem constitutionem ediderat antea Gregorius papa IX, renovavitque postea Benedictus XII in suis pro monachis Benedictinis item Constitutionibus, saltem quoad communionem, quam *in altari majori* fieri præscribit. Atque eo respexisse videntur monachi Grandimontenses, in quorum mss. Consuetudinibus, auctore Guillelmo Pellicerii abbate, hæc leguntur (*Cap.* 95): « Communicare debent fratres clerici et conversi in Natali Domini, Epiphania, Pascha, Pentecoste. De Consec. dist. 2, cap. *Et si non frequentius*, et cap. *A quibusdam*, et cap. *Sæculares*. Et ex institutione Grandimontensis ordinis fratres in festo Ascensionis Domini, Assumptionis beatæ Mariæ, et omnium SS., et prima dominica cujuslibet mensis, et in omnibus diebus dominicis diaconatum et subdiaconatum facientes. » Similem **456** fere observantiam de Cassinensibus suis refert

A Bernardus Cassinensis, cum hunc Regulæ locum exponens, sic loquitur: « Religiosi vero tenentur ad minus prima die mensis communicare secundum Statuta domini Gregorii papæ IX; et confessionem facere generalem. Consuetudo tamen nostra est certis festivitatibus generaliter communicare, quæ plures sunt quam sint menses in anno, ut servetur Statutum; et ultra hoc singulis diebus dominicis communicant ministri altaris; et quoties abbas celebrat in conventu ministri de consuetudine communicare debent, secundum quod etiam fit in Ecclesia Romana, quando scilicet habet summus pontifex celebrare. » Nunc vero Cassinenses singulis diebus dominicis communicare solent (*Decl. Cass. editæ anno* 1612). Ita quippe ad Regulæ cap. 38 declarant: « Ex eo quod hic B. P. Benedictus dicit: *Post missas et communionem*, et infra in eodem capitulo: *Propter communionem sanctam*, ostenditur quod quolibet die dominico fratres communicabant. Ideo mandamus B quod tam sanctum et antiquum religionis institutum servetur in singulis nostræ congregationis monasteriis; nisi forte ob reverentiam alicujus festi solemnis differatur, aut præveniatur hujusmodi communio. » In antiquis vero declarationibus ita legebatur: « Ostenditur quod quolibet dominico die fratres communicabant, quod ut fiat hortamur, præsertim tempore quadragesimali et Adventus Domini, et in festis præcipuis; non tamen astringimus præterquam in prima dominica mensis cujuslibet juxta Clementinam *Ne in agro*, nisi forte ob reverentiam alicujus festi solemnis differatur, aut præveniatur hujusmodi communio juxta concessionem domini Eugenii papæ IV. »

De ritu et modo accedendi ad sacram communionem diximus in lib. II de Antiq. monach. Ritib. Obiter hic observabo veteres monachos non genuflexos, sed propter reverentiam diei dominicæ, quæ genuflexiones haut permittebat, erectos communicasse, ut patet ex Regula Magistri (*Cap.* 21), quæ C de modo disserens, quo debent hebdomadarii coquinæ et cellerarius communicare, « post modicam, inquit, orationem erecti communicent, et confirment. » Quem locum non bene intellexit dissertator Gallicus de hemina vini et libra panis, cum in secunda editione hunc Magistri textum intellexit de communione charitatis et precum. Nam præterquam quod integrum Regulæ Magistri caput 21 legenti alia non potest oriri expositio aliquior quam de communione sacramentali, hæc verba *communicent et confirment* rem omnino determinant; *confirmare* enim apud ecclesiasticorum rituum auctores aliud nihil sonat quam Christi percipere calicem. Itaque *communicent et confirment* idem est ac Christi corpus et sanguinem accipiant.

Intrantes et exeuntes hebdomadarii in oratorio mox matutinis finitis dominica omnium provolvantur genibus.] Hic acute Hildemarus, « Bene, inquit, dixit genibus, et non in terra, eo quod non est auctoritas D canonica **457** genua flectere in die dominica. » Et Bernardus Cassinensis: « Non intelligas genuflectionem, sed supplicationem, quæ debet fieri ante et retro ad omnem partem; et ista est provolutio quasi per omnem partem volutio; non enim die dominica flectere genua de consuetudine licet. »

Postulantes pro se orari.] Idem post cœnam convenientes in unum ad concinendos ex more ante quietem hymnos, præstabant in Oriente veteres monachi, quemadmodum scribit Cassianus (*Lib.* IV, *c.* 19).

Egredientes autem de septimana dicant hunc versum: Benedictus es, Domine Deus, qui adjuvisti me et consolatus es me.] Idque ad gradum presbyterii et incurvi, uti diximus ex Udalrico l. II, cap. 35; libro Usuum Cisterc. cap. 108, et Cæremoniali Bursfeld. dist. 2, cap. 15.

Quo dicto tertio.] Scilicet ab egrediente, et ter repetito integraliter a choristis, inquit Boherius.

Recipiat benedictionem ingrediens.] Benedictionem cap. 11 S. Benedictus appellat orationem seu collectam, quæ nocturnas vigilias terminat: ita hic benedictionem vocat preces et orationes quæ super hebdomadarios recitantur, quæque ex Boherio proferri debent *ab abbate, priore, vel hebdomadario: ex* Udalrico. lib. II, cap. 35, Consuet. S. Germani a Pratis, Nicolao de Fractura, et Cærem. Bursfeldensium, *a sacerdote* hebdomadario.

Qualis autem esset illa benedictio non liquet. Hildemarus hanc profert: *Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut huic famulo tuo pro hujus hebdomadæ expleto officio merces tribuatur æterna. Per Christum.* Aliam ex ms. codice S. Victoris affert Menardus, his verbis contentam: ℣ *Mirifica misericordias tuas.* ℟ *Qui salvos facis sperantes in te a resistentibus dexteræ tuæ.* ℣ *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.* ℟ *Et de Sion tuere eum.* ℣ *Salvum fac servum tuum,* ℟ *Deus meus, sperantem in te.* Sequitur oratio: *Deus, qui dixisti, Venite omnes qui laboratis et onerati estis; hunc famulum tuum ministrationum suarum præmio refice sempiterno. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat,* etc. Eamdem describit Smaragdus in suo Comment. sed in plurali numero. In Breviario Cassinensi tempore Oderisii abbatis manu exarato ista habetur: ℣ *Salvos fac servos tuos.* ℟ *Deus meus.* ℣ *Mitte eis auxilium de Sancto.* ℟ *Et de Sion.* ℣ *Domine exaudi orationem meam.* ℟ *Et clamor meus ad te veniat.* ORAT.: *Deus, cui humilium semper accepta sunt vota animarum, respice super horum servorum tuorum fratrum nostrorum obsequia, et ad tuam eos fac pertingere gratiam, ut qui hanc hebdomadam serviendo fratribus suis devota mente compleverunt, plenissimam a te veniam consequantur. Per.* Eamdem indicant Udalricus et Consuet. S. Germani. Eadem et nos utimur.

Ad benedictionem ingredientium quod spectat, sequentes describunt præfati auctores: Hildemarus: *Præsta, quæsumus, omnipotens* **458** *Deus, ut famulus tuus istius hebdomadæ susceptum officium mente devota perficiat. Per Dominum.* Codex ms. S. Victoris: ℣ *Faciem tuam, Domine, illumina super servum tuum.*

A ℟ *Et doce eum justificationes tuas.* ℣ *Fiant aures tuæ intendentes.* ℟ *In operationem servi tui.* ℣ *Apud Dominum misericordia.* ℟ *Et copiosa apud eum redemptio. Adjuva, quæsumus, omnipotens Deus, famulum tuum in obsequio ministrantem fraterno, et sine murmuratione illi misericorditer propriæ ministrationis mercedem concede perpetuam. Per Dominum nostrum.* Eamdem orationem in numero plurali enuntiat Smaragdus. Denique Breviarium Cassinense: *Salvos fac servos tuos. Mitte eis.* ORAT.: *Misericors, ac piissime Deus, qui ubique famulos tuos tueris et adjuvas; horum servorum tuorum fratrum nostrorum in bonum accumula votum, auge desiderium, ut recto corde fratribus impendant servitia. Per.* Eamdem innuit Udalricus et lib. Consuet. S. Germani.

Regula Cujusdam ad virgines hæc ab ingredientibus dicenda præscribit (*Cap.* 12): *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum et terram;* et *Adjuva nos, Deus salutaris noster.* At vero Regula Magistri (*Cap.* 19) ita ingressuros introduci decernit:
B «Introituri, fratres, in hebdomadam, post primam in oratorio dictam adducantur a præpositis suis ante abbatem; et fiat de eis majoris suggestio dicens: *Jube, domine abba, vocari universam congregationem, et orari pro his fratribus qui ingrediuntur in hebdomadam coquinæ, ut mereantur commendati orationibus vestris diaboli impedimenta non timere, et congregationi Dei omnia sine culpa perficere.* Post hæc verba prosternant se illi duo fratres orationi ante abbatem, quod et retro omnis congregatio una cum abbate facere debet; et postquam levaverint se omnes, illi duo dicant hunc versum: *Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi; sub umbra alarum tuarum protege nos.* Postquam vero oratum pro eis ab omnibus fuerit, surgentes supradicti duo fratres, osculentur genua abbatis, et pacem suis tradant præpositis, vel omni congregationi; quibus post datam pacem præpositi sui dicant: *Ite, fratres, in nomine Domini Jesu Christi, intrate in hebdomadam; et petita benedictione omnia facite, dicentes per exer-*
C *cenda omnia:* Benedicite, *ut cum benedictum fuerit, quandocunque feceritis, maledictus diabolus impediendi ibi non habeat potestatem.*

CAPUT XXXVI

De infirmis fratribus.

Infirmorum cura ante omnia et super omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo, ita eis serviatur; quia ipse dixit [a]: *Infirmus fui, et visitastis me.* Et, *Quod fecistis* **459** *uni de his minimis meis* [b], *mihi fecistis.* Sed et ipsi infirmi considerent, in honorem [c] Dei sibi serviri: et non superfluitate sua contristent fratres suos servientes sibi; qui tamen patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior merces [d] acquiritur. Ergo cura maxima sit abbati ne aliquam negligentiam [e] patiantur. Quibus fratribus infirmis sit cella super se [f] deputata, et servitor timens Deum, et diligens ac sollicitus.

Balnearum usus infirmis quotiens expedit offeratur: sanis autem, et maxime juvenibus, tardius concedatur. Sed et carnium esus infirmis [g] omninoque debilibus pro reparatione concedatur. At ubi meliorati fuerint, a carnibus more solito omnes abstineant. Curam autem maximam habeat abbas ne a
D cellerariis [h] aut servitoribus [i] negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit quidquid a discipulis delinquitur.

[a] Al., *dicturus est.*
[b] Al. deest. *meis.*
[c] Hild., *in honore.* S. Donatus, *in timore.*
[d] Al., *merces et charitas.*
[e] S. Donatus, *ne aliqua negligentia.*
[f] Al., *per se.* Al., *desuper.* Al., *supra se.*

[g] Oxon. et Conc., *infirmis omnino debilibus.* Flor. cum quibusdam mss. et editis, *infirmis omnino debilibusque.* Sed nostra lectio est Cassinensium et Hildemari, eamque approbant Menardus et Haeftenus.
[h] Flor., *Cellariis.* antiqui solent legere *cellarariis.*
[i] Al., *a servitoribus.*

COMMENTARIUS.

Infirmorum cura ante omnia et super omnia adhibenda est, etc.] Nihil fortius aut expressius S. P. Benedictus præscribere poterat ad commendandam infirmorum curam, vixque aliud simile in cunctis SS.

Patrum regulis reperire est, nisi forte in illis quæ S. Benedicti textum transcripserunt, ut sunt Regula Donati ad virgines, et Grimlaici ad solitarios. Et quidem in Regula S. Antonii legitur (*Num.* 2): « Cum surrexeris mane singulis diebus, inquire de ægrotis qui apud te sunt. » Et iterum (*Num.* 34): « Visita ægrotos et infirmos, et imple mensuras seu vasa eorum aqua. » In Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii: « Si is qui talis est fuerit infirmitate obsessus, providendum est ab eo qui præest qualiter ipsa infirmitas sustenteter. » In Regula S. Pachomii (*Art.* 20): « Qui ægrotaverit, a præposito domus ducetur in triclinio ægrotantium; quod si opus fuerit palliolo, aut tunica, aut cæteris quæ ad operiendum, vel ad vescendum necessaria sunt, ipse præpositus a ministris accipiet, et dabit ægrotanti. » In Regula S. Cæsarii ad monachos (*Cap.* 17): « Infirmi tractentur, **460** ut citius convalescant. » In Regula S. Aureliani ad monachos (*Cap.* 53): « Cura illis vel studium impendatur donec convalescant. » Regula Tarnatensis præscribit (*Cap.* 21) ut persona præponatur strenua « quæ ægrotis cum pietate serviat, et monasterialem disciplinam regulariter custodiat, et quæ conveniunt infirmis rationabiliter expendat. » Idem habet Regula S. Isidori cap. 20. Regula vero S. Fructuosi (*Cap.* 10): « Ægroti omni miseratione et compassione fovendi sunt, eorumque languores congruo relevandi sunt ministerio. » In altera autem Regula (*Cap.* 7) infirmi « tanto ministerio foveantur, ut nec propinquorum affectus, nec urbium delicias requirant; sed quod necesse habuerint cellerarius et præpositus prævideant. » Denique Regula Magistri (*Cap.* 70): « Fratres qui se voluerint ostendere quam pleni sunt charitate, cum certamine ægrotos fratres visitent, consolentur et serviant. »

At plus his omnibus S. P. Benedictus. Neque enim simpliciter curandos jubet infirmos, sed eorum *cura*, inquit, *ante omnia et super omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo, ita eis serviatur*. Multa quidem in sua Regula *ante omnia* facienda, aut fugienda præscribit; at solam infirmorum curam, ut notat Hildemarus, *ante omnia et super omnia* adhibendam esse voluit; « eo quod, inquit, nulla res ita agenda est cum tanto studio quomodo obsequium infirmorum; nec ipsa ecclesia agenda est cum tanto studio quanto domus infirmorum. »

Porro quod dicit *ante omnia et super omnia*, « sciendum est, addit Hildemarus, quia ante omnia attinet ad tempus, super omnia ad studium, ut antequam cætera cura infirmorum fiat, et super omnia id est cum majori dilectione, et diligentia, atque studio, quam cætera. » Eodem modo Bernardus Cassinensis: « Intelligas ante omnia et super omnia, id est ante omnia opera infirmorum adhibeatur cura; et super omnia, id est cum majori dilectione, frequentatione, et assiduitate, et attentione quam cætera. » Idem habet Boherius. Ut autem hanc infirmorum curam amplius commendaret, addit:

Ut sicut revera Christo ita eis serviatur.] Revera, inquit, *quia res vera est*, aiunt Bernardus Cassinensis et Boherius, *Christo serviri in fratre infirmo*; unde et pie exclamat S. Bonaventura (*Stimulus Amoris part.* II, *cap.* 7): « Cur, anima, tota die anxiaris post Christum? Indicabo tibi, sponsa, quem diligit anima tua: certe in infirmaria jacet, ibi angustiatur, ibi dolore torquetur: curre, et sibi ministra, sibique compatere infirmanti. Non interrogemus eum de cætero, nec dicamus ei: ubi jaces, ubi cubas in meridie? quia jam novimus locum; scimus enim eum in infirmaria jacere, non autem restat nisi præstare obsequium. »

Quia ipse dixit: Infirmus fui et visitastis me, et quod fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis.] Ad quam Salvatoris sententiam attendens S. Basilius (*Apud Ruff. cap.* 30), interrogatusque « quali affectu debemus infirmis fratribus ministrare, » respondet: « Sicut ipsi Domino offerentes obsequium, qui dixit quia

A quæcunque feceritis uni ex his minimis fratribus meis, mihi fecistis. » Eo **461** haud dubium respiciebant Ægyptii monachi, de quibus S. Hieronymus (*Epist.* 22): « Si quis cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem; et tanto senum ministerio confovetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum. » Et Tabennenses, de quibus idem Hieronymus (*Præfat. in Regulam S. Pachom.*): « Ægrotantes miris sustentantur obsequiis, et ad omnem copiam præparatis cibis. »

Sed et ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi serviri.) Talesque se exhibeant, quales esse decet eos qui Christi vices gerunt et in quibus Christo ministratur.

Et non superfluitate sua contristent fratres suos servientes sibi.] Ut S. P. Benedicti mentem plenius attingamus, observandum variis ac diversis modis multifariaque, ut ita loquar, superfluitate infirmos contristare posse servientes sibi fratres. Primo superfluitate mœstitiæ, cum infirmitatis pondere gra-
B vati, nimium se morosos exhibent, ac de infirmitate plus æquo tristantur, longe ab illo venerabili sene dissiti, qui « cum frequenter infirmaretur corpore, et langueret, contigit ut uno anno nulla eum valetudo contingeret, et propterea flebat, et graviter ferebat dicens: *Reliquisti me, Domine, et noluisti me præsenti hoc anno visitare* (*Ruff. lib.* III *de Vit. Pat., num.* 158). » Tales salutari alterius senis monito sunt conveniendi. Hic, ut scribit Ruffinus (*Ibid., n.* 157), « infirmanti discipulo suo dixit: *Non contristeris, fili, ex infirmitate, vel plaga corporis tui; summa enim religio est ut in infirmitate quis agat Deo gratias. Si ferrum es, æruginem amittis: si vero aurum es, per ignem probatus a magnis ad majora procedis. Ne anxieris ergo, frater; si enim Deus te vult in corpore torqueri, tu qui sis, qui moleste feras? Sustine ergo, et roga Deum, ut quæ ipse vult, illa concedat.* » Neque vero hic necesse est S. Theodori Siceotæ exemplum proponere (*In ejus Vit., num.* 95; *apud*
C *Boll.*, 22 *April.*), qui vulnere afflictus in corpore, « illud sibi a Deo datum fuisse dicebat ut ei assidue gratias ageret. »

Secundo superfluitate querelarum, cum morbi impatientes, etiam tristitiæ addunt murmurium, quandoque etiam injurias. « Hi tanta sollicitudine admoneantur, inquit S. Fructuosus (*Cap.* 7), ut de ore eorum nec quantuluscunque vel levis sermo murmurationis procedat; sed in sua infirmitate cum hilari mente sine intermissione, et tulta (*sic*) murmurationis occasione, et vera cordis compunctione semper Deo gratias agant; et frater qui eis ministrat nullo pacto offendere audeat. Quod si aliquis, ut diximus, ex ore eorum murmurationis processerit scrupulus, ab abbate increpentur, et ne talia supradicta facere præsumant admoneantur, ita ut ille eos accuset qui hoc ministerium injunctum habet. » Acute vero notat Hugo Victorinus, seu quivis alius, ægrotantes religiosos, tam perfectos quam imper-
D fectos, quatuor de causis solere conqueri: scilicet de *infirmitate*, de *medicina*, de *cibo*, et de *ordine*. Et quidem imperfecti conqueruntur de infirmitate, « quia pondus infirmitatis inviti portant (*Lib.* I *de Claust. animæ, cap.* 12); de medicina, quod non subveniatur eis, ut ipsi dicunt, charitate fraterna; de cibo autem, eo quod non sufficienter, vel quomodo, **462** vel quando volunt ministretur eis; de ordine autem, imputantes ordinis gravitati infirmitatis suæ causam; et sic quod bene egerant male perdunt. Perfectiores vero contristari solent de morbo, eo quod fratrum labori interesse nequeant; de medicina, quod dispendium patiatur Ecclesia pro infirmitate eorum; de cibo dolent, eo quod delicata comedant nihil operantes, et quod aliquis eis serviat et ipsi nulli serviant; de ordine vero, quia a conventu fratrum separati delicatius tractantur. Si autem a lectulo fratrum in choro psallentium voces audierint, tunc psalmos ruminant, orantes in cubiculo cordis

clausis ostiis; et licet totam noctem pervigilem duxerint doloribus suis agitati, illos tamen beatos judicant qui per partem noctis Deo servientes laborant. Spondam lecti non egrediuntur, et tamen illos qui tædium claustri benigne ferunt, felices esse putant: nihil de ordine implere se fatentur; sed, nisi fallor, implent totum. Infirmitatis claustro coarctantur, disciplinantur anxietatum virgis et spinis dolorum; jejunant, vigilant, laborant, quia cibum, somnum, quietem infirmitas negat; et tamen si paretur lectulus suavior, si cogantur sine caligis dormire, quasi aliquid criminale fecerint, in hujusmodi vitam timent finire. Tales indigent consolatione, ne molestia corporis vel interioris hominis afflictione deficiant.» Imperfecti vero considerare debent in honorem Dei sibi serviri, non quidem a servis aut sibi inferioribus personis sed a fratribus. Et quid dico a fratribus? cum a ministris tanquam a Deo obsequia suscipienda esse asserat sanctus Basilius [*In Regul. ex vers. Ruff.*, *cap.* 30), idemque docuerit S. Antonius, cum elephantiaco, qui sibi servienti ab annis jam quindecim Eulogio monacho multas intulerat injurias, exprobrans dixit (*Lib.* VII *de Vit. Pat.*, *c.* 19): « Nescis quod qui tibi ministrat Christus est? quemadmodum ausus es contra Christum talia loqui? nam propter Christum se iste servitio et obsequiis subjugavit.»

Tertio sua superfluitate contristant infirmi fratres sibi servientes, cum oblata sibi ab eis remedia sumere recusant; id quod ex præfata tristitia, murmuratione, atque impatientia aliquando procedit; aliquando ex minus mortificati animi affectu, propter asperitatem atque acritudinem remedia respuente; aliquando ex indiscreto, aliquando ex pio majoris pœnitentiæ desiderio. Sed hi quantum incurrant periculum, apostoli Petri, ut docet S. Basilius (*In Regul. ex vers. Ruff. cap.* 30), ostendit exemplum; quos proinde etiam invitos ad suscipienda solatia cogere oportet ex Regula sancti Augustini, cap. 12, S. Cæsarii ad Virgines, cap. 39, et S. Donati, cap. 12: « Et certissime confidant, addit S. Cæsarius, quod quid, dispensante, aut jubente seniore, qualibet hora percipient *, in illa repausatione Christum accipient.»

Quarto servientibus sibi fratribus superflui sunt infirmi qui ea requirunt remedia quæ difficile aut vix possunt reperiri; quos tangit istud Guigonis, prioris Carthusiæ, statutum (*Stat. Guig.*, *c.* 38, *Antiq. Stat. Cart.*, *part.* I, *c.* 44): « Infirmi, secundum B. Benedicti dicta, ne superflua vel impossibilia petendo, vel forte murmurando servientes sibi contristent, diligentius admoneantur attendere, **463** ut memores arrepti propositi, ut sanos a sanis, ita ægrotos ab ægrotis sæcularibus debere cogitent discrepare, nec illa in eremis, quæ vix in urbibus inveniantur, exposcere.» Quod plane apprime noverat abbas Isaac, qui morbo periculoso laborans, oblatam sibi a fratre pulticulam in qua pruna missa fuerant degustare noluit dicens: « Certe, frater, cuperem in hoc morbo versari per annos triginta.»

Quinto, cum ea petunt remedia quæ, propter pretium, monasticæ quam voverunt paupertati repugnant. His prorsus S. Bernardus diceret, quod olim ad fratres de S. Anastasio scripsit (*Epist.* 321): « Unum a me petiit venerabilis abbas vester, quod mihi minime bonum videtur, credo autem quod et ego spiritum Dei habeam, et consilium Dei in hoc. Scio equidem quod in regione habitatis infirma, et multi aliqui ex vobis laborant infirmitatibus; sed mementote quis dixerit, *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*; et, *cum infirmor*, inquit, *tunc fortior sum*. Compatior utique infirmitati corporum, sed timenda multo magis, ampliusque cavenda infirmitas animarum; propterea minime competit religioni vestræ medicinas quærere corporales, sed nec expedit saluti. Nam de vilibus quidem herbis, et quæ pauperes deceant, interdum aliquid sumere tolerabile est: et hoc aliquando solet fieri: at vero species emere, quærere medicos, accipere potiones, religioni indecens est, et contrarium puritati, maximeque ordinis nostri, nec honestati congruit, nec puritati; hæc enim omnia gentes inquirunt: scimus autem quia qui in carne vivunt, Deo placere non possunt; spiritualia proinde spiritualibus comparanda, et quærenda potio humilitatis, et clamandum in toto corde: *Sana animam meam, Domine, quia peccavi tibi*. Huic sanitati, fratres dilectissimi, operam date, hanc sectamini, hanc servate, quia vana salus hominum.» Et Fastredus, tertius Clarevallensis abbas (*Inter epist. S. Bernardi epist.* 397): « In tui excusationem affers stomachi et capitis dolores, quodque communes tibi cibi officiant. Tota erras via, si credas monachum sæcularium medicinas sequi posse. Ad monasterium enim venimus, ut corpori incommoditates, et non commoda et voluptates quæramus. Si S. Paulo fortitudinem addebat infirmitas, quare domo medium tantorum bonorum causam exturbare niteris? Crede mihi, pater mi, sæpius S. Bernardum pultes ex farina confectas, addito oleo et melle, cum scrupulo edentem vidi ad stomachum calefaciendum. Dumque eum de hac austeritate accusarem, mihi respondit: *Fili mi, si monachi obligationem nosses, omnis buccella quam edis lacrymis irriganda foret; in hoc enim monasterium intramus, ut peccata nostra et populi deploremus, et panem quem suis laboribus paraverunt comedentes, horum peccata comedimus, ut ea tanquam propria lugeamus*. Addebatque præterea: *Nec sufficit monacho infirmitatem allegare; sancti enim Patres majores nostri valles humidas et declivés monasteriis exstruendis indagabant, ut sæpe infirmi monachi, et mortem ante oculos habentes, securi non viverent.*» Quanti ex priscis monachis **464** medicinas carnales corpori suo nunquam exhibuerunt, sed sola spe divina nixi, hoc uno usi sunt remedio, nullo uti remedio. Et quid dico monachos? cum non paucas feminas, vasa utique fragilia atque infirma, legamus omnem omnino medicinam respuisse. Longior forem, si per singulas discurrere aggrederer: at insignes illas cujusdam monasterii in Ægypto virgines prætermittere non possum, de quibus anonymus in Vita S. Eupraxiæ, num. 6 (*Boll.*, 13 *Mart.*): « Nulla earum pedes suos aliquando lavit aqua: de balneo vero superfluum est loqui; audientes enim vehementer vituperabant, confusionis et opprobrii plenam censentes vel solam mentionem, et tanquam rei abominabilis nec auditum quidem volebant tolerare.... Et cum aliquam earum aliquando contigerat infirmari, non ei fomentum, aut adjutorium aliquod medicinæ conferebatur; sed si quam contigisset ægrotare, tanquam maximam benedictionem a Deo accipiebat, et tolerabat languorem, donec eam visitatio dominica præveniret. Nulla earum januas exibat.» Stupendum est etiam Jonæ, Monchonsensis monasterii monachi, exemplum, qui cum annos octoginta quinque sub S. Pachomii legibus egisset, tamen « universi fratres de eo affirmabant, quod quis aut qualis esset ægrotantium locus publicus omnino nesciret, aut quibus rebus vescerentur infirmi (*Paralipp. de S. Pachomio*, *n.* 14, *apud Boll.*, 14 *Maii.*; *vid. ibid.*, *n.* 30, *et Joan. Mosch. Prat. Spir. c.* 18).» Hæc autem non sic proferimus, quasi monacho medicos consulere atque uti medicinis illicitum omnino esse censeamus, sed tantum ad comprimendam nimis anxiam quorumdam tuendæ valetudinis curam, et remediis quæ decent pauperes, virosque pœnitentiæ addictos, utendum; nec tam de complexione cogitandum quam de professione; monachi enim sumus, non medici: istorum est vitam conservare, nostrum minuere, et, quantum lici-

* Forte legendum:... *quod* QUIDQUID.... PERCIPIANT. EDIT.

tum est, ad mortem quantocius properare. Hæc erat olim S. Bernardi sententia, hæc Guigonis mens et opinio; unde et in statutis « medicinis, inquit (*Cap.* 39), excepto cauterio et sanguinis minutione, perraro utimur. » *Vide* lib. de Officiis et perfectione monachorum, cap. 22.

Sexto, superflui sunt infirmi, qui sibi noxia requirunt remedia; quibus cum frigida conveniunt, appetunt calida, et econtra; quibus S. Pachomius (*Art.* 20) : « Non poterit, inquit, languidus ingredi cellam vescentium, et comedere quod desiderat, nisi a ministro, qui huic rei præpositus est, ducatur ad vescendum. » Et S. Augustinus (*Regul. c.* 12) : « Si autem velit, et forte non expedit, suæ cupiditati non obediatur; aliquando etiam si noceat, prodesse creditur quod delectat. » Denique Fuliensium Constitutiones (*Cap.* 36) : « Ægri, ut medicis suis spiritualibus ad animæ salutem, sic medicis corporalibus et infirmario ad salutem corporis sancte obediant. »

B Septimo, inter superfluos etiam reponendi sunt qui inutilia petunt remedia, aut certe pro levibus adeo morbis, ut absque ulla medicorum opera sola possint curare patientia : quos admodum perstringit Petrus Blesensis his verbis (*Lib. in Job., cap.* 1) : « Si invenerit religiosus circa se pulsum velocem, aut urinam incensam, aut hebetem appetitum, consulit medicos, examinat species, electuaria facit, nullis utitur salsamentis, quæ **465** non sint condita ex cinnamomo, gariophilo, et nuce muscata. O quam odiosum est in homine, quod qui semper de hierarchia cœlesti debuerat loqui, de hierapicra, et hieralogadi (*Sic*) disputare discit. Religiosus iste discipulus potius est Epicuri quam Christi. Hoc capiti, inquit, hoc oculis, hoc stomacho, hoc hepati nocet. Butyrum convertibilis est naturæ, cervisia ventos facit, caules melancholici sunt, porri choleram accendunt, pisa guttam generant, faba constipat, lentes excæcant, caseus universaliter est pessimus. Diu ad orationem stare nervos debilitat, jejunare cerebrum C turbat, vigilare desiccat. Nunquid inveniuntur istæ differentiæ in Evangelio aut Prophetis? Certe non habet hoc institutio B. Benedicti; sed miseris hoc revelat caro et sanguis. » Hactenus Petrus Blesensis. Quid vero de his diceret, qui nullo affecti morbo, præservativa, ut aiunt, medicamenta sumunt? Haud dubium cum S. Bernardo exclamaret (*Bernardus Apol. ad Guill., c.* 8) : « Delicata nimis medicina est prius alligari quam vulnerari; membrum non percussum plangere, et necdum suscepto ictu admovere manum; fovere unguento ubi non dolet, emplastrum adhibere ubi cæsura non est. »

Octavo denique superfluis accensendi sunt qui sanitatis gratia ad domum paternam transfugiunt : quibus aliud nihil opponam quam istud regulæ tertiæ SS. Patrum decretum (*Cap.* 13) : « Id etiam pro custodienda fama specialiter statuimus ut nullus monachus in infirmitate positus, relicto monasterio, parentum suorum studio commendetur; quia magis D eum sæcularium spectaculorum visu aut auditu pollui censemus, quam ab ægritudine posse purgari. » Sed de his satis. Ad textum redeo.

Qui tamen patienter portandi sunt.] Si forte paulo molestiores sese exhibuerint : « convenit enim sanis infirmos portare, magis quam ab infirmis portari; necesse est enim ut patienter portemus infirmos, ut iterum infirmi patienter portemur a sanis, » inquit Smaragdus. Addit S. Augustinus (*Regul. c.* 12) : « Si latens est dolor in corpore famulæ Dei, dicenti quod sibi doleat, sine dubitatione credatur. »

Quia de talibus.] Scilicet morosis, superfluis aliisque omnibus infirmis.

Copiosior merces acquiritur.] « Pro patientia, pro labore, pro bona intentione, pro sancta devotione, » inquit Bernardus Cassinensis : unde interroganti cui- A dam fratri, cujus ex duobus opus majus esset, quorum unus sex diebus jejunaret, alter infirmis præstaret obsequium, respondit senex (*Lib.* VII *de Vit. Pat., cap.* 19) : « Si ille qui sex dies jejunat per nares se suspenderit, non erit similis illi alteri in conspectu Dei. » Nimirum dum alios curamus, nos ipsos sublevamus; et dum aliorum corpora purgare satagimus, animæ sordes ipsi emundamus, Deoque longe acceptiorem efficimus. Præclarum sane est quod de Joanne minore Thebæo, abbatis Ammonis discipulo, refert Ruffinus (*Lib.* III *de Vit. Pat., num.* 153). Hic nimirum « duodecim annis ipsi seni infirmanti fecit obsequium; senex tamen cum vidisset eum laborantem, nunquam illi sermonem blandum locutus est. Cum autem transiret de corpore, sedentibus aliis senibus, **466** tenuit manum ejus et dixit ei tertio : Salveris, salveris, salveris; et tradidit illum senibus dicens : Iste non homo, sed angelus est, qui tot annis mihi infirmanti, nec tamen bonum sermonem a me audiens, fecit obsequium. » *Vide* S. Dorothei doctrinam 14.

Ergo cura maxima sit abbati ne aliquam negligentiam patiantur.] Ex dictis initio hujus capitis S. Pater concludit : Ergo si infirmis tanquam Christo serviendum est, cura maxima sit abbati ne aliquam negligentiam patiantur. Hanc curam ad duo potissimum capita reducunt commentatores : ad ea quæ ad corporis sanitatem restaurandam, et ad ea quæ ad promovendam animæ salutem pertinent. Ita Bernardus Cassinensis, Boherius in utroque commentario, Joannes de Turrecremata, Matthias Lambertus, Joannes Craesbeeck, Benedictus Haeftenus. De his quæ ad corporis curam attinent se ipse S. Pater in consequentibus explicat; istud tantum obiter observandum occurrit quod habet Gregorius IX in sua ad monachos Benedictinos constitutione : « Infirmis autem fratribus in cibariis, in lectis, in servitoribus et aliis necessariis, secundum quod eorum requirit infirmitas, et continetur in Regula, præcipimus provideri. Et iis omnibus, si infirmarius inventus fuerit in defectu, per proprium abbatem, vel priorem abbas, vel prior per visitatorem cum ad locum accesserint, pœna puniatur condigna. » *Vide* Constitutionem Othoboni legati in Anglia anno 1248, apud Spelm. tom. II Concil. Angl., pag. 287.

De cura autem animæ nihil quidem hic definivit S. Benedictus, sed totum abbatis prudentiæ ac discretioni reliquisse videtur : hanc vero Bernardus Cassinensis in eo constituit, « ut infirmi de peccatis pœniteant, ut sacramenta recipiant, ut officium regulare audiant, ut visitentur, consolentur, admoneantur. »

In primis ergo sollicitum esse abbatem oportet, ut cum periculose ægrotare cœperit infirmus, viam ejus sacrosanctis pœnitentiæ, unctionis extremæ et eucharistiæ sacramentis muniat. Cum cœperit, inquam, periculose ægrotare : alias enim non solebant infirmi carnes pro infirmitate comedentes missam celebrare neque sacra communione eucharistiæ refici, cujus præclarum habemus statutum in antiquis Consuetudinibus mss. S. Benigni Divionensis : « Illi autem qui pro reparatione carnis in domo infirmorum ad tempus habitantes carnibus utuntur, a sacræ communionis perceptione abstinent. Illi vero qui ex toto, et semper, ubi habitant, nec carnibus utuntur, dominicis diebus et in majoribus festivitatibus, si voluerint, possunt communicare ad (a) sanctum Benedictum. Tamen illi qui carnibus utuntur sicut omnes communicant, si forte intervenerit aliqua de illis quinque præcipuis solemnitatibus. » Idem legitur in mss. Consuetudinibus Cluniacensis monasterii, cap. 51, quibus accedunt Farfenses item Consuetudines : « Frater exiens de domo infirmorum, post satisfactionem factam in capitulo, potest ipso die canere missam, si velit, quia quandiu fuerat in cellula infir-

(a) Hæc erat infirmorum capella.

morum. **467** ibi non permittimus canere missam.» Hinc etiam capiendus est locus ex Statutis Lanfranci (*Cap.* 24), quo præscribitur ut a die quo sacrum percepit viaticum, « nisi melioretur infirmus, carnem non comedat; » quia tunc quotidie communicabat, ut vidimus in lib. v de Antiquis monachorum Ritibus. Nimirum carnes comedentes ægroti tanquam excommunicati tractabantur, a communi fratrum habitaculo separati, sacrosanctis Ecclesiæ sacramentis privati, ab omni, ut aiunt, exercitio conventuali alieni : quibus nec fratrum se cœtui jungere licebat, nisi prius in capitulo solemniter fuissent reconciliati.

Secundo ex Bernardo Cassinensi curam gerere debet abbas ut *infirmi officium regulare audiant* : nam, ut dicit Hildemarus, *ante infirmos semper omnia officia canenda sunt.* Atque ita olim communis ordinis nostri usus obtinebat ut infinitis prope testimoniis et statutis comprobari posset. Insigne nobis suppeditat Victor papa III, in lib. II Dialogorum, ubi hæc scribit : « Quidam frater Joannes dicebatur, qui ætate et ægritudine pressus, extremum vitæ spiritum trahebat. Cum igitur quadam die aliqui ex fratribus more solito decantaturi matutinas laudes ad eum venissent, ille eos voce qua potuit compescuit dicens: Nolo, inquit, ut mihi canonicas horas amplius decantetis, quia dominus abbas cum multis fratribus albis vestibus indutis ad me modo gratia visitandi venerunt, mihique matutinale officium decantantes, post paululum se huc venturos, meque secum assumpturos esse dixerunt, etc.; » additque : « Hæc quæ retuli in quadam veteri paginula imperito satis stylo exarata reperi. » Simile est illud quod de S. Benedicto Biscopo refert Beda Venerabilis, quod scilicet ægrotans « quia nullatenus ad orandum surgere, non facile ad explendum solitæ psalmodiæ cursum linguam vocemque poterat levare, didicit vir prudens, affectu religionis dictante, per singulas diurnæ sive nocturnæ orationis horas aliquos ad se fratrum vocare, quibus psalmos consuetos duobus in choris resonantibus, et ipse cum eis, quatenus poterat psallendo, quod per se solum nequiverat, eorum juvamine suppleret. » Eadem disciplina in aliis etiam Angliæ monasteriis vigebat; nam in Croylandensi Turketulus abbas, ægrotante Clarembaldo monacho, ab eo « die nocteque non recedebat, sed juxta recubans, regulare servitium in auribus ægroti decantabat, » quemadmodum scribit Ingulfus, abbas ejusdem cœnobii (*Ingulf. in Hist. Croyl., anno* 974). In Gemmeticensi pariter Hugoni præcentori in vigilia S. Valentini ægrotanti fratres suggerebant (*Baldericus Dol. episc. in Histor. Transl. S. Val., apud Boll.* 14 *Febr.*) : « Non poteris ad ecclesiam pergere, quocirca te oportet hic seorsim vesperas celebrare; hic tecum remanebimus, et prout poterimus solemnizabimus. » Hæc omnia confirmat Udalricus, lib. III, cap. 29, ubi fratri ad infirmum excubare volenti permittitur, « maxime si est hujusmodi, qui infirmo horas cantet regulares, et venienti ad extrema legat passiones; » et liber Usuum Cisterciensium, cap. 68, quo item sacerdoti matutinas infirmis cantaturo, post inchoatum hymnum choro egredi permittitur.

Hæc autem præstabant aut in ipso infirmi cubiculo aut in oratorio, **468** quod « domus infirmorum prope debet habere, in quo missam saltem jacendo possint audire, et communionem accipere, » ut loquitur Hildemarus, scilicet cum abstinerent a carnibus, aut una ex quinque præcipuis festivitatibus contingeret, quibus tantum infirmis carne vescentibus agni immaculati carnem edere permittebatur, ex supradictis. Idque cum ea esset infirmi debilitas, quæ strato exsurgere non sineret ægros : alioquin sive die, sive nocte simul in præfato oratorio divinæ servitutis pensum persolvebant, ut videre est apud Udalricum, lib. III, cap. 25; in mss. S. Benigni Consuetud., cap. 46; in libro Usuum Cisterc., cap. 92; in Cæremon. Bursfeld., dist. 3, cap. 30; sed maxime in Farfensis monasterii Consuetudinibus, in quibus hæc omni admiratione digna continentur : « Infirmi fratres, ut missi fuerint in domo infirmorum pro sua ægritudine, ad nocturnale obsequium mox ut signum sonuerit, surgant et ipsi, veniantque in oratorium S. Mariæ, faciant orationem prout Dominus melius dederit, residentibus (*sic*) demum in loco suo; dumque iterum pulsatur signum, muniant se signo S. crucis, et incipiant canticum graduum. Illi fratres, qui non valent surgere, eant famuli servientes eis, et educant illos sustentantes ulnis suis in ecclesia, atque collocent ut melius potuerint. Ingratum nulli apparere debet hoc factum, quia sæpe vidimus in eodem die fratrem finire ex hac luce, et ad Christum transire, et jam in ipsa ecclesia exhalare spiritum. Quis de talibus dubitet quod non statim ad regna polorum penetrabunt? Divina opera dulcia sunt volentibus, amara videntur nolentibus. Ita debent opus Dei per omnia agere sicut illi in monasterio, præter quod leviter atque cursim dicant, intervallum non agant, *Deus auribus* dimittant, expleto opere Dei revertantur dormitorium. Illi vero qui ita nimietate infirmitatis detinentur, quod nullo modo consurgere valeant, mox ut in monasterio fuerint celebrata nocturnalia obsequia, annuat ille qui ordinem tenet duobus fratribus, qui illis divinum opus decantent. »

Tertio, vult Bernardus Cassinensis ut visitentur infirmi, eisque abbas consoletur. De visitatione infirmorum diximus supra ad cap. 4 : unum duntaxat hic addam statutum ex Consuetudinibus Farfensis cœnobii : « Undecunque revertitur D. abbas, debet ibidem venire et inquirere unumquemque quot habeat, sive morum animæ, sive corporis valetudines, vel si aliquid necessitatis aut negligentiæ a servitoribus, vel a cellerariis patiantur; et ut inspiciat si aliquis ex eis bene convaluerit, licentiam det redeundi in claustro. »

Quarto, ut *admoneantur* propriæ nimirum consulere saluti, ne prætextu infirmitatis omnem abjiciant regulæ observantiam. Sub admonitionis autem nomine intelligendæ sunt etiam reprehensiones et correctiones : unde etiam Udalricus : « Circatores, inquit (*Lib.* III, *c.* 27), frequenter visitant domum infirmorum, et diligenter explorant quomodo ipsi se habeant infirmi; et iterum infirmarius, si quam viderit negligentiam, maxime in loquacitate, reclamat in capitulo; prior autem de capitulo **469** mittit ad eos, et ipse postmodum venit semel ad eos, et secundo castigans, talisque infirmus esse potest, ut si non emendaverit, aliquando etiam virgam experiatur. » Et liber Usuum Cisterciensium (*Cap.* 92) : « Quod si quis talis fuerit qui cæteros inquietare, aut de ista infirmorum institutione murmurare, aut in aliquo transgredi præsumat, corripiatur; quod si sæpe correptus non emendaverit, si ita videtur abbati, judicetur ejus perversitas in capitulo, ubi vocatus coram omnibus arguatur : quod si nec se correxerit, si ejus permittit infirmitas, regulari etiam disciplinæ subjaceat. »

Præterea ad curam animæ infirmorum referri possunt præclaræ illæ leges quas olim observare cogebantur; ex quibus hic aliquas describere haud erit fortassis ingratum. In primis curabant ut singulis diebus missæ sacrificio interessent infirmi : « Surgentibus vero illis, inquiunt Farfenses Consuetud., ut supra, ex lectulis suis, luce diei apparente, vel orto jam sole, lavent manus et facies suas, et conveniant in oratorium S. Mariæ, et audiant missam ab illis sacerdotibus qui illic primo mane conveniunt. At ubi minus sunt, veniat frater qui super eos sollicitus est, in claustro, et annuat fratri quem ipse velit, exeat, et dicat, et qui communicare vult, faciat. Nullo quippe tempore præterire debent quod ipsi infirmi sacrum per singulos dies non audiant. Legere autem aut missas canere nulli ex ipsis liceat facere quandiu illuc fuerint, præter psalmos memoriter, aut si voluerint psalterium. » Udalricus (*Lib.* III, *c.* 27) : « Ad utramque missam matutinalem et majorem venit ad ecclesiam; ad missam majorem non-

nisi usque post Evangelium intersit. » Et lib. Usuum Cisterciensium (*Cap.* 92): « Horas diei simul congregati cantent; dehinc qui voluerit eat in ecclesiam ad horas: ad missam vero quotidie nisi multum graventur.... Qui communicare voluerit, extra chorum pacem accipiat ab aliquo de conventu communicaturo.... Et hoc tantum ad missam matutinalem. »

Præterea omnes canonicas horas tam diurnas quam nocturnas propriis temporibus simul recitare tenebantur; unde etiam mss. S. Benigni Consuetud. præscribunt (*Cap.* 46) ut infirmarius « ad nocturnos, factis orationibus, accipiat sconsam, et circumeat lecta omnium infirmorum, ut cognoscat si quis eorum nondum surrexit, et propter quid remanserit. » Pro refectione tamen sextam aut nonam præveniebant, eaque de causa nonnisi ad Evangelium usque majoris missæ intererant.

Ad mensam eamdem observabant disciplinam quam conventus in refectorio: « Versum ad mensam dicere debent sicut conventus in refectorio, inquiunt Farfenses Consuet., per unamquamque ministrationem, ut data eis fuerit, semper benedicant. Ipsorum procurator quot vicibus cum scutellis intraverit januam, tot vicibus *Benedicite* semper dicat, aliis respondentibus *Dominus* cum omni gratulatione atque dilectione, versum post cibum ibi dicant. » Consuetudines S. Benigni addunt: « Ibi autem cum summo silentio comedunt, nec alter alteri inter prandendo loquitur. Verumtamen si necesse fuerit, facto ab **470** aliquo sonitu cum cultello super mensam, statim accedit unus famulorum, et modeste dicit ei ille, ut afferat quod indiguerit. Quo expleto, statim famulus reexit; nequaquam enim debent ibi esse famuli dum comedunt. Priori autem vel infirmario, et, sicut supra dictum est, famulis loqui possunt; sed neque famulis, neque infirmario ea hora nisi de necessitate sua. Sicut sunt priores ita in ordine sedere debent. In sexta feria et in illis diebus quibus carnibus non vescuntur datur benedictio ad generale sicut in refectorio. Et sciendum quod nullus debet inde surgere, nisi summa cogente necessitate, nec mappulam suam plicare quandiu ibi quilibet etiam minimus comedit. Ad initium prandii, et ad finem legitur ab aliquo eorum, vel a puero, si ibi est, brevis lectio corde tenus; qua finita, versus dicitur, et *miserere mei, Deus* ab omnibus qui stare possunt; ibidem ante cathedras stando cantatur. »

« Finito prandio, ita prosequuntur Benignianæ Consuetudines, tantum possunt exspectare stando, vel sedendo, vel tale quid agendo, donec audiant conventum exeuntem de refectorio: quo audito si meridiana fit, statim vadunt ad lectos; si non fit, sedent cum silentio, sicut cæteri claustrales, nisi cum infirmario vel cum camerario, vel aliis quibus licet loquantur de necessitate sua. » Idem fere habet Udalricus lib. 3, cap. 27. Nimirum æque strictum pene servabant silentium ac cæteri in conventu. Qua in re severiores omnino exstiterunt olim Cistercienses, quorum liber Usuum (*Cap.* 92) hæc scribit: « Infirmi de infirmitorio possunt loqui cum infirmario; sed non nisi in certo loco ad hoc determinato, et hoc silenter, et tantum de necessariis. In quem qui ingredi voluerit, signo ab infirmario licentia postulata et accepta ingrediatur. Ubi quandiu unus aliquis cum infirmario fuerit, alius ingrediendi non habeat licentiam. Qui autem ita infirmus fuerit ut continue jaceat, aut subita infirmitate gravatus, utpote febrium, aut aliqua alia gravi lecto jacere compellitur, interim ibi cum infirmario, et infirmarius cum eo, si opus fuerit, loqui poterunt: at ubi melioratus huc et illuc deambulare poterit, silentium more solito teneat, nisi forte alicui adhuc magna infirmitate detento abbas loqui ad lectum amplius judicaverit expedire. » In Cæremoniali etiam Bursfeldensium (*Dist.* 3, *c.* 30) sic legitur: « Non putent infirmi liberam se habere facultatem loquendi ubi, quando, quibus, et de quibus voluerint, maxime ii

A qui non sunt continue discumbentes in lectis, sed huc illucque deambulant. In infirmitorio enim cum infirmario de necessariis et consolatoriis duntaxat loqui permittuntur. Aliorum autem quispiam non sine licentiæ obtentu loqui audeat cuiquam eorum, nisi forsan decumbenti et gravi infirmitate laboranti. Quæ tamen locutio nocturnis horis, et quando opus Dei agitur in ecclesia, temperanda est cum eisdem; cum cæteris vero omnino diffugienda, casu necessitatis excepto. Non clamose, sed silenter debent loqui. » Ubi quod de silentio dum opus Dei percelebratur servando decernitur, antiquæ est consuetudinis, **471** de qua Divionenses S. Benigni Consuet. (*Cap.* 46): « Dum regularis hora in monasterio canitur, nemo ibi, nec infra cunctas monasterii officinas loqui permittitur, nisi illi infirmi qui non valent surgere, loquuntur cum abbate aut priore de necessariis rebus. Alio modo neque prior neque abbas loquuntur. » Addunt tamen paulo post: « Nulla lex illi qui ex toto languescit, nec in cibo, nec in verbo. »

B Ad hanc silentii legem referri potest quod habent eædem Benignianæ Consuetudines (*Ibidem*): « Quando camerarius, sacrista, cellerarius, vel reliqui intus vel foris obedientiis occupati domum infirmorum ingrediuntur, mox sicut aliquis claustralis omni lege regulari astricti, postposita suarum obedientiarum excusatione, efficiuntur; neque se ullo modo intromittunt de obedientiis suis absque licentia; in tantum ut neque camerarius absque licentia debeat adire cameram, neque sacrista sacristariam. Fratres tamen sub ipsis positi eorum consilio in omnibus agendis maxime debent uti. »

Etsi infirmis legere fas non esset, pias tamen lectiones audire haud erat illicitum; nam ægrotante Agathone abbate cum altero sene (*Monument. Eccl. Græc. tom.* I, *pag.* 378), « recumbentibus illis e cella quidam frater legens recitabat e libro Geneseos. » Ex nostris vero qui lecto exsurgere valebant, saltem Regulæ lectionem in capitulo, et collationis ante completorium auscultabant; ita nihilominus ut congregatis

C fratribus se non adjungerent. « Quamvis in capitulum non pergat, inquiunt Divionenses S. Benigni Consuetudines (*Cap.* 46), tamen intra ecclesiam B. Benedicti, prope ostium manens, quod in capitulo legitur auscultat, scilicet sententiam Regulæ, vel de Evangelio, et expositionem, et rursus ad collationem; sed cum ad hoc ventum fuerit ut de negligentiis fratrum agatur, ad hoc audiendum non debet esse curiosus. » Ne tamen interim manerent otiosi in infirmitorio: « Possunt peccata sua viro spirituali confiteri ante et quando fratres sunt in capitulo, inquiunt antea prædictæ Consuetudines. »

Denique valde laudandum est quod habent Farfenses: « Exeuntes completorio, aquam benedictam ipsi ægri quotidie accipiant, quam ibi ante januam præparatam inveniant. Et illorum custodes singulorum lectis aquam benedictam aspergant, laternas secum ferentes; qui postquam omnes jam requie-

D scunt, prospicere debent qualiter unusquisque agat. » Idem legitur in Benignianis et in mss. Cluniacensis monasterii Consuetudinibus. Sed de his satis. Quæ vero ad corporis valetudinem restaurandam præscribat sanctus Pater, jam inquirendum est.

Quibus fratribus infirmis sit cella super se deputata.] Id est ab aliis officinis monasterii separata, inquit Bernardus Cassinensis et post eum Boherius; nam, licet ex vitæ cœnobiticæ institutione omnes simul monachi debeant habitare, in uno simul refectorio manducare, in uno simul dormitorio quiescere, infirmis tamen fratribus par erat separatum providere habitaculum. Idque pietas exigebat tam propter sanos, qui ex eis non modicum paterentur **472** impedimentum, quam propter ægros, qui in separato loco paulo liberius tractari queunt. Atque ita placuit priscis vitæ monasticæ Patribus, ut videre est in Regula S. Pachomii art. 20; S. Cæsarii ad virgines, cap. 30; S. Aureliani ad monachos cap. 53, et ad virgines

cap. 37; Cujusdam etiam ad virgines cap. 15, apud Hieronymum epist. 22, in concil. Agathensi cap. 28, et in Vita S. Eugendi abbatis Jurensis apud Boll. 1 Januar.

Porro cum dicit S. Benedictus infirmis sit cella deputata, « non est intelligendum de una tantummodo mansione, ait Hildemarus, sed de claustro, hoc est domo ubi diversæ sunt mansiones, quatenus qui manducat sine fastidio sit vomentis, aut ad exitum sedentis, vel etiam morientis. » Eodem fere modo loquuntur Bernardus Cassinensis, Boherius, Joannes de Turrecremata, et Matthias Lambertus. Hujusmodi cellam videre est in antiquissima monasterii S. Galli delineatione, in superiori monasterii parte sitam, atque ab aliis officinis omnino separatam, ad instar alicujus alterius monasterii constructam cum suo claustro; in cujus parte orientali habetur pisale (*forte* pyrale) et dormitorium; in meridionali ecclesia sive oratorium ex utraque inferiori et superiori parte desinens in orbem, cum unico altari ad occidentem. Hæc ecclesia in recta linea cum majori basilica, cui contigua erat, respondebat; ita ut ex ea infirmi divina possent audire officia; in occidentali erant camera, et refectorium cum coquina infirmorum, minuentiumque sanguinem, ac balnearum domo; denique in septentrionali domus magistri infirmorum, et locus valde infirmorum. His contiguæ erant aliæ duæ domus, quarum una flebotomatis et potionatis deputata erat; altera cubiculum valde infirmorum, domum medicorum, armarium pigmentorum, ipsius medici mansionem continebat, supra quam exstabat herbularius, seu hortus simplicium. Tale erat ineunte sæculo IX in Sangallensi monasterio infirmitorium; in quo unum abbati soli destinatum domicilium desideraret Hildemarus; sic enim agens de infirmorum cella loquitur: « Quam cellam debet abbas facere talem ubi et ipse in infirmitate sua jaceat; quatenus et hospitibus ad se venientibus possit loqui, si tanta fuerit necessitas, sine impedimento infirmorum, et cum ipsis infirmis qui de lecto possunt surgere, manducare valeat. »

Hac in cella ita manebant ægroti donec convalescerent, ut nulli regulari exercitio una cum conventu eis interesse liceret: « Postquam frater manducaverit vel biberit in domo infirmorum illa die et nocte usque crastinum ad primam vel ad tertiam, prout tempus expostulat, extra conventum esse debet, » inquiunt Benignianæ Consuetudines (*Cap.* 46); imo si quando necessitas cogeret ut monasterii claustrum ingrederetur aliquis, sic pertransibat ut *ab aliquo in conventu manente* non videretur, id quod, præter Consuetudines S. Benigni, præscribit liber Usuum Cisterciensium his verbis: « Infirmis non licet ingredi ecclesiam, nisi quando in ea opus Dei celebratur, nec in claustro demorari, nec cum monachis, **473** qui conventum tenent, significare, sed, quantum possunt, ne ab ipsis, vel ab aliis hominibus videantur, observent. »

Hujus instituti causa hæc erat, amor uniformitatis, odium singularitatis, ne forte ab aliis infirmi discreparent, dum stantibus illis isti sedere viderentur, atque ut ex hac separatione cogerentur, aut saltem monerentur sola necessitate, non desiderio remissioris vitæ monachos infirmitorium petere debere.

Et servitor timens Deum, et diligens, ac sollicitus.] Imo plures si res exigit, inquit Boherius. Idem decernit Regula S. Augustini cap. 13, S. Cæsarii ad virgines cap. 30, Tarnatensis cap. 21, S. Isidori cap. 20, et S. Fructuosi cap. 10. Apposite vero hunc locum exponens Hildemarus advertit « quia S. Benedictus cum dicit *servitor*, non dicit ut canonicus aut laicus sit, sed monachus. Non enim, inquit, ille legem laicis aut canonicis constituit, sed monachis. Vide quomodo potest manus, aut pedes, aut oculus corpori servire, si non fuerit in corpore, ita quomodo potest canonicus, aut laicus, qui non est membrum monasterii, monacho, id est alieno membro servire? » Addit tamen: « Verum si necessitas fuerit ut vestimenta infirmorum propter immunditiam, sicut solet in infirmo, contingere, potest laicus vel canonicus lavare vestimenta sordida. Similiter si necesse fuerit carnes afferre, laicus, vel canonicus afferre debet. » Apud Cluniacenses et Divionenses tres his officiis deputati erant famuli. Hildemari observationi concinit istud Petri Venerabilis statutum (*Stat.* 24): « Infirmis ipsis, vel quibuslibet in infirmaria comedentibus, nullus, ut fieri solebat, famulorum laicorum serviat; sed monachi tantummodo, aut conversi barbati. » Ita in Gemmeticensi monasterio sub S. Filiberto abbate (*Vit. S. Filib. n.* 16, *Sæc.* II), « monachus languentibus serviebat ex more. » In nonnullis vero monasteriis, maxime sanctimonialium, sorores infirmis hebdomadatim serviebant. Ita in Pictaviensi sanctæ Radegundis (*sæc.* I), quæ tamen ipsa « extra suam hebdomadam infirmantibus serviens » erat. Ita in Troclarensi, in quo S. Segolena (*Sæc.* III) « infirmantibus suis vicibus serviebat. » Sed S. Eugendus (*Sæc.* I) jubebat ut infirmis « in necessitate servirent quos ægroti potissimum prælegissent, » quemadmodum habent ejus acta, num. 21. Infirmarii munia offendes apud Udalric. lib. III, cap. 25; in lib. Usuum Cisterc. cap. 116, et in Cæremoniali Bursfeld. dist. 2, cap. 10.

Balneorum usus infirmis quoties expedit offeratur.] Offeratur, inquit; quia non debet ut petat infirmus exspectari, sed sibi offerri, inquit Bernardus Cassinensis: nam præveniendi sunt infirmi, quos non decet remedia sibi postulare, sed significata abbati sua infirmitate, in ejus charitatis brachiis omni cum fiducia requiescere. Quod autem de balneorum usu infirmis concedendo hic statuit S. P. Benedictus, de balneis privatis et domesticis intelligendum, non de publicis; neque enim ita expedit monachis vagandi foras, raroque offendes aliquos tum veteres, tum recentiores monachos, apud **474** quos aliquod honestatis aut religionis studium viguerit, hujusmodi balneis usos fuisse: « Natationes, et lotiones corporum in mari, fluminibus, stagnis, vel similibus aquis tanquam parum honestas, periculosas omnino omnibus personis nostri ordinis prohibemus, inquiunt Carthusienses (*Part.* II, *c.* 11) in Nova Collect. Statut. Et Cistercienses: « Si quæ vero moniales ad balnea extra monasteria processerint, irremissibiliter priventur habitu regulari: licentiantes autem ut prædicta petant balnea, sententiam excommunicationis incurrant. » Huicce statuto occasionem forte dederit S. Hieronymus ad Lætam scribens in hæc verba (*Epist.* 7): « Mihi omnino in adulta virgine lavacra displicent, quæ seipsam debet erubescere, et nudam videre non posse; si enim vigiliis et jejuniis macerat corpus suum, et in servitutem redigit, si flammas libidinis, et incentiva ferventis ætatis exstinguere cupit continentiæ frigore, si appetitis sordibus turpare festinat naturalem pulchritudinem, cur econtrario balnearum fomentis sopitos ignes suscitat? »

Sanis autem, et maxime juvenibus, tardius concedatur.] Hæc fuit constans et sana sanctorum Patrum doctrina. S. Athanasius (*Syntag. doctrin. ad Mon.*, etc): « Si morbus exigat, inquit, una aut altera vice lavationem adhibe; sospes autem balneo non indiges. » S. Hieronymus (*Epist.* 4): « Balnearum fomenta non quærit, qui calorem corporis jejuniorum cupit frigore exstinguere. » S. Isidorus agens de monachis (*Lib.* II, *de Offic. eccles., cap.* 15): « Lavacris utantur nunquam delectatione corporis, sed raro propter necessitatem languoris; » et in Regula (*Cap.* 20): « Lavacra nulli monacho adeunda studio lavandi corporis, nisi tantummodo pro necessitate languoris. » S. Cæsarius in Regula ad sanctimoniales (*Cap.* 29): « Lavacra cujus infirmitas exposcit minime denegentur.... si autem nulla infirmitate compellitur, cupiditati suæ non præbeatur assensus. » S. Leander (*De Instit. virg., c.* 10): « Balneo non pro studio

vel nitore utaris corporis, sed tantum pro remedio salutis. Utere, inquam, lavacro quando poscit infirmitas, non quando suaserit voluntas.... Non te illiciat lavare sæpius carnis voluptas, sed infirmitatis imperet necessitas. » S. Petrus Damiani (*Opusc.* 15, *cap.* 18): « Balneis, si fuerint incolumes, non utuntur. » Et quidem ea de re laudant S. Tattonem, in Vita S. Paldonis, num. 17; S. Pardulfum, in ejus Vita, num. 5; S. Opportunam abbatissam, in ejus Vita, num. 8, sæc. III; et S. Popponem, in ejus item Vita, num. 59, apud Boll., 25 Januar.

Non defuere tamen ex priscis monachis qui balnea etiam quandoque frequentarent; nam et S. Augustinus virginibus illud *semel in mense* concedit; sed neque S. Benedictus illud sanis omnino negat, sed tantum, inquit, *tardius concedatur;* quod tardius ita exponit Hildemarus (*In Regul. cap.* 12): « Alii sunt qui istud tardius tribus vicibus intelligunt in anno debere fieri præparata, id est in Nativitate Domini, et in Pascha, et in Pentecosten; alii sunt qui duabus vicibus, id est in Nativitate et in Pascha, quod rectius est. » Alium tamen tradit idem Hildemarus hujus loci sensum, ut nimirum inquinatis ex aliquo manuum opere balnea concedantur, quamvis tardius, et juvenibus plus tardius. Sed conformior **475** est prior sensus antiquæ ordinis nostri consuetudini, cujus praxim videre est in Vita S. Juniani abbatis (*Sæc.* I *Ben.*), de quo Wlsinus Boetius: « Balnea corpori vix in anno semel adhibebantur; » in Vita S. Amati abbatis Habendensis (*Sæc.* II *Ben.*), « qui balnearum fomentis bis tantum ibidem utebatur in anno, ante sanctum videlicet Natalis Domini diem, ejusque sacræ Resurrectionis Pascha; » apud Bedam de S. Edildrida abbatissa ita scribentem (*Lib.* IV, *Hist. Angl. c.* 19): « Raroque in calidis balneis præter imminentibus solemniis majoribus, verbi gratia, Paschæ, Pentecostes, Epiphaniæ lavari voluerit. » Ritum descripsimus in lib. III de Antiquis monachorum Ritibus, cap. 2. Præterea lotione usos fuisse propter nocturnam illusionem colligi posse videtur ex Hildemari comment. in Regul. cap. 22, et ex Regula S. Isidori, in qua præscribitur (*Cap.* 14), ut « qui nocturno delusus phantasmate fuerit, tempore officii in sacrario stabit, nec audebit eadem die ecclesiam introire antequam sit lotus, et aquis, et lacrymis. » Atque ad has consuetudines referre oportet quod de balneatoriis reperitur apud Cassiodorum in lib. Divin. Lect. c. 29, in Ingulfi Histor. Croylandensi, in antiqua monasterii S. Galli Delineatione, in antiquis Farfensis monasterii Consuet., et alibi passim. *Vide* Haeft. lib. II, tract. 5, disq. 7.

Sed et carnium esus infirmis omninoque debilibus pro reparatione concedatur.] Idem præscribunt S. Athanasius in Syntagmate doctrinæ ad monachos, etc.; S. Cæsarius in utraque Regula ad monachos, cap. 24, et ad virgines in recapitulatione, cap. 17; S. Aurelianus in utraque item ad monachos cap. 51, et ad virgines, cap. 35; S. Fructuosus in Regula, cap. 5, et alii nonnulli. Ubi etiam quædam observanda sunt circa carnium esum.

Primo, auctor est Hildemarus hanc fuisse in Francia consuetudinem, ut ante infirmis carnes non præberentur, quam ipsi ab ægritudine surgerent; tantumque illis postea ministratas usque dum pristinas vires recuperassent: quas ubi restaurassent, revertentibus ad refectorium cellerarius per duos tresve dies delicatoria cibaria ministrabat. Sed hanc consuetudinem postea abrogatam fuisse saltem in quibusdam monasteriis patet ex mss. Consuetudinibus S. Benigni Divionensis, in quibus hæc leguntur (*Cap.* 46): « Quisquis fratrum ita cœperit infirmari, ut conventum tenere non possit, nisi infans sit, prius in capitulo veniam petit; surgensque hæc verba ei qui capitulum tenet dicit: Infirmus sum, et non possum sequi conventum. Tunc dicit ei qui capitulum tenet, ut extra chorum quiescat donec videat utrum ejus melioretur valetudo. Cum vero biduum vel triduum transierit, si non melior ejus valetudo fuerit, iterum veniam petit, et dicit quia valde infirmatur; et tunc jubetur ut eat in infirmariam. Aliquando prius invitat eum prior quam petat secundam veniam. Postquam illuc intraverit secundo die vel tertio, si necdum aliquantulum convaluit, prior ad horam prandii ad eum vadit, carnes sibi apportari facit, et ipse ante ponit, et ut comedat præcipit: si vero prior ut veniat congruum non fuerit, per infirmarium mittit. » Quæ verba ostendunt **476** quam cauti et religiosi fuerint in concedendis carnibus majores nostri. Simile aliquid habent Udalricus lib. III, cap. 27, et Lanfrancus in Statutis, cap. 23.

Secundo, notandum quod subjiciunt præfatæ Consuetudines, Udalricus, et Lanfrancus: « Ab illa hora nunquam absque baculo incedit, et nisi caput capello coopertus. » Hunc ritum, qui sanctis Patribus placebat, perstrinxit nihilominus S. Bernardus his verbis (*Apolog. ad Guill., cap.* 8): « Ad discernendum inter sanos et male habentes, baculos in manibus portare jubentur ægrotantes, plane necessarios, ut quam pallor in vultu maciesque non indicat, baculus sustentans mentiatur invaletudinem. »

Tertio, quod præscribunt Cassinensium Declarationes (*Cap.* 36), ut infirmi « nec bis in die carnes comedant, nisi de consensu medicorum; quibus etiam sufficere credimus, inquiunt, uncias octo pro qualibet persona. » Hæc postrema verba in editis Romæ anno 1642 Declarationibus expuncta sunt.

Quarto, quod S. Benedictus non solum infirmis, sed etiam omnino debilibus carnium esum concedit. Hos licet inter se confundat Smaragdus, ad Regulæ cap. 39, sic scribens: « Quod autem dicit debiles ægrotos, non duas, ut plerique arbitrantur, sed unam tantum significat esse personam. Ergo debilis ægrotus dicitur, qui longa et dura ægritudine prorsus est ad debilitatem perductus; » ab aliis tamen non male distinguuntur; nam licet omnes ægroti sint debiles, non tamen omnes debiles ægroti. Debiles autem tribus modis intelligi posse docet Hildemarus: « Uno infantes, qui quo minores sunt, eo magis sunt debiles. Secundo modo senes, qui quo magis sunt senes, eo magis sunt debiles. Tertio etiam modo sunt debiles etiam majores juvenes, qui pro aliqua incommoditate corporis, aut qui præ nimio calore, aut pro spasmo, vel pro aliqua, sicut diximus, incommoditate, fiunt a semetipsis debiles. » Haeftenus vero debiles eos facit qui neque sani, neque ægroti possunt dici, sed medium inter utrumque tenent: et ex his alii ab ægritudine surgentes pristinas vires nondum restaurarunt; alii vero ita dispositi sunt ad ægritudinem, ut nisi citius eis succurratur, morbus instet.

Quinto, quod S. P. Benedictus carnes quidem infirmis omninoque debilibus permittit, non ad delicias, sed *pro reparatione*, uti seipse explicat: quapropter si ea sit morbi natura, quæ absque carnium esu facile reparari queat, ab his abstinere debet infirmus. Hinc liber Usuum Cisterc. (*Cap.* 92), « si quis habet infirmitatem quæ nec multum eum debilitet, nec comedendi turbet appetitum, ut puta inflatura, incisio membrorum, aut aliquid hujusmodi; hic talis nec super culcitram jaceat, nec consueta jejunia solvat, nec cibos refectorii mutet. » Neque etiam quod S. Pater ait *pro reparatione* ita stricte sumendum, quasi infirmis, de quorum reparatione, instante morte, desperatur, denegandus esset carnium esus: nam licet vires non reparet, eas tamen utcunque sustentat, vitamque aliquantisper producit.

Sexto, istud S. P. Benedicti statutum permissivum esse, non præceptivum: **477** quapropter « infirmi si a carne penitus abstinerent, non propter hoc regulam violarent; carnibus namque vesci in regula non est præceptum monachis, sed permissum, » inquit Goffridus Vindocinensis. Nec defuere plurimi ex

priscis monachis qui etiam ægroti carnibus abstinerent. De Condatiscensibus audiendus est in primis anonymus, in Vita sancti Lupicini abbatis, num. 2 (*Boll.*, 21 *Mart.*): « Cum nullus in Condatiscensi præsertim cœnobio hodie usque, in Christi nomine, de animali quidquam, exceptis lactibus, aut de alitibus, præter ova, infirmans duntaxat audeat degustare, iste tamen sæpissime, ne stillam quidem olei, aut, lactis pulticulæ saltem suæ permisit infundi. » Idem de monachis Grandimontensis ordinis perhibet Jacobus de Vitriaco (*Hist. Occid. cap.* 19): « Nunquam carnes postquam professiones fecerunt de cætero licet eis manducare, quantacunque ægritudine prægraventur. » Et certe exstat hac de re decretum in Regula S. Stephani præfati ordinis institutoris his verbis contentum (*Cap.* 57): « Omnes tam sanos quam ægrotos a carne et sanguine, tam volucrum quam quadrupedum, vos semper abstinere jubemus. » Simili disciplina suos informaverat S. Stephanus abbas Obazinensis, antequam ordini Cisterciensi eos subjiceret, ut docet anonymus Vitæ scriptor (*Lib.* II, *num.* 14, *Miscel. Baluz.*, *tom.* IV): « Inter cæteras mutationes etiam esus carnium infirmis secundum regulam est allatus, qui hactenus manserat fratribus nostris incognitus: quod gravissime vir sanctus ferebat, in tantum ut diceret ipse commotus, quod carnificinam introduxissent in domum Dei, cum videret propter infirmos aliquod ex animalibus jugulari, cumque ei capitulum regulæ pro infirmis opponeretur, ille tacebat, quia nec istud ei placere, nec regulæ auctoritas poterat displicere. » Ex Cisterciensibus tamen sanctus Guillelmus Bituricensis archiepiscopus « ex quo sæculum dereliquit, nunquam carnes aliqua infirmitatis necessitate seu alicujus victus persuasione comedit. » Istud institutum hactenus summa cum laude retinent monachi Carthusienses; quam licet abstinentiam in prima ordinis conditione servaverint, ut docet Petrus Venerabilis et innuit Guigo V, Carthusiæ prior in Statutis, cum scribit (*Cap.* 38): « Propter hos solos (infirmos) si tanta fuerit ægritudo, pisces emere solemus; » hanc tamen in capitulo generali anni 1254 primum suscepisse cum obligatione videntur, ut testantur ejusdem capituli litteræ a Rod. Tarentasiensi archiepiscopo, et F. Gratianopolitano episcopo subsignatæ, quibus « spontanei et voluntarii, non coacti, tam pro se quam pro suis conventibus unanimiter et concorditer, in pleno et generali capitulo esui carnium perpetuo abrenuntiaverunt, adjicientes quod si quis illorum, sive prior, sive monachus contra hujusmodi statutum præsumptione temeraria, quod absit, venire præsumpserit, a societate et communione totius ordinis, et ab ipso ordine amotum se noverit penitus et exclusum. » Hujusmodi tamen pœnas in novis Statutis ita temperant (*Part.* II, *cap.* 4, *num.* 32), ut prior, vicarius, et procurator carnes comedens, aut comedentibus consentiens « ipso facto, tanquam ipsius suæ professionis calumniator et transgressor, obedientiam **478** perdat, et vocibus ac locis debitis, et cæteris obedientiis ordinis careat in æternum. Si vero simplex monachus, aut alia quævis persona ordinis exstiterit, voce, loco, ac obedientiis carens, perpetuo ad capituli generalis voluntatem carceri mancipetur. » His omnibus addendi sunt eremitæ Camaldulenses, de quibus in Historiæ Camaldulensis lib. II, cap. 74, hæc lego: « Cum Petrus Quirinus eremita dispensationem super esu carnium pro ægrotantibus eremitis hortaretur, exhorrescens Petrus (Delphinus) generalis ejus consilium, utpote contra antiquissimam loci institutionem, testatum illi per litteras fecit quod carnes, si quando

A in sacro loco appositæ sunt aut delatæ, vermibus semper visæ sunt magno miraculo scaturire. »

At ubi meliorati fuerint, a carnibus more solito omnes abstineant.] In quem locum Hildemarus: « Ideo dixit *more solito*, inquit, quia consuetudo erat monachis a carnibus abstinere, non tantum quadrupedum, sed etiam volatilium, sicut faciebat primitiva Ecclesia, cujus morem monachi sequi omnino debent. Et ideo non dixit specialiter quibus carnibus sed generali nomine carnibus, in quibus carnibus, intelligendum est non tantum de quadrupedibus, sed etiam de volatilibus accipiendum est. » De volatilibus agemus infra, interim Hildemari sententiam obiter indicasse sufficiat.

Jam vero quod ad antiquam ordinis nostri praxim spectat, in Statutis S. Lanfranci sic lego (*Cap.* 23): « Qua vero die sanitate recepta ad conventum redire voluerit, si carnem comederit, prius rasus ad horam, quæ ante capitulum canitur, chorum introeat; et B post ipsam horam in conventu missa dicitur, ad ipsam non offerat. Ingressus capitulum, cum indictum fuerit de ordine loqui, primus surgat, et in eo loco ubi consuetudo est, prostratus veniam petat. Interrogatus, et respondens ut fieri solet, jussus surgere, hæc et similia verba dicat: Domine, infirmitate mea gravatus in domo infirmorum diu fui; in cibo, et potu, et aliis multis offendi, et contra ordinem nostrum feci, et inde peto absolutionem vestram. Hoc dicto absolvat eum abbas dicens: Omnipotens Dominus absolvat vos ab his, et ab omnibus aliis vestris delictis; conventu respondente, amen, offerat se frater ille ad pedem abbatis; postea reversus ad locum ubi se prostravit, gratias referens abbati et toti conventui, quia ministrata sunt ei quæ infirmitati suæ fuerant necessaria, tres genuflectiones more solito faciat. Ipsa die, et deinceps quantum opus fuerit, jubeatur mixtum accipere. Si vero carnem non comedit, in dispositione abbatis sit, qua hora in conventum petita licentia redire, et quomodo se de cætero C habere debeat. » Simile aliquid habent Udalricus lib. III, cap. 27, et Consuet. S. Benigni, in quibus additur, ut eis qui carnes comederint, loco pœnitentiæ, injungatur ut septem psalmos cantent, vel, si nesciunt, septies orationem dominicam; Benignianæ Consuet. addunt vel septies *Miserere mei, Deus*. Ex Cæremoniali etiam Bursfeldensium infirmi in conventum redire non debent, nisi ex abbatis licentia, et petita in capitulo **479** de negligentiis venia; et quidem ex libro Usuum Cisterc. *jejuni*, nisi in via dirigendi sint.

Curam autem maximam habeat abbas, ne a cellerariis aut servitoribus negligantur infirmi.] Cellerariorum nomine Bernardus Cass. et Boherius omnes intelligunt officiales quibus ratione obedientiæ infirmis aliquid ministrare incumbit. Ab his ergo caveat abbas ne negligantur infirmi, qui « quidquid petierint eis dandum est, etiamsi emere opus sit, inquiunt Farfensis monasterii Consuetudines; regula enim præci- D pit ante omnia, et super omnia adhibendam infirmis esse curam, et sollicitudinem. » Hic redit in memoriam quanta S. Pachomius (*Vita S. Pachom.*, *n.* 34, *Boll.*, 14 *Maii*) severitate fratrem perstrinxerit qui postulanti infirmo carnes denegaverat.

Quia ad ipsum respicit quidquid a discipulis delinquitur.] Juxta illud Gregorii Magni (*Lib.* III *Regist.*, *c.* 23): « Scio quod subjectorum culpa præpositorum deprimit vitam, et cum in subjecto peccatum non corrigitur, in eum, qui præest sententia retorquetur. »

CAPUT XXXVII.

De senibus, vel infantibus.

Licet ipsa natura humana [a] trahatur ad misericordiam in his ætatibus, senum videlicet et infantum, tamen et regulæ auctoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, et nullatenus eis districtio regulæ teneatur in alimentis: sed sit in eis pia consideratio et præveniant horas canonicas.

[a] Al. deest *humana*.

COMMENTARIUS.

Ex legitimo quidem ordine postquam de infirmis A fratribus egit S. P. Benedictus, de senibus et infantibus consequenter tractat. Ilorum enim teneritudo, et illorum, ut ita loquar, in dies deficientia ad ægritudinem proxime accedit : imo, si Terentio fides sit, *senectus ipsa morbus est* (*Terent. in Phorm.*). Unde et Regula Magistri (*Cap.* 28): « Justo judicio infantuli, et senio provecti, et infirmi æquali debent refectionum judicio relaxari. »

In ipso autem hujus capituli titu'o, ubi particula *vel* sumitur copulative pro *et*, S. Pater ante nominat senes, quam infantes; « quia plus est debilior senectus quam infantia, inquit Hildemarus; senectus 480 enim deficiendo minuitur robore; infantia autem crescendo vires a sumit. Et senectus plus est fragilis quam infantia; quia et infans, si non habet necessaria, nescit murmurare. Bene ergo prius senes dicit, et postea infantes, ut majus studium sit de senibus quam de infantibus. » Eodem fere modo ratiocinantur Bernardus Cassin. et Boherius.

Antequam vero regulæ textum attingamus, inquirendum videtur, quos infantum, quos senum nomine S. Pater intelligat. Et quidem sex hominis ætates hic distinguit Hildemarus. Prima est infantia ad annum usque septimum, secunda pueritia usque ad decimum quartum, tertia adolescentia usque ad vigesimum octavum, quarta juventus usque ad quinquagesimum sextum, quinta senectus usque ad septuagesimum tertium, sexta decrepita.

Paulo aliter Boherius cum S. Isidoro infantiam facit usque ad annum septimum, pueritiam ad decimum quintum exclusive, adolescentiam ad vigesimum quintum, juventutem usque ad quinquagesimum, seniorem ætatem, quam etiam gravitatem vocat, et a juventute senectuteque secernit, ad septuagesimum, et senectutem usque ad finem vitæ. Alias etiam ætatum distributiones forte offendes apud auctores; sed quidquid sit, certe si infantiam hic stricte sumas, ab ea indulgentiæ lege, quam hoc capite S. Benedictus instituit, excludendi essent, qui septimum attigissent C annum : at cum S. Pater infantes cum pueris passim in Regula confundat, ut cap. 70, ubi ait : *Infantum vero usque ad quindecim annorum ætates disciplinæ diligentia ab omnibus et custodia sit.* Infantum nomine hic etiam pueros intelligi manifestum est; unde etiam Boherius in secundo comment. ad verbum *infantum* addit : « Id est puerorum quidem; quoniam infantes non regula, sed matre indigent. » Eodem modo Hildemarus : « Hoc notandum est, inquit, quia non solum de illis infantibus dicit Regula qui usque septem annos, sed etiam post septem : hoc est usque septem debet esse maximum studium, et augmentatio in alimentis; post septem vero minus, et prout viderit robur in illis esse. » Bernardus tamen Cassinensis infantes hic facit ad annos usque duodecim dumtaxat: « Sed de quibus, infit, infantibus loquitur hic Regula ? puto quod non solum usque ad septem annos, sed etiam post septem usque duodecim; sed sicut magis ascendunt ad robur, ita paulatim eis subtrahatur, ne carnis petulantia cum robore nimis superbiat. » Id quod accepisse videtur ex Regula Magistri (*Cap.* 28), in qua legitur : « Infantes ad hanc relaxationem tales permittimus, qui intra duodecim annos degunt : ampliori vero qui fuerint, ad formam teneantur majorum. »

Ad senes quod spectat, Vallisoletani in Hispaniis suis in Constitutionibus hæc declarant : « Ad evitandum dubium quod occurrere posset, quinam ita censeantur senes, ut a Regulæ austeritate in cibo, potu, et labore manuum eximantur; declaramus tales habendos qui sexaginta compleverint annos. » Verum cum nonnulli reperiantur quorum adeo viridis et firma est senectus, ut junioribus etiam fortiores existant, merito Boherius hoc putat superioris arbitrio relinquendum 481 esse; et Cassinenses designant senes « non tam ætate quam imbecillitate juxta prælati considerationem intelligendos esse. » Vel, ut Joannes Craesbeeck loquitur, « senes intelligi hic videntur ii qui adeo exacta et decrepita sunt ætate, ut præ senio communia religionis onera ferre non valeant; et propterea a communi mensa, a communi lege jejunandi, templum frequentandi, manibus laborandi, etc., merito eximuntur, qui emeriti recte dici B possunt. »

Licet natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, senum videlicet et infantum; tamen et regulæ auctoritas eis prospiciat.] Id est propitia eis inspiciat, inquit Boherius.

Consideretur semper in eis imbecillitas, et nullatenus eis districtio regulæ teneatur in alimentis.] Hoc est sive in qualitate, sive in quantitate ciborum, ut loquitur Turrecremata. Adde *sive in refectionis hora*, juxta illud Basilii Magni : *Refectionis tempus, et mensura, et qualitas pueris competenter discernatur* (*Regul. fus. cap.* 15) : a fortiori senioribus. Atque ita ante alios reficiant, in majori quantitate cibos sumant, consueta solventes jejunia, et pluries in die comedentes, id enim unica refectione haud posset ætas infirma; et delicatiora accipiant alimenta. De hora refectionis senum et infantum alibi dicendi sese offeret occasio; de jejuniorum solutione, refectionum numero, et qualitate ciborum ex antiquorum monachorum statutis et exemplis pauca subjicienda sunt.

Et quidem ad primum quod attinet, de Ægyptiis monachis sic loquitur S. Hieronymus (*Epist.* 22) : « Vinum senes tantum accipiunt; quibus et parvulis sæpe fit prandium, ut aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens; » et de Tabennensibus (*Præfat. ad Regul. S. Pachom.*) : « In cœna similiter mensa ponitur propter laborantes, senes, et pueros, æstusque gravissimos. » Simili modo S. Isidorus sua in Regula (*Cap.* 12) : « Qui vetustate corporis consumpti, aut teneræ ætatis fragilitate debiles sunt, non sunt quotidianis exercendi jejuniis; ne aut senescens ætas antequam moriatur deficiat, aut crescens priusquam proficiat cadat, et ante intereat, quam bonum facere discat. » Et Regula monastica communis S. Fructuosi (*Cap.* 6) : Pueri a S. Pascha usque ab octavo calendas Octobris manducent per singulos dies quatuor vices; ab octavo calendas Octobris usque ad calendas Decembris tres vices; a calendis Decembribus usque ad S. Pascha in potestate D sit ipsius cellerarii. » Denique Regula Magistri (*Cap.* 28) : « Infantuli quarta, sexta, et sabbato in diebus tamen minoribus, hoc est in hiemis tempore jejunent, aliis vero diebus ad sextam reficiant horam. In

æstatis vero diebus quarta, sexta, et sabbato infantuli sexta hora reficiant; aliis vero diebus tertia recreentur. »

De qualitate ciborum audiendus est iterum S. Fructuosus in Regula monastica communi (*Cap.* 8) : « Eos vero senes quos quietos, simplices, humiles et obedientes, in oratione frequentes.... agnoscimus, pia miseratione sicut infantulos foveri, sicut patres honorari mandamus; ita **482** ut a pistrino, et coquinarum vice excusentur, et ab agro et duro labore quieti vacent, excepto quod aliqua leviora opera eis injungantur, ne fessa ætas ante tempus frangatur : Cibi tamen quibus reficiantur teneri et molles ex industria ab hebdomadariis coquantur; et carnes, et vinum propter imbecillitatem moderate eis præbeantur, et omnes in una mensa copulentur, æqualiter cibo et potu uno reficiantur. » Ex capitulo etiam Monachorum ad Augiam directorum cum pueris *nulla discretio servatur* in alimentis. An vero ex mente S. Benedicti pueris carnes ministrari queant, dubium esse posset. Hildemarus sui temporis morem sequens seipse ita explicat : « Debet etiam bona vestimenta illis dare abbas, et pisces ad manducandum, vel lac, aut butyrum. Carnes vero per tempus quadrupedum, id est in Nativitate Domini, vel in Pascha, aut Pentecosten, seu in solemnitatibus sanctorum, aut prout viderit infantem debilem esse, propter debilitatem illius frequentius illi debet dare carnes. Illis autem infantibus, sicut diximus, omnia necessaria tribuere debet, ut nullam indigentiam habeant; quia si in abundantia fuerint nutriti, cum fuerint majores non illam requirunt. Hoc notandum est, quia juxta tempus ætatis suæ debet illis tribuere carnes quadrupedum, eo quod plus indiget, et opus est cum in tertio anno est carnes manducare; deinde in quarto minus, in quinto plus minus; deinde usque decimum vel undecimum carnes quadrupedum minus manducare debent. In infirmitate autem vel debilitate debet carnes quadrupedum dare quantum necesse est. Deinde vero usque ad quintum decimum annum alium cibum debet illis dare. Post quintum vero decimum annum non præveniant majores. » Similiter Boherius in primo comment. « Carnes quadrupedum vel volatilium sunt eis ministrandæ, cum habeant amplius de nutrimento, et per consequens de sustentatione, quam alii cibi. » Idem habet Bernardus Cassinensis. Et ante hæc omnia inter selecta Theodori Cantuariensis archiepiscopi capitula, Spicil. tom. IX, ita habetur : « Infantes monasterii quatuordecim annis carnem manducent. »

Verum aliud suadet concilium Aquisgranense statuens (*Can.* 37), ut infantes oblati carnem nonnisi causa infirmitatis manducent; » deinde Vita S. Angilberti (*Num.* 10, *sæc.* IV *Bened.*), ubi refert Hariulfus centum in Centulensi monasterio pueros scholis erudiendos sub eodem *habitu et victu* cum aliis monachis vixisse : ex quo loco aliisque noster Mabillonius (*In not. ad hunc locum*) constare asserit pueros oblatos in monasteriis eodem habitu, eisdemque cibis usos fuisse. Certe in monasterio S. Galli Salomon abbas tribus in anno diebus in scholarum ædibus carnibus vesci pueris concessit sæculo x, teste Ekkehardo juniore lib. VI de Casibus S. Galli, cap. 1, quod signo est antea abstinuisse omnino. Præterea Udalricus docet (*Lib.* III, *c.* 8) pueros in eodem

A refectorio cum aliis manducare; idque habent etiam Benignianæ Consuetudines mss. His accedit Boherius in secundo commentario, ubi quod in primo dixerat retractans, sic loquitur : « Percontari libet quænam sit ista districtio Regulæ, quæ istis relaxari jubetur? Nunquid vescentur carnibus **483** contra regularem vigorem? Non puto quidem, quia de eis nihil Magister in ipsis sicut de infirmis excipit, debilibus, et ægrotis : et quanquam hæ quidem ætates possint dici debiles, tamen ratio hujus textus cessat in eis; quia carnes utique comeduntur pro reparatione et melioramento naturæ; quoniam infantia semper melioratur et senectus diminuitur. Relaxabuntur ergo eis jejunia, ministrabuntur frequentius piscium, et aliarum rerum liquamina, et horas edendi prævenient etiam regulares. » Adducitque postea concilii Aquisgranensis auctoritatem, quod magnum Francorum concilium vocat.

Porro cum alimentorum nomine non solum cibos,
B sed etiam vestes habitationemque intelligendas esse doceat in utroque comment. prædictus Boherius; in his cum pietate prospiciendum est eis. Et quidem quo ad vestimenta Hildemarum jam audivimus : S. Fructuosus vero in Regula monastica communi præscribit (*Cap.* 8) ut « vestimentum et calceamentum sic eis (senibus) præbeantur, ut absque foco frigoris ab eis asperitas arceatur. »

Habitationem etiam singularem senibus debuisse concedi docet hoc ratiocinio Haeftenus (*Lib.* I, *tract.* 5, *disq.* 12) : « Cum tempore S. Benedicti non haberent religiosi singuli distinctas cellas, in quibus dormirent, et in claustro, vel alibi studio lectionis vacarent; magna tum erat ratio senibus particularia assignandi cubicula; tum quod difficile illis esset dormitorium ascendere et descendere; tum quod ob tussim illis usitatam facile alios excitarent, et nec conveniret ut illi ad nocturnas excitarentur vigilias; tum quod cum reliquis hieme in claustro degentes durum esset frigus pati. »

C *Sed sit in eis pia consideratio, et præveniant horas canonicas.*] Id est regulares, quibus fratres comedere solent, uti exponunt commentatores, et ipsa nominis significatio demonstrat; nam κανών Græce regula Latine, et κανονικός regularis redditur; « ac si diceret aliis verbis, inquit Hildemarus, antequam alii fratres manducent comedant prius, infantes videlicet et senes : » Expressius Smaragdus : « Si fratres sexta comedunt, illi tertia hora reficiant; si fratres nona, illi sexta cibum accipiant. » Quod non de integra refectione, sed de refectiuncula, quam vulgo jentaculum vocant, intelligendum censeo; nam postea etiam cum aliis licet in minori ciborum quantitate reficiebantur. De hac refectiuncula ita Udalricus (*Lib.* III, *c.* 8) : Pueri « post majorem missam accipiunt mixtum; aut si est dies jejunii, vel in hieme, aliisque dies, in quo nonnisi semel comedatur, tunc post tertiam. A calendis Octobris usque ad Quadragesimam, si, ut dixi, semel comeditur, non est illorum
D prandium de solo pane, sed etiam qualecunque sit apponitur eis. » Additque : « Per totam æstatem in diebus dominicis ad cœnam impenditur illis misericordia de lacte. Si quis eorum adeo est parvus, ut opus habeat, in ipso claustro, ubi sedet, summo diluculo apportatur ei panis et vinum. »

CAPUT XXXVIII.

De hebdomadario lectore.

484 Mensis [a] fratrum edentium lectio deesse non debet; nec fortuito [b] casu qui [c] arripuerit codicem legere

[a] Oxon., *mensæ.*
[b] Cassin. *ne fortuito.* Flor. cum quibusdam mss. et edit., *nec fortuitu.*
[c] Oxon., Conc., *quis.*

audeat [a] ibi, sed lecturus tota hebdomada, dominica [b] ingrediatur. Qui ingrediens post missas [c] et communionem, petat ab omnibus pro se orari, ut avertat ab ipso Deus spiritum elationis. Et dicatur hic versus [d] in oratorio tertio ab omnibus [e], ipso tamen incipiente : *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam*. Et sic accepta benedictione, ingrediatur ad legendum. Summumque fiat silentium ad mensam [f], ut nullius mussitatio, vel vox, nisi solius legentis ibi audiatur.

Quæ vero necessaria sunt comedentibus et bibentibus, sic sibi vicissim [g] ministrent fratres, ut nullus A indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cujuscunque signi [h] potius petatur quam voce. Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliunde [i] quidquam requirere [j], ne detur [k] occasio : nisi forte prior voluerit pro ædificatione aliquid breviter dicere. Frater autem hebdomadarius [l] accipiat mixtum priusquam incipiat legere, propter communionem sanctam, et ne forte grave sit ei jejunium sustinere. Postea autem cum coquinæ hebdomadariis et servitoribus reficiat [m]. Fratres autem, non per ordinem legant aut cantent [n], sed qui ædificent audientes.

[a] Oxon. deest *audeat*.
[b] Oxon., *die dominica*.
[c] Flor., Hild., *post missam:*
[d] Oxon., *dicat hunc versum*.
[e] Oxon., *cum omn bus*.
[f] Ca sin., Flor., deest *ad mensam*. Hadr., *ibi*.
[g] Oxon., Vict., Germ., Hadr., *vicibus*.
[h] Vict. ms. *sonitus alicujus signis*.
[i] Hild., *aliquid*.
[j] Al., *referre*.
[k] Al., *nec detur*.
[l] In pluribus mss., *frater autem lector*.
[m] Hild. deest *postea autem cum coquinæ hebdomadariis et servitoribus reficiat*. In Comp. etiam deest *et servitoribus*.
[n] Al. deest *aut cantent*.

COMMENTARIUS.

485 *Mensis fratrum edentium lectio deesse non debet.*] Cum in solo pane non tantum vivat homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, merito S. Pater Benedictus de mensura ciborum ac potus dicturus, ante præmisit aliquid de lectione ad mensam, ut utriusque hominis, animalis et spiritalis refectioni provideret; prius tamen spiritalis utpote longe dignioris. Idem institutum apud alios etiam monachos viguit, ut patet ex Cassiano, lib. IV, cap. 17; ex Regula SS. Pauli et Stephani, cap. 19; S. Augustini, cap. 5; S. Cæsarii ad monachos, cap. 9, et ad virgines cap. 16; S. Aurelian. ad monachos cap. 49, ad virgines, cap. 52; S. Isidori, cap. 10, et Magistri B cap. 24.

Hanc porro lectionem ad mensam adeo necessariam existimavit S. P. Benedictus, ut ad omnes omnino mensas eam frequentari voluerit; ut indicat absoluta et indeterminata ejus locutio *mensis edentium fratrum lectio deesse non debet*. Hinc synodus Aquisgranensis (*Can.* 28) : « Servitores non ad unam mensam, sed in propriis locis post refectionem fratrum reficiantur, quibus eadem lectio quæ fratribus recitata est, recitetur. » Cujus statuti praxim videre est apud Cluniacenses, quibus « tempore refectionis nunquam deerat lectio utrisque mensis, » ut loquitur Joannes Monachus in Vita S. Odonis, lib. I, num. 30 : unde et Udalricus agens de lectore hebdomadario (*Lib.* II, *cap.* 34), « librum, inquit, in quo legendum est, in refectorium portat et reportat qui legit ad servitores. » Idem habent Divionenses S. Benigni Consuetudines mss., cap. 37. Idem etiam ex recentioribus Congregationibus institutum amplexi sunt Cassinenses, ubi major est congregatio, Cœlestini, Olivetani, et Fulienses, ut in eorum Declarationibus sive Constitutionibus videre licet. Atque ita etiam S. Benedictum exposuit in secundo comment. Boherius.

Ejus hoc decretum non ad secundas duntaxat mensas, sed ad ipsos insuper infirmos extendunt insigniores Regulæ commentatores. Hildemarus : « Attendendum est, inquit, quia non dicit de sanorum mensis, vel, ubi generalitas fratrum manducat : et ideo sicut de sanis generaliter in unum comedentibus intelligitur lectionem fieri debere, ita etiam debet intelligi de infirmis vel de fleutomatis, de senibus vel infantibus et reliquis aliis fratribus. Hoc tamen sciendum est, si sex fuerint infirmi, aut fleutomati, aut senes cum infantibus, aut rel qui alii, cum manducant, lectio illis debet esse manducantibus, verumtamen leviter. Si autem fuerint viginti infirmi, in voce legendum est. » Similiter Bernardus Cassinensis et Boherius in primo comment. : « Hæc autem mensæ lectio non solum in refectorio est utilis comedentibus sociis, imo et in infirmario infirmis, flebotomatis, et edentibus senibus, **486** infantibus, et ministris. » Eodem fere modo loquitur Nicolaus de Fractura. Denique Benedictus papa XII in sua pro monachis Benedictinis Constitutione (*Cap.* 26): « Quotiens plures simul carnes in infirmitorio comedent, versus et oratio in principio mensæ, ac post refectionem hymnus et versus dicatur, et continuum discumbendo silentium observetur, ibique legatur sicut in refectorio continue aliquid, quod ædificet audientes. » Ipsis etiam minutis duobus post minutionem sequentibus diebus mixtum sumentibus præscribit S. Lanfrancus, ut « lectio ab uno aliquo memoriter recitetur. »

Nec prætereundum quod addit Hildemarus : « Sciendum est quia cum abbas foras ambulat debet legi ad mensam ejus, verumtamen breviter, id est parva lectio, non sicut in refectorio semper usque ad finem mensæ, sed ante debet finiri lectio. Si vero fratres in labore sunt, et ibi manent, debet pleniter sicut in refectorio illis legi lectio. Si autem non fuerit generalitas, et non manserint, debet parum legi. Similiter si tantum manserint . . . parum legendum est. Similiter si hospes ante horam in refectorio manducaverit : si autem tales et tanti hospites fuerint, id est duo vel tres, parum legendum est, id est leviter ; si autem plures, tantum usque prior innuat lectori finem facere. » Hujus rei aliqua ex parte praxim videre est apud Hariulfum in Chron. Centul. lib. IV, C cap. 26, ubi de Gervino abbate piissimo scribit, quod in itinere constitutus (*Spicil. tom.* IV), « cœna apparata, si accubuisset pransurus, lectionis auditione vel divinæ legis meditatione implicari studebat. » His accedit quod de decanis villarum provisoribus extra monasterium suis in decaniis comedentibus habet Udalricus (*Lib.* III, *c.* 5) : « Antequam comedat, dicto versu, legitur quoque aliquid de S. Scriptura, vel per alium, vel per seipsum ; et in fine similiter antequam surgat post comestionem. »

Nec fortuito casu qui arripuerit codicem, legere audeat ibi.] Nec fortuito casu, « id est improvise, subito, vel repente ; ut lectio prævideatur, quia etiam valde periti, et litterati male legunt litteram imprævisam ; male vero legens, male pronuntians in pausis, in accentu, in brevibus et longis, in omissione, in adjectione, in mendosa pronuntiatione, non

solum fratres audientes non ædificat; verum etiam querelandi causam vel occasionem præstat, » inquit Bernardus Cassinensis, quam expositionem accepit ex Smaragdo, et cum eo sequuntur Nicolaus de Fractura, Petrus Boherius, Joannes de Turrecremata, Matthias Lambertus. Sed Hildemarus aliter: « Fortuito casu, inquit, id est subito, vel repente, ac si diceret aliis verbis: nullus ibi legat nisi jussus. » Eodem modo Theobaldus Artaldus. Et hæc expositio ut magis naturalis, magis etiam arridet; quamvis sollicitos maxime in prævidendis lectionibus velim lectores, certumque ad id muneris olim tempus illis assignatum legamus (*Cap.* 37): « Ad matutinalem et ad majorem missam, inquiunt Divionenses S. Benigni Consuet. mss., accipiens librum in quo legendum est, et **487** secedens in minorem chorum, prævidet lectionem. Quod si juvenis est adhuc in custodia positus, tunc non secedit; sed quantum prævidet, prævidet in majori choro. » Aliquid hujusmodi habet Udalricus lib. II, cap. 34. Et ms. Rituale Affligeniensis monasterii (*Apud Haef. lib.* X, *tract.* 2, *disq.* 2): « De hebdomadario lectore hoc sciendum, et quod infra ambas missas matutinalem scilicet et majorem, lectionem suam prævideat, et affirmat sedens in posteriori loco ubi videri valeat a conventu: et siquidem junior est, aut minus in legendo exercitatus, advocetur aliquis seniorum qui lectionem ejus auscultet, et accentuare doceat secundum usum monasterii observatum. » Id olim in Corbeiensi monasterio præstabat in sacristia, ut colligimus ex cap. 6 S. Adalardi de admonitionibus in congregatione, quo præscribitur (*Sæc.* IV, *part.* 1, *pag.* 757), « ut in ipsa die dominica, vel in aliis diebus dum foris officium celebratur, in secretario non resideat, nisi qui hoc providere debet, vel cui præcipitur, et specialiter nec hebdomadarius lector. » Ergo aliis diebus, dum officium foris non celebrabatur, in secretario residebat.

Sed lecturus tota hebdomada dominica ingrediatur.] Ad legendum scilicet.

Qui ingrediens post missas et communionem.] Communionem dicit non illam quam facit sacerdos celebrans, sed illam « quam faciunt, seu facere consueverunt fratres diebus dominicis ante altare majus confestim post missam, » ut loquitur Boherius. Et recte omnino post communionem sacram ingreditur, ut ante *divino verbo* impleatur, quod mox lecturus aliis eructare debet.

Petat ab omnibus pro se orari.] « Quod quidem verbo non petitur, sed provolutione corporali, quæ fit iterum in multis cœnobiis finita ipsa benedictione, id est oratione, » inquit iterum Boherius.

Ut avertat ab eo Deus spiritum elationis.] Apposite ad hunc locum Petrus Damiani (*Opuscul.* II, *cap.* 18): « Lectoribus vitium arrogantiæ familiare est, præsertim si cui lepor eloquentiæ suppetit, dum patentes Scripturæ campos effrænis lingua percurrit, populari favori cor deditum spiritus elationis invadit; et dum alios per recti itineris tramitem dirigit, ipse diverticulum erroneæ confusionis incurrit: hinc est etiam quod mensæ lectoribus ex more dicitur: Auferat a te Deus spiritum elationis. Ut ergo imminenti forsitan arrogantiæ jam ipso lectionis exordio humilitas opponatur, recte tanta subjectionis arte benedictio petitur, ut lecturo non sacerdos, sed cui ipse jusserit benedicat. »

Et dicatur hic versus tertio ab omnibus, ipso tamen incipiente.] « Et finiente versum, ait Boherius, quia ipse habet ter integraliter versum ipsum dicere, et chorus etiam ter totum repetere. » Similiter Hildemarus: « Non dicit ut ille incipiat tantum illum versum, et alii subsequantur; sed ille totum debet dicere, et alii similiter totum debent repetere. Qui ubi dicit ab omnibus **488** subaudiendum est repetentibus, sicut superius de coquinariis fratribus dicit. » Quam expositionem non contemnendam asserit Menardus.

Domine, labia mea aperies, etc.] Eumdem etiam versiculum a lectore dici præscribit Regula Magistri; sed paulo aliter hunc ritum disponit (*Cap.* 24): « Dominico die, inquit, quo hebdomadarii coquinæ ingrediuntur in septimanam, tunc et iste frater ad sextæ horæ refectionem post versum et orationem mensæ cum abbas in sua cathedra sederit, antequam canister cum consuetis panibus trochleæ funo descendat, tunc insinuet se voce sua is qui lecturus est, dicens: Jubete, Domini mei; orate pro me, qui ingredior in hebdomadam lectionis mensalis. Mox surgens abbas cum omni congregatione fixis in terra genibus oret cum eo; et cum surrexerint dicat novus hebdomadarius hunc versum: *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Respondentibus secum cunctis. Post versum vero dictum complente abbate, mox primo abbati, dein de omnibus pacem tradat; deinde in medio omnium mensarum sibi ordinet sellam, et post omnium sessionem ad mensas, petita benedictione, sedeat et ipse in sella cum codice. »

Et sic accepta benedictione ingrediatur ad legendum.] Quem in locum Smaragdus: « Quod autem dicit accepta benedictione ingrediatur ad legendum, subintelligitur a fratribus oratione accepta, et a sacerdote benedictionis collecta, ingrediatur ad lectionem perficiendam. Quæ collecta hoc modo, si placet, lectori a sacerdote ante altare datur missa peracta, dicaturque: *Averte, quæsumus, Domine, ab hoc famulo tuo spiritum elationis, ut humiliter legens, sensum et intellectum capiat lectionis. Per Dominum nostrum*, etc. » Eamdem collectam habet Boherius cum his præmittendis versiculis: *Salvum fac servum tuum*, et: *Mitte ei auxilium de Sancto.*

Aliam benedictionem profert Hildemarus his verbis: « Capitula vero hæc sunt quæ debent dici: *Salvum fac servum tuum: Deus meus, sperantem in te.* Aliud: *Convertere, Domine, aliquantulum: Et deprecare super servo tuo.* Item tertium: *Dominus custodiat te ab omni malo: Custodiat animam tuam Dominus.* Item oratio: *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, et auferat a te spiritum elationis, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum.* R. *Amen.* » Eadem, omisso secundo versiculo, exstat in Breviario Cassinensi tempore Oderisii abbatis descripto.

Item aliam Menardus ex ms. S. Victoris hoc modo: « Hunc versum sequuntur a priore dicendi tres versiculi: *Mittat tibi Dominus auxilium de Sancto.* R. *Et de Sion tueatur te. Convertere, Domine, aliquantulum.* R. *Et deprecabilis esto super servum tuum. Dominus custodiat introitum tuum.* R. *Et exitum tuum ex hoc nunc et usque in sæculum.* Sequitur oratio: *Averte, quæsumus, omnipotens Deus, ab hoc famulo tuo spiritum elationis, et cor ejus divinis instrue lectionibus, quatenus te opitulante mereatur perficere officium.* »

489 Divionenses S. Benigni Consuetudines mss. cap. 37 hanc habent: « Sacerdos dicit: *Salvum fac servum tuum: Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto: Dominus custodiat te ab omni malo.* Deinde absque salutatione: *Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum, et auferat a te spiritum elationis. Amen.* » Exstat etiam apud Udalricum, lib. II, cap. 34.

Præter hanc benedictionem, solet et alia dari in refectorio priusquam incipiat lectionem, de qua Boherius: « Finito tamen versu in refectorio, stans in medio petit sibi iterum benedici, inclinans donec fuerit benedictio subsecuta. » Et Udalricus cum Benignianis Consuetudinibus (*Lib.* II, *c.* 34): « Cum primum domnus abbas vel prior consederit, petit lector benedictionem, et accelerat lectionem adoriri. » Et de hac forte benedictione capiendus est can. 62 concil. Aquisg.: « Ut abbas, præpositus, et decanus quamvis presbyteri non sint, lectoribus benedictionem tribuant; » et can. 67: « Ut lector stando benedictionem postulet. »

Summumque fiat silentium ad mensam.] Duplex hic silentium a S. P. Benedicto indictum in Regula distinguunt commentatores. Unum simpliciter dictum,

et sine addito, quod non omnem omnino locutionem prohibet, sed aliam duntaxat, quo sensu silere dicitur qui alteri ad aurem loquitur, sicuti Martha in Evangelio Mariæ sorori *silentio* dixisse refertur: *Magister adest et vocat te;* ubi *silentio* idem est ac suppressa voce, ut docet S. Augustinus. Alterum summum, seu cum aliquo hujusmodi addito, quod tam a tam quam suppressam vocem, omnemque omnino sonitum excludit, quale est illud quod hic ad mensam, cap. 42, post completorium, et, cap. 52, in oratorio indicitur. Primum silentium illud est cui omni tempore studere debent monachi; secundum quod certis tantum temporibus ac locis observare debent. Ita ferme Smaragdus, Hildemarus, Bernardus Cassinensis, et Boherius.

Ut nullius mussitatio, vel vox, nisi solius legentis audiatur.] Hæc verba S. Pater addidit, ut ostendat quale hoc capite silentium præscripserit; summum scilicet, vocem omnem, omnemque mussitationem excludens. Quid autem sit mussitatio declarat his verbis Boherius: « Mussitatio est aliquod signum vocis confusæ, ut est tussis simulata, vel quasi excreare volens, vel sibilus honestus. Nonnunquam mussitatio est idem quod leniter vel caute loqui, vel loqui sub silentio. Aliquando mussitare idem est quod murmurare. » Eodem fere modo loquuntur Hildemarus et Bernardus Cassinensis.

Hic vero notat Hildemarus quosdam hunc S. Regulæ locum sic intelligere, ut nec priorem, nec inferiorem velint ullo modo loqui ad mensam; litterisque exprimendum esse quod sonitu alicujus signi declarari non potest, cum opus est aliquid petere. Alios vero qui dicant priorem ita suppressa voce loqui posse, ut ab uno tantum audiente intelligatur **490**; nec S. Benedictum eam prohibuisse vocem quæ ab uno auditur, sed quæ ab omnibus. Aitque primam sententiam esse præponendam; nam summum silentium non minus suppressam quam altam vocem supprimit.

Porro quam hic S. Pater de servando ad mensam silentio legem tulit, hanc ab antiquis accepisse monachis pro comperto est. De Ægyptiis S. Hieronymus (*Epist.* 22): « Nullus, inquit, in cibo strepitus est, nemo dum comedit loquitur; » et Cassianus (*Lib.* IV, *c.* 17): « Apud Ægyptios, et maxime Tabennensiotas, tantum silentium ab omnibus exhibetur, ut cum in unum tanta numerositas fratrum refectionis obtentu consederit, nullus nec mutire quidem audeat, præter eum qui suæ decaniæ præest; qui tamen si quid mensæ superinferri aut auferri necessarium esse perviderit, sonitu potius quam voce significat; tantaque vescentibus eis silentii hujus disciplina servatur, ut cucullis ultra oculorum palpebras demissis (ne scilicet liber aspectus habeat curiosius copiam evagandi), nihil amplius intueantur quam mensam, et appositos in ea, vel quos capiunt ex ea cibos; ita ut quemadmodum, vel quantum reficiat alius, nullus invicem notet. » De Tabennesibus item Ruffinus sic loquitur (*Lib.* II *de Vit. Pat.*, *c.* 3): « Est autem eis in capiendo cibo summum silentium; ita ut nec putetur in eo loco esse aliquis hominum, ubi sedetur ad mensas; et omnis eorum conversatio ita est in multitudine posita, quasi esset in solitudine. » Idem fere habet Palladius in Laus. cap. 48. In Regula etiam secunda et tertia SS. Patrum, atque S. Macarii præscribitur, ut « ad mensam specialiter nullus loquatur, nisi qui præest, vel qui interrogatus fuerit. » Et in Regula S. Cæsarii ad monachos (*Cap.* 9): « Ad mensam dum manducant nullus loquatur. » In Regula S. Aureliani ad monachos et ad virgines (*Cap.* 49 *et* 32): « Sedentes ad mensam taceant. » In Tarnatensi (*Cap.* 8): « Sedentes ad mensam lectionem quæ legitur cum silentio audiant. » In Regula S. Isidori (*Cap.* 10): « Tempore convescentium fratrum omnes disciplinæ gerant silentium, Apostolo obtemperantes, qui dicit: *Cum silentio operantes suum panem manducent.* » In Regula sancti Fructuosi (*Cap.* 5): « In cibo sit strepitus nullus, nemo comedens loquatur. » In Regula Cujusdam ad monachos (*Cap.* 16): « Silentium in omnibus sectandum est, et tacendi disciplina per omnia facienda est, maxime autem juxta missam et mensam. » Denique idem habetur in Regula incerti auctoris cap. 2, in Regula Donati cap. 33, et Cujusdam ad virgines cap. 9.

Neque etiam solis omnino monachis exstitit singularis isthæc ad mensam silendi disciplina: nam et eam canonicis olim indixit sanctus Aldricus episcopus Cenomanensis in quodam privilegio quod in ejus gestis refertur num. 32 (*Tom.* I *Miscell. Baluz.*): imo etiam viguit apud ethnicos, præsertim Persas, Medos, et Chaldæos, quos ea de causa ita commendat Origenes (*Lib.* III *in Job*): « In escis ac potibus os non aperiunt ad loquendum, neque qui ministrant, neque quibus ministratur; sed nutibus omnibus ministrantibus præcipiunt: hanc consuetudinem pro mandato a prioribus accipientes, et velut legem hanc cum sollicitudine observantes; et qui **491** hanc violaverit, tanquam maxima transgrediens jura torquetur. »

Quod si tanta apud hujuscemodi homines disciplinæ severitas obtinuit, haud dubium videri debet si inter alias monachorum leges, inflictas hujus silentii transgressoribus pœnas legamus, ut in Regula S. Pachomii (*Art.* 11, *et in Regula Orient. cap.* 36): « Si quis locutus fuerit vel riserit in vescendi tempore, aget pœnitentiam; et in eodem loco mox increpabitur, et stabit donec alii surgant. » In pœnis incerti auctoris apud S. Basilium (*Num.* 17): « Si quis in mensa manducans nugatur, excitetur ut exsurgat ad orationem. » In Regula S. Ferreoli (*Cap.* 24): « Specialiter tamen hoc cunctos moneo servandum, mando atque constituo, ut quotiescunque lectio animabus Deo deditis opportuna in ecclesia, vel in refectorio, aut quolibet in loco publice recitatur, nullus risu aut moveatur aut moveat. Similiter etiam eo tempore fabulas fugiendas esse cognoscant. Quod si quis non custodierit, præsenti denuntiatione commonitus, triduani eum jejunii multatio castiget. » In S. Columbani Pœnitentiali: « Si locutus fuerit comedens non necessitate alterius fratris, sex percussionibus. » Et iterum: « Qui comedens loquitur, sex plagis; et cujus vox obstrepit de mensa ad mensam, sex plagis. » In Regula sancti Donati (*Cap.* 33): « Ad mensam quæ loqui præsumpserit, vel viginti vel triginta percussiones accipiat. » Denique in concil. Aquisgr. (*Cap.* 41): « Si quis negligenter sonitum fecerit, aut aliud quid excesserit in refectorio, mox a priore veniam petat. »

Istud tamen ad mensam silentium ita observabant veteres, ut ex Cassiano licitum esset decano loqui; ex Regula secunda et tertia SS. Patrum, cap. 7, a que S. Macarii, cap. 18, ei qui præest; ex Regula S. Benedicti, priori pro ædificatione; ex Pœnitentiali S. Columbani, omnibus pro necessitate alterius fratris. Sed in Regula Cujusdam ad virgines ista leguntur (*Cap.* 9): « Ad mensam vero nulla penitus præter abbatissam, vel cui abbatissa præceperit pro communi necessitate sororum, loqui præsumat... Portaria vero, quæ pro necessariis causis alloquium expetierit abbatissæ, loqui permittatur; quia forsitan talis supervenerit necessitas, quæ moram habere non debeat... Festis vero Domini diebus, id est Nativitate Domini, vel Paschæ solemnitate, ac Theophania, vel Pentecoste, vel si qua sunt alia Domini vel sanctorum martyrum præcipua sacra celebranda, si ex permisso abbatissæ fuerit, ad mensam loqui non negamus; sic tamen ut pressa non dissoluta voce loquantur, ne garrula voce in sonum prorumpentes magis desidia quam lætitia judicetur. Et ipsa confabulatio talis sit ex colloquio Scripturarum, quæ animæ lucrum faciat, non damnum. »

Tandem circa sancti Benedicti verba duplex oritur brevi solvenda difficultas: una an extra refectionis

tempus in refectorio loqui fas sit, altera num extra refectorium comedentes silere debeant edendo.

Ad primam quod spectat, etsi nihil in sanctæ Regulæ verbis, si præcise in se sumantur, appareat, quo continuum in refectorio silentium extra refectionis tempus præcipi judicetur; et capitulum 5 monachorum Sangallensium decernat tantum « ut in refectorio hora refectionis **492** nullius, nisi lectoris, vox audiatur : » tamen communis ordinis nostri consuetudo, summorum pontificum decretis firmata, fuit ut in refectorio perpetuum servetur silentium, ut videre est ex dictis c. 6.

Circa secundam exstat Petri Venerabilis statutum (*Stat.* 22), « ut silentium ad mensa n sicut in regulari refectorio ubique et ab omnibus teneatur; sed si extra refectorium commune comedenti quilibet supervenerit, surget; cumque invitabit, loquetur, et stando quantum necesse fuerit; sed postquam resederit, ut prius tacebit. » Deinde statuti rationem reddens subdit : « Causa hujus instituti est Apostolus etiam laicis præcipiens : Unusquisque panem suum cum silentio manducet; etiam S. Benedictus monachis imperans et dicens : Summum fiat silentium ad mensam; etiam antiqui seu moderni temporis religiosi, qui ubicunque comedant, rigorem silentii nullo modo relaxant. » Et Instituta Cisterc. ord. (*Cap.* 79): « Ordinamus ne monachus sive conversus ad mensam loquatur, nisi forte in via constitutus, si non habuerit qui signa sua intelligat, singula verba dicendo, ut aquam, panem, et vinum, et cætera comestioni tantum necessaria breviter et silenter requirat. Qui vero aliter fecerit, in ipsa refectione a vino abstineat: quod si vinum non habuerit, uno pulmento, si duo habuerit, careat. »

Si quid tamen opus fuerit, sonitu cujuscunque signi potius petatur quam voce.] « Percutiendo urceum, vel tabulam, vel alio quocunque signo, » inquit Richardus de S. Angelo. Ita etiam Regula S. Pachomii (*Art.* 13) : « Si quid necessarium fuerit ad mensam, nemo audebit loqui; sed ministrantibus signi sonitum dabit. » Et Regula S. Fructuosi (*Cap.* 5) : « Si quid deest in mensa, is qui præest signo dato, vel nutibus silenter petat, et indicet ministranti quid inferri, vel quid auferri sit a mensa necesse. »

Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, vel aliunde quidquam requirere, ne detur occasio.] Recentiores addunt *maligno*, quod omnes antiqui prætermittunt. Ex Hildemaro autem, « cum dicit ne detur occasio, subaudiendum est loquendi. » Similiter ex Smaragdo « subintelligitur ne detur occasio vel maligno diabolo ad tentandum, vel fratribus ad superflua loquendum. » Eodem fere modo Bernardus Cassin. et Nicolaus de Fractura.

Nisi forte prior.] Prioris nomine Boherius intelligit eum qui mensis fratrum præest, aut cui commiserit abbas; Menardus vero abbatem.

Voluerit pro ædificatione aliquid breviter dicere.] 1° Aut interrogando aliquem de ipsa lectione, sicuti præscribit Regula Magistri his verbis (*Cap.* 24): « Tempore ipso refectionis cum legitur Regula, ut solliciti universorum fratrum excitentur auditus; de singulis mensis quos voluerit fratres quid lectum est abbas interroget; ut cum unusquisque frater recitaverit quod audivit, agnoscatur plus lectioni illa hora intendisse quam ventri. » 2° Aut difficilem aliquem lectionis locum exponendo, uti habet eadem Regula: « Legat disposite **493** non urgendo, ut apertius occupati ea auditores agnoscant, quæ vos factis oportet adimplere; et ut si qua sunt ambigua aut obscura, et apertius ea non intelligant fratres, aut interrogatus a fratribus, aut ultro aliqua abbas exponat. » Id quod in nonnullis Franciæ monasteriis suo tempore observatum fuisse testatur Boherius his verbis : « Ubi vero sunt fratres idiotæ, bene facit si verba notabiliter ædificativa eis breviter explicet; sicque vidi licet raro apud nos, et in quibusdam cœnobiis Franciæ observari : et ita intelligo paragraphum istum : Bernardus tamen dicit quod non recolit unquam hoc factum fuisse in monasterio Cassinensi. » Ubi vero fratres intelligentes sunt, ait solo sonitu abbatem eis significare posse, ut ad ædificationis verba attendant; et lectori, si ita expediat, ut eadem verba repetat, ut memoriæ amplius inhæreant. 3° Aut lectorem errantem corrigendo, per se quidem, vel per alium. Ex Hildemaro enim, Bernardo Cassin. et Boherio convenit, ut abbas eruditum aliquem fratrem constituat, qui coram lectore sedeat, et eum cum opus fuerit silenter corrigat. 4° Aut aliqua aliunde exhortationis verba proferendo, ut de Alberto abbate Esternacensi scribit Alcuinus (*In Vit. S. Willibrordi, n.* 31. *sæc.*, III *Ben.*): In die natali S. Wilgisi « post vespertinam melodiam pro reverentia illius diei fratres refectorium reversi sunt, et post sacras lectiones præfatus abbas allocutus est. »

Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum.] Quid sit mixtum docent Regulæ commentatores antiqui et recentes. « Quod dicit accipiat mixtum, inquit Smaragdus, panis intelligitur simul et vinum; in multis enim provinciis panis tantum et vinum quod super altare offertur, mixtum vocatur. » Et Hildemarus : « Mixtum enim intelligitur panis et vinum, sicut superius dicit singulos biberes et panem. » S. Hildegardis : « Accipiat mixtum, scilicet prandium, id est panem et potum. » Bernardus Cassin. : « Paulus Diaconus idem esse dicit mixtum accipere, quam mordere quod simul et præ manibus haberi potest, et hoc est sumere singulos biberes et panem. » Richardus de Sancto Angelo : « Mixtum, id est, modicum cibi; panis enim cor hominis confirmat, et vinum lætificat cor hominis. » Petrus Boherius : « Vulgare est Italicorum dicere mixtum illam levem comestionem quæ prandium antecedit. » Joannes de Turrecremata : « Accipiat mixtum, id est panem cum potu, sicut supra dictum est de servitoribus in capitulo 35 Regulæ, quod sumant singulos biberes et panem. » Theobaldus Artaldus Cœlestinus in Gallica expositione : « *Le frère hebdomadaire liseur peut prendre mixte, c'est-à-dire, boire une bonne fois, et manger du pain à l'avenant.* » Matthias Lambertus in Gallica item expositione : « *Que le frère hebdomadaire prenne de la mistion, c'est-à-dire du pain et un trait à boire.* » Antiqua versio ms. ex codice Conchensis monasterii : « *Prenge mixte, c'est une souppe en vin, ou en autre chose.* » Joannes Craesbeeck ad hæc verba singulos biberes et panem : « Hoc infra, c. 38, dicitur mixtum, forte quod quædam commixtio fiebat dum panis vino, aut alii potui miscetur. » Anonymus Cisterciensis in suis Dialogis Gallicis in Regulam **494** S. Benedicti : « *Le frère semainier prendra un morceau de pain, et boira un coup avant que de lire.* » Huic tantæ auctorum catervæ, quibus accidit Joannes Belethus in Explic. Divin. offic. cap. 119, unus opponitur Guido Juvenalis in sua versione Gallica *mixtum* reddens *une fois à boire de vin meslé d'eau* : cujus sententiam tuetur ac propugnat dissertator Gallicus de hemina vini et libra panis, magnæ vir eruditionis; sed nullo, ut mihi videtur, satis solido fundamento.

Nam quod ait mixtum a S. Benedicto concedi propter communionem, et communicatis non panem cum vino, sed vinum aqua dilutum præberi, refellit Joannes Belethus his verbis : « Statutum est in quibusdam ecclesiis, ut illo die panis et vinum in ecclesia habeantur, et cum homines communicaverint, detur statim unicuique panis buxea priusquam recedant, et paululum vini, ne forte quipdiam de sacramento in ore remanserit, quod exspuendo facile emitti queat. Quæ sane laudata consuetudo omnibus probatur, sumpsitque originem ex institutione B. Benedicti. Instituit namque vir ille sanctissimus ob eamdem causam, ut illi qui aliis fratribus debent in prandio post communionem minis rare, aliquid prius comederent. Atque hoc quidem prandium mixtum appellari solet. » Similis institutio vigebat olim in Sues-

sionensi S. Gervasii cathedrali ecclesia, in cujus antiquo rituali tempore Nivelonis episcopi manu exarato, ad diem sacrum Paschæ præscriptum legitur, ut « paretur mensa quædam a custodibus ad cornu altaris quod respicit ad aquilonem, et cooperiatur mappa mundissima, quæ vestiatur vasis de auro et argento, in nonnullis autem vasorum vinum infundatur super mappam, præterea plures oblatæ ponantur, ad quam mensam, inquit paulo post, debent omnes qui communicaverint venire ut de oblatis et vino respurgat quisque os suum. » Adde quod mixtum non propter communionem solum, sed etiam ne grave sit sustinere jejunium, datur.

Nec plus urget quod dicit Regulam Magistri merum duntaxat lectori indulgere, cap. 24, nam ternas panis buccellas mero intinctas concedit cap. 27.

Nec est quod quis dicat eos quos citavimus auctores locutos fuisse juxta sui morem monasterii.

Nam præter quam quod contra generalem omnium monasteriorum consuetudinem, ab nongentis et eo amplius annis conservatam, nullus rerum æquus æstimator sine auctoritate et ratione insurgere debet; certe Smaragdus et Hildemarus haud multo post synodum Aquisgr. scribebant, in qua synodo statutum fuerat (*Can.* 29), « ut lectori nihil, nisi quod Regula jubet, detur. » Quos proinde æquum est credere ad concilii mentem locutos fuisse. Hunc concilii Aquisgranensis canonem renovarunt postea etiam Divionenses S. Benigni Consuetud. mss. in quibus legitur (*Cap.* 37) : « Idem vero lector hebdomadarius ante generalem refectionem cum cocis juxta præscriptum B. Benedicti de pane et vino tantum prælibat, sicut et cellerarius custosque ecclesiæ, qui consuetudinali er post majorem **495** missam mixtum accipere solent. Sciendum tamen quod nullam pittantiam debent mensuræ panis et vini, olim ut dictum est, a B. Benedicto constitutæ intermiscere, sicut aliquando auditum est, contigisse, ut alia quædam epularum munuscula a decanis horas canonicas profectionis causa in prandendo prævenientibus sibi largita præsumerent : quæ res non modo irrationabilis visa est, verum etiam contra institutionem Regulæ prædicti Patris usurpata, in qua præcipitur singulos biberes tantum et panem hebdomadarii coquinæ atque lectori dari super statutam annonam; unde generali definitione sancitur nihil penitus aliud quam quod Regula præcipit in mixto esse sumendum, his videlicet qui peracto generali prandio cum servitoribus reficiunt, in prædictis officiis occupati. » Prolixum istud statutum concilii Aquisgranensis canonem illustrat, nostramque sententiam confirmat. *Vide* Mabillonii præfationem ad sæc. IV Bened., part. I, n. 167 et seq.

Porro sumentes mixtum ante præmittebant benedictionem, et post addebant gratiarum actionem : « Si ambo adfuerint, inquit liber Usuum Cisterc. (*Cap.* 73), qui inferioris gradus est dicat *Benedicite;* qui majoris benedicens dicat : *Largitor omnium bonorum benedicat cibum et potum servorum suorum.* Post mixtum dicat sub silentio : *Retribuere dignare, Domine, omnibus bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam.* » Simile aliquid habent Bursfeldenses in Cærem. dist. 3, c. 17.

Nec prætereundum quod subjicit præfatus liber Usuum Cisterciensium : « Sciendum quod a capite jejunii usque ad Pascha (exceptis dominicis diebus) et tribus diebus Rogationum, et Quatuor Temporum, et vigiliis Domini et Sanctorum, mixtum non sumitur. » Simile aliquid habent Bursfeldenses loco citato. Et Camaldulenses, qui permittunt (*Ad c.* 35) « buccellam panis ac vini cyathum, nec quidquam aliud; » addunt expresse, « exceptis tamen diebus jejuniorum Ecclesiæ; tum nihil sumant. » Communis nihilominus opinio est non solvi jejunium per hujusmodi prægustationem, dummodo refectionem non multum antecedat, et in nimia quantitate non sumatur.

Priusquam incipiat legere.] Id est paulo antequam A legat, non vero cum servitoribus, qui una hora ante refectionem fratrum mixtum debent accipere.

Propter communionem sanctam, et ne forte grave sit ei jejunium sustinere.] Reddit rationem quare mixtum sumere lectori permittat, scilicet : 1° propter communionem sanctam, 2° propter jejunii laborem. Sed quod ait propter communionem sanctam varie intelligunt recentiores Regulæ commentatores. Richardus de S. Angelo, præpositus Vallis Lucis, qui sæculo XIV ineunte scribebat, duplicem hujus loci adducit expositionem : « Communionem sanctam, inquit, id est sanctam congregationem; quasi dicat, ne deficiat sanctæ congregationi in legendo; quia communio derivari potest a communi, et ubi communitas, ibi congregatio, quæ derivatur a conveniendo, quasi convenicudo in unum, ut 15 dist. canonis generalium **496** in fine. Ergo recte taliter potest exponi; et illud *ne*, quod sequitur, expone pro *non*, et supple quasi diceret, ne deficiat congregationi, ut dictum est, et non sit grave jejunium sustinere, ut sequitur. B Vel dicas secundum quosdam communionem sanctam, id est ne de corpore et sanguine Domini sumpto projiciat in sputo; quia secundum quod audivi, antiqui quolibet die recipiebant corpus Christi, quod hodie sublatum est; sed ipsum sumimus certis festivitatibus in anno; laici vero semel in anno, ut extra de pe. et re. cap. *Omnis.* Sed hæc expositio non videtur bona, quia corpus Christi postquam sumptum est statim incorporatur, et projici non potest, nec in secessum diffundi, ut de Cons. dist. 2. *Tribus gradibus.* Sed ut salvemus opinionem eorum qui hoc dicunt, dicimus quod hoc faciebant ob reverentiam corporis Christi sumpti, seu ad majorem securitatem, ne posset projici; quia scriptum est : tene certum et dimitte incertum. »

Tertiam addit Turrecremata : « Propter communionem, scilicet servandam benevolentiæ et amoris, quam servare non videtur, qui cum murmure servit fratribus suis. » Similiter Gallicus dissertator de hemina vini et libra panis in secunda libri sui editione, C non de communione eucharistica S. Benedictum intelligit, sed de communione precum et charitatis; cujus a lectore signum aliquod S. Pater omnibus dari voluerit, priusquam incipiat legere. Egregium sane charitatis indicium frustulum panis privatim edere ante lectionem! Et hanc interpretationem ab eruditissimo et in traditione versatissimo viro accepisse se fatetur dissertator; cui non deferre haudquaquam potuerit. Ita prævaluerunt in gratiam viri doctissimi, doctioris fortasse semel præconcepta præjudicia.

Adeo ineptam contra germanum S. Benedicti sensum opinionem singulari tractatu refutavit noster Mabillonius, quem habet sub prelo. Ejus rationes quilibet videre poterit; nos sola traditione, de qua dissertator gloriatur, licet nullum inde protulerit argumentum aliqua auctoritate firmatum, contenti erimus.

Itaque sancti Benedicti textum de communione eucharistica intelligendum esse constans est omnium qui a tempore sancti Benedicti scripserunt hunc in D rem, auctorum sententia. In primis Magister, qui ante mille annos suam scripsit Regulam, ex Benedictina magna ex parte desumptam, sancti Patris mentem exprimit, cum decernit (*Cap.* 24) ut lector « cum primum mensæ albas, cum omnibus acceperit merum, et ipse similiter suum merum propter sputum sacramenti recipiat, et incipiat legere. » Eodem fere modo Smaragdus : « Propter communionem, inquit, sanctam dicit, ne aliquid inde sputum excreans projiciat in sputo. » Smaragdum in suo commentario exscribit Petrus Diaconus; Petrum Bernardus Cassinensis, et Boherius in primo comment. His accedit Nicolaus de Fractura hunc in locum sic disserens : « Hoc vult dicere hic Magister, cum qualibet die apud veteres communicarent fideles, et maxime sancti monachi, mixtum hujusmodi licite sumebant **497** qui habebant legere fratribus comedentibus, ne quod absit spuendo in lectione, sicut frequenter a

lectoribus consuevit, aliquid de corpore Christi, id est communione sancta cum sputo emitteret, quod per omnia est vitandum. » Similiter Petrus Boherius, qui in primo comment. Smaragdum et Petrum Diaconum exscripserat, in secundo S. Benedictum intelligit de communione, quam *qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* His omnibus accenseri potest Hildemarus antiquus Regulæ commentator qui missæ et communionis vocabula hoc capite *secundum proprietatem* a S. Benedicto posita esse asserit, hoc est pro sacrificio et communione eucharistica, uti se ipsum explicat. Prætermittere haud possum antiquissimum scriptorem Amalarium, qui in suo ad librum de Divinis Officiis supplemento (*Analect. tom.* II), S. Benedictum nostro sensu intelligit : « De reverentia, inquit, corporis ac sanguinis Domini in nullo dissentire credatur idem S. Benedictus a scriptis B. papæ Clementis, quibus jubetur ut discernatur a carnali spiritualis cibus communionis; ut si quis communicat hora tertia, non statim indifferenter terrenum præsumat cibum ob reverentiam mensæ cœlestis, sed exspectare debeat horam sextam; qui circa vero sextam, sustinere curet nonam, ne gustus cœlestis ob terrenum vilescat. Sanctus vero Benedictus lectorem jubet cibari ante moram lectionis recitandæ, propter, inquit, communionem sanctam; quod apostolicis decretis contrarium non est, etc. » Supervacaneum est iterum referre Joannis Belethi doctoris Parisiensis, qui annis abhinc circiter quingentis scribebat, testimonium; quod superius relatum lector videre potest. Denique his omnibus superaddi queunt vetustissimæ Versiones Gallicæ. Antiqua ex ms. Conchensi *propter communionem* ita reddit : *Pour la sainte communion, c'est-à dire pour le corps de nostre Seigneur, que l'en seult recevoir à la messe.* Expositio Theobaldi Artaldi Cœlestini : *Pour la sainte communion, que le liseur a reçû nagueres en la messe*, etc. Versio Guidonis Juvenalis : *Pour la sainte communion, qu'il a reçuë, afin qu'il ne demeure rien entre les dents ou ailleurs, qu'on peut gecter en lisant pour les fleumes qui viennent.* Expositio Matthiæ Lamberti : *A cause de la sainte communion, de peur qu'en crachant il advienne quelque irreverance à icelle pour les flegmes qu'il pourroit jetter en lisant.* His accedit antiquissima omnium versio Alemannica ante annos nongentos a Kerone sancti Othmari discipulo facta, quæ communionis vocabulum ita vertit *Kemeinsamii*, tum majoris explicationis gratia addit *scilicet corporis et sanguinis Christi.* Præterea recentiores commentatores Antonium Perez et Joannem Craesbeeck, qui etiam ex hoc loco inferunt quotidianam apud veteres monachos eucharistiæ perceptionem; et Nicolaum Bravum, Hugonem Ménardum, Carolum Cointium, aliosque non paucos.

Hisce omnibus auctoritatibus præponderare non debet sententia Richardi de Sancto Angelo minus germana et nimis, ut ita loquar, contorta; qui et nostram absolute non negat, multo minus cardinalis 498 de Turrecremata auctoris recentioris; uti et dissertatoris quæ nulla veterum auctoritate fulcitur. Sane *communionis sanctæ* vocabulum apud aliquos auctores alium in sensum usurpari non credimus quam ad significandam communionem eucharisticam. Quod si alicubi in alio sensu communio reperitur, semper cum aliquo addito ponitur, verbi gratia, *charitatis* aut *precum.* Cæterum hanc nostram expositionem confirmat veterum monachorum praxis ante S. P. Benedictum, qui post communionem minimum panem cum vino percipere solebant, ut docet scriptor Hist. monast. Orient. (*Lib.* I, *cap.* 8, *pag.* 123), vir doctissimus, et in traditione ecclesiastica et monastica versatissimus; quibus addere possemus S. Joannis Chrysostomi exemplum (*Niceph. lib.* XIII, *cap.* 9), qui ut screatum cohiberet, divinis celebratis mysteriis, cum vestibus sacris exueretur, pastillum comedere solebat.

Altera concedendi mixti causa est, ne forte grave sit lectori jejunium sustinere; durum enim esset si comedentibus aliis ad nonam aut vesperam jejunus ille legeret. Sed quæritur num aliis diebus, quibus nec jejunatur nec communicatur, licite possit lector accipere mixtum? Verum in hoc cujusque congregationis praxim et consuetudinem sequendam esse existimo; nec in communi ordinis nostri usu apud antiquos aliquid vidisse me memini, quod istis diebus lectori mixtum auferat.

Postea autem cum coquinæ hebdomadariis et servitoribus reficiat.] Et quidem iisdem cibis quibus alii fratres ex Regula S. Pachomii art. 15, et Orient. li cap. 38; iisque ab abbate aut a præpositis prius signatis ex Regula Magistri cap. 24. Et hoc « non ad unam mensam, sed in propriis locis » ex conc. Aquisgr., can. 28.

Fratres autem non per ordinem legant aut cantent, sed qui ædificent audientes.] Ad hunc locum referri potest quod in lib. Usuum Beccensium legitur : « Ad Pascha et ad Pentecosten tota hebdomada debet esse lector in refectorio cantor ipse, et sequenti hebdomada ad collationem. Aliis vero, ut supra dictum est, omnibus festis quibus invitatorium quatuor dicunt, ipsa tantum die lector debet esse in refectorio. Hujusmodi festa toties contingunt in anno : Natalis Domini, Pascha, Pentecostes, Assumptio sanctæ Mariæ, festum sancti ipsius loci, Dedicatio ecclesiæ, festum Omnium Sanctorum. »

CAPUT XXXIX.

De mensura ciborum.

499 Sufficere credimus ad refectionem quotidianam tam sextæ quam nonæ, omnibus mensis [a] cocta duo pulmentaria, propter diversorum infirmitates : ut forte qui ex uno [b] non potuerit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant : et si fuerit unde [c] poma aut nascentia leguminum, addatur et tertium [d]. Panis libra una propensa sufficiat in die, sive una sit refectio, sive prandii et cœnæ. Quod si cœnaturi sunt, de eadem libra tertia pars a cellerario reservetur [e] reddenda cœnaturis [f].

Quod si labor forte factus fuerit major, in arbitrio et potestate abbatis erit, si expediat, aliquid augere [g], remota præ omnibus crapula, et ut nunquam subripiat monacho indigeries : quia nihil sic contrarium est omni [h] Christiano quomodo crapula, sicut

[a] Ita Oxon. cum editis communiter. Sed Cassin., Conc. Flor., Hild., Vict., Paris., Ebrulf., Far., S. Germ. ms., Conch., Lyr., Comp., Dunst., Bern. Cassin., Boher., Guido Juven., Haeft. cum omnibus mss. quæ vidit, Edit. Colon., Paris., Balduini, Moreau cum omnibus quæ contulit mss., legunt *omnibus mensibus.* S. Germ., *omnibus diebus.*

[b] Oxon., *illo.*

[c] Oxon. cum recentioribus, *fuerint inde.*

[d] Oxon., *tertius.* Hild., *tertio.*

[e] Oxon., Cassin., Comp., *servetur.*

[f] Oxon., Flor., *cœnandis.*

[g] Quidam mss., *augeri.*

[h] Oxon., *homini.*

ait Dominus noster: *Videte ne graventur corda vestra in crapula* (*Luc.* XXI) [a]. Pueris vero minori ætate non eadem servetur quantitas, sed minor quam ma- A joribus, servata in omnibus parcitate. Carnium vero quadrupedum, omnino [b] ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles et ægrotos.

[a] Oxon., Hild., Haeft., *crapula.*

[b] Cassin., *omni modo.* Flor., *omnino omni modo.*

COMMENTARIUS.

Sufficere credimus ad refectionem quotidianam.] Non dicit S. P. Benedictus ad singulas refectiones; sed ad refectionem quotidianam, « id est cujuslibet diei, inquit Boherius, **500** juxta illud quotidiano pascebatur alimento; » sive duplex sit sextæ et vesperæ refectio, sive una duntaxat nonæ; ut ad duas diebus prandii refectiones amplius aliquid non detur quam ad unicam cœnam tempore jejunii. Ita cum Boherio S. Benedicti hoc capite mentem explicuisse videtur ms. Regula incerti auctoris, quam ex vetustissimo codice bibliothecæ reginæ Sueciæ eruit Romæ noster Mabillonius: in ejus siquidem cap. 6 sic habetur: « S. Benedictus ait credimus in refectione quotidiana sive una sit refectio, sive prandii et cœnæ, panis libra una et duo pulmentaria cocta sufficere; et si fuerint inde poma vel nascentia leguminum, addatur et tertium. « Clarius etiam forte Bernardus Cassin. cum exponens hæc verba *addatur et tertium*, sic loquitur: « Non intelligit autem quod debeant dari pulmenta cocta nisi duo, sed quod tertium sit crudum. Et hoc illo tempore dicunt expositores fieri debere, quando conventus comedit semel tantum; quando enim comedit bis, tertium quod est crudum secundum expositores reservatur ad cœnam. » Istud Bernardi Cassinensis, quod in suo item commentario transcribit Boherius, testimonium haud obiter est transcurrendum: ex eo quippe patet non hanc fuisse singularem illorum opinionem, sed constantem aliorum expositorum sententiam. Eadem fuit mens Nicolai de Fractura, qui paulo post Bernardum scripsit suum commentarium. Hic enim explicans hæc verba *addatur et tertium*, sic loquitur: « Per hoc non dicitur quod dari debeant pulmentaria cocta nisi duo; tertium vero, si fuerit, addatur crudum, maxime illo tempore quando conventus semel in die comedit; quia si bis in die comederet, tertium quod est crudum reservaretur ad cœnam. » Idem etiam longe antea non obscure innuerat Hildemarus, hunc locum sic commentans: « Refectio quotidiana varie intelligitur. Alii sunt qui intelligunt, ut sicut in diebus privatis, ita etiam in solemnibus et in Pascha intelligitur; id est ut duo pulmentaria cocta debeant esse in solemnibus sicut in diebus privatis, propter illud quod patres nostri in privatis diebus manducabant ad nonam, et in solemnibus ad sextam; et ita tantum manducabant ad sextam et seram, ut non plus quam in diebus privatis manducarent ad nonam: quia solummodo illum cibum quem ad nonam manducabant, manducabant ad sextam et seram. » Ita Hildemarus, cujus verba præfatæ sententiæ satis consonant; ne quid tamen dissimulem addit: « Sed meliores aliquantulum, sive tria pulmentaria cocta; nam numerum augebant. » Verum quidquid sit de illa pulmentariorum additione, quæ præter Regulam erat, ut patet ex Theodemaro mox citando; ex hoc saltem loco habemus veteres monachos non plus ad sextam et seram simul comedisse solemnibus diebus, quam tempore jejunii ad unam nonæ refectionem; et in hoc potissimum jejunii solutionem constituisse, quod meliores cibos duabus sextæ et seræ refectionibus, licet non in majori quantitate sumerent. Ex quorum exemplo inferri potest non plus cibi ad sextam et seram simul quam ad unicam nonæ refectionem a S. Benedicto fuisse indultum; sed quæ **501** diebus jejunii ad nonam concessit duo pulmentaria cocta, et tertium ex pomis et leguminibus, eadem aliis diebus ad duas sextæ et seræ refectiones, hoc est duo cocta ad prandium et tertium ex pomis ad cœnam permisisse.

Et certe eodem prorsus modo videtur esse de aliis cibis argumentandum ac de pane. De pane autem tantum S. Pater tribuit ad unam nonæ refectionem quantum ad duas sextæ et seræ: unde quemadmodum tertiam libræ panis partem servari cœnaturis voluit; ita etiam par est existimare eum ex tribus pulmentis unum ad cœnam reservari voluisse.

Confirmat hanc sententiam Regula Magistri, quæ Benedictinam fere exscribit, et quasi explicat, ac præsertim hoc capite. Ita vero ciborum mensuram B disponit (*Cap.* 26): « Sufficere namque credimus ad refectionem quotidianam tam sextæ quam nonæ omnibus mensibus cocta duo pulmentaria, et tertium quodcunque fuerit crudum cum pomis. Medius panis pensans libram singulis fratribus in die sufficiat..... Quando ergo ad sextam horam tempore æstivo, vel aliis temporibus reficiunt, tertia quadra ipsius dominici panis a cellerario per omnium annonas in cellario subtracta sera ante illud crudum pulmentarium inferendum mensis ponatur..... ut ipsæ solæ partes cum crudo quocunque pulmentario mixto cum pomis, vel si quid de pulmentariis prandii remanserit fratrum cœnæ sufficiat. »

Eamdem item sententiam confirmat primorum Cisterciensium praxis, qui regulam S. Benedicti ad litteram sibi servandam proposuerant; quibusque duplex tantum ad prandium pulmentum, unicum vero ex fructibus aut herbis crudis ad cœnam ministrabatur, ut facili negotio colligi potest ex libro Usuum Cisterc., C in cujus cap. 76, *De prandio*, ita habetur: « Porro cellerarius et coci provideant ut ambo pulmentaria priusquam campana pulsetur, si sic tamen abbas viderit expedire, per mensas disponant. » De tertio autem pulmentario nihil. Capite vero 83, *De cœna*: « Post vesperas expleto officio defunctorum, et pulsato signo, sicut superius diximus, accedant ad cœnam. Quod si poma, vel herbæ crudæ, vel aliud tale quid fratribus generaliter distribuendum est, potest cellerarius deferre per mensas ante versum, quando ei vacuum fuerit. » Equidem æstate, messis tempore, cum laborabant, unum ad prandium pulmentum coctum, alterum etiam ad cœnam coctum habuisse patet ex cap. 84; « ac consequenter, ait Julianus Parisius abbas Fulcardi Montis (*In not. ad cap.* 76 *lib. Us. Cist.*), aliis diebus, si quando cœnarent, nonnisi fructus, olera, aut nascentia leguminum, eaque cruda accepisse. » Idem pariter colligitur ex lib. Institutorum cap. general. Ord. Cisterc. cap. 79, quo decernitur, ut « loquentes ad mensam D priventur vino, aut si non habuerint vinum, uno pulmento, si duo habuerint. » Non ergo duo semper pulmenta ad refectionem habebant.

Adversus hanc quam propugnamus hactenus opinionem posset opponi. 1° quod S. Benedictus duo pulmentaria cocta et tertium ex pomis **502** et leguminibus, si fuerit unde, propter diversorum infirmitates concedit, ut qui ex uno comedere non potuerit ex alio reficiatur. Porro male consultum esset diversorum infirmitati, si duobus ad prandium pulmentis indultis, tertium duntaxat ad cœnam crudum concessisset. Fieri enim posset ut quis ex illo tertio gustare non posset, ac proinde in solo pane cœnaret. Adde quod S. Pater tertium pulmentum non absolute concedit, sed tantum si fuerit unde poma, aut nascentia leguminum. Quod si non fuerint, omnibus in solo pane cœna erit. Multo ergo æquius foret ac spiritui discretionis, quo abunde repletus erat, magis consonum, affirmare S. Patrem duo pulmentaria

cocta cum uno crudo ad prandium, totidemque ad cœnam concessisse.

Respondeo S. Benedictum satis superque diversorum infirmitati providisse, duo ad prandium pulmentaria cocta concedendo, et tertium ad cœnam ex pomis aut herbis crudis, quæ vix deficiunt in monasteriis ad ejus mentem ædificatis, hoc est, in quibus nihil deesse debet, in quibus spatiosi horti, monachorum manibus excolendi, contineri debent. Ac si deficerent, satis fuisse addictis pœnitentiæ monachis in solo cœnare pane. Nec de S. Benedicti mente judicandum esse ex usu et remissione nostrorum temporum; sed ex districtione et austeritate veterum monachorum, quibus pro magnis erat deliciis ad panem aliquid addidisse. Certe Cluniacenses toto anni tempore, una excepta Quinquagesimæ dominica, in solo pane cœnasse, aut ad maximum fructus crudos ad panem adhibuisse, colligi potest ex Udalrico (*Lib.* I, *cap.* 49) : « In Quinquagesima, inquit, quia de cætero nec caseum, nec ova comedimus, post vesperas ad cœnam de ipsis ovis coctis in pipere habemus generale; quod toto anno amplius non contingit, ut aliquid ea vice habeamus præter solum panem; et si forte sunt in promptu cruda poma, vel ea quæ in ferramento characterato de conspersione farinæ tenuissimæ fiunt, et ab hominibus Romanæ linguæ nebulæ, a nostratibus appellantur oblatæ. » Idem in mss. S. Benigni Divionensis Consuetudinibus cap. 55, et in Ordinario Corbeiensis monasterii etiam clarius continetur; nam quod Udalricus ambigua voce expressit, perspicuis ibidem verbis enuntiatur : « Toto anno non contingit ut quidquam generaliter ad cœnam habeamus coctum, præter panem solum, nisi vel cruda poma, vel ea quæ ferro charact rato, etc. »

Secundo opponi posset capitulum 16 monachorum Sangallensium, statuens, « ut reficiendi fratres unum pulmentum cum potu et horto seu pomis, si sunt, ante se inveniant; post quæ et alia dentur quæ Regula mandat. » Illa autem alia haud possunt esse nisi secundum pulmentum coctum. Ergo tria ad singulas refectiones concedit sanctus Benedictus.

Respondeo capitulum istud intelligendum esse de refectione quæ jejunii diebus unica fit ad nonam, ad quam tria quidem pulmenta sanctus Pater indulget, aut certe illos monachos locutos fuisse juxta usum sui monasterii.

503 Tertio opponi posset Hildemari testimonium ad hæc verba *addatur et tertium* sic scribentis : « Hoc autem notandum est, quia in diebus privatis, si non fuerit calor, aut maximus labor, duo debent esse ad sextam pulmentaria cocta et unum crudum, et ad seram tertium coctum, si cœnaturi sunt ad æstimationem panis; id est, quia sicut ipse dicit, duas partes libræ panis debet monachus manducare ad sextam, et tertiam ad seram, si cœnaturus est; ita etiam de pulmentis intelliguntur, hoc est duo pulmenta cocta habeat monachus ad sextam, et tertium crudum; et ad seram unum pulmentum coctum, quod est jam tertium coctum, sicuti tertiam partem libræ panis. Si autem ad nonam fuerit manducandi tempus, jussit dari duo pulmenta cocta, et unum crudum. »

Respondeo Hildemarum forte locutum fuisse secundum usum sui monasterii, et ex hoc testimonio saltem haberi non tria ad cœnam pulmenta, sed unicum duntaxat concedendum esse. Nec creditu difficile est maj res nostros præscriptæ a S. Benedicto ciborum mensuræ aliquid addidisse, cum hujus rei luculentum de cœnobio Cassinensi testimonium habeamus in epistola Theodemari ad Carolum imperatorem, cujus hæc verba : « Beatus Pater noster instituit duo cocta pulmentaria in quotidiana refectione fratribus præparari, et tertium de leguminibus crudis aqua infusis; nos vero ex institutione majorum tria cocta pulmentaria aliis diebus; quarta et sexta feria duo tantum reficiendis fratribus præparamus, excepto quod plures ex fratribus nostris panc tantum his diebus, herbisque hortensibus vescuntur; quorum plerique etiam nec vinum bibunt. Die vero dominica et in festivitatibus præcipuis etiam quartum addimus pulmentum, exceptis secunda, quarta et sexta feriis. » Ubi quod quatuor festivis diebus pulmenta ministrata dicuntur, intelligendum est tam pro prandio quam pro cœna, ut duo ad prandium duoque ad cœnam unicuique præberentur. Neque enim credibile est faustis illis temporibus octo diebus festis pulmenta uno die concessa fuisse.

Cæterum istam opinionem confirmat veterum monachorum praxis, qui non plus edebant solvendo jejunium quam illud servando, contenti hoc casu aut refectionis tempus prævenire ad sextam, aut solitos cibos duas in refectiunculas distribuere.

Sunt qui *refectionem quotidianam* hic intelligunt prout opponitur refectioni dierum solemnium; in quibus, aiunt, meliora et plura debent apponi pulmenta, quam aliis diebus quotidianis : « Alii sunt, inquit Hildemarus, qui quotidianam refectionem intelligunt de diebus privatis, et in solemnibus plus, propter illud quod idem S. Benedictus alibi dicit diebus privatis et dominica; ut sicut illic divisit inter privatos dies et dominicam, cum de officiis dixit, ita et in hoc loco intelligitur divisisse, cum dicit ad refectionem quotidianam; ac per hoc in eo quod dicit ad refectionem quotidianam, datur intelligi, ut ad refectionem solemnium dierum aliquid plus et melius esse debeat. »

504 Sic Regula Cujusdam ad virgines, quæ magna ex parte ex Benedictina sumpta est : « Quotidianis, inquit (*Cap.* 10), diebus sufficere decernimus duo fercula, exceptis pomorum donis, de leguminibus, vel de oleribus conferta, seu farinæ qualibet conspersione.... Festis vero diebus pro reverentia sacræ solemnitatis pluribus cibis, id est ternis vel quaternis ferculis sunt corpora reficienda : sic tamen ut, si plura sunt cibaria numero, sint minora, ut corpora necessario cibo reficiantur, et non nimia saturitate damnentur. » Et certe ea fuit priscorum monachorum consuetudo, ut festis dominicisque diebus paulo liberius exciperentur. S. Cæsarius in Regula ad virgines (*In Recapit. cap.* 16) : « In festivitatibus majoribus ad prandium et ad cœnam fercula addantur; et recedentibus de ea dulceamina addenda sunt. » Sanctus Aurelianus in utraque ad monachos et ad virgines Regula (*Cap.* 51 *et* 35) : « Pisces vero certis festivitatibus, aut quando sanctus abbas indulgentiam facere voluerit, tunc procurentur; » et in ordine convivii, quem utrique Regulæ subjunxit : « In festivitatibus vero, et quando abbas indulgentias voluerit facere, et cibaria quantum voluerit, et recentes addantur. » Sanctus Isidorus (*Cap.* 10) : « Per omnem autem hebdomadam fratres viles olerum cibos, ac pallentia utantur legumina; in diebus vero sanctis interdum cum oleribus levissimarum carnium alimenta. » S. Fructuosus (*Cap.* 5) : « Vivant solis oleribus et leguminibus, raroque pisciculis fluvialibus vel marinis; et hoc ipsum quoties se opportunitas fratrum vel festivitas solemnitatis dederit alicujus, servata in his et similibus causis discretione. » Denique Magister (*Cap.* 26) : « Dominico die vel aliis festis diebus, sed et propter extraneas advenientes personas quovis die quidquid addere abbas in cibo voluerit, ut pote majori, conceditur; vel dulciorum aliqua, secundum testimonium quod legitur in Vitis Patrum; ubi pro diebus festis delicatum petierunt a Domino cibum, et apparuit eis cum favo angelus. Tantum est, ut consideret æqualitatem, et fugiat corruptibilem nimietatem. » Sed his indulgentiis quæ in monachis tota hebdomada solis leguminibus vescentibus, utcunque tolerandæ sunt, parce omnino utendum est; nam et S. Benedictus festos dies neque hoc capite, neque in tota Regula quotidianis opponit. Imo semper meminisse debemus quod ait Regula Cujusdam ad monachos (*Cap.* 11), *ferias monacho non esse super terram*; et Regula ms. incerti alterius auctoris (*Cap.* 7) : *Ne dicas hodie*

festivitas est, et bibam vinum; et cras Pentecostes, et manducabo carnes; quia non est festivitas apud monachos super terram. Quæ verba desumpta sunt ex Evagrii monachi sententiis ad eos qui in cœnobiis et xenodochiis habitant fratres.

Tam sextæ, quam nonæ.] De vespertina autem quæ fit tempore Quadragesimæ quid? De ea forte hic tacuit, quia postea dicturus est, hoc potissimum tempore aliquid de cibo et potu subtrahendum esse, ut notat Boherius : mensuramque ciborum istis temporibus aut in abbatis providentia reliquit, aut suos sola panis libra quam in die concedit, contentos esse voluit; nam et S. Richmiro abbati (*In ejus Vit. n.* 15, *sæc.* III *Benedict.*) **505** cum sanctæ Quadragesimæ dies advenirent, erat ei aridus cibus panis tantum hordeaceus, quem etiam manu molebat. » Atque ita S. Isidorus in Regula decernit (*Cap.* 10) : « In observatione autem Quadragesimæ sicut fieri solet post expletum jejunium pane solo et aqua omnes contenti erunt, vino autem et oleo abstinebunt. » Et sane « jejunare eos dicimus, inquiebat olim Petrus Damiani (*Opusc.* 14 *et* 15. *cap* 6), qui panem cum sale et aqua percipiunt, ubi autem præter hæc aliud aliquid additur, perfectum jejunium non vocatur. »

Omnibus mensis.] Hanc lectionem, quam vulgatæ retinent editiones, et in quibusdam codicibus reperiri docent Hildemarus, Bernardus Cassinensis et Boherius, reprobat idem Hildemarus, et cum eo præfati commentatores, cujus loco substituunt *omnibus mensibus*, sicuti exstat in Regula Magistri cap. 26. Quam lectionem sequuntur antiquæ versiones Gallicæ, inter alias vetus ex ms. Conch., quæ hunc locum ita reddit : *en tous les moys de l'an*; versio Joannis *de Précis* cum alia antiqua monasterii S. Remigii Rhemensis : *en tout temps*; Guidonis Juvenalis : *en tout le temps de l'an*; Matthiæ Lamberti : *tous les mois de l'an*; altera recentioris auctoris : *en tous les mois de l'année.* Quam lectionem præfert Menardus, aitque S. Benedictum hic occurrere pravæ quorumdam consuetudini, qui ob calores plura fercula in æstate quam in hieme quotidie apponi volebant; quod etiam cavit S. Isidorus hoc statuto (*Cap.* 10) : « In utrisque temporibus refectio mensæ tribus erit pulmentis. »

Vulgaris tamen lectio non videtur omnino spernenda; nam si legamus *omnibus mensis*, manifestum est S. legislatorem non minus pravæ occurrisse quorumdam consuetudini, qui plura aut meliora abbatis aliorumque in dignitate positorum mensis apponi volunt fercula, quam fratrum; id quod expressis verbis prohibet idem S. Isidorus (*Cap.* 10) : « Abbas citra languoris necessitatem cibos in conspectu pariter cum fratribus sumat; nec aliud quam cæteri, nec cultius quam quæ in commune consistunt, præparari sibi quidquam expetat... Æqualia quippe erunt mensarum omnium fercula, similibusque alimentis cuncti reficiendi sunt fratres. » Et Regula monastica communis sancti Fructuosi (*Cap.* 11) : « Excepto in adventu fratrum et languoris necessitate, delicatiores cibos non audeant edere abbates, nisi tales quales et fratres. » Concilium Aquisgran. (*Can.* 25) : « Ea quam monachi sui habent mensura sint abbates contenti in manducando, in bibendo, in dormiendo, in vestiendo, in operando, si in aliis utilitatibus non fuerint occupati. » Et Oxoniense anno 1222 (*Apud Spelm.*, *tom.* II *Conc. Angl.*) : Omnes « in uno refectorio simul edant; nec per se cuilibet, sed communiter omnibus victualia præparentur. » Huc referri potest optimum Cluniacensis monasterii institutum, quod refert Udalricus in hæc verba (*Lib.* III, *cap.* 18) : « Quoties piscium generale datur, statim post sextam, vel si tandiu jejunatur, post nonam totum esse debet dispositum, et ordinatum in scutellis super tabula, quæ est in vestibulo cellarii, ut prior veniens antequam consideat ad squillam, videre possit quod est in singulis **508** scutellis, si est æquale, et ita divisum ut prioribus non veniant majores et meliores partes; multumque in hoc genere personarum acceptio vitatur. » Porro si non licet abbati meliores sibi ac plures quam fratribus cibos habere, multo minus convivia lauta facere; quæ prohibet Benedictus papa XII in sua pro monachis Benedictinis Constitutione, his verbis : « Prohibemus insuper ne superiores, abbates, priores, et cæteri quicunque ipsius ordinis seu religionis lautis conviviis et comessationibus occupentur; nec in his sumptus immoderatos et alias excessivos faciant. »

Vel etiam *omnibus mensis*; id est tam secundæ quam primæ, ut explicat Theobaldus Artaldus, ne forte servitores, lectores, et alii monasterii utilitatibus detenti, qui ad primam mensam cum fratribus accumbere nequiverunt, sub specie majoris laboris, aliquid sibi cæteris amplius indulgendum crederent. Ita Regula S. Pachomii : « Ministri absque his quæ in commune fratribus præparata sunt, nihil aliud comedant, nec mutatos cibos sibi audeant præparare; » et capitulum 20 monachorum Sangallensium : « Ut ministri omnes intus forisve in potu et cibo, vestimentis cæterisque necessariis ea mensura qua cæteri fratres vivunt, contenti sint. »

Est qui Gallice vertit *à chaque repas*; quæ versio si recipiatur, intelligenda erit de prandio, non autem de cœna : « Si enim dicatur *omnibus mensis*, inquit, Bernardus Cassinensis, oportet suppleri *prandii*; non enim tot fercula in cœna danda. » Vel etiam dicendum terminum universalem *omnibus* cœnam et prandium complecti.

Duo pulmentaria cocta.] Totidem concedit Regula Magistri c. 26, Solitariorum c. 43, Cujusdam ad virgines c. 10. At vero S. Cæsarius in Regula ad virgines in Recapitulatione c. 16 : « Cibaria, inquit, omnibus diebus in jejunio tria, in prandio bina tantummodo præparentur; » et S. Aurelianus in Ordine convivii : « Cibaria quotidie ad refectionem tria, ad prandium duo, et ad cœnam duo. » S. Fructuosus autem mentem suam non satis explicat, cum statuit, ut « in præcipuis solemnitatibus tria pulmenta, et totidem potiones fratribus præbeantur. »

Quid vero pulmentariorum nomine intelligendum sit in Regula S. Benedicti paucis est investigandum. « Pulmentum vocatur a pulte, inquit S. Isidorus (*Lib.* II *Orig.*, *c.* 2); sive enim sola pultis, sive quid aliud ejus permixtione sumatur, pulmentum proprie dicitur. » Atque hoc sensu secundum S. Hildegardem S. P. Benedictus « pulmentaria cibos illos ostendit, qui ad ignem positi, hac et illac ligniolo moventur, ne comburantur. » Eodem modo pulmentum hic explicant Theobaldus Artaldus, Cœlestinus, aliique nonnulli et pietate et doctrina viri graves, habita ratione etymologiæ vocis.

Alii econtra non minus doctrina conspicui pulmenti seu pulmentarii nomine intelligunt quidquid pani adjicitur ut melius comedatur. Atque ita in communi usu loquendi solet usurpari, ut infinitis prope exemplis posset demonstrari. Solus hic Hildemari textus sufficiet : **507** « Pulmentaria, inquit, multis modis dicuntur. Dicuntur enim de carne, sicut in lib. Genes. dixisse fertur Isaac ad filium suum cum isset in venationem, et de sua venatione fecisset illi pulmentum. Dicuntur etiam de piscibus, sicuti habes in Evangelio, ubi Dominus post resurrectionem suam apparuit discipulis piscantibus, et interrogavit eos si haberent aliquid pulmentarii; et cum venissent discipuli in terra, viderunt prunam, et super prunam piscem positum. Dicitur etiam pulmentum de leguminibus, sicuti habes in præfato libro Geneseos, ubi dicitur : Coxit Jacob pulmentum, quod fuit de lenticula factum. Pulmentum enim dicitur, sicut tradunt magistri, quidquid pani adjicitur, ut melius ipse panis comedatur, sicuti est caseum, et folia porrorum, et ovum, et cætera his similia. Nam caseum si non coctum manducaveris cum pane, non dicitur pulmentum coctum; si autem coctum fuerit, dicitur pulmentum coctum. In hoc loco pulmentum coctum dictum est quod de oleribus, de caseo, de ovis, et de farina. »

Atque secundo hoc sensu sumendum esse hoc capite

pulmenti vocabulum quatuor mihi persuadent. Primo, quod verba in legibus accipi debent in sensu qui est ex communi et recepto usu loquendi convenit, non secundum etymologias eorum; alioquin subditos legibus, qui nec vocum etymologias scire tenentur, et frequenter non possunt, ut pote qui studere prohibentur, infinitis prope transgressionibus redderent obnoxios.

Secundo, quod pulmentum primo sensu pisces non complectitur; at qui prohibitos a S. Benedicto pisces assereret, legi neminem. Certe ipsi Cistercienses qui S. Benedicti Regulam ad litteram sibi servandam proposuerant, etsi solis vesci leguminibus, iisque omnino male paratis solerent, tamen aliquando piscibus usos fuisse constat ex S. Bernardo (*Serm.* 30, *in Cant*), qui nonnullorum monachorum de victu querelas perstringens, inter alia redarguit eos quod quererentur : « Pisces de stagno aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt; » et ex Vita B. Rogerii abbatis Ellantii (*Num.* 5 *et* 10 *apud Boll.* 4 *Jan.*), qui obiit anno 1175, cui cum aliquando B « piscis non modicus offerretur,... requisivit an ex eo singuli fratres portionem possent accipere ordinariam, » jussitque illum in commune olus conventus mitti; aliquando etiam in itinere constitutus pisce *miræ magnitudinis* refectus legitur.

Tertio, quia pulte pro pane veteres utebantur, ut patet ex Plinio (*Lib.* XVIII) : « Pulte autem, non pane, vixisse longo tempore Romanos manifestum est, quoniam inde et pulmentaria hodie dicuntur. » Sed S. Benedictus hic panem ad pulmenta adjicit. Hoc argumentum est Nicolai Bravi.

Quarto, quod ex Regula tertium pulmentum determinate debet esse ex leguminibus. Unde merito potest inferri alia duo non absolute ex leguminibus, sed ex quocunque alio obsonio præparari posse. Alioquin sanctus Pater sine conditione dixisset, sufficiant monachis tria pulmentaria.

Cum ergo ex communi usu loquendi pulmentum dicatur quidquid **508** pani, ut facilius comedatur, C additur; et alioquin S. Pater solas quadrupedum carnes prohibeat, pulmentariorum nomine hic omnia ciborum genera quæ vitæ monasticæ proposito conveniunt, aut ei ratione pretii vel suavitatis nimiæ non repugnant, intelligenda sunt. Quænam vero monachis conveniant ex SS. Patrum factis, dictis, et Regulis accipiendum est.

Itaque S. Hieronymus de cœnobitis Ægyptiis loquens (*Epist.* 22) : « Vivitur pane, inquit, leguminibus, et oleribus, quæ sale solo condiuntur : vinum tantum senes accipiunt. » De anachoretis vero : « Excepto sale et pane, ad desertum nihil perferunt amplius. » Similiter de Ægyptiis monachis disserens Cassianus (*Lib.* IV, *cap.* 22) : « Nec tanta cura inter eos parandorum ciborum vel coctionis impenditur, quippe qui maxime xerophagiis vel homophagiis utuntur, et apud quos secta singulis mensibus porrorum folia, lapsana, sal frictum, olivæ, pisciculi minuti saliti, quos illi mænidia vocant, summa voluptas est. »

De Pachomianis ita loquitur Palladius (*Lausiac. cap.* 39) : « Alii versantur in mensis parandis, mensæ D imponentes panes, olera agrestia, olivas, caseos, et extremas carnium partes, et comminuta olera. » Et certe solitas eorum escas fuisse olera, legumina, olivas, allia, herbasque minutas oleo et aceto conditas colligitur ex Vita S. Pachomii : unde et negligentem coquum redarguens ait : « Quomodo hoc facis, cum statutæ vivendi leges, et SS. Patres sabbatis atque dominicis omnibus, olera coqui jubeant fratribus vesci volentibus? »

De SS. Patribus in Sina audiendus est S. Nilus (*Hist. cædis SS. Pat. in Sina, cap.* 5) : « Pauci quidem norunt alimentum ex frumento... multi autem vescuntur crudis oleribus et baccis, mensam minime artifici sum, et nullis condimentis instructam amplectentes, eorum qui obsonia condiunt, et panem conficiunt, curiositatem multum valere jubentes; ne si A in curando corpore multum temporis ponerent, negligentes essent in eo in quo potius oporteret perseverare. »

Non majorem curam in parandis sibi cibis impendebant monachi ad Jordanem habitantes, de quibus in Vita S. Mariæ Ægyptiacæ num. 5 (*Boll.* 2 *April.*) : « Esca illis indeficiens erant divina eloquia; corpori vero indulgebantur necessaria duntaxat, panis et aqua. »

Sancti Gerasimi discipuli quinque infra hebdomadam diebus nihil « quod esset esculentum nisi panem et aquam, et dactylos » gustabant. Sabbato et dominica « cocto utebantur in cœnobio, et parum vini sumebant. »

Neque vero hæc solis in Oriente degentibus monachis singularia exstiterunt. S. Fintani in Hibernia sæculo VI abbatis discipulis communis cibus nihil erat aliud *nisi olera agrestia*, ex ejus Vita num. 2 (*Boll.* 17 *Feb.*). De monasterio S. Comgalli Vitæ secundæ scriptor num. 26 sic loquitur (*Bolland.* 10 *Maii*) : « Panis jam, et aqua, atque olera tantum erant in illa cœna; lac enim et cætera alimenta in monasterio S. Comgalli visu et gustu antea incognita erant... Postea suadente episcopo (S. Finbarro) et aliis **509** sanctis per rationem charitatis lac receptum est senibus et infirmis. » Postea etiam receperunt pisces, ex eadem Vita num. 34. Ex Regula quoque vivendi monachis a S. Davide præscripta (*Bolland.* 1 *Martii*), « cibum ad necessitatem magis quam ad saturitatem sumebant; ibi quoque et oleribus et sale contenti, lautiores cibos pro fastidio reputabant. Infirmis tamen, vel ætate provectis, vel longo itinere fatigatis, aliquando lautioris cibi oblectamenta procurabant. »

Jam vero si sanctorum dicta consulamus : S. Basilius (*Regul. fus.*, *cap.* 19) : « Oportet, inquit, omnimodo illis uti cibis qui et facilius et vilius comparantur, ne prætextu abstinentiæ quæ pretiosiora sunt quæramus, et sumptuosiores cibos ex condimentis pretiosis componamus. Sed si quid est quod in unaquaque provincia facilius et vilius comparatur, et quod in usu hominum communiter habetur, hoc ad usus nostros oportet assumi, et ea tantummodo requiri quæ ad vitam pernecessaria sunt, id est oleum et alia hujusmodi, vel si qua etiam ad infirmantium solamen adhibentur. » Et paulo antea : « Si quid ergo illud est, quod potest vel brevius vel facilius explere hanc necessitatem corporis in cibis, id potius eligendum est. Sed et Dominus, ut opinor, hoc ostendit cum esurientes in deserto reficit; quia cum utique posset majore miraculo copiosiores eis cibos parare, nihil horum fecit; sed simplicem eis exhibuit victum; et secundum Joannem quinque panes hordeaceos et pisciculos duos apponit. De potu vero nec mentio quidem ulla fuit : ex quo sine dubio designatur quod omnibus sufficiens esse possit aquæ usus et pernecessarius. »

Similiter Cassianus (*Lib.* V, *cap.* 23) : « Igitur est cibus eligendus, non tantum qui concupiscentiæ flagrantis æstus temperet minusque succendat, verum etiam qui ad parandum sit facilis, et quem ad comedendum opportuniorem vilioris pretii compendium præstet, quique sit conversationi fratrum usuique communis. »

S. Hieronymus Paulinum monachum de instituenda vitæ ratione ita instruit (*Epist.* 13) : « Sit vilis et vespertinus cibus, olera et legumina, interdumque pisciculos pro summis ducas deliciis. Qui Christum desiderat, et illo pane vescitur, non quærit magno opere de quam pretiosis cibis stercus conficiat. »

His concinunt ea quæ ad eumdem Paulinum coquum ad præparandos monachorum cibos aptum mittens, scribit Severus Sulpicius (*Spicil. tom.* V) in hæc verba : « Postquam omnes coquos tuos coquinæ tuæ renuntiasse cognovi, credo quia dedignarentur officium vilibus præbere pulmentariis : puerulum tibi ex nostra misimus officina, doctum satis pallentem coquere fabam, et ignobiles betas aceto et juro

condire, vilemque pultem esurientium faucibus in- A ferre monachorum, piperis nescium, laseris ignarum, familiarem cymini, et apprime callidum herbis suave redolentibus clamosum urgere mortarium. Unum habet vitium, quod hortorum omnium civilis est inimicus, ita ut si admissus fuerit, proxima quæque metet gladio, nec exsaturabitur unquam cæde malvarum. »

510 Denique Evagrius in Monachicis num. 3 (*Tom.* III *Mon. Eccles. Græc.*) : « Cibum brevem et nullius pretii, non autem multum ac magna cura egentem cape. Quod si prætextu hospitalitatis de sumptuoso in mentem venerit, eam abjice cogitationem, nec illi adhæreas; per illam quippe insidiatur tibi adversarius, quo te a quiete avertat. »

Venio ad veterum monachorum instituta. Regula S. abbatis Isaiæ ita habet (*Cap.* 31) : « Si habitaveris cum aliquo fratre, et dicit tibi : Coquito; dic : Quid vis? Et si electionem tibi reliquerit, coquito quidquid tibi venerit ad manus. » Regula S. Aureliani ad monachos (*Cap.* 51) : « Carnes in cibo nusquam suman- B tur, pulli vel cuncta altilia in congregatione non ministrentur; infirmis tantum provideantur et accipere liceat. Pisces vero certis festivitatibus, quando sanctus abbas indulgentiam facere voluerit, tunc procurentur. »

Regula sancti Columbani (*Cap.* 3) : « Cibus sit vilis et vespertinus, monachorum satietatem fugiens, et potus ebrietatem, ut et sustineat, et non noceat, olera, legumina, farina aquis mixta, cum parvo panis paximatio, ne venter oneretur, et mens suffocetur. » Et tamen sancti Columbani discipulos aliquando etiam piscibus usos fuisse constat ex Vita sancti Galli cap. 6, sæc. II Benedic.

Regula S. Isidori (*Cap.* 10) : « Per omnem autem hebdomadam fratres viles olerum cibos ac pallentia utantur legumina. In diebus vero sanctis interdum cum oleribus levissimarum carnium alimenta. » Et alibi idem S. Isidorus monachorum vitam describens (*Lib.* II *de Eccles. Offic.*, *cap.* 15) : « Non solum C a carnibus et vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed etiam ab omnibus quæ ventris et gutturis provocant appetitum. »

Regula S. Fructuosi (*Cap.* 5) : « Vivant solis oleribus et leguminibus, raroque pisciculis fluvialibus vel marinis; et hoc ipsum quoties se opportunitas fratrum vel festivitas solemnitatis dederit alicujus, servata in his et similibus causis discretione majoris. »

Regula denique Cujusdam ad virgines (*Cap.* 10) : « Quotidianis diebus sufficere decernimus duo fercula, exceptis pomorum donis, de leguminibus, vel de oleribus conferta, seu farinæ qualibet conspersione. »

Ut autem etiam ex nostris aliqua ponamus exempla, discipuli sancti Amarini abbatis « vix panem paximatii ad mensuram cum lympharum potu sumebant. »

Idem de primis sancti Benedicti abbatis Anianensis discipulis narrat Ardo in ejus Vita num. 12 D (*Sæc.* IV *Ben. part.* I) : « Pellebatur aliquoties eorum esuries lacte delato a vicinis mulieribus, quoniam ariditate tabuerant corpora eorum, solo viventes pane et aqua. »

Sanctus Ansegisus abbas Fontanellensis in constitutione de victu et vestitu suorum monachorum assignat fabas, pisa, mel, caseum, ova, porcos saginatos ad adipem et lardum, insuper in Nativitate Domini et Paschate aucipastas, pullipastas, et pullos. Ad potum vero vinum et siceram. Ad infirmorum curam, mel et pigmenta. »

Cluniacenses sua pulmenta quotidie conficiebant unum ex fabis, **511** alterum ex oleribus; quibus adjiciebant pittantiam vel generale ex caseo, ovis; sola dominica et feria quinta ex piscibus; idque *si tamen æquo pretio inveniri* poterant. Quid vero sit pittantia, quid generale, docet Udalricus his verbis (*Lib.* II, *cap.* 35, *et lib.* III, *c.* 18) : « Generale appellamus quod singulis in singulis datur scutellis. Pittantia quod in una scutella duobus : verbi gratia, aliquando pro pittantia absque scutella unum crudi casei frustum, vel quatuor ova : pro generali ova quinque, caseus nunquam, nisi coctus. » Feria 2, 4 et 6 pittantiam, aliis diebus generale ministrabant.

Tegernsenses etiam in Bajoaria monachi raro piscibus vescebantur, ut testatur Gozpertus ejusdem loci sæc. X abbas (*Tom.* IV *Anal.*) : « In regione, inquit, australi, sicut scitis, habitantes, more monachorum, utdicet, a carnibus abstinentes, captura piscium raro pascimur; quia piscosas aquas minime habemus. »

Quid vero de Cisterciensibus? Certe audiendus est hic Guillelmus abbas Sancti Theoderici de Clarevallensibus loquens (*Lib.* I *de Vita sancti Bern.*, *cap.* 5) : « Pulmentaria, inquit, sæpius ex foliis fagi conficiebant. Panis instar prophetici illius ex hordeo, et milio, et vicia erat; ita ut aliquando religiosus vir quidam appositum sibi in hospitio ubertim plorans clam asportaverit, quasi pro miraculo omnibus ostendendum, quod inde viverent homines, et tales homines. » Et Fastredus tertius Clarevallensis abbas, arguens abbatem quemdam qui lautius vivebat (*Inter epist. S. Bernardi*) : « Non est hæc vita quam me et te docuit Pater et prædecessor noster Bernardus felicis recordationis; nec modus quem nostri sacri ordinis abbates et monachi sequuntur, qui nos pane ex avena confecto, et herbis sine oleo et abdomine coctis enutrierunt, et fabis pisisque ipso etiam Paschalis die festo; quæ austeritas, vel similis in omnibus ordinis domibus observatur. » Et ne domestici testes suspecti fortasse videantur, peregrinos promimus, Stephanum Tornacensem, et Jacobum de Vitriaco; quorum prior ad Robertum priorem Pontiniacensem scribens, sic loquitur : « In sudore vultus sui vescuntur pane suo, nec eos lascivire et rixari faciunt otium et alienus cibus : tanta in eo parcimonia, ut duobus tantum pulmentis utantur, quæ aut ager ex leguminibus, aut ex oleribus hortus affert; pisce tanto rarius utuntur, quanto frequentius apud eos audiri solet, quam videri. » Et alter in Hist. Occid. cap. 14 : « Piscibus, ovis, lacte, et caseo non vescuntur communiter; quandoque tamen licet raro pietatis intuitu pro pittantiis et summis deliciis iis utuntur. »

Mira sunt ea quæ de Carthusianis scribit Petrus Venerabilis (*Lib.* II *Mir.*, *cap.* 28) : « Pane furfureo semper utuntur, vino adeo adaquato, ut merito magis villum quam vinum dicatur. Ab omni carnium esu tam sani quam ægri in perpetuum abstinent. Pisces nunquam emunt, sed forte ex charitate datos accipiunt. Die dominico, et quinta feria tantum, caseum vel ova ad vescendum admittunt. Tertia feria, ac sabbato aut legumine, aut olere cocto utuntur. Omni secunda, quarta, et sexta feria pane et aqua sola contenti sunt. » Et Guibertus abbas (*Lib.* I *de Vita sua*, *c.* 10) : « Dominica **512** a dispensatore escas, panem scilicet ac legumen accipiunt, quod unicum pulmenti genus a quoque eorum apud se coquitur... Pisce et caseo dominicis et valde festis diebus utuntur; pisce dixerim, non quem sibi ipsi emerunt, sed quem bonorum aliquorum virorum largitione susceperint. » His concinunt ea quæ præscribuntur in Statutis Guigonis cap. 33, et in Antiquis Carthus. Statut. part. II, cap. 13 et 14.

Ex dictis hactenus liquet quales debeant esse perfectorum monachorum cibi; nimirum viles, inventu et paratu perfaciles, ut sunt fabæ, pisa, radices, olera, legumina, et fructus terræ : « Exemplum frugalitatis, magisterium parcimoniæ, inquiebat olim sanctus Ambrosius (*Lib.* III *in Hexam. c.* 7), est herbæ simplicis victu, olerisque vilis aut pomi contentos esse oportere, quem natura obtulit, quem liberalitas Dei prima donavit. Ille salubris, ille utilis cibus, qui morbos repellat, qui resecet cruditates, nullo hominum partus labore, sed divino effusus munere, sine satione frugis, sine semine tam dulcis, tam gratus, ut et repletis voluptati atque usui sit, denique ad primas datus

mensas, ad secundas remansit. » Et hæc quidem ille A ad omnes, quid vero ad monachos? Cæterum pisces non nisi raro, eosque vilis pretii, atque pro magnis deliciis monachos comedere deceret. Non possum hic prætereire factum singulare sancti Lupicini abbatis, qui, ut refert Gregorius Turonensis (*Lib. de Vit. SS. Pat. c. 1*), « ingressus in domum in qua cibi coquebantur ad reficiendum, vidit diversorum ferculorum apparatum magnum, pisciumque multitudinem aggregatam, dixitque in corde suo : Non est dignum ut monachi, quorum vita solitaria est, tam ineptis utantur sumptibus : et statim jussit præparari æneum magnum ; cumque locatus super ignem fervere cœpisset, posuit in eo cunctos simul quos paraverant cibos, tam pisces quam olera sive legumina, vel quidquid ad comedendum monachis destinatum fuerat, dixitque : De his pultibus nunc reficiantur fratres ; nam non deliciis vacent, quæ eos a divino impediant opere. » Et plane semper placuit illud sancti Ambrosii (*Lib.* VII *in Luc.*) : « Indecorum est homines curare de cibo qui militant de regno. » Quibus B hæc non arriserint, audiant non me, sed S. Bernardum (*Serm.* 30, *in Cant.*) : « Qui voluerit animam suam salvam facere perdet eam. Quid hic vos dicitis, observatores ciborum, morum neglectores? Hippocrates et sequaces ejus docent animas salvas facere in hoc mundo, Christus et ejus discipuli perdere; quemnam vos e duobus sequi magistrum eligitis? At manifestum se facit, qui sic disputat : Hoc oculis, hoc capiti, et illud pectori aut stomacho nocet. Profecto unusquisque quod a suo magistro didicit, hoc in medium profert. Num in Evangelio legistis has differentias, aut in prophetis, aut in litteris apostolorum? Caro et sanguis profecto revelavit tibi hanc sapientiam, non spiritus Patris. Est enim carnis hæc sapientia. Sed audi quid de ipsa nostri medici sentiant : Sapientia carnis mors est. Item : Sapientia carnis inimica est Deo. Num Hippocratis seu Galeni sententiam, aut certe de schola Epicuri debui proponere vobis? Christi sum discipulus, **513** Christi di- C scipulis loquor. » Et infra : « Quid vero prodest temperare a voluptatibus, et investigandis diversitatibus complexionum, ciborumque varietatibus inquirendis quotidianam expendere curam? Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus stomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, pisces de stagno aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt. Quale est hoc, ut in tot fluviis, hortis, agris, cellariisve reperiri vix possit quod comedas? Puta te, quæso, monachum esse, non medicum; nec de complexione judicandum, sed de professione. Parce, obsecro, primum quidem quieti tuæ; parce deinde labori ministrantium; parce gravamini domus; parce conscientiæ; conscientiæ dico, non tuæ, sed alterius, etc. »

Tandem quod ad ciborum condimenta spectat : « Absit procul saccharum, ut Fuliensium monachorum verbis utar (*Const. Ful., cap.* 39), cinnamomum, caryophyllum, piper, et aliæ species aromaticæ. Nec D unquam nisi forte propter infirmitatem valetudinis indigenti a superiore permitti possit. » Et recte; nam, ut dicebat Guillelmus, abbas Sancti Theoderici (*De Vit. sol. ad Frat. de Monte Dei*) : « De condimentis obsecro, ut comestibiles fiant cibi nostri, non etiam concupiscibiles vel delectabiles. Sufficit enim concupiscentiæ malitia sua ; quæ cum vix aut nullo modo pertransire possit ad finem explendæ necessitatis, nisi per viam quantæcunque delectationis, si cœperit accipere irritamenta ab eis qui perpetuum susceperunt bellum adversus ejus oblectamenta, fiunt duo contra unum, et sic periclitatur continentia. » Certe S. P. Benedictus alia non vult ciborum condimenta, quam quæ omnibus etiam minus idoneis facile parari possunt ; cibos enim a fratribus coqui præscribit; nec ullum a coquinæ officio excusat.

Propter diversorum infirmitates, ut forte qui ex uno non poterit edere, ex alio reficiatur.] Ne forte in solo pane quis, unicum præparatum pulmentum fastidiens, relinqueret. Sed quid cum solum propter diversorum infirmitates duo pulmenta S. Pater indulgeat, ut qui ex uno edere non potuerit, ex alio reficiatur, unico contentus esse debet monachus, aut ex utroque refici licebit? Respondet Petrus Boherius : « Quamvis bene faciat si a secundo abstineat, et de tali possibili abstinentia teneatur Deo gratias reddere, non credo tamen fratrem peccare, si de ambobus rationabiliter sumat, cum nec Magister hoc tacite hic prohibuerit, vel expresse. » Similiter Hildemarus : « Hoc sciendum est, inquit, quia potest ex duobus refici, si valet; eo quod non est ejus intentio de hoc, ut si potest de ambobus edere pulmentis, ex uno tantum edat. Et quod ita sit, manifestatur ubi dicit, *Addatur et tertium;* quia nequaquam dixisset addi et tertium, si solummodo voluisset edere de uno quemlibet. » Idem etiam sentit Menardus. Et sane, ut ipse ait, « male consultum esset superfluis impensis, cum duplicatis pulmentariis, dapes quæ, verbi gratia, quinquaginta monachis sufficerent, pro **514** centum essent apponendæ : maxime cum singulæ lances id continere deberent, quod ad unius monachi satietatem sufficeret; quia illi de una tantum edere liceret. » Quibus verbis omnino refutata manet ridicula prorsus et indigna monacho quorumdam opinio, qui existimant quodlibet pulmentum sufficere debere ad congruam cujuslibet monachi refectionem.

Ergo duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant.] Recte ex hoc loco Richardus de S. Angelo infert, « quod vicedecani et alii priores non debent habere plura fercula duobus ; quia qui *omne* dicit, nihil excludit seu excipit. »

Et si fuerit unde poma.] Pomorum nomine intelligit omne fructuum genus, quod ex arboribus aut ex herbis nasci solet ; nam « quæ nascuntur de arboribus aut de herba, poma dicuntur, » inquit Bernardus Cassinensis.

Aut nascentia leguminum.] Legumen Gazæo dicitur (*In Cass. lib.* V, *c.* 5), « quidquid e terræ satis et siliquis nascitur; » id quod probat ex Varrone lib. I de Re rustica : « Legumina evelluntur e terra, non subsecantur ut fruges ; quæ quod ita legantur, legumina dicta sunt; » et ex sancto Isidoro, lib. XVII Orig., cap. 4 : « Legumina a *legendo* dicta ; veteres enim meliora quæque legebant, sive quod manu legantur neque sectionem requirant. Leguminum plurima sunt genera, ex quibus faba, lens, pisa, faseolum, cicer, lupinum, gratiora in usu hominum videntur. »

Quid vero per nascentia leguminum hic intelligat S. Pater, docent commentatores. Smaragdus : « Leguminum, inquit, nascentia eorumdem leguminum intelliguntur germina, quæ cum aceto vel aliis fructibus composita ad comedendum sunt apta. » Hildemarus : « Nascentia leguminum intelliguntur germinantia, quia mos est illius terræ, et Romanæ et aliarum provinciarum, mittere legumina in aqua ; et cum germinata fuerint, tunc manducant. » Hildemarum explicat Bernardus Cassinensis : « Nascentia vero legumina dicuntur secundum expositores legumina nascentia, vel germinantia ; quando videlicet ponuntur in aqua, et quasi tenera efficiuntur, sicut illa quæ incipiunt germinare, et comeduntur in partibus Romanorum, vel sic germinata, vel cum aceto. » Boherius vero, relatis Smaragdi et Bernardi sententiis, addit : « Vel dic quod appellantur hic nascentia leguminum illa quæ ex leguminibus, id est seminibus vel granis nata, apta sunt ad comedendum, et non ipsa legumina, sive grana, ut patet in cucurbitis, cucumeribus, rafanis, melonibus, poponibus, pastinatis, lactucis, verdolagiis, et hujusmodi. » Nascentia leguminum hic proprie esse existimo recens orta legumina, quæ cum sale, aceto et oleo solent comedi, ut sunt lactucæ, et aliæ hujusmodi herbæ,

quas sic conditas *saludam* vocare solemus. Et ita intelligit Turrecremata. Paulo laxior est S. Hildegardis explicatio hujus loci: « Fabas, inquit, et pisa, et alia hujusmodi legumina demonstrat, quæ de agro recentia **515** colliguntur, velut poma de arboribus tolluntur, et illa non cocta, sed a cortice ablata pro tertio cibario fratribus apponi jubet. Pisces quoque, ut casei, aut ova in tertio cibario intelligenda sunt. » Hæc parum conveniunt cum ea pulmenti notione quam paulo ante dederat.

Addatur et tertium.] Scilicet pulmentum; et illud quidem *crudum* ex antiquo ordine conversat. monast., cap. 11, ex epist. Theodemari ad Carolum Magnum, ex Hildemaro, Nicolao de Fractura, Boherio, Turrecremata, et Matthia Lamberto; quibus consonat Regula Magistri, concedens « cocta duo pulmentaria, et tertium, quodcunque fuerit, *crudum* cum pomis. » Menardus tamen existimat liberum esse coctum aut crudum tertium pulmentum apponere.

Cæterum, ut observat hic Hildemarus, S. Benedictus neque æstivo tempore ad nonam, neque hieme ad seram poma concessit; alioquin tres, cum duas duntaxat æstate permittat; duæ, cum unicam hieme indulgeat, refectiones fierent. Ex quo conjicere possumus, jam illis temporibus saltem aliquibus in monasteriis irrepsisse consuetudinem fructus ad seram edendi etiam jejunii diebus, et ad nonam æstivo tempore. De hac ad nonam fructuum comestione exstat Theodemari, abbatis Cassinensis, testimonium in epistola ad Carolum Magnum: « Præter hæc etiam æstatis tempore post nonam, si est aliquid de pomis, et singulas phialas nostris fratribus præbemus. » Quod prohibuisse videtur synodus Aquisgranensis, statuens « ut poma et lactucæ, nisi quando alius cibus sumitur, non comedantur. »

Panis libra una propensa sufficiat in die.] De pondere hujus libræ inter se non consentiunt auctores. Libra est duplex, Romana unciarum duodecim, et mercatoria sexdecim; utraque etiam minor Neapolitana. An vero alterutram adoptaverit S. P. Benedictus non constat. Singulare pro suis discipulis libræ pondus instituisse, communis est sententia. Idque persuadent, 1° quod sanctus Pater discipulum suum B. Maurum dirigens in Gallias, cum sacro Regulæ textu pondus libræ panis eidem deferendum secum tradiderit (*Faust. in Vita sancti Maur.*, *num.* 29); quod, si singulare non exstitisset, haud necesse fuisset illud eo deferre, cum simile in Gallia reperiri posset; 2° quod, everso a Longobardis monasterio, Cassinenses Romam aufugientes S. Regulæ textum cum relicta sibi a S. Benedicto panis libra secum detulerint; cujus pondus, restaurato postea monasterio, Zacharias papa ibidem restituit (*Leo Ostiensis Chron. Cassin.*, *lib.* I, *cap.* 2); quæ sane sollicitudo omnino fuisset inutilis, si Romanam S. Pater libram adoptasset; 3° quod Carolus Magnus, collapsam passim in Galliæ monasteriis disciplinam regularem restituere cupiens, missos Cassinum direxerit, qui institutum a S. Benedicto libræ panis pondus, et heminæ vini mensuram sibi deferrent. Porro Romam, non Cassinum imperator mittere debuisset, si Romanam S. Benedicti libram, aut heminam admisisset.

Missam a Theodemaro abbate imperatori libram statim post ejus **516** obitum in omnibus monasteriis, haud dubium, recipi curavit synodus Aquisgranensis, statuens *ut libra panis triginta solidis per duodecim denarios metiatur*; et quidem *antequam coquatur*, ut præfert canonis titulus. Hæc verba illis temporibus omnino perspicua, nostris valde obscura, plurimis divinandi occasionem tribuerunt. Nam Gazæus in notis ad Cassiani lib. V, cap. 5, hunc canonem de pretio triginta solidorum intellexit, eique suffragatur Dadinus Alteserra Ascet. lib. V. Haeftenus de pondere quatuor librarum, hoc est quadraginta octo unciarum, uti se ipse explicat, fretus, seu potius illusus Theodemari verbis ad imperatorem scribentis: « Direximus quoque pondus quatuor librarum, ad cujus æqualitatem ponderis magis debeat fieri, qui in quaternos quadros singularum librarum juxta sacrum Regulæ textum, possit dividi; quando pondus, sicut ab ipso Patre est institutum, in hoc est loco repertum. » Accessit concilii Aquisgranensis anni 816 decretum, singulis canonicis quatuor panis libras assignans; et tres monialibus, ex quo infert, non minorem monachis quantitatem panis concessam fuisse. Non defuerunt etiam qui solidos pro unciis interpretantes, præscriptam a concilio libram esse unciarum triginta asseruerint. Nicolaus Bravus fatetur concilii sensum assequi se non potuisse; sed interim Cassinensem libram unciarum triginta trium cum dimidia uti legitimam admittit. Eamdem pro Benedictina agnoscere videntur Jacobus Brolius, monachus S. Germani a Pratis, in Supplemento Antiq. Paris., pag. 88, et Andreas Quercetanus in not. ad Bibliot. Cluniac. Difficultatis punctum attigit, sed divinando, vir doctissimus Antonius Yepezius: censuit quippe eam legem de pondere libræ editam more Francorum, qui libram numericam viginti solidis computare solent; solidum vero duodecim denariis, quem eumdem computandi morem etiam in ponderibus olim adhibuerint. Ex qua observatione intulit libram crudi panis a synodo assignatam constitisse libra sesquimedia, ut coctus panis constaret libra una Parisino more, quæ * pro una libra viginti quinque solidos exigit, et hanc demum esse libram quam sanctus Benedictus propensam appellat. At difficultatis nodum non modo attigit, sed etiam solvit dissertator Gallicus de hemina vini et panis libra Benedictina. Is enim in libello suo (*Num.* 25), anno 1667 Parisiis excuso, atque iterum anno 1688 recuso, ex vetustis Francorum legibus observat, vigesimam partem unciæ denarium esse, duodecim vero denarios solidum efficere; adeo ut tres unciæ quinque solidos, et duodecim unciæ libram viginti solidorum constituant. Idem aliis argumentis atque auctoritatibus confirmat noster Mabillonius in præfatione ad sæc. IV. Et sic libra triginta solidorum sesquilibram Romanam continet, hoc est uncias octodecim; quæ post panis coctionem quatuordecim circiter uncias reddit, si panis primarius est; sexdecim, si secundarius. Et hanc esse libram Benedictinam, quam, eo quod unciis aliquot Romanam superet, sanctus Pater propensam vocat, mihi multa persuadent.

517 Primo, quod S. P. Benedictus veteres monachos in multis secutus duces, tum hac in parte satis probabiliter æmulatus est. Porro de illis ita discurrit apud Cassianum abbas Moyses (*Collat.* 2, *cap.* 19): « Discutientes continentias diversorum, qui vel solis leguminibus, vel oleribus tantum, vel pomis vitam jugiter exigebant, præposuere cunctis illis refectionem solius panis, cujus æquissimum modum in duobus paximatiis statuerunt, quos parvulos panes vix libræ unius pondus habere certissimum est. » Hanc libram fuisse unciarum duodecim colligitur ex paximatiorum pondere, quod sex unciis constitisse patet ex Palladio, qui agens de Paulo Simplice sic habet: « Fert Antonius et imponit mensæ quatuor paxamidia sex unciarum, et sibi quidem unum madefecit. »

Secundo, S. Benedictus, ubi major est labor, constitutæ a se mensuræ aliquid superaddi permittit. At vero si tantam panis quantitatem, ut volunt præcitati auctores, quæ duobus tribusve hominibus abunde sufficeret, S. Pater dedisset, nihil certe vel edacissimo homini, quantavis fame laboranti, æstu aut operibus attrito, superaddere necesse foret.

Tertio, S. Benedictus non plus ad duas refectiones quam ad unicam, cum jejunium est, panis indulget. Atqui sexdecim, vel quindecim panis uncias ad

* Legendum videtur *qui*, ut ad *more* referatur. Edit.

unicam refectionem cùm duobus tribusve pulmentis homini pœnitenti sufficere negat, hic non tam sedare famem quam ventrem non dicam replere, sed exenterare cupit.

Quarto : « Apud Gallias, inquit Petrus Damiani (*Opusc.* 10, *cap.* 7), ut specialis viri relatione didicimus, religiosi cœnobiorum Patres videntes plerosque fratrum traditam a B. Benedicto mensuram refectionis excedere, nec se posse intra præscriptum regularis diarii limitem cohibere, cautum duxerunt, ut constitutis quibusdam horarum officiis, et alios adhuc psalmos apponerent, quatenus victus remissioris excessum augmento valeant compensare psalmorum. » Quod si de pane intelligatur, tanta non erat libra Benedictina, quæ singulis ad refectionem quotidianam sufficere non poterat.

Quinto, S. Odonem, Cluniacensem abbatem, laudant quod mediam duntaxat in die panis libram ederet, quæ plane laus magna non foret, si libra Benedictina duobus tribusve hominibus reficiendis sufficeret.

Denique Petrus Damiani (*Opusc.* 45, *cap.* 8) libram panis monachorum ita describit, ut « novem ornicum, vel tria anserum ova libratis lancibus tantumdem pensent. » Porro novem ornicum sive gallinarum ova uncias sexdecim non multo superant. Hæc omnia argumenta æquum rerum æstimatorem persuadent, Benedictinam panis libram uncias quindecim haud superare.

Huicce vero assertioni opponet non nemo varia libræ panis monachis distribuendi pondera : nam Cassinenses in Declarationibus aiunt : « Pondus libræ, ut habuimus a monasterio nostro Cassinensi, fuit unciarum triginta trium. » Simile aut parum absimile olim in Fossatensi S. Mauri monasterio servatum fuisse testantur Petrus Boherius et Jacobus Brolius. Item aliud in Suessionensi S. Medardi, quo etiam vicini **518** eidem monasterio Cœlestini Suessionenses utebantur, unciarum triginta duarum. Aliud insuper in Burdegalensi S. Crucis ex ære Cyprio unciarum viginti octo. Denique pondus quatuor librarum Carolo Augusto a Theodemaro abbate missum.

Hæc omnia pondera, quæ tanquam falsa et supposititia suspiciet aliquis, ut vera et legitima admittimus. Nam pondus Cassinensium, Fossatensium, Suessionensium et Burdegalensium, pondus erat duarum librarum, quæ duobus dividebantur monachis; et quidem libra Cassinensium, Fossatensium et Suessionensium sexdecim erat unciarum, aut eo amplius ante coctionem; Burdegalensium quatuordecim, coctione facta. Nec est quod quis dicat ista pondera non esse æqualia; nam parum pro nihilo reputatur, nec viros æquos hisce minutiis diutius immorari decet, de quibus litigare possunt critici, quibus nihil unquam, nisi probaverint ipsi, placebit. Nec est quod quis hæreat in fracto numero unciarum triginta trium cum dimidia; nam id provenire potuit ex unciarum diversitate, quibus nunc utimur, ab illis quæ sancti Benedicti tempore erant in usu. Et certe pondus æneum in Cassinensi sacrario servatum cum hac inscriptione, *Pondus libræ panis B. Benedicti*, est unciarum triginta novem regni Neapolitani. Cæterum hujusce divisionis exempla non desunt apud veteres; nam Regula Magistri decernit (*Cap.* 26), ut « medius panis pensans libram unam singulis in die sufficiat. » Coquebatur ergo solidus panis duabus constans libris, cujus medietas, *pensans libram unam*, uni fratri competebat. Simili modo pondus quatuor librarum a Theodemaro abbate Carolo Augusto missum quatuor dividebatur monachis, quod vel ex ipsa Theodemari epistola constat : « Direximus quoque, inquit, pondus quatuor librarum, ad cujus æqualitatem ponderis panis debeat fieri, qui in quaternas quadras singularum librarum juxta sacræ textum Regulæ possit dividi. Quod pondus sicut ab ipso Patre institutum est, in hoc est loco repertum. » In quaternas ergo quadras singularum librarum dividebatur, idque *juxta sacræ textum Regulæ*. Hac ratione

A variæ possunt solvi difficultates, quas occasione diversorum ponderum aliquis movere posset, absque eo quod necesse sit recurrere ad ridiculas prorsus ponderum genealogias, quibus odiosos sæcularibus monachos reddere quis conetur. Certe hæc omnia pondera aliquam præ se ferunt antiquitatem; quibus proinde usi sunt majores nostri, quos adeo modica libra contentos fuisse videmus, ut aliquibus vix sufficeret. Nunc vero Cassinenses, Camaldulenses, Fulienses, et aliæ communiter monachorum congregationes tantum unicuique panis apponunt, quantum singulis satis sit. Cistercienses etiam sesquilibram singulis in refectorio ministrasse colligitur ex lib. II de Vita S. Stephani, abbatis Obazinensis, num. 27 (*Tom.* IV *Miscell. Baluz.*) : « Post tertiam iterum pistrinum ingressi, tantam panum copiam invenerunt, ut totus conventus, qui tunc centum viginti et amplius erant, libram panis et dimidiam, *more solito*, singuli habuissent. » Et hæc de quantitate panis : nunc de qualitate.

B **519** Veteres monachi paximatiis communiter vescebantur. Paximatii etiam panis meminit Regula sancti Columbani, cap. 3. Paximatium autem nonnullis est *panis subcinericius*; aliis *panis bis coctus* : hinc frequens in Vitis Patrum *panis sicci* mentio. Qualem vero panem monachorum esse voluerit sanctus Benedictus? Haud dubium quin cibarium et grossiorem, qualem pauperes decet; et quem propriis fratres conficerent manibus. Exstat Cisterciensium statutum prohibens primarium panem, quem vulgo candidum vocant, fieri, etiam in præcipuis festivitatibus (*Instit. Cist. cap.* 14) : « Ne fratres carnis et spiritus fragilitate vicii, grossiorem panem abhorrere, et lautiorem incipiant desiderare, ideo stabilimus ne in cœnobiis nostris fiat panis candidus, nec etiam in præcipuis festivitatibus; sed grossus, id est cum cribro factus. Ubi autem frumentum defuerit, cum seatio liceat fieri : quæ lex infirmis non tenebitur; sed et hospitibus quibus visum fuerit album panem apponimus,
C et minutis in minutione sua, sicut in sententia eorum descriptum est; cujus panis, albi videlicet qui minutis apponitur, sicut et quotidiani pasta in statere posita, nequaquam plus debet ponderare, sed æqua lance appendi. » Notat vero Julianus Parisius (*De Prima vivendi ratione Cister.*, *part.* III, *c.* 3, *sect.* 1), Cistercienses olim triplicis speciei panem habuisse : 1° album, pro infirmis; 2° communem, ex frumento cribrato, aut hordeo, secali, avena, milio, sed in seatio factum; 3° grossiorem ex farina hordei, avenæ, etc. Sed quem per seatium non excernebant. Qui panis dabatur 1° in cœna, iis qui ad tertiam partem libræ ad prandium comedissent; 2° per modum pœnitentiæ; 3° in eleemosynam. Austerior tamen videtur fuisse prima Cisterciensium institutio; ut enim in Vita sancti Bernardi legimus (*Lib.* I, *c.* 5), eorum « panis instar prophetici illius ex hordeo, et milio, et vicia erat; ita ut aliquando religiosus vir quidam appositum sibi in hospitio ubertim plorans, clam aspor-
D taverit, quasi pro miraculo omnibus ostendendum, quod inde viverent homines, et tales homines. » Hujusmodi haud dubium erat Ellantiensium monachorum, in diœcesi Rhemensi, panis, scilicet « non solum furfureus, sed et adeo amarus, ut vix inde pauperes fragmenta recipere dignarentur (*Vita B. Rogerii abbat. apud Boll.* 4 *Januar.*). » Simile aliquid de pane primorum Fuliensium scribit Ludovicus a S. Malachia; sed editæ anno 1631 eorum Constitutiones tantum habent : « Panis cibarius sit, et communis; hospitibus tamen et ægrotis possit melior dari. »

De Carthusianis audiendus est Guigo in Statutis (*Cap.* 34) : « Panis quamvis de tritico, torta est; album enim panem non facimus. » Antiqua Statuta Carthusiensium addunt (*Part.* II, *cap.* 14, § 16) : « Nisi pro infirmis. » Inferius tamen ita subjiciunt (*Cap.* 32, § 9) : « Antiqua consuetudo est ut duo genera panum, alterum quod pulchrius sit, monachis, faciamus, et alterum conversis; quæ in re cum priori placuerit ut ita fiat, ei contradicere nullus audeat attentare. »

In mss. etiam Cluniacensis monasterii Consuetudinibus, et in Benigniani, cap. 40, memorantur panis duo genera, quorum optimus fratribus ministraretur. Isto tamen optimo erat adhuc melior infirmis tribuendus.

520 Antequam vero hinc discedamus, observandum Benedictinam libram debere esse *propensam*, quod nonnulli explicant præponderatam, sive ante pensatam. Ita Smaragdus, Hildemarus, Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Boherius et alii, juxta veterum monachorum morem, qui ante panem librabant quam mensæ apponerent; cujus rei exemplum profert Theodoretus de Publio quodam monachorum patre (*Lib.* IX *de Vit. Patr.*, *cap.* 9), qui accedens ad trutinam, panis mensuram diligenter perpendebat, et si quando invenisset plus quam esset definitum, ægre ferebat, et eos qui ita facerent helluones appellabat. Atque hunc fuisse ordinis nostri usum probant varia, quæ etiam supersunt, librarum pondera.

Verum *propensa* hoc sensu non est vox Latina; quare alii *libram propensam* interpretantur libram præponderantem, profusam et largam. Ita Gazæus in Cassiani lib. V, cap. 5; Menardus in hunc locum, et Mabillonius in Præfat. ad sæc. IV, part. I, quibus favent quædam versiones Gallicæ, quæ hunc locum ita vertunt : *Une livre de pain à bon poids.*

Nicolaus Bravus ex unica voce *propensa* duas facit *pro pensa*, quasi diceretur *pro diaria pensa* : cui divisioni refragantur codices mss. et omnes qui hac de re hactenus tractaverunt.

Quod si cœnaturi sunt, de eadem libra tertia pars a cellerario reservetur reddenda cœnaturis.] Quod duobus modis fieri potest, aut ex eodem pane tertiam partem post coctionem dividendo, aut ex eadem libræ panis massa duos panes conficiendo. Primum innuere videtur Regula Magistri, cap. 26, fuitque usitatum apud Cassinenses ad usque tempora Bernardi abbatis, qui posterius induxit, uti ipse testatur his verbis : « Hoc usque ad tempus meum fuit observatum, quod quædam districtio fiebat in tertia parte panis, ut non essent duo, vel tres panes, sed unus. Sed ego videns hoc non multum esse decens, libram massæ farinæ in tres partes divisi, ut tertia pars libræ possit non in pane fracto, sed in integro reservari. » Hujusce Bernardi institutionis meminit Nicolaus de Fractura, vigebatque adhuc suo tempore. At non ita stricte S. Benedictum esse intelligendum censet Richardus de Sancto Angelo hunc in locum sic scribens : « Non ita intelligendum est stricte quod tertia pars reservetur pro cœna; sed totum quod remanet conservandum est, quia multi forte non possent comedere de mane propter naturæ defectum, et comedunt de sero. » Ita Cistercienses videntur integram ad prandium libram ministrasse, et sero ad cœnam quod ex prandio residuum erat; unde liber Usuum (*Cap.* 117) ad cellerarium pertinere dicit, « illis qui ad prandium usque ad tertiam partem panis comedunt, ad cœnam de grossiori pane, ubi habetur, superaddere. »

Quod si labor forte factus fuerit major, in arbitrio et potestate abbatis erit, si expediat aliquid augere.] Quod quidem « augmentum, inquit Bernardus Cassinensis, **521** non puto ad panem tantum extendendum, sed etiam ad pulmentaria. » Idem censent Boherius et Turrecremata, quorum sententiam usus antiquus ordinis confirmat; licet augmentum ad solam *libram panis* restringere videatur Nicolaus de Fractura.

Et recte quidem S. Benedictus ait *in arbitrio et potestate abbatis erit*, non in voluntate et arbitrio fratrum; nam et si pius ac misericors in sublevandis monachorum laboribus abbas esse debeat, solatium tamen istud tanquam debitum non possunt requirere fratres, quibus ante omnia propositum esse debuit, pœnis ac laboribus ad æternam beatitudinis requiem viam sibi parare. Unde S. Basilius (*Regul. brev.*, *interrogat.* 135) interrogatus « an bene faciat, qui vehementer laborans, aliquid ipse præter consuetudinem exquirat? » respondet : « Omnino si laborem suscepit, ut præmium consequatur a Deo, hinc ejus levamentum quærere non debet, sed operam dare, ut ad accipiendam Domini mercedem idoneum se præparet, sciens se ut ex laboribus præmium, sic ex angustiis etiam solatium a Dei benignitate inventurum. Verumtamen cui commissum est ut illud adimpleat, *Dividebatur singulis prout cuique opus erat*, necessario singulos qui laborant cognoscere debet, eorumque ut par est necessitati providere. » Eodem fere modo loquitur Regula SS. Pauli et Stephani cap. 17.

Sed quæritur quis labor major sit intelligendus? Joannes Bertelius abbas Luxemburgensis « majorem laborem vocat quo ita defatigantur corpora, ut inde imbecillitas ad spiritualium perseverantiam sequatur, et quem pro qualitate conditionis et status discreti rerum administratores considerant esse præter solitum. » Ut, verbi gratia, tempore æstatis cum duros in agris labores habent monachi. Atque ita Theodemarus abbas Cassinensis (*In epist. ad Carol. Magn.*), « cum vero tempus sectionis feni est, inquit, « nos potionem ex melle ad horam quartam laborantibus patribus propinamus; » et liber Usuum Cisterc. (*Cap.* 84) : Tempore messionis, « unicuique in die libra panis communis et dimidia dari potest, ubi opus fuerit, et distribui singulis prout tempus et locus exegerit. Hoc tempore, exceptis diebus quibus fratres vacant lectioni, unum pulmentum habeant ad prandium, et alterum ad cœnam, si fieri potest; » nimirum præter solitum.

Bernardus vero Cassinensis majorem laborem interpretatur « non solum in agris aut operibus aliis, sed etiam in officiis, sicut est in solemnibus diebus, quando fratres officiis solemnibus dicendis consueverunt amplius laborare. » Similiter Boherius et Turrecremata, atque ante hos omnes Hildemarus hunc in locum sic scribens : « In diebus vero solemnibus, vel quando labor factus fuerit, debet dare ad sextam tria pulmentaria cocta, et quartum crudum, prout labor fuerit; ad seram vero unum coctum, sicut ipse dixit, si labor forte factus fuerit major, in arbitrio et potestate erit abbatis, si expediat, aliquid augere. » Et quidem eam fuisse antiquam ordinis consuetudinem, solemnibus diebus ad solitam annonam aliquid superaddere, plurimis **522** potest testimoniis comprobari. Egregium suppeditat Theodemari abbatis epistola ad Carolum Magnum : « B. Pater noster, inquit, instituit duo cocta pulmentaria in quotidiana refectione fratribus præparari, et tertium de leguminibus crudis aqua infusis. Nos vero ex institutione majorum nostrorum tria cocta pulmentaria aliis diebus, quarta et sexta feria duo tantum reficiendis fratribus præparamus... Die vero dominico et in festivitatibus præcipuis etiam quartum addimus pulmentum, exceptis secunda, quarta et sexta feriis. » Simili modo in Fuldensi monasterio Venerabilis Eigil, testante Candido ejus discipulo (*In ejus Vita, sæc.* IV *Ben.*), in die anniversaria Sturmii abbatis, « ob reverentiam tantæ solemnitatis, secundum congruentiam monasticæ vitæ, ad victum fraternum cultius quid solito jucundiusque fieri demandavit. » In antiquis etiam Floriacensis monasterii Consuetudinibus ad diem Paschæ legitur : « Ad prandium debemus habere tria fercula, primum ova farsa, secundum pisces, tertium sæpias et porrectam ab hortulano, et a pistrinario bracellos et pittantiam de optimo vino a custode vini, et sero gastellos. » Denique in mss. Romani S. Pauli monasterii Consuetudinibus ad paschalem refectionem triplex præter solitum potionis propinatio præscribitur, prima a conversis, secunda a diaconis, tertia a sacerdotibus ministranda, « non tam pro gula et ebrietate explenda, quam pro charitate tenenda, et ob amorem Christi. » Idque fieri posse arbitramur auctoritate Hildemari in expositione Regulæ.

Remota præ omnibus crapula, etc.] Crapula est superabundantia sive superfluitas ciborum, diciturque

crapula, quasi cruda escula, cujus cruditate cor gravatur, et stomachus indigestus efficitur.

Pueris vero minori ætate non eadem servetur quantitas, sed minor quam majoribus.] « Tum quia nec tantum potest comedere puer quantum adolescens et juvenis; tum etiam quia ad prandium jejuni non veniunt, cum horas canonicas habeant prævenire. » inquit Boherius in primo comment. S. Benedicto concinit Magister in Regula, statuens ut « minoribus a duodecim annis minus a libra panis in die sufficiat. » Certe puerorum libram panis paulo leviorem fuisse colligi posse videtur ex Hildemaro ad cap. 30, ubi agens de jejuniis pueris delinquentibus injungendis, « libra, inquit, viginti duos solidos habet quando crudus est panis, ut cum coctus fuerit habeat solummodo viginti, » hoc est uncias duodecim, cum libra aliorum ex concilio Aquisgranensi esset solidorum triginta ante panis coctionem. Ad hunc locum pertinet quod in Vita S. Hugonis scribit Hildebertus Cenomanensis (*In ejus Vita n. 12, apud Boll. 29 April.*): « Quantæ autem discretionis et misericordiæ fuerit, junioribus cœnobitis impensa demonstrat benignitas: quibus cum minor libra panis et potus ex consuetudine traderetur, ipse tamen parem eis dare constituit, æquum judicans, ut quos idem dici pondus affligebat et æstus, idem quasi jam denarius solveretur.]

Carnium vero quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles et ægrotos.] **523** Qui tamen ex mss. S. Benigni Consuetudinibus in Quadragesima, ut sani, abstinebant; imo etiam in Adventu et a Septuagesima ad caput jejunii, nisi maxima esset infirmitas.

Hic plurimum torquentur auctorum ingenia, quorum sententiæ tres præsertim in classes dividi possunt: 1° eorum qui censent solas quadrupedum carnes a S. Benedicto interdictas esse, volatilibus concessis; 2° eorum qui dicunt, tam sanis quam infirmis vetitas esse volatilium carnes, solis quadrupedibus istis pro reparatione indultis; 3° eorum qui sustinent tam volatilia quam quadrupedia sanis prohibita, utraque vero infirmis permissa. Rem hic pro certo definire non est animus, sat esse existimanti trium sententiarum momenta promere, ut quam sibi arridere viderit, quisque libere sequi possit.

Prima sententia triplici nititur fundamento, auctoritate, ratione et praxi. Nam primo ita Regulæ textum intellexit Theodemarus abbas Cassinensis, Carolo Magno imperatori scribens in hæc verba: « De volatilium tam caute prudentissimus Pater noster in sua Regula posuit, ut si velint comedere monachi, cum opportunum est, non subjaceant culpæ: si vero eis a suo tale edulium non præbeatur abbate, ut quasi ex debito, hoc non possunt requirere. » Theodemaro suffragatur Rabanus Maurus (*Lib. II de Inst. cleric. cap. 27*): « Avium quoque esum, inquit, credo inde a Patribus permissum esse, eo quod ex eodem elemento de quo et pisces, creatæ sunt: nam in Regula monachorum non invenitur aliarum carnium esum eis interdictum esse nisi quadrupedum. » Ubi quod ait *Credo*, non cadit super permissionem ipsam, quasi de ea dubitaret; sed super permissionis rationem, scilicet quia de eodem quo pisces elemento aves creatæ sunt. Istud porro Rabani testimonium commendat, quod fuerat ipse monachus Fuldensis monasterii, quod sub strictiori et severiori Regulæ S. Benedicti observatione S. Bonifacius fundaverat, misso in Italiam S. Sturmio, qui in melius ordinatis monasteriis puriorem verioremque Regulæ sensum addisceret, a Fuldensibus monachis postea ad praxim reducendum, ac proinde Rabanus loqui haud potuit, præter sensum suo in monasterio intellectum. Eadem fuit sententia Dietrici Metiensis episcopi, qui aliquando loquens de disciplina quam ipse studens in monasterio S. Galli viderat (*Ekkehard. de Casibus S. Galli, cap. 11*): « Erant, inquit, alii qui solis volatilibus, quod unius cum piscibus creaturæ sint, licite utercntur. » His

accedit sancta Hildegardis, cujus hæc verba: « Carnium esus infirmis omnino, debilibusque pro reparatione concedatur. Carnes tam quadrupedum quam volatilium intelligi volens, et nullas carnes quas homines comedere solent excipiens. At ubi meliora fuerint, a carnibus more solito abstineant, scilicet a carnibus quadrupedum; quia sani illas et succum earum comedere non solebant, sed infirmi. Sani vero carnes volatilium, quoniam mundæ sunt, nec ardentem libidinem comedentibus inferunt, manducabant. » Et infra: « De volatilibus non licet, quoniam comestionem eorum sanis non interdicit, etc. »

524 Secundo non sine ratione, aiunt, S. Pater usus est voce *quadrupedum*; nam si volatilia prohibere voluisset, aut simpliciter dixisset *a carnibus omnes abstineant*, aut utraque simul nominasset, uti S. Cæsarius (*In Regul. ad monach. cap. 24*): « Pullos et carnes nunquam sani accipiant; » et sanctus Aurelianus (*Cap. 51*): « Carnes in cibo nusquam sumantur. Pulli vero vel cuncta altilia in congregatione non ministrentur. » Nunc vero cum S. Benedictus solas quadrupedum carnes nominet, signum est volatilia permisisse; cum enim negatur unum, aliud conceditur.

Hanc ad rationem respondet Richardus de S. Angelo ita revera se habere, « nisi causa prohibitionis eadem esset in concesso et in prohibito; quia tunc ubi unum negatur, aliud etiam negatur. » Porro eadem est ratio de volatilibus ac de quadrupedibus, nimirum pœnitentiæ ac refrenandæ concupiscentiæ: imo major pro volatilibus, in quibus est major voluptas, major suavitas, et a quibus a fortiori debet abstinere monachus omnis voluptatis et suavitatis abrenuntians. Jam vero si quis quærat cur quadrupedia potius S. Benedictus expresserit quam volatilia? respondet idem Richardus: « Quod frequentius homines utuntur istis carnibus quam aliis; et jura etiam ad ea quæ frequentius accidunt, adaptantur, ut Digest. de Leg., et senatusconsultis, lib. nom. ad ea. Et quod nomine quadrupedum intelligantur aliæ carnes, patet per legem Digest. Si quandiu. Pauper. lib. penultimo, ubi dicitur quod ubi nominantur quadrupedes, intelligitur et bipes. » Aliter Hildemarus: « Nunc autem ne forte monachi possint dicere, scimus quidem quod volatilium carnem non possumus, nec debemus comedere, eo quod majorem dulcedinem et suavitatem habent, quam quadrupedum carnes; tamen carnem quadrupedum possumus et debemus comedere, quia minorem dulcedinem et suavitatem habent gustus. Propter hos tales occurrit sanctus Benedictus, dicendo nominatim, ut carnes quadrupedum omnino comedere monachi non debeant, nisi pro infirmitate vel debilitate sua; quia sicut volatilium carnes pro sua dulcedine et suavitate gustus quam habent, solent carnis provocare stimulos, ita etiam quadrupedum pro sua fortitudine quam habent, virtutem ipsius carnis stimulis ad perficiendum conferunt. »

Alteram rationem rejiciunt ex ipsa volatilium natura, quarum carnes cum sint mundiores, nec tantum habeant nutrimenti, ardentem non inferunt libidinem. Quæ ratio est S. Hildegardis.

Huicce rationi reponeret Hildemarus: « Intellexit ipse sanctus Benedictus plus dulces carnes habere volatilia quam quadrupedia, sicut doctores dicunt, et usus comprobat, in eo quod reges et principes propter majorem dulcedinem et suavitatem gustus post carnes quadrupedum in suis conviviis carnes volatilium præcipiunt sibi præparari; et ideo propter suavitatem gustus, non propter numerum pedum abstinentes et pœnitentes a carnibus omnibus abstinere noscuntur. » Et infra addit: « Volatilium carnes pro sua dulcedine et suavitate gustus quam habent, solent carnis provocare stimulos. » Imo: « Stimuli **525** carnis magis solent insurgere, ubi major est dulcedo, et major suavitas gustus in cibum percipitur. » Adde quod nonnulla sunt volatilia in qui-

bus non minus reperies succi quam in quadrupedum A carnibus.

Tertiam rationem petunt ex ipsa volatilium origine, quæ ex eodem elemento de quo et pisces, creata sunt : quam rationem tetigit Rabanus supra citatus, eaque causa forte fuerit cur promiscue olim in Quadragesima cum piscibus aves comederent nonnulli, testantibus Socrate et Nicephoro (*Socrat. lib.* v *Hist. cap.* 21; *Niceph. Hist. Eccles. lib.* xii, c. 34); et quidam olim pluris facerent abstinentiam quadrupedum, quam volatilium.

Sed huicce rationi opponunt illud sancti Hieronymi ad Salvinam (*Epist.* 9) : « Procul sint a conviviis tuis phasides aves, crassi turtures, attagen Ionicus, et omnes aves, quibus amplissima patrimonia avolant, nec ideo te carne vesci non putes, si suum agrestium, leporum, atque cervorum, et quadrupedum animantium esculentias reprobes; non enim hæc pedum numero, sed suavitate et gustu comprobantur. » Et illud Juliani Pomerii (*Lib.* ii *de Vit. Contem. cap.* 23) : « Si a quadrupedibus abstinentes B phasianis altilibus vel aliis avibus pretiosis perfruantur, non mihi videntur resecare delectationes sui corporis, sed mutare; nec pro abstinentia, sed velut pro nescio qua immunditia, vel certe, quod verius est, pro stomachi nauseantis teneritudine, delicatas illas et minus communes ac viles carnes abjicere, quo possint aliis non solum carnibus, sed etiam delicatioribus ac pretiosioribus carnibus suas voluptates explere. »

Tertio, ex his S. Hieronymi, et Juliani Pomerii testimoniis inferunt, jam ante S. Benedicti tempora usu receptum esse apud monachos carnes volatilium ad cibum assumere. Et ne quis dicat eos quorumdam perversorum monachorum abusum et immortificationem redarguisse, non probasse, præsto est S. Hilarionis viri sanctissimi exemplum (*Lib.* v *de Vit. Patr., libel.* 4, n. 15; *et Tom.* I *Mon. Eccles. Græc., pag.* 428), ad quem aliquando in prandio S. Epiphanius avem apposuit; quam ille C recusavit dicens : Ignosce mihi, pater, quia ex quo accepi istum habitum, non manducavi quidquam occisum : non dixit quia hoc monachis vetitum est. Et certe S. Epiphanium non latebant monachorum vivendi leges, ut eas a viro sanctissimo violari vellet.

Jam vero post S. Benedictum innumera proferunt monasteriorum bene ordinatorum exempla, in quibus volatilium esus erat in usu : unde si praxis optima sit legum interpres, eo cludunt permissas a S. Benedicto volatilium carnes. Hujuscemodi exempla habemus in Vita S. Bertulfi abbatis Bobiensis auctore Jona monacho ejus discipulo, num. 21 (*Sæc.* ii *Ben.*), in quo præpositus monasterii triginta fratribus vineæ custodibus *anatem* divisisse legitur; in Vita S. Judoci (*Sæc.* ii *Ben.*), qui, ut scribit anonymus in ejus Vita num. 10, *gallinas sibi nutrire consueverat;* in Vita S. Cuthberti (*Sæc.* ii *Ben.*) auctore Beda cap. 36, qui aliquando hospitibus monachis *anserem* exhibuisse dicitur; apud Arnulfum S. Emerammi-Ratisponensis monachum de primis Ratisponensibus scribentem, quod *communiter pauperem annonam habebant, volatilia manducabant* (*Lib.* ii *Dial.*). Et hanc fuisse non singularem quorumdam monasteriorum **526** praxim, sed communem omnium fere consuetudinem, probant ex Regula Magistri, quæ non diu post S. Mauri obitum scripta fuit, hoc est sæculo vii, et magna ex parte constat ex Benedictina; nam loquens de gyrovagis monachis, et rationem reddens quare omni vitæ suæ tempore ternis quaternisve diebus per diversorum cellas et monasteria hospitantur, dicit (*Cap.* 1) quod « pro hospitum adventu a diversis volunt quoti ie noviter suscipi; et pro gaudio supervenientium exquisita sibi pulmentaria apparari, et animantia *pullorum* sibi curant quotidie a diversis hospitibus pro adventu cultro occidi. » Atque idem ita se habuisse usque ad tempora Ludovici Pii imperatoris, probant ex additamento ad cap. 27, lib. ii de Institut. cleric. Rabani, in quo legitur : « Sola quadrupedia, non volatilia monachis interdicta. Hoc autem tempore Pii Ludovici sic immutatum esse dicitur, ut in omni eorum pulmento sanguine uti liceat, propter nimiam et aliis damnosam consumptionem volatilium, quam faciebant. » Hæc vero immutatio facta est in concilio Aquisgranensi, in quo statutum est (*Can.* 8), ut volatilia intus forisve nisi pro infirmitate, nullo tempore comedant; » ita tamen (*Can.* 78) « ut volatilia in Natali Domini, et in Pascha tantum quatuor diebus, si est unde, comedant : si vero non fuerit unde, non requiratur per debitum. Si autem abbas aut monachi abstinere se voluerint, in eorum sit arbitrio. » Ita nimirum generalem permissionem ad certos dies restrinxit synodus, non quasi præter Regulam aliquid indulgens : id quod factum est ad instar Cassinensium, de quibus Theodemarus abbas ad Carolum Augustum ita scribit : « Volatilia nunquam nisi die Natalis Domini, si est unde, usque ad dies octo comedimus. Similiter etiam Paschalis festi diebus. » Hujusmodi consuetudo vigebat etiam in Parisiensi Sancti Germani monasterio, ut patet ex diplomate Ludovici et Lotharii imperatorum apud Aimonium (*Lib.* v *de Gest. Franc. cap.* 10), quo decernunt ut monachis dentur « annis singulis volatilia cum ovis de duobus festis, id est Paschæ et Natalis Domini; » et in Fontanellensi ex Constitutione S. Ansegisi abbatis (*In Chron. Font., Spicil. tom.* III) de victu et vestitu monachorum, in qua assignat ad Nativitatem Domini et ad Pascha *aucipastas, pullipastas, et pullos.*

Ad hæc omnia exempla et ad decretum concilii Aquisgranensis respondet Boherius : « Nisi Regula hæc hoc præcessisset concilium, putassem hunc paragraphum inde sumpsisse causam, unde credo econtra, ut ipsum videlicet concilium ex fine hujus capitis male intellecto præbuerit causam edicti. Absit enim quod Magister bipedales carnes cœnobitis concesserit, considerando pedum numerum, non avium dulcorem. » Hæc sunt præcipuæ primæ sententiæ momenta, ad secundam venio.

Secunda sententia, primæ omnino opposita, cum tertia conveniat in eo quod volatilia sanis interdicta esse asserat; discrepat vero in eo quod etiam infirmis ea auferat. Et quidem sanis vetita esse volatilia probant auctoritate omnium qui ab annis circiter nongentis super Regulam Benedictinam scripserunt auctorum, una excepta S. Hildegarde. In primis Smaragdus mentem suam satis explicat dum adducto **527** præsenti Regulæ textu, S. Aureliani et S. Fructuosi decretum, quo sanis altilia prohibentur, profert, quorum testimonio S. Benedicti verum obscuram explicat ac perspicuam facit. Similiter Hildemarus, quamvis aliquando dubius hæsisse videatur an volatilia S. Pater permiserit, tamen abstinentes laudat; aliisque in locis omni postposito dubio constanter negat concessas avium carnes, ut D videre est in locis supra citatis, tum hoc capite tum cap. 36. Idem docent Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Richardus de S. Angelo, Petrus Boherius, Joannes de Turrecremata, Theobaldus Arnaldus, Joannes Craesbeeck, Matthias Lambertus, Nicolaus Bravus, Hugo Menardus, Benedictus Haeftenus, et alii.

Ratio est a fortiori. Si enim grossiores quadrupedum carnes sanctus Benedictus vetuit, multo magis suaviores dulcioresque volatilium. Nam mens SS. doctorum est in minori comprehendere majus : quare cum minus delicatas esse quadrupedum carnes quam avium, usus et experientia docuerit, haud dubium quin quadrupedia vetando, vetuerit et altilia. Ita fere argumentantur Hildemarus, Bernardus Cassinensis, Richardus, et alii.

Deinde « minime credendum est, inquit Menardus, a S. Benedicto tales institui monachos, qui pedum

numero delicias escarum dijudicent, cum ipse capite 36 Regulæ carnis esu exceptis ægrotis monachos arceat. Nec vero inferri potest quadrupedum interdictione volatilium esum esse permissum; nam cum unum prohibetur, non statim alterum permitti concludendum est, ut Levit. XIX, cum dicitur, *Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum*: male quidem inferret aliquis ex ejusmodi legibus permitti non surdis maledicere, et videntibus ponere offendiculum; quia potest accedere peculiaris ratio, ut ejusmodi prohibitio fiat, etiamsi alterum expresse non prohibeatur. »

Sed ad id quod ex cap. 36, ubi carnes absolute interdicuntur, infertur, respondent alii veteres aves sub carnis nomine non comprehendisse, imo utrumque distinxisse, ut videre est in Regula S. Cæsarii (*Cap.* 24): « Pullos et carnes nunquam sani accipiant; » et in Vita S. Pardulfi (*In ejus Vit. Sæc.* 3) qui « nunquam carnium, neque volatilium esu usus esse » dicitur.

Tandem hisce rationibus atque auctoritatibus accedit praxis omnium fere congregationum in quibus illibata Regulæ observatio viguit. Nihil enim de volatilium esu in antiquis Cluniacensis monasterii Consuetudinibus ab Udalrico collectis, imo propter eum punitus aliquando monachus legitur in Vita S. Odonis; nihil in Statutis Lanfranci, Concordia Dunstani, libro Usuum Cisterciensium, Declarationibus Cassinensium, Camaldulensium, aliorumque monachorum. Exstantque non paucæ veterum Regulæ, in quibus volatilia expressis verbis prohibentur, ut sunt Regulæ sancti Cæsarii, sancti Aureliani, sancti Fructuosi, et Solitariorum.

Jam vero quod etiam infirmis volatilia S. Benedictus abstulerit, 528 hoc se probare existimant argumento. S. Pater carnes infirmis concessit solum pro reparatione, non concupiscentiæ explendæ gratia; at pro reparatione solæ sufficiunt quadrupedum carnes; solas ergo concessit. Deinde cum cap. 36, omnes sanis carnes prohibuerit, et aliquas ægris permiserit, hic ostendens quasnam indulserit, solas quadrupedum nominat; quasi diceret: Omnes a carnibus abstinere debent, præter infirmos, quibus quadrupedia concedo. Ita fere ratiocinatur Julianus Parisius in lib. de Prima vivendi Ratione Cisterc. part. III, cap. 2, sect. 2.

Sed isti opponitur tertia sententia, quæ tenet omnes tam volatilium quam quadrupedum carnes sanis esse vetitas, utrasque infirmis esse permissas. Et quidem prohibitas esse sanis volatilium carnes probant argumentis supra relatis. Posse vero infirmos licite volucres edere demonstrat ex communi omnium veterum consensu. Et quidem non defuerunt qui concessa sanis altilia existimarent; at qui ea infirmis esse denegata ante Julianum Parisium novi neminem; vixque in animum potest induci, hoc sibi monachos aliquando persuasisse, ut crederent sanis concessa esse volatilia, si quando iis vesci fuisset infirmis illitum. Remansisset enim aliquod antiquæ traditionis vestigium, quo ab ausu tali revocati fuissent; agnoscentes nimirum quod si ab esu volatilium S. Pater interdixisset infirmos, multo magis sanos. Et sic ab esu quadrupedum abstinentiam violare cœpissent, ut potest minoris momenti; nemo enim derepente fit pessimus, sed a minimo incipit. Et tamen supra vidimus in monasteriis probe ordinatis volatilium esum cum abstinentia quadrupedum.

Neque etiam insolitum fuit apud veteres monachos infirmis concedere volatilia: exstat hac de re decretum in Regula S. Cæsarii ad monachos cap. 24, et in Regula S. Aureliani ad monachos cap. 51, et ad virgines cap. 34 et 35, a nobis supra citatum; quibus accedit Regula S. Fructuosi cap. 5, omnibus esum carnium prohibens, « servato tamen moderamine pietatis erga ægrotorum necessitudines, vel longe proficiscentium qualitates, ut et volatilium esibus infirmi sustententur, et longinquo itineri destinati, si aut a principe vel episcopo sperantur, pro benedictione et obedientia degustare non metuant, servantes apud se de reliquo continentiam consuetam. » His adde Regulam solitariorum cap. 43, et conc. Aquisgr. can. 9.

Confirmatur ex praxi, et quidem non posteriorum temporum, sed S. Benedicto omnino viciniorum. Cujus illustre habemus exemplum in Vita S. Juniani abbatis Mariacen is, qui sancti Benedicti Regulam a B. Mauro acceperat, eique tribus duntaxat annis supervixisse creditur. Hic, ut scribit Ulfinus Boetius (*Sæc.* 1 *Ben.*): « Propter usus monachorum, et maxime pauperum, cœpit enutrire animalia, quibus possit humana fragilitas sublevari; nam et pullorum nutrimenta plurima congregavit, quorum carnibus infirmorum inopiam sustentaret, et ova sumptibus egentium deserviret. » Aliud exemplum profert Vita S. Agnelli abbatis (*Sæc.* 1 *Ben.*), qui in constructo a se xenodochio gallinas infirmis ministrasse 529 dicitur num. 2. De S. Benedicto Anianensi abbate quoque scribit Ardo (*Sæc.* 4 *Ben.*), quod « carnem quadrupedum a die conversionis suæ usque ad extremum vitæ edere noluit; jus e pullo compositum sumebat, si aliqua accessisset debilitas. » Denique S. Ansegisus abbas Fontanellensis in sua de victu monachorum Constitutione, ad ipsam infirmorum domum concedit *mutones*, *berbices*, *pullos*, *et ova*.

Ex his tribus opinionibus de mente S. Benedicti liberum unicuique cedimus quam voluerit sequi, probantes interim eos qui volatilia sanis omnino auferunt. Nam etsi verum esset ea a S. P. Benedicto non esse interdicta, non tamen inde sequeretur monachos ex professione sua pœnitentiæ addictos libere posse iis vesci; quæ si non sunt vetita ex vi verborum Regulæ, non minus sunt prohibita ex vi professionis monasticæ, quæ volatilium delicias regum conviviis relinquit.

Quartam sententiam tradit Boherius in primo comment., ubi sic discurrit: « Nota si vis verum capere intellectum. Magister ponit tres hominum conditiones in hac Regula. Primi sunt sani, et hi nullis omnino debent vesci carnibus. Secundi sunt debiles et ægroti, quibus pro sustentatione naturæ solum conceditur esus carnium quadrupedum, ut hic; et intelligo hic debiles, decrepitos, vel præcedentibus infirmitatibus debilitatos; ægrotos vero patientes, sed non continue, ut capite, ventre, aut renibus; sicque expone hic omnino, id est secundum veritatem, vel id est non ficte. Tertii vero status infirmi, in quibus simpliciter conceditur pro reparatione naturæ esus carnium; unde nedum quadrupedalibus, imo et carnibus bipedalibus quæ sunt magis reparativæ et nutritivæ, vesci possunt. » Idem docuisse videtur Guido Juvenalis in sua versione Gallica: quanquam ex eodem Guidone, aut ejus correctore monacho Clarevallensi quintam sententiam proferat Haeftenus, quæ censet (*Lib.* X, *tract.* 6, *disq.* 2) « vegetis ac sanis omnem carnis esum, ægrotis vero quadrupedum tantum interdictum, adeo ut solis volatilibus in morbo vesci fas sit; » carnibus quadrupedum non, nisi ubi sanitati infirmorum conveniunt, concessis, id quod raro contingit. Hæc sententia refutatione non indiget.

Neque vero simpliciter dicit S. Benedictus a carnibus quadrupedum esse abstinendum, sed *omnino*, inquit, sive ut in quibusdam codicibus legitur, *omnimodo abstineatur comestio*. « Quia, inquit Bernardus Cassin., non debent comedi secundum hanc Regulam frustatim carnes incisæ, et hoc est *omnino*. » Addit Boherius: « Et est contra illos qui carnes capulatas in refectorio comedunt, quas vocant mortarolum, asserentes forsan post hujusmodi triturationem carnium speciem minime remanere, quia, ut dicitur primo Physicorum, in divisione carnis contingit devenire ad carnem minimam; quæ si ultra dividatur, non remanebit species carnis. » Ubi observare obiter licet quo tandem homines pepulerit

cæca carnes edendi cupiditas, ut etiam abstinentiam se violare minime crederent, si minutas ante carnes comederent; quasi 530 vero aliter quam minutæ saltem dentium ministerio carnes manducari possent. Sed huic morbo remedium afferre conatus est Gregorius papa IX hoc edito statuto (*In Constit. pro monac. Benedict.*): « Et sicut interdicimus esus carnium, ita farsaturas de certis carnibus denegamus. »

Quod autem hic de carnibus minutis dicitur, idem de adipe asserendum est: « De pinguedine, inquit Hildemarus, scimus quia caro quadrupedum est, manifestum est quia non est manducanda. » Ejus tamen usum monachis indulsit concil. Aquisgran. concedens (*In cap.* 36), « ut fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, excepta sexta feria, et diebus octo ante Natale Domini, et a Quinquagesima usque ad Pacha. » Quod statutum paulo r strinxere postea Cluniacenses, in Septuagesima adipem cum *alleluia* sepelientes, quæ consuetudo in omnibus passim monasteriis recepta fuit, ut videre est in Concordia Dunstani, in Statutis Lanfranci, in mss. Germaniæ Consuetudinibus, et in libro Usuum Beccensium. Imo toto etiam Adventu adipem auferunt Dunstanus, Lanfrancus, et Petrus Venerabilis. At quod sextam feriam ab esu pinguedinis eximunt Patres Aquisgranenses non videntur observasse Cluniacenses, quibus postmodum Petrus Venerabilis jussit (*Statut.* 10), « ut universi fratres Cluniacenses omni sexta feria præter Nativitatem Domini, si eadem die occurrerit, ab adipe abstineant. »

Hujus indulgentiæ causa duplex afferri potest. Prima fuit in compensatione volatilium, quorum usum excepta Nativitate et Resurrectione Domini prorsus sustulerat. Ita docet additio ad cap. 27, lib. II, Rabani de Institutione cleric., ubi legimus, « sola quadrupedia, non volatilia monachis interdicta. Hoc autem tempore Pii Ludovici sic immutatum esse dicitur, ut in omni eorum pulmento sanguine uti liceat, propter nimiam et aliis damnosam consumptionem volatilium, quam faciebant. » Altera fuit propter defectum olei, ut discimus ex Ruperto (*Lib.* IV, *in Reg. S. Ben.*), cum respondens clericis regularibus, hoc nomine se monachis præferentibus, quod usum adipis sponte abjecissent, ait: « Hoc neque illis augere, neque his minuere altitudinem meriti; Ecclesiæ namque Dominus claves regni cœlorum in B. Petro tradidit: Ecclesia autem tantam potestatem habens generali synodo monachis, quoniam olei copiam non haberent, non carnes, sed carnibus cognatum indulsit adipem. » Eo respexisse videtur Grimlaicus in Regula solitariorum statuens (*Cap.* 45), ut « in his regionibus ubi defuerit oleum, si necessitas exposcerit, adipe utantur interdum. »

Quod de carnibus minutis ac de pinguedine, idem de ovis, quæ sunt de ipsissima gallinæ substantia judicium ferendum est ab iis qui negant volatilia a sancto Benedicto indulta; unde et sanctus Junianus in suo monasterio (*In ejus Vita*) « pullorum nutrimenta plurima congregavit, quorum.... ova sumptibus egentium deservirent, » non monachorum. Et tamen Leo abbas Cavensis *ova gallinacea* hospitibus exhibuisse perhibetur in lib. III Dial. sancti Victoris papæ, cap. 8.

De lacte, butyro, et caseo, in quibus major est difficultas, audiendus 531 est Boherius. « Quamvis siquidem in hac parte prædicer rigorosus, et os meum condemnet me, puto plane quod regulari honestate valentes corpore cœnobitæ uti non possint adipe, lacte, ovis, ac caseo; par enim est, inquit canon Gregorii, ut qui a carne animalium abstinemus, ab omnibus quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus. » Constat tamen veteres monachos, ipsos etiam Cistercienses lacte et caseo frequenter usos fuisse. Et certe, uti observat Hildemarus, « lac et caseus non est caro, quanquam de carne exeant, eo quod non caro in lac vertitur, sed ipse cibus vertitur in lac Dei dispositione ad filios Christi nutriendum;»

A quemadmodum vinum quod de vite exit non est vitis, nec oleum quod de ligno, est lignum; sed succus terræ, qui et in vinum vertitur et in oleum.

Quid vero censendum est de his qui carnis abstinentiam violant? Hos Petrus Venerabilis *carrinos* monachos ac ferinos vocat (*Lib.* VI, *epist.* 15), qui sanguineis dapibus jugiter inhiant; S. Odo incunctanter *apostatas* appellat (*Lib.* III *Collat. num.* 17): « An non est apostasia, inquit, de habitu et victu traditiones Patrum contemnere, cum Deus terminos Patrum transgredi interdixerit, despectaque victus qualitate vel quantitate per B. Benedictum præfixa, sanguineas dapes cum filiis Israel desiderare? » Et certe abstinentia a carnibus inter præcipua vitæ monasticæ instituta semper considerata est; unde etiam sanctus Vitalis abbas ordinis sancti Basilii (*In ejus Vita*, n. 18 *apud Bolland.*) successorem suum instituens, inter alia jubet ut « in monasterio carnes comedi non permittat: » quam legem etiam ad fabros

B aliosque sæculares operarios intra monasterii terminos laborantes extendebat sanctus Theodorus Siceota (*In ejus Vita n.* 63, *Boll.* 22 *April.*), quos ea de causa ad oppidum remittebat. Imo inter objecta Græcorum tempore Michaelis Cerularii Latinis improperarunt (*Humberti lib. contr. Græc. calumnias*), quod sanctus Benedictus infirmis carnis esum concedit; et inter querelas quas Innocentii III tempore adversus Latinos renovarunt, quinquagesima tertia hæc erat: *Ipsorum monachi carne vescuntur.* Quid quod monachis ad Ecclesiæ dignitates assumptis, extra infirmitatis necessitatem, carnibus vesci prorsus illicitum erat? Cujus rei illustre habemus exemplum in persona Hincmari ex monacho Dionysiano archiepiscopi Rhemensis, quem ex morbo recens convalescentem Pardulus Laudunensis episcopus monet, « ne a lardo sive quadrupedibus abstineat, donec sanitas confirmetur, et sic ad siccos, et miseros, tardioresque monasticos cibos red a ur. »

C Quapropter haudquaquam mirum videri debet si sanctus Fructuosus monachum qui abstinentiam « violaverit, et contra sanctionem regulæ usumque veternum, vesci carnibus præsumpserit, sex mensium spatio retrusioni et pœnitentiæ » subjacere decernat (*Cap.* 5). Quæ totidem verbis in excerptis ex lib. II Pœnit. Egberti episcopi Eboracensis leguntur (*Apud Spel. tom.* I *Conc. Angl.*). Et Gregorius IX in sua Constitutione pro monachis Benedictinis: « Si quis, inquit, comedere carnes contra prædicta præsumpserit semel vel etiam secundo, regulari subjaceat disciplinæ; si tertio, quarta et sexta feri proximis in pane et aqua jejunet. Quod si in consuetudinem 532 duxerit, subjaceat gravi culpæ. Abbas autem si in hoc deliquerit, secunda, quarta, et sexta feria sit pane et aqua contentus. Si autem in consuetudinem duxerit, nec monitus a diœcesano, vel visitatoribus corrigere voluerit, administratione privetur. » Simili fere modo Benedictus XII in bulla ad monachos Cistercienses jubet ut monachus vel conversus absti-

D nentiæ transgressor, « tribus diebus pro qualibet carnium vel dictorum pulmentorum comestione jejunare in pane teneatur et aqua; et quod nihilominus quolibet ipsorum dierum in capitulo regularem accipiant disciplinam. Sed abbas inhibitionis præfatæ transgressor non ad disciplinam ipsam, sed ad hujusmodi jejunia teneatur. Et si scienter hæc omiserit negligenter facere observari, etiam ex negligentia hujusmodi teneatur ad jejunia prælibata: quæ quidem pœnæ nulli remitti valeant, nec super eis vel ipsarum parte aliqua cum aliquo dispensari. Quod si aliqui super esu carnium vel pulmentorum prædictorum sæpe inventi fuerint delinquentes, seu esum ipsum contra ordinationem hujusmodi frequentantes, et per abbates proprios quod a talibus abstineant canonice moniti non destiterint, sint post monitionem hujusmodi per biennium eo ipso inhabiles ad quæcunque officia et administrationes in eodem ordine obtinenda; obtinentes vero illa removeantur, si abbatibus

eorum visum fuerit. » Præterea in libello Antiquarum Definitionum ord. Cisterc. hæc lego (*Dist.* 13, *c.* 2) : « De carnibus edendis seu ministrandis illud irrefragabiliter teneatur, quod in R. Benedicti Regula continetur. Igitur extra infirmitoria nostra carnes nullatenus a personis ordinis comedantur, nisi a transeuntibus magnum mare, quandiu fuerint in mari. Qui contra fecerit, in sententiam excommunicationis incidet ipso facto. Et si officialis fuerit, ab officio deponatur, nec deinceps ad aliquod officium promoveatur sine licentia capituli generalis. Monachus vero vel conversus non officialis pro qualibet vice per mensem privatus maneat habitu regulari. Eidem pœnæ subjaceant moniales, conversi, et capellani earumdem, licet nobis in habitu sint difformes. » Qui abstinentiæ a carnibus transgressionem inter leviores culpas recensent, dubito an pro levi et veniali transgressione taliter plecti vellent. Certe Casalini abstinentiæ transgressores aut carnes hospitibus in monasterio apponentes, tot diebus jubent in pane et aqua jejunare, ab solutionemque a tali peccato abbati reservant ex mss. Constitut. cap. 56. Taceo pœnas divinas, quibus in hujusce statuti infractores supremus rerum Arbiter non semel ultus est. Aliqua hujusmodi vindictæ exempla offendes apud Joannem monachum in Vita sancti Odonis. At prætermittere nequeo quod de Laudunensi sancti Joannis monasterio scripsit Hermannus monachus (*Lib.* III *de Mir. S. Mar. Laudun.*), scilicet quod « nullum quadrupes animal intra murum seu portam abbatiæ intrare poterat, quod non statim in rabiem et in insaniam verteretur. Unde etiam si quando rex, vel episcopus, vel alii principes ad ipsam abbatiam veniebant, omnes equos eorum extra portam oportebat dimitti, et ipsi pedites ad ecclesiam procedebant. »

533 Sed quæritur num saltem abbas cum fratribus dispensare possit a carnis abstinentia? Quæstionem solvit Petrus Venerabilis, edito statuto (*Statut.* 12), « ut exceptis infirmis, et omnino debilibus, carnibus nullus vescatur. » Cujus statuti rationem red- A dens ait : « Causa hujus instituti fuit ipsa Regulæ auctoritas, in qua hoc idem præcipitur, et ne sanus, et integris viribus monachus carnem comedat prohibetur. Insuper etiam quia nulla rationabilis causa mutandi hujus capituli inveniri poterat, sicut in quibusdam aliis ejusdem Regulæ olim mutatis capitulis a Patribus inventa est. » Et ad priores custodesque sui ordinis scribens (*Lib.* VI, *epist.* 15) : « Et ne, inquit, tibi recurrere liceat ad id quod soles, ut dicas et hoc capitulum (scilicet Regulæ 39) sicut et alia quædam a sanctis quibusdam Patribus certa ratione mutatum. Respondeo aliter est. Si enim de novitiis suscipiendis, si de opere manuum, si de vestibus et quibusdam aliis similibus a bonis Patribus post sanctum Benedictum mutatum est, non dubia, sed certa et rationabili causa factum est : et causa vel ratio, quia bis a me in duabus epistolis domno abbati Claravallensi directis studiose descripta est, hic iterare superfluum judico : si adeo studiosus fueris, ibi plene reperies. At hujus capituli prævaricatio qua ratione excusabitur? Qua causa sospes et integris B viribus monachus carnibus utens reus non esse monstrabitur? Dic, quæso, si quid habes, et aliqua vera vel verisimilis ratio est. Carnes tibi si potes vindica. Non habes, non habes, inquam, ut æstimo quid dicas; non habes plane unde perjurii nævum, ne dicam noxam expurges : obviat Regula, contradicit justitia. » Cum ergo frangendæ absinentiæ a carnibus causa rationabilis afferri nulla queat, manifestum est nec abbatem cum monachis circa esum carnium dispensare posse, nisi forte in certis quibusdam casibus extraordinariis, qui vix intra mille annos semel evenient. Cæterum nedum nobis reperire licuit summorum pontificum bullas monachis Benedictinis ter in hebdomada carnes edendi licentiam facientes; aut si quæ sunt, certis quibusdam monasteriis pro causa rationabili, et hoc forte ad tempus, non vero omnibus et pro semper datæ fuerunt. Imo non pauca occurrunt conciliorum decreta quibus intermissa in cœnobiis a carnibus abstinentia restituatur.

CAPUT XL.

De mensura potus.

Unusquisque proprium habet donum ex Deo : alius sic, alius vero sic. Et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus aliorum constituitur. Tamen infirmorum contuentes [a] imbecillitatem, credimus heminam **534** vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant.

Quod si, aut loci necessitas, vel labor, aut ardor æstatis amplius [b] poposcerit, in arbitrio prioris consistat, considerans [c] in omnibus, ne subrepat satietas C aut ebrietas : licet legamus, vinum omnino monachorum non esse. Sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius : quia vinum apostatare facit etiam sapientes. Ubi autem loci necessitas exposcit, ut nec supra scripta mensura inveniri possit, sed multo minus [d], aut ex toto nihil; benedicant Deum qui ibi habitant, et non murmurent. Hoc ante omnia admonentes ut absque murmurationibus sint [e].

[a] Hild., *Considerantes.* Oxon., *cogitantes continentiæ.*
[b] Conch. deest *amplius.*
[c] Al., *considerantis.*
[d] Conc., *sed minus.* Hild., *sed multum minus.*
[e] Al. addunt *fratres.*

COMMENTARIUS.

Unusquisque proprium habet donum ex Deo : alius sic, alius vero sic.] Ex hoc Apostoli effato regulam victus aliorum S. P. Benedictus accepit, ut nimirum juxta acceptum a Deo donum unicuique tribuatur : quam pariter normam in Regula sibi ab angelo tradita secutus est S. Pachomius (*In ejus Vita*), singulis juxta vires suas edere concedens et bibere; pro modo D vescentium laborare compellens, neque comedere modeste, neque jejunare prohibens.

Et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus aliorum constituitur.] Eamdem difficultatem olim expertus est Cassianus, uti ipse testatur in lib. V, cap. 5.

Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem.] « His

infirmiorum imbecillitatem non pro corporis ægritudine, sed pro animi dicit imbecillitate, inquit Smaragdus; non enim abstinentiam exterius corpus valet implere, nisi ei interius animus consenserit abstinere; multi enim abstinere poterant propter concessam salutem: sed non valent propter animi imbecillitatem. » Eodem modo loquuntur Hildemarus, Bernardus Casinensis, Richardus de S. Angelo, Boherius, et alii. Unde merito redarguas Antonium Perezium, qui solis existimat debilibus concessam a sancto Benedicto vini heminam. Sane **535** cum sanctus Pater tarde venientem ad mensam solum reficere jubet, *sublata ei portione sua vini*, non de infirmis debilibusque loquitur, sed de sanis maxime. At de his videsis Haeftenum lib. x, tract. 4, disq. 3.

Credimus heminam vini per singulos sufficere per diem.] De nomine heminæ consentiunt inter se viri eruditi; at de mensura ipsa non parum litigant. Jacobus Brolius Parisiensis Sancti Germani monasterii monachus, vir doctus et religiosus, varias diversorum sententias refert, nulli tamen certo adhærens. Prima est Petri Masii abbatis Casalis Benedicti, qui in Constitutionibus suæ congregationis (*Const. ms. Casalis Ben.*, *cap.* 57) heminæ mensuram ita definit: « Hemina, sicut a quibusdam expositoribus Regulæ accepimus, est mensura continens unam libram cum quarta parte alicujus liquoris; et est quasi tertia pars quartæ vini Parisiensis. » Secunda est Smaragdi, qui sanctum Isidorum describens (*Isid. l.* xvi *Orig.*, *c.* 25): « Hemina vini, ait, appendit libram unam, quæ geminata sextarium facit. » Cujus opinionem sequitur Julius Rhodiginus lib. xxviii Antiq. Lect. Tertia est Fossatensium, qui quondam duo pondera plumbea ostendebant; unum panis unciarum triginta trium cum dimidia, alterum vini unciarum triginta quinque. Quarta Casinensium, qui in suis super Regulam Declarationibus asserunt heminam esse « multo plus quam communi necessitati unius monachi sufficiat. » Quinta eorum qui « heminam Benedictinam Dionysianæ Parisiorum pintæ æquant. » Ac tandem ita concludit: « An vero æneum vas, quod Fossatenses ostendunt, sit illud B. Mauro a sancto Benedicto datum, non satis constat. » Ex his postremis verbis patet Brolium Fossatensem heminam pro Benedictina non agnovisse, sed nec ulli prædictarum opinioni in adhæsisse; cujus proinde mentem non satis assecutus est Gallicus dissertator de hemina vini et libra panis Benedictina, ut illum tam mordaci laceraret censura, quam sane non meruit vir optimus et doctus; qui si quid aliquando erravit, error aut excusandus, aut certe non ita efferendus. Et revera cum nullam amplexatus sit sententiam, si Fossatensem referens mensuram addidit: « Et hæc quidem sobrio, pulmonisque in integritate conservandi studioso monacho sufficere poterat, cheopina in prandio, et altera in cœna seu collatione sumpta; » joculariter et ironice locutus fuisse potius credendus est. At num Brolium aliquando legerit dissertator, merito dubitaveris: nam discerniens discrimen quod inter ostensas Boherio et Brolio in Fossatensi monasterio mensuras intercedit, absolute dicit Boherio monstratam fuisse mensuram, Brolio contra pondus; deinde datam S. Mauro a B. Benedicto heminam fuisse æneam; Brolio monstratum fuisse pondus plumbeum. Sed an ista conveniant cum Brolii textu judicent æquiores viri. *An vero æneum vas*, inquit Brolius, *quod Fossatenses ostendunt, sit illud B. Mauro a S. Benedicto datum, non satis constat.* Certe ecce *vas*, et illud *æneum*, quod tamen non vetat quominus una cum vase pondera etiam asservata fuerint in Fossatensi monasterio. Et hæc obiter dicta sint, non quasi approbando amplas illas mensuras vini, quas ultro rejicio.

536 Oppositam omnino præfatis auctoribus sententiam secutus est Menardus noster. Hic majori cum examine res discutiens, advertit heminam esse semisextarium, eamque constare sex cyathis, cyathum drachmis decem, ac consequenter heminam drachmas habere sexaginta; unde cum unciam non efficiant nisi drachmæ octo, intulit heminam *non plus pendere quam septem uncias et semis*. At Menardi computum de Græcorum, non de Romanorum hemina intelligendum esse existimavit Gallicus dissertator.

Paulo liberalior fuit Nicolaus Bravus, auctor Hispanus: nam uncias omnino decem heminæ dedit. Eamdem esse heminæ mensuram docuit dissertator Gallicus a nobis jam citatus, eo in libello quem de hemina vini Benedictina anno 1667 Parisiis publici juris fecit. Is enim probat heminam esse semisextarium; sextarium sextam congii partem; congium unciis constare omnino centum viginti; cujus rei periculum factum esse asserit ad antiquum congium, qui Romæ in ædibus Farnesianis asservatur; ex quo intulit heminam uncias plus quam decem continere haud posse. Sed quidquid sit de congio Farnesiano, qui tamen facta proportione ad veteres uncias Romanas, non omnino inventus est ex æquo respondere, tota dissertatoris disputatio super Romanam, non super Benedictinam heminam cadit; quod interim demonstrandum incumbebat.

Mediam, et quidem, ut mihi videtur, tutiorem init viam noster Mabillonius, uncias decem et octo dimidiæ Benedictinæ heminæ tribuens. Is occasione data decem annis post editam dissertationem Gallicam in præfatione prima ad sæculum iv Benedictinum, laudata imprimis dissertatoris eruditione, concedit quidem veterem heminam Romanam decem tantum unciis constitisse, at de qualibet hemina id dici posse negat, aitque pro variis regionibus, variisque temporibus, etiam variasse mensuras ac pondera: id quod probat tum ex præcepto Caroli Calvi pro stipendiis clericorum Sancti Petri, qui sanctimonialibus Suessionici Beatæ Mariæ Parthenonis subjecti sunt, qui singulis sacerdotibus per singulos dies *heminam, id est tres libras* vini tribuit; tum ex vetustissimo auctore, quem in Rhemensi Sancti Remigii archimonasterio sæculo ix describebat Bertigarius monachus; qui auctor vetustissimus in tractatu de Ponderibus et Mensuris de hemina sic loquitur: « Apud quosdam cyathi novem heminam facere videntur, quod sunt drachmæ nonaginta. Apud quosdam vero acetabula quatuor, quod sunt drachmæ quadraginta octo. Hemina autem juxta quosdam appendit libram unam; apud quosdam vero libram et dimidiam. » Deinde quibusdam aliis de sextario, de chœnice, et de congio interjectis, addit: « Sed has mensuras ad votum principum vel judicum esse deprehendimus. » Quod confirmat concilium Aquisgranense anni 816, cap. 122.

Ex his concludit, 1° incertum esse an permanserit Romæ adusque sancti Benedicti tempora antiquæ mensuræ norma; 2° etiamsi Romæ **537** permansisset, dubium esse num tota viguerit in Italia, variæ enim pro variis locis ac civitatibus passim habebantur mensuræ; 3° etiamsi in tota Italia viguisset, sanctum Benedictum potuisse, et revera instituisse novam vini heminam. Et certe id probant ea argumenta quæ superiori capite de libra panis exposuimus; quæque ex æquo militant pro hemina vini.

Jam vero quantum caperet concinnata a sancto Benedicto hemina investigans, supponit conservatam fuisse in Cassinensi monasterio ad usque tempora Caroli Magni: quod facili negotio probari potest. Deinde Carolum Magnum missos direxisse Cassinum, qui prædictam heminæ mensuram cum libra panis in Galliæ monasteriis promulgandam ad se deferrent; eamque a Theodemaro abbate missam revera accepisse; et ex decreto concilii Aquisgranensis in omnibus Galliæ monasteriis tempore Ludovici Pii imperatoris fuisse receptam. Quod probat ex Hildemaro auctore coævo, qui hunc Regulæ sancti Benedicti locum explicans, hæc habet: « Unde Carolus rex qualiter ipsam heminam intelligere ac scire potuisset, misit Beneventum ad ipsum monasterium videlicet sancti Benedicti; et ibi reperit antiquam heminam; et juxta illam heminam datur monachis vinum; si-

militer et juxta illam habemus et nos. » Ex hoc testimonio cum perspectam omnino sancti Benedicti heminam habuerit Hildemarus, eam paulo largiorem fuisse Romana demonstrat ex alio ejusdem Hildemari loco ejusdem capitis, ubi exponens sancti Benedicti sententiam crapulæ occasionem a monachis amovere volentis, ait minuendam esse mensuram ei « qui de sola heminæ mensura crapulam sentit, id est qui aut in locutione, vel in ingressu vacillat. » Quod nulli quantumvis infirmo capiti accidere posset, qui unico semisextario Parisiensi in diem uteretur. Ad hoc argumentum quid respondere posset dissertator plane non video; unde et illud in suis responsionibus tanquam nimis incommodum silentio prætermisit. Idem tamen demonstrari posse videtur ex Regula sancti Fructuosi capite 5, quæ sextarium inter quatuor fratres dividi jubet, hoc est unicuique mediam heminam tribuit. Nam si adeo parva fuisset heminæ mensura, satius omnino fuisset, vinum prorsus auferre monachis, quam tantillum per diem concedere.

Postea heminæ capacitatem amplius discutiens rem factis demonstrandam esse asserit; atque imprimis exemplum ex Regula Magistri (*Cap.* 27) petitum profert, ex qua tres in hemina calices comprehendi demonstrat. Hæc Regula Magistri non suam singulis fratribus heminam sive vas vinarium assignat, sed ex eodem vase omnibus misceri præcipit, primo quidem æstivo tempore singulis singulos *meros*, id est meri calices, deinde *caldos omnibus quaternos extra illum merum*; et, *cum ad sextam reficitur*, *ternas sera potiones*. Hieme vero ad refectionem sive sextæ, sive nonæ *caldos* duntaxat *ternos*. Ne quis autem in tali institutione abusus subreperet, ipsam calicis mensuram, in qua singuli biberent, determinavit, ne forte plus quam par esset, aliquis vini exhauriret. **538** *Calix vero*, inquit, *seu galleta, per quem erit in diversis vicibus ministrandum, talis sit, qui tertius impleat mixtam heminam*. Tres ergo hemina calices continebat, quos ubi aliquis ministrasset, mixta, id est jam propinata esset hemina.

Id confirmat ex Regulis sancti Fructuosi et sancti Isidori, qui Benedictinam præ oculis habuerunt, ejusque ritus expresserunt, cum suam condiderunt. Nam ex Regula sancti Isidori (*Cap.* 10) *ternis poculis fraterna reficienda est sitis*, et S. Fructuosus (*Cap.* 5), qui privatis diebus semiheminam concedit, in præcipuis solemnitatibus *tres* fratribus *potiones* indulget, hoc est integram heminam.

Eamdem sententiam amplius confirmat ex Statutis sancti Adalardi abbatis Corbeiensis, qui in Cassinensi monasterio diu versatus fuerat, et Statuta anno 822, hoc est annis post synodum Aquisgranensem quinque conscripsit. Is in lib. I, cap. 4 (*Spicil. tom.* IV), præscribit ut duodecim canonicis quatuor sextarii dividantur, *ita ut unusquisque accipiat calices duos*. Quo ex loco patet sextarium in Corbeiensi monasterio sex calicibus constitisse, ac consequenter heminam tribus; et quidem cervisiæ, quæ aqua non diluitur. Ex quibus omnibus infert, cum ad moderatum haustum minus sex vini unciis absumi vix possit, heminam uncias ponderales circiter decem et octo continere. Ac tandem rem totam ita concludit: « Quæ hactenus de hemina Benedictina dixi, non ita accipi velim, quasi rem ipsam me attigisse putem, aut monasticæ temperantiæ modum ampliari velim. » Et certe non timendus est excessus, aut abusus, si decem vel duodecim vini uncias ad prandium, et sex vel octo ad cœnam concesseris.

Id nihilominus timuit dissertator Gallicus: quapropter superiori anno 1688 alteram libelli sui de hemina vini et libra panis Benedictina editionem publici juris fecit, in qua nonnullis quidem mutatis, primam sententiam sine novis probationibus proposuit, nonnulla interim subjungens responsa ad prædictam Mabillonii præfationem, solo veritatis intuitu, uti ipse testatur, non contentionis aut vincendi stu-

A dio; quamvis de victoria sibi non semel blandiatur, adeo valide, ut ipse sibi persuadet, respondens objectis, ut in posterum nullus sit deinceps insurgendi locus.

Hanc secundam ejus lucubrationem cum legisset præfationis auctor, et requisitus quid de ea sentiret, pro innata sibi modestia humiliter respondit, non deesse sibi argumenta atque auctoritates veterum scriptorum, quibus tota dissertatoris disputatio cum suis responsis subvertatur; at nolle se heminæ ac potationis patronum exhibere. Ejus ego vestigiis lubens insisterem, dissertatorisve rationes silentio prætermittens, cum in bona, qua versatur, fide, de heminæ mensura valere juberem, illud Ambrosii recolens: *Indecorum quippe est homines curare de cibo, qui militant de regno* (*Lib.* VII *in Luc.*), nisi me præsentis argumenti materia ejus responsa discutere cogeret: quod etsi longe viribus impar, profundam viri eruditissimi doctrinam suspiciens, aggrediar, non contentionis **539** studio, aut ampliandæ vini mensuræ desiderio; sed solo veritatis illustrandæ intuitu, laudans interim in dissertatore abstinentiæ amorem, quem omnium monachorum animis ita inspirasse perciperem, ut omnes a vino abstinere persuasisset.

B

Cum nullum in tota dissertatione novum proponat argumentum, aut si quid novi proposuerit, totum in responsis ad objecta consistat, dissertationem interim relinquens, responsiones in quibus plurimum ingenii acumen ac subtilitatis demiratus sum, impugnare mihi proposui. In iis dissertator supponens congii Farnesiani veritatem, et quod inde concluserat, antiquam Romanorum heminam decem duntaxat unciis constitisse, sanctumque Benedictum Italicam heminam fratribus suis, non aliam tribuisse; totus est in probando: 1° antiquam Romanam heminam adusque S. Benedicti tempora fuisse in usu; 2° ejus usum in tota Italia viguisse; 3° mutationes in mensuris non nisi longo post tempore contigisse. At C quibus id momentis demonstret videamus.

Primo, ut probet antiquas Romanorum mensuras adusque sancti Benedicti tempora in communi usu commercii perseverasse, adducit Fannii carmen de Ponderibus et Mensuris, quod ille Constantini imperatoris tempore scribebat, hoc est ducentis ante S. P. Benedictum annis; quodque postea Priscianus, vivente sancto legislatore, Constantinopoli expolivit, *nulla tamen quoad rerum substantiam facta mutatione*. Quapropter cum Fannii carmen a Prisciano, vivente sancto Benedicto expolitum, unciis heminæ duntaxat decem tribuat, signum est Romanam heminam ad eum usque usu receptam fuisse.

Istud argumentum, quod adeo validum existimat dissertator, nullius mihi ponderis esse videtur. Nam primo ex auctoritate Fannii, qui ducentis ante S. P. Benedictum annis scripsit, nihil potest inferri; quamvis enim viguisset ejus adhuc tempore Romana hemina, potuit tamen intra ducentos annos D mutari, ut revera mutata est, nec adusque sanctum Benedictum perseverasse. Nec plus urget Prisciani testimonium, qui non novum condidit carmen, sed a Fannio conditum expolivit, mutatis quidem verbis, ut majori cum delectatione illud lector percurreret, *sed nulla quoad substantiam rerum mutatione facta*, ipso fatente dissertatore. Quid autem ad rem Prisciani expolitio? Si quis nunc Fannii carmen expolire aggrederetur, ejus verba mutans, substantiam rerum conservans, rectene concluderetur inde Romanas mensuras ad nostra usque tempora usu perdurasse? Idem judicium ferendum est de Prisciani expolitione, qui Fannium corrigens, locutus est habita ratione ad ejus tempora, non novum opus concinnavit; quod si concinnasset, ipse Constantinopoli scribens, non Romanas aut Atticas, sed Constantinopolitanas descripsisset mensuras.

Verum tantum abest ut dissertatori faveat Priscianus, ut si carmen ejus discutiamus, potius jam mu-

quas sic conditas *saludam* vocare solemus. Et ita intelligit Turrecremata. Paulo laxior est S. Hildegardis explicatio hujus loci: « Fabas, inquit, et pisa, et alia hujusmodi legumina demonstrat, quæ de agro recentia **515** colliguntur, velut poma de arboribus tolluntur, et illa non cocta, sed a cortice ablata pro tertio cibario fratribus apponi jubet. Pisces quoque, ut casei, aut ova in tertio cibario intelligenda sunt. » Hæc parum conveniunt cum ea pulmenti notione quam paulo ante dederat.

Addatur et tertium.] Scilicet pulmentum; et illud quidem *crudum* ex antiquo ordine conversat. monast., cap. 11, ex epist. Theodemari ad Carolum Magnum, ex Hildemaro, Nicolao de Fractura, Boherio, Turrecremata, et Matthia Lamberto; quibus consonat Regula Magistri, concedens « cocta duo pulmentaria, et tertium, quodcunque fuerit, *crudum* cum pomis. » Menardus tamen existimat liberum esse coctum aut crudum tertium pulmentum apponere.

Cæterum, ut observat hic Hildemarus, S. Benedictus neque æstivo tempore ad nonam, neque hieme ad seram poma concessit; alioquin tres, cum duas duntaxat æstate permittat; duæ, cum unicam hieme indulgeat, refectiones fierent. Ex quo conjicere possumus, jam illis temporibus saltem aliquibus in monasteriis irrepsisse consuetudinem fructus ad seram edendi etiam jejunii diebus, et ad nonam æstivo tempore. De hac ad nonam fructuum comestione exstat Theodemari, abbatis Cassinensis, testimonium in epistola ad Carolum Magnum: « Præter hæc etiam æstatis tempore post nonam, si est aliquid de pomis, et singulas phialas nostris fratribus præbemus. » Quod prohibuisse videtur synodus Aquisgranensis, statuens « ut poma et lactucæ, nisi quando alius cibus sumitur, non comedantur. »

Panis libra una propensa sufficiat in die.] De pondere hujus libræ inter se non consentiunt auctores. Libra est duplex, Romana unciarum duodecim, et mercatoria sexdecim; utraque etiam minor Neapolitana. An vero alterutram adoptaverit S. P. Benedictus non constat. Singulare pro suis discipulis libræ pondus instituisse, communis est sententia. Idque persuadent, 1° quod sanctus Pater discipulum suum B. Maurum dirigens in Gallias, cum sacro Regulæ textu pondus libræ panis eidem deferendum secum tradiderit (*Faust. in Vita sancti Maur.*, *num.* 29); quod, si singulare non exstitisset, haud necesse fuisset illud eo deferre, cum simile in Gallia reperiri posset; 2° quod, everso a Longobardis monasterio, Cassinenses Romam aufugientes S. Regulæ textum cum relicta sibi a S. Benedicto panis libra secum detulerint; cujus pondus, restaurato postea monasterio, Zacharias papa ibidem restituit (*Leo Ostiensis Chron. Cassin.*, *lib.* I, *cap.* 2); quæ sane sollicitudo omnino fuisset inutilis, si Romanam S. Pater libram adoptasset; 3° quod Carolus Magnus, collapsam passim in Galliæ monasteriis disciplinam regularem restituere cupiens, missos Cassinum direxerit, qui institutum a S. Benedicto libræ panis pondus, et heminæ vini mensuram sibi deferrent. Porro Romam, non Cassinum imperator mittere debuisset, si Romanam S. Benedicti libram, aut heminam admisisset.

Missam a Theodemaro abbate imperatori libram statim post ejus **516** obitum in omnibus monasteriis, haud dubium, recipi curavit synodus Aquisgranensis, statuens *ut libra panis triginta solidis per duodecim denarios metiatur*; et quidem *antequam coquatur*, ut præfert canonis titulus. Hæc verba illis temporibus omnino perspicua, nostris valde obscura, plurimis divinandi occasionem tribuerunt. Nam Gazæus in notis ad Cassiani lib. v, cap. 5, hunc canonem de pretio triginta solidorum intellexit, eique suffragatur Dadinus Alteserra Ascet. lib. v. Haeftenus de pondere quatuor librarum, hoc est quadraginta octo unciarum, uti se ipse explicat, fretus, seu

A potius illusus Theodemari verbis ad imperatorem scribentis: « Direximus quoque pondus quatuor librarum, ad cujus æqualitatem ponderis magis debeat fieri, qui in quaternos quadros singularum librarum, juxta sacrum Regulæ textum, possit dividi; quando pondus, sicut ab ipso Patre est institutum, in hoc est loco repertum. » Accessit concilii Aquisgranensis anni 816 decretum, singulis canonicis quatuor panis libras assignans; et tres monialibus, ex quo infert, non minorem monachis quantitatem panis concessam fuisse. Non defuerunt etiam qui solidos pro unciis interpretantes, præscriptam a concilio libram esse unciarum triginta asseruerint. Nicolaus Bravus fatetur concilii sensum assequi se non potuisse; sed interim Cassinensem libram unciarum triginta trium cum dimidia uti legitimam admittit. Eamdem pro Benedictina agnoscere videntur Jacobus Brolius, monachus S. Germani a Pratis, in Supplemento Antiq. Paris., pag. 88, et Andreas Quercetanus in not. ad Bibliot. Cluniac. Difficultatis punctum attigit, sed divinando, vir doctissimus Antonius

B Yepezius: censuit quippe eam legem de pondere libræ editam more Francorum, qui libram numericam viginti solidis computare solent; solidum vero duodecim denariis, quem eumdem computandi morem etiam in ponderibus olim adhibuerint. Ex qua observatione intulit libram crudi panis a synodo assignatam constitisse libra sesquimedia, ut coctus panis constaret libra una Parisino more, quæ * pro una libra viginti quinque solidos exigit, et hanc demum esse libram quam sanctus Benedictus propensam appellat. At difficultatis nodum non modo attigit, sed etiam solvit dissertator Gallicus de hemina vini et panis libra Benedictina. Is enim in libello suo (*Num.* 25), anno 1667 Parisiis excuso, atque iterum anno 1688 recuso, ex vetustis Francorum legibus observat, vigesimam partem unciæ denarium esse, duodecim vero denarios solidum efficere; adeo ut tres

C unciæ quinque solidos, et duodecim unciæ libram viginti solidorum constituant. Idem aliis argumentis atque auctoritatibus confirmat noster Mabillonius in præfatione ad sæc. IV. Et sic libra triginta solidorum sesquilibram Romanam continet, hoc est uncias octodecim; quæ post panis coctionem quatuordecim circiter uncias reddit, si panis primarius est; sexdecim, si secundarius. Et hanc esse libram Benedictinam, quam, eo quod unciis aliquot Romanam superet, sanctus Pater propensam vocat, mihi multa persuadent.

517 Primo, quod S. P. Benedictus veteres monachos in multis secutus duces, tum hac in parte satis probabiliter æmulatus est. Porro de illis ita discurrit apud Cassianum abbas Moyses (*Collat.* 2, *cap.* 19): « Discutientes continentias diversorum, qui vel solis leguminibus, vel oleribus tantum, vel pomis vitam jugiter exigebant, præposuere cunctis illis refectionem solius panis, cujus æquissimum modum in duobus paximatiis statuerunt, quos parvulos

D panes vix libræ unius pondus habere certissimum est. » Hanc libram fuisse unciarum duodecim colligitur ex paximatiorum pondere, quod sex unciis constitisse patet ex Palladio, qui agens de Paulo Simplice sic habet: « Fert Antonius et imponit mensæ quatuor paxamidia sex unciarum, et sibi quidem unum madefecit. »

Secundo, S. Benedictus, ubi major est labor, constitutæ a se mensuræ aliquid superaddi permittit. At vero si tantam panis quantitatem, ut volunt præcitati auctores, quæ duobus tribusve hominibus abunde sufficeret, S. Pater dedisset, nihil certe vel edacissimo homini, quantavis fame laboranti, æstu aut operibus attrito, superaddere necesse foret.

Tertio, S. Benedictus non plus ad duas refectiones quam ad unicam, cum jejunium est, panis indulget. Atqui sexdecim, vel quindecim panis uncias ad

* Legendum videtur *qui*, ut ad *more* referatur. EDIT.

unicam refectionem cùm duobus tribusve pulmentis homini pœnitenti sufficere negat, hic non tam sedare famem quam ventrem non dicam replere, sed exenterare cupit.

Quarto : « Apud Gallias, inquit Petrus Damiani (*Opusc.* 10, *cap.* 7), ut specialis viri relatione didicimus, religiosi cœnobiorum Patres videntes plerosque fratrum traditam a B. Benedicto mensuram refectionis excedere, nec se posse intra præscriptum regularis diarii limitem cohibere, cantum duxerunt, ut constitutis quibusdam horarum officiis, et alios adhuc psalmos apponerent, quatenus victus remissioris excessum augmento valeant compensare psalmorum. » Quod si de pane intelligatur, tanta non erat libra Benedictina, quæ singulis ad refectionem quotidianam sufficere non poterat.

Quinto, S. Odonem, Cluniacensem abbatem, laudant quod mediam duntaxat in die panis libram ederet, quæ plane laus magna non foret, si libra Benedictina duobus tribusve hominibus reficiendis sufficeret.

Denique Petrus Damiani (*Opusc.* 15, *cap.* 8) libram panis monachorum ita describit, ut « novem ornicum, vel tria anserum ova libratis lancibus tantumdem pensent. » Porro novem ornicum sive gallinarum ova uncias sexdecim non multo superant. Hæc omnia argumenta æquum rerum æstimatorem persuadent, Benedictinam panis libram uncias quindecim haud superare.

Huicce vero assertioni opponet non nemo varia libræ panis monachis distribuendi pondera : nam Cassinenses in Declarationibus aiunt : « Pondus libræ, ut habuimus a monasterio nostro Cassinensi, fuit unciarum triginta trium. » Simile aut parum absimile olim in Fossatensi S. Mauri monasterio servatum fuisse testantur Petrus Boherius et Jacobus Brolius. Item aliud in Suessionensi S. Medardi, quo etiam vicini **518** eidem monasterio Cœlestini Suessionenses utebantur, unciarum triginta duarum. Aliud insuper in Burdegalensi S. Crucis ex ære Cyprio unciarum viginti octo. Denique pondus quatuor librarum Carolo Augusto a Theodemaro abbate missum.

Hæc omnia ponderа, quæ tanquam falsa et supposititia suspiciet aliquis, ut vera et legitima admittimus. Nam pondus Cassinensium, Fossatentium, Suessionensium et Burdegalensium, pondus erat duarum librarum, quæ duobus dividebantur monachis; et quidem libra Cassinensium, Fossatensium et Suessionensium sexdecim erat unciarum, aut eo amplius ante coctionem; Burdegalensium quatuordecim, coctione facta. Nec est quod quis dicat ista pondera non esse æqualia; nam parum pro nihilo reputatur, nec viros æquos hisce minutiis diutius immorari decet, de quibus litigare possunt critici, quibus nihil unquam, nisi probaverint ipsi, placebit. Nec est quod quis hæreat in fracto numero unciarum triginta trium cum dimidia; nam id provenire potuit ex unciarum diversitate, quibus nunc utimur, ab illis quæ sancti Benedicti tempore erant in usu. Et certe pondus æneum in Cassinensi sacrario servatum cum hac inscriptione, *Pondus libræ panis B. Benedicti*, est unciarum triginta novem regni Neapolitani. Cæterum hujusce divisionis exempla non desunt apud veteres; nam Regula Magistri decernit (*Cap.* 26), ut « medius panis pensans libram unam singulis in die sufficiat. » Coquebatur ergo solidus panis duabus constans libris, cujus medietas, *pensans libram unam*, uni fratri competebat. Simili modo pondus quatuor librarum a Theodemaro abbate Carolo Augusto missum quatuor dividebatur monachis, quod vel ex ipsa Theodemari epistola constat : « Direximus quoque, inquit, pondus quatuor librarum, ad cujus æqualitatem ponderis panis debeat fieri, qui in quaternas quadras singularum librarum juxta sacræ textum Regulæ possit dividi. Quod pondus sicut ab ipso Patre institutum est, in hoc est loco repertum. » In quaternas ergo quadras singularum librarum dividebatur, idque *juxta sacræ textum Regulæ*. Hac ratione variæ possunt solvi difficultates, quas occasione diversorum ponderum aliquis movere posset, absque eo quod necesse sit recurrere ad ridiculas prorsus ponderum genealogias, quibus odiosos sæcularibus monachos reddere quis conetur. Certe hæc omnia pondera aliquam præ se ferunt antiquitatem; quibus proinde usi sunt majores nostri, quos adeo modica libra contentos fuisse videmus, ut aliquibus vix sufficeret. Nunc vero Cassinenses, Camaldulenses, Fulienses, et aliæ communiter monachorum congregationes tantum unicuique panis apponunt, quantum singulis satis sit. Cistercienses etiam sesquilibram singulis in refectorio ministrasse colligitur ex lib. II de Vita S. Stephani, abbatis Obazinensis, num. 27 (*Tom.* IV *Miscell. Baluz.*) : « Post tertiam iterum pistrinum ingressi, tantam panum copiam invenerunt, ut totus conventus, qui tunc centum viginti et amplius erant, libram panis et dimidiam, *more solito*, singuli habuissent. » Et hæc de quantitate panis : nunc de qualitate.

519 Veteres monachi paximatiis communiter vescebantur. Paximatii etiam panis meminit Regula sancti Columbani, cap. 3. Paximatium autem nonnullis est *panis subcinericius;* aliis *panis bis coctus :* hinc frequens in Vitis Patrum *panis sicci* mentio. Qualem vero panem monachorum esse voluerit sanctus Benedictus? Haud dubium quin cibarium et grossiorem, qualem pauperes decet; et quem propriis fratres conficerent manibus. Exstat Cisterciensium statutum prohibens primarium panem, quem vulgo candidum vocant, fieri, etiam in præcipuis festivitatibus (*Instit. Cist. cap.* 14) : « Ne fratres carnis et spiritus fragilitate victi, grossiorem panem abhorrere, et lautiorem incipiant desiderare, ideo stabilimus ne in cœnobiis nostris fiat panis candidus, nec etiam in præcipuis festivitatibus; sed grossus, id est cum cribro factus. Ubi autem frumentum defuerit, cum seatio liceat fieri : quæ lex infirmis non tenebitur; sed et hospitibus quibus visum fuerit album panem apponimus, et minutis in minutione sua, sicut in sententia eorum descriptum est; cujus panis, albi videlicet qui minutis apponitur, sicut et quotidiani pasta in statere posita, nequaquam plus debet ponderare, sed æqua lance appendi. » Notat vero Julianus Parisius (*De Prima vivendi ratione Cister.*, *part.* III, *c.* 3, *sect.* 1), Cistercienses olim triplicis speciei panem habuisse : 1° album, pro infirmis; 2° communem, ex frumento cribrato, aut hordeo, secali, avena, milio, sed in seatio factum; 3° grossiorem ex farina hordei, avenæ, etc. Sed quem per seatium non excernebant. Qui panis dabatur 1° in cœna, iis qui ad tertiam partem libræ ad prandium comedissent; 2° per modum pœnitentiæ; 3° in eleemosynam. Austerior tamen videtur fuisse prima Cisterciensium institutio; ut enim in Vita sancti Bernardi legimus (*Lib.* I, *c.* 5), eorum « panis instar prophetici illius ex hordeo, et milio, et vicia erat; ita ut aliquando religiosus vir quidam appositum sibi in hospitio ubertim plorans, clam asportaverit, quasi pro miraculo omnibus ostendendum, quod inde viverent homines, et tales homines. » Hujusmodi haud dubium erat Ellantiensium monachorum, in diœcesi Rhemensi, panis, scilicet « non solum furfureus, sed et adeo amarus, ut vix inde pauperes fragmenta recipere dignarentur (*Vita B. Rogerii abbat. apud Boll.* 4 *Januar.*). » Simile aliquid de pane primorum Fuliensium scribit Ludovicus a S. Malachia; sed editæ anno 1631 eorum Constitutiones tantum habent : « Panis cibarius sit, et communis; hospitibus tamen et ægrotis possit melior dari. »

De Carthusianis audiendus est Guigo in Statutis (*Cap.* 34) : « Panis quamvis de tritico, torta est; album enim panem non facimus. » Antiqua Statuta Carthusiensium addunt (*Part.* II, *cap.* 14, § 16) : « Nisi pro infirmis. » Inferius tamen ita subjiciunt (*Cap.* 32, § 9) : « Antiqua consuetudo est ut duo genera panum, alterum quod pulchrius sit, monachis, faciamus, et alterum conversis; quæ in re cum priori placuerit ut ita fiat, ei contradicere nullus audeat attentare. »

In mss. etiam Cluniacensis monasterii Consuetudinibus, et in Benignianis, cap. 40, memorantur panis duo genera, quorum optimus fratribus ministraretur. Isto tamen optimo erat adhuc melior infirmis tribuendus.

520 Antequam vero hinc discedamus, observandum Benedictinam libram debere esse *propensam*, quod nonnulli explicant præponderatam, sive ante pensatam. Ita Smaragdus, Hildemarus, Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Boherius et alii, juxta veterum monachorum morem, qui ante panem librabant quam mensæ apponerent; cujus rei exemplum profert Theodoretus de Publio quodam monachorum patre (*Lib.* IX *de Vit. Patr.*, *cap.* 9), qui accedens ad trutinam, panis mensuram diligenter perpendebat, et si quando invenisset plus quam esset definitum, ægre ferebat, et eos qui ita facerent helluones appellabat. Atque hunc fuisse ordinis nostri usum probant varia, quæ etiam supersunt, librarum pondera.

Verum *propensa* hoc sensu non est vox Latina; quare alii *libram propensam* interpretantur libram præponderantem, profusam et largam. Ita Gazæus in Cassiani lib. V, cap. 5; Menardus in hunc locum, et Mabillonius in Præfat. ad sæc. IV, part. I, quibus favent quædam versiones Gallicæ, quæ hunc locum ita vertunt : *Une livre de pain à bon poids.*

Nicolaus Bravus ex unica voce *propensa* duas facit *pro pensa*, quasi diceretur *pro diaria pensa* : cui divisioni refragantur codices mss. et omnes qui hac de re hactenus tractaverunt.

Quod si cœnaturi sunt, de eadem libra tertia pars a cellerario reservetur reddenda cœnaturis.] Quod duobus modis fieri potest, aut ex eodem pane tertiam partem post refectionem dividendo, aut ex eadem libræ panis massa duos panes conficiendo. Primum innuere videtur Regula Magistri, cap. 26, fuitque usitatum apud Cassinenses ad usque tempora Bernardi abbatis, qui posterius induxit, uti ipse testatur his verbis : « Hoc usque ad tempus meum fuit observatum, quod quædam districtio fiebat in tertia parte panis, ut non essent duo, vel tres panes, sed unus. Sed ego videns hoc non multum esse decens, libram massæ farinæ in tres partes divisi, ut tertia pars libræ possit non in pane fracto, sed in integro reservari. » Hujusce Bernardi institutionis meminit Nicolaus de Fractura, vigebatque adhuc suo tempore. At non ita stricte S. Benedictum esse intelligendum censet Richardus de Sancto Angelo hunc in locum sic scribens : « Non ita intelligendum est stricte quod tertia pars reservetur pro cœna; sed totum quod remanet conservandum est, quia multi forte non possent comedere de mane propter naturæ defectum, et comedunt de sero. » Ita Cistercienses videntur integram ad prandium libram ministrasse, et sero ad cœnam quod ex prandio residuum erat; unde liber Usuum (*Cap.* 117) ad cellerarium pertinere dicit, « illis qui ad prandium usque ad tertiam partem panis comedunt, ad cœnam de grossiori pane, ubi habetur, superaddere. »

Quod si labor forte factus fuerit major, in arbitrio et potestate abbatis erit, si expediat aliquid augere.] Quod quidem « augmentum, inquit Bernardus Cassinensis, 521 non puto ad panem tantum extendendum, sed etiam ad pulmentaria. » Idem censent Boherius et Turrecremata, quorum sententiam usus antiquus ordinis confirmat; licet augmentum ad solam *libram panis* restringere videatur Nicolaus de Fractura.

Et recte quidem S. Benedictus ait *in arbitrio et potestate abbatis erit*, non in voluntate et arbitrio fratrum; nam et si pius ac misericors in sublevandis monachorum laboribus abbas esse debeat, solatium tamen istud tanquam debitum non possunt requirere fratres, quibus ante omnia propositum esse debuit, pœnis ac laboribus ad æternam beatitudinis requiem viam sibi parare. Unde S. Basilius (*Regul. brev.*, *interrogat.* 135) interrogatus « an bene faciat, qui vehementer laborans, aliquid ipse præter consuetudinem exquirat? » respondet : « Omnino si laborem suscepit, ut præmium consequatur a Deo, hinc ejus levamentum quærere non debet, sed operam dare, ut ad accipiendam Domini mercedem idoneum se præparet, sciens se ut ex laboribus præmium, sic ex angustiis etiam solatium a Dei benignitate inventurum. Verumtamen cui commissum est ut illud adimpleat, *Dividebatur singulis prout cuique opus erat*, necessario singulos qui laborant cognoscere debet, eorumque ut par est necessitati providere. » Eodem fere modo loquitur Regula SS. Pauli et Stephani cap. 17.

Sed quæritur quis labor major sit intelligendus? Joannes Bertelius abbas Luxemburgensis « majorem laborem vocat quo ita defatigantur corpora, ut inde imbecillitas ad spiritualium perseverantiam sequatur, et quem pro qualitate conditionis et status discreti rerum administratores considerant esse præter solitum. » Ut, verbi gratia, tempore æstatis cum duros in agris labores habent monachi. Atque ita Theodemarus abbas Cassinensis (*In epist. ad Carol. Magn.*), « cum vero tempus sectionis feni est, inquit, in potionem ex melle ad horam quartam laborantibus patribus propinamus; » et liber Usuum Cisterc. (*Cap.* 84) : Tempore messionis, « unicuique in die libra panis communis et dimidia dari potest, ubi opus fuerit, et distribui singulis prout tempus et locus exegerit. Hoc tempore, exceptis diebus quibus fratres vacant lectioni, unum pulmentum habeant ad prandium, et alterum ad cœnam, si fieri potest; » nimirum præter solitum.

Bernardus vero Cassinensis majorem laborem interpretatur « non solum in agris aut operibus aliis, sed etiam in officiis, sicut est in solemnibus diebus, quando fratres officiis solemnibus dicendis consueverunt amplius laborare. » Similiter Boherius et Turrecremata, atque ante hos omnes Hildemarus hunc in locum sic scribens : « In diebus vero solemnibus, vel quando labor factus fuerit, debet dare ad sextam tria pulmentaria cocta, et quartum crudum, prout labor fuerit; ad seram vero unum coctum, sicut ipse dixit, si labor forte factus fuerit major, in arbitrio et potestate erit abbatis, si expediat, aliquid augere. » Et quidem eam fuisse antiquam ordinis consuetudinem, solemnibus diebus ad solitam annonam aliquid superaddere, plurimis 522 potest testimoniis comprobari. Egregium suppeditat Theodemari abbatis epistola ad Carolum Magnum : « B. Pater noster, inquit, instituit duo cocta pulmentaria in quotidiana refectione fratribus præparari, et tertium de leguminibus crudis aqua infusis. Nos vero ex institutione majorum nostrorum tria cocta pulmentaria aliis diebus, quarta et sexta feria duo tantum reficiendis fratribus præparamus... Die vero dominico et in festivitatibus præcipuis etiam quartum addimus pulmentum, exceptis secunda, quarta et sexta feriis. » Simili modo in Fuldensi monasterio Venerabilis Eigil, testante Candido ejus discipulo (*In ejus Vita*, *sæc.* IV *Ben.*), in die anniversaria Sturmii abbatis, « ob reverentiam tantæ solemnitatis, secundum congruentiam monasticæ vitæ, ad victum fraternum cultius quid solito jucundiusque fieri demandavit. » In antiquis etiam Floriacensis monasterii Consuetudinibus ad diem Paschæ legitur : « Ad prandium debemus habere tria fercula, primum ova farsa, secundum pisces, tertium sæpias et porrectam ab hortulano, et a pistrinario bracellos et pittantiam de optimo vino a custode vini, et sero gastellos. » Denique in mss. Romani S. Pauli monasterii Consuetudinibus ad paschalem refectionem triplex præter solitum potionis propinatio præscribitur, prima a conversis, secunda a diaconis, tertia a sacerdotibus ministranda, « non tam pro gula et ebrietate explenda, quam pro charitate tenenda, et ob amorem Christi. » Idque fieri posse arbitrantur auctoritate Hildemari in expositione Regulæ.

Remota præ omnibus crapula, etc.] Crapula est superabundantia sive superfluitas ciborum, diciturque

crapula, quasi cruda et ulta, cujus cruditate cor gravatur, et stomachus indigestus efficitur.

Pueris vero minori ætate non eadem servetur quantitas, sed minor quam majoribus.] « Tum quia nec tantum potest comedere puer quantum adolescens et juvenis; tum etiam quia ad prandium jejuni non veniunt, cum horas canonicas habeant prævenire, » inquit Boherius in primo comment. S. Benedicto concinit Magister in Regula, statuens ut « minoribus a duodecim annis minus a libra panis in die sufficiat. » Certe puerorum libram panis paulo leviorem fuisse colligi posse videtur ex Hildemaro ad cap. 30, ubi agens de jejuniis pueris delinquentibus injungendis, « libra, inquit, viginti duos solidos habet quando crudus est panis, ut cum coctus fuerit habeat solummodo viginti, » hoc est uncias duodecim, cum libra aliorum ex concilio Aquisgranensi esset solidorum triginta ante panis coctionem. Ad hunc locum pertinet quod in Vita S. Hugonis scribit Hildebertus Cenomanensis (*In ejus Vita n.* 12, *apud Boll.* 29 *April.*): « Quantæ autem discretionis et misericordiæ fuerit, junioribus cœnobitis impensa demonstrat benignitas: quibus cum minor libra panis et potus ex consuetudine traderetur, ipse tamen parem eis dare constituit, æquum judicans, ut quos idem diei pondus affligebat et æstus, idem quasi jam denarius solveretur.]

Carnium vero quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles et ægrotos.] **523** Qui tamen ex mss. S. Benigni Consuetudinibus in Quadragesima, ut sani, abstinebant; imo etiam in Adventu et a Septuagesima ad caput jejunii, nisi maxima esset infirmitas.

Hic plurimum torquentur auctorum ingenia, quorum sententiæ tres præsertim in classes dividi possunt: 1° eorum qui censent solas quadrupedum carnes a S. Benedicto interdictas esse, volatilibus concessis; 2° eorum qui dicunt, tam sanis quam infirmis vetitas esse volatilium carnes, solis quadrupedibus istis pro reparatione indultis; 3° eorum qui sustinent tam volatilia quam quadrupedia sanis prohibita, utraque vero infirmis permissa. Rem hic pro certo definire non est animus, sat esse existimanti trium sententiarum momenta promere, ut quam sibi arridere viderit, quisque libere sequi possit.

Prima sententia triplici nititur fundamento, auctoritate, ratione et praxi. Nam primo ita Regulæ textum intellexit Theodemarus abbas Cassinensis, Carolo Magno imperatori scribens in hæc verba: « De volatilium tam caute prudentissimus Pater noster in sua Regula posuit, ut si velint comedere monachi, cum opportunum est, non subjaceant culpæ: si vero eis a suo tale edulium non præbeatur abbate, ut quasi ex debito, hoc non possunt requirere. » Theodemaro suffragatur Rabanus Maurus (*Lib.* II *de Inst. cleric. cap.* 27): « Avium quoque esum, inquit, credo inde a Patribus permissum esse, eo quod ex eodem elemento de quo et pisces, creatæ sunt: nam in Regula monachorum non invenitur aliarum carnium esum eis interdictum esse nisi quadrupedum. » Ubi quod ait *Credo*, non cadit super permissionem ipsam, quasi de ea dubitaret; sed super permissionis rationem, scilicet quia de eodem quo pisces elemento aves creatæ sunt. Istud porro Rabani testimonium commendat, quod fuerat ipse monachus Fuldensis monasterii, quod sub strictiori et severiori Regulæ S. Benedicti observatione S. Bonifacius fundaverat, misso in Italiam S. Sturmio, qui in melius ordinatis monasteriis puriorem veriorremque Regulæ sensum addisceret, a Fuldensibus monachis postea ad praxim reducendum, ac proinde Rabanus loqui haud potuit, præter sensum suo in monasterio intellectum. Eadem fuit sententia Dietrici Metensis episcopi, qui aliquando loquens de disciplina quam ipse studens in monasterio S. Galli viderat (*Ekkehard. de Casibus S. Galli, cap.* 11): « Erant, inquit, alii qui solis volatilibus, quod unius cum piscibus creaturæ sint, licite uterentur. » His

A accedit sancta Hildegardis, cujus hæc verba: « Carnium esus infirmis omnino, debilibusque pro reparatione concedatur. Carnes tam quadrupedum quam volatilium intelligi volens, et nullas carnes quas homines comedere solent excipiens. At ubi meliorati fuerint, a carnibus more solito abstineant, scilicet a carnibus quadrupedum; quia sani illas et succum earum comedere non solebant, sed infirmi. Sani vero carnes volatilium, quoniam mundæ sunt, nec ardentem libidinem comedentibus inferunt, manducabant. » Et infra: « De volatilibus reticet, quoniam comestionem eorum sanis non interdicit, etc. »

524 Secundo non sine ratione, aiunt, S. Pater usus est voce *quadrupedum*; nam si volatilia prohibere voluisset, aut simpliciter dixisset *a carnibus omnes abstineant*, aut utraque simul nominasset, uti S. Cæsarius (*In Regul. ad monach. cap.* 24): « Pullos et carnes nunquam sani accipiant; » et sanctus Aurelianus (*Cap.* 51): « Carnes in cibo nusquam

B sumantur. Pulli vero vel cuncta altilia in congregatione non ministrentur. » Nunc vero cum S. Benedictus solas quadrupedum carnes nominet, signum est volatilia permisisse; cum enim negatur unum, aliud conceditur.

Hanc ad rationem respondet Richardus de S. Angelo ita revera se habere, « nisi causa prohibitionis eadem esset in concesso et in prohibito; quia tunc ubi unum negatur, aliud etiam negatur. » Porro eadem est ratio de volatilibus ac de quadrupedibus, nimirum pœnitentiæ ac refrenandæ concupiscentiæ: imo major pro volatilibus, in quibus est major voluptas, major suavitas, et a quibus a fortiori debet abstinere monachus omnis voluptatis et suavitatis abrenuntians. Jam vero si quis quærat cur quadrupedia potius S. Benedictus expresserit quam volatilia? respondet idem Richardus: « Quod frequentius homines utuntur istis carnibus quam aliis; et jura etiam ad ea quæ frequentius accidunt, adaptantur, ut Digest. de Leg., et senatusconsultos, lib. num. ad ea;

C Et quod nomine quadrupedum intelligantur aliæ carnes, patet per legem Digest. Si quandiu. Pauper. lib. penultimo, ubi dicitur quod ubi nominantur quadrupedes, intelligitur et bipes. » Aliter Hildemarus: « Nunc autem ne forte monachi possint dicere, scimus quidem quod volatilium carnem non possumus, nec debemus comedere, eo quod majorem dulcedinem et suavitatem habent, quam quadrupedum carnes; tamen carnem quadrupedum possumus et debemus comedere, quia minorem dulcedinem et suavitatem habent gustus. Propter hos tales occurrit sanctus Benedictus, dicendo nominatim, ut carnes quadrupedum omnino comedere monachi non debeant, nisi pro infirmitate vel debilitate sua; quia sicut volatilium carnes pro sua dulcedine et suavitate gustus quam habent, solent carnis provocare stimulos, ita etiam quadrupedum pro sua fortitudine, quam habent, virtutem ipsius carnis stimulis ad perficiendum conferunt. »

D Alteram rationem rejiciunt ex ipsa volatilium natura, quarum carnes cum sint mundiores, nec tantum habeant nutrimenti, ardentem non inferunt libidinem. Quæ ratio est S. Hildegardis.

Huicce rationi reponeret Hildemarus: « Intellexit ipse sanctus Benedictus plus dulces carnes habere volatilia quam quadrupedia, sicut doctores dicunt, et usus comprobat, in eo quod reges et principes propter majorem dulcedinem et suavitatem gustus post carnes quadrupedum in suis conviviis carnes volatilium præcipiunt sibi præparari; et ideo propter suavitatem gustus, non propter numerum pedum abstinentes et pœnitentes a carnibus omnibus abstinere noscuntur. » Et infra addit: « Volatilium carnes pro sua dulcedine et suavitate gustus quam habent, solent carnis provocare stimulos. » Imo: « Stimuli **525** carnis magis solent insurgere, ubi major est dulcedo, et major suavitas gustus in cibum percipitur. » Adde quod nonnulla sunt volatilia in qui-

bus non minus reperies succi quam in quadrupedum corporibus.

Tertiam rationem petunt ex ipsa volatilium origine, quæ ex eodem elemento de quo et pisces, creata sunt: quam rationem tetigit Rabanus supra citatus, eaque causa forte fuerit cur promiscue olim in Quadragesima cum piscibus aves comederent nonnulli, testantibus Socrate et Nicephoro (*Socrat. lib.* v *Hist. cap.* 21; *Niceph. Hist. Eccles. lib.* xii, c. 34); et quidam olim pluris facerent abstinentiam quadrupedum, quam volatilium.

Sed huicce rationi opponunt illud sancti Hieronymi ad Salvinam (*Epist.* 9): « Procul sint a conviviis tuis phasides aves, crassi turtures, attagen Ionicus, et omnes aves, quibus amplissima patrimonia avolant, nec ideo te carne vesci non putes, si suum agrestium, leporum, atque cervorum, et quadrupedum animantium esculentias reprobes; non enim hæc pedum numero, sed suavitate et gustu comprobantur. » Et illud Juliani Pomerii (*Lib.* ii *de Vit. Contem. cap.* 23): « Si a quadrupedibus abstinentes phasianis altilibus vel aliis avibus pretiosis perfruantur, non mihi videntur resecare delectationes sui corporis, sed mutare; nec pro abstinentia, sed velut pro nescio qua immunditia, vel certe, quod verius est, pro stomachi nauseantis teneritudine, delicatas illas et minus communes ac viles carnes abjicere, quo possint aliis non solum carnibus, sed etiam delicatioribus ac pretiosioribus carnibus suas voluptates explere. »

Tertio, ex his S. Hieronymi, et Juliani Pomerii testimoniis inferunt, jam ante S. Benedicti tempora usu receptum esse apud monachos carnes volatilium in cibum assumere. Et ne quis dicat eos quorumdam perversorum monachorum abusum et immortificationem redarguisse, non probasse, præsto est S. Hilarionis viri sanctissimi exemplum (*Lib.* v *de Vit. Patr., libel.* 4, *n.* 15; *et Tom.* I *Mon. Eccles. Græc., pag.* 428), ad quem aliquando in prandio S. Epiphanius avem apposuit; quam ille recusavit dicens: Ignosce mihi, pater, quia ex quo accepi istum habitum, non manducavi quidquam occisum: non dixit quia hoc monachis vetitum est. Et certe S. Epiphanium non latebant monachorum vivendi leges, ut eas a viro sanctissimo violari vellet.

Jam vero post S. Benedictum innumera proferunt monasteriorum bene ordinatorum exempla, in quibus volatilium esus erat in usu: unde si praxis optima sit legum interpres, eo cludunt permissas a S. Benedicto volatilium carnes. Hujuscemodi exempla habemus in Vita S. Bertulfi abbatis Bobiensis auctore Jona monacho ejus discipulo, num. 21 (*Sæc.* ii *Ben.*), in quo præpositus monasterii triginta fratribus vineæ custodibus *anatem* divisisse legitur; in Vita S. Judoci (*Sæc.* ii *Ben.*), qui, ut scribit anonymus in ejus Vita num. 10, *gallinas sibi nutrire consueverat;* in Vita S. Cuthberti (*Sæc.* ii *Ben.*) auctore Beda cap. 36, qui aliquando hospitibus monachis *anserem* exhibuisse dicitur; apud Arnulfum S. Emerammi-Ratisponensis monachum de primis Ratisponensibus scribentem, quod *communiter pauperem annonam habebant, volatilia manducabant* (*Lib.* ii *Dialog*). Et hanc fuisse non singularem quorumdam monasteriorum 526 praxim, sed communem omnium fere consuetudinem, probant ex Regula Magistri, quæ non diu post S. Mauri obitum scripta fuit, hoc est sæculo vii, et magna ex parte constat ex Benedictina; nam loquens de gyrovagis monachis, et rationem reddens quare omni vitæ suæ tempore ternis quaternisve diebus per diversorum cellas et monasteria hospitantur, dicit (*Cap.* 1) quod « pro hospitum adventu a diversis volunt quoti ie noviter suscipi; et pro gaudio supervenientium exquisita sibi pulmentaria apparari, et animantia *pullorum* sibi curant quotidie a diversis hospitibus pro adventu cultro occidi. » Atque item ita se habuisse usque ad tempora Ludovici Pii imperatoris, probant ex additamento ad cap. 27, lib. ii de Institut. cleric. Rabani, in quo legitur: « Sola quadrupedia, non volatilia monachis interdicta. Hoc autem tempore Pii Ludovici sic immutatum esse dicitur, ut in omni eorum pulmento sanguine uti liceat, propter nimiam et aliis damnosam consumptionem volatilium, quam faciebant. » Hæc vero immutatio facta est in concilio Aquisgranensi, in quo statutum est (*Can.* 8), ut volatilia intus forisve nisi pro infirmitate, nullatenus comedant; » ita tamen (*Can.* 78) « ut volatilia in Natali Domini, et in Pascha tantum quatuor diebus, si est unde, comedant: si vero non fuerit unde, non requiratur per debitum. Si autem abbas aut monachi abstinere se voluerint, in eorum sit arbitrio. » Ita nimirum generalem permissionem ad certos dies restrinxit synodus, non quasi præter Regulam aliquid indulgens: id quod factum est ad instar Cassinensium, de quibus Theodemarus abbas ad Carolum Augustum ita scribit: « Volatilia nunquam nisi die Natalis Domini, si est unde, usque ad dies octo comedimus. Similiter etiam Paschalis festi diebus. » Hujusmodi consuetudo vigebat etiam in Parisiensi Sancti Germani monasterio, ut patet ex diplomate Ludovici et Lotharii imperatorum apud Aimonium (*Lib.* v *de Gest. Franc. cap.* 10), quo decernunt ut monachis dentur « annis singulis volatilia cum ovis de duobus festis, id est Paschæ et Natalis Domini; » et in Fontanellensi ex Constitutione S. Ansegisi abbatis (*In Chron. Font., Spicil. tom.* III) de victu et vestitu monachorum, in qua assignat ad Nativitatem Domini et ad Pascha *aucipastas, pullipastus, et pullos*.

Ad hæc omnia exempla et ad decretum concilii Aquisgranensis respondet Boherius: « Nisi Regula hæc hoc præcessisset concilium, putassem hunc paragraphum inde sumpsisse causam, unde credo econtra, ut ipsum videlicet concilium ex fine hujus capitis male intellecto præbuerit causam edicti. Absit enim quod Magister bipedales carnes cœnobitis concesserit, considerando pedum numerum, non avium dulcorem. » Hæc sunt præcipuæ primæ sententiæ momenta, ad secundam venio.

Secunda sententia, primæ omnino opposita, cum tertia convenit in eo quod volatilia sanis interdicta esse asserat; discrepat vero in eo quod etiam infirmis ea auferat. Et quidem sanis vetita esse volatilia probant auctoritate omnium qui ab annis circiter nongentis super Regulam Benedictinam scripserunt auctorum, una excepta S. Hildegarde. In primis Smaragdus mentem suam satis explicat dum adducto 527 præsenti Regulæ textu, S. Aureliani et S. Fructuosi decretum, quo sanis altilia prohibentur, profert, quorum testimonio S. Benedicti vocem obscuram explicat ac perspicuam facit. Similiter Hildemarus, quamvis aliquando dubius hæsisse videatur an volatilia S. Pater permiserit, tamen abstinentes laudat; aliisque in locis omni postposito dubio constanter negat concessas avium carnes, ut videre est in locis supra citatis, tum hoc capite tum cap. 36. Idem docent Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Richardus de S. Angelo, Petrus Boherius, Joannes de Turrecremata, Theobaldus Artaldus, Joannes Craesbeeck, Matthias Lambertus, Nicolaus Bravus, Hugo Menardus, Benedictus Haeftenus, et alii.

Ratio est a fortiori. Si enim grossiores quadrupedum carnes sanctus Benedictus vetuit, multo magis suaviores dulcioresque volatilium. Nam mens SS. doctorum est in minori comprehendere majus: quare cum minus delicatas esse quadrupedum carnes quam avium, usus et experientia docuerit, haud dubium quin quadrupedia vetando, vetuerit et altilia. Ita fere argumentantur Hildemarus, Bernardus Cassinensis, Richardus, et alii.

Deinde « minime credendum est, inquit Menardus, a S. Benedicto tales institui monachos, qui pedum

numero delicias escarum dijudicent, cum ipse capite 36 Regulæ carnis esu exceptis ægrotis monachis arceat. Nec vero inferri potest quadrupedum interdictione volatilium esum esse permissum; nam cum unum prohibetur, non statim alterum permitti concludendum est, ut Levit. xix, cum dicitur, *Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum:* male quidem inferret aliquis ex ejusmodi legibus permitti non surdis maledicere, et videntibus ponere offendiculum; quia potest accedere peculiaris ratio, ut ejusmodi prohibitio fiat, etiamsi alterum expresse non prohibeatur. »

Sed ad id quod ex cap. 36, ubi carnes absolute interdicuntur, infertur, respondent alii veteres aves sub carnis nomine non comprehendisse, imo utrumque distinxisse, ut videre est in Regula S. Cæsarii (*Cap.* 21) : « Pullos et carnes nunquam sani accipiant; » et in Vita S. Pardulfi (*In ejus Vit. Sæc.* 3) qui « nunquam carnium, neque volatilium esu usus esse » dicitur.

Tandem hisce rationibus atque auctoritatibus accedit praxis omnium fere congregationum in quibus illibata Regulæ observatio viguit. Nihil enim de volatilium esu in antiquis Cluniacensis monasterii Consuetudinibus ab Udalrico collectis, imo propter eum punitus aliquando monachus legitur in Vita S. Odonis; nihil in Statutis Lanfranci, Concordia Dunstani, libro Usuum Cisterciensium, Declarationibus Cassinensium, Camaldulensium, aliorumque monachorum. Exstantque non paucæ veterum Regulæ, in quibus volatilia expressis verbis prohibentur, ut sunt Regulæ sancti Cæsarii, sancti Aureliani, sancti Fructuosi, et Solitariorum.

Jam vero quod etiam infirmis volatilia S. Benedictus abstulerit, **528** hoc se probare existimant argumento. S. Pater carnes infirmis concessit solum pro reparatione, non concupiscentiæ explendæ gratia; at pro reparatione solæ sufficiunt quadrupedum carnes; solas ergo concessit. Deinde cum cap. 36, omnes sanis carnes prohibuerit, et aliquas ægris permiserit, hic ostendens quasnam indulserit, solas quadrupedum nominat; quasi diceret: Omnes a carnibus abstinere debent, præter infirmos, quibus quadrupedia concedo. Ita fere ratiocinatur Julianus Parisius in lib. de Prima vivendi Ratione Cisterc. part. iii, cap. 2, sect. 2.

Sed isti opponitur tertia sententia, quæ tenet omnes tam volatilium quam quadrupedum carnes sanis esse vetitas, utrasque infirmis esse permissas. Et quidem prohibitas esse sanis volatilium carnes probat argumentis supra relatis. Posse vero infirmos licite volucres edere demonstrat ex communi omnium veterum consensu. Et quidem non defuerunt qui concessa sanis altilia existimarent; at qui ea infirmis esse denegata ante Julianum Parisium novi neminem; vixque in animum potest induci, hoc sibi monachos aliquando persuasisse, ut crederent sanis concessa esse volatilia, si quando iis vesci fuisset infirmis illicitum. Remansisset enim aliquod antiquæ traditionis vestigium, quo ab ausu tali revocati fuissent; agnoscentes nimirum quod si ab esu volatilium S. Pater interdixisset infirmos, multo magis sanos. Et sic ab esu quadrupedum abstinentiam violare cœpissent, ut potentioris momenti; nemo enim derepente fit pessimus, sed a minimo incipit. Et tamen supra vidimus in monasteriis probe ordinatis volatilium esum cum abstinentia quadrupedum.

Neque etiam insolitum fuit apud veteres monachos infirmis concedere volatilia: exstat hac de re decretum in Regula S. Cæsarii ad monachos cap. 24, et in Regula S. Aureliani ad monachos cap. 51, et ad virgines cap. 54 et 35, a nobis supra citatum; quibus accedit Regula S. Fructuosi cap. 5, omnibus esum carnium prohibens, « servato tamen moderamine pietatis erga ægrotorum necessitudines, vel longe proficiscentium qualitates, ut et volatilium esibus infirmi sustententur, et longinquo itineri destinati, si aut a principe vel episcopo sperantur, pro benedictione et obedientia degustare non metuant, servantes apud se de reliquo continentiam consuetam. » His adde Regulam solitariorum cap. 45, et conc. Aquisgr. can. 9.

Confirmatur ex praxi, et quidem non posteriorum temporum, sed S. Benedicto omnino viciniorum. Cujus illustre habemus exemplum in Vita S. Juniani abbatis Mariacensis, qui sancti Benedicti Regulam a B. Mauro acceperat, eique tribus duntaxat annis supervixisse creditur. Hic, ut scribit Ulfinus Boetius (*Sæc.* I *Ben.*) : « Propter usus monachorum, et maxime pauperum, cœpit enutrire animalia, quibus posset humana fragilitas sublevari; nam et pullorum nutrimenta plurima congregavit, quorum carnibus infirmorum inopiam sustentaret, et ova sumptibus egentium deservirent. » Aliud exemplum profert Vita S. Agnelli abbatis (*Sæc.* I *Ben.*), qui in constructo a se xenodochio gallinas infirmis ministrasse **529** dicitur num. 2. De S. Benedicto Anianensi abbate quoque scribit Ardo (*Sæc.* 4 *Ben.*), quod « carnem quadrupedum a die conversionis suæ usque ad extremum vitæ edere noluit; jus e pullo compositum sumebat, si aliqua accessisset debilitas. » Denique S. Ansegisus abbas Fontanellensis in sua de victu monachorum Constitutione, ad ipsam infirmorum domum concedit *mutones, berbices, pullos, et ova.*

Ex his tribus opinionibus de mente S. Benedicti liberum unicuique cedimus quam voluerit sequi, probantes interim eos qui volatilia sanis omnino auferunt. Nam etsi verum esset ea a S. P. Benedicto non esse interdicta, non tamen inde sequeretur monachos ex professione sua pœnitentiæ addictos libere posse iis vesci; quæ si non sunt vetita ex vi verborum Regulæ, non minus sunt prohibita ex vi professionis monasticæ, quæ volatilium delicias regum conviviis relinquit.

Quartam sententiam tradit Boherius in primo comment., ubi sic discurrit: « Nota si vis verum capere intellectum. Magister ponit tres hominum conditiones in hac Regula. Primi sunt sani, et hi nullis omnino debent vesci carnibus. Secundi sunt debiles et ægroti, quibus pro sustentatione naturæ solum conceditur esus carnium quadrupedum, ut hic; et intelligo hic debiles, decrepitos, vel præcedentibus infirmitatibus debilitatos; ægrotos vero patientes, sed non continue, ut capite, ventre, aut renibus; sicque expone hic omnino, id est secundum veritatem, vel id est non ficte. Tertii vero status infirmi, in quibus simpliciter conceditur pro reparatione naturæ esus carnium; unde nedum quadrupedalibus, imo et carnibus bipedalibus quæ sunt magis reparativæ et nutritivæ, vesci possunt. » Idem docuisse videtur Guido Juvenalis in sua versione Gallica: quanquam ex eodem Guidone, aut ejus correctore monacho Claravallensi quintam sententiam proferat Haeftenus, quæ censet (*Lib.* x, *tract.* 6, *disq.* 2) « vegetis ac sanis omnem carnis esum, ægrotis vero quadrupedum tantum interdictum, adeo ut solis volatilibus in morbo vesci fas sit; » carnibus quadrupedum non, nisi ubi sanitati infirmorum conveniunt, concessis, id quod raro contingit. Hæc sententia refutatione non indiget.

Neque vero simpliciter dicit S. Benedictus a carnibus quadrupedum esse abstinendum, sed *omnino*, inquit, sive ut in quibusdam codicibus legitur, *omnimodo abstineatur comestio.* « Quia, inquit Bernardus Cassin., non debent comedi secundum hanc Regulam frustatim carnes incisæ, et hoc est *omnino.* » Addit Boherius: « Et est contra illos qui carnes capulatas in refectorio comedunt, quas vocant mortarolum, asserentes forsan post hujusmodi trituationem carnium speciem minime remanere, quia, ut dicitur primo Physicorum, in divisione carnis contingit devenire ad carnem minimam; quæ si ultra dividatur, non remanebit species carnis. » Ubi observare obiter licet quo tandem homines pepulerit

circa carnes edendi cupiditas, ut etiam abstinentiam se violare minime crederent, si minutas ante carnes comederent; quasi **530** vero aliter quam minutas saltem dentium ministerio carnes manducari possent. Sed huic morbo remedium afferre conatus est Gregorius papa IX hoc edito statuto (*In Constit. pro monac. Benedict.*) : « Et sicut interdicimus esus carnium, ita farsaturas de certis carnibus denegamus. »

Quod autem hic de carnibus minutis dicitur, idem de adipe asserendum est : « De pinguedine, inquit Hildemarus, scimus quia caro quadrupedum est, manifestum est quia non est manducanda. » Ejus tamen usum monachis indulsit concil. Aquisgran. concedens (*In cap.* 36), « ut fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, excepta sexta feria, et diebus octo ante Natale Domini, et a Quinquagesima usque ad Pacha. » Quod statutum paulo r strinxere postea Cluniacenses, in Septuagesima adipem cum *alleluia* sepelientes, quæ consuetudo in omnibus passim monasteriis recepta fuit, ut videre est in Concordia Dunstani, in Statutis Lanfranci, in mss. Germaniæ Consuetudinibus, et in libro Usuum Bercensium. Imo toto etiam Adventu adipem auferunt Dunstanus, Lanfrancus, et Petrus Venerabilis. At quod sextam feriam ab esu pinguedinis eximunt Patres Aquisgranenses non videntur observasse Cluniacenses, quibus postmodum Petrus Venerabilis jussit (*Statut.* 10), « ut universi fratres Cluniacenses omni sexta feria præter Nativitatem Domini, si eadem die occurrerit, ab adipe abstineant. »

Hujus indulgentiæ causa duplex afferri potest. Prima fuit in compensatione volatilium, quorum usum excepta Nativitate et Resurrectione Domini prorsus sustulerat. Ita docet additio ad cap. 27, lib. II, Rabani de Institutione cleric., ubi legimus, « sola quadrupedia, non volatilia monachis interdicta. Hoc autem tempore Pii Ludovici sic immutatum esse dicitur, ut in omni eorum pulmento sanguine uti liceat, propter nimiam et aliis damnosam consumptionem volatilium, quam faciebant. » Altera fuit propter defectum olei, ut discimus ex Ruperto (*Lib.* IV, *in Reg. S. Ben.*), cum respondens clericis regularibus, hoc nomine se monachis præferentibus, quod usum adipis sponte abjecissent, ait : « Hoc neque illis augere, neque his minuere altitudinem meriti; Ecclesiæ namque Dominus claves regni cœlorum in B. Petro tradidit : Ecclesia autem tantam potestatem habens generali synodo monachis, quoniam olei copiam non haberent, non carnes, sed carnibus cognatum indulsit adipem. » Eo respexisse videtur Grimlaicus in Regula solitariorum statuens (*Cap.* 45), ut « in his regionibus ubi defuerit oleum, si necessitas exposcerit, adipe utantur interdum. »

Quod de carnibus minutis ac de pinguedine, idem de ovis, quæ sunt de ipsissima gallinæ substantia judicium ferendum est ab iis qui negant volatilia a sancto Benedicto indulta; unde et sanctus Junianus in suo monasterio (*In ejus Vita*) « pullorum nutrimenta plurima congregavit, quorum.... ova sumptibus egentium deservirent, » non monachorum. Et tamen Leo abbas Cavensis *ova gallinacea* hospitibus exhibuisse perhibetur in lib. III Dial. sancti Victoris papæ, cap. 8.

De lacte, butyro, et caseo, in quibus major est difficultas, audiendus **531** est Boherius. « Quamvis siquidem in hac parte prædicer rigorosus, et os meum condemnet me, puto plane quod regulari honestate valentes corpore cœnobitæ uti non possint adipe, lacte, ovis, ac caseo; par enim est, inquit canon Gregorii, ut qui a carne animalium abstinemus, ab omnibus quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus. » Constat tamen veteres monachos, ipsos etiam Cistercienses lacte et caseo frequenter usos fuisse. Et certe, uti observat Hildemarus, « lac et caseus non est caro, quanquam de carne exeant, eo quod non caro in lac vertitur, sed ipse cibus vertitur in lac Dei dispositione ad filios Christi nutriendum;

A quemadmodum vinum quod de vite exit non est vitis, nec oleum quod de ligno, est lignum; sed succus terræ, qui et in vinum vertitur et in oleum.

Quid vero censendum est de his qui carnis abstinentiam violant? Hos Petrus Venerabilis *corvinos* monachos ac ferinos vocat (*Lib.* VI, *epist.* 15), qui sanguineis dapibus jugiter inhiant; S. Odo incunctanter *apostatas* appellat (*Lib.* III *Collat. num.* 17): « An non est apostasia, inquit, de habitu et victu traditiones Patrum contemnere, cum Deus terminos Patrum transgredi interdixerit, despectaque victus qualitate vel quantitate per B. Benedictum præfixa, sanguineas dapes cum filiis Israel desiderare? » Et certe abstinentia a carnibus inter præcipua vitæ monasticæ instituta semper considerata est; unde etiam sanctus Vitalis abbas ordinis sancti Basilii (*In ejus Vita, n.* 18 *apud Bolland.*) successorem suum instituens, inter alia jubet ut « in monasterio carnes comedi non permittat; » quam legem etiam ad fabros

B aliosque sæculares operarios intra monasterii terminos laborantes extendebat sanctus Theodorus Siceota (*In ejus Vita n.* 63, *Boll.* 22 *April.*), quos ea de causa ad oppidum remittebat. Imo inter objecta Græcorum tempore Michaelis Cerularii Latinis improperarunt (*Humberti lib. contr. Græc. calumnias*), quod sanctus Benedictus infirmis carnis esum concedit; et inter querelas quas Innocentii III tempore adversus Latinos renovarunt, quinquagesima tertia hæc erat : *Ipsorum monachi carne vescuntur*. Quid quod monachis ad Ecclesiæ dignitates assumptis, extra infirmitatis necessitatem, carnibus vesci prorsus illicitum erat? Cujus rei illustre habemus exemplum in persona Hincmari ex monacho Dionysiano archiepiscopi Rhemensis, quem ex morbo recens convalescentem Pardulus Laudunensis episcopus monet, « ne a lardo sive quadrupedibus abstineat, donec sanitas confirmetur, et sic ad siccos, et miseros, tardioresque monasticos cibos red a ur. »

C Quapropter haudquaquam mirum videri debet si sanctus Fructuosus monachum qui abstinentiam « violaverit, et contra sanctionem regulæ usumque veternum, vesci carnibus præsumpserit, sex mensium spatio retrusioni et pœnitentiæ » subjacere decernat (*Cap.* 5). Quæ totidem verbis in excerptis ex lib. II Pœnit. Egberti episcopi Eboracensis leguntur (*Apud Spel. tom.* I *Conc. Angl.*). Et Gregorius IX in sua Constitutione pro monachis Benedictinis : « Si quis, inquit, comedere carnes contra prædicta præsumpserit semel vel etiam secundo, regulari subjaceat disciplinæ : si tertio, quarta et sexta feria proximis in pane et aqua jejunet. Quod si in consuetudinem **532** duxerit, subjaceat gravi culpæ. Abbas autem si in hoc deliquerit, secunda, quarta, et sexta feria sit pane et aqua contentus. Si autem in consuetudinem duxerit, nec monitus a diœcesano, vel visitatoribus corrigere voluerit, administratione privetur. » Simili fere modo Benedictus XII in bulla ad monachos Cistercienses jubet ut monachus vel conversus abstinentiæ transgressor, « tribus diebus pro qualibet

D carnium vel dictorum pulmentorum comestione jejunare in pane teneatur et aqua; et quod nihilominus quolibet ipsorum dierum in capitulo regularem accipiant disciplinam. Sed abbas inhibitionis præfatæ transgressor non ad disciplinam ipsam, sed ad hujusmodi jejunia teneatur. Et si scienter hæc omiserit negligenter facere observari, etiam ex negligentia hujusmodi teneatur ad jejunia prælibata : quæ quidem pœnæ nulli remitti valeant, nec super eis vel ipsarum parte aliqua cum aliquo dispensari. Quod si aliqui super esu carnium vel pulmentorum prædictorum sæpe inventi fuerint delinquentes, seu esum ipsum contra ordinationem hujusmodi frequentantes, et per abbates proprios quod a talibus abstineant canonice moniti non destiterint, sint post monitionem hujusmodi per biennium eo ipso inhabiles ad quæcunque officia et administrationes in eodem ordine obtinenda; obtinentes vero illa removeantur, si abbatibus

eorum visum fuerit. » Præterea in libello Antiquarum Definitionum ord. Cisterc. hæc lego (*Dist.* 13. *c.* 2) : « De carnibus edendis seu ministrandis illud irrefragabiliter teneatur, quod in R. Benedicti Regula continetur. Igitur extra infirmitoria nostra carnes nullatenus a personis ordinis comedantur, nisi a transeuntibus magnum mare, quandiu fuerint in mari. Qui contra fecerit, in sententiam excommunicationis incidet ipso facto. Et si officialis fuerit, ab officio deponatur, nec deinceps ad aliquod officium promoveatur sine licentia capituli generalis. Monachus vero vel conversus non officialis pro qualibet vice per mensem privatus maneat habitu regulari. Eidem pœnæ subjaceant moniales, conversi, et capellani earumdem, licet nobis in habitu sint difformes. » Qui abstinentiæ a carnibus transgressionem inter leviores culpas recensent, dubito an pro levi et veniali transgressione taliter plecti vellent. Certe Casalini abstinentiæ transgressores aut carnes hospitibus in monasterio apponentes, tot diebus jubent in pane et aqua jejunare, absolutionemque a tali peccato abbati reservant ex mss. Constitut. cap. 56. Taceo pœnas divinas, quibus in hujusce statuti infractores supremus rerum Arbiter non semel ultus est. Aliqua hujusm di vindictæ exempla offendes apud Joannem monachum in Vita sancti Odonis. At prætermittere nequeo quod de Laudunensi sancti Joannis monasterio scripsit Hermannus monachus (*Lib.* III *de Mir. S. Mar. Laudun.*), scilicet quod « nullum quadrupes animal intra murum seu portam abbatiæ intrare poterat, quod non statim in rabiem et in insaniam verteretur. Unde etiam si quando rex, vel episcopus, vel alii principes ad ipsam abbatiam veniebant, omnes equos eorum extra portam oportebat dimitti, et ipsi pedites ad ecclesiam procedebant. »

533 Sed quæritur num saltem abbas cum fratribus dispensare possit a carnis abstinentia? Quæstionem solvit Petrus Venerabilis, edito statuto (*Statut.* 12), « ut exceptis infirmis, et omnino debilibus, carnibus nullus vescatur. » Cujus statuti rationem reddens ait : « Causa hujus instituti fuit ipsa Regulæ auctoritas, in qua hoc idem præcipitur, et ne sanus, et integris viribus monachus carnem comedat prohibetur. Insuper etiam quia nulla rationabilis causa mutandi hujus capituli inveniri poterat, sicut in quibusdam aliis ejusdem Regulæ olim mutatis capitulis a Patribus inventa est. » Et ad priores custodesque sui ordinis scribens (*Lib.* VI, *epist.* 15) : « Et ne, inquit, tibi recurrere liceat ad id quod soles, ut dicas et hoc capitulum (scilicet Regulæ 39) sicut et alia quædam a sanctis quibusdam Patribus certa ratione mutatum. Respondeo aliter est. Si enim de novitiis suscipiendis, si de opere manuum, si de vestibus et quibusdam aliis similibus a bonis Patribus post sanctum Benedictum mutatum est, non dubia, sed certa et rationabili causa factum est : et causa vel ratio, quia bis a me in duabus epistolis domno abbati Claravallensi directis studiose descripta est, hic iterare superfluum judico : si adeo studiosus fueris, ibi plene reperies. At hujus capituli prævaricatio qua ratione excusabitur? Qua causa sospes et integris viribus monachus carnibus utens reus non esse monstrabitur? Dic, quæso, si quid habes, et aliqua vera vel verisimilis ratio est. Carnes tibi si potes vindica. Non habes, non habes, inquam, ut æstimo quid dicas; non habes plane unde perjurii nævum, ne dicam noxam expurges : obviat Regula, contradicit justitia. » Cum ergo frangendæ absinentiæ a carnibus causa rationabilis afferri nulla queat, manifestum est nec abbatem cum monachis circa esum carnium dispensare posse, nisi forte in certis quibusdam casibus extraordinariis, qui vix intra mille annos semel eveniunt. Cæterum nedum nobis reperire licuit summorum pontificum bullas monachis Benedictinis ter in hebdomada carnes edendi licentiam facientes; aut si quæ sunt, certis quibusdam monasteriis pro causa rationabili, et hoc forte ad tempus, non vero omnibus et pro semper datæ fuerunt. Imo non pauca occurrunt conciliorum decreta quibus intermissa in cœnobiis a carnibus abstinentia restituatur.

CAPUT XL.

De mensura potus.

Unusquisque proprium habet donum ex Deo : alius sic, alius vero sic. Et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus aliorum constituitur. Tamen infirmorum contuentes [a] imbecillitatem, credimus heminam **534** vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant.

Quod si, aut loci necessitas, vel labor, aut ardor æstatis amplius [b] poposcerit, in arbitrio prioris consistat, considerans [c] in omnibus, ne subrepat satietas aut ebrietas : licet legamus, vinum omnino monachorum non esse. Sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius : quia vinum apostatare facit etiam sapientes. Ubi autem loci necessitas exposcit, ut nec supra scripta mensura inveniri possit, sed multo minus [d], aut ex toto nihil; benedicant Deum qui ibi habitant, et non murmurent. Hoc ante omnia admonentes ut absque murmurationibus sint [e].

[a] Hild., *Considerantes.* Oxon., *cogitantes continentiæ.*
[b] Conch. deest *amplius.*
[c] Al., *considerantis.*
[d] Conc., *sed minus.* Hild., *sed multum minus.*
[e] Al. addunt *fratres.*

COMMENTARIUS.

Unusquisque proprium habet donum ex Deo : alius sic, alius vero sic.] Ex hoc Apostoli effato regulam victus aliorum S. P. Benedictus accepit, ut nimirum juxta acceptum a Deo donum unicuique tribuatur : quam pariter normam in Regula sibi ab angelo tradita secutus est S. Pachomius (*In ejus Vita*), singulis juxta vires suas edere concedens et bibere; pro modo vescentium laborare compellens, neque comedere modeste, neque jejunare prohibens.

Et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus aliorum constituitur.] Eamdem difficultatem olim expertus est Cassianus, uti ipse testatur in lib. V, cap. 5.

Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem.] « His

infirmorum imbecillitatem non pro corporis ægritudine, sed pro animi dicit imbecillitate, inquit Smaragdus; non enim abstinentiam exterius corpus valet implere, nisi ei interius animus consenserit abstinere; multi enim abstinere poterant propter concessam salutem: sed non valent propter animi imbecillitatem. » Eodem modo loquuntur Hildemarus, Bernardus Casinensis, Richardus de S. Angelo, Boherius, et alii. Unde merito redarguas Antonium Perezium, qui solis existimat debilibus concessam a sancto Benedicto vini heminam. Sane **535** cum sanctus Pater tarde venientem ad mensam solum reficere jubet, *sublata ei portione sua vini*, non de infirmis debilibusque loquitur, sed de sanis maxime. At de his videsis Haeftenum lib. x, tract. 4, disq. 3.

Credimus heminam vini per singulos sufficere per diem.] De nomine heminæ consentiunt inter se viri eruditi; at de mensura ipsa non parum litigant. Jacobus Brolius Parisiensis Sancti Germani monasterii monachus, vir doctus et religiosus, varias diversorum sententias refert, nulli tamen certo adhærens. Prima est Petri Masii abbatis Casalis Benedicti, qui in Constitutionibus suæ congregationis (*Const. ms. Casalis Ben.*, *cap.* 57) heminæ mensuram ita definit: « Hemina, sicut a quibusdam expositoribus Regulæ accepimus, est mensura continens unam libram cum quarta parte alicujus liquoris; et est quasi tertia pars quartæ vini Parisiensis. » Secunda est Smaragdi, qui sanctum Isidorum describens (*Isid. l.* xvi *Orig.*, *c.* 25): « Hemina vini, ait, appendit libram unam, quæ geminata sextarium facit. » Cujus opinionem sequitur Julius Rhodiginus lib. xxviii Antiq. Lect. Tertia est Fossatensium, qui quondam duo pondera plumbea ostendebant; unum panis unciarum triginta trium cum dimidia, alterum vini unciarum triginta quinque. Quarta Casinensium, qui in suis super Regulam Declarationibus asserunt heminam esse « multo plus quam communi necessitati unius monachi sufficiat. » Quinta eorum qui « heminam Benedictinam Dionysianæ Parisiorum pintæ æquant. » Ac tandem ita concludit: « An vero æneum vas, quod Fossatenses ostendunt, sit illud B. Mauro a sancto Benedicto datum, non satis constat. » Ex his postremis verbis patet Brolium Fossatensem heminam pro Benedictina non agnovisse, sed nec ulli prædictarum opinionum adhæsisse; cujus proinde mentem non satis assecutus est Gallicus dissertator de hemina vini et libra panis Benedictina, ut illum tam mordaci laceraret censura, quam sane non meruit vir optimus et doctus; qui si quid aliquando erravit, error aut excusandus, aut certe non ita efferendus. Et revera cum nullam amplexatus sit sententiam, si Fossatensem referens mensuram addidit: « Et hæc quidem sobrio, pulmonisque in integritate conservandi studioso monacho sufficere poterat, cheopina in prandio, et altera in cœna seu collatione sumpta; » jöculariter et ironice locutus fuisse potius credendus est. At num Brolium aliquando legerit dissertator, merito dubitaveris: nam discutiens discrimen quod inter ostensas Boherio et Brolio in Fossatensi monasterio mensuras intercedit, absolute dicit Boherio monstratam fuisse mensuram, Brolio econtra pondus; deinde datam S. Mauro a B. Benedicto heminam fuisse æneam; Brolio monstratum fuisse pondus plumbeum. Sed an ista conveniant cum Brolii textu judicent æquiores viri. *An vero æneum vas*, inquit Brolius, *quod Fossatenses ostendunt, sit illud B. Mauro a S. Benedicto datum, non satis constat.* Certe ecce *vas*, et illud *æneum*, quod tamen non vetat quominus una cum vase pondera etiam asservata fuerint in Fossatensi monasterio. Et hæc obiter dicta sint, non quasi approbando amplas illas mensuras vini, quas ultro rejicio.

536 Oppositam omnino præfatis auctoribus sententiam secutus est Menardus noster. Hic majori cum examine res discutiens, advertit heminam esse semisextarium, eamque constare sex cyathis, cyathum drachmis decem, ac consequenter heminam drachmas A habere sexaginta; unde cum unciam non efficiant nisi drachmæ octo, intulit heminam *non plus pendere quam septem uncias et semis.* At Menardi computum de Græcorum, non de Romanorum hemina intelligendum esse existimavit Gallicus dissertator.

Paulo liberalior fuit Nicolaus Bravus, auctor Hispanus: nam uncias omnino decem heminæ dedit. Eamdem esse heminæ mensuram docuit dissertator Gallicus a nobis jam citatus, eo in libello quem de hemina vini Benedictina anno 1667 Parisiis publici juris fecit. Is enim probat heminam esse semisextarium; sextarium sextam congii partem; congium unciis constare omnino centum viginti; cujus rei periculum factum esse asserit ad antiquum congium, qui Romæ in ædibus Farnesianis asservatur; ex quo intulit heminam uncias plus quam decem continere haud posse. Sed quidquid sit de congio Farnesiano, qui tamen facta proportione ad veteres uncias Romanas, non omnino inventus est ex æquo respondere, tota dissertatoris disputatio super Romanam, non B super Benedictinam heminam cadit; quod interim demonstrandum incumbebat.

Mediam, et quidem, ut mihi videtur, tutiorem init viam noster Mabillonius, uncias decem et octo divinæ Benedictinæ heminæ tribuens. Is occasione data decem annis post editam dissertationem Gallicam in præfatione prima ad sæculum iv Benedictinum, laudata imprimis dissertatoris eruditione, concedit quidem veterem heminam Romanam decem tantum unciis constitisse, at de qualibet hemina id dici posse negat, aitque pro variis regionibus, variisque temporibus, etiam variasse mensuras ac pondera: id quod probat tum ex præcepto Caroli Calvi pro stipendiis clericorum Sancti Petri, qui sanctimonialibus Suessionici Beatæ Mariæ Parthenonis subjecti sunt, quo singulis sacerdotibus per singulos dies *heminam, id est tres libras* vini tribuit; tum ex vetustissimo auctore, quem in Rhemensi Sancti Remigii archimonasterio sæculo ix describebat Bertigarius monachus; qui C auctor vetustissimus in tractatu de Ponderibus et Mensuris de hemina sic loquitur: « Apud quosdam cyathi novem heminam facere videntur, quod sunt drachmæ nonaginta. Apud quosdam vero acetabula quatuor, quod sunt drachmæ quadraginta octo. Hemina autem juxta quosdam appendit libram unam; apud quosdam vero libram et dimidiam. » Deinde quibusdam aliis de sextario, de chœnice, et de congio interjectis, addit: « Sed has mensuras ad votum principum vel judicum esse deprehendimus. » Quod confirmat concilium Aquisgranense anni 816, cap. 122.

Ex his concludit, 1° incertum esse an permanserit Romæ adusque sancti Benedicti tempora antiquæ mensuræ norma; 2° etiamsi Romæ **537** permansisset, dubium esse num tota viguerit in Italia, variæ enim pro variis locis ac civitatibus passim habebantur mensuræ; 3° etiamsi in tota Italia viguisset, sanctum Benedictum potuisse, et revera instituisse novam vini heminam. Et certe id probant ea argumenta quæ superiori capite de libra panis exposuimus; quæque D ex æquo militant pro hemina vini.

Jam vero quantum caperet concinnata a sancto Benedicto hemina investigans, supponit conservatam fuisse in Casinensi monasterio ad usque tempora Caroli Magni: quod facili negotio probari potest. Deinde Carolum Magnum missos direxisse Cassinum, qui prædictam heminæ mensuram cum libra panis in Galliæ monasteriis promulgandam ad se deferrent; eamque a Theodemaro abbate missam revera accepisse; et ex decreto concilii Aquisgranensis in omnibus Galliæ monasteriis tempore Ludovici Pii imperatoris fuisse receptam. Quod probat ex Hildemaro auctore coævo, qui hunc Regulæ sancti Benedicti locum explicans, hæc habet: « Unde Carolus rex qualiter ipsam heminam intelligere ac scire potuisset, misit Beneventum ad ipsum monasterium videlicet sancti Benedicti; et ibi reperit antiquam heminam; et juxta illam heminam datur monachis vinum; si-

militer et juxta illam habemus et nos. » Ex hoc testimonio cum perspectam omnino sancti Benedicti heminam habuerit Hildemarus, eam paulo largiorem fuisse Romana demonstrat ex alio ejusdem Hildemari loco ejusdem capitis, ubi exponens sancti Benedicti sententiam crapulæ occasionem a monachis amovere volentis, ait minuendam esse mensuram ei « qui de sola heminæ mensura crapulam sentit, id est qui aut in locutione, vel in ingressu vacillat. » Quod nulli quantumvis infirmo capiti accidere posset, qui unico semisextario Papiensi in diem uteretur. Ad hoc argumentum quid respondere posset dissertator plane non video; unde et illud in suis responsionibus tanquam nimis incommodum silentio præteremisit. Idem tamen demonstrari posse videtur ex Regula sancti Fructuosi capite 5, quæ sextarium inter quatuor fratres dividi jubet, hoc est unicuique mediam heminam tribuit. Nam si adeo parva fuisset heminæ mensura, satius omnino fuisset, vinum prorsus auferre monachis, quam tantillum per diem concedere.

Postea heminæ capacitatem amplius discutiens rem factis demonstrandam esse asserit; atque imprimis exemplum ex Regula Magistri (*Cap.* 27) petitum profert, ex qua tres in hemina calices comprehendi demonstrat. Hæc Regula Magistri non suam singulis fratribus heminam sive vas vinarium assignat, sed ex eodem vase omnibus misceri præcipit, primo quidem æstivo tempore singulis singulos *meros*, id est meri calices, deinde *caldos omnibus quaternos extra illum merum; et, cum ad sextam reficitur, ternas sera potiones.* Hieme vero ad refectionem sive sextæ, sive nonæ *caldos* duntaxat *ternos.* Ne quis autem in tali institutione abusus subreperet, ipsam calicis mensuram, in qua singuli biberent, determinavit, ne forte plus quam par esset, aliquis vini exhauriret. **538** *Calix vero*, inquit, *seu galleta, per quem erit in diversis vicibus ministrandum, talis sit, qui tertius impleat mixtam heminam.* Tres ergo hemina calices continebat, quos ubi aliquis ministrasset, mixta, id est jam propinata esset hemina.

Id confirmat ex Regulis sancti Fructuosi et sancti Isidori, qui Benedictinam præ oculis habuerunt, ejusque ritus expresserunt, cum suam condiderunt. Nam ex Regula sancti Isidori (*Cap.* 10) *ternis poculis fraterna reficienda est sitis*, et S. Fructuosus (*Cap.* 5), qui privatis diebus semiheminam concedit, in præcipuis solemnitatibus *tres* fratribus *potiones* indulget, hoc est integram heminam.

Eamdem sententiam amplius confirmat ex Statutis sancti Adalardi abbatis Corbeiensis, qui in Cassinensi monasterio diu versatus fuerat, et Statuta anno 822, hoc est annis post synodum Aquisgranensem quinque conscripsit. Is in lib. I, cap. 4 (*Spicil. tom.* IV), præscribit ut duodecim canonicis quatuor sextarii dividantur, *ita ut unusquisque accipiat calices duos.* Quo ex loco patet sextarium in Corbeiensi monasterio sex calicibus constitisse, ac consequenter heminam tribus; et quidem cervisiæ, quæ aqua non diluitur. Ex quibus omnibus infert, cum ad moderatum haustum minus sex vini unciis absumi vix possit, heminam uncias ponderales circiter decem et octo continere. Ac tandem rem totam ita concludit : « Quæ hactenus de hemina Benedictina dixi, non ita accipi velim, quasi rem ipsam me attigisse putem, aut monasticæ temperantiæ modum ampliari velim. » Et certe non timendus est excessus, aut abusus, si decem vel duodecim vini uncias ad prandium, et sex vel octo ad cœnam concesseris.

Id nihilominus timuit dissertator Gallicus : quapropter superiori anno 1688 alteram libelli sui de hemina vini et libra panis Benedictina editionem publici juris fecit, in qua nonnullis quidem mutatis, primam sententiam sine novis probationibus proposuit, nonnulla interim subjungens responsa ad prædictam Mabillonii præfationem, solo veritatis intuitu, uti ipse testatur, non contentionis aut vincendi studio; quamvis de victoria sibi non semel blandiatur, adeo valide, ut ipse sibi persuadet, responsdens objectis, ut in posterum nullus sit deinceps insurgendi locus.

Hanc secundam ejus lucubrationem cum legisset præfationis auctor, et requisitus quid de ea sentiret, pro innata sibi modestia humiliter respondit, non deesse sibi argumenta atque auctoritates veterum scriptorum, quibus tota dissertatoris disputatio cum suis responsis subvertatur; at nolle se heminæ ac potationis patronum exhibere. Ejus ego vestigiis lubens insisterem, dissertatorisve rationes silentio prætermittens, cum in bona, qua versatur, fide, de heminæ mensura valere juberem, illud Ambrosii recolens : *Indecorum quippe est homines curare de cibo, qui militant de regno* (*Lib.* VII *in Luc.*), nisi me præsentis argumenti materia ejus responsa discutere cogeret : quod etsi longe viribus impar, profundam viri eruditissimi doctrinam suspiciens, aggrediar, non contentionis **539** studio, aut ampliandæ vini mensuræ desiderio; sed solo veritatis illustrandæ intuitu, laudans interim in dissertatore abstinentiæ amorem, quem omnium monachorum animis ita inspirasse percuperem, ut omnes a vino abstinere persuasisset.

Cum nullum in tota dissertatione novum proponat argumentum, aut si quid novi proposuerit, totum in responsis ad objecta consistat, dissertationem interim relinquens, responsiones in quibus plurimum ingenii acumen ac subtilitatis demiratus sum, impugnare mihi proposui. In iis dissertator supponens congii Farnesiani veritatem, et quod inde concluserat, antiquam Romanorum heminam decem duntaxat unciis constitisse, sanctumque Benedictum Italicam heminam fratribus suis, non aliam tribuisse; totus est in probando : 1° antiquam Romanam heminam adusque S. Benedicti tempora fuisse in usu; 2° ejus usum in tota Italia viguisse; 3° mutationes in mensuris non nisi longo post tempore contigisse. At quibus id momentis demonstret videamus.

Primo, ut probet antiquas Romanorum mensuras adusque sancti Benedicti tempora in communi usu commercii perseverasse, adducit Fannii carmen de Ponderibus et Mensuris, quod ille Constantini imperatoris tempore scribebat, hoc est ducentis ante S. P. Benedictum annis; quodque postea Priscianus, vivente sancto legislatore, Constantinopoli expolivit, *nulla tamen quoad rerum substantiam facta mutatione.* Quapropter cum Fannii carmen a Prisciano, vivente sancto Benedicto expolitum, unciis heminæ duntaxat decem tribuat, signum est Romanam heminam ad eum usque usu receptam fuisse.

Istud argumentum, quod adeo validum existimat dissertator, nullius mihi ponderis esse videtur. Nam primo ex auctoritate Fannii, qui ducentis ante S. P. Benedictum annis scripsit, nihil potest inferri; quamvis enim viguisset ejus adhuc tempore Romana hemina, potuit tamen intra ducentos annos mutari, ut revera mutata est, nec adusque sanctum Benedictum perseverasse. Nec plus urget Prisciani testimonium, qui non novum condidit carmen, sed a Fannio conditum expolivit, mutatis quidem verbis, ut majori cum delectatione illud lector percurreret, *sed nulla quoad substantiam rerum mutatione facta*, ipso fatente dissertatore. Quid autem ad rem Prisciani expolitio? Si quis nunc Fannii carmen expolire aggrederetur, ejus verba mutans, substantiam rerum conservans, rectene concluderetur inde Romanas mensuras ad nostra usque tempora usu perdurasse? Idem judicium ferendum est de Prisciani expolitione, qui Fannium corrigens, locutus est habita ratione ad ejus tempora, non novum opus concinnavit; quod si concinnasset, ipse Constantinopoli scribens, non Romanas aut Atticas, sed Constantinopolitanas descripsisset mensuras.

Verum tantum abest ut dissertatori faveat Priscianus, ut si carmen ejus discutiamus, potius jam mu-

tatas fuisse quam conservatas veteres Romanorum mensuras, variasque pro variis locis ac populis exstitisse visuri simus : quod vel ex ipso carminis ejus prooemio probari potest : ita enim orditur :

540 Pondera præconiis veterum memorata libellis
Nosse juvat.

Non ergo sui temporis pondera describit Priscianus, sed *veterum*. Ergo alia tunc temporis habebantur; et revera non multo post addit :

Sed si generatim his pondus inesset,
Servarent eadem diversæ pondera gentes;
Nunc variant; etenim cuncta non fœdere certo
Naturæ: sed lege valent, hominumque repertis.

Nec amplius concludit, quam magno cum elogio citat, Cassiodori auctoritas, ut probet Theodoricum regem, cui ille erat a secretis, in mensuris nihil mutasse. Imprimis citat locum ex epistola quam ille Theodorici nomine scripsit ad Idam ducem (*Lib.* IV *Variar.*, *epist.* 17), præcipiens ut ecclesiæ Narbonensis possessiones, ab iniquis pervasoribus occupatas, restituendas curet, quia res ab antiquo rege rationabiliter decretas ipse titubare non vult: « Cur enim, inquit (*Ibid.*, *epist.* 42), priora quæsemus, ubi nihil est quod corrigere debeamus? » Deinde locum alterum ex epistola ad Argolicum Urbis præfectum, qua jubet ut restituantur Marciano atque Maximo, filiis Volusiani, turris circi, et locus amphitheatri, quæ sibi erepta, dum deflendæ morti patris vacarent, conquerebantur : quia, inquit, « *Nos qui regulas veterum, qui servamus momenta pietatis*, salubri ordinatione censemus, ut si quondam patricius atque magnificus vir Volusianus, pater supplicum, commemorata communi jure possedit, filiis perire non debeant. » Sed quid hæc ad Romanam heminam? Ex his quidem locis habemus, Theodoricum justitiæ amantem, nulli fraudem inferri voluisse : at exinde nullus concludet Romanas mensuras ab ipso aut ante eum ab alio aliquo mutatas non fuisse.

Majorem verisimilitudinem præ se fert locus ex epistola ad Boetium patricium (*Lib.* I, *epist.* 10), qua scribit, domesticos protectores equitum et peditum, qui aulæ regiæ jugiter excubabant, conquestos esse ab arcario præfectorum se pro emolumentis solemnibus integri ponderis solidos non percipere, et in numero gravia dispendia sustinere : quod ille jubet emendari. Tum subjungens nonnulla in laudem arithmeticæ, dicit prudenti antiquorum inventione factum esse, quod uncia mystico numero duodecies in libra reperiatur; ac tandem concludit : « Talia igitur secreta violare, sic certissima velle confundere, nonne veritatis ipsius videtur esse crudelis et fœda laceratio? Exerceantur negotiatores in mercibus: amantur late, quæ vendantur angustius : constet populis pondus ac mensura probabilis; quia cuncta turbantur, si integritas cum fraudibus misceatur. Mutilari certe non debet, quod laborantibus datur; sed a quo fidelis actus exigitur, compensatio immunuta præstetur. »

Ex hac epistola demonstratur Romanam libram tempore Cassiodori, uti nunc, duodecim unciis constitisse; Theodericum regem institutis a se vel ab aliis ponderibus vel mensuris insistendum esse voluisse, nulli a publicis præsertim præfectis fraudem faciendam esse; sed ut **541** *a quo fidelis actus exigitur, compensatio immunuta præstetur*. At vero male omnino ex hoc loco infert dissertator, antiquam heminam Romanam etiam B. Benedicti tempore perdurasse, nec Theodoricum ipsum, aut alios ante eum antiquas mensuras permutasse.

Denique locus ex alia epistola a Cassiodoro Liguribus scripta (*Lib.* XI, *epist.* 16), quos sic alloquitur : « In ponderibus atque mensuris vos suggeritis ingravatos, et ideo nostra cura providebit ut nullius vos ulterius ex ea parte vexare possit iniquitas; quia grave scelus esse judicamus, aut mensuras modum excedere, aut libram æquissimi ponderis justitiam non habere. » Ostendit vitandas esse præ omnibus exactiones, nihilque ultra institutas mensuras esse exigendum : quod et in parvis et magnis æque mensuris contingere potest. At dissertatorem nihil juvat : imo potius demonstraret jam immutatas ampliatasque aliquibus jam in locis mensuras; quod ille voluerit emendare, an vero emendaverit, non constat. Et sic locus iste contra dissertatorem pugnare videtur. Sed his omnibus in locis studet imprimis Cassiodorus impedire exactiones ac fraudes, publicas subditorum calamitates et gravamina non ferens; quod et alibi commendat, canonicario scribens (*Lib.* XII, *epist.* 16) ut subditos sibi admoneat tributa consueta exsolvere, atque imprimis, ut « nullius quantitatem justæ ponderationis excedat, sitque libra justissima. Modus non erit rapiendi, si pondera fas sit excedi. » Igitur Cassiodorus sive Theodoricus, cujus nomine quinque primos epistolarum libros scripsit, aliud nihil volebat quam fraudulenta pondera mensurasque abolere, quibus forte exactores tributorum, quos ipse publicis uti ponderibus et mensuris jubet, subditos suos non parum gravabant. At vero exinde nullus conficiet antiquas Romanorum mensuras, sive ab ipso, sive alio ante eum non fuisse mutatas.

Nec plus proficit dissertator cum posteriores Prisciano et consequenter sancto Benedicto auctores, heminam decem duntaxat unciis fecisse, volens demonstrare; ad id probandum in medium adducit sanctum Isidorum (*Dissert.* n. 17). Nam quodnam sit de mente sancti Isidori hac in parte ferendum judicium, docet nos ipse dissertator, asserens sanctum Isidorum res ab aliis antiquioribus auctoribus dictas, a se *sine ullo examine* collectas scripsisse. Et certe sanctus Isidorus, ut ostendit noster Menardus, sibi ipsi contradicit. Qui etiam, quamvis sibi non contradiceret dissertatori, qui Romanæ heminæ uncias omnino decem tribuit, non faveret. Nam S. Isidorus duodecim unciis, et quidem ponderalibus heminam facit : « Hemina, inquit (*Lib.* XVI *Origin.*, c. 25) *appendit* libram unam, quæ geminata sextarium facit. » Unde mirum est virum eruditum adeo invalidum proponere argumentum; quod certe in rudiori scholastico alius ægre ferret. Sed quid? In tuenda mala causa omnia solent adhiberi, ut ipsius dissertatoris verbis utar (*In Resp. ad object.*, n. 7).

Hactenus satis demonstratum existimo non probasse dissertatorem in suis responsis immutatas adusque sanctum Benedictum Romanorum antiquas mensuras viguisse. At multo minus probat eas eo tempore **542** per totam Italiam usu receptas fuisse. Nam quem ad id astruendum profert, Nicolaum de Fractura, qui annis post sancti Benedicti obitum septingentis quinquaginta duobus scripsit; quem etiam, si non erraverit typographus, integro sæculo antiquiorem facit, is nimis remotus est testis quam ut faciat fidem, cum scripsit quod suo tempore, id est anno 1299, inferioris Italiæ populi « communiter circa mensuram hujusmodi usum sequuntur Romanum. » Potuerunt enim in tanto temporis intervallo populorum illorum leges non semel mutari. O si quis adeo dissitum testem dissertatori produceret, Deus bone, quam longe valere juberet! Sed videamus num id revera docuerit Nicolaus, quod eum asseruisse dicit dissertator : « Hemina, inquit, est mensura competens ad bibendum in uno prandio; quæ usque hodie in Cassinensi monasterio conservatur. Et facta consideratione, sicut de facto sum expertus, parum plus aut minus potest recipere quam petitum, quod est mensura quædam apud Romanos. Et quod de tali mensura Magister intellexerit, est valde verisimile, ex eo quod in Nursia provincia, unde idem ortus fuit, talis mensura habetur in usu; et homines illius provinciæ in emendo vendendoque, communiter circa mensuram hujusmodi usum sequuntur Romanum. » Ex hoc loco optime infertur Romanas mensuras Nicolai tempore Nursiæ fuisse in usu. At quando Nursia, Sublacum et Cassinum, totamque Italiam inferiorem complectetur, tunc Nicolaum in testem veritatis.

quam probare intendebat, remotissimum adducere poterit; interim vero nihil obtinet. Cujus proinde probationes de continuatis adusque S. Benedictum et ultra in tota Italia Romanis mensuris nullæ demonstratæ sunt. Nunc quid de facta a monachis earum immutatione proferat discutiamus.

Ea est, inquit, rerum natura, ut semper regnorum perturbationes sequatur in monasteriis declinatio lapsusque disciplinæ regularis : quod maxime sæculo VIII contigisse narrat, cum permissis clericorum cupiditati monasteriis, exsultantibus eorum abbatibus, rebus necessariis monachis deficientibus, tota regularis observantiæ disciplina pessum iit; tuncque laxis semel habenis, monachi in omne excessuum genus proruerunt. Unde mirum videri non potest, si nonnulli sæculi IX auctores, aut rerum ignari, ad ampliandas mensuras proclives, non examinatis Romanis Italicisque tempore sancti Benedicti mensuris, mutatas sæculo VIII aut IX in regnis alienis mensuras, quas præ oculis habebant, pro Romanis Italisque ac Benedictinis reputaverint. Ita fere argumentatur 6 et 7 Responsionis numero. Tum quasi improperans præfationis auctori : *Videat*, inquit, *præfationis auctor cum suo ms. Remensi, num Bertigarius monachus, qui eo sæculo, id est* IX, *scribebat, unus ex illis fuerit; num ex duabus quas refert opinionibus, semper laxiori favet.* Sed videat ipse dissertator num legerit attente et cum examine quæ asserit, aut ne præcipiti oculo præfationem perlustrarit.

Deflexerint monachi sæculo VIII ab exacta Regulæ observatione, nec ne, per me licet. Vixerit in Remensi sancti Remigii monasterio **543** sæculo IX, Bertigarius monachus, permitto; at non Bertigario longe antiquior auctor, qui tractatum de ponderibus et mensuris composuit, quem quidem Bertigarius tanquam alienum fetum, non suum, Ebone Remensi pontifice, scribebat in Remigiano monasterio.

Quod si verus illius tractatus auctor esset Bertigarius monachus, neque tamen obtineret inde dissertator quod desiderat. Nam dum auctor in eam propendet sententiam, quæ tres sextario libras, heminæ libram et dimidiam tribuit, haud dubium locutus esset secundum usum sui monasterii, hoc est secundum institutum in omnibus Galliæ monasteriis usum ab Aquisgranensi concilio, ex cujus decreto Benedictina hemina omnibus in cœnobiis recepta fuit; neque enim multo post prælatum concilium vivebat Bertigarius monachus. Idem judicium ferendum videtur de auctore brevis cujusdam scripti *de ponderibus*, quod absque nomine auctoris ad calcem Regulæ sancti Benedicti in vetusto codice ms. reperit noster Mabillonius in bibliotheca sancti Udalrici apud Augustam Vindelicorum, in quo hæc verba (*Tom.* IV *Analect.*) : « Unciæ duodecim libram efficiunt.... Libra una et semis heminam facit. Duæ heminæ sextarium reddunt, etc. » Eodem modo videtur intelligendus Nicolaus de Fractura, cum dicit : « Hemina est mensura competens ad bibendum in uno prandio. » Nam cap. 35 explicans quid sint biberes quos servitoribus S. Pater Benedictus concedit, ait biberes esse « vasa quæ ad unum et moderatum haustum sufficiunt : » et paulo post addit : « Quod singuli tres biberes sufficere debent monacho in mensa. » Quod si singulis biberibus sex uncias dederis, ut revera capere debent, heminam reperies libram et dimidiam appendentem. Quapropter cum hoc capite heminam explicans Nicolaus ait, ejus mensuram in Cassinensi monasterio servatam, facto experimento parum plus aut minus capere quam petitum, quod est mensura quædam apud Romanos, aut mendum in nomine mensuræ irrepsisse necesse est, aut duplex apud Romanos fuisse petitum, unum majus, aliud minus (quod sæpe contingit in mensuris ejusdem nominis), et Nicolaum de minori locutum fuisse; nam et longe erat ab eligendis magnis mensuris, qui paulo post subdit : « Quia vinum plus indulgetur monacho ad confortationem stomachi, quam ad saporem oris, seu delectamentum naturæ. » Quæ si legisset dissertator, fortassis Nicolaum non appellasset (*Resp. n.* 12) *insignem potatorem*.

Sed quid etiam si concederemus dissertatori antiquas Romanorum mensuras ad usque tempora sancti Benedicti conservatas fuisse, idque in tota Italia; quid inde proficeret? cum ipse fateatur S. Patrem specialem heminam suo in monasterio instituisse, ut revera instituit. Quamvis an ita fateatur merito dubitaveris : nam fatetur, et non fatetur : fatetur, cum duodecim pondo uncias heminæ Benedictinæ tribuit, decem duntaxat Romanæ; diffitetur, dum utramque sex ex æquo cyathis constare facit; nisi forte ignotos antiquis cyathos conficere velit. At qua ratione duodecim tantum et non amplius unciis Benedictinam **544** heminam fuisse probat? Quia, inquit, si majorem sanctus Benedictus fecisset heminam, sextarium, non heminam appellasset, ut pote quæ magis ad sextarii quam ad heminæ mensuram accessisset : unde et sanctus Isidorus, qui non multo post sanctum Benedictum scripsit, de hemina, tanquam de mensura unciarum duodecim, locutus est, unicam et pondo libram tribuens (*Lib.* XVI *Orig.*, *c.* 25). Quid sentiendum sit de sancto Isidoro, docuit nos supra dissertator : sufficiat hic dicere, cum in libris Originum, non de monastica, sed de communi locutum fuisse hemina. Quod vero urget in nomine heminæ, 1° supponit immutatas fuisse veteres Romanorum mensuras; 2° sanctum Benedictum nullam aliam habuisse rationem, ut mensuram a se institutam hoc nomine donaret; 3° hoc mera conjectura est, quæ aliquantuli potest esse ponderis, cum non occurrunt aliunde certæ rationes oppositæ. At superius demonstratum est heminam Benedictinam tribus constare calicibus, ut patet ex Regula Magistri, sancti Isidori, sancti Fructuosi, statutis sancti Adalardi, et ex Nicolao de Fractura, et insuper ex libro Usuum Cisterciensium, cap. 73, apud quos monachorum mixtum erat *tertia pars heminæ vini*. Nam mixtum seu biber unum moderatum calicem capiebat; ac proinde non minus sesquilibra continuisse, ut habent codices Remensis et Augustanus, atque aliunde demonstrari potest.

Verum, inquit, sufficit hemina unciarum duodecim ad præbendos tres illos calices; nam cum constet sex cyathis, si media dividatur, tres ad prandium cyathos, totidemque ad cœnam habebimus. Nam tres illi calices, ex constanti omnium veterum traditione tam profana quam monastica, aliud nihil erant quam tres cyathi; quod patet ex Plinio (*Plin. lib.* XXVIII, *cap.* 62), istud probante auctoritate Democriti, quem librum composuisse ait, ut ostenderet quartum in refectione cyathum non esse sorbendum; ex S. Augustino qui sobrium hominem cum Manichæorum affectata sobrietate conferens (*Lib.* II *de Morib. Manich.*, *c.* 13), hunc describit *tres cyathos vini sustentandæ valetudinis gratia sorbentem*; et ex oratione tertia abbatis Isaiæ, qua fratri adolescentiori permittit, ut *ad ternum usque cyathum, si valetudinis ratio postulet, vinum bibat*. Et sic cum sex in nostra hemina habeamus cyathos vini, tres ad prandium, inquit, et totidem ad cœnam, si tantumdem aquæ vino admisceamus, duodecim liquoris uncias ad quamlibet refectionem propinamus, ut scilicet quatuor ad singulos haustus absorbeantur, quod satis superque sufficere debet homini sobrio ad quotidianum potum.

Prætereo hic silentio quod duas pondo uncias cyatho tribuat dissertator, cum tamen ex constanti veterum scriptorum auctoritate non constet nisi decem drachmis, id est una uncia cum quarta parte unciæ (uncia enim drachmas octo continet), aut ad summum duabus unciis mensuralibus, quæ ponderalibus aliquanto leviores sunt. At quod ait, sufficere homini sobrio uncias potus duodecim ad refectionem perfectam, an discretionis legibus quadret, aliis judicandum relinquo. Et quidem id sufficere puerulo

aliquando posset, imo quibusdam abstinentiæ gratia A a Deo donatis; sed universam congregationem his legibus 545 constringere nullæ discretionis ac prudentiæ leges permittunt.

Neque vero existimandum antiquos illos auctores, qui ternum ad refectionem cyathum sobrio sufficere asserunt, adeo rigide ad litteram intelligendos esse, quasi triginta duntaxat vini drachmas sobrio concessissent. Sed cyathi nomine integrum calicem haud dubium intelligunt, sicuti etiam nunc intelligere solemus. Id patet ex Regula sancti abbatis Isaiæ, cujus auctoritate gloriatur dissertator : nam quod in citata oratione *cyathi*, id in Regula *scyphi* nomine expressit (*Cap.* 2) : *Si ad potum vini coactus fueris, ne bibas plus quam tres scyphos mediocres.* Verum ad id demonstrandum nihil efficacius proferri potest quam citata ab ipso dissertatore Regula sancti Fructuosi (*Cap.* 5), quæ cum in dies mediam fratribus heminam indulgeat, vult tamen ut *in præcipuis solemnitatibus tria pulmenta, et totidem potiones præbeantur.* Nam si calix, poculum et potio, ex constanti veterum traditione tam profana quam monastica, idem sonant cum *cyatho*, sanctus Fructuosus nihil amplius in diebus solemnibus quam in privatis indulsisset : nam cum mediam quotidie heminam, quæ sex cyathis constat, concesserit, tres consequenter cyathos, ac proinde tres potiones privatis perinde ac solemnibus concessisse fatendum erit. Adde quod si tres cyathi stricte sumpti, sufficiant homini sobrio ad unam refectionem, huncque numerum transgredi sobrietatis sit metas excedere, procul dubio S. P. Benedictus omnium justorum spiritu plenus, regulam scribens discretione præcipuam, temperantiæ leges ignorasse dicendus erit, ut pote qui integram jejuniorum refectioni heminam indulgeat, hoc est sex cyathos, quos continet hemina.

Quæ diximus hactenus confirmat Theodemari abbatis Cassinensis ad Carolum Magnum epistola, in qua apposite ad nostrum propositum hæc lego : « Misimus etiam mensuram potus, unam quæ prandio, et aliam quæ cœnæ tempore debeat fratribus præberi : quas duas mensuras æstimaverunt majores nostri heminæ mensuram esse. » Ex his verbis habemus : 1° heminam apud Cassinenses duas in mensuras divisam fuisse, quarum una prandio, altera cœnæ inserviret; 2° duas hasce mensuras inter se fuisse inæquales, alioquin unam mittere sat fuisset; 3° minorem, quæ ad cœnam tribuebatur, unciis sex aut octo ad minus constitisse, nam et dissertator sex vini uncias ad cœnam concedit; 4° majorem, quæ ad prandium, duplo fuisse majorem. Idem quippe de hemina vini videtur esse judicandum, ac de libra panis, cujus tertiam partem ad cœnam reservari voluit sanctus Benedictus. Et sic duodecim ad prandium, sex ad cœnam uncias vini habentes, heminam unciarum octodecim in epistola Theodemari reperiemus. Quapropter concilium Aquisgranense, quod hanc heminæ mensuram in omnibus restituit monasteriis, statuit (*Can.* 22) ut « ubi vinum non est, unde hemina detur, duplicem mensuram de cervisia bona habeant monachi. » Quæ duæ simul mensuræ cervisiæ, quæ mixtionem aquæ non admittit, tres ad minus calices et quidem amplissimos continere debebant : nam cervisia 546 multo largius ac profusius vino propinari solet, adeo ut duodecim cervisiæ uncias in unoquoque calice admittere necesse sit, cum multi quindecim et eo amplius uno haustu exhauriant. Et sic in duabus cervisiæ heminis reperiemus uncias triginta sex, hoc est octodecim in qualibet. Atque ita concilii Aquisgranensis canonem intellexisse videtur, qui nostris temporibus strictiorem ordinis Cisterciensis observantiam in suo monasterio restituit (*Abbas B. M. de Trappa*); nam cum vinum ea in regione non crescat, duplicem suis fratribus siceræ heminam ministrari curat, hoc est uncias circiter octodecim vel viginti ad prandium, et tantumdem ad cœnam. Cujus exemplum minus apte protulit in medium dissertator, cum ipsi omnino non faveat.

At, inquiet (*Resp. n.* 5), hemina apud omnes monasticæ sobrietatis studiosos, pro vasculo et quidem parvissimo reputata est, ut probat locus ex Vita sancti Hermelandi abbatis (*Sæc.* III *Ben.*), ubi minor *parvissimo etiam vasculo* appellatur. Addere potuisset dissertator heminam apud Cluniacenses unico scypho comprehensam fuisse : nam apud Udalricum (*Lib.* II, *c.* 4) reperimus signum *scyphi*, *qui capit quotidianam vini mensuram.* Verum hisce exemplis aliud opponimus Hildemari longe ad persuadendum efficacius, ut pote qui perspectam omnino habebat genuinam sancti Benedicti heminam. Hic autem, explicans eum Regulæ locum qui cavet ne monacho subrepat ebrietas, ait minuendam esse mensuram ei « qui de sola heminæ mensura crapulam sentit, id est qui aut in locutione, vel in ingressu vacillat. » Quod plane ei contingere non potest qui *tam parvissimo vasculo* in diem contentus est.

Cæterum hæc nostra, quam proponimus, heminæ B mensura, sobrietatis metas non adeo excedit, ut pro *parvissimo vasculo* haberi non possit respectu majoris et amplioris vasis, v. g., modii, qui forte necessarius esset ad potandam numerosam congregationem. Locus autem ex Udalrico citatus intelligendus est de singulari aliquo scypho amplissimo, quales reperiuntur aliqui ad singulares aliquos usus destinati, non de communi. Atque hæc sufficere credimus ad faciendum satis dissertatori. Quod si iterum assurgat, nobis opponendo sanctorum quorumdam exempla, qui vinum ita dilutum aqua bibebant, ut vini speciem amisisse videretur, respondebimus omnia hæc singularia sanctorum exempla contra ipsum pro nobis militare : nam si sex tantummodo uncias ad prandium unicuique concedas, certe omnes ita vinum diluere cogentur, ut vini speciem amittat; et sic quod singulare quibusdam laudatur in sanctis, omnibus monachis commune evadet. Sed de hemina satis.

† *Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant.*] Quem locum C ita explicat Petrus Damiani (*Opusc.* 13, *cap.* 7) : « Ac si promulgator sanctæ Regulæ suis auditoribus dicat : *Suscipientes quidem quod indulgeo, non peccatis, sed non suscipientes mercedem habetis; admissa siquidem misericordia, non incurritis pœnam; sed propter Deum dimissa* 547, *pertingitis ad coronam*; addit tamen : *Et hæc quidem speciali crimine non depressi; alioquin quisquis se meminit illicita perpetrasse, versa nunc vice debet a licitis abstinere; et qui commisit superbe prohibita, debet nunc humiliter abdicare concessa. Plerique enim molliter suaviterque viventes, si aliquando suadentur ut quantumlibet vel parum saltem arctioris viæ arripiant institutum, mox ratiocinium sibi defensionis obtendunt, dum quispiam eorum sic ait :* « Vivo, *inquit*, ut jubeor, dum rebus concessis utor, legis meæ mandata conservo; » *deinde, ut tanquam victor de superiori contendere videatur, in audaciam prosilit :* « Nunquid, *inquiens*, Regula ab his et hujusmodi licentiam tollit? Nunquid non mihi hæc illa concedit? *Verum quisquis* D *ista contendit, inter voluntatem necessitatemque scriptoris discernere necdum didicit, et alia secundum indulgentiam permitti, alia secundum imperium præcipi non cognovit.* »

Sed quæritur num is cui Deus tolerantiam abstinentiæ donat, absque ulla alia abbatis licentia abstinere a vino possit. Affirmativam tenent Hildemarus, Bernardus Cassinensis, Richardus de Sancto Angelo, et Boherius, tolerantiam abstinentiæ etiam ad cibum et vestimenta extendentes. Hildemarus tamen licet abstinere a vino sine consensu abbatis bonum esse existimet, addit nihilominus : « Tamen melius facit monachus, si aliquantulum biberit vinum, causa humanæ laudis vitandæ, quam si ex toto jejunaverit. » Existimo etiam et ego posse licite et laudabiliter absque alia abbatis licentia quemque abstinere a vino, cum Deus tolerantiam abstinentiæ donat; quia sanctus Benedictus nonnisi ad duritiam cordis vinum monacho concedit; a quo, si possit, abstinere per-

cuperet, simili fere modo, inquit Petrus Damiani (*Opusc.* 13, *cap.* 7), quo Apostolus de communi amplexu conjugibus dicit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium;* ubi mox addit: *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum; sed unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* Atque ita sanctus Isidorus in Regula scribit (*Cap.* 10): « Quicunque ad mensam residens a carnibus vel vino se abstinere voluerit, non est prohibendus; abstinentia enim non prohibetur, sed potius collaudatur. »

Quod si aut loci necessitas, vel labor, aut ardor æstatis amplius poposcerit.] Tres hic exponit causas, pro quibus augeri aliquid ad indultam heminam possit: loci necessitatem, sive, ut explicat Boherius, loci qualitatem, laborem, et æstatis ardorem; de quibus Bernardus Cassinensis sic disserit: « In necessitate loci comprehendit etiam necessitatem personæ; quia potest esse, quod aliqua persona indiget citius, alia persona minus, sicut in loco multum sicco et valde arido, et solis percussione continua fervente, majori egent potus humectatione, sicut patere potest in insulis quibusdam marinis, et specialiter in insula Lirinensi. In labore etiam corporis desiccatur humor humidus, ex labore et sudore consumptus, vel calore naturali magis incitato et fortius agente. Tempore
548 enim æstatis cholera magis regnat, et exterioris invalescit igne caloris. » His tribus causis duæ possunt aliæ adjungi, scilicet Sanctorum solemnitates, et hospitum adventus; de quibus Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 10): « Potus vero, si siceræ liquoris, id est cervisiæ, mensura solita tribuatur; si voluntas abbatissæ fuerit, si labor, vel festus dies, vel hospitis adventus pia precatio exagitaverit, vini potio augenda est. »

In arbitrio prioris consistat.] Id est abbatis; nam « prior, præpositus, ac decanus, sive etiam cellerarius non possunt in aliquo supra Regulam dispensare, aut aliquid aliud agere, nisi quantum conceditur eis ab abbate, » inquit Boherius. Ex hoc autem loco patet heminam non ita amplam esse mensuram ac voluerunt nonnulli: quæ si tanta esset, nunquam necesse foret aliquid illi superaddere.

Considerans in omnibus ne subrepat satietas aut ebrietas.] Ex hoc econtra constat heminam non adeo fuisse brevem, ut docent alii; alioquin non esset cur timeretur satietas et ebrietas. Porro sanctus Ferreolus ebrium monachum *triginta diebus a vini potione* suspendit.

Licet legamus vinum omnino monachorum non esse.] Ubinam hoc legerit sanctus Benedictus inquirunt commentatores. Smaragdus, Petrus Diaconus et Turrecremata existimant hoc a quodam antiquorum Patrum prolatum esse, a quo dictum referunt: « Caro et vinum, sive potus in quo sit ebrietas refutanda sunt a monachis, nec suscipienda, quibus pro Christo crucifixus est mundus et ipsi mundo (*Cap.* 11). » At quisnam sit ille antiquus Patrum non explicant. In Regula Cujusdam ad monachos id expressis verbis continetur. Verum auctor illius Regulæ sancto Benedicto posterior videtur. Boherius in primo commentario: « Ego, inquit, in Vitis Patrum legi quod quidam narraverunt abbati Pastori de quodam monacho, quia non bibebat vinum; quibus ille respondit, quia *vinum omnino monachorum non est.* » Similiter in secundo commentario hoc dictum refert abbati Pastori; et insuper saltem implicite Regulæ sancti Pachomii, sancti Basilii, et epistolæ sancti Hieronymi ad Eustochium, ubi loquens de monachorum abstinentia (*Epist.* 22): « De cibo, inquit, et potu taceo, cum ibi etiam languentes monachi aqua utantur frigida, et coctum aliquid accepisse luxuria sit. » Menardus etiam dictum ascribit abbati Pastori, uti narratur in lib. IV de Vit. Pat., n. 31, interprete Pelagio. Quamvis an ita revera se res habeat dubitaverint nonnulli, eo quod probabile non videatur hunc librum a Pelagio translatum fuisse ante annum 537, quo in Palæstina et Oriente legationem obibat: quo tempore suam sanctus Benedictus scripserat Regulam. Verum ab alio translatum sanctus Benedictus illum legere potuerat. In nuper vulgatis a Joanne Cotelerio sanctorum Patrum sententiis reperio abbatem Xoium cuidam fratri aliquando dixisse: « Vinum ad Monachos non pertinet secundum Deum viventes (*Tom.* I *Mon. eccles. Græc. p.* 580). »

549 Quidquid sit, certe si non legerit sanctus Benedictus, potuit saltem in aliis sanctorum Patrum scriptis prædictum effatum vidisse; in quibus saltem implicite legimus vinum monachorum non esse. Ita sanctus Antonius in Regula (*Cap.* 14): « Ne commoreris, inquit, in loco, ubi vinum exprimitur, nec comedas carnem omnino. » Sanctus Pachomius: « Vinum et liquamen absque loco ægrotantium nullus attingat. » Sanctus Athanasius in vulgato Syntagmate doctrinæ ad monachos (*Art.* 22): « A vino plane et omnino abstine, vel degusta tantummodo, et Creatorem celebra. Quod si autem, ut Timotheus, propter multos labores in morbum incidas, paululum vini adhibe. » Sanctus Basilius (*Regul. fus.*, *cap.* 19): « Aquæ potus, ut naturalis et necessitati sufficiens, omnibus propositus est; » et alibi (*Serm. de Asceti.*): Potissimum debet se monachus a congressione mulierum abstinere, itemque a vini usu; quia vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes. » Sanctus Dorotheus (*Doctr.* 19): « Vinum absque necessitatis causa, vel extra symbolum ne bibas. »

His concinunt ea quæ de vivendi ratione priscorum monachorum nonnulli scribunt. Sanctus Athanasius (*In Vit. S. Anton.*): « De carnibus vero et vino tacere melius puto quam quidquam dicere, quando nec apud plurimos quidem monachorum istiusmodi aliquid reperiatur. » Sanctus Augustinus (*Lib. de Mor. eccles. Cath.*, *cap.* 31): « Non solum a carnibus et vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab eis etiam quæ tanto concitatius ventris et gutturis provocant appetitum. » Severus Sulpicius de discipulis sancti Martini (*Lib.* I *de Vita S. Martini*): « Vinum nemo noverat, nisi quem infirmitas coegisset. » *Vide* Vitam sancti Pachomii, num. 50, apud Bolland., 14 Maii.

Sed his indulgentiores fuerunt Nitrienses monachi, qui, teste Palladio, vino utebantur. Vinum etiam monachis permittunt sanctus Ferreolus, sanctus Fructuosus, et Magister in suis Regulis; sanctimonialibus sanctus Cæsarius in Regul., cap. 28 (*Laus. c.* 7): infirmis duntaxat sanctus Leander, in lib. de Institutione virginum, cap. 9. In Regula incerti auctoris vinum bis tantum in hebdomada conceditur (*Cap.* 2), ut scilicet « sabbato et dominica, sicut consuetudo est, qui volunt, vinum accipiant. » Primi etiam sancti Benedicti abbatis Anianensis discipuli « vinum tantum diebus Dominicis solemnibusque percipiebant (*In ejus Vita, num.* 12). » Menatenses quoque monachi dominicis duntaxat diebus vini singulas potiones percipiebant. Non defuere etiam ex nostris qui vinum omnino non biberent. Tales fuerunt olim Fuldenses monachi, quibus, ut scribit V. Eigil in Vita sancti Sturmii, num. 14 (*Sæc.* III, *part.* II), cum sanctus Bonifacius « sacras exposuisset Scripturas, et quod nusquam vinum monachorum legeret esse, consensu omnium decretum est, ut apud illos nulla potio fortis quæ inebriare possit, sed tenuis cervisia biberetur; quod post plures annos crescente familia propter ægrotos et imbecilles, tempore Pippini regis, synodali decreto, immutatum est. » Tales Lindisfarnenses adusque tempora Ceolwlfi regis, qui obiit anno 760. « Hoc enim rege jam monacho facto efficiente, inquit Simon Dunelmensis (*Histor. de Regib. Ang.*, *ad an.* 854), data est Lindisfarnensis Ecclesiæ monachis licentia bibendi vinum vel cervisiam.
550 Ante illud tempus non nisi lac vel aquam bibere solebant, secundum antiquam traditionem sancti Aidani, primi ejusdem Ecclesiæ antistitis et monachi. » Tales in Armorica Landevenecenses, qui usque ad Ludovici Pii Augusti tempora, quibus Regulam

sancti Benedicti susceperunt, « nesciebant omnes A usum vini, » ut scribit auctor Vitæ tertiæ sancti Winwaloei, num. 9 (*Bolland.*. 3 *Martii*). Tales in saltu Bohemico degentes monachi, de quibus in Vita sancti Godehardi, num. 14 (*Bolland.*, *Maii*) : « De potu, ut omnibus notum est, nihil prorsus ibi nisi sola aqua habebatur : ipsa etiam hospitibus ad sufficientiam, fratribus ad mensuram dabatur. » Tales Sylvienses, apud quos « vinum ibi nemo noverat, nec si etiam gravissimam quisquis ægritudinem pateretur, » testante Petro Damiani in Vita sancti Romualdi (*Cap.* 64). Tales denique cupiebat esse sanctus Wunebaldus, qui etiam Mongun iæ noluit ædificare monasterium, eo quod eo loci esset frequentior vini usus, timens ne relaxaretur inde regularis observantia (*Hist. Gallic. ord. S. B.*, *lib.* IV, *c.* 18).

Neque vero hæc adeo stupenda videri debent in religiosis, cum non inferiora visa sint aliquando in paganis. Germani enim, ut scribit Julius Cæsar, vinum a finibus suis etiam lege defendebant, quod B imbelles animos generare crederetur. Aristoteles vinum removet a servis, quod contumaces eos faciat, et liberos insolentes (*Arist. œcon. lib.* I, *c.* 1) : « Quare apud multas nationes, inquit, etiam ingenui illo abstinent, ut Carthaginienses, dum militant. » Multo ergo nos rubore suffundere debet quod subdit sanctus Benedictus.

Sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest.] Quos, ut ait sanctus Ferreolus, latere non poterit id quod Apostolus Timotheo scribit dicens : *Vino modico utere propter stomachum tuum et frequentes infirmitates tuas.* Hoc est enim unicum eorum refugium, quibus minus sapit aquæ potus. Verum, ut ait sanctus Bernardus (*Regul. cap.* 39; *serm.* 30 *in Cant.*) « frustra quidam sibi blandiuntur de exemplo Pauli hortantis discipulum non bibere aquam, sed modico uti vino propter stomachum et frequentes suas infirmitates; qui attendere debent, primum quidem Apostolum minime sibi ipsi rem C istiusmodi suadere; sed nec discipulum æque exposcere sibi. Deinde non monacho hoc intimari, sed episcopo, cujus vita teneræ adhuc et nascenti ecclesiæ pernecessaria esset. Timotheus hic erat : da mihi alterum Timotheum, et ego cibo eum, si vis, etiam auro, et poto balsamo. » Et Petrus Damiani (*Lib.* VI, *epist.* 23) : « Ad hæc respondet languidus noster : *Sed Apostolus*, inquit, *suo discipulo præcipit dicens : « Noli adhuc aquam bibere, sed modico utere vino propter stomachum et frequentes infirmitates tuas.* » Utinam, frater, sic memoriter teneremus reliquas sacræ Scripturæ sententias, quæ jejunium prædicant, sicut hanc unam, quæ rigorem abstinentiæ ex discretione relaxat : quare non sic reminiscimur quod idem Paulus alibi dicit : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.....* Sed et istud Pauli, quod mihi tam libenter objicis, et alia huic similia, qua discretionis arte præcipiat ipse alibi manifestat, cum dicit : 551 *Hoc*, inquit, *secundum indulgentiam, non secundum imperium dico*, etc. » Et antea invehens in eos qui ne vino abstineant, ægritudinis molestias prætendunt : « At, forsan inquies, doleo caput, langueo stomachum. Hæc sunt emplastra mollium, hæc palliatio carnaliter viventium monachorum. Satis macra hæc cernitur excusatio, cum ægrotos et aqua refoveat, et vinum frequenter occidat. Nunquid non præcursor Domini aliquando ægrotus elanguit, qui vinum et siceram nunquam bibit? Nunquid Jacobus Alphæi medicos quæsisse legitur, qui ita liquores ex utero matris ignorasse perhibetur? verum ut a sæculi origine repetamus, mundus hic usque ad sexcentesimum tertium Noe annum prorsus vinum ignorasse cognoscitur, cum per tot curricula temporum obiisse quidem, sed nullus hominum ægrotasse legatur. » Vide ibidem egregiam prosopopœiam, in qua aquam inducit loquentem, et delicatos nimis monachos increpantem atque suas egregias dotes atque utilitates referentem.

Quia vinum apostatare facit etiam sapientes.] Eodem modo loquitur sanctus Basilius in sermone de Ascesi. Quanam vero ratione id fiat, explicat Smaragdus his verbis : « Apostatare dicitur a via justitiæ recedere, a fide transgredi, retroire, vel a bono prævaricari. Verum quomodo vinum apostatare faciat sapientes diligenter attende : Noe enim sapiens, sanctus et antiquissimus vir, quem tantæ moles aquarum non vicerant, a modico vino devictus est, et ab ebrietate dormiens nudatus. Patriarcham vero Loth vinum apostatare fecit, quando contra naturam in filiabus suis impudenter se commiscuit. Si ergo sanctis et magnificis viris vini ebrietas non pepercit, quanto magis exiguum atque infirmum monachum superabit? » Recte omnino sanctus Hieronymus (*Epist.* 2): « Quod si absque vino ardeo adolescentia, et inflammor calore sanguinis, et succulento validoque sum corpore, libenter carebo poculo in quo suspicio veneni est. »

Ubi autem loci necessitas exposcit, ut nec suprascripta mensura inveniri possit.] Loci necessitas duobus hic modis intelligi potest : 1° si monasterium in his situm sit regionibus in quibus vinum non nascitur; 2° si nullæ sint monasterio vineæ, et tanta sit ejus paupertas, ut commode emi non possit. Ita fere Boherius.

Aut multo minus, aut ex toto nihil.] Si tantilla erat hemina vini, ut vult dissertator, quomodo *multo minus* reperiri posset?

Benedicant Deum qui ibi habitant, et non murmurent.] « Si quis enim murmuraverit ob cibum, inquit S. Basilius, obnoxius est judicio eorum, qui murmuraverunt in deserto. » Ex hoc porro loco non male infertur S. P. Benedictum non uni Cassinensi cœnobio Regulam scripsisse, sed toti mundo promulgandam spiritu prophetico præviderat. *Vide* Haeften., lib. II, tract. 6, disq. 3.

CAPUT XLI.

Quibus horis oporteat [a] *reficere fratres* [b].

552 A sancto Pascha usque ad Pentecosten, ad sextam reficiant fratres, et ad seram [c] cœnent. A Pentecoste [d] autem tota æstate (si labores agrorum non habent monachi, aut nimietas æstatis non perturbat) D quarta et sexta feria jejunent usque ad nonam : reliquis vero diebus ad sextam prandeant. Quæ prandii sexta, si opera [e] in agris habuerint, aut æstatis fervor minus fuerit, continuanda erit, et in abbatis sit

[a] Al., *oportet.*
[b] Oxon., Flor. et quidam alii omittunt *fratres.*
[c] Conc., Flor., *sera*
[d] Flor., Hild., Conch., Lyr., Paris. 1, *a Pentecosten.*
[e] Flor., *operas.*

providentia; et sic omnia temperet atque disponat, qualiter et animæ salventur, et quod faciunt fratres, absque justa [a] murmuratione faciant.

Ab idibus autem Septembris usque ad caput [b] Quadragesimæ, ad nonam semper reficiant. In Quadragesima [c] vero usque ad Pascha [d] ad vesperam reficiant. Ipsa tamen vespera sic agatur, ut lumine [e] lucernæ non indigeant reficientes; sed luce adhuc diei omnia consumentur [f]. Sed et omni tempore, sive cœnæ [g] sive refectionis hora sic temperetur, ut cum luce [h] fiant omnia.

[a] Oxon. deest *justa*.
[b] Cassin., *usque caput*.
[c] Oxon., *a Quadragesima*.
[d] Al., *in Pascha*.
[e] Flor., Conch. et quidam Cassin., *lumen*
[f] Hild., *consumantur*.
[g] Cassin., *sive prandii, sive cœnæ refectionis*.
[h] Flor., *luce*.

COMMENTARIUS.

Hactenus de mensura cibi et potus S. P. Benedictus. Sed quia omnia tempus habent, et inter alias vitæ recte instituendæ rationes, una ex præcipuis illa est, qua sua singulis assignantur momenta: de refectione postquam dicit sanctus Pater, statim subjungit, quibus horis oporteat reficere fratres. Ubi sic horas refectionis disponit, ut etiam jejuniorum tempora determinet; quibus nimirum servanda, quibusve solvenda. Qua de re quænam fuerit veterum monachorum praxis, ex eorum regulis aliisque scriptis, priusquam ejus textum attingamus, ante referre duximus alicujus operæ pretium.

553 Imprimis Regula sancti Antonii hæc habet (*Num.* 2): « Jejuna usque ad nonam singulis diebus, excepto sabbato et dominico die. Adveniente vero nona, ne adeas cellam cujusquam fratrum, et cum solueris ad comedendum, ora prius, tum comede. »

Regula sanctorum Patrum Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii (*Cap.* 9): « Debet ergo iste ordo teneri, fratres, ut nullo die nisi hora nona reficiant fratres in monasterio, excepta dominica die et quinquagesima die Pentecostes. »

Paulo severior erat monachorum sub sancto Eusebio abbate montis Coryphes in Syria sæculo IV, viventium continentia: hic enim, ut legimus in ejus Vita, num. 7 (*Bolland.*, 23 *Januar.*), « cibum capiebat tertio et quarto quoque die. Iis autem qui secum habitabant, jubebat vesci alternis diebus. »

Austerior adhuc monachorum in monte Sina de quibus S. Nilus (*Histor. cædis SS. Pat. in Sina*): « Alii quidem cibum capiunt in die dominico, totos septem dies jejuni permanentes. Alii vero tempus dimidiant, bis in hebdomada alimenta recordantes. Alii vero post unam diem. »

Sed multo remissior apud Gallos; quibus ista per annum jejunia concilium Turonicum II assignat (*Can.* 18): « De jejuniis antiqua a monachis instituta conserventur, ut de Pascha usque ad Quinquagesimam, exceptis Rogationibus, omni die prandium fratribus præparetur. Post Quinquagesimam tota hebdomada exacte jejunent. Postea usque ad calendas Augusti ter in hebdomada jejunent, secunda, et quarta, et sexta feria, exceptis his qui aliqua infirmitate constricti sunt. In Augusto, quia quotidie missæ sanctorum sunt, prandium habeant. In Septembri toto, et Octobri, et Novembri, sicut dictum est, ter in septimana. In Decembri usque ad Natalem Domini omni die jejunent. Et quia inter Natalem Domini et Epiphaniam omni die festivitates sunt, itemque prandebunt. Excipitur triduum, quod ad calcandam gentilium consuetudinem Patres nostri statuerunt privatas in calendis Januarii fieri litanias, ut in ecclesiis psallatur, et hora octava in calendis ipsius Circumcisionis missa Deo propitio celebretur. Post Epiphaniam vero usque ad Quadragesimam ter in septimana jejunent. »

Aliquibus ante prædictum concilium annis, sanctus Cæsarius in Regula ad monachos (*Cap.* 22), hanc jejunii legem tulerat: « A sancto Pascha usque ad mensem Septembrem, quarta et sexta tantum jejunandum. A mense Septembri usque ad Domini Natale, quotidie jejunandum. Iterum ante duas hebdomadas ante Quadragesimam, quotidie jejunandum, excepta dominica, in qua non licet penitus jejunare propter Resurrectionem Domini: Si quis jejunaverit die dominico peccat. A Domini Natale usque ante duas hebdomadas de Quadragesima, secunda, quarta, et sexta; inde postea usque ad Pascha, omni die jejunandum, absque die dominico: qui die dominica jejunat peccat. Missus vero in jejunio tres; in prandio vero et in cœna duo tantum præparentur. In prandio binas biberes et in cœna accipiant; et in jejunio ternas. » Et in Regula ad sanctimoniales in recapitulatione: 554 « Jejunium a Pentecoste usque ad calendas Septembris quomodo virtutem et possibilitatem viderit mater monasterii, sic studeat temperare. A calendis Septembris usque ad calendas Novembris, secunda, quarta, et sexta feria jejunandum est. A calendis vero Novembris usque ad Natalem Domini, exceptis festivitatibus vel sabbato, omnibus diebus jejunari oportet. Ante Epiphaniam jejunandum septem diebus. Ab Epiphania vero usque ad hebdomadam Quadragesimæ, secunda, quarta, et sexta feria jejunandum est. »

In ordine convivii, quem suæ sanctus Aurelianus Regulæ subjunxit, hæc leguntur: « Jejunium vero a calendis Septembris usque calendas Octobris *, secunda, quarta, et sexta feria jejunandum est. A calendis Novembribus usque Domini Natale, quotidie jejunandum est, absque sabbato et dominica. Ab Epiphania vero usque Pascha, quotidie jejunandum est, absque majoribus festivitatibus, sabbato, et dominica. Post Pascha vero usque Pentecosten, sexta feria tantum jejunandum est. Post Pentecosten mense Junio, Julio, et Augusto, in potestate abbatis sit de jejunio aut prandio, sicut viderit possibilitatem fratrum, ita studeat temperare. »

Brevius sanctus Columbanus (*Cap.* 3): « Quotidie jejunandum est, sicut quotidie orandum est. »

Hanc legem ita moderatur Regula Tarnatensis (*Cap.* 9): « Quando messes et vindemiæ colliguntur, bis in die, id est hora sexta et duodecima refectionem accipiunt. Quarta vero vel sexta feria ita moderari opera debent, ut, si fieri potest, statuta jejunia non omittant; sed universa, prout utilitas aut labor exegerit, ita senioris judicio disponantur. »

Regula sancti Isidori jejunia quatuor in classes disponit hoc modo: « Jejuniorum autem hos dies potissimum veteres elegerunt. Primum jejunium Quadragesimæ quotidianum, in qua major abstinentiæ observantia manebit in monachis; quoniam non solum a prandiis, sed etiam a vino et ab oleo abstinetur. Secundum jejunium interdianum post Pentecosten alia die inchoatum usque ad æquinoctium autumnale protenditur, ternis scilicet diebus per singulas hebdomadas, propter æstivum solis ardo-

* Forte *Novembris*, ut in Regula ad virg. et in Concord. Regul., cap. 50, § 6.

rem. Tertium sequitur quotidianum jejunium ab octavo decimo calendas Octobris usque ad Natale Dominicum, in quo quotidiana jejunia nequaquam solvuntur. Quartum item quotidianum jejunium post diem Circumcisionis exoritur, peragiturque usque ad solemnia Paschæ. »

Regula S. Fructuosi episcopi ita habet (*Cap.* 18) : « Jejuniis ista oportet tempora observare. A Pascha usque ad Pentecosten reficiendum ad sextam, et monophagia, id est conservanda per diem. A Pentecoste usque ad octavum decimum calendas Octobris interdiana jejunia retinenda sunt, excepto una Quadragesima, quæ festivitatem sanctorum Justi et Pastoris præcedit, sollicite conservanda est, in qua usque ad nonam quotidie jejunandum est, et vino penitus abstinendum : servanda tamen abbati **555** discretio est, ut cum hos gravi labore perspexerit onerari ad refectionem singulis portiones * tribuat. Ab octavo decimo calendas Octobris usque ad Pascha sollicite jejunandum est, et in Quadragesima vino et oleo penitus abstinendum. »

Regula Cujusdam ad monachos (*Cap.* 11) perpetuum præscribit jejunium : « In abstinentia, inquit, ciborum unam regulam observari oportet ab omnibus fratribus, præter senes et infirmos, sive infantes ; et una mensura sit in omnibus, id est ab hora nona usque ad horam alteram a cibis temperandum est, nec ante sive post mensam, quæ communiter ad cœnam fratribus apponitur, aliquid ori indulgendum est, nisi infirmitas, sive differentia ætatis, sive corporis aliquid coegerit. »

Regula vero Magistri (*Cap.* 28) : « Omni tempore, ait, in septimana duobus diebus ad sextam reficere debent, hoc est quinta feria et dominica : cæteris aliis in septimana diebus ad nonam horam reficere oportet. Nam erubescamus nos, qui sumus spiritales, fugere hora nona jejunium, cum vetusta consuetudo antiquitus cognoscitur prandia ignorasse. Nam ideo ad nonam horam universis diebus constituta sunt solvi jejunia, ut sit aliquid prolixius, quod Quadragesimæ diebus addatur, id est usque ad vesperam, hoc est post lucernariam. A Sexagesima vero quarta, sexta, et sabbato, post lucernariam semper reficiant : aliis vero diebus usque ad Quadragesimam ad nonam reficiant, ut quod dominicæ Quadragesimæ de quadraginta jejuniis subtrahunt quarta, sexta, et sabbato, a Sexagesima in jejuniis usque ad vesperam continuatis restituant, ut quadraginta in numero jejunia compleantur. »

Regula solitariorum (*Cap.* 42) : « Ab octavis Paschæ usque ad Pentecosten bis in die reficiant. His ergo diebus quarta et sexta feria usque ad nonam jejunent, quia sicut equis frena sunt imponenda, ita corpora nostra jejuniis sunt infrenanda. A Pentecoste usque ad calendas Septembris quarta, et sexta, septimaque feria jejunent usque ad nonam : reliquis vero diebus ad sextam reficiant, et ad vesperam cœnent. A calendis autem Septembris usque ad caput Quadragesimæ ad nonam semper reficiant, nisi forte quis voluerit jejunium usque ad vesperam protelare. In Quadragesima vero usque ad Pascha ad vesperam reficiant.... Præterea quoque si quis voluerit omni tempore jejunare, exceptis dominicis et aliarum festivitatum diebus, non prohibeatur ei ; quia sic faciebant sancti Patres nostri Antonius, et Benedictus, nec non Macarius, et cæteri alii. »

Sanctorum etiam in servandis jejuniis exempla nobis proponit Regula ms. incerti auctoris (*Cap.* 5, *in ms. biblioth. reginæ Sueciæ*) : « A S. Pascha usque ad Pentecosten, inquit, sicut ait sanctus Benedictus, ad sextam reficiendum est, et ad seram cœnandum. De his autem diebus sanctus Isidorus in libro Officiorum ait : Post Pascha autem usque ad Pentecosten, licet traditio ecclesiastica abstinentiæ rigorem prandiis relaxaverit, tamen si qui monachorum vel

A clericorum jejunare cupiunt, non sunt prohibendi ; quia et Antonius, et Paulus, cæterique Patres antiqui etiam in his diebus **556** in eremo leguntur abstinuisse, neque solvisse abstinentiam, nisi tantum die dominico. A Pentecoste autem usque ad calendas Octobris, si quarta et sexta feria fuerit, sicut sanctus ait Apollonius, non est solvendum jejunium. Sed et sabbati dies apostolis sanctisque Patribus jejunio consecrati habentur : secunda autem, et tertia, et quinta feria, si placuerit, ad sextam reficiendum ; sin autem ad horam nonam protelandum. A calendis Octobris usque in Pascha, excepto diebus festis usque ad vesperam est refectio prolonganda. »

Regula sancti Donati virginibus ista jejunia præscribit (*Cap.* 76) : « A sancto Pascha usque ad Pentecosten ad sextam reficiant sorores, et ad seram cœnent. A Pentecoste autem tota æstate si labores manuum graves non fuerint, aut nimius fervor æs-
B tatis non perturbat, quarta et sexta feria jejunent usque ad horam nonam; reliquis diebus ad sextam prandeant, quæ mensura prandii in abbatissæ sit providentia et arbitrio, et sic omnia temperet atque disponat, qualiter animæ salventur et quod faciunt sorores absque ulla murmuratione faciant. A calendis autem Februarii ** usque ad calendas Novembris, secunda, quarta et sexta jejunandum est. A calendis autem Novembris usque ad Natalem Domini, exceptis festivitatibus, omnibus diebus jejunare oportet. A sancta vero Epiphania usque ad caput Quadragesimæ quarta et sexta feria jejunandum est. A Quadragesima vero usque in S. Pascha ad vesperam reficiant. Ipsa tamen vespera sic agatur ut lumine lucernæ non indigeant reficientes, sed luce adhuc diei omnia consummentur. »

Regula Cujusdam ad virgines toto Paschali tempore duplicem ad sextam et ad seram refectionem permittit : « A Pentecoste vero, inquit (*Cap.* 11), si gravis labor non exigat, aut hospitum non cogat
C adventus, usque ad Quadragesimæ inchoationem ad nonam, id est semel reficient, exceptis magnarum solemnitatum eventibus, aut si labor grandis exegerit, ut duabus reficiant vicibus. Ab inchoatione Quadragesimæ usque ad sacratissimam solemnitatem Paschæ, exceptis dominicis diebus, ad vesperam reficiendum est, ut ante noctis inchoationem cum statione lucis refectionis impleatur hora. »

In Regula etiam sancti Stephani ordinis Grandimontensis institutoris hæc lego (*Cap.* 57) : « A sancto Pascha usque ad Exaltationem sanctæ Crucis bis in die, primo videlicet post sextam, et secundo post vesperas refectionem vobis sumere disponimus, exceptis jejuniis in hujus temporis spatio constitutis. Verum ab Exaltatione sanctæ Crucis usque ad Pascha vobis jejunare præcipimus, exceptis diebus dominicis, et die natali Domini. Rursus autem a prædicto festo veræ Crucis usque ad initium Quadragesimæ post 9, et exinde usque ad Resurrectio-
D nem dominicam post vesperas cibum sumere vobis statuimus. Item a festivitate Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem dominicam, et a Septuagesima usque ad Pascha, cibo quadragesimali tantum vobis uti præcipimus; cæteris vero temporibus ovis et caseis quandoque vesci vobis permittimus. »

557 Denique Statuta Guigonis hæc decernunt (*Cap.* 33) : « Secunda, quarta, sextaque feria pane et aqua, et sale, si cui placet, contenti sumus. Tertia, quinta, et sabbato legumina vel aliquid hujusmodi ipsi nobis coquimus, a coquinario vinum accipimus, et quinta feria caseum vel aliquid cibi lautioris accipientes. Ab idibus Septembris usque ad Pascha, exceptis solemnitatibus, non nisi semel in die manducamus. A Pascha autem usque ad prædictum terminum tertia et quinta feria, nec non et sabbato iterato reficimus. » Ab hac severitate paulo defle-

* In Conc. Regul. cap. 50, § 5, legitur *potiones*.

** *Lege* Septembris.

etunt antiqua Carthusiensium Statuta, in quibus hæc leguntur (*Part.* II, *cap.* 14): « Natalis Domini, Ascensionis, Pentecostes, sancti Joannis, apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. Mariæ, Omnium Sanctorum vigilias ex antiqua consuetudine in pane et aqua facimus, nisi veniant in festis duodecim lectionum. Sed et quando prædictæ vigiliæ occurrunt in dominica, in sabbato ipsa abstinentia fit.... In vigiliis autem beatorum Jacobi, Laurentii, Bartholomæi, Matthæi, Simonis et Judæ, et Andreæ, semel quidem reficimus. Secunda, quarta, et sexta feria, pane, et aqua, et sale, si cui placet, ex antiqua consuetudine contenti sumus. Quod quia nostris temporibus quasi in dissuetudinem abiit, volumus ut ad minus unam in septimana abstinentiam omnes monachi faciant, quos infirmitas, aut senectus, aut debilitas non excusat, vel alia causa quæ priori rationabilis esse videatur. Nec tamen propter hoc antiquam consuetudinem de faciendis abstinentiis irritamus..... Ab Exaltatione sanctæ Crucis usque ad Pascha non nisi semel in die manducamus, exceptis usque ad Quinquagesimam festis capituli, et die susceptionis novi prioris, et die sepulturæ fratrum nostrorum. Et hoc inviolabiliter observetur, exceptis infirmis et valetudinariis, debilibus, senibus, et minutis. Alias vero si prior fregerit vel fecerit frangi, sit extra sedem suam in ecclesia per quadraginta dies. Et si vicarius idem fecerit, sit novitius per quadraginta dies. A Pascha usque ad festum Exaltationis tertia, et quinta feria, nec non et sabbato, exceptis præcipuis jejuniis, iterato reficimus; in quo spatio jejunia secundæ et quartæ feriæ non dimittantur omnino. »

Tandem ex primis sancti Stephani abbatis Obazinensis discipulis (*In ejus Vit. lib.* I, *num.* 15, *tom.* IV *Miscell. Baluz.*): « Nullus nisi in die dominico jejunium solvere tam æstate quam hieme præsumebat, nisi aut juvenili ætate, aut gravi infirmitate detineretur. »

His adjiciendum reor antiquum fragmentum de Græcorum jejunio, quod ex ms. codice bibliothecæ Colbertinæ num. 6041 eruit et in Latinum transtulit noster Jacobus *Loppin*, prout sequitur: « Ordo ex divinis et sacris canonibus atque etiam ex typicis sanctorum et Deiferorum Patrum excerptus ad eos qui vitam Deo gratam degere cupiunt. Incipiendum est a splendida et prima dominica Paschatis omni cibo vesci per totam novam hebdomadam. A secunda autem die antipaschatis, id est secundæ post Pascha hebdomadis usque ad Omnes Sanctos, quarta et sexta die pisces manducent sæculares: monachi vero oleum. Idem similiter præstandum est die quarta mesopentecostes, id est quartæ **558** post Pascha hebdomadæ. Per hebdomadam porro sancti Spiritus vivendum est, ut in hebdomada nova, sive Paschatis. At a die secunda Omnium Sanctorum, in qua sanctorum apostolorum jejunium ordimur, jejunium servamus secunda, quarta, et sexta die, siccisque vescimur nona hora. Alias vero duas dies, tertiam et quintam nos monachi vescimur oleo, et sæculares piscibus; obsonio vero sabbato et dominica. Sic enim declaratum est de ejusmodi jejunio. Eamdem quoque legem observamus in jejunio mensis Augusti atque Christi Nativitatis. Verum in solemnitate principum apostolorum Petri et Pauli, siquidem quarta vel sexta die acciderit, nec caseo, vel oleo, aut obsonio vescimur, ut et in festo duodecim apostolorum, si quarta vel sexta die contigerit. Idemque servandum est in sanctorum insignium memoriis. In solis vero dominicis festis jejunium solvimus, quovis die acciderint; oleoque et piscibus his diebus vescimur. Si autem vigiliæ Nativitatis Christi et Luminum, id est Epiphaniæ, quarta et sexta die occurrerint; post completam liturgiam vino tantum et coctis cibis absque oleo reficimur. Sed si forte sabbato et dominica venerint, post Chrysostomi liturgiam, antidota tantum et vinum sumimus, atque ita ad vesperarum finem permanemus; deinde perfecte reficimur. Cæterum per

A dies duodecim Theophaniorum oleo et obsonio et monachi et sæculares vescimur. Item etiam agimus hebdomada præcedente dominicam carnis privii, atque etiam hebdomada casei dicta. Si quis tamen caseum comederit, non peccabit. At in magna Quadragesima singulis ejus hebdomadis siccis vescimur, sabbatisque tantum et dominicis oleo et vino utimur. Obsonium autem non comedimus nisi die Annuntiationis, si extra magnam hebdomadam acciderit. Sed in fine magni sabbati post liturgiam refecti, vinum quoque bibimus, et nihil præterea. Si quis vero vel episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel subdiaconus, aut lector, aut aliquis fidelis oleo et obsonio vescitur feriis quarta et sexta totius anni, exceptis videlicet dominicis festis, extra infirmitatem: si clericus fuerit, deponatur; si laicus, excommunicetur, ut transgressor divinæ legis. Atque hæc quidem scripta sunt ad eos qui sana et firma sunt valetudine. Quod autem spectat ad eos qui infirmi sunt, et fame ob penuriam cruciantur; si etiam in ista magna

B Quadragesima, per totam Quadragesimam pisces quotidie comederint; Dominus ipsis condonabit in præsenti et in futuro sæculo. Amen. » Sed de aliorum jejuniis satis. Nunc de nostris.

A sancto Pascha usque ad Pentecosten. Id est usque ad octavam Pentecosten, uti explicat Hildemarus.

Ad sextam reficiant fratres.] An inchoantem aut absolutam expendendum erit ad cap. 48. Interim hic notare sufficiat Cluniacenses ita prandii tempus disposuisse, ut eo peracto, tunc primum esset media dies, ex Udalrico, lib. I, cap. 18. Dunstanus vero præscribit ut mediante hora quinta cantetur sexta, dehinc manibus lotis adeant mensam.

559 Ante prædictam vero sextam horam non videmus sanctum Benedictum, aut quemquam alium monachorum magistrum aliquid cibi fratribus suis, saltem omnibus, prægustandum concessisse; nonnulli quidem ad nonam aut vesperam refectionem distulerunt; at qui sextam præveniret invenimus ne-

C minem: una est Vita S. Samsonis (*Sæc.* I *Bened.*), in cujus num. 16 hæc lego: « Consuetudo erat in hujus monasterii lege, herbas hortinas per poculum ad sanitatem convenientes fricare, ac singulis fratribus in suis vasculis scyphunculo non grandi ad sanitatem particulatim dividere, ut quando de tertia celebranda veniebant, paratum jam poculum hortinis mixtum herbis reperirent. » Ante hanc autem tertiam horam, ut id etiam obiter observem, quidquam cibi prægustare religio Britannis erat, ut patet ex Beda in Vita sancti Cuthberti, et ex Vita sancti Guthlaci anachoretæ, num. 29, sæc. III Bened.

Et ad seram cœnent.] Scilicet vespere. Nullum ergo S. P. Benedictus toto tempore Paschali præscribit jejunium, idque juxta antiquum Ecclesiæ morem, quo a Pascha ad Pentecosten, ob reverentiam dominicæ Resurrectionis, jejunium solvebatur, ut videre est apud Tertullianum, lib. de Corona militis; sanctum Epiphanium, in Compend. doct. Eccles.; S. Augustinum epist. 55; Regulam Magistri, c. 28;

D Haymonem Halberstatensem, lib. I de Variet., cap. 14. Quæ consuetudo pariter apud monachos communiter viguit, ut patet ex Cassiano, lib. II de Noct. orat., cap. 18, et coll. 21, cap. 20; sancto Hieronymo, præfat. ad Regulam sancti Pachomii, et sancto Joanne Climaco, grad. 14: quamvis non defuerint qui hanc legem incunctanter violare non dubitarint. Et certo vidimus supra sanctum Aurelianum hoc tempore feria sexta jejunium præscribentem; sanctum Cæsarium et Regulam solitariorum feria quarta et sexta; Regulam Magistri exceptis dominica et feria quinta, diebus omnibus; Regulas sancti Antonii, sanctorum Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii, sancti Columbani, Tarnatensis monasterii, et Cujusdam ad monachos, singulis diebus, nisi forte dominica tantum. Sed et Petrus Damiani agens de ordine eremitarum Fontis Avellani, ita habet (*Opusc.* 14): « Ab octavis dominicæ Resurrectionis usque ad diem

sanctæ Pentecostes, quatuor dies per hebdomadam jejunatis propter dominicum vero diem, de cujus reverentia nullus addubitat, tertia et quinta feria bis in die reficitis. Illo enim tempore, ut nostis, non prohibentur monachi auctoritate sacrorum canonum jejunare. » Præterea antiqua consuetudo fuit in Rogationibus jejunare, ut patet ex concilio Turon. II, can. 18, et ex Hildemaro in hunc locum, et ex his quæ retulimus in lib. III de Antiquis monachorum Ritibus, cap. 19.

A Pentecoste autem tota æstate, si labores agrorum non habent monachi, aut nimietas æstatis non perturbat, quarta et sexta feria jejunent usque ad nonam.] Quartæ et sextæ feriæ jejunium retinuit etiam æstate sanctus Benedictus, utpote ab apostolis traditum **560** de quo canon 68 apostolorum : « Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut lector, aut cantor, sacram Quadragesimam Paschæ, aut quartam feriam, aut Parasceven non jejunaverit, deponitor : præterquam si imbecillitate impediatur corporis : sin laicus sit, communione privator. » Clemens in Constitut. apost. (*Lib.* v, *cap. ult.*) « Post hebdomadam jejunii in omni quarta feria et Parasceve præcipimus vobis ut jejunetis. » Sanctus Ignatius (*Epist. 4 ad Phil.*) : « Quartis et sextis feriis jejunare non negligatis, ciborum reliquias pauperibus largientes. » Tertullianus (*Lib. de Jejun.*) : « Cur stationibus quartam et sextam feriam sabbati dicamus, » jejunia suo more stationes appellans. Sanctus Clemens Alexandrinus (*Lib.* VII *Strom.*) : « Novit fidelis ænigmata jejunii horum dierum, quarti, inquam, et sexti. » Sanctus Petrus patriarcha Alexandrinus : « Nemo reprehendit nos observantes quartam feriam et Parasceven, in quibus jejunare juxta traditionem rationaliter nobis præscriptum est. » Sanctus Epiphanius in Synopsi : « Quarta et sexta feria in jejuniis usque ad nonam manere ab apostolis institutum est. »

Quapropter mirum videri haud debet, si tanta jejunium istud religione observarent veteres monachi, ut etiam in hospitum adventu illud violare nefas ducerent, nec nisi pro summa necessitate illud solvere præsumerent : « Absque legitimis quartæ sextæque feriæ, inquit Cassianus (*Lib.* v, *cap.* 24), quocunque pergebamus, quotidiana statio solvebatur. » Et Sanctus Antonius (*In Regula, num.* 15) : « Ne frangas jejunium feria quarta et sexta, nisi ob gravem morbum. » Sanctus Macarius (*In Regula, cap.* 29) : « Quarta et sexta feria qui infringunt jejunium Judæ æstimantur participes, qui Christum tradidit. » Vulgatus sanctus Athanasius (*Syntagma Doctr. ad mon.*) : « Jejunium quartæ videlicet diei et Parasceves, Pentecoste solum et Epiphaniis exceptis, nisi graviter decumbas, diligenter serva. »

Istius observantiæ causam docet Ruffinus, cum agens de S. Apollonio, hæc profert (*Lib.* II *de Vita Patr. cap.* 7) : « Jejunia sane legitima, id est quarta et sexta feria, monebat non esse solvenda, nisi grandis aliqua necessitas fieret ; quia quarta feria Judas de traditione Domini cogitabat, et sexta feria crucifixus sit Salvator. Videbitur ergo qui his diebus sine aliqua necessitate solvit statuta jejunia, vel cum tradente tradere Salvatorem, vel cum crucifigentibus crucifigere. » Eadem ratione sanctus Maglorius (*In ejus Vita, sæc.* I *Bened.*) « in quarta feria et sexta ab omnium ciborum pabulo exstitit alienus, quam observationem jejunii in quarta feria explevit, eo quod in ea sacrilegi et rei facti Judæi sanguineum, ut auctorem suum Dominum morti traderent, pactum statuerunt : sexta autem feria, quia id quod de corde conceperant, ipsum cruci affigentes, in hac opere compleverunt. » Eamdem etiam rationem profert sanctus Augustinus ad Casulanum scribens, et Richardus de S. Angelo in hunc locum. Verumtamen Hildemarus adhuc altius hujus consuetudinis originem repetens : « Hæc, inquit, consuetudo jejunandi quarta feria et sexta feria, orta est a sanctis Patribus, nec non et Judaica consuetudo fuit, sicut Pharisæus dicit : *Jejuno bis in sabbato.* »

561 Istud jejunium sub finem sæculi septimi, sal em a nonnullis, adhuc observabatur, ut patet ex Beda in Vita sancti Cuthberti, cap. 5 (*Sæc.* II *Ben.*) : « Erat namque sexta sabbati, inquit, qua plerique fidelium ob reverentiam dominicæ passionis usque ad horam nonam solent protelare jejunium. » Sed et idem Beda id landis tribuit sancto Aidano (*Lib.* III *Hist. cap.* 5), quod « ejus exemplis informati tempore illo religiosi quique viri ac feminæ, consuetudinem fecerunt per totum annum, excepta remissione quinquagesimæ Paschalis, quarta et sexta feria jejunium ad nonam usque horam protelare. »

Et tamen adeo religiosum antiquis jejunium propter labores graviores agrorum, nimiosque æstatis calores sanctus Benedictus relaxari permittit. Ex qua indulgentia nata est apud nostros postmodum integra ejus exstinctio : « Hoc tamen, inquit Bernardus Cassinensis, in dissuetudinem abiit apud multos, quamquam a sanctis Patribus noscatur hæc abstinentia habuisse originem. » Et revera in antiquis Floriacensis monasterii Consuetudinibus hæc lego : « In prima quarta feria post octavam Pentecostes secundum Patris nostri præceptum jejunare debemus.... Aliis quartis feriis loco jejunii aliquod opus manuum aliquando agimus, aut ex præcepto prioris aliquas preces agimus. » Et apud Udalricum (*Lib.* I, *cap.* 29) : « Si imbecillitas nostra pateretur, dignum esset secundum edictum præceptoris nostri sancti Benedicti, ut post octavas Pentecostes statim omni quarta et sexta feria jejunium faceremus. Quod si non amplius, tamen utcunque non omittimus facere in uno et primo prædictarum feriarum, in quo post tertiam silemus, et post sextam dormitorium ascendentes simulamus meridianam potius quam geramus ; quia mox pulsatur signum ut in ecclesiam redeamus, facturi nudis pedibus processionem. Sane, ut præmissum est, primum diem jejunamus, postea in loco jejunii aliquod opus manuum sæpius agitur a nobis. » Rem non ita absolute definiunt mss. Consuetudines antiquæ Romani Sancti Pauli monasterii, quæ omnia abbatis discretioni et prudentiæ relinquunt, ut si velit « propter pusillanimes vel aerum temperies, aut si labor major factus fuerit, » bis in die fratres reficiant.

Sed quod a nostris neglectum est quartæ feriæ jejunium, illud hactenus magna cum religione observant Græci, testante Arcudio in lib. III de Sacramentis, cap. 5, ubi referens illa Theophilacti verba : Judæi in Christum « feria quarta concilium cœperunt, et propterea nos etiam illas ferias jejunamus ; » ait : « Quæ sententia est verissima, per traditionem accepta, ipsoque usu longissimo Ecclesiarum comprobata ; id enim Ecclesia Romana per multa sæcula observavit : Græca usque ad præsens diligenter observat ; neque aliam rationem reddere Græci possunt cur illo die a carnibus et lacticiniis abstineant. » Quartæ feriæ jejunium diu retinuit Ecclesia Romana, uti hic dicitur ; processu vero temporis in sabbatum translatum, tandem refrigescente charitate ad solam abstinentiam a carnibus, quæ imperfectum jejunium est, redactum est.

562 *Reliquis vero diebus ad sextam prandeant.*] Nullam hic cœnæ mentionem facit S. P. Benedictus, ratus forte satis esse fratribus semel in die reficere, juxta priscorum monachorum morem, qui jejunium solutum existimabant, cum ad sextam licet semel tantum in die reficeretur ; id quod maxime constat ex Cassiano, apud quem abbas Theonas ita loquitur (*Collat.* 21, *cap.* 23) : « Ut ergo et diebus festivis statutæ consuetudo solemnitatis conservetur, et saluberrimus parcimoniæ modus minime transcendatur, sufficit ut indulgentiam remissionis eousque progredi patiamur, ut cibus qui hora diei nona fuerat capiendus, paulo citius, id est sexta hora pro festivitatis tempore capiatur, ea ratione duntaxat, ut escarum

solitus modus vel qualitas non mutetur, etc. » Et ex A sancto Hieronymo ad Eustochium de monachis scribente (*Epist.* 22), quod « a Pascha ad Pentecosten cœnæ mutantur in prandia, quo et traditioni Ecclesiæ satis fiat, et ventrem cibo non onerent duplicato. » Idem etiam post scriptam S. P. Benedicti Regulam advertere licet in Regula sancti Fructuosi, in qua hæc lego : « A Pascha usque ad Pentecosten reficiendum est ad sextam, et monophagia, id est unica refectio conservanda est. » Idem et de nostris Fuldensibus refert Mabillonius (*Præfat. ad sæc.* III, *part.* I, *num.* 25), quod scilicet « abstinuere a cœna per totum annum iidem ad ætatem Marcwardi abbatis, id est ad medium sæculum duodecimum, nec ante decimum quartum feminas in ecclesiam suam admiserunt. » Idemque asserendum esse de iis monasteriis quæ ad Fuldensium normam vivebant, in quibus *instituta est disciplina purior.*

Neque tamen defuerunt ex priscis monachis qui prandium ad sextam, et sero cœnam æstate sibi pararent, quod de Tabennensibus imprimis refert sanctus Hieronymus (*Præfat. ad Regulam S. Pachomii*): « Bis, inquit, in hebdomada die quarta et sexta sabbati ab omnibus jejunatur, excepta Pentecoste : aliis diebus comedunt, qui volunt post meridiem, et in cœna similiter mensa ponitur propter laborantes, senes, pueros, et æstus gravissimos. Sunt qui secundo parum comedunt, alii qui prandii sive cœnæ uno tantum cibo contenti sunt, nonnulli gustato paululum pane egrediuntur. » Nec desunt etiam qui ita sancti Benedicti textum intelligant de prandio simul et de cœna. Sed ad sui temporis usum respexisse credendi sunt, præsertim cum nulla possit afferri ratio cur supra a Pascha ad Pentecosten ob reverentiam sacræ Resurrectionis et adventus Spiritus sancti dixerit, *ad sextam reficiant, et ad seram cœnent,* hic vero postremum istud taceat. Nolim tamen id certo definire, cum supra ex sancto Hieronymo aliquos viderimus ex antiquis monachis prandium cœnamque permittentes ; quod etiam patet ex Cassiano, lib. III, cap. 12, quanquam hæc cœna levissima esset, nec nisi *propter laborantes, senes, pueros, et æstus gravissimos concessa,* essetque *extraordinaria inter monachos ista refectio, nec omnes ad eam convenire cogerentur,* ut docet Cassianus. Et certe plures ex antiquis monachis omnino non cœnasse præter ea quæ diximus, probat Regula ms. incerti auctoris, cap. 2.

Quæ prandii sexta, si opera in agris habuerint **563** *aut æstatis fervor nimius fuerit, continuanda erit.*] Quarta et sexta feria perinde ac aliis diebus. In Regula Tarnatensi hæc habentur (*Cap.* 9) : « Quando messes et vindemiæ colliguntur, bis in die, id est hora sexta et duodecima refectionem accipiant : quarta vero et sexta feria ita moderari opera debet, ut, si fieri potest, statuta jejunia non omittant; sed universa, prout utilitas aut labor exegerit, ita senioris judicio disponantur. »

Et in abbatis sit providentia.] An feria quarta et sexta ad sextam sit prandendum, an ad nonam reficiendum.

Et sic omnia temperet atque disponat, qualiter et animæ salventur.] Summam hic sanctus Pater abbati tribuit potestatem; qui enim dicit *omnia*, nihil omnino reservat : et ex hac forte potestate orta est apud nostros consuetudo bibendi æstate post nonam, maxime si semel tantum in die reficerent ad sextam. Quæ quidem consuetudo antiquissima, per multa nostris in monasteriis etiam recte ordinatis sæcula viguit. Primam ejus mentionem reperi in Regula Magistri, in qua hæc scribuntur (*Cap.* 27) : « In his æstatis diebus cum ad sextam reficitur, post dictam nonam quotidie abbas exiens de oratorio in sua sedeat cathedra; et circumstantibus ante eum in ordine omnibus, ejecto a cellerario vino, misceantur ab hebdomadariis in consueto vase per singulas mensarum decadas omnium singulæ potiones secundum numerum congregationis et suum. Statim surgens abbas oret cum omnibus; et post orationem, antequam sedeat, oblatum sibi vas cum mixto signet eum. Mox secum omnes ad mensas suas jubeat sicut consueverunt sedere, et bibens prius ipse, deinde singulatim mixtum per mensas singulas omnibus faciat propinari. Quibus expletis, surgant iterato, et orent, et post orationem redeant universi ad opera, quæ dimiserant facientes. » Et in Capitulis monachorum ad Augiam directorum (*Cap.* 8) : « Ut per totum tempus æstivum dum fratres bis in die reficiunt, post horam orationis nonam stantes in oratorio cum divino tremore orantes exspectant, dum tintinnabuli signum præpositus pulsaverit ad refectorium. Quo audito, omnes illo conveniunt; quamvis etiam aliquis bibere non potuerit, se tamen debet præsentare, ne locus ejus appareat vacuus. Et si quis præsens ad dicendum post benedictionem *amen* non fuerit, sublatur ei portio sua de potu. Postquam autem biberint fratres, vadunt ad capitulum, et quod eis injunctum B fuerit laborant, etc. » Ejusdem bibendi post nonam consuetudinis fit mentio etiam in Consuetudinibus sancti Benedicti abbatis Anianensis, tom. IV Analect.; in Capitulis monachorum Sangallensium, cap. 27 ; apud Udalricum, in lib. Usuum Cisterciensium, cap. 80, et passim in omnibus ordinariis et consuetudinariis monasteriorum nostrorum. Cassinenses ad potum addebant poma, ut discimus ex epistola Theodemari : « Æstatis tempore post nonam, si est aliquid de pomis, et singulas phialas nostris fratribus præbemus. » Sed poma sustulisse videtur concilium Aquisgr. statuens (*Can.* 10), « ut poma et lactucæ, nisi quando alius sumitur cibus, non comedantur. »

564 Ex eadem quoque potestate abbati a S. P. Benedicto concessa, aut etiam ex consuetudine bibendi æstate post nonam, orta est et alia diebus jejunii bibendi post vesperas, de qua Regula Magistri (*Cap.* 27) : « His æstatis diebus cum ad horam nonam reficitur, sera antequam compleant binæ omnibus sufficiant potiones : ita tamen ut antequam bibant, C orent; et postquam biberint, reorent ; » et infra : « Illis vero diebus in quibus in hieme ad nonam reficitur, post dictam vesperam non amplius quam singulos caldos accipiant : ita tamen ut antequam bibant, orent; et postquam biberint, reorent. » Id quod etiam in Quadragesima indulget concilium Aquisgranense, statuens (*Can.* 12), « ut si necessitas poposcerit ob operis laborem post refectionem vespertinam etiam, et in Quadragesima pari modo, et quando officium mortuorum celebratur priusquam lectio completorii legatur, bibant. » *Vide* Udalricum, lib. I, cap. 41 ; lib. Usuum Cisterc., cap. 80, *de bibere post vesperas*, et lib. I de Antiq. monach. Ritibus, cap. 2.

Et quod faciunt fratres absque justa murmuratione faciant.] Justa murmuratio ex Smaragdo illa dicitur quam non voluntarie, aut non sine causa, sed inviti et coacti monachi faciunt.

Ab idibus autem Septembris, etc.] Hic non parum torquentur commentatorum ingenia in conciliando D hoc loco cum cap. 48, ubi S. P. Benedictus præscribit ut *a Pascha usque ad calendas Octobris.... post sextam surgentes a mensa pausent in lectis suis.* Nonnulli, ut refert Hildemarus, existimaverunt hunc a S. P. Benedicto locum scriptum esse pro non laborantibus in agris, qui ab idibus Septembris inchoare debent jejunia; caput vero 48 pro laborantibus in agris, quibus sanctus Pater permisit usque ad calendas Octobris perinde ac tota æstate reficere ad sextam. Ita inter alios Smaragdus : « Quæstio, inquit, oritur quomodo hic ab idibus Septembris jejunandum quotidie dicat, cum in capitulo 48 dicturus sit : a Pascha usque ad calendas Octobris post sextam surgentes a mensa pausent. Quæ ita solvitur : Si habuerint opera in agris, vel vindemiant in vineis, ubi per se occupentur, usque ad calendas Octobris ad sextam reficiant. Sin autem non habuerint, ab idibus Septembris generale jejunium inchoatur. » Alii censuerunt illis decem et octo diebus qui ab idibus Septem-

bris ad calendas Octobris intercipiuntur, eodem se modo gerendum esse ac feria quarta et sexta tota æstate, hoc est ut post sextam dormiant; deinde missam sic decantent, ut ea finita octava hora mediata nona dicatur; qua dicta, reficiant. Et hæc est Hildemari sententia: « Isti, inquit, dicunt proprium sensum sancti Benedicti, qui dicunt ita agendum esse in istis decem et octo diebus, sicut illis diebus duobus de æstate. Ita vero agendum est in illis diebus quando ad nonam manducant, id est sexta cantata vadant dormire. Deinde qui debet tangere signum, cum videt horam congruam, tangere debet signum missæ; deinde missa cantata sit media octava, et cantent nonam, 565 deinde manducent. » Atque eam fuisse Cassinensium praxim suo tempore testatur Bernardus Cassinensis. Sed nodum difficultatis solvisse videtur Petrus Boherius in secundo commentario, *ab idibus* Septembris explicans *a die* 13 *Septembris exclusive*. Et revera postridie, sive die 14 Septembris incipiunt numerari dies ante calendas Octobris, quos propterea sanctus Pater vocat calendas Octobris. Ex quo corrigendus est idem Boherius in primo commentario dicens: « Ipsa die idus Septembris ad nonam fratres reficiunt, quia tunc incipiunt jejunare; » et Statuta Lanfranci, quæ præscribunt (*Cap.* 1, § 6) ut « ab idibus Septembris privatis diebus agantur continue jejunia quæ Regula præcipit, atque ipsa die iduum incipiant jejunare; » et Consuetudines Romani Sancti Pauli monasterii, in quibus similiter legitur: « Idibus Septembris agant primam sicuti prius, denique ipso die incipiatur jejunium quod Regula præcipit. » *Vide* lib. IV de Antiq. monach. Ritib., c. 8. Hanc nostram explicationem confirmat Carolus Cointius in cap. 48 Regulæ.

Usque ad caput Quadragesimæ.] « Id est usque ad secundam feriam post dominicam primam Quadragesimæ, inquit Menardus, ita ut Quadragesima hoc loco sumatur pro jejunio quadragesimali. »

Ad nonam semper reficiant fratres.] Hac nimirum hora qua veteres Romani ad cibum capiendum vocabantur, uti discimus ex Regula Magistri, quæ propterea ait (*Cap.* 28): « Erubescamus nos, qui sumus spiritales, fugere hora nona jejunium, cum vetusta consuetudo antiquitus cognoscitur prandia ignorasse, sed semper vesperam, hoc est cœnam suis refectionibus ordinavit. In tantum et annona quæ erogabatur aut laborantibus, aut militibus, ideo annona usque hodie dicitur, quia ad horam nonam diei erogabatur, quando et sumebatur, et ideo usque hodie annona nomen remansit. » Consentit sanctus Isidorus docens (*Lib.* XX *Orig.*, *c.* 2) annonæ vocabulum tractum esse a tempore quo Romani veteres ad cibos vocabantur.

Nullum ab idibus Septembris ad Pascha diem a jejunio eximit S. P. Benedictus. Ex communi tamen Ecclesiæ consuetudine ac lege, cui, repugnantibus licet summis abstinentiæ votis, ultro parebant etiam monachi, dominica propter reverentiam Resurrectionis Domini solvendum est jejunium. Quod sanctus Pater Benedictus tanquam omnibus notum et ubique receptum subticuit; neque enim eum latere poterat quod ait concilium Carthagin. IV (*Can.* 64): « Qui dominico die studiose jejunat, non credatur catholicus. » Et concilium Gangrense (*Can.* 18): « Si quis propter eam quæ existimatur exercitationem (hoc est vitam monasticam) die dominico jejunaverit, anathema sit. » Et Tertullianus (*Lib. de Corona milit.*, *cap.* 3): « Diebus dominicis jejunare nefas ducimus; » sanctus Ambrosius (*Epist.* 83): Dominica jejunare non possumus; quia monachos etiam ob istius diei jejunia jure damnamus. » Et sanctus Athanasius (*Syntag. doctr. ad mon.*): « Sabbato et dominica ne jejunes, præterquam magno Sabbato S. Paschatis... Provide ne quisquam te inducat ad jejunandum omnino Dominica die 566 vel genuflectendum, neque in Pentecoste; nam Ecclesiæ mandatum non est. Præcaveto ne Marcionistæ te decipiant, vel hæresis

A alia, sabbato æque ac dominica ut jejunes. » *Vide* Cassian. lib. III, cap. 11, et collat. 21, cap. 20.

Eamdem ob rationem in præcipuis etiam sanctorum festis a jejunio abstinendum esse censuerunt nonnulli vitæ monasticæ Patres. Exstat integrum hac de re capitulum (*Cap.* II) in Regula sancti Isidori his verbis expressum: « Hæ sunt feriæ monachorum, in quibus jejunia conquiescunt. In primis venerabilis dies dominicus, nomini Christi dicatus, qui sicut propter mysterium Resurrectionis ejus solemnis est, et ita apud omnes servos ejus celebritatem convivii votivo gaudio retinebit. Item a primo die Paschæ usque ad Pentecosten, quinquaginta scilicet continuis diebus jejunium a sanctis Patribus dissolutum est, propter Resurrectionem videlicet Christi, et adventum Spiritus sancti, ut hi dies non in figura laboris, quod Quadragesimæ tempus significat: sed in quiete lætitiæ laxatis jejuniis celebrentur. Placuit etiam Patribus a die Natalis Domini usque ad diem Circumcisionis solemne tempus efficere, licentiamque B vescendi habere. Non aliter et dies Epiphaniæ ex veteri Regula reficiendi indulgentiam consecuta est. Si quidem et dum quisque fratrum convertitur, alii ex aliis monasteriis fratres gratia visitandi concurrunt, pro charitate adimplenda interrumpuntur jejunia, si tamen non fuerint generalia. Præter hæc, alia tempora libere licenterque jejuniorum inserviunt. » In concilio etiam Aquisgranensi statuitur (*Can.* 46), « ut in præcipuis solemnitatibus, id est Natale et in octavis Domini, in Epiphania, in Pascha quoque, et Ascensione Domini et in sanctorum festivitatibus, id est sancti Stephani, et B. Joannis evangelistæ, et in natale Infantium, in Purificatione, et Assumptione sanctæ Mariæ. Similiter et in B. apostolorum festis, et in S. Joannis Baptistæ Nativitate, sancti quoque Laurentii atque Martini, seu in natalitiis cujuslibet sancti, cujus honor in qualicunque parochia specialiter celebratur, plenarium officium agatur, et bis reficiatur. » Cluniacenses, ut docet C Udalricus (*Lib.* I, *cap.* 39 *et* 43), jejunium relaxabant infra octavas Natalis Domini, Epiphaniæ, et S. Martini, et in præcipuis solemnitatibus sanctorum. Illas præcipuas festivitates declarat Petrus Venerabilis suis in Statutis, decernens (*Statut.* 14), « ut jejunia regularia ab ibidus Septembris usque ad caput Quadragesimæ a nostris semel in die comedendo serventur, excepto festo sancti Michaelis et Dedicationis ecclesiæ, et apostolorum extra Adventum et Septuagesimam provenientibus, festivitatibus abbatum Cluniacensium, octo diebus Natalis Domini, Epiphaniis prima tantum die, festo sancti Marcelli papæ, et sancti Vincentii martyris, atque Purificationis sanctæ Mariæ. Conversione vero sancti Pauli jejunium non solvetur, quoniam de eodem apostolo aliis aliis annis temporibus festivitates Ecclesia celebrat. Cathedra sancti Petri eadem die jejunium relaxabitur, et etiam quia infra Septuagesimam festivitas illa semper occurrit, tunc vero post missam majorem 567 statim sexta cantabitur, et facto intervallo nona sequitur. » D De Carthusianis quoque idem Petrus Venerabilis sic loquitur (*Lib.* II *Mir. cap.* 28): « Semel in die semper comedunt, exceptis octo diebus Natalis Domini, octo diebus Paschæ, octo diebus Pentecostes, Epiphania Domini, Repræsentatione ejus, hoc est Purificatione sanctæ Mariæ; Annuntiatione Domini, quando paschali tempore pervenit; Ascensione Domini, Assumptione, ac Nativitate jam dictæ sacræ Virginis matris ejus, et exceptis festis duodecim apostolorum, sancti Joannis Baptistæ, sancti Michaelis, sancti Martini, et illo, quod in calendas Novembris celebratur, festo Omnium Sanctorum. » Petrus Damiani in suæ congregationis Institutis (*Opusc.* 15, *cap.* 6) ab idibus Septembris ad Pascha hos solos dies a jejunio eximit, festum « sancti Martini, et sancti Andreæ, hebdomada Natalis Domini, et uno die Epiphaniæ et Hypopanti. » Cassinenses vero (*Cassin. cap.* 41) dispensant a jejunio in festis sancti Matthæi,

sancti Michaelis, sanctæ Justinæ de Padua, sancti Lucæ, sanctorum Simonis et Judæ, Omnium Sanctorum, sancti Martini, sancti Andreæ quando celebratur extra Adventum, Nativitatis Domini cum tribus sequentibus diebus, Circumcisionis, Epiphaniæ, sancti Antonii abbatis, Purificationis beatæ Mariæ, sancti Matthiæ quando extra Quadragesimam venit, et tituli loci. Novæ Declarationes addunt festa sancti Placidi, omnium sanctorum Monachorum, sancti Mauri, S. Scholasticæ. Denique Fulienses (*Const. Fuliensium, c.* 41) a jejunio eximunt festa Sanctorum Omnium, Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Purificationis, et titularis monasterii. Et certe cum jejunia magis sint *afflictionis quam exsultationis, non conveniunt in diebus lætitiæ*, inquit S. Thomas (2-2, *quæst*, 147, *a.* 5, *ad* 3). Unde et veteres solvere jejunium solebant in martyrum solemnitatibus, quod ne eveniret in Quadragesima, concilium Laodicenum cap. 51 statuit ne martyrum festa in Quadragesima celebrarentur. Laudabiliores tamen qui festa sanctorum spiritualibus potius quam corporalibus gaudiis student celebrare, et animabus potius quam corporibus reficiendis, in hisce festis laborant. Qua de re Cistercienses commendat Petrus Venerabilis, lib. I, epist. 28, idque actitant etiam nunc magna cum laude nonnullæ monachorum et monialium congregationes.

In Quadragesima vero usque ad Pascha ad vesperam reficiant.] Id quod singulare non exstitit monachis, sed omnibus etiam Christianis fuit commune: quæ consuetudo adhuc tempore sancti Bernardi vigebat, uti ipse testatur, fratres suos initio Quadragesimæ sic alloquens (*Serm.* 3, *in Quadrages.*): « Hactenus ad nonam jejunavimus soli, nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum pariter universi, reges et principes, clerus et populus, nobiles et ignobiles, simul in unum dives et pauper. » *Vide* Petrum Bles. serm. 11.

Ipsa tamen vespera sic agatur, ut lumine lucernæ non indigeant reficientes.] Idque tres ob causas quas refert Haeftenus (*Lib.* x, *tract.* 1, *disq.* 3). 1° Ne videretur imitari Judæos, qui nonnisi post solis occasum jejunium violabant; 2° ne gravius esset extendere **568** jejunium his qui hora noctis octava surgentes, magnam diei partem in labore, psalmis canendis, aliisque spiritualibus exercitiis impenderunt; 3° ne nocturnæ quieti pars noctis notabilis subduceretur. Quartam addit rationem Menardus, scilicet « quia cum lucernæ lux sit suboscurior, daretur occasio maligno, præcipue in amplo refectorio instigandi fratres ad confabulationem, et quædam alia illicita. »

Sed luce adhuc diei omnia consummentur.] Quod facile præstabunt circa horam diei ultimam reficientes; nam ante decimam horam, ad quam usque ex cap. 48 labori manuum vacare debent, et post quam satis probabiliter vesperas decantabant, nihil cibi percipere debent. S. Gerasimus nec discipulos suos ad lucernam legere permittebat ex Vita S. Euthymii, num. 91 (*Tom.* II *Monum. Eccles. Græc.*).

Sed et omni tempore, sive cœnæ, sive refectionis, hora sic temperetur, ut cum luce fiant omnia.] Hic non parum laborant aliqui in explicanda ratione qua hiemis tempore, cum solvitur relaxaturque jejunium, *cum luce fiant omnia.* Menardus existimat « S. P. Be- A nedictum maxime huic constitutioni astringere eos qui in Italia similibusque regionibus habitant, ubi circa solstitium brumale dies non sunt ita breves ac in regionibus borealibus, ut in Anglia, Scotia, Dania, extrema Belgia, et similibus, in quibus ob brevitatem dierum hæc observari non potest institutio. » Verum, uti observat Haeftenus (*Lib.* x, *tract.* 1, *disq.* 3), et patet ex Cassinensium Declarationibus, etiam in Italia sine manifesta corporum læsione luce adhuc diei haud potest cœna consummari: unde et ille « crediderim, inquit, nusquam fere ad litteram hunc regulæ textum observari. Quod si omnino Regulam servandam quis urgeat,..... dicere liceret nec ipsas forte dominicas, nec ulla festa jejunio regulari tempore sancti Benedicti fuisse exempta.... Sin autem, quod dominicis prohibitum esset jejunare, velimus cœnasse, dicendum tam modicam fuisse hanc cœnam, ut grave inde non formidarent incommodum. » Ita ille, nihil definiens. Difficultatem vero facile solvet B qui observaverit jejunium relaxari posse tribus modis: 1° bis in die reficiendo; 2° Lautius aliquid solito comedendo; nam et sanctus Petrus Damiani illos jejunare dicebat « qui panem cum sale et aqua percipiunt; ubi præter hæc aliud quid additur, inquit, in eremo jejunium non vocatur. » 3° Solitam refectionis horam præveniendo. Sic Cabilonense concilium eos in Quadragesima non jejunare asserit, qui ad nonam ederent, ut videre est apud Gratianum, de Consec. dist. 1, cap. *Solent.* Atque postremo hoc modo veteres monachi jejunium solvere solebant, ut patet ex dictis, maxime ex sancti Hieronymi testimonio ad Eustochium scribentis, quod apud eos « a Pascha ad Pentecosten cœnæ mutantur in prandia, quo et traditioni Ecclesiæ satis fiat, et ventrem cibo non onerent duplicato. » *Vide* Regulam Magistri, cap. 53.

His prænotatis explicatu non est difficile quomodo luce adhuc diei omnia consummarent, etiam hieme, cum non jejunarent. Nam, 1° cum **569** sanctus Pater ad cœnam non indulgere videatur nisi tertiam libræ C panis partem cum aliquibus ad summum fructibus, hanc absque ullo corporis incommodo et sanitatis periculo consummare poterant ante horam decimam, id est ante nostram horam post meridiem quartam, etiam ad sextam prandentes. 2° Jejunium hora solita reficientes solvere poterant, aliquid solito lautius edendo, verbi gratia, pisces cum aliis diebus in solis leguminibus cœnam acciperent. 3° Ad sextam prandentes, qui privatis diebus ad nonam cœnarent. Atque postremo hocce modo satis probabile est primos sancti Benedicti discipulos dominicis diebus solvisse jejunium, tum ad imitationem priscorum monachorum, quorum vestigiis in multis inhærere studuit, tum quia æstate, qua nullum præscribit jejunium, solum sine cœna prandium concessisse videtur; tum quia Regula Magistri, quæ pene tota est ex Benedictina, aliud nihil instituit: « Illis vero diebus, inquit (*Cap.* 27, *vide cap.* 53), in hieme in quibus sexta reficiunt, sera penitus nihil cœnent. »

D Nicolaus de Fractura S. Benedictum mystice exponens ait: « Cum luce, id est cum Christo, qui vera lux est, sicut ipse de seipso testatur in Evangelio: *Ego sum lux vera*, etc. »

CAPUT XLII.

Ut post completorium [a] *nemo loquatur.*

Omni tempore silentio [b] debent studere monachi, maxime tamen nocturnis horis. Et ideo omni tempore, sive jejunii, sive prandii, si tempus fuerit prandii [c], mox ut surrexerint a cœna, sedeant omnes in unum [d], et legat unus collationes vel vitas Patrum, aut certe aliquid [e] quod ædificet audientes; non

[a] Flor., *completerios.*
[b] Cassin., Flor. cum tribus mss., *silentium.*
[c] Deest in Flor., *si tempus fuerit prandii.*
[d] Al., *in unum locum.* Al., *in uno loco.*
[e] Narb., *aut codicem alium.* Al., *aut certe aliud.*

autem Eptaticum, aut Regum : quia infirmis intellectibus non erit utile illa hora hanc Scripturam audire : aliis vero horis legantur. Si autem jejunii dies fuerint [a], dicta vespera, parvo intervallo, mox accedant ad lectionem collationum, ut diximus; et lectis quatuor aut quinque foliis, vel quantum hora permittit, omnibus in unum occurrentibus [b], per hanc moram lectionis. Si quis forte in assignato sibi commisso fuerit occupatus, occurrat.

A **570** Omnes ergo in unum positi [c], compleant : et exeuntes [d] a completoriis nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid. Quod si inventus fuerit quisquam prævaricari hanc taciturnitatis regulam, graviori [e] vindictæ subjaceat : excepto si necessitas hospitum supervenerit, aut forte abbas aliquid jusserit. Quod tamen et ipsum cum summa gravitate et moderatione [f] honestissime fiat.

[a] Cassin., Conc., Hild., cum quibusdam aliis, *fuerit*.
[b] Narb., *omnibus in unum ad complere Psalterium occurrentibus*.

[c] Al., *congregati*.
[d] Lyr., *exeuntibus*, lectio non spernenda.
[e] Oxon. Cassin., *gravi*, sed deest in Lyr.
[f] Al., deest *moderatione*.

COMMENTARIUS.

Omni tempore silentio debent studere monachi, etc.] Hoc S. P. Benedicti effatum, quod explicuimus supra, ad cap. 6, nihil absolute determinat, sed solum præparat et disponit discipulos ad proximum decretum : « Exeuntes a completorio, nulla sit denuo licentia cuiquam loqui aliquid. »

Et ideo omni tempore, sive jejunii, sive prandii.] Id est, sive sit tempus jejunii, sive non; quia jejunantes non prandebant, unde prandium et jejunium opponuntur.

Si tempus fuerit prandii, mox ut surrexerint a cœna.] Cum nimirum cœnant, hoc est, tempore duntaxat paschali : nam totâ æstate non videtur sanctus Pater cœnam concessisse, ut diximus superiori capite. Igitur mox ut surrexerint a mensa : « Illud *mox*, inquit Hildemarus, non pro continuatione positum est; sed quia noluit sanctus Benedictus, ut grande intervallum fuisset, sed parvissimum inter cœnam et collationem; ideo dixit mox, ac si diceret : Ut surrexerint a cœna, parvissimo intervallo facto donec servitores manducant, mox accedant ad lectionem. » Similiter Bernardus Cassinensis : « Quod, inquit, dicit mox ut surrexerint a cœna, non dicit quod incontinenti postquam surrexerint primi, debeat fieri collatio; sed postquam surrexerint servitores, quoniam omnes ad illam lectionem debent ad completorium convenire. » Eamdem sequitur sententiam Joannes Craesbeeck, uti et Cassinenses, qui in antiquis Declarationibus hunc ad locum sic scribunt : « Intellige *mox* largo modo, quia plerumque differunt per horam, vel amplius, ne hujusmodi lectio ob recentem cœnam sit tædiosa. » Addit Haeftenus (*Lib.* IX, *tract.* 5, *disq.* 3) : « Præterea, ut lector, et minister mensæ interea cœnare, omniaque suis locis reponere possint. Denique, ut aliqua animi relaxatio concedatur religiosis, quibus grave forte foret ab una lectione, quam in cœna ad mensam audiverunt, ad aliam statim accedere, adeoque utramque facile negligerent. » **571** Sed in contrariam abit sententiam Petrus Boherius, qui relatis supra citatis Bernardi Cassinensis verbis addit : « Sed ista expositio mihi non placet; nec servitorum exspectatio eam juvat, licet contrarium practicetur saltem apud nos. » Et certe si ex sequentibus sancti Benedicti verbis de ejus mente judicium ferre liceat; parvum istud intervallum non poterat esse nisi nullum. Nam paulo post addit : « Si autem jejunii dies fuerint, dicta vespera parvo intervallo mox accedant ad lectionem; » quæ verba prioribus omnino opponuntur. Maxime cum istud diebus jejunii *parvum intervallum* haud dubium cœna, quæ post vesperas agebatur cum duplex esset refectio, consumebat. Nec urget in contrarium cœna servitorum, quam dum fit lectio collationis, accipere possunt. Sane Hildemarus nullum vult servari intervallum, ubi fratres tardius so- B lito cœnare contingit : « Et hoc notandum est, inquit, si tempore nubili fallitur vespera, ita est, plus tarde quam aliis diebus, non debet intervallum inter cœnam et collationem exspectare, aut facere abbas sicut in aliis diebus, quando moderate agitur; sed mox accedere ad collationem. » Aliquod tamen intervallum servabant Cluniacenses, ut patet ex Udalrico, lib. I, cap. 18. Nunc vero Cassinenses ex novis eorum Declarationibus cœnant post completorium. Sed non recte.

Sedeant omnes in unum.] Id est simul, sive, ut alii legunt, in unum locum, seu in uno loco. De loco ubi facienda sit collatio, diximus in lib. I de Antiq. monach. Ritibus, cap. 11.

Et legat unus collationes.] Quales descripsit Cassianus.

Vel vitas Patrum, aut certe aliquid quod ædificet audientes.] Quod Smaragdus explicat « de homiliis Patrum, in quibus ædificationes pleniter scriptæ sunt C audientium; vel certe de expositionibus librorum catholicorum, quæ ab orthodoxis factæ sunt viris, in quibus sancta sufficienter sanctis doctrina redundat monachis. » Similiter Bernardus Cassinensis : « De homiliis sanctorum doctorum, et aliis moralibus et ædificationis documentis. » Et Nicolaus de Fractura : « De homiliis sanctorum Patrum, et aliis moralibus, et de lib. Dialog. B. Gregorii, de vitis Patrum, et aliis similibus. » Ita sanctus Benedictus abbas Anianensis unum « ex sanctorum doctorum homiliis, quæ in exhortationem monachorum sunt prolatæ conjunxit librum; eumque omni tempore in vespertinis collectis legere jussit. » In codice vero Conchensis monasterii ad calcem ms. Regulæ sancti Benedicti hæc leguntur : « Ii sunt qui leguntur ad collationem : Ephrem, Pastoralis, liber de Ædificatione claustri, Vita Patrum, Dialogus Gregorii, Diadema Monachorum. »

Non autem Eptaticum aut Regum.] « Heptateucus, inquit sanctus Augustinus (*Lib.* II *de Doct. Christ.* D *cap.* 8), continet quinque libros Mosis, librum Josue, et Judicum : nam quod spectat ad librum Ruth, magis ad Regnorum principia videtur pertinere. »

Per hoc autem quod dicit Eptaticum aut Regum, inquit Hildemarus, **572** significat illos libros qui similes sunt illis, id est qui sub allegoricis figuris conscripti sunt. »

Et lectis quatuor aut quinque foliis, vel quantum hora permittit.] Hora id est tempus; quod sanctus Pater addidit, *quia*, inquit Boherius, *luce etiam diei debent omnia consummari*. Quantum vero duraret hujusmodi temporis spatium, non facile dixerim. Cassinenses quartam horæ partem hac in lectione insumunt : quod spatium etiam olim haud excessisse censet Haeftenus : « Et vero, ait, jam olim ante octingentos annos brevior videtur fuisse hæc lectio

collationis, adeo ut quadrantem fortassis horæ non expleverit, quod colligere licet ex Diademate monachorum Smaragdi abbatis, in quo capita non admodum sunt prolixa : in eum autem rem libellum illum composuerat, ut singulis diebus ad collationem ex eo caput legeretur. » Verum an in legendis quatuor aut quinque foliis scripturæ non admodum parvæ nec admodum magnæ, tantillum tempus sufficiat, judicent alii. Adde quod hanc ad lectionem exhortationes expositionesque nonnunquam adjungebant, ut colligimus ex his Hildemari verbis : « Tempore collationis et in loco collationis nullus debet loqui, nisi aut lector qui legit, aut abbas qui exponit, aut certe talis cui jusserit tradere lectionem. » Quæ consuetudo originem ducit ex institutis sancti Pachomii. Nam, ut legimus in ejus Vita (*Num.* 79, *apud Boll.*, 14 *Maii; vide num.* 56), « consuetudo illis erat jam inde ab initio, circa vesperam, manuali opere ac cœna peractis, in unum simul considere ad scrutandas Scripturas, ab omni alia sollicitudine tunc liberi, præterquam ab ea quæ salutem eorum concernebat. » Quidquid sit, saltem tamdiu durare debebat quoad lector, servitores, aliique qui primam ad mensam cœnare haud potuerant, variisque officiis occupati, occurrere possent; omnes enim interesse completorio voluit sanctus Pater; unde et subjungit :

Omnibus in unum concurrentibus per hanc moram lectionis, si qui forte in assignato sibi commisso fuerit occupatus, occurrat.] Ex hoc loco patet nullum ex sancti Benedicti mente a completorio eximendum esse; ideo enim hanc præmitti voluit lectionem, ut interim variis occupati officiis occurrentes, omnes in unum positi compleant. *Omnes*, inquit, nullum excipit; « non abbatem, inquit Smaragdus, non præpositum, non decanos, qui aliquoties aliis in ecclesia cantantibus, potibus, aut fabulis, aut consiliis vacant in hac hora; sed omnes in hac collationis hora occurrere, omnes in unum completorium jubet cantare. » Cui tamen legi derogat Lanfrancus in Statutis hæc scribens (*Cap.* 16) : « Completorium vero dum cantatur, licet priori et eis qui per licentiam de completorio remanent, de utilibus et necessariis rebus loqui. Similiter dum regularem horam fratres in ecclesia dicunt, nullus comedat in refectorio, excepto solo completorio; tunc enim licet iis, qui aliqua utilitate impediti ante illam horam se expedire non possunt, et fratribus, qui de foris veniunt, comedere in refectorio. Qui si ante collationem **573** incipientes comedere circa finem completorii cœnam suam commode explere non valent, licet eis a mensa surgere, et in monasterium ad benedictionem ire, et postea in refectorium ad complendam cœnam redire. » Longe observantiores ii, de quibus in capitulo 9 monachorum ad Augiam directorum sic lego : « Ut ad collationem accesserint, omnes unanimiter occurrunt, debiles, et infirmi etiam, si de lecto surgere valuerint, veniunt; quid de cæteris dicendum est? Lector autem tamdiu legat, usque dum omnes in unum positi compleant. » Ex mss. etiam sancti Benigni Consuetudinibus (*Cap.* 46) infirmi ad collationem accedere debebant, quamvis eis capitulum ingredi fas non esset; sed intra ecclesiam B. Benedicti (hæc erat capella infirmorum) prope ostium manentes, quæ legebantur auscultabant.

Omnes ergo in unum positi compleant.] « Id est completorium dicant, vel compleant hanc scilicet collationis moram, » inquit Boherius.

Et exeuntes a completorio, nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid.] Quod dicit *exeuntes a completorio*, intelligendum est de completorio officii, non de completorio collationis : « Non debet tamen quilibet postquam surgit e capitulo aliquid loqui : quia, inquit Hildemarus, aliud silentium eum constringit. » Hanc vero silentii nocturni legem cum S. Benedicto præscribunt S. Pachomius in Regula, art. 53; S. Aurelianus, cap. 35; S. Isidorus, cap. 14; S. Fructuosus, cap. 17; Regula Cujusdam ad virgines, A cap. 9, denique Regula Magistri, ubi sic loquitur (*Cap.* 30) : « Factis completoriis in ultimo dicunt hunc versum : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis;* mox ingrediantur silentium, et suis se collocent lectis, et tanto silentio redigantur, ut usque ad nocturnos putetur nullus ibi esse de fratribus. »

Quod si inventus fuerit quisquam prævaricari hanc taciturnitatis regulam, gravio ri vindictæ subjaceat.] Qualis autem esse debeat, S. Pater non explicat. In Pœnis incerti auctoris, apud S. Basilium, decernitur (*Num.* 12), ut « si quis inveniatur nocte privatim cum aliquo agere, aut locum ubi dormit mutare præter voluntatem ad hoc designatorum, excommunicetur. » Et item (*Num.* 15) : « Si quis vesperi post *Pater noster* inveniatur colloquens, excommunicetur. » Idem præstitisse legitur S. Benedictus in sanctimoniales linguæ plus debito indulgentes. De aliis violati silentii pœnis vide Haeftenum lib. VI, tract. B 3, disq. 13.

Sed quæret aliquis quandonam silentium nocturnum obligare incipiat : incepto, an finito completorio, et iterum quandonam desinat. Primum satis explicat sanctus Benedictus cum dicit : *Exeuntes a completorio nulla sit denuo licentia cuiquam loqui aliquid.* Ergo non obligat nisi finito completorio publice dicto, nec nisi dimissa congregatione, *Exeuntes a completorio*, inquit. Non defuere tamen qui silentii nocturni leges extenderent : Parisienses S. Germani silentium ab ultimo completorii **574** psalmo incipiebant; S. Dunstanus in sua Concordia præscribit (*Cap.* 6), ut « omni tempore a pulsu vespertinalis synaxis silentium teneatur in claustro, usquequo capitulum finiatur. » Idem legitur in antiquis Consuetudinibus, quas in monasteriis a se institutis S. Benedictus abbas Anianensis observari curavit : « Imprimis, ut a vespertinis usque in capitulum quod fit post primam, summum silentium teneatur. » Ex quibus postremis verbis patet responsio ad secun- C dum, scilicet nocturni silentii obligationem cessare post primam : quod insuper constat ex Willelmo Malmesburiensi, qui Lanzonem monachum laudat, quod licet tam acutis cruciaretur morbis, ut nec sedens, nec ambulans, nec jacens, nec stans, ne uno quidem momento tranquillus esse posset; « nunquam tamen noctibus est locutus, rogantibus fratribus ut solveret silentium, non acquievit, rogans ne monachatus sui pudicitiam libaret, quod nunquam postquam monachicum habitum accepisset, a completorio exiens usque ad sequentis diei primam locutus fuisset. »

Denique hanc silentii nocturni legem etiam extra monasterium observabant, ut patet ex præfatis Benedicti Anianensis Consuetudinibus, in quibus legitur (*Lib.* II) : « Nocturnum silentium semper ab eis custodiri sive intus sive foris sint, quousque in capitulo versum dicant; » cujus rei praxim videre est apud Joannem Monachum in Vita S. Odonis, ubi com- D mendat duos ejusdem sancti discipulos, qui a barbaris ligati, diuque lacessiti, silentium nocturnum neutiquam violaverunt; etiam barbarorum duce, ut eorum constantiam tentaret, irruente in eos, et lancea mortis metum incutiente.

Excepto si necessitas hospitum supervenerit, aut forte abbas alicui aliquid jusserit.] Quem locum ita exponit Bernardus Cassinensis : « Considerandum est quod temporibus nocturnis tria sunt consideranda in quibus fractio silentii licita potest esse, videlicet damnum imminens, necessitas urgens, interrogatio superioris superveniens; puta si tu videres ignem accensum subito, ex quo posset damnum provenire, licite potes petere aquam, et postea etiam clamare. Necessitas etiam est spiritualis vel corporalis, ut pote si videres fratrem infirmitate subito laborantem, loqui poteris ei, et in infirmitate subvenire; aut si infirmus vellet confiteri, poterit audiri, et imponi pœnitentia confitenti. Interrogatio etiam superioris

in adjunctione alicujus mandati. » Circa hanc abbatis interrogationem acute notat Hildemarus S. P. Benedictum non simpliciter dixisse *aut abbas alicui aliquid jusserit*. Sed addidisse *si forte*; quia in consuetudinem id non est deducendum, sed rarissime, et forte fortuna faciendum; idque, ut ait Boherius, « si abbas motus fuerit ex causa necessaria; alias enim nec loquendi cuiquam hac hora præbere debet licentiam, nec etiam ipse loqui. »

Quod tamen et ipsum cum summa gravitate, et moderatione, honestissime fiat. Hic advertere licet quanta cum circumspectione et religione etiam in adventu hospitum, **575** superveniente necessitate, aut jubente aliquid abbate, nocturnum silentium frangi debeat; nam, ut optime observant Bernardus Cassinensis et Boherius : « Ne vacare credas quod dicendo gravitatem posuit summam, et dicendo honestatem superlativo usus est gradu, et moderamen posuit inter duo. » In Regula Magistri præscribitur (*Cap.* 30) ut eo casu, frater « quod opus fuerit ad aurem lente loquatur, ut alter tertius eum non audiat, simul et si frater aliqua necessitate post somnum ante nocturnas compellatur loqui aliquid; prius versum consuetum nocturni dicat sibi lente, id est, *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam*; et loquatur quod opus est.... Si qui vero de extraneis post completorios perfectos monasterium advenerint, a domesticis fratribus tacito ministerio recreentur, et lente eis responsum reddatur, propter Regulæ constitutum; et lotis eorum pedibus complentes postmodum sibi lente, et ipsi peregrinorum lectis delegentur dormire. »

CAPUT XLIII.

De iis qui ad opus Dei, vel ad mensam tarde occurrunt [a].

Ad horam divini officii mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur; cum gravitate tamen, ut non scurrilitas [b] inveniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quod si quis ad nocturnas vigilias [c] post *Gloriam* psalmi nonagesimi quarti ([d] quem propter hoc omnino subtrahendo et morose volumus dici) occurrerit, non stet in ordine suo in choro, sed ultimus omnium stet [e], aut in loco quem talibus negligentibus seorsum constituerit abbas, ut videatur ab ipso, vel ab omnibus, usque dum completo opere Dei publica satisfactione pœniteat.

Ideo autem eos in ultimo aut seorsum judicavimus debere stare : ut visi ab omnibus [f], vel pro ipsa verecundia sua emendentur [g]. Nam si foris oratorio [h] remaneant, erit forte talis qui se aut recollocet et dormiat, aut certe sedeat sibi foris, vel fabulis vacet, et detur [i] occasio maligno : sed **576** ingrediatur [j] intus, ut nec totum perdat, et de reliquo emendetur. Diurnis autem horis, qui ad opus Dei post versum et *Gloriam* primi psalmi, qui post versum dicitur [k], non occurrerit, lege qua supra diximus, in ultimo stet : nec præsumat sociari choro psallentium usque ad satisfactionem, nisi forte abbas licentiam dederit permissione [l] sua : ita tamen ut satisfaciat reus ex hoc.

Ad mensam autem [m] qui ante versum non occurrerit, ut simul omnes dicant versum et orent, et sub uno omnes accedant ad mensam; qui per negligentiam suam aut vitium [n] non occurrerit, usque ad secundam vicem [o] pro hoc [p] corripiatur : si denuo non emendaverit, non permittatur ad mensæ communis participationem [q], sed sequestratus a consortio omnium, reficiat solus, sublata ei portione sua vini [r], usque ad satisfactionem et emendationem [s]. Similiter autem patiatur, qui ad illum versum non fuerit præsens, qui post cibum dicitur. Nec quisquam præsumat ante statutam horam, vel postea, quidquam cibi vel potus præsumere [t]. Sed et si cui offertur aliquid a priore, et accipere renuerit, hora qua desideraverit hoc quod prius recusavit, aut aliud omnino nihil percipiat [u], usque ad emendationem congruam.

[a] Al., *occurrerint*.
[b] Oxon., *scurrilitatis*.
[c] Oxon., Cassin., *in nocturnis vigiliis*. Conc., *in nocturnis*. Flor., *nocturnis vigiliis*.
[d] Oxon., Vict. p. addunt, *Venite exsultemus*.
[e] Oxon. deest *stet*.
[f] Hild., *ab hominibus*.
[g] Oxon., *emendent*.
[h] Al., *si foris oratorium*.
[i] Al., *et datur*. Al., *et sic detur*. Al., *ne detur*.
[j] Oxon., Flor., *ingrediantur*, et sic postea, *perdant*,.... *emendent*.
[k] Ebrul., Faron., et Lyr. deest *qui post versum dicitur*.
[l] Al., *remissione*.
[m] Al., *ad horam vero refectionis*.
[n] Oxon., *vitio*.
[o] Flor., *usque secunda vice*. Cassin., *usque secundam vicem*.
[p] Al., *propter hoc*. Al., *pro hoc vitio*.
[q] Narb., *ad mensam participationis*.
[r] Al., *de vino*.
[s] Hild., deest *et emendationem*.
[t] Al., *Et ne quis præsumat*.
[u] Oxon., *sumere*. Al., *accipiat*.

COMMENTARIUS

Ad horam divini officii mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur.] Hunc S. Benedicti locum eleganter explicat Regula Magistri his verbis (*Cap.* 54) : « Cum advenisse divinam horam percussus in oratorio index monstraverit, mox laborantes opus projiciant, artifices ferramenta dimittant, scriptores litteram non integrent, omnis fratrum manus deserat quod agebat; festinet statim mox cum gravitate pes ad oratorium, sensus ad Deum; ut mox ad primam orationem occurrant, **577** et tanquam apes ad mel intrantium in oratorium fratrum examen ebulliat; ut qui tacitus erat sancti oratorii locus, statim psalmorum clamoribus impleatur; et silentium loci sancti ad relictas migret officinas et opera. Cum vero index in oratorio sem-

per percussus fuerit, mox omnes audientes antequam currant, faciant sibi crucem in fronte, respondentes : *Deo gratias.* » Atque hæc fuit omnium antiquorum monachorum praxis, quam videre est maxime apud Cassianum, ea de re sic discurrentem (*Lib.* IV, *c.* 12): « Considentes intra cubilia sua, et operi et meditationi studium pariter impendentes, cum sonitum pulsantis ostium, ac diversorum cellulas percutientis audierint, ad orationem scilicet eos, seu ad opus aliquod invitantis; certatim e cubilibus suis unusquisque prorumpit, ita ut is qui scriptoris officium exercet, quam repertus fuerit inchoasse litteram, finire non audeat; sed in eodem puncto quo ad aures ejus sonitus pulsantis advenerit, summa velocitate prosiliens, ne tantum quidem moræ interponat quantum cœpti apicis consummet effigiem; sed imperfectas litteræ lineas derelinquens, non tam operis compendia lucrare sectetur, quam obedientiæ virtutem exsequi toto studio atque æmulatione festinet; quam non solum operi manuum seu lectioni, vel silentio, et quieti cellæ; verum etiam cunctis virtutibus ita præferunt, ut huic judicent omnia postponenda, et universa dispendia subire contenti sunt, dummodo hoc bonum in nullo violasse videantur. » Ejusmodi obedientiæ ad opus Dei præsertim spectantes leges videre est in Regula S. Cæsarii ad virgines (*Cap.* 10) : « Quæ signo tacto tardius ad opus Dei, vel ad opera venerit, increpationi, ut dignum est, subjacebit : quod si secundo et tertio admonita emendare noluerit, a communione vel a convivio separetur. » In Regula S. Aureliani (*Cap.* 30) : « Signo tacto, omne opus prætermittatur, et sicut apes prudentissimæ ad alvearium, ita veloci festinatione properare contendite. » In Regula S. Isidori (*Cap.* 7) : « Dato legitimis temporibus signo ad horas canonicas, festinabunt fratres cum properatione, omnes ad chorum occurrant. » Denique in Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 8) : « Quandocunque vel diurnis vel nocturnis horis ad opus divinum signum insonuerit, mox cum summa festinatione surgendum est, ac si præco regis insonet, omni opere quod in manibus habebatur postposito. » Eamdem observantiam in monasteriis adverterunt etiam monachi ad Augiam directi, uti ipsi testantur in suis Capitulis (*Cap.* 1) : « Relictis omnibus quælibet in manibus tenentur, summa cum festinatione currunt omnes, videlicet nullus audet hanc constitutionem frangere, quamvis in decrepita ætate constitutus : » Eamdem in Cluniacensibus laudat Udalricus (*Lib.* II, *cap.* 22) : « Si ad horam signum audierit regularem; et si est in claustro, ipsum verbum quod habet in ore, non perficit; sed continuo tacet, et occurrit ad orationem interesse. » Denique eam commendant monachi Sanctigallenses capitulo 2, et Gregorius IX in bulla pro monachis Benedictinis.

Monent tamen auctores sobrie S. Regulæ textum esse intelligendum, ut scilicet audito signo, quælibet fuerint in manibus relinquantur **578** quæ sine periculo aut gravi damno relinqui possunt. Nam si quis, verbi gratia, serviret infirmis, ministraret hospitibus, præpararet coquinam, exhauriret vinum, hic non debet, relicto opere, statim occurrere. Secus qui scriberet librum, aptaret calceum, coleret hortum. Quamvis non defuerint etiam qui præfata opera obedientiæ gratia dimitterent imperfecta, quorum obedientiam aliquando miraculis illustratam legimus : sed ad intentionem, non ad factum Deum respexisse credimus.

Ergo nihil operi Dei præponatur.] Hoc attendant qui pro levibus, vanis, et inanibus rebus ab opere Dei se dispensant; qui cum omnia etiam imperfecta, ut ad opus Dei debite celebrandum convolarent, relinquere deberent; imperfectum opus Dei, alios etiam suis discursibus perturbando, derelinquunt. Quam procul ab his erat S. Liudgerus episcopus (*In ejus Vita, auctore anonym., cap.* 32, *sæc.* IV *Ben., pag.* 46; *vide cap.* 33), qui accersitus tertio ab imperatore Carolo Magno, venientibus nuntiis dum divinis interesset officiis, aliud nihil respondit quam se proxime peracto officio eos secuturum. Cumque, expleta psalmodia, ad imperatorem accessisset isque rogasset cur tot invitatus nuntiis statim venire despexisset, respondit : « Quia Deum et tibi, o rex, et cunctis hominibus præponendum arbitrabar; hoc enim mihi præcepisti curam episcopalem committens; idcirco a tuis vocatus nuntiis, Omnipotentis servitium intermittere inconveniens judicavi. At mox divino peracto obsequio, paratior ad regis imperium veni. Quod responsum ejus imperator optimus veneratus : Gratias, ait, habeto, episcope, quia talem te modo reperio qualem antea æstimabam. Fuerunt aliqui qui facta bonitatis tuæ malevole apud me interpretati sunt; sed hos deinceps minus gratos habebo. » Eadem erat mens Bernardi abbatis Tironensis piissimi, cui, ut scribit Gaufredus in ejus Vita, num. 105 (*Boll., April.* 14), « Canonicas horas tam diei quam noctis quælibet sæcularis causa, alicujusve potentissima persona, licet hac frequentissime, quoad vixit, inquietaretur, non abstulit; sed nec aliqua corporis molestia tardiorem reddidit : hanc solam excipe, qua felix felicem cursum complevit. » Hic non ea repeto quæ scripsi in lib. V de Antiquis monachorum Ritibus de fratribus in viam directis, qui etiam equo ascenso, si audito ad opus Dei signo, pedem e monasterio nondum extulissent, protinus desilientes, ad oratorium simul cum aliis convolabant; aut de fratrum rasura, quam imperfectam ad divini officii signum relinquebant, ut ad ecclesiam convenirent, licet choro psallentium se neutiquam adjungerent, si quid in capite indecorum appareret, quod astantium oculos offendere posset.

Huc referendum est quod in ms. Regula incerti auctoris legitur (*Cap.* 8 *in ms. bibliot. reginæ Sueciæ*) : « Oportet namque secundum SS. catholicorum Patrum auctoritatem, tempore orationis ab humano cessare colloquio supervenientum hospitum. » Quæ quidem verba in memoriam revocant antiquam et laudabilem ordinis nostri consuetudinem, summum in omnibus monasterii locis observandi silentii in divini tempore officii, cujus mentio fit in mss. sancti Benigni Divionensis Consuetudinibus, in Regula Magistri **579**, cap. 54; in Statutis Lanfranci, cap. 16; et in lib. Usuum Cisterciensium cap. 120.

***Quod si quis ad nocturnas vigilias*, etc., *non stet in ordine suo in choro, sed ultimus omnium stet, aut in loco quem talibus negligentibus seorsum abbas constituerit.*]** Quem locum ita explicat Hildemarus : « Hoc autem quod dicit, non stet in ordine suo in choro, sed ultimus omnium stet, aut in loco, etc. : id est si talis est frater, qui loco superiore stat, debet in ultimo stare. Si autem ultimus est, aut certe in medio, et post, debet stare seorsum. » Eumdem sensum S. Benedicto ascribunt Bernardus Cassinensis et Boherius. Hunc tamen locum tribus posse modis intelligi docet postea idem Hildemarus. 1° Ut tarde veniens ad opus Dei, si sit ex primis, ultimus omnium stet; si vero ultimus, in loco negligentium. 2° Si tarde veniens chorum adjuvare queat, stet ultimus; sin minus, seorsum. 3° Qui majorem commisit negligentiam, stet seorsum; qui minorem, in ultimo loco. Addit nihilominus : « Tamen in Francia nullus eorum stat in ultimo, sed seorsum. » Et antea præmiserat : « Sed tamen in nostro monasterio omnes seorsum stant. »

Quæritur vero quis sit ille locus quem seorsum ab abbate constitui voluit S. P. Benedictus. Hac in re cum nihil definierit, sed totum abbatis discretioni dimiserit, sat erit varias diversorum monasteriorum consuetudines hic referre. Itaque in mss. Farfensis monasterii hæc scribuntur : « Si quis frater post *Gloria* primi psalmi venerit, eat ante altare ad gradus, et ibi genua sua flectat, et statim surgat, et exspectet usque dum absolverit eum prior. Absolutus gyret ante et retro, veniatque in chorum in locum

suum, iterumque veniam petat. Surgente, omnes fratres inclinentur. Si foris pro aliqua infirmitatula steterit, et non occurrerit ad *Gloria* primi psalmi, intret in chorum, ut supra dictum est. Absolutus autem exeat foras, et petat veniam super genua, et faciat secundum quod infirmitas ei permittit. Item frater si venerit ad horam post *Gloria* primi psalmi, vel qualicunque supervenerit, postea usque ad *Kyrie eleison* sic debet intrare intus, nec totum perdat; et eat in loco constituto donec absolvatur. Quod si persliterit ad totam horam, si fratres flectunt genua super formas, ipse faciat super gradus: expleta hora, discedat absque jussu. » Eadem leguntur in mss. Consuetudinibus monasterii S. Pauli Romæ, et clarius explicantur ab Udalrico (*Lib.* II, *c.* 6) in hunc modum: « Quod si aliquando contigerit ut non occurrat ante *Gloria* psalmi nonagesimi quarti, vel ad quamlibet horam ante *Gloria* primi psalmi, intrans in chorum, et veniens ad gradum altaris, honeste tractimque petit veniam super manus et genua, paululum protendit summitatem frocci, ut super eam teneat manus; et surgens, contra altare altius inclinat: inde non se movebit usque dum hora sit finita: aliis inclinantibus, ipse nonnisi contra altare inclinat; sed si visum fuerit domno abbati, fratrem aliquem **580** ad eum dirigit, ut recedat; cui cum manu innuenti paululum inclinat, et facto ante et retro recedit ad stationem suam, ubi rursus petens veniam, ut prius, inclinat contra conventum, et conventus contra eum. »

Apud Cistercienses locus negligentibus destinatus erat presbyterii gradus, ut docet Julianus Parisius in lib. de prima vivendi ratione Cisterc. (*Part.* II, *c.* 6, *sect.* 1), patetque ex lib. Usuum Cisterc. cap. 75.

De Cassinensibus ita loquitur Bernardus Cassinensis: « Ita stet non cum fratribus ad sedilia, sed in medio chori, sicut ordinatum est de quibusdam negligentibus in choro Cassinensi, ubi est rotulus porphyreticus lapidis pretiosi, qui inter varias alias varietates marmoreis lapidibus distinguitur locus esse in quo stans videtur ab omnibus, et etiam abbate, et hoc est esse seorsum, et talis satisfactio publica nuncupatur. » Sed nunc apud Cassinenses qui tarde venit, is genuflectit; et facto ab abbate signo, surgit, se excusat, aut excusatione vacuus locum ultimum petit.

Cœlestinorum Constitutiones hæc definiunt: « Cum tardius ad chorum monachi conveniunt, ad altare conversi genuflectant, atque tacite et humiliter submisso capite, propriæ tarditatis eos pœniteat: et tandiu sic pœnitendo perseverent, quousque præsidenti visum fuerit, eos pro modo culpæ satisfecisse. »

Ut videatur ab ipso vel ab omnibus.] Particula *vel* hic loci sumitur copulative pro *et*. Atque in hoc discrepat S. P. Benedictus ab antiquis monachis, qui tarde venientes ad opus Dei non admittebant in oratorium, ut patet ex his Cassiani verbis (*Lib.* III, *c.* 7): « Is vero qui in tertia, sexta vel nona priusquam psalmus cœptus finiatur, ad orationem non occurrerit, ulterius oratorium introire non audet, nec semetipsum admiscere psallentibus; sed congregationis missam stans pro foribus præstolatur, donec egredientibus cunctis, submissa in terram pœnitentia, negligentiæ suæ vel tarditatis impetret veniam, sciens nequaquam se posse desidiæ suæ noxam aliter expiare; sed ne in ea quidem, quæ post tres horas erit secutura solemnitas admittendum, nisi pro negligentia præsenti confestim vera humilitate subnixius satisfacere festinaverit. In nocturnis vero conventiculis usque ad secundum psalmum præbetur tardanti dilatio, ita duntaxat ut antequam finito eodem psalmo fratres in oratione procumbant, semetipsum congregationi inserere atque admiscere festinet, eidem procul dubio increpationi ac pœnitentiæ quam prædiximus subjiciendus, si ultra præstitutam dilationis horam, vel modicum tardaverit. »

Usque dum completo opere Dei publica satisfactione pœniteat.] Quem locum ita exponit Boherius: « Iste textus videtur innuere, quod post expletionem operis Dei frater reus aliquam satisfactionem publicam teneatur facere ultra præmissam: et si hoc sit, credo quod erit illa provolutio de qua infra capite proximo. Bernardus tamen videtur sentire in glossa præcedenti, quod hujusmodi **581** satisfactio publica sit illa chori communis separatio. Nicolaus tamen dicit, quod circa ultimam orationem hujusmodi officii frater reus debet jacere prostratus in medio dicti pavimenti, donec conventus ab oratorio exiverit. Idem dicit Cassianus, ut notat hic Smaragdus, et hoc credo verius. In meo tamen monasterio consueverunt seniores tarde ad oratorium occurrentes, vel in aliquo ibi fallentes, statim ibidem flectere genua; et in hoc reputantur satisfecisse; alii vero in capitulo corriguntur objurgationibus vel flagellis. »

Alias alii monachorum Patres in tarde venientes ad opus Dei pœnas decreverunt. In Regula secunda SS. Patrum (*Cap.* 6) statuitur, ut « ad horam orationis dato signo, si quis non statim prætermisso omni opere quod agit, quia nihil orationi præponendum est, paratus fuerit, foras excludatur confundendus. » In Regula tertia (*Cap.* 6), ut « ab abbate vel præposito corripiatur, et nisi prostratus veniam petierit, excommunicetur. » In Regula S. Macarii (*Cap.* 14), ut « foras excludatur, ut erubescat. » In Regula S. Pachomii (*Cap.* 9), ut « quando ad collectam tuba insonuerit per diem, qui una oratione tardius venerit, superioris increpationis ordine increpetur, et stet in loco convivii. Nocte vero, quia corporis infirmitati plus aliquid conceditur, qui post tres orationes venerit, eodem in collecta, et in vescendi loco, ordine corripiatur. » Ordo autem superior is erat (*Cap.* 4): « Solvet cingulum, et inclinata cervice, manibus ad inferiora depressis, ante altare stabit; et a principe monasterii increpabitur. Hoc idem faciet et in conventu fratrum, cum ad vescendum pariter convenerint. » In Regula S. Cæsarii ad monachos (*Cap.* 11), ut « si tardus venerit, statim de ferula in manus accipiat. » Et in Regula ad virgines (*Cap.* 10), ut secundo ac tertio admonita, « a communione, vel convivio separetur. » In Regula Tarnatensi (*Cap.* 5), ut « exclusus pro reatu tanti facinoris confundatur. » In Regula S. Fructuosi (*Cap.* 13), ut « ad orationes diurnas qui post primum psalmum non occurrerit, introire in oratorium cum cæteris non audeat; sed pœnitentiæ delegabitur. Hoc idem sustinebit qui nocturnis orationibus usque ad tertium psalmum tardius venerit, aut post tres dictos psalmos in choro se miscere conatus fuerit. » In Regula Magistri (*Cap.* 73), ut « frater qui nocturnis matutinis et lucernariis primam orationem aut psalmum perdiderit, ejectum eum ab oratorio cum terrore in capite foris eum apud semetipsum de emendatione abbas moneat. Si secundam orationem vel psalmum perdiderit, ibi in oratorio, præsente congregatione, post psalmum expletum corripiatur acerbe. Si vero post tertiam orationem vel psalmum intraverit, mox una cum præpositis suis foris de oratorio excommunicatus jactetur; et non prius ad veniam revertatur, nisi humilitatis satisfactio ab eo æqualiter ante limen oratorii fuerit operata; sed hoc, ut superiori titulo diximus, de intra quinquaginta passus latitudine. In prima vero, tertia, sexta, et nona, qui post indicis percussi ad primam orationem, et primum psalmum non occurrerit, in oratorio præsentibus omnibus acerbe corripiatur. Post secundam vero orationem, vel secundum **582** psalmum qui occurrerit, jam sic excommunicatus cum suis exeat præpositis foras. » Denique in Regula Cujusdam ad virgines, ut eodem modo satisfaciat quo in Regula S. Benedicti præscribitur, et insuper (*Cap.* 8), ut « quando cæteræ, expleto officio, foras egrediuntur, illa in ecclesia pro ipsa tarditate posita, duodecim psalmos supra cursus seriem cantet. Si vero ex toto cursum suum perdiderit, præcipue nocturnis horis, in quibus nullum aliud opus impedit, superpositione damnetur. »

Cæterum præscriptus hic a S. P. Benedicto aliisque SS. Patribus ritus, a monachis etiam ad canonicos transmigravit, pro quibus in concilio Aquisgranensi anni 816 editum hunc canonem reperio (*Can.* 131) : « Qui segniter aut tarde ad matutinum aut aliud quodlibet divinum officium peragendum occurrerit, dignum est ut non cum aliis in choro, sed omnium ultimus, ut certe erubescere discat, in loco hujuscemodi negligentibus a prælatis constituto stet. Foris vero nullatenus remanere præsumat, ne otio et fabulis vacet, et a Dei laudibus penitus alienus existat. » De canonicis etiam cathedralis ecclesiæ Parisiensis ita scribit Boherius : « Et scias quod vidi istud observari a canonicis B. Mariæ Parisiensis; qui si tarde ad horas veniant, non audent ascendere majorem chorum, sed in inferiori se ponunt. »

Quid quod in aula summi pontificis aliquid simile observari videatur, ut testis oculatus Julius Nigronus affirmat (*In Regulam* xv *commun. Societ. Jesu*, n. 27) : « Vidi, inquit, ego Romæ cardinales ipsos, qui missa pontificia inchoata pervenerant in chorum, exhibita cruci et papæ reverentia stetisse erectos in medio choro, donec a pontifice fuisset facta potestas locis suis residendi. »

Diurnis vero horis, etc. *Nisi forte abbas licentiam dederit permissione sua; ita tamen ut satisfaciat reus ex hoc.*] In quem locum Boherius : « Hoc est, inquit, dicere : Licet enim reus licentiatus sit ut ascendat chorum psallentium, nihilominus post peractum cursum horæ prosternet se coram omnibus ad pedes abbatis, vel prioris, suam negligentiam accusando; et si abbas judicat satisfactum, dimittet ipsum cum benedictione. Sin autem, injunget ei ut ibidem, vel in crastinum iterum, vel iterum veniam petat, modo prædicto, vel quod aliam pœnitentiam impleat. Sed ubi fiet hujusmodi satisfactio, sive prostratio secundum Regulam? In choro ubi deliquit, ut clare patet infra de his qui falluntur in oratorio, et infra cap. proximo. Vel forsan ante januam oratorii, ut sentiunt prædicti Fructuosus et Cassianus. Sed hodie apud nos prostrationes et satisfactiones hujusmodi fiunt in capitulo. »

Ad mensam autem qui ante versum non occurrerit, etc. *Non permittatur ad mensæ communis participationem; sed sequestratus a consortio omnium reficiat solus.*] Sive extra, sive intra commune refectorium post fratrum refectionem, sive in eodem refectorio reficientibus etiam fratribus; sed in loco separato, omnibusque conspicuo, ut **583** majoris confusionis rubore hujusmodi negligens perfundatur : quem postremum sensum, aliis rejectis, sequuntur commentatores Hildemarus, Bernardus Cassinensis, et Boherius in utroque commentario. Hildemari verba hæc sunt : « Quod vero dicit, sequestratus a consortio reficiat solus, sunt qui intelligunt, ut post refectionem fratrum reficiat, aut cum ministris, aut solus : sed hic sensus non est sanus; sed quia, sicut de oratorio dicit, pro verecundia illum separatum stare, ut emendetur, ita pro emendatione intelligendum est, ut sedeat solus ad mensam aliam separatam ab aliis mensis, manducantibus aliis; nam cum solus separatus dicit, non est intelligendum, ut postquam alii manducaverint, ille manducet, sed quando alii manducant, ille separatus manducet, et non bibat vinum. Nam in Francia, in meo monasterio, in medio refectorio manducantibus fratribus manducare vidi talem fratrem negligentem. »

Sublata ei portione sua vini.] Seu cujuslibet alterius liquoris, quo in regionibus ubi vitis non crescit, utuntur.

Usque ad satisfactionem et emendationem.] Quod ita explicat Hildemarus : « Postquam manducaverint et voluerint jam fratres exire, debet ille abbati coram fratribus veniam petere. Si hoc fecerit ad sextam, jam ad vesperum non debet facere. » Et Bernardus Cassinensis : « Et quod ait usque ad satisfactionem et emendationem, illam dicit satisfactionem et emendationem qua prostratus debet ante fratres genua flectere : et hoc secundum Paulum Diaconum. Mihi tamen videtur quod hæc satisfactio debet esse sicut prætetigi, petendo veniam ab abbate. Emendatio est, quando se de hac negligentia corrigit, ut vere præsumatur emendatus. » Et hæc quidem S. Benedictus de tarde venientibus ad mensam : quid vero de iisdem alii monachorum Patres?

S. Pachomius (*Art.* 12) : « Si quis, inquit, ad comedendum tardius advenerit, excepto majoris imperio, similiter aget pœnitentiam, et ad domum jejunus revertetur. »

S. Basilius interrogatus (*In vers. Rufini cap.* 52), « si necesse est omnes convenire ad horam prandii, eum qui remanet et post prandium venit, quomodo transigemus? respondet : « Si quidem necessitate, vel loci, vel operis remansit a communi ordine, qui præest probabit et ignoscet. Si vero, cum posset occurrere, non satisfecit, fateatur culpam negligentiæ suæ, et maneat sine cibo usque ad illam horam qua convenitur ad cibum in posterum diem. » Et in Pœnis incerti auctoris apud eumdem Basilium (*Num.* 23) : « Si quis absit a mensis, non dicta causa, maneat jejunus. »

S. Columbanus (*In Pœnit.*) : « Si quis non venerit ad orationem supra mensam, et post cibum, duodecim psalmos cantet. »

S. Isidorus (*Cap.* 10) : « Refectionis tempore dato signo pariter omnes concurrant; qui autem ad mensam tardius venerit, aut pœnitentiam agat, aut jejunus ad suum opus vel cubile recurrat. »

Similiter S. Fructuosus (*Cap.* 18) : « Ad mensam qui tardius venerit, prohibeatur a cibo. »

584 Denique Magister (*Cap.* 73) : « Ad mensæ vero antiphonam vel versum priorem qui non adfuerint, semote, et non signatum, et sine data et accepta benedictione manducent et bibant sine alicujus hominis eloquio usque dum se levent. Et merito sine alicujus eloquio hominis debet reficere, qui ante refectionem cum Deo non est locutus. »

Similiter autem patiatur qui ad illum versum non fuerit præsens qui post cibum dicitur.] Pœnæ incerti auctoris apud S. Basilium decernunt (*Num.* 30), ut « si quis surgit de mensa præter voluntatem archimandritæ, sistatur ad orationem usque ad tempus lucernarum. » Et Regula Magistri (*Cap.* 73) : « Qui posteriori vero mensæ non adfuerit Deo post refectionem gratias redhibere, in sequenti refectione talem pœnam in sequestrato suscipiat, qualem ille qui ante refectionem non est locutus cum Deo. »

Versus autem nomine intelligendas esse universas quas post refectionem ad gratiarum actionem recitamus, preces existimo; licet Hildemarus S. Benedictum intelligat de solo versu qui, finita comestione, dicitur in refectorio; nam « ille, inquit, versus qui in ecclesia dicitur, et ille, *Miserere mei, Deus*, non est regularis, eo quod illum non dicit Regula dicere, sed est consuetudo monachorum. »

Ex hoc Hildemari testimonio patet antiquam monachorum et maxime Benedictinorum consuetudinem fuisse, gratiarum actiones post prandium et cœnam in ecclesia Deo referendi; quod amplius constat ex Regula S. Fructuosi cap. 5, ex Regula ms. incerti auctoris, cap. 3; ex Ordine conversationis monasticæ, cap. 11; ex capitulo 22 Monachorum Sangallensium; ex Ekkehardo in lib. I de Casibus S. Galli, cap. 11; ex Tortario in lib. Mir. S. Benedicti, cap. 44; ex Theodorico in lib. Mir. S. Celsi, num. 5, apud Bolland. 23 Febr.; in lib. Mir. S. Trudperti, num. 3, ex Vita S. Hugonis Æduensis monachi num. 25, ex Mir. S. Dunstani num. 12, et ex lib. Usuum Cisterc. cap. 76.

Nec quisquam præsumat ante statutam horam vel postea quidquam cibi vel potus percipere.] Hæc fuit generalis omnium veterum monachorum praxis, quam videre est, tum apud Cassianum, tum in omnibus eorum Regulis : « Antequam vel postquam legitimam

communemque refectionem percipiant, inquit Cassianus (*Lib.* IV, *cap.* 18), summa cautione servatur ne extra mensam quidquam cibi potusve ori suo quisquam indulgere præsumat; ut incedentibus per hortos et pomaria, cum passim blandeque per arbores poma pendentia non solum se objiciant pectoribus transeuntium, verum etiam strata per terram conculcanda pedibus se offerant, atque ad colligendum parata facile ad consensum concupiscentiæ illicere valeant intuentes, et opportunitate ac copia quamvis districtos atque abstinentissimos ad sui desiderium provocare; sacrilegium ducatur non modo quidquam in eis degustare, verum etiam et manu contingere absque eo quod palam cunctis in commune reficientibus exhibetur, et ad percipiendum œconomi dispensatione per fratrum obsequia publice ministratur. »

585 Ita S. Pachomius (*Art.* 4) : « Nullus uvas aut spicas adhuc immaturas audeat comedere præter ordinem disciplinæ, et omnino de omnibus quæ in agro sunt vel in pomario, nemo comedat separatim antequam cunctis fratribus Pater exhibeat. »

S. Basilius (*Serm. de Abd. rerum*) : « Cave ne clandestinæ comestionis peccatum incurras. » Et alibi (*Regul. fus.*, *cap.* 15) ad multam diem jejunium permanere jubet, « qui alieno tempore cibum sumpserit. »

S. Augustinus (*Cap.* 5) : « Quando autem aliqua non potest jejunare, non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat. »

Regula SS. Pauli et Stephani (*Cap.* 17) : « Nulli liceat supra statutam consuetudinem sive in cibo sive in potu præsumere, nisi prioris permissu, cui ordinandi vel considerandi facultas est. »

Utraque S. Aureliani ad monachos et ad virgines Regula (*Cap.* 52 *et* 30) : « Extra mensam communem nec quidquam cibi potusve gustare liceat absque infirmis et illis ætatibus quæ adhuc perenutriri indigent. »

Regula Tarnatensis (*Cap.* 9) : « Aquam ipsam ante refectionem legitimam bibere non præsumant. » Et iterum (*Cap.* 16) : « Si attenuatus abstinentia frater non valuerit jejunia suscepta portare, nisi prandii hora completa aliquid accipere judicet indecorum. Illi vero qui incommodo detinentur, et designatas horas non possunt custodire, licite concedatur percipiant quod possunt. »

Regula S. Isidori (*Cap.* 10) : « Nullum esus furtiva contaminatio polluat, aut impudens, vel privatus extra communem mensam appetitus; excommunicationis enim sententiæ subjacebit qui vel occulte vel extra ordinariam mensam aliquid degustaverit. Ante refectionis tempus nullus vesci audeat, præter eum qui ægrotat : qui enim tempus edendi antecesserit, subsequentibus pœnis abstinentiæ subjacebit. »

Regula S. Fructuosi (*Cap.* 5) : « Quilibet ex monachis jejunium solvere non præsumat, nec priusquam in commune reficiant cum cæteris, vel postquam refecerint, quidquam quod ad potandum vel edendum pertinet gustare vel contingere audeat, vel occulte quodlibet peculiariter recondere vel habere præsumat. »

Denique Regula Cujusdam ad monachos (*Cap.* 11) : « Nec ante sive post mensam, quæ communiter ad cœnam fratribus apponitur, aliquid ori indulgendum est, nisi infirmitas, sive differentia ætatis, sive corporis aliquid coegerit. »

Stupendum porro videtur quanta religione istud Regulæ Benedictinæ statutum observari voluerit S. Benedictus abbas Anianensis; nam, « quamvis regio illa solis ardore esset adusta, et ita vapor ignis velut a clibano procedens incendat potius quam calefaciat; hic suis nimio fervore æstuantibus, vix ante horam refectionis aquæ poculum indulsit (*In ejus Vita num.* 32, *sæc.* IV *Ben.*); nam labore defessi, igne perusti, frigidam potius desiderabant aquam quam vinum : nec erga eum quisquam murmurare poterat, quoniam similia patiebatur. » Licet et in hoc mirari desinam, 586 attendens ad illa S. Basilii verba (*Serm. de Abdic. rerum*) : « Multos ego adverti sæpe qui cum alterius cujusvis generis vitiis laborarent, ad sanitatem redierunt postea; qui autem hoc morbo tenerentur, ut aut in occulto eos edere delectaret, aut ventris ingluvie duci se sinerent, neminem ex omnibus vidi qui convaluerit. »

Sed et si cui offertur a priore, et accipere renuerit, hoc quod prius recusavit, aut aliud omnino non percipiat usque ad emendationem congruam.] Quem ad locum Smaragdus : « Hyperbaton hoc est, quod aliter ordinatum intelligitur ita : Cui aliquid a priore offertur, et renuerit accipere, hora qua desideraverit, subauditur accipere; aut hoc percipiat quod prius recusavit, aut aliud omnino nihil. « Eodem modo sanctum Benedictum intelligit citatus a Bernardo Petrus Diaconus. Verum huic expositioni repugnant nonnullæ versiones Gallicæ, et S. Basilius, a quo S. Pater potuit istud accepisse; nam interrogatus (*Regul. brevium, inter.* 134) : « Si quis iratus recusaverit ea sumere quæ ad usum sunt necessaria? » respondet : « Talis dignus est nequidem accipere cum petierit, quousque istud vitium vel potius vitia in eo esse sanata antistes judicaverit. »

CAPUT XLIV.

De iis qui excommunicantur, quomodo satisfaciant.

Qui pro gravioribus culpis [a] ab oratorio et a mensa excommunicatur, hora qua opus Dei in oratorio celebratur [b], ante fores oratorii prostratus jaceat, nihil dicens, nisi tantum posito in terra capite, stratus pronus [c] omnium de oratorio exeuntium pedibus. Et hoc tandiu faciat usque dum abbas judicaverit satisfactum esse. Qui dum jussus ab abbate venerit, volvat se abbatis, deinde omnium vestigiis [d], ut orent pro eo.

Et tunc, si jusserit abbas, recipiatur in choro vel in ordine [e] quo abbas decreverit : ita sane ut psalmum aut lectionem, vel aliud quid non præsumat in oratorio imponere, nisi iterum abbas jubeat. Et omnibus horis dum completur [f] opus Dei, projiciat se in terra in loco in quo 587 stat [g] : et sic satisfaciat,

[a] Hild., Dunst., Boher. in secundo comment., *gravi culpa*.

[b] Al., *percelebratur*.

[c] Hild. cum quibusdam, *prostratus pronus*. Comp., *et stratus pronus*. Faron., Ebrul., Conch., Lyr., *pronus*.

[d] Flor., *ipsius abbatis pedibus, deinde omnibus vestigiis*. Hild., *abbatis pedibus et omnium vestigiis fratrum*.

[e] Al., *ordine*, sine *in*.

[f] Cassin., Flor., *percompletur*,

[g] Al., *in loco quo stat*.

usque dum ei jubeat abbas [a] ut quiescat jam ab hac satisfactione. Qui vero pro levibus culpis excommunicantur tantum a mensa, in oratorio satisfaciant : A usque ad jussionem abbatis hoc perficiant [b], usque dum benedicat et dicat : Sufficit.

[a] Al., *jubeat, iterum.*

[b] Cassin., *et tandiu hoc perficiant.*

COMMENTARIUS.

Qui pro graviori culpa ab oratorio et a mensa excommunicatur, hora qua opus Dei in oratorio celebratur, ante fores oratorii prostratus jaceat.] Ante fores, inquit, oratorii, non intra oratorium ipsum; « quia, infit Bernardus Cassinensis, intus non debet intrare, nisi a vinculo excommunicationis absolutus. » Id quod eam confirmat sententiam quæ S. Benedictum de excommunicatione ecclesiastica locutum fuisse cap. 25 existimat. Similem pene pœnam in negligentes tardeque venientes ad opus Dei statuerant antiqui Mesopotamiæ monachi; si quis enim in eam incurrisset culpam, is, teste Cassiano (*Lib.* III, *c.* 7), « Oratorium introire non audebat, nec semetipsum admiscere psallentibus; sed congregationis missam stans pro foribus præstolabatur, donec egredientibus cunctis, submissa in terram pœnitentia, negligentiæ suæ vel tarditatis impetraret veniam. » Quamvis non a solis priscis monachis id pœnitentiæ genus acceperit S. Benedictus, sed a primis Christianis, quibus moris erat ut pœnitentes pro foribus ecclesiæ in pœnitentiæ luctu jacerent seu starent, pro diverso ecclesiarum usu. Qua de re vide Menardi notas in Concord. Regul., cap. 33, § 1.

Nihil dicens.] « Nisi ab abbate interrogatus, inquit Boherius. Qui abbas consuevit tali prostrato quandoque dicere : Frater, quid dicis? Et accusando seipsum respondet : Pater, magna est mea culpa. Et si intendit tunc ipsum amplius interrogare, dicit ei : Surge, frater; tuncque frater ibidem pedes stando, capite discooperto et vultu dimisso ad terram, respondet humiliter ei. »

Nisi tantum posito in terram capite.] « Quia post peccati opus debet quicunque erubescere, et post confessionem pro admissis sceleribus verecundam frontem humo prostratam demergere, pro eo quod dignum confusione perpetravit opus, » inquit iterum Boherius.

Et stratus pronus omnium de oratorio exeuntium pedibus se projiciat.] Ut qui se per superbiam extulit aliis, per humilitatem calcandum omnium vestigiis se 588 condemnet, » ait Bernardus Cassinensis. « Egredientes vero dicant ei sub silentio : Misereatur tibi Deus, » ex Statutis Lanfranci, cap. 17.

Et hoc tandiu faciat, usque dum abbas judicaverit satisfactum esse.] Tunc autem convocatis in capitulum fratribus, de eorum ipsum consilio absolvat. Ita sentiunt Hildemarus, Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura et Boherius : « Post sextam vel nonam, infit Hildemarus, cum exit abbas cum congregatione debet vocare congregationem, illo absente, et dicere : Justum est et ratio ut ille frater quiescat a sua satisfactione. Si dixerint : Est justum, quia rectum est ut quiescat, debet vocare coram fratribus illum, et debet illi parcere. » Et Bernardus Cassinensis : « Debet enim ille in capitulo vocari post exhibitam humilitatem prædictam, et ibidem requisito fratrum consilio absolvet eum abbas, et judicabit eum in oratorio recipi posse. Ipse tamen debet esse exclusus a capitulo, cum abbas petit consilium quid sit agendum; et hoc est quod dicit Pater, Usque dum abbas judicaverit satisfactionem esse. » Similiter Nicolaus de Fractura : « Et absolvitur iste de consilio fratrum in capitulo per abbatem. Qui tamen extra capitulum debet stare, dum hic cum fratribus abbas deliberaverit, et ut liberius super satisfactione ipsius fratres suam aperiant voluntatem. » Idem confirmat Udalricus lib. III, cap. 3. Sed ex Statutis Lanfranci nullus ad absolvendum excommunicatum assensus fratrum requirebatur; verum « qua die precantibus fratribus decreverat abbas misericordiam ei impendere, » eum ut modo referemus absolvebat.

Qui dum jussus ab abbate venerit, provolvat se ipsius abbatis pedibus; deinde omnium vestigiis fratrum, ut orent pro eo.] « Ita ut supplicationem faciat usque ad terram coram abbate; deinde supplicationem regularem et consuetam ante et retro, et dicat silenter : Orate pro me, fratres; et quilibet submissa voce respondeat : Parcat tibi Deus, » quemadmodum aiunt Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura et Boherius. Hunc ritum pulchre describit Lanfrancus in Statutis (*Cap.* 17), cujus hic verba referre nos pigere non debet : « Qua vero die, precantibus fratribus, decreverit abbas misericordiam ei impendere, eo modo quo superius dictum est in capitulum veniat, prostratus veniam fateatur, et emendationem promittat, et misericordiam quærat. Jussus surgere, frequenter se prosternat, et eadem verba et similia dicat, cessaturus cum abbas dixerit ei, Sufficiat. B Postea jubeatur exuere, et corporalis disciplinæ judicium sustinere. Quo facto, dicat ei abbas : *Motus fratrum nostrorum precibus, et patientia et humilitate vestra, et promissione emendationis vestræ, hanc misericordiam vobis impendo, ut dehinc cum fratribus sitis in refectorio, in loco quem vobis designabimus comedatis, disciplinam corporalem pro hac culpa ulterius non suscipiatis. De cæteris ad comprobandum adhuc humilitatem et patientiam vestram, ita vos habete, sicut frater qui levis culpæ pœnitentia esse jubetur, excepto quod incepto* Kyrie eleison, 589 *ad gradum vos non prosternetis, sed expleta regulari hora, in loco in quo stabitis, sicut B. Benedictus præcipit, flexis ad terram genibus, sicut qui in psalmo fallitur, humiliter satisfacietis.* Hoc audito, frater ille ad pedes abbatis vadat, et rediens in locum in quo stabat, tres genuum flexiones, ante scilicet, et ad dexteram, et ad sinistram, cum omni devotione faciat, gratias referens fratribus quia pro se rogaverint, et humiliter supplicans C quatenus adhuc rogare dignentur. Postea designet abbas ei locum ubi debet esse, et eo præcipiente sessum vadat. »

Et tunc si jusserit abbas, recipiatur in choro, vel in ordine quo abbas decreverit.] Quod S. Benedictus ait *vel in ordine*, Richardus de S. Angelo intelligit « in loco primæ vigiliæ vel secundæ; vel in ultimis, sicut abbati placuerit, ut infra dicetur; vel diaconatu, vel subdiaconatu, vel in minoribus. » Rectius cum Bernardo Cassinensi et Boherio intelligerem de ordine quem servant inter se fratres, ut ille frater stet in loco ultimo, aut ad majus in mediocri. Et ita Udalricus ait (*Lib.* III, *c.* 3) : « Jubetur ut ultimus sedeat, ultimus sit cunctorum in omni loco. »

Ita sane ut psalmum, aut antiphonam, vel aliud quid non præsumat in oratorio imponere.] *Imponere* hic loci Bernardo Cassinensi et Boherio idem est ac *incipere;* quia, inquit Bernardus, « nunquam talis debet nisi cum aliis mixtim lectionem legere, vel responsorium aut antiphonam cantare. Dico etiam quod nec D privatam debet dicere missam, quia non dicit solummodo in choro, sed dicit in oratorio. » Addit Udalricus (*Lib.* III, *c.* 3) : « Interim non communicat, non venit ad pacem, non osculatur textum Evangelii in ecclesia, nec ad lectionem, nec ad cantum, ut alii, notatur. » Menardus tamen et Carolus Cointius existimant *imponere* hic a S. Benedicto positum esse non pro *incipere*, sed pro *pronuntiare*, sive cantu id fiat, sive recitatione.

Et omnibus horis dum completur opus Dei, projiciat se in terram in loco in quo stat.] Dum completur opus

Dei, inquit, scilicet sub finem horarum; nam « postquam alii surrexerint, dum dicitur *Benedicamus Domino*, ipse debet se in terram projicere, id est pronus jacere, » inquit Boherius; et Udalricus (*Lib.* III, c. 3): « Post singulas finitas horas, veniam ita super genua petit, non tamen propter hoc conversus ad altare. »

Et sic satisfaciat usque dum ei jubeat abbas ut quiescat jam ab hac satisfactione.] Et hæc quidem S. Benedictus de satisfactione excommunicatorum pro gravioribus culpis. Cæterum hujus capituli praxim ex mss. S. Benigni consuetudinibus accipere lectoribus haud erit fortassis ingratum.

590 *Ex mss. Consuetudinibus S. Benigni Divionensis cap.* 32.

Qui autem illud quod gravi culpa dignum sit, commisit, si quandiu D. abbas abest advenerit, non venit in præsentia illius donec ipse præcipiat; et tunc extra capitulum exuitur, et ita venit sicut ille cui in ipso capitulo præcipitur, ut eat et exuat se. Nam si aliquis hujusmodi sit in ipso capitulo, cum audit se inculpari a D. abbate, surgit et veniam petit. Qua petita, præcipitur ei: *Ite, exuite vos, et discalceate, et revertimini sicut mos est.* Et præcipitur camerario ut exeat cum illo. Tunc cingulo tenus nudatus, pedibus discalceatis, assumptoque virgarum manipulo in dextra, et cuculla bene plicata in sinistra, redit in capitulum; statimque de sinistra parte posita cuculla, et virgis juxta se de dextra, petit in medio veniam; dictoque ab abbate: *Quid dicitis?* et eo respondente, *mea culpa;* et iterum abbate dicente, *surgite*, sedet ad terram, resumpta cuculla super genua, et brachiis desuper positis. Quo facto, præcipit D. abbas cui placuit, ut surgat, et verberet illum de virgis quas attulit: dato vero ei quale videbitur D. abbati judicio, præcipit ut surgat et induat cucullam suam, et dicitur ei: *Ite, induite vos et revertimini.* Indutus autem, ac reversus, petit iterum veniam suam; dictoque ei ut surgat, adjungitur et hoc verbum: *Frater, ite in gravem culpam.* Hoc audito, inclinat profunde, et continuo capello induto, humiliter exit capitulum, et vadit ad locum huic excommunicationi deputatum: ibi manet, ibi dormit, comedit sine mappa, quando et quod præcipit abbas. Cum autem audierit uniuscujusque horæ signum primum, exspectato secundo, quo omnes ingressi sunt monasterium, debet stare cucullato capite extra, juxta ostium ad sinistram introeuntium, et ad matutinas similiter, donec conventus *Kyrie* incipiat, et tunc, capello exuto non omnino toto, prostrare se ad terram, et sic manere donec hora sit finita et psalmi familiares, et si fratres debent exire, usque dum fratres potuerint exisse, excepta illa hora post quam fit locutio in claustro, et cum intraverint capitulum, tunc etiam se similiter prosternit, et postea ad præfatam mansiunculam recedit: ad utramque missam in angulo manet capituli, qui ecclesiæ proximus adhæret; sedet tamen, si vult. Interim dum sic se habet, nullus ei loquitur, nec etiam ille qui ei ministrat, nec cibus benedicitur qui ei datur: de industria tamen duorum aut trium seniorum consolatione abbatis nutu mulceatur, qui eum exhortentur ut quidquid ei correptionis temporaliter fuerit irrogatum, gratanter accipiat, ut divinæ clementiæ reconciliari valeat. Qui etiam seniores, sive alii, qui sint de prioribus propioribus abbati (proprium enim est eorum), cum viderint idoneum et congruum fore, sive sponte sua, seu nutu abbatis, petunt pro ejus absolutione venias suas in capitulo coram abbate; maxime si vere experti sunt et testari possunt quod pro reatu suo spiritum habeat contribulatum, **591** cor contritum et humiliatum. Quod si tunc placuerit ei misericordiam facere, præcipiet priori majori, vel minori, ut adducat eum: qui statim ut eodem modo quo prius adductus est, posita cuculla et virgis, petit veniam, ac sedens, iterum resumpta cuculla super A genua, suscipit quale judicium placuerit abbati. Inde surgens, abbate præcipiente, induitur sola cuculla, et provolvitur in primis pedibus abbatis, et deinde prioris, et omnium qui ex ea parte sunt. Similiter facit pedibus aliorum qui ex altera parte sunt, et ad ultimum infantum, sed multo remotius quam aliorum, et non tanget vestes eorum; omnes inclinant ei, et levant eum, et debent orare pro eo. Quo expleto, et iterato petita venia, jubetur exire ad induendum se. Indutus ac reversus, adhuc etiam veniam petit; jubetur ut ultimus sedeat, ultimus sit cunctorum in omni loco. Interim non communicat, non vadit ad pacem, non osculatur textum Evangelii, in ecclesia nec cantum nec psalmum imponit, nec lectionem legit: a sola coquina, ut in ea serviat, et a mandato non prohibetur; sed non ibit ad scillam. Post singulas horas finitas, veniam in statione sua super genua petit, nec propter hoc convertitur ad altare. Si quando universi fratres propter aliquam processionem albis induuntur, tunc et ipse induitur, alias B minime. Ad extremum si D. abbas viderit id expedire, talemque ejus esse humilitatem quæ id mereatur, interpellatus a fratribus, in capitulo vocat eum ut surgat et in medium veniat. Quo petente veniam, loquitur convenientia et personæ et causæ, et reddit ei pristinum locum, vel dat alium inferius, si voluerit; suo enim malo merito perdidit locum suum. Vadit ad pedes ejus, sicut etiam quilibet alius tam in ecclesia quam in capitulo, si promoverit eum ad altiorem sedem. Notandum autem quod cum restituitur in ordine suo, si est sacerdos, non ideo cantat missam, vel diaconus Evangelium, vel subdiaconus epistolam, nisi nominatim ei dicatur. Restitutio namque illa quæ fit de ordine, non aliud est nisi ut in choro cantet et legat sicut alii. Et sciendum quoniam in hujusmodi judicium prior nullum ponit, nec absolvit unquam. Sciendum quoque quod non ponitur aliquis in gravi culpa, nisi sæpius inciderit in idem crimen, pro occulta offensa, neque pro ea quæcunque sit, C quam ipse sua sponte confitetur. Sed si quis aliquid paucis notum commisit, quod si in publico esset, dignum judicio gravis culpæ duceretur, ducit eum abbas, sive prior in secretum locum, assumens secum duos aut tres eorum quibus notum est crimen, aut aliorum quos voluerit; atque facit ei grave judicium, secundum commissi quantitatem, et injungit pœnitentiam. Si vero quilibet ad aliquam obedientiam degens, commiserit crimen quod manifestum sit, in eodem loco publice coram omnibus qui ejusdem loci habitatores sunt exuetur, et horribiliter verberabitur; inde in conventum reductus, ponetur in gravi culpa. Nec silendum quod omnis qui ei qui in gravi culpa est loquitur, aut signum facit sine abbatis jussu, dignus est poni in eadem culpa. Si autem occulte **592** deliquerit, multum occulte vapulabit, secundum commissi quantitatem; reductus ad majorem ecclesiam, nunquam postea exiturus de claustro, nisi forte talis ac tanta videatur ejus correctio, quæ digna videatur, et ostendat eum de D cætero nolle peccare. Tamen quocunque mittatur, ad locum ubi peccavit nunquam amplius redire debet. At si forte culpa sua non est de gravioribus malis, ut cum aliquo in audientia popularium inhoneste et irreligiose contenderit, vel aliquid simile: pro hujusmodi, cum venerit dies dominica, ad initium missæ matutinalis concurrente populo ad ecclesiam, stat ipse nudis pedibus prope fores ecclesiæ, et unum codicem grandiusculum tenet in manu: capellum non induit, ut ab omnibus possit agnosci. Nemini loquitur intranti vel exeunti. Famulus quidam semper est juxta eum, qui dicat interrogantibus propter quid talis ei pœnitentia sit injuncta. Nec recedit inde usquequo missa finiatur.

Hactenus Divionenses S. Benigni Consuetudines; quibus etiam Cisterciensium praxim ex libro Institutionum capituli generalis ordinis Cisterciensis subjungere visum est.

Ex libro Institutionum capituli generalis ordinis Cisterciensis, *dist.* 6, *cap.* 6.

Cum aliquis gravi culpæ subditur, accipiat in ipso judicio disciplinam: deinde injuncta ei pœnitentia gravioris culpæ, ponens statim caputium in capite, exeat de capitulo in locum quem præviderit abbas ei competere · deputeturque ei senex discretus, qui eum consoletur et provocet ad humilitatem, ne ampliori tristitia absorbeatur, injungaturque in capitulo pro eo oratio; et sicut dicit Regula, oretur pro eo ab omnibus. Debet autem abbas attendere et corporis valetudinem, et culpæ modum; nam secundum hoc debet extenuari culpa vel gravari. Refectionem autem percipiat mensura et hora qua abbas ei viderit competere, sicut in Regula continetur. Vasa autem quibus utitur, aut frangantur, aut pauperibus erogentur. Ad fores oratorii prostratus jaceat in terra dum completur opus Dei, non habens caputium in capite, quod tamen in eundo debet habere. Quoties autem missa vel officium defunctorum sine intervallo sequitur horam canonicam, non prosternatur donec conventus exeat de ecclesia. Cum autem in capitulo recipiendus fuerit ad jussionem abbatis, ad ingressum capituli habeat caputium in capite. Quo deposito, veniens ante abbatem, prosternat se ante pedes ejus super genua et super articulos manuum, deinde ante priorem, ac percurrens chorum prioris, si prior fuerit, vel abbas loco illius, et chorum abbatis, eodem modo se prosternat ante pedes singulorum, illis non inclinantibus, nec adjuvantibus ipsum, sed quiete sedentibus. Quoties autem ante abbatem transierit, inclinet, et sic ante analogium veniens, stet, **593** non petens veniam donec jussus ab abbate, eat sessum. Nec ponatur ea die in ordine suo, nec aliquod officium exsequatur usque ad jussionem abbatis; sed cum completur opus Dei tam in ecclesia quam in labore, prosternat se in terra, in loco in quo stat, donec jussus ab abbate quiescat ab hac satisfactione.

Qui vero pro levibus culpis tantum excommunicantur a mensa, in oratorio satisfaciant.] De satisfactione excommunicati pro levi culpa hæc decernunt mss. Farfensis monasterii, et Romani S. Pauli Consuetudines: « Fratres qui pro levi culpa secundum Regulam separantur a mensa, sic in oratorio satisfaciant: Cum post psalmodiam ad preces alii se inclinant vel genua flectunt, ante altare venientes ad gradus se prosternant, donec preces et oratio finiantur; tunc surgentes, inclinantes ante et retro, sic omnibus horis faciant. Si vero festivitas antequam absolvantur evenerit, a vespera usque ad aliam vesperam omni communione fratribus socientur, missas etiam qui sacerdotes fuerint, et omne quod ad servitium divinum pertinet celebrare possunt. » Et Lanfrancus in Statutis (*Cap.* 17): « Ad levis culpæ satisfactionem adjudicatus frater, a communi mensa separatur, usurus cibo et potu quibus alii fratres, nisi ei nominatim fuerit interdictum; refecturus hora nona, si fratres sexta; vel ad vesperam, si fratres hora nona. In monasterio et in capitulo, in loco ubi solet esse, sit aut ultimus omnium, aut inter utrumque, secundum quod culpa fuerit et abbas præceperit. In ecclesia missam non celebret, epistolam, vel lectionem, Evangelium, non legat, responsorium non cantat, antiphonam super psalmos non imponat, nec aliquid hujusmodi, nisi cum cæteris agat: ad candelabrum vel ad thuribulum non se revestiat, ad offerendam vel ad pacem non accedat. Circa finem regulariter instituti operis Dei, tam in nocte quam in die, cum incipiunt *Kyrie eleison*, prosternat se ante gradum ubi benedictiones accipiuntur; ibique tandiu prostratus jaceat, usquequo dicatur: *Qui tecum vivit*. Si festivitas duodecim lectionum eveniat, tandiu ab hac satisfactione quiescat, quousque privati dies redeant. Dum fratres in refectorio comedunt, ipse sit in ecclesia. » Denique Divionenses S. Benigni Consuetu-

A dines (*Cap.* 32): « Levioris autem culpæ consuetudo talis est. In oratorio incipiente *Kyrie* ad omnes horas regulares, reus prosternit se ante presbyterii gradum, tandiu sic ibi jacens, donec hora compleatur. Finita autem hora, surgit, versus altare profunde inclinat, et redit in stationem suam. Dum in hac culpa est, non incipit in choro antiphonam, aut psalmum, aut cantat responsorium, seu legit lectionem, non offert, non osculatur textum Evangelii, seu vadit ad pacem, nisi intervenerint duodecim lectiones, etc. » *Vide* Udalricum lib. II, cap. 18.

Usque ad jussionem abbatis hoc perficiant, *usque dum benedicat et dicat*, *Sufficit.*] Hujusce absolutionis ritum ita describit Lanfrancus (*Cap.* 17): « Cum abbati placuerit ab **594** hac satisfactione eum absolvere, si in monasterio fuerit in conventu, mittat ad illum, cum prostratus fuerit, unum de prioribus qui circa eum sunt, qui ex parte ipsius signum prostrato faciat, et surgat. Qui statim surgens humiliter B inclinet abbati, et ad locum suum vadat. Porro si abbas in capitulo sederit, rogantibus fratribus, dicat ei: *Indulta sit vobis hæc levis culpæ satisfactio*, vel aliquid hujusmodi; et ille frater statim surgat, et ad pedes abbatis vadat, et postea in locum suum revertatur. » Similiter Benignianæ Consuetudines, et Udalricus: « Absolvitur autem maxime quando prostratus jacet ad gradum, et unus frater ad eum dirigitur, a quo sibi, quod sit absolutus, innuatur. » Circa hanc excommunicati absolutionem nonnulla præscribunt Farfensis et Romani S. Pauli monasterii Consuetudines; quæ etiam hic adnotare haud erit fortassis a re alienum: « Nullus prior, inquiunt, fratri tale debet judicium imponere quandiu D. abbas fuerit in monasterio; sed etsi supervenerit, interim poterit eos per se, priusquam ad domnum abbatem cognitio causæ superveniat, prior absolvere; quod si non fecerit, et unam coram ipso veniam petierit, postea non poterit eos prior absolvere. Infantem etiam qui steterit ante ipsum, non debet magister vel aliC quis, quandiu intus ipse fuerit, mittere in judicium jejunii. Quoscunque pueros magister in judicio miserit, prior potest eos absolvere sine licentia magistri. Nullus debet alius quidquam nec signum, nec ullam rem præcipere; sed tantum ille qui tenet ordinem, si ei visum fuerit ut absolvantur, signum magistro faciat, ut absolvantur. Si domnus abbas mittit fratrem in judicium, si pergit alicubi, obliviscens eum absolvere, prior non valet absolvere eum. Et quando prior miserit in judicio, decanus non potest absolvere eum, nisi per suam licentiam. »

Hactenus S. P. Benedictus ejusque discipuli de satisfactione excommunicatorum. Quid vero alii? S. Isidorus (*Cap.* 18): « Satisfactio, inquit, delinquentium hæc est: Fratribus in ecclesia constitutis, peracto pœnitentiæ tempore, solvet statim cingulum, extra chorum humo prostratus, quousque celebritas expleatur. Cumque jussum fuerit ab abbate, de terra consurget, ingrediensque chorum oret. Post hæc data D oratione pro eo ab abbate, et respondentibus cunctis *amen*, surget; atque omnibus pro negligentia veniam poscat, adepturus indulgentiam post hujus emendatoriæ satisfactionis censuram. »

S. Fructuosus (*Cap.* 14): « Cum excommunicatur vel arguitur quisquam pro negligentia sua, exercebit humilitatem quousque percipiat orationem, nec se audebit inter alios commiscere, vel cuiquam occulte jungere; sed omnibus ad orationum studia convenientibus, ille prostratus humo, cingulo opertorioque sublato, poscet veniam negligentiæ suæ. Hoc etiam his ab officio egredientibus exhibebit. Similiter quoque et refectionis tempore coram refectorio astabit, vultu deposito et habitu, quousque fratrum compassione solutus, veniam percipiat quam deposcit. »

595 Regula Magistri (*Cap.* 13): « Qui vero frater gravem culpam admiserit, ipse ab utroque excommunicetur, id est ab oratorio et a mensa; et non

ipse ad indulgentiam majoris perveniat, nisi ante limen oratorii prostratus lacrymabili voce intervallo cessantium a psalmis horarum Deo et omnibus emendatione satisfecerit repromissa. »

Denique Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 6) : « Sorores quæ pro gravibus culpis in pœnitentia detinentur, in ecclesia cum cæteris quæ communicant, A non stent; sed in alia ecclesia secrete cursum cantent. Et expleto cursu egredientes ante fores ecclesiæ, in qua communicantes cursum explent, stare præcipiantur. Et egrediente congregatione, supra humum prostratæ, rogent pro se Dominum exorari.

CAPUT XLV.

De iis qui falluntur [a] *in oratorio.*

Si quis dum pronuntiat psalmum, responsorium, aut antiphonam, vel lectionem, fallitur [b] : nisi satisfactione [c] ibi [d] coram omnibus humiliatus fuerit, majori vindictæ [e] subjaceat, quippe qui noluit humilitate corrigere quod negligentia [f] deliquit [g] : infantes vero pro tali culpa vapulent.

[a] Al. *fallunt.*

[b] Oxon., Flor., *fallitus fuerit.* Cassin., *et fefellerit,* Sabin., *fallit.*

[c] Narb., Sabin., Lyr., Comp., Haeft., *per satisfactionem.*

B [d] Hild. deest *ibi.*

[e] Conc., *emendationi.*

[f] Al., *per negligentiam.*

[g] Al., *delinquit.*

COMMENTARIUS.

Si quis dum pronuntiat psalmum, responsorium, aut antiphonam, vel lectionem, fallitur; nisi cum satisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, etc.] Qualis esse debeat humilitatis satisfactio qua de hoc capite, S. Pater non satis aperit. Et quidem veteres Ægypti Tabennensesque monachi eum gravi plectebant vindicta, qui *decantans psalmum vel modicum titubaret;* nam, ut scribit Cassianus (*Lib.* IV, *cap.* 16), « non aliter negligentiam suam quam publica diluebat pœnitentia; cunctisque in synaxi fratribus congregatis, tandiu prostratus in terra veniam postulabat, donec orationum consummaretur solemnitas, impetraturus eam, cum jussus fuisset abbatis judicio de solo surgere. » S. Columbanus (*In Pœniten.*) vult ut « qui ob tussim in exordio psalmi non bene cantaverit, sex **596** percussionibus emendare statuatur. » In Statutis Lanfranci pro satisfactione innuitur genuflexio. Nicolaus de Fractura ab eo qui fallitur, exigit ut humilietur « flectendo genua et ponendo caput in terram. » Liber Usuum Cisterciensium decernit, ut « super articulos manuum satisfaciant omnes in loco in quo sunt, quoties fallaciam in oratorio incurrerint, non divertentes dextrorsum vel sinistrorsum. » Additque : « Pro nota cantus tantum non solemus satisfacere. » Denique de primis discipulis S. Stephani abbatis Obazinensis hæc in ejus Vita legimus (*Lib.* I, *num.* 16, *tom.* IV *Miscell. Baluz.*) : « Si quis in ecclesia paululum oculos erexisset vel modicum subrisisset, vel leviter dormitaret, vel librum tenens negligenter cadere sineret, aut sonum aliquem per negligentiam faceret, vel progressius aut incontinentius psalleret, aut inordinatum motum aliquem exhiberet; continuo aut virgam accipiebat in capite, aut palmam in facie, ita ut sonus percussionis omnium auribus resultaret. Quod maxime pueris minori ætate impendebatur, ut et ipsi corrigerentur, et cæteri terrerentur. »

Verum observandum tribus modis fieri posse ut aliquis in oratorio psallendo delinquat : 1° ita ut integrum chorum secum in errorem inducat; 2° ita ut aliquos tantum perturbet; 3° ita ut solus ipse fallatur. « In primo casu, inquit Bernardus Cassinensis, consuetudo Cassinensis dat ut se flectat, ita quod caput ponat in terra. In secundo casu sufficit ut se flectat, ita quod caput non ponat in terra. In tertio casu sufficit ut se flectat cum dicitur *Gloria Patri.* » Ita etiam Hildemarus, haud dubium secundum sui temporis praxim, ait eum qui omnes perturbat debere *se humiliare usque ad terram,* id est *in terra genua flectere;* is autem qui solus fallitur, *non ita,* inquit, *se debet humiliare sicut ipsi primi, sed tantum corpus suum debet flectere.* In lectionibus vero recitandis, qui legens in correcto libro fallitur, *pro hoc vadat in loco constituto, et ibi petat veniam; qui vero ex consuetudine male legit, corripiatur pro hoc in capitulo.*

Nunc vero apud Cassinenses (*Decl. Cass. cap.* 45) qui modice fallitur, terram tantum digito tangit; qui graviter, genuflectit ante superiorem, donec surgendi sibi signum factum fuerit. Apud Cœlestinos (*Const. Cœlest. cap.* 1, § 7) « levius in choro deficientes detecto capite genuflectunt in scamnis; C gravius vero deficientes prostrati in medio chori satisfaciunt ad signum et nutum præsidentis. Finito autem divino officio, antequam ab ecclesia discedant, orant genuflexi, dicunt versus, orationes et antiphonas, prout in breviario, et ad signum præsidentis omnes pariter surgunt. » Denique apud Fulienses (*Const. Ful. cap.* 45), qui leviter psallendo peccat, toties terram manu tangit; qui autem solus, audiente choro, cantans erraverit, terram osculatur.

Majori vindictæ subjaceat.] Supple, quam si ibi fuisset humiliatus. Qualis autem debeat esse major illa vindicta, explicat Hildemarus his verbis : « Quod autem dicit, Majori vindictæ subjaceat, varie intelligitur : sunt qui intelligunt ut in oratorio duabus vicibus **597** vel tribus petere debeat veniam. Iterum sunt alii qui intelligunt, ut in capitulo increpetur : sed iste sensus, ut in capitulo increpetur, sanior est, et per gradus potest duci; quia jam postquam non vult implere hoc quod S. Benedictus dicit, tunc per D gradus ducendus est sex, ut emendetur, eo quod si de una disciplina exierit, tunc suscipiet illum altera disciplina. »

Infantes vero pro tali culpa vapulent.] Acute hic notat Hildemarus duplicem in hoc capitulo indicari culpam : unam, qua quis psallendo fallitur; alteram, qua post culpam satisfacere negligit. De posteriori hunc locum exponunt Smaragdus, Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, et Matthias Lambertus : « Quod vero dicit, *Infantes pro tali culpa vapulent,* inquit Smaragdus, subintelligitur, nisi ibi coram omnibus humiliati fuerint. » Rectius tamen de priori culpa intelligendum esse Regulæ textum censet Menardus noster; ita ut hæc verba sint altera hujus capituli pars, in qua specialiter agatur de infantibus qui in pronuntiatione erraverint, maxime cum pueri plus ducantur sensu et metu quam pudore et humiliatione. Idem docet Theobaldus Artaldus, confirmaturque ex praxi Cluniacensium, quam des-

cribit Udalricus his verbis (*Lib.* III, *c.* 8) : « Ad nocturnos, imo ad omnes horas, si quid ipsi pueri offenderint in psalmodia, vel in alio cantu, vel dormitando, vel aliquid tale ullo modo committendo, minime differtur absque mora, froco et cuculla exuti, judicantur, et in sola camisia cæduntur, vel a priore, vel a præfato eorum magistro, virgis vimineis levibus et teretibus ad hoc provisis. »

Ex his verbis colligeret forsan aliquis pueros apud Cluniacenses cæsos fuisse in oratorio : et tamen Hildemarus ait, « quia non debet in oratorio infans flagellari ; sed cum flagellandus erit, non in capitulo, sed in schola magistri illorum debent illos flagellare. »

A De modo autem quo cæderentur pueri hæc scribit Udalricus (*Lib.* III, *cap.* 10) : « Si ipsi aliquo modo pueri offenderint, maxime cantando, vel legendo negligenter, vel si cantum minus diligenter addiscunt, dignam ab eo (præcentore) disciplinam accipiunt. Summopere tamen observat tam ipse quam alii, quando eos verberat, non solum ne tangant carnem eorum cum manu, sed etiam ne vestis ejus eorum adhæreat vestibus : nunquam namque cum palma eorum percutiuntur maxillæ ; sed si opus fuerit, magister solus qui eos ducit, potest eorum capillos excutere, alias nunquam. »

CAPUT XLVI.

De iis qui in aliis quibuslibet rebus [a] *delinquunt.*

598 Si quis dum in labore quovis, in coquina, in cellario, in ministerio [b], in pistrino [c], in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocunque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quidpiam, aut perdiderit, vel aliud quid excesserit ubi [d] ubi ; et non veniens continuo ante abbatem vel congregationem, ipse ul- B tro satisfecerit et prodiderit delictum suum : dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi. Si [e] animæ vero peccati [f] causa latens fuerit : tantum [g] abbati, aut spiritualibus senioribus [h] patefaciat, qui sciant curare sua [i], et aliena vulnera non detegere et publicare.

[a] Comp. *in aliquibus levibus rebus.* Conch., *in aliquibus levibus culpis.* Sabin., Haeft., *in levibus rebus.*
[b] Oxon., Paris. 1, *in monasterio.*
[c] Vict. ms. deest *in pistrino.*
[d] Oxon., *ibi.* Hild., Flor., Ebrul., Lyr., *ubi et ubi* Kero., Conch., *ubi vel ubi.*
[e] Oxon. deest *Si.*
[f] Hild. deest *peccati*, nec requirit Menardus.
[g] Oxon. deest *tantum.*
[h] Al., *spiritualibus fratribus aut senioribus.* Lyr. omittit *senioribus.*
[i] Conc., Flor., Dion., *et sua.*

COMMENTARIUS.

Si quis in labore quovis, in coquina, in cellario, etc.] Cellarium est cella penaria, seu repositorium, ita appellatum, « quod in eo colligantur ministeria mensarum, vel quæ necessaria victui supersunt, » ut ait S. Isidorus (*Lib.* XV *Orig.*, *c.* 5).

In ministerio.] « Id est in domo cujuslibet artis, » inquit Boherius. Quamvis Paulus Augustinus a Janua, Theobaldus Artaldus, et quædam versiones Gallicæ hunc textum intelligant de mensæ ministerio.

In pistrino.] Pistrinum Boherio « est locus ubi farina deponitur, et fit panis. Et hæc quidem parare, inquit, monachorum est. » Nimirum per vices olim in quibusdam saltem monasteriis fratres id præstabant, ut patet ex Vita S. Samsonis (*Num.* 16, *sæc.* I *Ben.*) : « Frater autem ejusdem presbyteri vicissentibus se per ordinem cæteris monachis hujus monasterii pistor effectus est. » Et in Vita S. Austrebertæ (*Sæc.* III *Ben.*) : « Erat consuetudo ut vicissim a sororibus coquerentur panes. »

599 *Aut fregerit quidpiam.*] Quanta severitate veteres monachi eos plecterent qui aliquid fregissent docet Cassianus his verbis (*Lib.* IV, *cap.* 16) : « Si quis gillonem fictilem, quem baucalem nuncupant, casu aliquo fregerit, non aliter negligentiam suam quam publica diluet pœnitentia ; cunctisque in synaxi fratribus congregatis, tandiu prostratus in terram veniam postulabit, donec orationum consummetur solemnitas, impetraturus eam cum jussus fuerit abbatis judicio de solo surgere. » In Regula tamen S. Pachomii (*Art.* 70) solum decernitur, ut « si quis vas fictile fregerit, vel aliquam utilem rem ad usus monasterii, agat pœnitentiam. » Sed Regula Magistri (*Cap.* 16) : « Vasa, inquit, monasterii si sub aliquo per negligentiam fracta fuerint, non prius qui fregit accedet ad mensam, nisi pœnitens abbati satisfecerit per humilitatem ad genua incurvatus. »

Aut perdiderit.] Nec minori etiam districtione puniebant eos qui res monasterii perdidissent, ut passim videre est in Regula S. Pachomii (*Art.* 75) : « Si aliquis, inquit, aliquid perdiderit, ante altare C publice corripietur. Si vero de propriis vesticulis fuerit quod perditum est, tribus hebdomadibus non accipiet, et in quarta, acta pœnitentia, dabitur ei quod amisit. » Et infra (*Art.* 116) : « Qui minister est, habeat studium ne quid operis pereat in monasterio, in nulla omnino arte quæ exercetur a fratribus : quod si quid perierit, et negligentia fuerit dissipatum, increpabitur a Patre minister operum singulorum ; et ipse increpabit alterum qui opus perdiderit, duntaxat juxta voluntatem et sententiam principis, absque qua nullus increpandi fratrem habebit potestatem. » Et item (*Art.* 120) : « Pelliculæ, caligæ, et cingulum, et si quid aliud perierit, qui perdiderit increpabitur. » Denique : « Præpositus domus culpæ increpationis subjacebit, si ante tres dies non nuntiaverit Patri, sive in via, sive in agro, seu in monasterio quid perierit, et agat pœnitentiam juxta ordinem constitutum. » In Pœnis incerti auctoris apud S. Basilium (*Num.* 24) : « Si quis aliquid perdiderit, idque non inventum ad archimandritam non detulerit, careat benedictione. » Et apud S. Basilium ipsum (*Regul. brev.*, *interr.* 144) : « Prorsus qui abusus sit, is tanquam sacrilegus ; qui vero amiserit, tanquam sacrilegii auctor judicetur, cum omnia Domino sint dedicata et Deo consecrata. »

Vel aliud quid excesserit.] Ut sunt ea quæ etiam describit Cassianus his verbis (*Lib.* IV, *cap.* 16) : D « Quisquis ad opus aliquod accersitus, vel ad congregationem solitam tardius occurrerit, aut si decantans psalmum, vel modicum titubaverit ; similiter si superflue, si durius, si contumacius responderit, si negligentius obsequia injuncta compleverit, si vel leviter murmuraverit, si lectionem operi vel obedientiæ præferens officia statuta segnius fuerit exsecutus, si dimissa synaxi non concitus ad cellam recurrere festinaverit, si cum aliquo vel ad modicum substiterit, vel si ad punctum temporis uspiam secesserit, si alterius tenuerit manum, si cum illo qui cellulæ suæ cohabitator non est, confabulari quantulumcunque præsumpserit, si oraverit cum illo **600** qui est

ab oratione suspensus, si parentum quempiam vel amicorum sæcularium viderit, vel collocutus eis sine suo fuerit seniore, si epistolam cujuscunque suscipere, si rescribere sine abbate suo tentaverit.» Quæ omnia ea plectebant pœnitentiâ quam ei qui gillonem fregisset imponebant.

Et non veniens continuo ante abbatem.] Quod ait *continuo* non ita capi volunt commentatores, quasi dimisso opere imperfecto, statim ad abbatem currere, peccatum confiteri, veniam petere, ac satisfacere delinquens deberet; sed *continuo* intelligunt *hora qua separatus erit ab opere*, sive, ut loquitur Boherius, «statim cum commode potuerit, vel saltem cum regulare capitulum post celebrabitur: nam ad illud omnes debent concurrere,» quod postremum innuere videtur Hildemarus cum ait: «Si hodie excesserit, crastino die veniam petat.» Atque ita sentiunt Hildemarus, Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Boherius, Turrecremata, et Matthias Lambert. Rectius tamen, meo quidem judicio, Richardus de S. Angelo *continuo* interpretatur *incontinenti, sine intervallo:* quam expositionem confirmat praxis, uti videre est in illo Gotho quem suo in monasterio ad conversionem susceperat sanctus P. Benedictus: nam cum vepribus locum mundaret, ut ferrum de manubrio instrumenti prosiliens in lacum cecidisset, «ferro perdito, tremebundus ad Maurum monachum cucurrit, damnum quod fecerat nuntiavit, et reatus sui pœnitentiam egit (*Lib.* II *Dial. S. Gregor. cap.* 6).» In vita S. Liobæ cap. 5 (*Sæc.* III *Ben.*), ubi soror oratorii custos, cum nocte claves ecclesiæ perdidisset, «ad abbatissam, quæ sororibus adhuc quiescentibus more solito vigiliis insistens, nocturnæ orationis tempora præveniebat, perrexit, et tremens, ac pavore perculsa, ad pedes ejus provoluta est, eique culpam negligentiæ suæ humili satisfactione patefecit.» Et in Vita S. Guidonis abbatis Pomposæ, ubi agitur de quodam Sergio templi etiam custode, qui cum lampades mundaret, una excidit, et fracta est, tunc «territus ille collegit fragmenta, et ante altaris crepidinem condens ea, festinans abiit ad Patrem Guidonem, ut multa ab eo propter damnum illatum ipsi irrogaretur: quod cum factum esset, illico rediit ad altare, et lampadem sanam et integram invenit.» Et certe Hildemarus innuere videtur ante abbati quam congregationi delictum esse deferendum.

Ante abbatem vel congregationem.] Particula *vel*, juxta Boherium, hic sumitur copulative pro *et*. Quod autem S. Pater ait *ante abbatem vel congregationem*, ita Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, et Boherius intelligunt, ut in minoribus et levioribus culpis *ante abbatem*; in gravioribus, unde fratres possent scandalizari, *ante congregationem* delinquens confiteatur culpam; quibus fere concinit Hildemarus, asserens culpas omnes primum abbati esse deferendas; tum, si judicaverit ille, congregationi. Verum, salvo saniori judicio, tam minores quam majores culpas ante abbatem et congregationem esse prodendas existimaverim; nullum enim hujus distinctionis **601** vestigium in Regula apparet: quod tamen non sic capiendum velim, quasi continuo, ut quid aliquis fregerit, aut perdiderit, etc., statim convocanda sit congregatio; sed statim abbati, deinde in proximo capitulo congregationi revelanda. Ita Cassinenses (*Declarat. Cassin. in cap.* 46) declarant «hoc esse servandum quando abbas ibi adesset, aut in loco propinquo, et hoc delinquens scierit; alias satisfaciat ante congregationem in sequenti capitulo.»

Dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi.] Ita fere Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 16): «Si soror quæ in his casibus dilapsa, statim abbatissæ vel præpositæ puram dederit confessionem, ut compertum fuerit non suæ voluntatis fuisse quod casu accidit: hoc tantummodo sufficiat, ut hoc quod deliquit et perpetravit, si possibile fue- A rit, non deneget, et emendet cum veniæ satisfactione. Si vero non sua confessione, sed alterius proditione cognitum fuerit, prout culpæ magnitudo poposcerit, pœnitentiæ subjacebit; quia culpam per puram confessionem non manifestavit.» Quo ex loco haud obscure colligitur antiquus proclamationum usus, quibus publice ac palam deferuntur ii qui seipsos accusare prætermittunt; de quibus videtur intelligendus S. Isidorus, cum ait (*Cap.* 18): «Reliqui autem excessus monachorum, in collecta abbati vel præposito deferentur, ut is qui deliquisse cognoscitur, competenti securitate coerceatur.» *Vide* lib. I de Antiq. monach. Ritibus, c. 5.

Si animæ vero peccati causa latens fuerit, etc.] Mitigat his verbis priscorum monachorum rigorem, qui non solum exteriora delicta, sed etiam occultas animi cogitationes publice revelabant, ut videre est apud S. Basilium serm. 1 de Institut. monach. Porro hunc S. Regulæ locum de confessione sacramentali B non male interpretantur S. Hildegardis, Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Richardus de S. Angelo, Petrus Boherius, Joannes de Turrecremata, Theobaldus Artaldus, Joannes Craesbeeck et Antonius Perezius: unde et S. Pater non solum abbati, sed etiam *spiritali seniori* (quo nomine veteres Græci et recentiores Latini confessarios appellabant) eam fieri voluit, quia olim non omnes abbates erant sacerdotes, nec proinde absolvere poterant; summamque in eis prudentiam summumque secretum requirit, quod proprie ad sacramentalem pertinet confessionem, de qua breviter inquirendum est: 1° quam frequenter ab antiquis monachis adhiberetur, 2° ubi, 3° quo ritu, 4° cui fieret.

Ad primum quod spectat, quotidianas in antiquis monachis peccatorum, saltem venialium, confessiones innuit forte Jonas episcopus Aurelianensis in lib. I de Institutione laicali cap. 16 (*Spicil. tom.* I), ubi sic loquitur: «Moris est Ecclesiæ de gravioribus peccatis sacerdotibus, per quos homines Deo recon- C ciliantur, confessionem facere; de quotidianis vero et levibus quibuscunque perrari sunt qui invicem confessionem faciant, exceptis monachis, qui id quotidie faciunt.» Et certe Rotgarius in Meldensi S. Faronis monasterio monachus (*Sæc.* II *Ben.*), «quotidie **692** intentus in renovandis confessionum pœnitentiis» dicitur in Vita sancti Faronis cap. 119; verum Crodegangus in Regula canonicorum cap. 32, solum præscribit, ut «Monachi in unoquoque sabbato confessionem faciant cum bona voluntate, episcopo aut priori suo.» Crodegango concinit sanctus Dunstanus decernens, ut «Dominicis diebus fratrum unusquisque suæ conscientiæ reatum Patri spirituali, vel ejus, si absens fuerit, vicario per humilem revelet confessionem. Si autem tanta fuerit multitudo, ut ea die omnes ad confessionem venire nequeant, sequenti die, secunda videlicet feria, hoc idem impleant. Schola vero nullo modo hoc, quanquam puerilis, intermittat, sed ut senes, licet nondum tenta- D tionibus impugnata, consuete peragat. Qui autem aliis indiguerit diebus, tentatione aliqua animi vel corporis stimulatus, ad confessionis salubre remedium devotus non eo minus venire differat.» Idem ab ipso ordinis sui exordio a Carthusianis observatum fuit, testante Guigone (*Stat. c.* 7): «Omni sabbato,... quia tota hebdomada in cellis silentium tenemus, peccata nostra priori vel quibus ab eo injunctum est, confitemur.» Quod ita tamen explicant antiqua Statuta Carthusiensium (*Part.* II, *cap.* 11): «Omni sabbato, nisi capituli festum occurrat, peccata nostra priori vel quibus ab eo injunctum est, confitemur. Occurrente autem capituli festo in sabbato, die præcedenti, qui sine tali festo occurrit, confitemur.» Adduntque: «Semper confitemur in vigilia Natalis Domini, nisi eadem vigilia occurrat in dominica vel feria secunda: in quo casu confitemur in sabbato sequenti. Providendum est enim ut semper in qualibet hebdomada faciamus confessiones

communes. » Idem etiam institutum viguisse apud Cistercienses discimus ex lib. Institution. cap. Gener. Ordin. Cisterc. (*Dist.* 6, *c.* 4), in quo hæc habentur : « Abbates et monachi semel ad minus in hebdomada confiteantur, si copiam habeant confitendi. Conversi vero qui in abbatiis morantur idem faciant : qui autem in grangiis, quoties eis tenetur capitulum, confiteantur. Nihilominus universi, tam monachi quam conversi semel ad minus in anno abbatibus suis confiteri non omittant, nisi forte eorum copiam habere non possint. » Idem fere habetur in libello Antiq. Defin. dist. 7, cap. 4. Istud tamen præceptum de confitendo abbati semel in anno postea sustulit Clemens VIII. In Statutis quoque abbatum de Samnhyaco et de Maceriis ordin. Cisterc., et priorum de Ligeto et de Glanderiis Carthus. pro ordine Grandimontensi auctoritate Gregorii X papæ factis statutum lego (*Cap.* 9), « ut frater quilibet, tam clericus quam laicus, semel ad minus in septimana confiteatur, alioquin transgressor aquæ potu continuo sit contentus, quousque de sua confessione fuerit locutus. Prior vero quicunque tam necessarium statutum negligens repertus fuerit, ut in se et in aliis ipsam constitutionem cum omni diligentia faciat observari, ab abbate vel visitatoribus sine capitulo generali gravissime puniatur. » Et ms. liber de Doctrina novitiorum Grandim. (*Cap.* 3) : « Sit confessio tua præmeditata, brevis, frequens, aperta, integra, verecunda, lacrymosa, cum contritione et **603** sine excusatione; et si potes quotidie, bene quidem; sin autem de tertio in tertium diem, vel saltem semel in qualibet septimana salubriter juxta statuta ingressi ordinis studeas confiteri; et studeas semper, ut semel confitearis generaliter annuatim, juxta ordinationem concilii generalis Innocentii III. » Denique Bursfeldenses definiunt (*Cærem. dist.* 3, *cap.* 6), ut « Presbyteri celebraturi pro tempore mane finitis matutinis laudibus confiteantur, ut ad ordinis sui officium, et ad opus Dei eo expeditiores sint in die : hoc enim regulariter observetur, ut nulla unquam die quis celebrare præsumat, nisi antea devotæ confessionis ac meditationis antidoto juxta uniuscujusque qualitatem et habitudinem præparatus sit. Cæteri autem aliis horis competentibus confiteri possunt, ita ut tempora confitendi et communicandi in Constitutionibus Clementis V et Benedicti XII constituta non transeant. » In Constitutione autem Clementis V statuitur ut « singulis mensibus, tam in monasteriis quam extra, sublata omni occasione quacunque, ad confessionem saltem semel accedant omnes et singuli monachi. » Idem ante decreverat Gregorius IX in sua pro Benedictinis constitutione, ubi sic loquitur : « Singulis mensibus fiat omnium fratrum generalis confessio, ad quam omnes et singuli sine qualibet excusatione accedant. » Idem etiam legitur in mss. Statutis Petri abbatis Silvæ Majoris circa an 1198 editis. Benedictus vero Papa XII constituit (*Cap.* 27) ut monachi « non sacerdotes, etsi non sæpius, saltem singulis septimanis, confiteantur. » Quo tamen decreto consuetudinibus monasteriorum, in quibus frequentius confiteri solent, derogare non intendit. Ubi Benedictus antiquas priorum monachorum consuetudines, qui singulis septimanis confitebantur, restaurat, uti vidimus apud Cistercienses, Grandimontenses et Carthusienses. Nunc vero Carthusienses ex nova Statutorum collectione (*Part.* II, *c.* 7) sæpius confiteri possunt; ita enim habent : « Singulis diebus dominicis, vel sabbato præcedenti, aut semel ad minus in septimana, et præcipuis festis monachi non celebrantes, tam novitii quam professi, confiteantur priori vel ab eo deputatis. Propter hoc tamen non prohibemus quin alias super hebdomadam confiteri possint in capitulo, vel de licentia prioris in cellis. Celebrantes vero multum hortamur ut confessionem sacramentalem frequentent, propter hoc enim quotidie post primam pulsamus pro confessionibus fa-

A ciendis, etc. » Cœlestini autem constituunt (*Const. Cœlest. c.* 3, § 1), ut sacerdotes semel in hebdomada, cæteri monachi et oblati singulis mensibus saltem bis confiteantur. Denique apud Fulienses (*Const. Ful. cap.* 38) « tenentur quique non sacerdotes semel in hebdomada confiteri, et communicare die videlicet dominico. Moneanturque clerici et conversi ut frequentius ac saltem semel præter diem dominicum confiteantur. Sacerdotes ter aut frequentius in hebdomada, bis certe non prætermittunt. »

Locus confessionibus excipiendis deputatus in monasteriis communiter fuit capitulum, ut patet ex Consuetudinibus mss. Farfensis monasterii, ex Benignianis, ex Udalrico, ex libro Usuum Cisterciensium. **604** Carthusiani in capitulo confitentur, et cum prioris licentia in cellis, cum hoc tantum discrimine, quod « quandocunque in capitulo confitemur, inquiunt in antiquis Statutis (*Part.* II, *c.* 11), prolixitatem caveamus; in cella autem possumus diffusius

B confiteri. »

Formam accedendi ad confessionem describit Udalricus his verbis (*Lib.* II, *cap.* 12) : « Si opus habet ad confessionem pro aliquo excessu venire, accedit ad sacerdotem ad quem potissimum voluerit; et stans ante eum, dextram de manica extractam ponit super pectus, quod est signum confessionis. Surgit sacerdos, quem præcedentem sequitur in capitulum; et primum ante eum petit veniam, toto corpore prostratus : a quo jussus se levare, postquam consederit, loquitur quod habet. Si tale quid ei contigit in nocte quod nos verecunde fragilitatem appellamus, ante confessionem septem pœnitentiales psalmos dixerit, vel si psalmos nescit, dominicam orationem septies, et postquam fuerit confessus, quod sibi jusserit sacerdos. Eo die non textum Evangelii osculatur, nec ad pacem vadit, nec ad offerendam. » Eadem verba continent Divionenses S. Benigni Consuet. c. 31. De Cisterciensibus hæc scribit liber Usuum (*Cap.* 70) : « Quandiu aliquis confi-

C tetur, nullus ibi (in capitulo) remaneat, nisi qui simili occupatur opere. Nam omni tempore lectionis, non tamen nisi ante prandium, et etiam in intervallo ante primam, possunt ibi confiteri. Postquam ergo resederint, dicat prior *Benedicite* et responso *Dominus*, subsequatur prior, *Deus sit nobiscum;* et responso *amen*, confiteatur breviter culpas, pro quibus veniam petiit. Quibus dictis, statim subsequatur : *De his et omnibus aliis peccatis me reum confiteor, et veniam deprecor.* Tunc prior, facta super eum absolutione, injungat pœnitentiam. Deinde potest eum confortare, vel monere, vel increpare, prout viderit ei expedire, si voluerit, breviter tamen. » Ex his patet tam apud Cistercienses quam apud Cluniacenses et Benignianos confessionem factam fuisse sedendo. Aliter tamen pueri, de quibus in Benignianis Consuetudinibus dicitur : « Stando confitentur, bisque in hebdomada veniunt ad confessionem. » Quod etiam constat ex Consuetudinibus Farfensis monasterii, in

D quibus de puerorum confessione hæc præscribuntur : « Cum ad confessionem ducuntur infantes, si D. abbas præsens est, magister eos ad illum usque perducat; ipso surgente, magister ante capituli sedere debet introitum : in loco vero qui infantium solet esse capitulum, illic et confessionem debent agere. Prior infans prius accedat : *stans* confessionem faciat, alter in parte meridiana sedeat super unam sedium eorum. Post confessionem iterum eos magister accipiat. Cum vero priori et decano claaustri voluerint esse confessi, cum magister eos ad ipsum perduxerit, statim ipse recedat; prior in capitulum illos ducat, et post confessionem ad scholam reducat Cum infantes aliquot de schola sunt exituri, ad capitulum infantum D. abbas debet venire, et alios infantes exire faciat. Ipse autem et magister cum iis qui exituri sunt remaneant, et confessionem eorum audiat. Post confessionem magister illos ad alios reducat usque dum ad **605** consecrationem veniunt,

procurare debet ipse postmodum faciant alii quibus jubetur. »

At majorem tum corporis, tum animi demissionem ostendunt Carthusienses monachi (*Antiq. Stat.* II *part., cap.* 11), apud quos « prostratus debet esse, ac detecto capite quilibet qua do confitetur. » Et Grandimontenses, in quorum lib. ms. de Doctrina novitiorum (*Cap.* 3) hæc lego : « Cum singula peccata ad memoriam revocaveris, vade ad sacerdotem, et deposito caputio, humiliter genuflecte, et junctis manibus dicas: *Confiteor Deo, et B. Mariæ, et angelis Dei, et B. Stephano confessori, et omnibus sanctis, et vobis, pater.* Et sic incipias dicere illa peccata quæ superius cogitasti : quibus dictis, subjungas ultimo dicens: *De istis et omnibus peccatis meis mortalibus et venialibus confessis et oblitis, quibus offendi Creatorem meum, mea culpa*, etc. *Ideo deprecor*, etc. »

De persona cui facienda sit confessio præscribit S. Benedictus ut *tantum abbati aut senioribus spiritalibus* fiat. Unde liberum semper fuisse videtur abbati, aut ab eo deputatis confiteri, ut colligitur ex dictis tum ex Petri abbatis Silvæ Majoris Statutis anno 1198 editis, tum ex aliis mss. Statutis capituli generalis monachorum provinciæ Rhemensis in archimonasterio S. Remigii anno 1348 celebrati : quamvis abbati quædam peccata reservata fuisse constet ex prædictis Statutis Petri Silvæ Majoris abbatis. Apud Carthusienses etiam (*Antiq. Stat. part.* II, *cap.* 11), « qui ex præcepto prioris confessiones audiunt, nulli pro criminali satisfactionem injungunt, sed mittunt eum ad priorem; quia hujusmodi ejus judicio reservantur. In periculo tamen etiam tales possunt absolvere, tali conditione, quod si vixerint, et potuerint, priori confiteantur (*Part.* II, *cap.* 4). » Criminale autem peccatum in novis Statutis intelligere videntur *de mortali certo*. Sed in tertia Statutorum compilatione inter criminale et mortale peccatum hoc afferunt discriminis (*Cap.* 6), quod licet omne criminale sit mortale, non tamen omne mortale est A criminale. Criminalium autem peccatorum ingentem texunt catalogum, de quibus, ut diximus, nullus nisi a priore, et prior nisi a vicario potest absolvi. Erant præterea nonnulla sedi apostolicæ peccata reservata, de quibus solus Carthusiæ prior, et ab eo nominati quinquaginta priores absolvere poterant, non tamen *per litteras; quia*, inquiunt, *talis absolutio est sacramentalis, non judicialis.* Addunt antiqua Statuta (*Part.* II, *cap.* 11) : « Prædicatoribus aut Minoribus non poterunt aliqui nostrum confiteri, nisi priorum licentia impetrata, vel nisi ipsi Prædicatores aut Minores ostendant privilegium datæ potestatis a domino papa, expresso nomine Carthusiensis ordinis. » In Regula etiam S. Stephani Grandimontensis lego (*Cap.* 50) : « Si quis vestrum aliquod peccatum, quod absit, incurrat, omnino caveat ne cuilibet exteriori viro, quantæcunque sanctitatis sit, illud confiteatur. »

Qui sciant curare sua, et aliena vulnera.] Ita fere B etiam S. Antonius (*Regul. num.* 25): « Ne propales cogitationes tuas cunctis hominibus, sed solum iis qui possunt salvare animam tuam. » Et S. Basilius (*Regul. brev., interr.* 229): « Omnino in peccatorum confessione eadem est ratio, quæ in apertione 606 vitiorum corporis : sicut ergo vitia corporis non quibusvis hominibus temere aperiunt, sed iis tantum qui rationem qua ea curanda sint teneant, eodem modo peccatorum confessio apud eos debet fieri, qui ea possint curare. »

Non detegere aut publicare.] « Quod qui præsumpserit, inquit Boherius, non solum a sacerdotali officio debet deponi, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam debet in arcto monasterio ac carcere mancipari, ex. de Pœni. et re. c. *Omnis*, in fine. Olim depositus omnibus diebus vitæ suæ peregrinabat. De Pœnit. dist. 6, c. *Sacerdos.* » Concinit Nicolaus de Fractura, saltem quoad depositionem et retrusionem in arcto monasterio.

CAPUT XLVII.

De significanda hora operis Dei.

Nuntianda hora [a] operis Dei, die noctuque [b] sit C cura abbati [c], aut ipse nuntiare [d]: aut tali [e] sollicito fratri injungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur. Psalmos autem vel antiphonas post abbatem ordine suo, quibus jussum fuerit, imponant. Cantare autem aut legere [f] non præsumat, nisi qui potest ipsum [g] officium implere, ut ædificentur audientes. Quod cum humilitate, et gravitate, et tremore fiat, et cui jusserit abbas.

[a] Al., *nuntiandæ horæ.*
[b] Narb., *dies noctesque.* Flor., *dies noctesque.*
[c] Al., *abbatis.*
[d] Comp., *aut ipsum nuntiare.* Al., *aut ipse nuntiet.*
[e] Hil., *aut alii.*
[f] Cassin., Flor., Haeft., *et legere.*
[g] Conc. deest *ipsum.*

COMMENTARIUS.

Nuntianda hora operis Dei, die noctuque sit cura abbati, aut ipse nuntiare.] Mirari hic subit abbatem variis distentum curis a S. P. Benedicto institui ad horas operis Dei significandas. Attamen ut dignitati operis divini personæ ad illud invitantis dignitas responderet, eum ad id muneris eligi decebat, qui primas in monasterio teneret. Adde quod, cum non D essent illis temporibus horologia, nec ita facile omnes horæ dignosci possent; ut vitaretur inter fratres omnis murmurandi locus, si forte tardius aut 607 citius advocarentur, provide omnino ac prudenter huic officio deputatur abbas, a cujus nutu et voluntate omnes pendere debent. Nec me latet Petrum Boherium aliter hunc Regulæ textum intellexisse, ita ut nolit constitutum a S. P. Benedicto abbatem pulsatorem campanarum, sed tantum « quod hujusmodi nuntiatio sit sub ejus cura, sicut est de jure sub cura archidiaconi, licet custos ad pulsandum teneatur. » Sed præterquam quod omnia monasterii officia hac ratione sub cura sunt abbatis, Regulæ textus adeo clarus est, nullam ut relinquat ambagem : præscribit enim *ut ipse nuntiet*, id quod abbates sanctissimi non pauci strenue expleverunt; quamvis hæc a me non sic dicta velim, quasi absolute Regulæ præcepto teneretur abbas ad significandas horas operis divini; nam S. Pater subjungit :

Aut tali sollicito fratri injungat hanc curam.] Non cuilibet promiscue, sed *sollicito fratri*, a quo tria imprimis exigit Hildemarus, « Intellectum, ut intelligat horas noctis; possibilitatem, ut sanus sit, quatenus possit ministerium perficere; studium, ut non sit piger aut somnolentus. » Hæc cura ad œconomum in laura S. Sabæ pertinebat, ut patet ex ejus Vita num. 59 (*Sæc.* III *Ben.*), apud nostros vero ad

sacristam, sive, ut alii loquuntur, ad oratorii custodem: cujus rei exemplum habemus in Vita S. Liobæ cap. 5. Sed quicunque ille sit, is certe debet imprimis attendere ad istud Petri Damiani monitum (*Opusc.* 13, *cap.* 17): « Noverit significator horarum, quia nulli magis in monasterio est oblivio fugienda quam sibi. Si enim articulum suum cujuslibet synaxis hora vel præventa, vel dilata non teneat, omnem procul dubio horarum succedentium ordinem turbat. Non ergo fabulis vacet, non longa cum aliquo colloquia misceat, non denique quid a sæcularibus agatur inquirat; sed commissæ sibi curæ semper intentus, semper providus, semperque sollicitus, volubilis sphæræ necessitatem quiescere nescientem, siderum transitum et elabentis temporis meditetur semper excursum. Porro psallendi sibi faciat consuetudinem, si discernendi horas quotidianam habere desiderat notionem, ut quandocunque solis claritas, sive stellarum varietas nubium densitate non cernitur, illic in quantitate psalmodiæ quam tenuerit, quoddam sibi velut horologium metiatur. »

Notat vero Boherius hunc Regulæ textum duobus posse modis intelligi, « vel quod abbas committat alicui fratri curam pulsandi, et discernendi quando pulsandum existat; vel solum discernendi quando sit pulsandum. Unde, inquit, vidi in quibusdam monasteriis, quod hæc cura erat primicerii; in quibusdam prioris claustralis, vel subprioris. Talis enim cum tempus erat judicio suo pulsandi horas canonicas, faciebat signum sacristæ, quod hora erat pulsandi primam, vel tertiam, aut alias horas; vel trahebat quamdam modicam campanellam, quæ apud nos *mostala* vocatur, per quam etiam fit signum cum eadem campanella sacristæ vel alio pulsanti, ut a pulsatione quiescat, quia non est de more quod quiescat sacrista a prima pulsatione horarum, donec fiat signum sibi. »

608 Quæret aliquis quibus veteres monachi signis uterentur ad convocandos fratres ad opus Dei. Respondeo quatuor potissimum modis id præstitisse. Primo, tuba, et quidem ut credibilius est, cornea potius quam ærea, ut pote qui omnis omnino metalli essent expertes: ut videre est in Regula S. Pachomii art. 2, et apud S. Joannem Climacum gradu 19.

Secundo, tabula lignea, ut patet ex Vita S. Theodosii cœnobiarchæ n. 73 et 77, apud Boll. 11 Januarii, ex Prato spirituali cap. 11, ex secunda synodo Nicæna act. 4, et ex Vita S. Nicolai Studitæ, qui sæculo IX florebat, n. 50 apud Boll., 4 Februarii.

Tertio, voce altius decantata, verbi gratia *alleluia*; unde S. Hieronymus de monasterio S. Paulæ loquens (*Epist.* 27), « Post *alleluia* decantatum, inquit, quo signo vocabantur ad collectam, nulli residere licitum erat. »

Quarto, campana, ut colligere licet ex Cumeneo albo in Vita S. Columbæ n. 22 (*Sæc.* I *Ben.*): « Media nocte, pulsante campana, festinus surgens ad ecclesiam pergit. » Et n. 25: « Quadam die sanctus Dei ministro suo campanam subito pulsare præcepit, cujus sonitu fratres incitati, ecclesiam protinus sunt ingressi. »

Quod si campanis uti voluit S. Benedictus, ut est probabile, non magnis utique, sed omnino parvis, ut pote quas a solo abbate sæpe sæpius sene pulsari voluit: unde laudandi sunt Cistercienses, qui in suis Institutionibus hæc legunt (*Dist.* 1, *cap.* 12): « Campanæ ordinis nostri ita fiant, ut unus tantum pulset eas, et nunquam duo simul. » Contrarius tamen ordinis nostri usus obtinuit, ut plures et magnæ in monasteriis essent campanæ, ut constat ex Vita S. Sturmii abbatis, et ex Vita S. Angilberti.

Quæret insuper aliquis quot ad singulas horas canonicas signa pulsanda sint. Inter antiquos Regulæ commentatores Hildemarus tria ad vigilias signa pulsanda esse declarat: ad matutinum et primam unicum; ad tertiam, sextam et nonam, duo; ad vesperas, tria; ad completorium, unicum. Et quidem de

A tertia, sexta et nona, exstat concilii Aquisgranensis canon « ut duo tantum signa ad tertiam, sextam, nonamque pulsentur. » De vesperis exemplum habemus in lib. I Mir. S. Bertini cap. 5 (*Sæc.* III *Ben.*, *part.* I): « Et cum signum vespertinæ synaxis jam tertium sonaret, etc. » Paulo tamen aliter Einsidlenses, seu potius totius Germaniæ Consuetudines mss. rem definiunt (*Num.* 2): « Omni tempore, inquiunt, cum surgendum ad vigilias fuerit, minimum signum pulsetur, quousque infantes conveniant ad primam orationem, vel certe omnes fratres; et trina peracta oratione ante tria altaria, residentibus omnibus in choro, sequens percutiatur signum; et intervallo facto aliud feriatur, datoque alio intervallo, aliud intonetur; subsequente alio spatio, ad ultimum si festivitas duodecim lectionum fuerit, omnia; si non, duo signa nondum percussa, si tot habentur. Hæc autem differentia inter signa operis divinorum

B nocturnorum, quando ad opus intonanda sunt, a minore incipiatur usque ad majus per ordinem, et longiuscule unum post unum eodem dimittantur ordine...... Diurnis horis duo signa. **609** Primum percutiatur quousque infantes ad orationem veniant, vel compleant; secundum quousque nutu prioris dimittatur, aut interrogetur antea a custode, si potuerit adesse. Hoc fiat tempore æstatis privatis diebus ad tertiam et sextam (nam prior primam nuntiet) principali signo: nona quoque minore denuntiabitur signo ad lavandum, deinde majore.... Vespera eodem modo quo nocturni, uno minus signo, vel intervallo, ut prædictum est. Completa eodem signo, quo et capitulum, et eodem tribus vicibus percusso.... Tempore hiemis post matutinos in privatis scilicet diebus, si lux est, hora prima minimo signo pulsetur: eodem quoque secunda ad calceandum, et lavandum, et ad tres orationes; deinde principale signum, secundum ad tertiam, et postea mediocre. » *Vide* Bursfeld. Ordin. c. 26.

C *Psalmos autem vel antiphonas post abbatem ordine suo, quibus jussum fuerit, imponant.*] Quod ait S. Benedictus *post abbatem ordine suo*, etc., duobus potest modis intelligi: 1° Ut abbate prætermisso, qui post ipsum stant, ordine quique suo psalmos et antiphonas imponant: quo sensu S. Benedictum capit Bernardus Cassinensis, asserens cantandi necessitatem non imponi abbati, cum fieri possit ut cantum ignoret, aut conveniens ad cantum organum non habeat, quamvis in aliis ad regimen et spirituale et temporale longe majoribus sit sufficiens. 2° Ut abbas primus imponat; deinde post eum ordine suo, quibus fuerit jussum. Ita Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii et alterius Macarii (*Cap.* 6): « Astantibus ergo ad orationem nullus præsumat sine præcepto, qui præest patris, psalmi laudem emittere. Ordo iste teneatur, ut nullus in monasterio ad standum vel psallendum ordine præsumat præcedere. » Et Regula SS. Pauli et Stephani (*Cap.* 5): « Initium versuum psallentium in choro priores, qui in eis stant, inci-

D piant; aut si eis adversatur infirmitas, hi incipiant quibus jusserit Pater, etc. » Ita etiam sanctum Benedictum intellexisse videntur Cistercienses, apud quos ex libro Usuum (*Cap.* 68): « Abbas incipit primam antiphonam, vel *alleluia* in primo nocturno; » quamvis (*Cap.* 78) « ad vesperas incipit hebdomadarius primam antiphonam. »

Cantare autem aut legere non præsumat, nisi qui potest ipsum officium implere, ut ædificentur audientes quod cum humilitate, et gravitate, et tremore fiat, et cui jusserit abbas.] Quem in locum Bernardus Cassinensis: « Humilitas præsumptionem, gravitas levitatem, tremor irreverentiæ commissionem a cantante vel legente excludit; ut humilitas habeatur in mente, gravitas in gestu exteriore, et tremor in devotione, et abbatis jussio in obeditione Deo et hominibus innotescat. » Cui fere concinit Nicolaus de Fractura.

CAPUT XLVIII.

De opere manuum quotidiano [a].

610 Otiositas inimica est animæ. Et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum; certis iterum horis in lectione divina. Ideoque hac dispositione credimus utraque tempora ordinari, id est, ut a Pascha usque ad calendas Octobris [b] mane [c] exeuntes, a prima usque ad horam [d] pene quartam laborent quod necessarium fuerit. Ab hora autem quarta usque ad horam quasi sextam lectioni vacent [e].

Post sextam autem surgentes a mensa, pausent in lectis suis [f] cum omni silentio; aut forte qui voluerit legere, sibi [g] sic legat, ut alium non inquietet. Et agatur [h] nona temperius [i], mediante octava hora; et iterum quod faciendum est operentur usque ad vesperam. Si autem necessitas loci aut paupertas exegerit ut ad fruges colligendas [j] per se occupentur, non contristentur, quia tunc vere monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt, sicut et patres nostri et apostoli [k]. Omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes.

A calendis autem Octobris [l] usque ad caput [m] Quadragesimæ, usque in horam secundam plenam lectioni vacent: hora secunda agatur tertia; et usque nonam omnes in opus suum laborent quod eis injungitur. Facto autem primo signo horæ nonæ, disjungant se [n] ab opere suo [o] singuli; et sint parati dum secundum signum pulsaverit. [p] Post refectionem autem, vacent lectionibus suis aut psalmis.

A In Quadragesimæ vero diebus, a mane usque ad tertiam [q] **611** plenam, vacent lectionibus suis, et usque ad decimam [r] horam plenam operentur quod eis injungitur. In quibus diebus Quadragesimæ, accipiant omnes singulos codices de bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant. Qui codices in caput Quadragesimæ dandi sunt. Ante omnia sane deputentur [s], unus aut duo seniores, qui circumeant monasterium horis quibus vacant fratres lectioni: et videant ne forte inveniatur frater accidiosus, qui vacet otio [t] aut fabulis [u], et non est intentus lectioni: et non solum sibi inutilis est, sed etiam alios extollit [v]. Hic talis si (quod absit) repertus fuerit, corripiatur semel et secundo; si non emendaverit, correptioni regulari subjaceat taliter, ut cæteri timeant. B Neque frater ad fratrem jungatur horis incompetentibus.

Dominico item die lectioni vacent omnes: exceptis [x] his qui variis officiis deputati sunt. Si quis vero ita negligens et desidiosus fuerit, ut non velit aut non possit meditari [y] aut legere, injungatur ei opus quod faciat, ut non vacet [z]. Fratribus infirmis vel delicatis talis opera [aa] aut ars injungatur, ut nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur, ut effugentur. Quorum imbecillitas ab abbate consideranda est.

[a] Flor., *De opera manuum quotidiana*. Lyr., *Qualiter opera manuum quotidie agantur.* C

[b] Oxon., *ad calendas Octobres*. Cassin., *calendas Octobres.*

[c] Al., *a mane.*

[d] Al., *usque horam.*

[e] Oxon., Flor., *agent lectioni vacent.*

[f] Narb., *in lectulis suis*. Flor., *in lecta sua.*

[g] Al. deest *sibi.*

[h] Al., *agatur*, sine *et.*

[i] Flor., *temperarius*. Ebrul., Florent., Bern., Cass., *temporius.*

[j] Cass., Flor., *recolligendas.*

[k] Narb., *sicut apostoli patres nostri.*

[l] Narb., *Ab octavo decimo autem calendas Octobris.* Cassin., *Octobribus.*

[m] Al., *caput*, emisso *ad*. Al., *in caput.*

[n] Flor., *dejungant se*. Oxon., Cassin., *disjungant* omisso *se*. Narb., *discedant*. Al., *disjunganlur.*

[o] Flor., *ab opera sua*. Oxon., Cass., Boher., *ab opere.*

[p] Oxon. addit, *Mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus quælibet summa cum festinatione curratur*

[q] Al., *usque tertiam*; et mox, *usque decimam.*

[r] Conc., *undecimam.*

[s] Al., *deputetur.*

[t] Al., *vacat.*

[u] Hild. deest *aut fabulis.*

[v] Oxon., *extollat*. Flor., *distullit*. Al., *distollit.*

[x] Flor., *excepto.*

[y] Flor., *meditare.*

[z] Conc. deest, *quod faciat ut non vacet.*

[aa] Oxon., *tale opus.*

COMMENTARIUS

Otiositas inimica est animæ.] Quia *in desideriis est omnis otiosus*; et *qui sectatur otium implebitur paupertate* (*Prov.* XXI *et* XXVIII); et quia *multa mala docuit otiositas* (*Eccles.* 33): unde hæc erat apud Ægyptios monachos fixa et ab antiquis Patribus sancita sententia, *operantem monachum uno dæmone pulsari, otiosum vero innumeris spiritibus devastari* (*Cassian. lib.* X, *c.* 23).

Adversus pestiferum hoc virus, cujus varia referunt incommoda cardinalis de Turrecremata in hunc locum, et Haeftenus lib. IX, tract. 1, disq. 1, tria potissimum remedia adhibuerunt patres nostri: orationem, lectionem et laborem, ut videre est in Vita S. Marculfi abbatis num. 11, in Vita S. Wallarici et in Regula Solitariorum cap. 32. Iisdem quoque remediis hoc capite utitur S. Benedictus; unde subjungit:


D *Et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum; certis iterum horis in* **612** *lectione divina.*] Occupari debent, inquit: si *debent*, ergo legitime non excusantur ab opere manuum quotidiano. Ita censet Petrus Boherius in secundo commentario hunc ad locum sic scribens: « *Debent*, id est tenentur, quoniam monachis necessitatem importat, ut dicetur infra. Sed nonne enim qui sub Regula Pachomii, Basilii, Augustini, et Francisci militant, suis debent etiam manibus operari? Sic, inquam, cum utraque ipsorum Regula de labore manuum expressam fecit mentionem: Omnes quidem Religiosos decet ac convenit sibi victum suis laboribus procurare, ut dicetur inferius, et probat hoc idem clarius Augustinus in libro de Opere monachorum, ubi respondet dicentibus se habere, aut velle litterarum studiis aut prædicationibus insudare. » Et infra refert Basilii

Cæsariensis episcopi sententiam ad quemdam Syn- A cleticum (*Cassian. lib.* v, *cap.* 19) : « Qui cum renuntiasse se diceret huic mundo quædam sibi de propriis facultatibus reservarat, nolens exercitio manuum suarum sustentari, et humilitatem veram nuditate, et operis contritione, monasteriique subjectione conquirere : *Et senatorem*, inquit, *perdidisti, et monachum non fecisti.* » Et illud S. Hieronymi ad Rusticum : « Si apostoli habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant suis manibus, ne quem gravarent ; et aliis tribuebant refrigeria, pro quorum spiritualibus debebant metere carnalia ; cur tu in usus tuos successura non præpares : fiscellam enim texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus. »

Econtra Richardus de S. Angelo hunc Regulæ locum exponens, et facta sibi interrogatione : « Cum moderno tempore monachi Cassinenses, et quidam alii non utantur opere manuum contra statutum ipsius capituli, nunquid dici possunt Regulæ transgressores ? » Respondet : « Et est dicendum *quod non*, B propter tria. 1° Quia ad abbatem spectat hoc imperare, ut infra est ibi, *Laborent quod eis injungitur :* unde cum abbas hoc non injungat, ipsi excusantur ; per se enim non debent, quia præsumptioni deputabitur, ut infra cap. proximo dicitur. 2° Quia tempore quo ista ordinatio facta fuit, monasteria non abundabant in divitiis, et sic oportebat fratres necessitate cogente laborare : unde cum hodie abundent, conveniens est ut, deficiente causa, deficiat effectus. Causa fuit necessitas, sicut dixi, effectus vero opus manuum fuit. 3° Quia divina officia dicuntur cum tanta solemnitate hodie, quod dictis officiis, nulla quasi conveniens hora remaneret pro labore manuum : quod forte non fiebat tunc, et majus bonum minori bono præfertur. » Utriusque opinionem inferius expendemus.

Ideoque hac dispositione credimus utraque tempora ordinari.] Utraque tempora, inquit, id est tam laboris quam lectionis : vel æstatis, hiemis et Quadragesimæ.

Ut a Pascha usque ad calendas Octobris mane exeuntes a prima usque ad horam pene quartam laborent.] C Quem locum sic interpretatur Bernardus Cassinensis, ut mane, incipiente luce, incipiant fratres operari ad tertiam **613** usque plenam : « Notabis, inquit, quod a mane, videlicet a principio solis ortus usque ad plenam tertiam juxta hanc Regulam insistent fratres labori ; nam hora tertia, sole ascendente, laborare fratribus esset durum, maxime tempore æstivo ; idcirco lectioni, refectioni et quieti usque ad nonam deputat totum tempus : illa enim hora, sole declinante, potest melius labori manuum occupari. » Bernardum exscribit suo more Boherius ; verum, ut mihi videtur, minus recte : hac enim in sententia quando cantabitur prima ? Melius ergo Hildemarus *mane exeuntes a prima* intelligit, ut post cantatam primam et sequens eam capitulum, in quo suus cuique labor distribuitur, hoc est hora prima fere desinente, incipiant operari ; quam sententiam suam in proposita subsequenti figura ita explicat :



« Cum dicit a mane prima, non dicit, ut prima legitima custodiatur ; sed cum dicit a mane prima, quasi diceret mane prima cantetur ; deinde inter primam cantatam et capitulum factum, jam prope est prima perfecta, sicut te docet punctus in superiore hac forma, et crux lux est, quando cantari debet prima ; punctus quando potest exire de capitulo. Deinde de hoc, quod dicitur *pene quarta*, et *quasi sexta* varie intelligitur. Abbates enim spirituales custodiunt *pene quarta*, id est antequam quarta inchoetur, sicut te docet punctus qui in tertio campo, hoc est, spatio horologii est : ita dum tertia cantatur, quarta inchoetur. Deinde *quasi sexta : Quasi sexta* autem, id est antequam sexta incipiat, sicut punctus qui in quinto spatio horologii edocet, ut sexta cantata, tunc incipiat sexta hora. Item abbates sæculares, qui volunt laborare custodiunt ita, ut *pene quarta* intelligant, quasi aliquid de quarta est transactum, sicut punctus qui in quarto spatio horologii, demonstrat. Ita etiam *quasi sexta* intelligunt ; hoc est quasi aliquid de sexta transactum sit, sicut punctus qui in sexto spatio est demonstrat. **614** Sed melior est sensus superior, sicut abbates spirituales intelligunt. De octava hora non est dubium, quia quando exeunt de refectorio est plena sexta, deinde dormiunt septima hora, et media octava ; deinde media octava surgendum est : vespera vero debet cantari inchoante undecima, sicut crux te docet quæ est in virgula decima ; unde fit, si legitime laboraveris, tunc omni tempore quatuor horis debet monachus laborare. »

Ab hora autem quarta usque ad horam quasi sextam lectioni vacent.] Quærit hic Richardus de S. Angelo qua de lectione iste S. Regulæ textus sit intelligendus. Respondetque videri sibi ita intelligi debere, « ut monasterium, maxime illud quod convenienter facere potest, habeat duos magistros, ut unus grammaticam et alius theologiam doceat. » Haeftenus (*Lib.* IX, *tract.* 4, *disq.* 1) autem S. Benedictum interpretatur : 1° de pia, sive, ut vocant, spirituali lectione ; 2° de theologica ; 3° de psalmorum lectione.

Post sextam autem surgentes a mensa pausent in lectis suis.] Nimirum familiaris fuit antiquis monachis somnus meridianus, ut patet tum ex hoc Regulæ Benedictinæ loco, tum ex Regula SS. Pauli et Stephani, qua decernitur (*Cap.* 11), ut « æstatis tempore nulli liceat meridie præter in suo lectulo dormire, nisi forte jubente priore ad nubila pro custodia areæ extra suum lectulum dormiat. » Ex Regula Tarnatensi (*Cap.* 9), in qua legitur : « A sexta quoque hora usque ad nonam vacent quieti aut lectioni. » Ex Regula S. Isidori, quæ hæc habet (*Cap.* 6) : « Æstate enim a mane usque ad horam tertiam laborare oportet ; a tertia usque ad sextam lectioni vacare ; dehinc usque ad nonam requiescere. » Ex Regula S. Fructuosi, quæ vult (*Cap.* 6), ut « peracto sextæ officio, ab oratione pergant ad mensas, refectique congrue iterum facta oratione quiescant, ut fiat silentium usque ad horam nonam. » Denique ex D Regula ms. incerti auctoris, in qua scribitur (*Cap.* 2) : « Post refectionem hora sexta sicut B. Benedictus cæterique Patres docent, aut requiescendum est, aut legendum. » Cujus rei praxim videre est in l. I Dial. S. Greg. et in Vita S. Maglorii n. 24, sæc. I Bened. Sed et S. Joannes Climacus testatur (*Gradu* 27), quia *difficile est pomeridianis horis somnum arcere.*

Sed circa meridianum somnum nonnulla hic veniunt observanda. 1° Non toto anni tempore a S. Benedicto fuisse indultum, sed tantum a Pascha usque ad calendas Octobris, id est usque diem 14 Septembris, quo incipiunt numerari calendæ Octobris : hinc Statuta Lanfranci (*Cap.* 1, § 1) : « Calendis Octobris remaneat meridiana, quam facere solent monachi in æstate. » Et Udalricus : « A calendis Octobris..... ex toto dimittitur pausatio meridiana. » Id quod ab aliis etiam usu receptum fuisse, constat ex Regula SS. Pauli et Stephani cap. 11, et ex antiquis Carthusiensium statutis. Exstatque peculiaris

ratio cur æstate potius quam temporibus aliis concedatur hæc meridiana pausatio. Scilicet propter nimios æstatis calores, et propter noctium brevitatem, quam rationem **615** innuunt Magister in Regula cap. 50, et Petrus Damiani Opusc. 15, c. 17.

Secundo, nonnullos hanc S. Benedicti indulgentiam ad alia etiam tempora extendisse; in quorum numero reponi possent monachi Romani S. Andreæ monasterii, de quibus S. Gregorius scribit (*Lib.* IX, *epist.* 38), quod « in die natalitio ejusdem apostoli jam meridianis horis fratres quiescerent; » ac proinde in mense Novembri : nisi forte quis dicat id peculiare illis fuisse hac die, propter labores solemnitatis, quos in præveniendis vigiliis et celebrandis aliis officiis pertulerant.

Tertio, plerosque præscriptum a S. Patre tempus prævenisse : nam ex communi passim ordinis nostri usu meridianæ incipiebant dominica Palmarum. Nunc vero Cassinenses meridianas incipiunt a festo S. P. Benedicti, quando Pascha incidit in Aprili.

Quarto, cum loci necessitas vel paupertas exigeret ut ad fruges colligendas per se occuparentur, est toto dimissum fuisse meridianum somnum, juxta illum conc. Aquisgranensis canonem (*Can.* 17) : « Si necessitas fuerit fratres occupari in frugibus colligendis, constitutum legendi et meridie pausandi tempus prætermittitur. » Huic tamen statuto haud parebant Cistercienses monachi, etiam in agris dormientes, uti colligimus ex lib. Usuum, ubi de tempore secationis et messionis hæc legimus (*Cap.* 84) : « His temporibus solet conventus usque ad sextam laborare, et ante primam, si opus fuerit, exire, et extra monasterium prandere, et dormire, si necesse fuerit, cocus et lector mixtum sumere. » Idem permittit Regula SS. Pauli et Stephani his verbis (*Cap.* 41) : « In campo vero quando messis colligitur, si meridie dormire licuerit, non divisi; sed in uno loco aut duobus locis dormiant. »

Quinto, cum S. Benedictus dicat *post sextam surgentes a mensa pausent in lectis suis*, nullam videtur indulsisse repausationem quartis et sextis feriis, quibus ad nonam reficiunt fratres. Et certe Statuta Lanfranci a meridianis excipere videntur dies jejunii. Communis tamen ordinis nostri usus obtinuit ut sexta nihilominus hora his diebus dormirent monachi, præscribente Aquisgranensi synodo (*Can.* 71), « ut quando fratres æstivo tempore jejunant, post sextam dormiant; » testaturque Petrus Venerabilis (*Stat.* 25), quod « antiquus monachorum mos erat jejuniorum diebus detrimenta usitati somni congruenti dormitione ante mensam compensare : unde Hieronymus : Sæpe vacuo ventre dormiendum est. » Et in Regula Magistri legitur (*Cap.* 50) : « Statim post sextam tam post prandium quam in jejunio omnes modice in suis lectis meridientur. » Atque ita Cistercienses in lib. Usuum decernunt (*Cap.* 84), « quod si dies jejunii fuerit, omnibus ordine prædicto celebratis, post sextam, fratribus laicis præeuntibus, intrantes dormitorium pausent, in lectis suis usque ad horam octavam, etc. » Cluniacenses meridianas his diebus potius simulabant quam agebant; quæ causa fuit Petro Venerabili edendi decreti (*Stat.* 25), ut meridianæ jejuniorum, quæ in æstate post sextam fieri solent momentaneæ et simulatitiæ, dimittantur; et pro spatio illius temporis, quod inutiliter **616** expendebatur, fratres in claustro sedeant, et legant, aut missas cantent, aut aliquid necessarii operis agant. » Alii aliam inire rationem, dormientes laudes inter et primam, sicuti legimus in Floriacensis monasterii Consuetudinibus (*Cap.* 2) : « In omnibus jejuniis quæ veniunt a Pascha usque ad idus Septembris, post matutinas usque ad primam loco meridianæ dormitum imus, et post nonam reficimus. » Idem Rogationum tempore observabant olim Cluniacenses ex Udal. lib. I, cap. 21.

Sexto, quia vulgo noxius censetur somnus meridianus; quinque, ne sanitati noceat, conditiones requirit Haeftenus (*Lib.* XII, *tract.* 2, *disq.* 6) : 1° ut fiat ex consuetudine, 2° non statim post sumptum cibum, 3° non depresso, sed erecto capite, 4° non sit nimius, 5° ne tumultuosa et subita, sed lenis et modesta fiat expergefactio. Verum secunda tertiaque conditio repugnant Regulæ, quæ vult ut *surgentes a mensa pausent in lectis suis*. Et tamen S. Wolphelmus abbas Bruvillerensis tempore meridiano *non jacendo, sed sedendo* dormiebat, ut scribit Conradus in ejus Vita num. 40 (*Bolland.* 22 *April.*).

Cum omni silentio.] Quantum esse debeat illud silentium eleganter describit S. Adalardus in Statutis (*Lib.* II, *c.* 6, *Spicil. tom.* IV) : « Quando vero dormiendi tempus fuerit, sive in die, sive in nocte, sicut silentium funditus in ore, ita in incessu, ut nullus injuriam patiatur, summa cautela esse debet. Nemo vestimenta sua excutere, nemo incaute ascendere vel descendere de lecto debet, vel cætera his similia, quæ strepitu vel cujuslibet incommodo sonitum reddant, incaute agere debet. Sed et omni tempore, ut prædictum est, omnis ibi cautela servanda est, vel propter honestatem, vel propter infirmorum requiem, ne si forte aliquis ibidem necessitate coactus requiescere optat, alterius improbitate turbetur. » *Vide* Udalrici lib. II, cap. 24.

Aut certe qui voluerit legere, sibi sic legat, ut alium non inquietet.] De hac lectione habemus concilii Aquisgranensis canonem (*Can.* 38), « ut quando fratres post sextam dormiunt, si quis eorum voluerit legere, in ecclesia aut in lecto suo legat. » Huic canoni concinunt Consuetudines S. Benedicti abbatis Anianensis (*Tom.* IV *Analect.*) : « Post cibum autem citius redeunt ad stratus suos, maxime juvenes vel negligentes, quorum mores notantur. Si qui sunt de quibus bene præsumitur, et volunt, liceat illis aliquantulum, sed tamen breviter, vacare orationi in ecclesia : in claustro autem vel prohibito loco nullus inveniatur, ne forte, quod absit, aliquis fabulis vacet vel otio. » Divionenses S. Benigni ne quidem brevem in ecclesia consessum indulgent; sed « nemo, inquiunt (*Cap.* 43), unquam de dormitorio, postquam ad meridianam vel ad completorium introierit, debet exire, nisi forte hi qui necessarii sunt propter hospites foris, sicut est hospitarius, eleemosynarius, granetarius, et hujusmodi, si cellerarius vocaverit eos. Quod si factum fuerit, mirabiliter emendari debet, nisi forte alicui multum cognito et maturæ personæ contingat quod sanguinet nasus ejus, vel brachium cum multa affluentia; hic poterit ad meridianam exire ad lavatorium. Nam nocte obseratum ostium dormitorii est, et eundum **617** est ad necessarias. » Et tamen Cluniacenses in claustro cantare aut legere poterant, ut docet Udalricus lib. II, cap. 24. Sed et sanctus Anselmus prior Beccensis meridiano tempore emendandis libris in claustro intendisse legitur (*In ejus Vita num.* 21, *Bolland.* 21 *April.*). Id quod non permittunt antiqua Carthusiensium Statuta, in quibus legitur (*Part.* II, *c.* 18) : « In æstate cum aliqui operantur, vel emendant libros, non debent sine speciali licentia tempore dormitionis operari. »

Et agatur nona temperius mediante octava hora.] Id est media post elapsam septimam, et ante incœptam nonam, uti exponunt Hildemarus, Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Petrus Boherius, et Joannes de Turrecremata. Et sic horam integram cum dimidia, hoc est septimam totam et mediam octavam somno impendebant. Regulæ Tarnatensis, S. Isidori et S. Fructuosi tres quieti meridianæ horas concedunt. Cassinenses a Pascha (*Declarat. Cassin.*, *cap.* 48), sive a festo S. Benedicti ad medium Aprilem una hora, a medio Aprili ad medium Augustum duabus horis, inde ad idus Septembris una hora dormiunt et silent. Ad silentium quod spectat, scribit Hildemarus quod *incipi debet ad tertiam*, quamvis id Regula non dicat; sed loquitur haud dubium secundum usum sui monasterii.

Si autem necessitas loci vel paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per se occupentur.] Etiam omissa lectione, ut præscribit supra citatus canon 17 concilii Aquisgranensis, et antea Regula secunda et tertia SS. Patrum cap. 5, et Regula S. Macarii cap 19, atque ut S. Maurum fecisse docet Faustus (*In ejus Vita num.* 15), scribens eum *cum fratribus ad fruges colligendas longiuscule a monasterio* fuisse egressum, et *ad sextam refectionis horam cum iisdem fratribus* rediisse; cum tamen ex Regula a quarta ad sextam legere debuissent. *Vide* Regulam S. Donati ad virgines, c. 20.

Quia tunc vere monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt.] Quod sic capiendum non est, quasi veri non essent monachi, qui ruralibus operibus omissis, et alias habentes unde religiose vivant, lectioni et orationi vacant. Sed hoc ad eorum consolationem dixit, quos paupertas ad victum sibi comparandum manuum labore cogit, ut loquitur Hildemarus. Sive etiam, ut aiunt Bernardus Cassinensis et Boherius, « quia multum accedit ad statum monasticum paupertas et occupatio in labore. » Unde et S. Basilius monachos instituens, « Ratio, inquit (*Serm.* 1 *de Instit. monach.*), quærendi victus his qui in hujusmodi vitæ genere degunt, ea maxime conveniens judicanda est, quæ ab Apostolo præscribitur, nimirum ut manibus laborantes honeste suum quisque panem manducet.... ut mandatum ejus impleatur, qui jubet in sudore et labore nobis victum ut acquiramus, et honestatis decor reprehensione ac nota vacuus teneatur, cum nulla eos quotidiani victus necessitas adigat in publicum prodire. »

Sicut et Patres nostri et apostoli.] Quod ait *Patres nostri* interpretantur commentatores Hildemarus, Bernardus Cassinensis, **618** Boherius, Turrecremata, de antiquis monachis Paulo, Antonio, Hilarione, etc.; vel de Patribus Veteris Testamenti, Abraham, Isaac et Jacob. *Sed superior sensus est melior*, inquit Hildemarus. Hos imitati sunt in Hibernia S. Finani abbatis primi discipuli (*In ejus Vita num.* 6, *Belland.* 17 *Febr.*), « qui manibus suis laborantes, eremitarum more, terram sarculo arabant, et respuentes animalia nec unam vaccam habebant; et si quando eis aliquis aliquid de lacte vel butyro offerret, jam non recipiebant. » Tales Bancorenses (*Vita S. August. Cant. episcop., sæc.* I), « quorum summa ultra duo millia censebatur; » et tamen « omnes labore manuum victitabant. » Tales ex nostris Fuldenses, quos S. Bonifacius ad Zachariam pap m scribens asserit esse viros « strictæ abstinentiæ, absque carne et vino, absque sicera et servis, proprio manuum suarum labore contentos. » Tales ab eodem Bonifacio instituti Ordorpenses (*In Vita S. Bonif. c.* 8, *sæc.* III *Ben.*), qui, teste S. Willibaldo, « propriis sibi, more apostolico, manibus victum vestitumque instanter laborando » acquirebant. Tales Vallisumbrosani, de quibus in Vita S. Aiberti legitur (*Apud Sur.* 7 *April.*): « Stricte et inviolabiliter observatur institutum et canon S. Benedicti, vivuntque laboribus manuum suarum. » Tales denique primi Roberti de Arbrissello discipuli, ut docet Baldricus Dolensis episcopus in ejus Vita n. 17 (*Bolland.* 25 *Febr.*).

Non defuere tamen graves viri qui hujusmodi opera in agris, tanquam monasticæ observantiæ contraria et noxia reprobarent. S. Nonnosus Soractensis monasterii præpositus, cum ad colligendas olivas fratres foras mittere abbas voluisset (*S. Greg. lib.* I *Dial.*, *c.* 7), « id fieri cum magna humilitate prohibuit, ne exeuntes fratres de monasterio, dum lucra olei quærerent, animarum damna paterentur. » Et Joannes Trithemius suos alloquens (*Homil.* 7): « Est alia, inquit, consideratio, quæ animum concitat meum, ne vos externis operibus manuum de facili occupem sine causa rationabili et necessitate manifesta : experior enim quod labores hujuscemodi operis non conveniunt in vobis observantiæ regulari; sed integritatem monasticæ disciplinæ apud vos magis destruunt quam promoveant. Erubesco dicere, et nihilominus effari compellor, vestros labores extra monasterium et cellam plus destructionis afferre puritati animarum quam salutis. Qui enim labores vestri? nonne vagari et discurrere, comessationibus indulgere et poculis, et reliquum temporis sermonibus occupare vanis et inutilibus? Non habetis in vobis illum Spiritus Dei sanctum fervorem, quo priscos institutionis nostræ monachos legimus quondam inflammatos.... Tempore jejunii regularis illi statutum sibi ab tinentiæ modum aut diligenter custodiebant, aut si præ magnitudine laborum requievissent, ideo manducabant quatenus labori apti et idonei redderentur : vos autem non manducatis ut laboretis, sed laboratis potius ut manducetis, quando ex regula fuerat jejunandum : occasionem ex jejunio sumitis ut jejunium solvatis. Cæterum quam immunde et vilissime nonnulli ex vobis tractent indumenta sua, quis regularis disciplinæ studiosus amator æquanimiter ferat? Cujusnam sunt, fratres mei, quæ dispendiose consumitis? Christi patrimonium est omne quod pertinet ad monasteria servorum Dei.... Labores extra monasterium **619** pro terea vobis minui, ne gravius male operando peccaretis. » Eadem videtur fuisse mens Guillelmi abbatis S. Theodorici, cum scribens ad fratres de Monte Dei dixit (*Cap.* 22): « Subdivalia exercitia et opera, sicut sensus distrahunt, sic sæpe etiam spiritum exhauriunt; » licet piis aliquando viris ad animæ salutem proficiant, « cum graviore ruralium labore operum sit major contritio corporis usque ad contritionem et humilitatem cordis; et fatigationis suæ pressura exprimunt sæpe vehementioris affectum devotionis, quod etiam in labore jejuniorum, vigiliarum et omnium in quibus afflictio corporis est, crebro fieri manifestum est. » Sed neque S. Benedictus id absolute præscribit (*Cap.* 66), maxime cum nolit necessitatem esse *monachis vagandi foras*, *quia non expedit omnino animabus eorum*. Nam, ut ait Rupertus (*Lib.* III *in Regulam S. Bened.*, *c.* 5), « qui hæc dicit, manifestum est quia non vult monachos occupari in illis operibus manuum quæ non possunt nisi foris exerceri, sed tantummodo pro necessitate concedit hoc fieri. »

In Quadragesimæ vero diebus a mane usque ad tertiam plenam vacent lectionibus suis, et usque ad decimam horam plenam operentur quod eis injungitur.] Quem locum exponens Hildemarus ait : « Quod dicit, In Quadragesima usque decimam plenam operentur, ideo plenam dicit, quia tunc in suo monasterio non canebatur missa. Nunc autem quia missa canitur, non possunt fratres usque decimam plenam operari, et missam cantare et cum luce omnia agere; sed considerare debet abbas ut usque ad illud tempus laborent, quatenus missam, et vesperam, et manducare, et omnia cum luce agere possint. Ergo ob hoc non debet esse plena decima, sed incipiente decima canere debent nonam. Deinde nona cantata, statim canenda est missa. Deinde parvo intervallo facto, canenda est vespera. » Ubi respexit ad illum concilii Aquisgranensis canonem : « Ut in Quadragesima usque ad nonam operentur fratres, quatenus missa celebrata, congruo tempore reficiantur. » Sed jam nullum hujusce disciplinæ vestigium apparet; imo Boherii tempore elapsa sexta, missa jam decantata erat, reficiebantque post nonam, uti ipse testatur in primo commentario hunc ad locum sic scribens : « Hodie vero apud nos, ac in Romana curia, non tantum horæ tardant; imo hora sexta communi er est missa finita, et finitis vesperis, fratribusque ad mensam intrantibus, incipit decima hora intrare, et licet hoc sit contra caput 41, in fine. et de Cons. dist. 1, cap. *Solent*; non multum tamen elongari videtur a Regula. »

Hactenus S. Benedictum horas lectioni operique manuum assignantem audivimus : nunc quid alii monasticarum regularum conditores ea de re præscripserint, referre exigit officii nostri ratio.

Itaque S. Antonius generatim duntaxat ait (*Num.* 36): « Coge te ipsum in opere manuum tuarum, et timor Domini inhabitabit in te. » Et infra (*Num.* 40): « Cum sederis in cella tua, sollicitus esto de tribus hisce rebus perpetuo. **620** Nimirum de opere manuum tuarum, de meditatione tuorum psalmorum, et de oratione tua. » Idem legitur in Regula abbatis Isaiæ num. 7 et 11.

Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii et alterius Macarii hæc habet (*Cap.* 10): « Debent fratres istum ordinem tenere: a prima hora usque ad horam tertiam Deo vacent fratres. A tertia vero usque ad nonam quidquid injunctum fuerit a Patre, sine aliqua murmuratione faciant. »

Regula secunda SS. Patrum (*Cap.* 5): « Ita meditationem habeant fratres, ut usque ad horam secundam legant, si tamen nulla causa exstiterit, qua necesse sit etiam prætermissa meditatione aliquid fieri in commune. Post horam vero secundam unusquisque ad horam nonam quidquid injunctum fuerit sine murmuratione vel hæsitatione perficiat. » Idem habent Regula tertia SS. Patrum c. 5, et Regula S. Macarii c. 10 et 11.

Regula incerti auctoris (*Cap.* 2): « Operentur a mane usque ad sextam, et a sexta usque ad nonam vacent lectioni, et ad nonam reddent codices; et postquam refecerint, sive in horto, sive ubicunque necesse fuerit, faciant opus usque ad horam lucernarii. »

Regula S. Cæsarii ad monachos (*Cap.* 14): « Omni tempore usque ad tertiam legant, post tertiam unusquisque sibi opera injuncta faciat. » Et ejusdem Regula ad virgines (*Cap.* 17 et 18): « Omni tempore duabus horis, hoc est a mane usque ad horam secundam lectioni vacent; reliquo vero diei spatio faciant opera sua, et non se fabulis occupent. »

Regula S. Aureliani ad monachos (*Cap.* 24): « Per totum diem cum manibus operantur, meditatio sancta de corde non cesset, » hoc est ab hora tertia; nam postea statuit (*Cap.* 28), ut « completis matutinis, statim dicatur prima, deinde usque ad horam tertiam omnes lectioni vacent. » Similiter in Regula ad virgines cap. 20.

Regula S. Ferreoli (*Cap.* 26): « Usque ad horam diei tertiam in omni tempore lectioni monachus tam senior quam extremus vacare procuret; et sic demum in reliqua parte diei deputati operis cura succedat, præter ægrotos tantum, quibus imponi hoc supra propriam voluntatem vel potius virtutem communis infirmitas non permittit. »

Regula S. Columbani (*Cap.* 3): « Quotidie jejunandum est, sicut quotidie orandum est; quotidie laborandum quotidieque est legendum. »

Regula Tarnatensis (*Cap.* 9): « Omni tempore duabus horis in die spirituali meditationi vacabunt; æstatis vero tempore matutinis ex more completis, et prima dicta, omnes opera quæ jubentur assumant. Deinde tertia celebrata, ad expedienda quæ suscepta fuerant revertantur.... A sexta quoque hora usque ad nonam vacent quieti vel etiam lectioni. Post horam vero nonam, aut in horto, aut ubi poscit utilitas, usque ad horam lucernarii omnes in unum solatium commodabunt. Hiemis vero tempore, matutinis vel prima transactis, omnibus usque ad tertiam vacare conceditur lectioni; qua consummata, gratanter quod eis injunctum fuerit implere festinent, ut jam dictum est, usque ad horam lucernarii. »

621 Regula S. Isidori (*Cap.* 6): « Æstate a mane usque ad horam tertiam laborare oportet. A tertia autem usque ad sextam lectioni vacare; dehinc usque ad nonam requiescere. Post nonam autem ad tempus vespertinum iterum operari. Alio autem tempore, id est autumno, hieme, sive vere, a mane usque ad tertiam legendum, post celebrationem tertiæ usque ad nonam laborandum est. Post refectionem autem nonæ, aut operari oportet, aut legere, aut sono vocis aliquid meditari. »

Regula S. Fructuosi (*Cap.* 6) dicta prima ad horam diei tertiam laborem præscribit; dicta tertia lectionem sive orationem; post refectionem quietem et silentium ad nonam. Deinde, si necesse fuerit, ut revertantur ad opus usque dum conveniant ad duodecimæ officium.

Regula Cujusdam ad monachos generatim scribit (*Cap.* 12): « Monachos semper oportet laborare, et sine sollicitudine vitam suam transigere. Omnia quæcunque laboraverint, excepto, ut supra diximus, pane exiguo et vestimento, pauperibus distribuant. »

Regula Magistri (*Cap.* 50): « Tempore hiemis ab æquinoctio hiemali, quod est octavo calendas Octobris, usque in Pascha, quia frigus est, et mane fratres non possunt aliquid operari, a prima usque ad tertiam » lectionem jubet; dicta tertia, laborem usque ad sextam. Sexta cantata, laborem iterum usque ad nonam; qua item persoluta, laborem etiam usque ad lucernariam. « In æstatis vero tempore, id est a Pascha usque æquinoctium hiemale, quod est octavo calendas Octobris, quia magis mane refrigerat, a prima usque in tertiam operentur, ut recenti et suavi vel gravi brevium noctium somno careant. Item post dictam tertiam usque in sextam laborent. » Post sextam et modicam inde secutam quietem, labori vacent iterum usque ad nonam: inde ad inchoatum temperius lucernariam lectioni.

Regula solitariorum præscribit (*Cap.* 40), ut « omni tempore a mane usque ad horam pene tertiam lectioni vacent: ab hora autem tertia usque ad horam quasi nonam laborent quod necessarium fuerit, nisi forte paululum in stratis æstivo tempore pausare voluerint, et semper intermisceatur oratio cum opere; a nona quoque hora usque ad vesperam iterum orationi et lectioni vacent. »

Regula ms. incerti auctoris (*Cap.* 2, *in codice biblioth. reginæ Sueciæ*): « A S. Pascha usque ad calendas Octobris post matutinum officium mox prima subsequatur, et usque ad tertiam manibus operandum est simul cum divina meditatione. Post tertiam autem missarum solemnia celebranda sunt: qua expleta, usque ad sextam lectio divina studenda est. Post sextam autem, si quarta et sexta et septima feria non fuerit, reficiendum est. Post refectionem autem, sicut B. Benedictus cæterique Patres docent, aut requiescendum est, aut legendum usque ad nonam. Post nonam autem usque ad vesperas operari et psallere oportet. Post vespertinum autem officium, quibus necesse est, edendi licentia a quibusdam SS. Patribus concessa est. Post hæc, quantum hora permittit, lectio vacanda est; et sic luce adhuc diei completorium persolvendum. » Et sequenti capite: a calendis Octobris **622** usque ad Pascha « media nocte solemne officium peragendum est; quo peracto, in divinis precibus tota deinceps nox ducenda est usque mane. Matutinorum solemnitas incipiente luce celebranda est.... Peractum vero matutinorum officium *, usque ad horam diei secundam secretius soli Deo orationibus summo cum studio intentissime insistendum.... Expletum * autem prædictum officium (primæ), lectio sancta usque ad horam diei tertiam de manibus tuis non recedat.... Expletum * vero horæ tertiæ, usque ad horam diei sextam propriis manibus simul cum divinis canticis operari oportet.... Expleto sextæ horæ officio, iterum ut supra cum divina meditatione ad aliquod opus propriis manibus exercendum, properare festina usque ad horam nonam.... Post nonam autem missarum solemnia celebranda sunt. Post hæc autem divina lectio in manibus cum compunctione cordis amplexanda est usque ad vespertinum officium.... (Post refectionem) iterum sancta in manibus lectio ascendat usque ad terminum lucis diei. »

Regula S. Donati ad virgines (*Cap.* 20): « A secunda hora usque ad tertiam, si aliqua necessitas ut operentur non fuerit, vacent lectioni: reliquo vero spatio diei faciant opera sua; et non se fabulis occupent, propter illud Apostoli: *Cum silentio operantes.* »

* Hic et infra, ubi asteriscos posuimus, ablativum absolutum postulat syntaxis. Edit.

Regula Cujusdam item ad virgines (*Cap.* 12): « Operatio manuum ab hora secunda sumat exordium, ut in horam nonam finem accipiat. Ab hora vero nona lectio usitetur; et si aliquando proprium aliquod opus faciendum aut vestimenti consuendi, vel lavandi, aut quodlibet aliud opus per abbatissæ vel præpositæ commeatum faciet, etc. »

Regula B. Aelredi abbatis ad virgines (*Cap.* 14) a calendis Novembris ad Quadragesimam post nocturnas vigilias ad auroram usque præscribit lectionem, orationem, aut opus aliquod manuum; albescente aurora matutinas laudes cum hymnis horæ primæ persolvi, et sic cum alternatione lectionum, orationum et psalmorum, tertiam exspectari: « Qua dicta, inquit, in opere manuum usque ad horam nonam occupentur. » A Pascha autem ad prædictas calendas (*Cap.* 15), « dicta prima, sacrificium diurni operis inchoet usque ad horam tertiam. In lectione et oratione usque ad sextam spiritum occupet. Post sextam, sumpto cibo, pauset in lectulo suo usque ad nonam; et sic usque ad vesperam manibus operetur. » In Quadragesima vero (*Cap.* 18), « dicta post matutinas prima, usque ad plenam tertiam psalmis ac lectionibus vacet. Tertiæ vero horæ laude completa, operi manuum usque ad horam nonam devota insistat, breves per intervalla orationes inserens; dictaque post hoc vespera, corpus reficiet; et sic tempus completorii psallens exspectet. »

Denique Statuta Guigonis prioris Carthusiæ (*Cap.* 29): « Spatium a tertia usque ad sextam hieme, et a prima usque ad tertiam æstate manuum operibus deputatur, quæ tamen opera brevibus volumus orationibus interrumpi;.... et quod nonam vesperasque disterminat, manualibus occupatur operibus. » Idem habent antiqua Carthusiensium statuta; in quibus tamen additur (*Part.* I, *cap.* 41, *n.* 20): « Porro a spatiis operibus manuum deputatis **623** utilitatem non intendimus excludere lectionis. »

Tandem de S. Stephano abbate Obazinensi primisque ejus discipulis in ejus Vita lib. I, num. 15 (*Tom IV Miscel. Bal.*), legitur: « Labor manuum tam illi quam fratribus assiduus erat et solito gravior, quibus nec totius diei spatium ad hoc sufficiebat, propter quod ipsam plerumque refectionem usque in vesperam differebant, ne ejus intuitu ex diurnis operibus aliquid minueretur. »

Ex his omnibus apparet quanti apud veteres monachos labor manuum æstimatus fuerit; in quo tot diei horas impendebant. Jam vero nonnullis erit fortassis animus rescire, quibus potissimum operibus tanto temporis spatio occuparentur. De Pachomianis, qui omnium primi cœnobiticam vitam secuti sunt, ita scribit Palladius (*Laus. cap.* 39): « Exercent omnem artem, et ex his quæ supersunt, ædificant etiam mulierum monasteria et custodias: mane ergo surgentes, ii quibus sua vice hoc munus obtingit, alii quidem sunt occupati in culina, alii vero versantur in mensis parandis, mensæ imponentes panes, et olera agrestia, olivas, caseos, et extremas carnium partes, et comminuta olera. Atque ingrediuntur quidem qui minus sunt robusti hora septima, et comedunt, ut qui imbecilliores sunt. Alii nona, alii decima, alii sero vespere, alii post biduum, alii post triduum, alii post quatriduum, alii post quinque dies, adeo ut unumquodque elementum horam propriam significet. Sic autem erant eorum quoque opera: alius quidem laborat in agro colendo, alius in horto, alius in pistrino, alius in æris officina, alius in fabricando, alius in arte fullonia, alius in parandis coriis, alius in consuendis calceis, alius in pulchre scribendo, alius contexebat magnas sportas, alius canistros et sportulas. Memoriter autem omnes expromunt Scripturas. »

De Basilianis audiendus est ipse S. Basilius (*Regul. fus. cap.* 38): « Singulatim, ait, quædam artificia præscribere non est facile, propterea quod apud alios alia juxta negotiationum cujusque loci commoditatem A requiruntur. Potest illorum electio quædam generali sermone determinari, ut pote quod nobis conveniant quæcunque vitæ nostræ statum pacatum ac tranquillum retinent, nec multo negotio ad comparandam congruam materiam opus habent, neque multum efflagitant molestiæ ad distrahendum ea quæ parantur, et quæ nobis nullum virorum aut mulierum indecorum convicium conciliant. Est autem nobis peculiariter hoc spectandum, ut frugalitatem ac vilitatem servemus, caventes nes stultis ac noxiis mundi desideriis serviamus operando quæ ab illis affectantur; videlicet in textrina operi nostro admittere debemus quod juxta vitæ consuetudinem negotiationi servit, non quod ad prædam ac laqueos adolescentium ab impuris ac lascivis excogitatur. Similiter et in sutorio iis est per eam artem serviendum qui ad usum necessaria requirunt. Artes vero architectorum, fabrorum, ærariorum, et agriculturæ, licet in se ipsis necessariæ sint humanæ vitæ, et multum afferant utilitatis, et B propria ipsarum ratione a nobis non sint **624** rejiciendæ; si tamen vel turbas nobis quandoque generare, aut fratrum coadunationem convellere inveniantur; tum illas necessario vitabimus, præferentes eas quæ indivulsam nobis et Domino dedicatam vitam conservant, et neque a psallendi et precandi opportunitate, nec a reliquo disciplinæ statu pietatis studio incumbentes abstrahant. Alioqui si nihil damni afferant primario vitæ nostræ proposito, multis aliis præferendæ sunt, maxime agricultura, quæ de suo quæ necessaria sunt administrat, et agricolas molestia liberat circa multa operandi, ac sursum deorsum cursitandi, modo si, quemadmodum diximus, nihil vel e viciniis vel domesticis turbarum ac tumultuationis pariat. » Et alibi (*Constitut. monastic. cap.* 6): « Operari, inquit, addecet religiosum ea quidem quæ sibi conveniant, quæcunque videlicet et ab omni negotiatione, et remotioribus occupationibus, turpique lucro aliena sunt; quæ sub tecto nobis manentibus, qualia multa sunt, perfici queunt, ut et opus adim- C pleatur et tranquillitas conservetur. Si vero propter aliquam necessitatem subdiale opus perficiendum fuerit, ne hoc quidem philosophiam impediet, etc. »

S. Hieronymus Rusticum monachum de ratione vitæ instituendæ instruens (*Epist.* 4), hæc illi commendat opera: « Vel fiscellam, ait, texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus: sarriatur humus, areolæ æquo limite dividantur, in quibus cum olerum jacta fuerint semina, et plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ..... Inserantur infructuosæ arbores vel gemmis vel surculis, ut parvo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabricare alvearia, ad quas te mittant (*) Salomonis proverbia, et monasteriorum ordinem, ac regiam disciplinam in parvis disce corporibus: texantur et lina capiendis piscibus, scribantur libri, ut et manus operetur cibum, et animus lectione saturetur. »

Denique in Regula S. Ferreoli (*Cap.* 28) legimus: « Nullus ergo si quominus opera faciat, putet cau- D sam justæ excusationis afferre; quia qui, ut supra diximus, agriculturam exercere non valet, legere, scribere, quod est præcipuum opus, piscium etiam providere capturam, rete texere, calceamenta fratribus præparare, vel reliqua quæ similia sunt facere atque implere potest. » Et in Regula S. Isidori (*Cap.* 6): « Hortos olerum, vel apparatus ciborum propriis sibi manibus fratres exerceant; ædificiorum autem constructio, vel cultus agrorum ad opus servorum pertinebunt. » *Videsis* Vitam S. Sequani, n. 12; S. Galli, cap. 6, et S. Stephani Obazinensis l. I, n. 15.

Nostros specialius quod spectat, varios eorum fuisse pro temporum, locorum personarumque constitutione labores nemini dubium est. In ipso nascentis ordinis exordio, cum paucos haberent reditus, et ab hominum frequentia remota ad vivendum loca quærerent; ubi primum aliquem ad habitandum elegissent,

(*) Lege *mittunt*, nihil subjunctivum exigente. Ed.

statim illic monasterium construere cogitabant, quod tam necessitate exigente quam pœnitentiæ amore propriis ædificabant manibus, uti Casini fecisse S. Benedictum testatur 625 S. Gregorius lib. II Dialog., c. 9 et 11. Hujus rei egregium habemus exemplum in Guillelmo abbate Hirsaugiensi (*Trith. in Chron. Hirsaug., ann.* 1082), qui cum in votis haberet « monasterium construere, id novem annis per monachos suos perfecit; quippe cum ferme essent ducenti numero, erant intereos latomi, fabri, lignarii, ferrariique et architecti in omni arte et scientia architecturæ peritissimi, qui totum opus sine adjutorio sæcularium artificum egregio tabulatu, ut hodie cernitur ecclesia, consummarunt. » Et certe, ut ait alter Guillelmus (*Guillel. abbas S. Theo. ad fratres de Monte Dei, cap.* 12), « non a sæculi hominibus decet fieri tabernaculum Dei cum hominibus. Ipsi quibus in altitudine mentis ostenditur exemplar veri decoris domus Dei, ipsi ædificent sibi. Ipsi quibus sollicitudo interiorum suorum contemptum et negligentiam indicit omnium exteriorum, ipsi ædificent sibi formam paupertatis, et sanctæ simplicitatis speciem, et paternæ frugalitatis lineamenta. Nulla sic aptabit artificum industria, sicut eorum negligentia. »

Deinde, *cum nulla eis tunc esset possessio, non vineæ, non pecora*, ut de primis Benedicti Anianensis discipulis scribit Ardo, propriis sibi manibus victum comparabant, agros excolentes: quem laborem de sancto Benedicto ascribit S. Gregorius, sancto Mauro Faustus, Gemmeticensibus anonymus in Vita sancti Filiberti, Wiremutensibus Beda in Vita sancti Benedicti Biscopi, Rotonensibus liber II de Gestis sanctorum Rotonensium. Atque hujusmodi præ aliis labores dilexisse videtur S. Junianus, qui, testante Wlfino Boetio, ad regem conquestus est de angustia sui monasterii (*Sæc.* I *Ben.*), asserens « nec se habere ubi operis exercitium fieret secundum Regulam jam supradicti Benedicti Patris. »

Præterea cum quibusdam deessent servi, omnia monasterii ministeria propriis exercebant manibus, molendinum, pistrinum, hortum, aliaque id genus; id quod Fuldenses monachi, porrecto ad Carolum Magnum libello, enixe flagitaverunt, postulantes (*Num.* 16) « ut ipsa monasterii ministeria per fratres ordinentur, id est, pistrinum, hortus, braciatorium, coquina, agricultura, et cætera ministeria, sicut apud decessores nostros fuerunt. »

Insuper, cum ad agros excolendos, ligna aliaque ad vitam necessaria in monasterium afferenda, omniaque monasterii ministeria obeunda, nonnulla viderentur animalia necessaria, horum cura etiam in agris pascendorum alicui committebatur, ut patet ex Vita S. Benedicti abbatis Anianensis, in qua hæc lego (*Num.* 38, *sæc.* IV *Ben.*): « In montibus autem in quibus fratres soliti erant alendarum ovium curam habentes habitare, sibi ad orandum exiguum oratorium exstruxerunt. »

Tandem, cum varias in monasteriis artes exerceri S. Benedicti Regula permittat, qui aliquam callebant, huic potissimum applicabantur. Camaldulenses, ut docet Petrus Damiani (*In Vita S. Romualdi, cap.* 26), « faciebant omnes opera manuum, alii scilicet coclearia, alii nebant, alii retia nectebant, alii cilicia. »

Posteaquam vero pia regum ac principum liberalitate sufficienti reditu ditata fuerunt monasteria, non jam cogente necessitate, sed solo amore pœnitentiæ adeo duris laboriosisque operibus vacabant; aliquando 626 etiam ad expellendum otium levioribus. De Cluniacensibus audiendus est Udalricus (*Lib.* I, *c.* 30); cum interrogatus « quod sit opus manuum et quomodo fiat? » respondet: « Certe, ut non mentiar, quod ego sæpius vidi, non erat aliud quam fabas novas, et nondum bene maturas de folliculis suis egerere, vel in horto malas herbas et inutiles, et quæ bonas herbas suffocabant, eruere; et aliquando panes formare in pistrino. » De hoc postremo opere aliisque in mss. Germaniæ Consuetudinibus hæc

A lego: (*Num.* 33): « Aliquando, si necesse est, in tempore operis lavant vestimenta sua; hebdomadarii vadunt ad coquinam; fratresque interdum generaliter intrant pistrinum, pastamque propriis manibus præparant, et temperant ad faciendos panes. »

Aliis expellendo otio, ac pietati fovendæ peropportunum visum est libros scribere; quem laborem imprimis commendat Cassiodorus ad monachos suos sic scribens (*De Institut. divin. Scrip., cap.* 30): « Ego fateor votum meum inter vos: quæcumque possunt corporeo labore compleri, antiquariorum studia (si tamen veraciter scribant) non immerito forsitan plus placere, quod et mentem suam relegendo Scripturas divinas salubriter instruant, et Domini præcepta scribendo longe lateque disseminent. Felix intentio, laudanda sedulitas, manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitam dare, et contra diaboli subreptiones illicitas calamo atramentoque pugnare: tot enim vulnera Satanas accipit quot antiquarius Domini verba describit.

B Uno itaque loco situs, operis sui disseminatione per diversas provincias vadit: in locis sanctis legitur labor ipsius, audiunt populi unde se a prava voluntate convertant, et Domino pura mente deserviant. Operatur absens de corpore suo, etc. » Et Petrus Venerabilis (*Lib.* I, *epist.* 20) ad Gislebertum eremitam: « Plantari non possunt arbusculæ, rigari nequeunt sata, neque aliquid ruralis operis exerceri, reclusione perpetua prohibente; sed quod est utilius pro aratro convertatur manus ad pennam, pro exarandis agris divinis litteris paginæ exarentur. Seratur in chartula verbi Dei seminarium, quod maturatis segetibus, hoc est libris perfectis, multiplicatis frugibus esurientes lectores repleat; et sic panis cœlestis lethalem animæ famem depellat: sic plane, sic verbi Domini poteris fieri taciturnus prædicator, et lingua silente in multorum populorum auribus manus tua clamosis vocibus personabit. » Eumdem laborem singulari opusculo laudavit Joannes Trithemius, etiam post typographiæ

C inventionem fratres suos ad illum invitans. *Vide* Benedicti ejusdem lib. I de Viris illustribus ordinis S. cap. 6.

Denique, aliud laboris genus a nostris frequentatum notat Mabillonius (*Præfat. ad sæc.* I *Bened., pag.* 60): nimirum qui præ corporis infirmitate operosos labores manibus exercere non poterant, iis pro Regulæ indulgentia prolixioribus studiis aliorum operas compensare licebat. Quod probat exemplo Lanfranci, qui, ut loquitur Guillelmus Malmesburiensis (*Lib.* I *de Gestis Pont. Angl.*): « Factus monachus, homo qui ne ciret agresti opere victum quærere, publicas scholas de dialectica professus est, ut egestatem monasterii scholarum liberalitate 627 temperaret, » cum econtra Herluinus abbas coquendis panibus, et fimo tractando occuparetur. Et S. Bernardi abbatis Claraevallensis, cui pro manuum labore commissa est cura divini verbi docendi et prædicandi, uti ipse testatur in quodam sermone his verbis (*Serm.* 11, *in psal.* XC): « Quod aliquoties vobis loquimur præter consuetudinem ordinis nostri, non nostra id agi-

D mus præsumptione, sed de voluntate venerabilium fratrum et coabbatum nostrorum, qui id nobis etiam injungunt, quod tamen sibi passim nolunt omnino licere. Nempe aliam mihi rationem et singularem necessitatem esse noverunt; neque enim modo loquerer vobis, si possem laborare vobiscum. Illud forte vobis efficacius verbum fieret, sed et conscientiæ meæ magis acceptum. Cæterum quando id mihi peccatis meis exigentibus, et onerosi hujus, ut ipsi scitis, tam multiplici infirmitate corporis, et ipsa quoque temporis necessitate negatur, utinam dicens et non faciens in regno Dei vel minimus merear inveniri! »

Locus hic peropportunus se exhibet disquirendi num possint monachi a labore manuum quotidiano dispensari, ac litterarum studiis applicari: etsi enim ab ipso vitæ cœnobiticæ principio floruerint apud monachos sacrarum litterarum studia, non defuerunt tamen hac nostra ætate qui sic eos quotidiano ma-

unum labori occupatos velint, ut nulla penitus sit eis A studendi licentia. Id quod tanta animorum contentione propugnant, ut quasi pro aris et focis illis decertandum esse diceres. Horum libros, pietate licet et eruditione plurima refertos, ut primum prodierunt in lucem, improbaverunt hac in re viri doctissimi pene omnes, qui quantum ex monachorum et maxima Benedictinorum doctrina utilitatis accesserit Ecclesiæ recolentes, tam necessario eos interdicere exercitio piaculum duxerunt. Ego vero etsi persuasum habeam instituta a S. Benedicto in suis monasteriis scientiarum gymnasia, nec posse studia ex claustris monachorum expelli, quin simul et a sancti Patris mente et ab ejus Regula discedatur: hanc tamen in hoc scripto quæstionem ita agitabo, ut litem absolute non dirimam; sed quia utraque sententia suas habet rationes, suos patronos et defensores, quorum et religioni et virtuti non deferre minime possum, utriusque etiam hic argumenta depromere contentus ero, liberum cedens æquis lectoribus quam ex duabus voluerint amplecti sententiam.

B Igitur qui negant monachos posse a labore manuum dispensari, et litterarum studiis applicari, nituntur: Primo, antiquorum monachorum exemplo, quibus, ut aiunt, ignota fuerunt litterarum studia, cum tamen plures in die horas labori manuum impenderent.

Secundo, exemplo Christi et SS. apostolorum, quos quidem aliquoties laborasse manibus legimus, studuisse nunquam; ut mirum sit eos qui vitam apostolicam Christique in se actus exprimere sibi proposuerunt, dimisso manuum labore, sterili litterarum studio applicari, maxime cum nulla Ecclesiæ auctoritate legitima dispensatio a labore, studiorumque exercitatio in monachis unquam sit approbata.

628 Tertio, quia præceptum est omnibus impositum vitandi otii; quod certe implere non possunt qui, abjecto labore, studiis monachos applicare volunt, cum eorum pars non minima, ne dicam maxima, talis animi contentionis sit incapax, quam proinde labore manuum destitutam mortali otio torpere necesse sit.

Quarto, quia monachis pœnitentiæ destinatis magis conveniunt labores qui corpus atterunt, quam litterarum studia, quibus animus recreatur, et corpus mortificationis gloria privatur.

Quinto, quia studium pietati inimicum, devotionem exstinguit, compunctionis lacrymas exsiccat, pios animi motus comprimit. Econtra vero graves manuum labores contritione corporis interiores cordis affectus non raro excitant.

Sexto, quia *scientia inflat*, ut ait Apostolus, nec sine aliquo animi dolore videre possumus viros doctos, sui ipsius ignaros, de recta humili professionis suæ conditione, honores ambire, cathedras concionatorum aucupari, extra metas status sui foras prodire: quod utinam non ita frequens experiremur! At vero labor manuum fastus vitæ præteritæ et deliciarum facit oblivisci, et humilitatem cordis contritione corporis acquirit, ut docet inter alios Cassianus.

Septimo, quia studia multa post se trahunt incommoda, quæ certe laboris manuum bono non sunt præferenda: exinde enim omnis regularis observantiæ disciplina pessum iit; quod maxime octavo nonoque sæculo apparuit, quo florere cœperunt apud monachos litterarum exercitationes; nam cum illis sæculis a recta vivendi ratione deflexerint monachi, non immerito in litterarum studium disciplinæ regularis ruina refunditur; qua de re conqueruntur Patres concilii Vernensis his verbis (*Can.* 3, *an.* 844): *In locis sanctis, hoc est monasteriis, alios studio, nonnullos desidia.... a sua professione deviare comperimus.*

Octavo denique, sufficere monachis simplicem sacræ Scripturæ, operum sanctorum Patrum ad morum directionem scriptorum, piorumque monachorum historiæ lectionem: at vero Ecclesiæ traditionem investigare, conciliorum summorumque pontificum decreta discere, ecclesiasticas historias scrutari, de theologicis dogmatibus disputare, quid hæc ad viros mundo mortuos? Ita fere argumentantur qui laborem manuum studiis præferendum esse existimant.

Alii econtra asserunt, primo, ordini monastico haud esse essentiale operari manibus, cum nonnulli inter veteres monachos viri graves, et pietate, et virtutum meriti is insignes, ab omni prorsus exteriori labore abstinuerint: qualis fuit imprimis S. abbas Paulus in Ferme, qui mons est in Sceti, degens, haud paucioribus quingentis monachos habens; quique, ut scribit Sozomenus (*Hist. lib.* VI, *c.* 29) « *nullum opus faciebat*, nec ab ullo accipiebat quidquam præterquam quod esurus esset; orationi tantum vacabat, trecentas orationes velut tributum quoddam quotidie persolvens Deo; » id quod præter Sozomenum narrat etiam Palladius in Lausiaca cap. 23. Idemque cap. 52 refert de S. Apolline, « qui erat Pater **629** monachorum quingentorum, valde clarus et celebratus in Thebaide, quod scilicet ejus opus erat toto diurno spatio preces edere, noctu quidem centies, interdiu autem toties flexis genibus. »

Simili prorsus disciplina suos informaverat Julianus Sabas. Hic enim, ut scribit Theodoretus (*Theod. Philoth. cap.* 2), « illos docuit intus quidem communem Deo offerre hymnodiam: post auroram vero duos exire in solitudinem; et unum quidem flexis genibus offerre eam quæ Domino debetur adorationem; alterum vero stantem Davidicos psalmos psallere quindecim. Deinde facta operis commutatione, alterum quidem surgentem canere, alterum vero humi procumbentem adorare, et id a mane usque ad crepusculum assidue faciebant. »

Atque hanc non fuisse quorumdam duntaxat, sed multorum consuetudinem, docuisse visus est abbas Athanasius (*Joan. Mosch. in Prato spirit., cap.* 130), suis exprobrans, quia « sub patribus nostris in studio erat distractiones animi vitare: nostris vero C temporibus olla obtinuit, *et opus manuum.* » Unde merito licet inferre, ergo sub patribus ejus *non obtinebat opus manuum.*

Neque vero in Oriente tantum viguit hujusmodi observantia: eam siquidem cum vita monastica in Occidentem invexit etiam S. Martinus, testante Severo Sulpicio (*Lib.* I *de Vita S. Martini*), quod ejus in monasteriis « *ars ibi exceptis scriptoribus nulla habebatur*; cui tamen operi minor ætas deputabatur, majores oratio vacabant. »

Idem institutum secutus est S. Eparchius abbas Enculismensis, qui, ut scribit anonymus in ejus Vita n. 17 (*Sæc.* I *Ben.*), « monachis suis non solum laborare, sed nec panem etiam coquere unquam permisit, nisi tantum orationi insistere. »

Quid quod « discipulum ipsius B. Benedicti S. Maurum ad has Galliarum partes pro construendis secundum ipsius doctrinam cœnobiis ab ipso directum, legimus hunc morem in monasterio quod in D Andegavensi episcopatu construxerat tenuisse: ut quia eis sine proprio labore cuncta necessaria suppeditabant; omisso manuum opere, spiritualibus, ut diximus, exercitiis exercitati, otiosi non essent; sicque sibi nuper a sancto traditam Regulam bona semper operando optime conservarent, » quemadmodum ait Petrus Venerabilis ad S. Bernardum scribens (*Lib.* I *epist.* 28); cui etiam concinit Rupertus abbas Tuitiensis l. III in Regul. S. Bened., c. 7?

Quod si quis dicat, hos præ magno aliorum numero qui manibus laborabant, esse paucos; respondent paucos quidem nonnullis videri, sed virtutum merito atque auctoritate adeo graves, ut multitudini facili negotio præponderent. Et sane etsi unus suppeteret *Martinus*, hic omnibus Orientis monachis si non præferendus, saltem auctoritate haudquaquam inferior esset habendus. Ad mentem vero S. Benedicti quod spectat, unicum sancti *Mauri* judicium omnium quorumcunque posset proferri, longe præ-

ponderare debet. Nam, ut optime dicit Rupertus (*Lib.* III *in Regul. S. Bened., c.* 7) « dubium nobis esse non debet, cum tanti testimonio discipuli, quia magister ejus et Pater monachorum B. Benedictus non ita de opere manuum **630** monachis ordinem scripsit, ut inquietari vellet otium sanctæ contemplationis, cum locum faciunt munificentiæ fidelium divitum. »

Horum judicium confirmavit Aquisgranense concilium sub Ludovico Pio congregatum *de fere omnibus pr latis Orientalibus et omnibus Occidentalibus;* in quo (*Fragm. hist. Conc. Aqui., tom.* I *Anal.*) « statuerunt episcopi, *concordante domino papa*, ut monachi *a gravi opere et labore propter honorem sacerdotii cessent*, et loco labor s ad horas psalmos quosdam nominatos pro vivis et defunctis fidelibus cantent cum orationibus ordinatis. »

Secundo, aiunt non ita peregrina esse in antiquis regulis monachorum studia litterarum, quasi nulla de illis ibidem exstarent præcepta. Nam in Regula S. Pachomii legitur (*Art.* 80) : « Omnino nullus erit in monasterio qui non discat litteras, et de Scripturis aliquid teneat, quod minimum est usque ad Novum Testamentum et Psalterium. » In Regula SS. Pauli et Stephani (*Cap.* 15) : « Iis qui litteras et psalmos discunt, illis observent ad excipiendum, quibus fuerint deputati; qui pro eis aut de negligentia arguendi sunt, aut *in eorum eruditione et studio* approbandi, etc. » In Regula S. Aureliani (*Cap.* 32) : « Omnes litteras discant. » In Regula S. Ferreoli (*Cap.* 11) : « Omnis qui nomen vult monachi vindicare, litteras ei ignorare non liceat; quinetiam psalmos totos memoriter teneat; neque se quacunque excusatione defendat quominus sancto hoc studio capiatur. » In Regula S. Isidori (*Cap.* 19) : « Cura nutriendorum parvulorum pertinebit ad virum quem elegerit Pater, sanctum, sapientem, atque ætate gravem, informantem parvulos non solum *studiis litterarum*, sed etiam documentis magisterioque virtutum. » Et antea (*Cap.* 7) vult fratres « de quibusdam divinæ lectionis quæstionibus disputare » ante completorium. In Regula Magistri (*Cap.* 50) : « Alii legant, alii audiant, alii litteras discant et doceant. » Denique in Regulis brevibus sancti Basilii (*Inter.* 235) : « Equidem existimo, cui aliorum cura gubernatioque commissa est, eum quæ apud omnes scripta sint, scientia comprehensa habere, ac edis ere debere, ut c nctos doceat multiplicem Dei voluntatem, singul s p æmonstrando officio suo. De cæteris vero .... unicuique sicut Deus divisit mensuram, quæ officii sui sint studiose discat et persequatur, neque curiose ulterius quidquam inquirat. » Et alibi interrogatus (*Inter.* 292) « an conveniat ut inter fratres magister sit puerorum sæcularium? respondet affirmative : « Si qui eos adducunt, ea mente adducunt, et qui suscipiunt tales sunt qui plan ssime confidant posse se qui sibi adducantur in disciplina et correptione educare. » Quod si sæculares docebant, quanto magis monachos, qui alios ex suo instituto litteris imbuere tenebantur? alioquin qua ratione id potuissent? His adjicienda est Regula solitariorum, in cujus cap. 20 hæc legimus : « Solitarius itaque debet esse *doctor, non qui doceri indigeat;* etiam debet esse sapiens et doctus in lege divina, ut sciat unde proferat nova et vetera. Multis modis etiam necessarium est solitariis ut instructi sint in divinis eloqu is : primum, propter astutias et fraudes diaboli, per quas se ipsum solet in cordibus insipientium **631** sæpe demergere. Deinde, ut advenientium quorumdam corda mentia proximorum fluentis rivis doctrinæ valeat irrigare. Nam et si quos habet discipulos, affatim possit instruere eos. In his denique, et in aliis quibuslibet rebus, *scientia Scripturarum valde solitario necessaria est;* quia si ei tantum sit sancta vita, sibi soli prodesse potest, quod sancte vivit. Porro et si doctrina fuerit eruditus, potest cæteros quoque imbuere, et hæreticos sive Judæos seu alios quosque adversarios repercutere vel refutare; qui nisi refutati fuerint atque convicti, facile possunt simplicium corda pervertere. Hujus autem sermo debet esse purus, simplex et apertus, plenus gravitate et honestate, plenus suavitate, gratiaque, et levitate. *Ipsius namque speciale officium est tractare de mysterio legis, de doctrina fidei, de disciplina justitiæ; Scripturas divinas legere, percurrere canones, exempla sanctorum imitari*, etc. » De mente S. Benedicti haudquaquam dubium est eum fratres suos litterarum studiis applicari voluisse; nam et inter alias abbatis ex congregatione eligendi dotes requirit (*Cap.* 64), ut doctus sit, ut sciat unde proferat nova et vetera; et decanos non per ordinem, sed secundum *sapientiæ doctrinam* vult institui (*Cap.* 21). Deinde oblatos in monasterio pueros (*Cap.* 59), hoc est aliquando quinquennes, aliquando septennes, aut non mul o provectiores, suscipi jubet; quo um proinde in litterarum studiis institutionem in se suscepit : quæ ratio valet pro Pachomianis, Basilianis, aliisque qui in monasteriis parvulos admittebant. Præterea *fratribus infirmis et delicatis*, inquit hoc capite, *talis opera aut ars injungatur, ut nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur.* Quem locum exponens Hildemarus, antiquissimus Regulæ commentator : « Ars, inquit, est, si sapit cantare, doceat alium cantum, vel etiam si scit grammaticam, tradat aliis, aut alias artes quæ sunt utiles in monasterio; si sapit, doceat alios. » Tandem fratres suos ad sanctorum Patrum doctrinam remittit Regulæ cap. 73.

Quod autem tam ipse S. Benedictus quam alii veteres monachi laborem præ litterarum studiis commendare visi sunt, tria potissimum faciebant. Primum librorum raritas, quæ temporibus illis, quibus nulli nisi manu exarati habebantur, tanta erat, ut aliquando monachorum numerus in cœnobiis numerum excederet voluminum; qua in re exemplo esse potest Centulense monasterium, in quo trecenti olim cum pueris centum degebant monachi; cum tamen ibidem non essent codices trecenti, ut patet ex catalogo librorum ejusdem monasterii tempore Ludovici Pii confecto, et ab Hariulfo in Chronico Centulensi relato (*In Chron. Centul. lib.* III, *cap.* 3) : unde etiam horis secundum Regulam lectioni deputatis, uno legente alii sæpius auscultare cogebantur; eoque respexit S. Benedictus cum dicit (*Cap.* 4) *lectiones sanctas libenter audire.*

Secundum, paucitas sacerdotum : nam cum in ipsis vitæ monasticæ cunabulis, haud ita multi monachorum in clerum a ciscerentur, nec **632** a laicis fere distinguerentur; etsi perutilem scientiam existimarent, non tamen omnino necessariam : quapropter urgente victus sibi comparandi necessitate, longe plures laboribus manuum horas impendebant : alioqui quos sacris altaribus destinabant, scientiis informare omnino satagebant, Domini per prophetam comminationem formidantes : *Quia repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi;* et illud : *Ignorans ignorabitur.*

Tertium, perversa Massalianorum hæreticorum et quorumdam vagantium monachorum doctrina, qui aut orationis, aut prædicationis obtentu, laborem non solum tanquam inutilem, sed etiam ut malum, et evangelicis verbis contrarium in servis Dei damnabant; quorum dogma impium refutarunt S. Epiphanius lib. III Contra hæreses, hær. 80, et S. Augustinus e in opusculo quod hortatu Aurelii Carthaginensis episcopi conscripsit de Opere monachorum (*Cap.* 30), « ne boni fratres apostolicis præceptis obedientes, a pigris et inobedientibus etiam prævaricatores dicerentur; ut qui non operantur, saltem illos qui operantur sibi anteponendos esse non dubitent, » ut loquitur ipse sanctus doctor : quod tamen non sic dicit quasi laborantes absolute non laborantibus judicaret esse meliores; nam et eos qui perfectionis gratia reclusioni se dedunt, non solum laborantibus non postponit, verum etiam « horum,

inquit (*Cap.* 23), exercitationem in tam mirabili continentia, quandoquidem habent otium, quo hæc ag nt, seque imitandos non superba elatione, sed misericordi sanctitate proponant, non solum non reprehendo, sed quantum dignum est laudare non possum. » Et alios (*Cap.* 21), « si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum » sunt, liberam non operandi potestatem sibi vindicare posse asserit. Sed laborantes perversis illis monachis crinitis et vagantibus, qui laborem in aliis tanquam rem malam improbabant, meliores esse contendit; neque aliud vult toto hoc in libello de Opere monachorum S. doctor; qui si nunc viveret, exsurgeretque novus Wiclefus, a · diceret : « Omnes monachi S. Benedicti nolentes labore manuum victum quærere, non solum ab ordine S. Benedicti, sed, quod verius est, a discipulatu Christi sunt apostatæ, » novum Pharaonem, qui ut electum Dei populum suæ servituti subjiceret, et a reddendo in deserto vero summoque Deo laudis sacrificio averteret, hunc lateritiis manualibusque operibus addicere conaretur, procul a se valere juberet: laudaretque monachos qui ut liberius Deo vacarent aut publicæ utilitati inservirent, ab omni prorsus labore manuum abstinerent; multo minus qui ea de causa litterarum studiis incumberent revocaret.

Tertio, viguisse semper apud monachos litterarum studia non solum ex antiquis regulis, sed ex constanti etiam omnium temporum traditione demonstrare se posse asserunt.

Et quidem sæculo IV, quo præsertim florere cœpit vitæ monasticæ institutum, sanctum Pachomium *in divinis litteris apprime fuisse versatum* sancti Antonii testimonio docet antiquissima ejus Vita apud Bollandum **633** 14 Maii : imo dedisse operam *ut Græce loqui posset ipse*; quo admissum sua in congregatione fratrem natione Græcum, frequentius solari valeret, tradit ejusdem Vitæ scriptor. Quin et ipse Ammonius episcopus ad Theophilum Alexandrinum archiepiscopum scribens (*Ammonius, epistol. ad Theoph., n. 4, apud Boll. Maii* 14), testatur se annos decem et septem natum a Theodoro Pachomii discipulo in monasterio susceptum, ab eodem magistris et moderatoribus traditum fuisse, Theodoro scilicet Alexandrino, et Ausonio cuidam, qui secundas ab eo tenebat, ut ab ipso *in divinarum Scripturarum intelligentia præclare erudiretur* : quod certe non de simplici sacræ Scripturæ notitia, quam ex sola lectione sine magistris acquirere posset, sed de perfecta et integra scientia, quam nisi aliorum adjutus magisterio haudquaquam valeret adipisci, intelligere necessum est.

Eodem tempore vivebat alter Ammonius, abbatis Pambo discipulus, vir *insigniter doctus* (*Pallad. in Laus., c.* 12), qui « Vetus et Novum Testamentum dicebat memoriter, et in doctorum virorum Origenis, et Didymi, et Pierii, et Stephani scriptis ita erat versatus, ut sexagies centena millia versuum percurrerit. » Hic magno Athanasio Romam proficiscenti datus est socius, vir, teste Socrate (*Lib.* IV, *cap.* 18), adeo « parum curiosus, ut cum Romæ una cum Athanasio forte versaretur, nihil ex magnificis urbis operibus, præter templum Petro et Paulo dicatum, videre omnino desideraret. » Adeo verum est, quod aiunt nonnulli, scientiam in monachis parere curiositatem, eosque ad curas externas plus æquo effundere. Eodem referri debet quod de Theone abbate, qui triginta annis in domuncula seorsum inclusus silentium exercuit, tradunt Rufinus (*Ruf. lib.* II *de Vit. Patr. cap.* 6) et Palladius (*Pall. Laus. cap.* 50), quod scilicet « erat vir eruditus in triplici gratia sermonum, in scriptis Romanis, Græcis et Ægyptiacis. »

His, præter Basilium Magnum, Gregorium Theologum, Joannem Chrysostomum, Ephrem Diaconum, qui non minus doctrina quam vitæ sanctimonia eremum illustrarunt, addere possemus etiam insignem et admirabilem Or abbatem montis Nitriæ (*Ibid., cap.* 9), qui a fratribus visitatus « statim convertebatur ad doctrinam, erat enim valde peritus litterarum ; » celebrem Evagrium Diaconum (*Ibid., c.* 86), qui composuit tres libros sacros monachorum ; sed præsertim illustrem Silvaniam virginem, quæ, ut scribit Palladius (*Ibid., c.* 143), « erat doctissima, doctrinam amore complexa, noctes uberi oleo a se illuminatas mutabat in dies, omnia antiquorum qui commentarios ediderunt scripta percurrens, Origenis tricies centena millia versuum, Gregorii, et Stephani, et Pierii, et Basilii, et quorumdam aliorum præstantis virtutis virorum millia ducenta et quinquaginta non leviter nec temere hæc percurrens, sed *elaborate* septies vel octies unumquemque librum perlegens, etc. »

At præ omnibus spectandus videtur S. Hieronymus, non modo ordinis monastici, sed etiam totius orbis Christiani ornamentum. Hic enim in Syriæ solitudinem secedens, insignem illam bibliothecam quam summo studio impendioque Romæ sibi paraverat, indeque Hierosolymam asportari fecerat, secum attulit. Porro quibus in eremo studiis **634** vacaret, ipse nos docet his verbis (*Epist.* 4) : « Dum essem, inquit, juvenis, et solitudinis me deserta vallarent, incentiva vitiorum, ardoremque naturæ ferre non poteram ; quem cum crebris jejuniis frangerem, mens tamen cogitationibus æstuabat. Ad quam edomandam cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi ; ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis, et lenitatem Plinii, alphabetum discerem, et stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quoties cessaverim, et contentione discendi rursus inceperim ; testis est conscientia tam mea qui passus sum, quam eorum qui mecum duxerunt vitam ; et gratias ago Domino, quod de amaro semine litterarum dulces fructus carpo. »

Longum hic foret per omnes insignes illos doctissimosque monachos excurrere, quorum consuetudine usus est ipse S. Hieronymus ; aliosve percelebres viros, quorum doctrina sæculo quarto, in omni scientiarum genere floruit solitudo, uberesque fructus in commune Ecclesiæ catholicæ bonum protulit.

In sequenti sæculo v excultas etiam fuisse in laura S. Euthymii litteras (*Vita S. Euthym., Anal. Græc. tom.* I), patet non solum ex magno discipulorum ejus numero qui ad episcopales infulas assumpti sunt, sed maxime ex celeberrimo Gabrielio, qui ab adolescentia ejus magisterio traditus, « litteris adeo deditus erat, ut etiam Latina, Græca et Syra lingua recte loqui et scribere didicerit, » ut tradit Cyrillus Scythopolitanus auctor coævus. Eodem quoque sæculo v viguisse in cœnobiis Africæ litterarum studia colligi posse videtur ex S. Augustino, qui quo ex bono monacho bonus fiat clericus, requirit ut ei non desit « *instructio necessaria*, aut personæ regularis integritas. » Nam cum eo tempore communiter monachi in clerum eligerentur, non male inde infertur eos et *instructione necessaria*, et regulari integritate ornatos fuisse. Idem alibi haud obscure innuit S. doctor cum dixit (*De Opere monachor., cap.* 29) : « Multo mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, et cæteras horas habere ad legendum et orandum, aut aliquid de divinis litteris agendum liberas, quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati, etc. » Quo ex loco clare et manifeste deducitur in monasteriis *bene moderatis*, præter communem lectionem liberas fuisse horas ad disputandum *aut aliquid de divinis litteris agendum* ; quod plane fieri nequit absque peculiari studio.

Eamdem consuetudinem etiam in Galliis obtinuisse, probat Claudiani Mamerti abbatis Viennensis exemplum (*Lib.* IV, *epist.* 11. *Vid. epist.* 3), in cujus epitaphio ita canit Sidonius Apollinaris :

> Germani decus et dolor Mamerti,
> Mirantum unica pompa episcoporum,

Hoc dat cœpite membra Claudianus.
Triplex bibliotheca quo magistro
Romana, Attica, Christiana fulsit :
635 Quam totam monachus virente in ævo
Secreta bibit institutione.
Orator, dialecticus, poeta,
Tractator, geometra, musicusque,
Doctus solvere vincula quæstionum,
Et verbi gladio secare sectas,
Si quæ catholicam fidem lacessunt.

Circa idem tempus Lupus episcopus in prospectu urbis Trecensis construxit sibi monasterium, in quo beatus Polichronius, Virdunensis postea futurus episcopus, *erudiendus a parentibus*, traditus legitur in Hugonis Flaviniacensis Chronico. Eo loci cum Polichronio doctrinæ scientiis imbuti fuerunt Severus Trevirensis, Albinus Catalaunensis, Aventinus Trecensis episcopi, et S. Æmilianus : omnes vitæ merito et sanctitate insignes.

Idem de Britanniæ monachis asserendum esse constat, tum ex vita S. Gildæ abbatis Ruyensis (*Sæc.* I *Bened.*), qui sub finem sæculi V abbati « Hiltuto traditur imbuendus, qui suscipiens sanctum puerulum, sacris litteris cœpit instruere illum ; et videns eum formæ specie fulgentem, ac liberalibus studiis instantissime intentum, benigno amore dilexit, etc. »

Sub eodem magistro profecere etiam Samson et Paulus, quorum primus Dolensis, alter Oximensis fuit episcopus ex ejusdem Vitæ n. 3. Et quidem de S. Samsone constat ex ejus Vita n. 7, ab auctore subæquali scripta, ubi de Hilduto sive Eltuto magistro sic disserit : « Ille vero Eltutus de totis Scripturis Veteris ac Novi Testamenti, et omnis philosophiæ generis, geometriæ scilicet ac rhetoricæ grammaticæ, et arithmeticæ, et omnium artium philosophiæ omnium Britannorum peritissimus erat. » Additque : « In cujus monasterio ego fui. » His etiam adjiciendus est S. Maglorius, qui, ut habetur in ejus Vita n. 1, « tam artium liberalium quam et divinorum eloquiorum » scientiam ab Eltuto edoctus est.

Neque id singulare tantum exstitit Eltuto, cum circa idem tempus S. Maclovius puer (*Vita S. Maclovii, n.* 1, *sæc.* I *Bened.*) Brendano abbati, « eo tempore viro sanctitate et scientia famosissimo, litteratoriæ » imbuendus disciplinæ traditus sit. Nec mihi dubium est olim Britanniam, ut fidei mysteriis, ita litterarum scientiis institutam fuisse a monachis, agente S. Patricio ejusque discipulis, qui primi in Hibernia verbi divini semina diffuderunt.

Venio ad sæculum VI, quo Benedictinus ordo, in quo thesauros sapientiæ et scientiæ hactenus reconditos crederes, ortum simul et incrementum accepit. Qualis fuerit primorum S. Benedicti discipulorum praxis, aliqua ex parte discere possumus ex his quæ scribit Cassiodorus ad Vivarienses suos monachos, qui a Cassino haud procul dissiti, Benedictinis haud dubium parebant institutis. His imprimis commendat sacræ Scripturæ studium, historiæ ecclesiasticæ lectionem, SS. Patrum, maxime Hilarii, Cypriani, Ambrosii, Hieronymi et Augustini scripta ; tum hortatur eos ad Dionysii Exigui monachi canones ecclesiasticos *assidue* legendos. « ne videamini, inquit, tam salutares ecclesiasticas 636 regulas *culpabiliter* ignorare. » Et paulo post addit (*Divin. Inst., cap.* 23) : « Et ut vobis in regulis fidei nulla possit nocere subreptio, legite quas habetis in promptu synodum Ephesinam et Chalcedonensem, nec non et Encyclia, id est epistolas confirmationis supradicti concilii. » Deinde postquam docuit quo studio Scriptura sacra cum expositoribus illius legenda sit, subjungit (*Cap.* 25) : « Cosmographiæ quoque notitiam vobis percurrendam esse non immerito suademus, ut loca singula, quæ in libris sanctis legitis, in qua parte mundi sint posita, evidenter agnoscere debeatis. » Inter alios vero Julii oratoris libellum de Cosmographia, Marcellini Constantinopolitanam Hierosolymitanamque descriptionem, et Ptolomei Cosmographiam laudat ; alteroque post capite (*Cap.* 27) : « Illud quoque, inquit, commonendum esse credidimus, quoniam tam in sacris litteris quam in expositoribus doctissimis multa per schemata, multa per definitiones, multa per artem grammaticam, multa per artem rhetoricam, multa per dialecticam, multa per disciplinam arithmeticam, multa per musicam, multa per disciplinam geometricam, multa per astronomicam intelligere possumus. » Postea consolatus quorumdam simplicitatem fratrum, qui ad arduum adeo studium haud possunt assurgere, subdit (*Cap.* 28) : « Verumtamen nec illud Patres sanctissimi decreverunt, ut sæcularium litterarum studia respuantur, quia exinde non minimum ad sacras Scripturas intelligendas sensus noster instruitur : si tamen divina gratia suffragante, notitia ipsarum rerum sobrie ac rationabiliter inquiratur, non ut in ipsis habeamus spem provectus nostri, sed per ipsa transeuntes desideremus nobis a Patre luminum proficuam salutaremque sapientiam dari concedi.... Multi iterum Patres nostri talibus litteris eruditi, et in lege Domini permanentes, ad veram sapientiam pervenerunt, sicut B. Augustinus in libro de Doctrina Christiana meminit, dicens : Non aspicimus quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus, et doctor suavissimus, et martyr beatissimus ; quanto Lactantius ; quanto Victorinus, Optatus, Hilarius. Nos addimus Ambrosium, ipsumque Augustinum atque Hieronymum, multosque alios innumerabiles Græcos. Hoc etiam ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecit ; de quo scriptum est, quod eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum. Quos nos imitantes cautissime quidem et incunctanter utrasque doctrinas, si possumus legere festinemus : quis enim audeat habere dubium, ubi virorum talium multiplex præcedit exemplum? » Hic Cassiodori postremus locus sufficit ad eos refellendos qui primos Ecclesiæ Patres haud alios præter Scripturæ sacræ libros legisse audacter asserunt. Tandem sic concludit : « Quod si quis fratrum nec humanis, nec divinis litteris perfecte possit erudiri, aliqua tamen scientiæ mediocritate suffultus eligat certe quod sequitur :

Rura mihi, et rigui placeant in vallibus amnes.

Quia nec ipsum est a monachis alienum hortos colere, agros exercere, et pomorum fecunditate gratulari. » Ita tamen ut libros ad suam artem 637 pertinentes legant. Ex dictis hactenus a Cassiodoro incunctanter eruitur, quibus potissimum studiis operam navarent primi sancti Patris Benedicti discipuli, scilicet sacræ Scripturæ, historiæ ecclesiasticæ, doctrinæ sanctorum Patrum, ecclesiasticæ disciplinæ, dialecticæ, rhetoricæ, grammaticæ, cosmographiæ, aliisque liberalibus disciplinis ; neque enim in animum induci potest tantum virum, qui monachorum leges apprime noverat, imo qui monasticam vitam et ipse professus creditur, eos ad aliena suæ religioni studia impulisse. Exemplo esse potest Dionysius monachus, cognomento Exiguus, sed eruditione plane maximus, cujus elogium idem Cassiodorus contexuit. Et certe si in Romano S. Andreæ monasterio non floruissent hoc sæculo litterarum studia, qua ratione Gregorius Magnus tot verbi divini præcones in Britanniam mittendos exinde extrahere potuisset? Nam et remanere debebant aliqui in commune monasterii, ipsiusque Ecclesiæ catholicæ, cui potissimum illis temporibus inserviebant monachi, commodum.

Quam in Italia ebiberant Benedictini monachi doctrinam eamdem in Britanniam profecti eructarunt : quamvis in Hibernia jam viguisse litterarum studia modo probaverimus ex Vitis SS. Gildæ, Samsonis et Maglorii, qui ab Eltuto abbate liberales artes didicerunt ; et ex Vita S. Maclovii, qui in Brendani abbatis monasterio iisdem in studiis profecit. Idem demonstrari amplius posset tam ex Vita S. Constantini, num. 1, qui ex rege monachus factus, sæculo VI in claustro litteras edoctus, sacerdos or-

ctinatur (*Bolland.* 11 *Martii*); tum ex Vita S. Columbani num. 9, qui Silenis abba is disciplinæ se subjiciens (*Sæc.* II *Ben.*), « omnium divinarum Scripturarum studiis eum imbuit; » tum ex Vita S. Galli abbatis cap. 1, qui in Bencorensi monasterio (*Sæc.* II *Ben.*), « superna gratia se præveniente, tanto studio divinas epotavit Scripturas, ut de thesauro suo nova proferre posset et vetera; grammaticæ etiam regulas, metrorumque subtilitates capaci consequeretur ingenio, » ut scribit Walfridus.

Quam vero in Iberniæ monasteriis S. Columbanus deprehenderat disciplinam, eamdem secum in Gallias transtulit, maxime autem in Luxoviense cœnobium (*Sæc.* II *Ben.*), ubi sub finem sæculi VI « ingrediens laudabilis Agilus ævum pueritiæ, committitur Eustasio probatæ religionis viro, sacris litteris erudiendus, cum aliis nobilium virorum filiis, qui postea ecclesiarum præsules exstiterunt, » quemadmodum habet anonymus in Vita sancti Agili num. 4. Ex his recensent Agnohaldum Laudunensem, Acharium Noviomensem, Audomarum Tarvanensem, et Ragnacharium Augustanum episcopos, de quibus etiam Jonas in Vita sancti Eustasii, num. 5, quo quidem præceptore adeo profecit Agilus, ut « liberalibus disciplinis enucleatius imbutus, multos sua facundia erudierit, plurimos catholicæ fidei puritate illustrarit, nonnullos etiam luculentissimis documentis, postposita altitudinis pompa, sub professione sacræ religionis idoneos reddidit. »

Neque vero sæculo duntaxat sexto sub Columbano, sed etiam septimo **638** sub Walberto, Columbani post Eustasium successore, Luxovii floruerunt litterarum studia (*Sæc.* II *Ben.*). Eo scilicet abbate, « tam in religionis apice quam etiam in perfectione doctrinæ » præ omnibus Galliæ monasteriis Luxoviense fulgebat cœnobium, ut etiam ex aliis cœnobiis *eruditionis gratia* monachi destinarentur, sicuti discimus ex Vita S. Frodoberti abbatis Cellensis n. 6.

Hoc sæculo vigebant in præcipuis, si non in omnibus Galliæ monasteriis scientiæ : in Longoretico Francardus, ejusdem loci postea abbas, « erat nutritor et doctor filiorum nobilium, » ex visione Baronti n. 11. In Pictaviensi S. Hilarii Aicadrus, postea abbas Gemmeticensis (*Ibid.*), Ansfrido monacho, sapientia famosissimo, puer ad erudiendum traditus, ex ejus Vita cap. 1 (*Ibid.*). In Solemniacensi, « susceptum B. Tillonem Elegius sancto Remaclo Solemniacensis monasterii sui abbati tradidit nutriendum atque litteris imbuendum.... qui sic tam sæcularibus quam divinis institutionibus instruendum..... suis semper aspectibus astare præcepit, » ex Vita S. Tillonis, n. 4 (*Ibid.*). In Stabulensi « liberos suos liberalibus, imo monasticis instruendos disciplinis, » tradebant sæculares viri, ex Vita S. Hadelini n. 5 (*Ibid.*). In Gemmeticensi « erat consuetudo (S. Filiberti) de monasterio circumquaque ad exhortandas animas fratres transmittere, » ex Vita S. Filiberti n. 20 (*Ibid.*). Denique SS. Botulfus et Adulfus in Gallia monachi « non solum doceri, sed ex gratia Dei inter perfectiores potestatem adepti sunt docendi, » ex Vita S. Botulfi n. 2 (*Sæc.* III *Ben.*).

Quod hic de Galliæ monasteriis asserimus, idem de Anglicanis multis potest exemplis confirmari, nimirum sæculo VII Theodorus ex monacho Cantuariensis episcopus, et Adrianus abbas (*Sæc.* II *Ben.*) « quia litteris sacris simul et sæcularibus abundanter ambo erant instructi, congregata discipulorum caterva, scientiæ salutaris quotidie flumina irrigandis eorum cordibus emanabant, ita ut metricæ artis, astronomicæ, et arithmeticæ, ecclesiasticæ disciplinam inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent, » ex Vita sancti Theodori num. 5. Huetbertus etiam abbas (*Ibid.*) in Wiremuthensi cœnobio « a primis pueritiæ temporibus non solum regularis observantia disciplinæ institutus; sed et scribendi, cantandi, legendi, ac docendi fuerat non parva exercitatus industria, » ex libro II de Vita S. Benedicti Biscopi n. 18. His adjungendus est Beda Venerabilis, qui, ut scribit Cuthbertus ejus discipulus in ejus Vita n. 2 (*Sæc.* III *Ben.*), in Girwensi monasterio « infantulus bonæ spei et divina et sæculari litteratura diligenter imbuitur..... Et cum in Latina erudiretur lingua, Græcæ quoque peritiam non mediocriter percepit. » Neque vero in sola Latinæ et Græcæ linguæ scientia profecit, sed in omni etiam artium liberalium disciplina; id quod testantur varia quæ post se reliquit et hactenus perseverant omnigenæ doctrinæ monumenta. Porro quam infantulus acceperat doctrinam, eamdem factus in eodem monasterio magister fratribus suis postea reddidit.

Viguisse etiam in cœnobiis monachorum Britanniæ minoris (Armoricam vocant) litterarum scientias, colligimus ex Vita S. Judoci (*Sæc.* II *Ben.*) n. 5.

639 Quod si inde gradum faciamus in Hispaniam, idem et ibi reperiemus obtinuisse institutum. Nam cum S. Hildephonsus Toletanus episcopus (*In ejus Vita num.* 2, *ibid.*) « sub rudimentis adhuc infantiæ degens, divino tactus Spiritu, vita delectatus monachorum, contemptis parentum rerumque affectibus, Agaliense monasterium petierit, monachumque se in eo multis fere annis decenter exhibuerit, » ut loquitur Julianus episcopus; et aliunde ex eodem Juliano scripserit (*Num.* 3) « quamplurimos libros luculentiore sermone potissimos, « tantam haud dubium doctrinam in Agaliensi monasterio imbibisse necessum est.

Intactum etiam hoc sæculo Orientem relinquere non decet; in quo S. Theodorus Siceota defunctus est anno 613; de quo item Georgius ejus discipulus, vitam illius scribens ita loquitur (*Bolland.* 22 *Aprilis*): « Infans ipsi oblatus sum, qui et in ejus sancto monasterio enutritus a religiosissimo præfecto litteras didici. » Circa idem tempus Joannes Moschus presbyter et monachus in monasterio S. Theodosii abbatis et archimandritæ, omnium quæ Jerosolymis erant cœnobiorum, varia peragravit loca, lustravit jue monasteria; quo in itinere viros etiam doctissimos et philosophos *disciplinæ et studiorum gratia* visitavit, uti ipse testatur in eo quod adornavit, Prato spirituali cap. 171 et 172. Et hæc sufficere debent pro sæculo septimo.

Sæculo VIII. S. Bonifacius in Nutscellense cœnobium commigrans, sub Wimberto abbate piissimo eum in virtutibus ac litteris progressum fecit, ut docendi quoque munus paulo post ipse obierit. Postea transmittens in Germaniam, cum eum populum ad verum Christi cultum adduxisset, proximas adhibuit curas ut publicas scholas constitueret, « in quibus, ut loquitur Mabillonius noster (*Præf. ad sæc.* III *Bened.*, *n.* 58), inculta et efferata gens paulatim duros mores deponeret, et mansuetioribus sanctioribusque exculta disciplinis, humanius saperet. Non ignorabat S. Bonifacius quantum id novitiæ fidei interesset : eo curas suas direxit, et in Fritislariensi primum ascenterio, postea in Fuldensi, tum Trajecti ad Rhenum, aliisque in locis publicas aperuit scholas. Atque ne id genus exercitii eo mortuo insuper haberetur, scripsit epistolam ad Fulradum, magnæ tunc in regno Francorum auctoritatis, in hæc verba: *Deprecor* celsitudinem regis nostri pro nomine Christi Filii Dei, ut mihi nunc viventi indicare et mandare dignetur circa discipulos meos, qualem mercedem postea de illis facere voluerit. Sunt enim pene omnes peregrini, quidam presbyteri, per multa loca ad ministerium Ecclesiæ et populorum constituti. Quidam sunt monachi per cellulas nostras et infantes ad legentes (*Forte* infantibus ad legendas) litteras ordinati sunt; et aliqui seniores, qui longo tempore mecum viventes laboraverunt, et me adjuvabant. De his omnibus sollicitus sum, ut post obitum meum non disperdantur. Hinc mortuo Wigberto Fritislariensis monasterii abbate, præcipit ut Wigbertus presbyter et Megingodus diaconus Regulam insinuent, et magistri sint infantium, et prædicent verbum Dei

fratribus. Floruere deinde studia litterarum in cœnobiis, **640** quantum æruginosa illa ferebant tempora, ut non magis essent asceteria virtutis quam scientiarum. » Hactenus Mabillonius.

Idem postea commendavit Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi statuens (*Cap.* 72), ut scholæ legentium puerorum fiant ubi psalmos, notas, cantus, compotum, grammaticam per singula monasteria et episcopia discant. » Longius hic foret, nec præsentis est otii per omnia excurrere monasteria. At præterire non possum ardens in litteris hoc sæculo excolendis Benedictinarum virginum studium : « Quæ laus, inquit iterum Mabillonius (*Præf. in sæc.* III, *num.* 47), etiam Bonifacio auctori tribuenda est. Is quippe in Britannia cum degeret, non tantum viros disciplinis imbuit, verum etiam monachas, quæ tantæ sapientiæ virum, ut scribit Willibaldus, præceptorem expetierunt. Quo præceptore *paginarum transcurrentes seriem, cœlesti instanter scrutinio inhærebant, et sacramentorum arcana mysteriorumque abdita jugiter meditabantur.* In Germaniam ipse profectus, religiosas feminas e Britannia istuc advocavit, ex quibus CUNIHILT *et filia ejus* BERATHGIT *valde eruditæ in liberali scientia in Thuringorum regione constituebantur magistræ*, ex Othloni lib. I, cap. 25. Præter eas Lioba Bischofheimensi Parthenoni a Bonifacio præfecta, *lectionis studio tanta diligentia incumbebat, ut nisi orationi vacaret, nunquam divina pagina de manibus ejus abscederet. Nam cum ab ipsis infantiæ rudimentis grammatica et reliquis liberalium artium studiis esset instituta, tanta meditationis instantia spiritualis scientiæ perfectionem conabatur assequi, ut consentiente cum ingenio lectione, duplicato naturæ et industriæ bono, eruditissima redderetur.* Atque ut melius scias quibus potissimum studiis animum informaret, audi Rodulfum ipsius Vitæ scriptorem hoc modo prosequentem : *Sed et dicta SS. Patrum, et decreta canonum, totiusque ecclesiastici ordinis jura plenitudini perfectionis adjecit.* Eo in Parthenone *non parvus ancillarum Dei numerus collectus est, quæ ad exemplum beatæ magistræ, cœlestis disciplinæ studiis instituebantur, et in tantum doctrina ejus proficiebant, ut plures ex illis postmodum magistræ fierent aliarum, ita ut nulla, aut etiam rara in illis regionibus essent monasteria feminarum quæ non discipularum ejus magisteria desiderarent*, etc. »

Sæculo IX, S. Benedictus abbas Anianensis, ab antiquis, propter ardentem promovendæ sanctæ Regulæ zelum, *Benedictus secundus* appellatus, de restituenda regulari observantia cogitans, mox etiam studia litterarum redintegrare adnisus est (*Sæc.* IV *Ben.*) : « Normam utilem, inquit Ardo in ejus Vita n. 27, et monasteriorum salubres consuetudines didicit, suisque eas tradidit monachis observandas. Instituit cantores, docuit lectores, habuit grammaticos et scientia Scripturarum peritos, de quibus etiam quidam post fuere episcopi, aggregavit. » Eo agente congregatum anno 817 Aquisgrani concilium statuit (*Can.* 63), ut *docti fratres* eligantur qui cum supervenientibus monachis loquantur; » et (*Can.* 45) ut « Scholæ in monasterio habeantur eorum qui sunt oblati. » Et in Consuetudinibus quas in monasteriis a se institutis recipi curavit (*Tom.* IV *Analect.*), præcipit ut tempore lectionis « prior jubeat alicui doctiori minus doctis fratribus vel doctrina **641** indigentibus lectionem tradere. » Quam altas radices nostris in monasteriis emiserit hoc sæculo scientia litterarum, longum est enarrare : qui plura hac de re desideraverit, adeat Mabillonii præfationem ad sæc. IV Bened., part. I, n. 175, ubi hoc argumentum fuse et erudite suo more prosequitur.

Sæculo X, Dunstanus et Æthelvoldus episcopi collapsam in Anglia monasticam disciplinam resarcire cupientes, sopitas etiam in monasteriis scientias ea de causa resuscitare studuerunt : nam, ut testatur Ælfricus apud Spelmannum (*Tom.* I *Conc. Angl.*, *pag.* 618), usque adeo litterarum studium in Anglia deciderat, A « ut sacerdos nullus Anglicus epistolam nosset vel Latine edere, vel e Latino interpretari, usque dum archiepiscopus Cantuariæ Dunstanus et episcopus Æthelvoldus hanc in monasteriis resuscitarent. » Eapropter ab Alfredo rege e Gallia evocatus in Angliam fuit Grimbaldus, postea abbas Wintoniensis, « ut litteraturæ studium in Anglia sopitum et pene emortuum sua suscitaret industria, » inquit Willelmus Malmesburiensis (*Lib.* II *de Gest. Angl. reg.*, *cap.* 4). Eadem ratione, « transmisso S. Oswaldus (*Vita* 2 *S. Oswald.*, *n.* 20, *sæc.* V *Benedict.*) ocius nuntio, quemdam virum nominatissimum Abbonem, qui liberalium artium notitiam imis hauserat medullis, de cœnobio Floriacensi evocatum, apud Ramesiam scholas regere, et novellas recentis hortuli sui insitiones doctrinæ suæ rore rigare constituit. »

Eodem sæculo Fulco Rhemensis archiepiscopus, qui in Sithiensi seu S. Bertini monasterio fuerat educatus, duplicem in ecclesia sua restituit scholam; et uni Remigium Antissiodori apud S. Germanum ; B alteri Hucbaldum Elnonensem seu S. Amandi in Belgio monachos præfecit.

Sæculo XI, in omnibus passim monasteriis florebant litterarum scientiæ; quæ res adeo perspicua est, ut in ea probanda diutius immorandum non sit.

Sæculo XII ineunte antiquum priscorum monachorum fervorem renovarunt Cistercienses, qui in ipsis ordinis sui cunabulis studiis litterarum operam dare cœperunt; vivente certe S. Bernardo, ut patet ex libro Institutorum capituli generalis Cisterciensis, qui liber complectitur varias definitiones ab initio ordinis in capitulis generalibus editas usque ad annum 1134, quo ipsa prodiit in lucem, hoc est annis circiter viginti ante S. Bernardi obitum. In eo siquidem exstat integrum caput *de pueris litteras discentibus* (*Cap.* 76), quo præscribitur ut « nullus puerorum doceatur litteras intra monasterium, vel in locis monasterii, nisi sit *monachus*, vel receptus in probatione novitius; quibus tempore lectionis discere liceat. Et notandum C quia nullum nisi post quintum decimum ætatis suæ annum in probatione ponere licet. » Hujus statuti praxim videre est in Vita S. Hildegundis virginis, n. 21, ab auctore coævo scripta (*Boll.* 20 *April.*) : quæ sub virili habitu, mutato proprio nomine in *Joseph*, Schonaugiense virorum monasterium ordinis Cisterc. ingressa, et ad probationem cum aliis novitiis admissa cum fuisset, domnus abbas Gothefridus, inquit Vitæ scriptor et connovitius, « qui tunc præerat monasterio Schonaugiensi **642**, audiens Joseph inter fratres legentem et psallentem, intellexit quod in studio discendi non modicum neglectus fuerit. Ideoque nescio quo pacto, quo merito, cum ego nuper venissem de sæculo adolescens erudiendus et instituendus, ipsum mihi commendavit, ut infra domum probationis quoad possem erudirem, regerem, instruerem. Feci quod potui, etc. » Et certe si non studuissent, unde tot viros eruditissimos ad episcopales cathedras, et ad hæreticos profligandos, maxime Albigenses, Ecclesiæ subministrare potuissent ?

D De subsequentibus sæculis supervacaneum est dicere; sufficient conciliorum summorumque pontificum decreta ad eos revincendos qui nullas asserunt exstare sanctiones ecclesiasticas quibus permittantur aut præcipiantur monachis studia. Concilii Aquisgranensis supra citata non revocamus statuta. Celebris est edita in concilio Viennensi Clementis V decretalis, in qua inter alia ad propositum nostrum legitur : « Ut ipsis monachis proficiendi in scientia via opportunior non desit, in singulis ipsorum monasteriis, quibus ad hoc suppetunt facultates, idoneus teneatur magister, qui eos in primitivis scientiis instruat diligenter. » Concilii Viennensis decretum amplius explicat Benedictus papa XII in sua pro monachis Benedictinis constitutione, ubi sic loquitur (*Cap.* 6) : « Quia vero per exercitium lectionis acquiritur scientiæ margarita, et per studium sacræ paginæ ad cognitionem excellentiæ divinæ familiarius pervenitur, ac

per cognitionem humani juris animus rationabilior efficitur, et ad justitiam certius informatur; nos cupientes, ut viri ejusdem ordinis seu religionis in agro dominico laborantes in primitivis, ac deinde in divini et humani, canonici videlicet jurium scientiis instruantur; constitutioni Clementis papæ V et prædecessoris nostri de monachis in scientiis primitivis instruendis infra monasteria quibus degunt, editæ inhærentes, illam volumus ac præcipimus firmiter observari: et nihilominus adjiciendo statuimus et ordinamus ut in quibuslibet ecclesiis cathedralibus et monasteriis, prioratibus et aliis conventualibus et solemnibus locis, quibus ad hoc sufficiunt facultates ordinis seu religionis hujusmodi, deinceps habeatur magister qui monachos eorum doceat in hujusmodi scientiis primitivis: videlicet *grammatica, logica et philosophia*, proviso attentius ut sæculares instruendi cum ipsis monachis docendis nullatenus admittantur... Præcipimus insuper in virtute obedientiæ cunctis visitatoribus in provincialibus capitulis deputandis, quod omnia et singula de magistris instructoribus, et personis instruendis, et aliis, circa ea superius ordinata faciant auctoritate apostolica, per censuram ecclesiasticam, et alia opportuna remedia (appellatione remota) firmiter observari. Et nihilominus ea quæ super prædictis fecerint et invenerint, præsidentibus capitulo provinciali referant; qui etiam auctoritate apostolica præfata, si videatur eisdem, vel ipsorum majori parti, contra negligentes vel rebelles in præmissis fortius procedere non postponant, etc. (*Spicil. tom.* V). » Hoc Benedicti papæ *salutare statutum* renovavit postea **643** Tristandus archiepiscopus in concilio Senonensi anno 1485, art. 5, cap. 1. Et novissime concilium Tridentinum definit(*Sess.* 5, *in dec. de Reformat.*, *cap.* 1), ut « in monasteriis *monachorum*, ubi commode fieri queat, etiam lectio sacræ Scripturæ habeatur: qua in re si abbates negligentes fuerint, episcopi locorum in hoc, ut sedis apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant. » Quod plane de simplici sacræ Scripturæ lectione, quæ ubique commode fieri potest, sed de accurata, qua obscuriores extricatioresque difficultates studiose elucidantur, intelligi debet.

Quarto. Dicunt exemplum Christi et SS. apostolorum, qui nunquam studuisse, aliquando manibus laborasse leguntur, nullum studiis monachorum obicem afferre, cum infusam cœlitus habuerint scientiam, quam ubi similiter acceperint monachi, libenter a studiis abstinebunt. Porro quod de labore apostolorum dicitur, solos Paulum et Barnabam respicere; nam cæteri apostoli nullum egisse opus manuum leguntur post adventum Spiritus sancti, ut docet Rupertus (*Rupert. lib.* III *in Reg. S. Ben. cap.* 5) et ante eum S. Augustinus (*S. Aug. de Opere monach.*). Imo quod Paulus laboravit, non necessitate, sed, ut ipse ait, ne quod Evangelio poneret impedimentum: « Infirmorum periculis, inquit S. Augustinus, ne falsis suspicionibus agitati, odissent quasi venale Evangelium, tanquam paternis maternisque visceribus tremefactus hoc fecit. » Qua eadem ratione S. doctor hortatur monachos ad laborem: « Misereminì ergo et compatimini, et ostendite hominibus, non vos in otio facilem victum, sed per arctam viam hujus propositi, regnum Dei quærere. Eadem vobis causa est quæ Apostolo fuit, ut amputetis occasionem iis qui quærunt occasionem, ut qui illorum putoribus præfocantur, in odore vestro bono reficiantur. »

Quinto. Cum non tam corporis quam mentis otiositas timenda sit, præceptum fugiendi otii, aiunt, longe salubrius studiis, quæ totum animum applicant, quam labore manuum adimpleri, qui corpus quidem occupat, sed integram quoque vagandi libertatem menti relinquit. Si quis vero pergat objicere non omnes esse capaces studii, respondent: 1° neque omnes capaces esse laboris; 2° in monasteriis distinguenda esse duo religiosorum genera; monachorum, qui divinis altaribus sunt destinati; et conversorum, qui exterioribus tantum operibus destinantur: atque in locis bene recteque institutis, nullos in monachos admitti, qui jam optimis non sint imbuti studiis, aut saltem studendi capaces existant. Eos vero qui omnino sunt destituti litteris, ad secundum religiosorum genus esse revocandos; quibus non modo non permittuntur studia, sed modis omnibus interdicuntur: quod si quis forte ex primis nec divinis nec humanis perfecte possit erudiri litteris, præsto esse S. Benedicti præceptum, ut ei in tali casu talis opera aut ars injungatur, ut non permaneat otiosus.

Sexto. Dicunt non minus corpus atteri studiis quam labore, quo valetudinis tuendæ gratia utuntur non pauci, nec unum esse apud monachos carnis mortificandæ genus. Mortificatur enim jejuniis, mortificatur vigiliis, mortificatur flagellis, mortificatur aspero vestitu, etc.

644 Septimo. Dicunt longe præstantiorem monachis studia conferre devotionem quam opus manuum, multoque solidiorem in doctis probari pietatem, quam reperiatur in idiotis; studiis divina cognitione mentem illustrari, cœlesti desiderio cor inflammari, piosque animi motus excitari: at vero exercitationem corporalem ad modicum valere, sed pietatem ad omnia utilem esse. Nota est omnibus celebris illa abbatis Guillelmi sententia (*Ad frat. de Monte Dei, cap.* 22): *Subdivalia exercitia et opera sicut sensus distrahunt, sic sæpe etiam spiritum exhauriunt.* Cujus rei periculum fecerat Rupertus abbas Tuitiensis, uti ipse testatur his verbis (*Lib.* III *in Regul. S. B., cap.* 12): « In cœnobiis bene ordinatis vix sufficiunt ad cursum ordinis complendum dies æstivi, maxime si congregatio major vel numerosior fuerit; et si aliquando moliuntur aliquid de opere manuum, communiter exeuntes ad operandum, quod propter brevitatem impensæ horæ non tam opus dixerim quam operis simulacrum; totum fere quotidianum spiritualis operis exercitium redditur insipidum, impeditum, et nonnulla suimet particula mutilatum, etc. » Hinc vulgata illa abbatis Irenæi narratio de quodam sene commorante in Scete (*Joan. Mosch. in Prat. spir.*, *cap.* 55), quod scilicet « diabolum viderit noctu sarculos, rastra et cophinos præbentem fratribus: » qui a sene interrogatus, quid hæc essent, respondit: « Distractionem præparo fratribus, ut his occupati fiant negligentiores ad orandum et glorificandum Deum. »

Octavo. Cum humilitas sit virtus qua homo propria sui ipsius cognitione sibi ipsi vilescit; nec aliunde cognitionem illam nisi studiorum beneficio, aut singulari Dei dono perfecte possit acquirere, longe majorem, aiunt, scientias parere humilitatem, quam ignorantia queat adipisci. Et certe, quos in monasteriis humiliores reperi, hos omnium doctissimos, aut studiis scientiisque faventes deprehendi: ut merito de his dici posset, quod in Dionysio Exiguo suo tempore doctissimo laudavit Cassiodorus (*De Institut. divin.*, *Litt. cap.* 23): « Fuit in illo cum sapientia magna simplicitas, cum doctrina humilitas, cum facundia loquendi parcitas. » Porro vulgatum illud Apostoli effatum *Scientia inflat*, intelligendum esse de scientia charitate destituta, qualem monachi non modo non desiderant, sed modis omnibus aversantur. Cæterum et opera manuum suos habere inflatos, « neque in solo rerum corporearum nitore atque pompa, ut ait S. Augustinus (*Lib.* II *de Serm. Domini in monte cap.* 12), sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse jactantiam, et eo periculosiorem quo sub nomine servitutis Dei decipit: » id quod S. Benedictum haudquaquam latere potuit, qui propterea loquens de artificibus monasterii, jubet (*Cap.* 57) ut, « si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suæ, eo quod videatur aliquid conferre monasterio, hic talis erigatur ab ipsa arte, et denuo per eam non transeat. »

Nono. Ex omnium pene auctorum consensu constat

ignorantiam omnem penitus in monasteriis enervasse regulæ vigorem, adeo ut mirum sit quosdam lapsum observantiæ regularis in scientiam litterarum refundere; qua in re non levem viris sanctissimis inurunt injuriam, qui ut eversam inter monachos disciplinam redintegrarent, nullum salubrius adhiberi **645** posse remedium existimarunt, quam si monachos sacris litterarum studiis informarent; id quod feliciter in Galliis exsecutus est Benedictus abbas Anianensis, et in Anglia Dunstanus, Athelvoldus et Oswaldus pontifices sanctissimi, illuc ad id advocatis ex alienis regnis et provinciis doctissimis monachis. Porro qui asserunt octavo nonoque sæculo scientias in monasteriis tantum florere cœpisse, easque ruinæ observantiæ regularis, quæ circa medium sæculum nonum contigit, causas faciunt, a vero longe aberrant. Nam primo litteras longe ante sæculum octavum in monasteriis floruisse supra luce clarius demonstratum est. Secundo, nec verum est, quod lapsum observantiæ ex studiis litterarum provenisse docent; qui si legissent historias, non studiis, hujusce rei causam attribuissent, sed bellis civilibus et incursionibus Normannorum, qui spoliatis incensisque monasteriis, monachos omnes sparsim effugarunt, ut vix ullum exstiterit in universo Francorum regno cœnobium, quod eorum potuerit evadere furorem. Veram et unicam hanc causam agnovit Adso Dervensis abbas, qui sæculo x libellum de miraculis et translatione S. Basoli describebat, ubi aperte docet quod in S. Basoli cœnobio « partim propter incursus barbaricos, partim vero propter frequentes et perpetes in regno principum discordias, omnis antiquorum Patrum deperit instituta traditio (*Cap.* 1 *sæc.* IV *Bened.*). » Additque : « Tunc etiam et alia monasteria sunt suo honore privata, nudatæ rebus ecclesiæ, et plurimæ subversæ. » Nec magis eis favet quem citant truncatus concilii Vernensis canon; quem, ut plene intelligatur, plenum et integrum hic referre opus est : « In locis sanctis, hoc est monasteriis, alios studio, nonnullos desidia, multos necessitate victus et vestimenti a sua professione deviare comperimus (*Cap.* 12). » Hoc in canone studium opponitur necessitati; necessitas vero non opponitur nisi spontaneæ voluntati; studium igitur hic loci non pro litterario exercitio sumitur, sed pro corrupta animi propensione in malum. Atque eo sensu Vernensis concilii canonem Gallice reddidit qui nuper dissertationem de hemina vini Benedictina vulgavit, vir doctissimus, ubi sic loquitur (*In resp. ad object., n.* 6) : *Le concile de Vernon tenu sous Charles le Chauve témoigne qu'encore de son temps quantité de moines estoient sortis de leur voye, les uns par un dessein formé, les autres par pure négligence, et la plupart faute d'avoir seulement de quoy vivre et se vêtir.* Nec magis audiendi videntur cum eorum monachorum lapsum qui Origenis errores secuti, Eutychetis hæreses amplexi, Adelfi et Euchitarum falsas novitates tuiti sunt, Nestorii, ac Severi impia dogmata propugnarunt, aut Anthropomorphitis adhæserunt, studiis litterarum attribuunt. Nam qui id ita asserunt, ipsi sibi manifeste contradicunt, cum ignota antiquis monachis studia fuisse doceant. Melius sane et veritati magis consentanee dixissent, si monachorum illorum qui tot in Oriente turbas et scandala excitarunt, casum non in studia, sed in eorum imperitiam refudissent. Et certe si studuissent, adeo stolidos errores tam cæco furore haud secuti fuissent. Unde et magni Euthymii discipuli, qui, ut supra demonstratum est, studiis **646** operam navabant, soli etiam fere ex omnibus Palæstinæ monachis rectæ fidei adhæserunt. Absit ergo, absit ut scientiis cœnobiorum inordinationes imputemus; absit ut propensionem ad sacras litteras, quas summi pontifices et concilia monachis commendant, rejectam in monasteriis esse a dæmone dicamus ad regularis observantiæ subversionem. Longe aliter sentiebat videratque Adalbero, Augustensis Ecclesiæ episcopus; qui rediens e monasterio S. Galli, ubi omnes tunc scien-

A tiæ vigebant, et quod devotionis gratia visitarat, « Interrogatus inter cætera aliquando a suis, inquit Ekkehardus Sanctigallensis monachus (*In Vit. Notkeri Balbul., apud Boll.* 6 *April.*), essetne nobiscum, ut fama vulgavit, religio cum doctrina, severitas cum disciplina? Cæteri, inquit, quid sentiant nescio, quod mihi animo est pronuntio : Unum ego sanctum, et hunc defunctum quæsivi; vivos autem, ut vere fratres fatear, sanctissimos inveni. Doctrinam vero illorum et disciplinam in virtutum eorum operibus videre est. Delectat me talium memorari, quos quidem ut iterum videam vix exspecto, etc. » Igitur si qui aliquando monachi scientiis dediti prolapsi sunt, id non scientiis, quibus a crimine deterreri potuerant, ascribendum est; sed perversæ cordis eorum dispositioni. Neque existimandum meliorem futuram fuisse sortem illorum, si haudquaquam studuissent; nam etsi ea non perpetrassent crimina quibus abutente studio perierunt, majora forsitan commisissent nescientes. Voluntas quidem peccati mutasset objeB ctum, sed non malam cordis dispositionem.

Decimo. Cum omnes jam monachi ex Ecclesiæ præscripto sacerdotio initientur, et præcipuum sit sacerdotum quam monachorum studium, circa sacram Scripturam versari debeat, ad perfectam ejus intelligentiam consequendam, necessarias esse etiam aliarum disciplinarum scientias asserunt, probantque imprimis auctoritate S. Augustini, qui in libris de *Doctrina Christiana* totus in eo versatur. Supponit *enim sanctus* doctor duabus ex causis solere non intelligi Scripturas (*Lib.* II, *c.* 10), « si aut ignotis, aut ambiguis signis, » id est verbis obteguntur. Deinde, facta distinctione inter signa propria et translata seu metaphorica (*Cap.* 11) : « Contra ignota signa propria, inquit, magnum remedium est linguarum cognitio. Et Latinæ quidem linguæ homines quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent, Hebræa scilicet et Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si C quam dubitationem attulerit Latinorum *interpretum* infinita varietas. » Et postea (*Cap.* 16) : « *In translatis* vero signis, si qua forte ignota cogunt hærere lectorem, partim linguarum notitia, partim rerum, investiganda sunt. » Igitur præter linguarum scientiam ad intelligendas Scripturas ex Augustino necessaria est etiam cognitio rerum; « *Rerum enim* ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, cum ignoramus vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumve rerum, quæ plerumque in Scripturis similitudinis alicujus gratia ponuntur. » Addit S. doctor : « Numerorum etiam imperitia **647** multa facit non intelligi, translate ac mystice posita in Scripturis. » Et post pauca: « Non pauca etiam claudit atque obtegit nonnullarum rerum musicarum ignorantia. » Deinde ubi nonnulla dixit de iis quæ Christiano fugiendæ sunt scientiis, de utilibus et necessariis ad intelligendam Scripturam subjungit hoc modo (*Cap.* 28) : « Quidquid igitur de ordine temporum transactorum indicat ea quæ appellatur histo-D ria, plurimum nos adjuvat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur; nam et per olympiadas, et per consulum nomina multa quæruntur a nobis, et ignorantia consulatus quo natus est Dominus, et quo passus est, nonnullos coegit errare, etc. » Et narratis nonnullis in gratiam et laudem historiæ : « Est etiam, inquit (*Cap.* 29), narratio demonstrationi similis, qua non præterita, sed præsentia indicantur ignaris. In quo genere sunt quæcunque de locorum situ, naturisque animalium, lignorum, herbarum, lapidum, aliorumque corporum scripta sunt. De quo genere superius egimus, eamque cognitionem valere ad ænigmata Scripturarum solvenda. » Sequenti capite laudat etiam artium mechanicarum peritiam; tum transiens ad liberales artes, seu scientias, quæ ad rationem animi pertinent, laudat in primis dialecticam : « Disputationis disciplina, inquit (*Cap.* 31), ad om-

nia genera quæstionum quæ in litteris sanctis sunt A penetranda et dissolvenda plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rixandi, et puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium. » Et laudata pluribus dialectica, commendat (*Cap.* 36 *et seq.*) etiam rhetoricam et arithmeticam, seu numerorum scientiam. Ac tandem sub finem secundi libri dicit (*Cap.* 40): « Philosophi autem qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostræ accommodata dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. » Dictis hactenus ex S. Augustino concinunt ea quæ supra retulimus ex Cassiodoro, iisque addere potuissemus S. Epiphanii suffragium, asserentis ei qui plurimas sacræ Scripturæ partes intelligere voluerit, necessariam esse cognitionem libelli quem ipse de ponderibus et mensuris composuit. Sed hæc sufficere credimus in gratiam studiorum.

Jam vero liberum unicuique relinquimus quam ex duabus voluerit amplecti sententiam, ita tamen ut qui studiis operam dare sibi proposuerint, alios velut ignaros et idiotas non contemnant; quia « melior est humilis rusticus quam superbus philosophus, qui se neglecto cursum cœli considerat (*Lib.* I *de Imit. Christ. cap.* 2). » Nec vicissim qui studii laborem præferendum esse censuerint, studentes tanquam elatos, superbos, mente et corde corruptos non despiciant; quia « Si quis futurus est *perfectus monachus*, indiget *et divinorum eloquiorum eruditione*, et conversationis integritate, ut tanta *dignus* factus sit mutatione, » ut loquebatur olim Justinianus imperator (*Novell.* 5); et quia exploratum est « nullum acrius venenum animas et corpora religiosarum personarum enecare quam litterarum atque scientiarum ignorantiam, ut aiunt monachi Camaldulenses (*Histor. Camald. lib.* III, *cap.* 5). Alioquin dictum sibi audiant illud Gilberti de Hoillandia Cisterciensis ordinis abbatis **648** celeberrimi (*Tract.* 7, *part.* I, *num.* 6): « Paulus dicit: *Fructificantes et crescentes in scientia Dei*: isti econtra, propria non contenti inscitia, C contemnunt aliorum scientiam, et invidi æstimatores, sapientiæ studia stoliditatem interpretantur, sobriam subtilitatem insaniæ et jactantiæ denigrant nota, operantes ipsi cibum qui perit, non qui permanet in vitam æternam. »

In quibus diebus Quadragesimæ accipiant omnes singulos codices de bibliotheca, etc.] Quonam vero ritu, audiendum est ab Hildemaro: « Sciendum est, inquit, quia isto modo dantur libri in capite Quadragesimæ. Ille bibliothecarius qui est monasterii defert omnes libros cum adjutorio fratrum in capitulum; deinde sternuntur tapetia, et super tapetia ponuntur libri. Capitulo finito, tunc legit bibliothecarius in breve, qui frater habet librum usque ad illam horam. Tunc ille frater ponit librum quem habuit in tapeti, et tunc ille prior, aut cui ille jusserit, accipit librum illum, et interrogat illum fratrem de illo libro sapienter, causa probationis, ut cognoscat utrum studiose legerit librum. Si vero ille frater responderit D de libro illo, tunc interrogat illum qui liber illi utilis est, et tunc quem postulaverit, dabit illi. Si autem cognoverit abbas illi non esse aptum, tunc dicet illi: Non est tibi liber iste aptus, sed talis aptus est tibi, et tunc non dabit illi quem quæsivit, sed quem cognoverit illi aptum esse. Si autem talis fuerit frater, qui non potuerit rationem de libro ponere secundum interrogationem; tunc si videt ille abbas, quia negligenter legit librum illum, non dabit alium illi, sed ipsum reddit, et tandiu illum habebit postea, donec illum studiose legerit; et dicit illi: Quia non legisti bene, debuisti ante significare, ut tibi dedissemus tempus interrogandi. Si autem cognoverit abbas illum fratrem studiosum in lectione, et tamen non potuit intelligere, dat illi alium librum. Postquam autem ierint omnes fratres de capitulo, tunc inspicit abbas, et requirit utrum sint inibi omnes libri per brevem. Si forte non invenerit libros totidem, sicuti habet brevem, tunc quærit diligenter usquequo invenerit. » Eumdem pene ritum offendes apud Udalricum l. I, c. 52, et Lanfrancum in Statutis cap. 1, § 3, in Consuetudinibus Floriacensis monasterii, et in libro Usuum Cisterciensium, cap. 15.

In hoc pene solo differunt, quod Lanfrancus, Udalricus, et Consuetudines Floriacenses libros distribuant feria secunda post dominicam primam Quadragesimæ, quæ consuetudo obtinebat apud Casinenses tempore Bernardi abbatis; Usus Cistercienses dominica ipsa. Sed Boherius feria quarta Cinerum dandos esse asserit, quod nec improbat Bernardus Casinensis: aitque nonnullis in monasteriis ita suo tempore observatum fuisse. Porro acceptos libros cum aliis mutare nemini licitum erat, statuente concilio Aquisgranensi (*Can.* 19), « ut in Quadragesima libris de bibliotheca secundum prioris dispositionem acceptis, alios, nisi prior decreverit expedire, non accipiant. »

B *Ante omnia sane.*] Quod Richardus de S. Angelo explicat *antequam* **649** *libri assignentur*. Et tamen Cistercienses (*Lib. Usuum Cisterc.*, *cap.* 15) statim post prædictorum librorum distributionem fratres in capitulo designant, qui juxta Regulam circumeant monasterium.

Deputentur unus aut duo seniores.] Non tam ætate quam virtute et sapientia.

Qui circumeant.] Unde et in Concordia Dunstani, c. 7, *circæ* dicuntur; in Statutis Lanfranci, c. 4, *circumitores* et *circæ*; in Consuetudinibus S. Benedicti Anianensis tom. IV Analect., et apud Udalricum l. III, c. 7, *circatores*; apud Petrum Vener. l. I Mir., c. 20, *circuitores*; denique in Statutis S. Adalardi lib., II cap. 6, *circinnatores*.

Monasterium.] Id est monasterii officinas: « Providentes officiis, inquit liber Usuum Cisterciensium (*Cap.* 15), claustro, oratorio, capitulo, dormitorio, calefactorio, refectorio, coquina, auditoriis, ne forte aliquis inconvenienter se habere inveniatur, et propter hoc officinas prædictas ingredi poterunt, exceptis auditoriis. » Et tamen ex Lanfranci Statutis (*Cap.* IV): « Officinas monasterii nunquam pro hac cura ingrediantur; sed ostia earum prospiciant, ne forte aliqui fratres per curiam vadant vagantes, aut stent, vel sedeant fabulantes. »

Horis quibus vacant fratres lectioni.] Imo etiam aliis: « Totum claustrum, inquit Udalricus (*Lib.* III, c. 7), non semel, sed multoties in die circumeant, ut nec locus sit nec hora in qua frater ullus securus esse possit, si tale quid commiserit, non reprehendi et non publicari. » Mss. Consuetudines S. Benigni Divionensis has præsertim horas recensent (*Cap.* 4): « Illi vadunt post offerendam majoris missæ et minoris quacunque die; et post cœnam cum bis reficiunt; et cum semel, post prandium. Vadunt et ad officium defunctorum. Surgunt etiam multoties de prandio aut de cœna, non omnes, sed aliqui, cum suspicantur se reperturos in cellario seu eleemosynaria aliquid negligentiæ, aut alicubi prope refectorium, ut, si opus fuerit, statim possint occurrere cum cæteris ad versum post finem prandii. Solent quoque ire ad intervallum quod est post pulsationem cymbali usque ad prandium. » Statuta Lanfranci duo addunt tempora (*Cap.* 4) ante nocturnos, et sub finem matutinorum seu laudum.

Sed etiam alios extollit.] Hoc est a lectione distrahit, ut explicat citatus a Bernardo Casinensi Petrus Diaconus; vel, ut habet Hildemarus, alios extollit, id est aliis occasionem jactantiæ tribuit, cum lectioni attenti, eum otio et fabulis vacantem videntes, illo se existimant meliores, cum Pharisæo dicentes: *Non sum sicut cæteri hominum*. Utrumque hunc sensum habes apud Nicolaum de Fractura.

Hic talis, si, quod absit, repertus fuerit.] Notandus in tabulis, proclamandus in sequenti capitulo, ut videre est in Consuetudinibus S. Benedicti Anianensis (*Tom.* IV *Analect.*): quibus concinit Concordia Dun-

samt his verbis (*Cap.* 7) : « Quod si invenerit, nullatenus illud debet reticere in capitulo venturi diei. » Et Statuta Lanfranci (*Cap.* 4) : « Dum circumeunt, nullum signum faciant, nulli quacunque occasione loquantur, studiose 650 tantum negligentias et offensiones inspiciant, et tacite prætereuntes, de eis postea in capitulo etiam clamores faciant. » Idem habent Divionenses S. Benigni Consuetudines cap. 4.

Ex Hildemaro tamen circatores aliquam videntur habuisse facultatem corrigendi delinquentes : « Isti seniores, inquit, debent potestatem habere corrigendi decanos, et præpositos, etiam ipsum abbatem, quanquam non omnes uno modo : subjectos admonendo, rogando, atque increpando; priores rogando. » De prioribus tamen ita scribit Udalricus (*Lib.* III, *cap.* 7) : « Domno abbati et priori ita deferunt circatores, ut nequaquam veniant ubi eos noverint esse, quia scriptum est : *Non est discipulus super magistrum.* »

Accedentibus autem circatoribus, qui ex licentia de rebus necessariis colloquebantur, hoc eis significare haud morabantur, testante Udalrico (*Ibid.*), quia « obedientiarii, qui non possunt omittere, ut aliquando, aliis silentibus, de obedientiis suis loquantur, si quem circatorum viderint supervenire, continuo assurgunt, et summatim demonstrant quæ sit eis necessitas loquendi. » Et Statuta Lanfranci (*cap.* 4) : « Cum autem extra claustrum inveniunt aliquos fratres loquentes, simul assurgant eis ipsi loquentes, dicatque eis unus eorum, si ita est, quia per licentiam ibi loquuntur. » Idem habent Divionenses S. Benigni Consuetudines.

Neque frater ad fratrem jungatur horis incompetentibus. » Quid sint horæ competentes, ostendimus ad cap. 6 et 31, ubi demonstravimus eas dici, quibus certis diebus ac temporibus, mutuis colloquiis animum recreare licet, quam expositionem confirmat Boherius hunc in locum sic scribens : « Omnes fere horæ ad hoc incompetentes sunt, nisi fiant conventualiter hæ conjunctiones, vel a Regula permittantur. » Addit tamen : « Vel forte loquitur hic de operariis, quibus non est licitum conjungi, imo nec alias artes, vel artium cellas ingredi ; » quod probat ex Regula sancti Basilii. Ad hunc porro locum pertinet quod in Pœnis incerti auctoris apud eumdem S. Basilium legitur (*Num.* 25) : « Si duo reperti fuerint simul inter se conversantes, et commoniti non secesserint, sint excommunicati donec corrigantur. »

Dominico die lectioni vacent omnes.] Aliisque pietatis exercitiis, quæ sub lectionis nomine hic comprehenduntur, *quasi diceret, Non operentur opera corporis, sed animæ*, inquit Boherius. Atque ita Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii (*Cap.* 9) : « Die autem dominica nihil aliud agant nisi Deo vacent, ne pro aliqua occasione se velint aut alios excusare. Tamen contestor, fratres, quod nulla operatio in die illa sancta comperiatur, nisi tantum hymnis, et psalmis, et canticis spiritualibus dies illa transigatur. » Huc referri debet quod monachi Fuldenses in libello supplici ad Carolum Magnum postularunt (*Num.* 5), ut « in his festivitatibus quibus major veneratio convenit, fratribus ab opere ad lectionem et psalmodiam vacare 651 liceat, sicut apud majores nostros licitum est, id est in festivitate sanctæ Mariæ et duodecim apostolorum. »

Exceptis his qui variis officiis deputati sunt.] Sicut sunt servitores coquinæ, infirmorum, hospitum, cellerarius. Cistercienses vero a coquendis panibus abstinebant, ut colligimus ex Vita S. Stephani abbatis Obazinensis, ubi hæc leguntur (*Lib.* II, *num.* 27. *tom.* IV *Misc. Baluz.*) : « Quodam sabbato cum tot panes expendissemus (in eleemosynam) ut pene nihil in crastinum superesset, consilium fuit ut die dominico contra morem solitum coqueremus. »

Si quis vero ita negligens et desidiosus fuerit ut non velit aut non possit meditari aut legere, injungatur ei opus quod faciat, ut non vacet.] Hæc verba periodum immediate præcedentem non respiciunt, quia die dominico non est operandum, sed ad ea quæ toto hoc in capite dicta sunt referri debent. Duo autem hic hominum genera notat S. Benedictus : eorum qui possunt et nolunt meditari aut legere, et eorum qui volunt quidem, sed non possunt. Et primos per sex gradus deducendos censent Hildemarus, Bernardus Cassinensis, et Boherius, ac tandem pro expulsione opus eis injungendum esse, quod faciant. Prius tamen injungerem opus, et postea per sex gradus ducerem.

Fratribus infirmis vel delicatis talis opera, aut ars injungatur.] Inter artem et operam hoc discriminis affert Hildemarus, quod « omnis ars est opus, non omne opus ars est. Ars est quam non operatur nisi magister ; opus est sine arte, veluti fabam mundare, aut granum, etc. » Eodem fere modo loquitur Bernardus Cassinensis. Qua vero de arte loquatur sanctus Benedictus docet Hildemarus, nimirum « si sapit cantare, doceat alium cantum, vel etiam si scit grammaticam, tradat aliis, aut alias artes quæ sunt utiles in monasterio, si sapit, doceat alios. »

Ut nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur, ut effugentur. » « Hoc est ne fugæ, discessus, aut rebellionis causa ipsis detur, » inquit Bernardus Cassinensis. Simile statutum habetur in Regula S. *Ferreoli* : « Ut quis non valet insistere operi, det promptius operam lectioni; quicunque agrum non excolit, Deum dupliciter colat, et inter reliqua etiam hanc quærat artem, ut paginam pingat digito, qui terram non præscribit aratro. Nullus ergo si quominus opera faciat, putet causam justæ excusationis afferre, qua qui, ut supra diximus, agriculturam exercere non valet, legere, scribere, quod est præcipuum opus, piscium etiam providere capturam, rete texere, calceamenta fratribus præparare, vel reliqua, quæ similia sunt, facere atque implere potest. » *Vide* Regulam sanctorum Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii, cap. 11, et S. Isidori, cap. 6.

CAPUT XLIX.

De Quadragesimæ observatione.

652 Licet omni tempore vita monachi Quadragesimæ debeat [a] observationem habere, tamen, quia paucorum est ista virtus, ideo suademus istis diebus Quadragesimæ, omni puritate vitam suam custodire, omnes pariter negligentias [b] aliorum temporum [c] his diebus sanctis [d] diluere. Quod tunc digne fit, si ab omnibus vitiis temperemus [e] : orationi cum fletibus [f], lectioni, et compunctioni cordis [g], atque abstinentiæ operam demus [h].

Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum

[a] Al., *debet.*
[b] Al., *omnes pariter et negligentias.*
[c] Oxon. deest *aliorum temporum.*
[d] Conc. deest *sanctis.*
[e] Cassin., Narb., Flor., Conc., Affl., Hadr., *temperamus.* Ebrul., *intus temperemus.*
[f] Conc., *fletibus*, omisso *cum.*
[g] Hild. deest *cordis.*
[h] Flor., *damus.*

pensum [a] servitutis nostræ, orationes peculiares, ciborum et potus abstinentiam, ut unusquisque super mensuram sibi indictam aliquid propria voluntate cum gaudio sancti Spiritus offerat Deo : id est, subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, et cum spiritualis desi- A derii gaudio sanctum Pascha exspectet [b]. Hoc ipsum tamen quod unusquisque offert, abbati suo suggerat, et cum ejus fiat oratione et voluntate : quia quod sine permissione [c] Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur et vanæ gloriæ [d], non mercedi [e]. Ergo cum voluntate abbatis omnia agenda sunt [f].

[a] Narb., Flor., *solito penso*. Cassin., *a solito pensu*. Boher., *a solito penso*.
[b] Oxon., *spectet*.
[c] Oxon., Dion., Hadr., *voluntate*.
[d] Conc. deest *et vanæ gloriæ*.
[e] Hild., *non mercedis affectui*.
[f] Al., *omnia fiant*.

COMMENTARIUS.

Sacrum Quadragesimæ tempus, Christi Domini jejunio consecratum, ab apostolis institutum, Telesphori papæ, ut aiunt, decreto confirmatum, in Ecclesia adeo solemne, speciali semper devotione ac pœnitentia observare studuerunt monachi. Hoc potissimum tempore ab omni hominum frequentia secedere, remotissimos solitudinis recessus penetrare, **653** dies non paucos sine cibo aut potu transigere, aliisque mortificationis exercitiis corpus macerare solebant, ut mirum non sit S. Benedictum singulari capite de Quadragesimæ observantia egisse. Sed cum ex prolixitate Quadragesimæ, magnitudo judicetur pœnitentiæ, ut plenius demonstretur qualis fuerit his diebus monachorum fervor, e re nostra credimus breviter disserere quot ante S. Benedictum diebus Quadragesima duraret.

Etsi Quadragesimæ vocabulum quadraginta dierum numerum indigitare videatur, communis tamen tam Orientalis quam Occidentalis usus Ecclesiæ fuit, ut non nisi dies triginta sex jejunarent fideles, cum hoc nihilominus discrimine quod Orientales septem hebdomadis, Occidentales sex tantum Quadragesimam celebrarent : illi enim dominica et sabbato, uno duntaxat Sancto excepto ; isti dominica tantum jejunium solvebant. Res constat ex Cassiani collat. 21, cap. 24 et 27. Postea vero ad perficiendum quadragesimum numerum, quatuor additi fuerunt dies. Quonam tempore, exploratum non habetur; certe non ante Gregorii Magni pontificatum, ut pote qui in homilia 16 in Evangelium, quam ad id probandum adducit Amalarius l. I de Offic., c. 7, triginta sex solum dies in Quadragesima numeret. An vero sub vitæ finem constituerit, ut quadragesimale jejunium feria quarta post Quinquagesimam aperiretur, suspicabitur non nemo, cum in ejus libro Sacramentorum ea inscribatur *Feria IV, Caput jejunii :* nisi velimus cum Menardo, laciniam libro Sacramentorum fuisse assutam. *Vide* ejusdem notas ad prædictum librum p. 52. Venio ad Regulæ textum.

Licet omni tempore vita monachi Quadragesimæ debeat observationem habere.] Hic alludere videtur S. Benedictus ad præclaram illam S. Augustini sententiam : « In cruce per totam istam vitam, quæ in mediis tentationibus ducitur, perpetuo debet pendere Christianus; non enim est in hac vita tempus evellendi clavos.... Crux, inquam, ista non quadraginta dierum est, sed totius hujus vitæ, quæ mystico numero quadraginta istorum significatur dierum.... Sic semper hic vive, Christiane, si terreno limo gressus non vis immergere : noli de ista cruce descendere. Si autem hoc faciendum est per hanc totam vitam, quanto magis per istos Quadragesimæ dies, quibus non solum agitur, verum etiam significatur hæc vita. »

Ideo suademus istis Quadragesimæ diebus omni puritate vitam custodire, omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere.] Ita fere S. Augustinus seu quivis alius : « In istis diebus de pelago et fluctibus mundi hujus quasi ad portum Quadragesimæ debemus requiescere, et lectiones divinas in exceptorio cordis nostri cum silentio et pace suscipere, ut Deo propitio pro amore vitæ æternæ vacantes, quidquid in navicula animæ nostræ per totum annum multis tempestatibus, id est peccatorum fluctibus aut fractum, aut dissolutum aliquid, aut corruptum, aut perditum est, omni sollicitudine **654** B in istis diebus reparare studeamus atque componere. »

Quod tunc digne fit si ab omnibus vitiis nos temperemus.] Quid enim prodest abstinentia a cibis, nisi adsit abstinentia a vitiis ? « Quod si gula sola peccavit, inquit S. Bernardus (*Serm. 3 in Quadrag.*), sola quoque jejunet, et sufficit. Si vero peccaverunt et membra cætera, cur non jejunent et ipsa? Jejunet ergo oculus, qui deprædatus est animam; jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipsa. Jejunet oculus a curiosis aspectibus et omni petulantia, ut bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa; jejunet auris nequiter pruriens a fabulis et rumoribus, et quæcunque otiosa sunt, et ad salutem minime pertinentia; jejunet lingua a detractione et murmuratione, ab inutilibus, vanis atque scurrilibus verbis; interdum quoque ob gravitatem silentii, et ab ipsis quæ videri poterant necessariis; jejunet manus ab otiosis signis, et ab operibus omnibus, quæcunque non sunt imperata; sed et multo magis anima ipsa jejunet a vitiis, et propria voluntate. »

C Observant autem hic Bernardus Cassinensis et Boherius S. Benedictum non dixisse absolute *abstineamus* a vitiis, sed *temperemus :* quia nonnulla existunt vitia quæ licet propter manentem in nobis concupiscentiam penitus eradicare nequeamus, ea saltem adusque radicem truncare, et sic temperare possumus.

Orationi cum fletibus, lectioni, et compunctioni cordis, atque abstinentiæ operam demus.] Quinque hic præscribit S. legislator, quibus ut liberius vacarent veteres monachi, ab omni hominum frequentia separati, aut in cellis reclusi vivebant, aut in solitudinem se recipiebant, cujus rei praxim videre est in Vita S. Marii abbatis Bodanensis, n. 4; S. Marculfi abbatis Nantuensis, n. 12; S. Samsonis l. II, n. 12; S. Æmiliani, n. 10, et alibi passim, sed maxime in Vita S. Mariæ Ægyptiacæ, in qua Sophronius de monachis ad Jordanem degentibus sic loquitur (*Apud Rosweid. lib. I de Vitis Patrum*) : « Dominica, quam primam jejuniorum hebdomadam nominari mos D est, agebantur divina sacramenta consuete, et unusquisque particeps efficiebatur vivifici et intemerati corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, et solito modicum cibum sumentes, congregabantur omnes in oratorium, et curvatis genibus, factaque suppliciter oratione, salutabant se invicem monachi, et unusquisque genu flexo publice amplectebatur abbatem, postulantes orationem, ut haberent ad inchoatum certamen eum cooperatorem et comitatorem. His ita se habentibus, fores monasterii patefiebant, et psallentes consona voce, *Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ; a quo trepidabo?* etc., exibant, unum multoties aut duos monasterii custodes relinquentes, non ut custodirent ea quæ intus erant posita, non enim erant apud illos aliqua furibus congrua, sed ne oratorium absque divinis relinquerent solemniis. Unusquisque autem se adnotabat prout poterat aut volebat; nam

unus portabat corpori ad mensuram sufficiens, alius carycas, alius palmarum 655 fructus dactylos, alius vero legumina aquis infusa, alius nihil præter corpus proprium et vestimentum quo utebatur. Nutriebantur autem, quando necessitas exigebat naturæ herbis quæ nascebantur per solitudinem. Canon autem erat unusquisque sibi ipsi et lex absque prævaricatione, ut non cognosceret aliquis consocium, qualiter abstinebat, aut quomodo agebat. Jordanem enim mox transmeantes, longe ab invicem se sequestrabant, et nullus se jungebat ad socium, civitatem æstimantes solitudinem. Sed et si unus ex ipsis a longe venientem ad se aliquem videbat, mox declinabat de itinere, et ad aliam partem pergebat. Vivebat autem sibi ipsi et Deo, psallens frequenter, et constituto gustans tempore cibum. Ita omnia jejunia celebrantes, revertebantur ad monasterium ante vivificum diem Resurrectionis Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, quam festam dominicam cum ramis palmarum celebrare sancta accepit Ecclesia. Revertebantur autem unusquisque B habens proprii laboris testem propriam conscientiam, cognoscentem qualiter opera us est, et qualia laborum semina seminavit. Et nullus ullo modo interrogabat alium quomodo aut qualiter laboris certamina consummasset. » Isthæc autem in solitudinem tempore Quadragesimæ secedendi consuetudo non monachis modo, sed episcopis etiam placuit, ut videre est in Vita S. Walarici, c. 13, et in Vita S. Kentigerni, cap. 3 (*Sæc.* II *Ben.*, *Bolland.* 13 *Januar.*), idque de S. Æthelvoldo narrat Willelmus Malmesburiensis lib. IV de Pontif. Angl., in fine.

Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum servitutis nostræ.] Quod ait *ad solitum pensum* duobus modis intelligi potest. 1° Ad solitam aliorum temporum vivendi rationem; « superius enim definierat, inquit Hildemarus, quantum panem, quanta pulmenta, vel quantum dormire. Nunc vero, ut augeamus ad istum pensum, hoc est mensuram aliquid suadet. » Quam explicationem confirmare possunt præcedentia verba, quibus hortatur aliorum temporum negligentias his sanctis diebus diluere. 2° *Ad solitum pensum*, id est, ad præscriptam etiam in Quadragesima a regula mensuram; qui sensus connaturalior videtur: nam quæ quadragesimali tempore facienda regula præscribit, omnes æqualiter servare tenentur: quæ autem hic addenda suadet, non ita, sed pro cujusque voluntate, et abbatis benedictione: quæ vero illa sint docent subsequentia.

Orationes peculiares.] Orationes peculiares Hildemaro et Bernardo Cassinensi sunt orationes privatæ, « ad differentiam communium et regularium, quæ in conventu se habent ab omnibus statutis temporibus, » inquit Bernardus Cassinensis. Additque: « Et possunt etiam dici peculiares quæ adduntur et fiunt ultra illas quæ præter Quadragesimam fecit vel facere neglexit. » Istud porro sanctæ Regulæ statutum quo liberius adimpleret alter Bernardus, abbas Claravallensis, etiam a scribendis libris abstinebat; unde provocanti amico Guillelmo abbati, ut Petro Abaelardo sese opponens, illius refutaret errores, hunc in modum rescripsit (*Epist.* 392): « Operæ pretium puto, præsertim considerata 656 opportunitate, me atque eos pariter alicubi convenire et conferre de omnibus; idipsum tamen ante Pascha fieri posse non arbitror, ne quod præsens tempus indicit studium orationis impediatur. » *Vide* lib. III de Antiquis monach. Ritibus, cap. 10.

Ciborum et potus abstinentiam.] Et hanc maxime, ut pote quam ter hoc capitulo commendat sanctus legislator, uti observarunt Hildemarus, Bernardus Cassinensis, et Boherius. Primo enim dixit, *abstinentiæ operam demus*; deinde, *ciborum et potus abstinentiam*, ac tandem, *subtrahat corpori suo de cibo, de potu*, idque *super mensuram sibi indictam*. Indicta autem mensura in Quadragesima alia non videtur fuisse, quam panis, et forte aqua sola: nam solum panem concessisse innuunt ea quæ supra diximus ad cap. 39: quod vero A de aquæ potu addimus, haud obscure colligi potest ex Vita S. Placidi, de quo scribitur quod omni tempore quadragesimalem vitam ducens vinum nunquam bibit; confirmaturque ex Regula S. Isidori (*Cap.* 10): « In observatione autem Quadragesimæ, *sicut fieri solet*, post expletum jejunium *pane solo et aqua* contenti omnes erunt, vino autem et oleo omnes abstinebunt; » et ex Regula S. Fructuosi (*Cap.* 18): « In Quadragesima vino et oleo penitus abstinendum. » Et sane par erat ut monachorum major esset abstinentia quam sæcularium. Porro sæculares siccis tantum cibis in Quadragesima usos fuisse constat ex decreto concilii Laodiceni can. 50, et ex Tertulliano libro I adversus Psychicos, ubi sic loquitur: « Xerophagiam observamus, siccantes cibum, ab omni carne et jurulentia, et viridioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel edamus vel potemus. » Tempore etiam S. Augustini a vino abstinuisse sæculares viros docet nos S. doctor (*Serm.* 206), monens B populum ne quærat *inusitatos liquores*, *quia vinum non bibit*. Quid quod etiam nunc xerophagiam in jejuniis observant Græci, apud quos abstinentiam a piscibus vigere testatur Balsamon? Sed et Armeni Christiani, licet Eutychiani et schismatici, non solum a terrestrium carnibus, lacticiniis et ovis, sed etiam a piscibus, vino et oleo abstinent, ut scribunt diversi qui has nostro sæculo nationes peragrarunt. Docet præterea Balsamon ad apostolorum can. 69, servari quoque a Græcis omnibus xerophagiam totius anni decursu feriis 4 et 6, adeo ut neque bis, neque quadragesimalibus diebus, vel cum ægrotis dispensetur unquam etiam in mortis ipsius confinio, nisi circa pisces.

Ad hoc igitur servitutis pensum, id est, si bene conjicimus, ad vespertinam in solo pane et aqua refectionem aliquid augeri cupit S. Benedictus, ut quibus integra panis libra in die conceditur, aliquam ejusdem partem sibi ipsis subtrahant; imo, si Deus dederit, integros sine cibo, sine potu dies transigant: C id quod ipse S. Pater primique ejus discipuli Maurus et Placidus præstitisse leguntur in eorum Vita. Sed et de S. Austreberta narrat anonymus in ejus Vita (*Sæc.* II *Ben.*) quod « omnibus quadrages mis, præter dies dominicos, nonnisi ter intra hebdomadam comedebat. » Et Gervinus Centulensis abbas piissimus, referente Hariulfo, in Quadragesima 657 « tritico confectum panem sumendo rarissime, deputata pro potione modica aquæ quantitate, talique utens cibi solamine, interim post triduum reficiebatur (*Chron. Centul. lib.* IV, *c.* 26, *Spicil. tom.* IV). » At quod de S. Radegunde scribit Fortunatus (*In ejus Vita num.* 22, *sæc.* I *Ben.*), omni dignum est admiratione. Hæc ex potentissima Franciæ regina humilis in Pictaviensi asceterio facta sanctimonialis, aliquando in Quadragesima reclusa, « panis non sumpsit cibaria, nisi die dominica, sed tantum radices herbarum, aut olera de malvis, sine olei gutta, sine sale composita; verum aquæ toto jejunio nec sumens duo sextaria. » S. Fidolus abbas (*In ejus Vita num.* 10, *sæc.* I *Ben.*) D etiam « sanctæ Quadragesimæ tempore tantam sibi corporis sui persecutor abstinentiæ austeritatem semper indixit, ut trium panum tantum e tulio plerumque transigeret; sæpe quoque ex his ipsis panis unus superesset; potus vero in hujusmodi refectione non alius quam lexivia sumebatur. » *Vide* Vitam S. Macarii Alexandrini, cap. 3 et 5, apud Bolland. 2 Januar.

Postea vero refrigescente charitate, refriguit etiam apud monachos tantus abstinentiæ fervor: nam Magister in Regula (*Cap.* 53) jam coctum tota Quadragesima pulmentum unum, crudum alterum concedit; potiones prima hebdomada duas, unum scilicet merum et unum caldum. Secunda hebdomada singulis singulos meros, et exinde usque Pascha vinum subtrahit, mixtam salibus cum cymino et apii semine aquam calidam indulgens, et feria sexta Parasceves omnem omnino cibum auferens. Remissiores etiam nos.

Germaniæ Consuetudines, quibus hæc tantum præscribuntur (*Num.* 30) : « In Septuagesima pinguedo ad edendum dimittatur ; in Quinquagesima ova et caseum; in Quadragesima secunda, quarta, et sexta feria a piscibus abstineatur. Et omni tempore præter quinquaginta dies post Pascha quarta et sexta feria semper a piscibus abstineant et pinguedine, et cruces sequantur, nisi duodecim lectionum festivitas interveniat, vel priori aliter visum fuerit. » Floriacenses quoque Consuetudines monachorum victum in Quadragesima ita ordinant (*Cap.* 7) : « Libra panis major solito et delicatior debet esse, et vinum melius quam alio tempore..... Cellerarius dominica, tertia et quinta feriis pisces vel valentiam piscium donat; cæteris diebus arentia et milium per totam Quadragesimam, quod præpositus debet ministrare. Quarta et sexta feriis herbas crudas debemus habere do hortulano, et in jejuniis Quatuor Temporum per annum similiter. » Denique Cistercienses omnium austeriores in capitulo generali anni 1293 id tantum, quod sciam, definierunt (*Lib. Instit.*, *dist.* 13, *cap.* 6): « Abstinentia sextæ feriæ in Quadragesima sic teneatur, ut tribus sextis feriis in conventu utamur pane et aqua ; aliis vero tribus uno tantum pulmento simus contenti et potu consueto. »

De somno.] Sic « qui dormire solebat ab exitu de completorio usquequo ad vigilias pulsabatur, aut post completorium, aut antequam pulsetur ad vigilias, orationi se dabit vel meditationi, aut certe silenti psalmorum decantationi, » quemadmodum loquuntur Bernardus Cassinensis et Boherius. Et sic in Piscariensi (*Chron. Piscar. lib.* III, *Spicil. tom.* V) monasterio « duo fratres religiosa 658 consuetudine quadragesimali tempore ante matutinos de lectulis consueverant surgere, et flexis genibus ante sacratissimi martyris ossa preces et singultus fundere, psalmos cantare, et sanctos Dei in adjutorium populi Christiani cum litaniis interpellare. »

De loquacitate.] Ergo aliis temporibus loquebantur, qui in Quadragesima aliquid de loquacitate subtrahere jubentur. Ad hujus porro executionem mandati, Statuta Lanfranci decernunt (*Cap.* 1, § 5), ut in Quadragesima « tribus diebus, id est secunda feria, quarta, et sexta usque ad Pascha, nec pulsetur tabula post capitulum, nec loquantur in claustro : » id quod Lanfranco haud fuit singulare, sed omnibus passim Benedictinis commune, ex dictis in lib. III de Antiq. monach. Ritibus, cap. 10. Imo Petrus Venerabilis continuum in Quadragesima Cluniacensibus indixit silentium in statuto 20. Cassinenses etiamnum nullas in Adventu et Quadragesima recreationes indulgent (*Decl. Cass. in cap.* 6, *num.* 5); aiuntque nefas esse monachis talia cogitare, nedum permittere.

De scurrilitate.] Scurrilitates omni tempore monachis sunt interdictæ.

Hoc ipsum tamen quod unusquisque offert abbati suo suggerat.] Ritum explicat Regula Magistri in hunc modum (*Cap.* 53) : « Ipso die Quadragesimæ cum communicant primo jejunio, antequam communicent, detur licentia ab abbate in oratorio talis. Dicat abbas omnibus fratribus : Fratres, qui vult pro anima sua spiritualiter laborare et aliquid abstinere, ad bonum hoc opus liberam ei voluntatem concedimus; qui vero noluerit, Regulæ de hoc titulo constituta accipiet, et Quadragesimæ contentus erit mensura. Jam qui de fratribus voluerint aliquid abstinere, ibi in oratorio vadant, et humilient se ad genua abbatis, agentes gratias de boni actus voluntate concessa, et post impensam humilitatem simul et ore suo abbati indicent quis quid voluerit abstinere. » Communis autem ordinis nostri usus obtinuerat, ut post librorum distributionem hæc jejunandi licentia concederetur.

Et cum ejus fiat oratione et voluntate.] Oratione, qua Dei imploret auxilium, ut quibus aliquid ad solitum pensum addendi dedit votum, quod eo inspirante petierunt, perficiendi impendat adjutorium.

A Ubi observant commentatores non ita abbati de sua oratione esse præsumendum, quinetiam aliorum cum suis fratrum adhibeat preces; idque vel generali modo, omnium in capitulo orationes rogans, ut congregationis oblationes benigno Dei suscipiat intuitu; aut speciatim aliquos singulari pœnitentiæ zelo ferventes commendans, verbi gratia his verbis : Sunt nonnulli in hac nostra congregatione qui ad magnam de nostra licentia macerationem corporis sese astrinxerunt, hos vestris orationibus specialiter commendo. Similiter si quos ita negligentes repererit ut secundum regulam jejunare nolint, hos aliorum orationibus commendare debet. Et hunc esse S. Benedicti sensum genuinum existimo; quem sequuntur Hildemarus, Bernardus Casinensis, Boherius, et Turrecremata, 659 confirmaturque ex quadam versione Gallica, quæ hunc locum ita reddit : *Que leurs mortifications soient aidées de ses prières.* Est tamen Nicolaus de Fractura, qui orationem hic pro B benedictione interpretatur : « Oratione, inquit, id est benedictione, ut dicat abbas fratri abstinentiam suggerenti : Faciatis in bene lictione Dei. »

Et voluntate.] Non simplici *permissionis* vocabulo utitur, sed *voluntatis;* ut ei qui discretionis limites excedens, plus æquo corpus macerare velit, aut econtra cui ex toto nihil facere animus sit, accedat abbatis voluntas, quæ et illum coerceat, et hunc ad majora impellat, uti docet Hildemarus, quanquam augere aliquid ad solitum pensum nolentem absolute ab abbate cogi non suadeat.

Cum autem aliquis aliquid offert, « debet considerare abbas si persona est discreta, si mobilis vel stabilis, constans et fixa; si potens est ad sustinendum ejus natura; si sanus vel ægrotativus, si fervens aut tepidus; et secundum ista, vel totum quod petit, vel partem, aut nihil omnino concedat, » inquit Bernardus Cassinensis.

Quia quod sine permissione patris spiritalis fit, præsumptioni deputabitur, et vanæ gloriæ, non mercedi.] C Recte hic Bernardus Cassinensis, Boherius, et Turrecremata observant, eum qui sine abbatis licentia boni aliquid aggreditur, tria ex S. Benedicto (*Serm. de Abdic. rerum*) incurrere damna : « Peccatum enim præsumptionis incurrit, in laqueum vanæ gloriæ incidit, et mercedem de suis laboribus aut abstinentiis non acquirit. » Imo etiam *furtum sacrilegiumque* committit, si Basilio magno credimus (*Lib.* IV, *epist.* 28). Recte ergo Goffridus abbas Vindocinensis Robertum monachum redarguit quod ex propria electione, sine ulla superioris permissione, tribus tantummodo in hebdomada diebus reficeret; et S. Basilius dixit (*Serm.* 2 *de Institution. monach.*) : « Veræ et perfecta obedientia subditorum ostenditur, non solum se a flagitiosis ex præpositi consilio abstinendo, sed et res laudabiles nisi juxta illius sententiam faciendo; nam abstinentia et omnis corporis maceratio ad aliquid quidem utilis est, sed si quis propriam voluntatem sequens, spreto præpositi consilio, quod sibi placitum fuerit faciat, majus erit D malum quod faciet quam bonum; qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit, et præmium obedientiæ continentia majus est. » Hinc etiam S. Theresa (*Addit. ad ejus Vitam*) cum aliquando sanctimonialem quamdam magnis pœnitentiæ operibus sese macerantem vidisset, et cogitasset num et ipsa melius faceret, si postposito confessarii consilio majoribus se daret pœnitentiæ exercitiis, sibi a Domino responderi audivit : « Absit, o filia; errare non potes viam quam sequeris tenens; caute et secure in ea ambula: magnæ sunt illius religiosæ macerationes; verum pluris æstimo tuam obedientiam. » *Vide* Haeftem lib. x, tract. 8, disq. 6.

Ergo cum voluntate abbatis omnia agenda sunt.] Ita ut « præter abbatis mandatum nulla penitus voluntas vivat in nobis, » ut loquitur Cassianus (*Lib.* XII, *c.* 32). Hæc est enim secura et unica monachis ad perfectionem tendentibus via; quam secuti sunt

quotquot aliquando **660** in cœnobiis enituerunt : unde etiam Regula S. Posthumio ab angelo tradita : « Si in via, inquit, calcaveris spinam, non est educenda donec abbas præceperit. » *Vide* S. Basilii Regulas breviores, interrog. 137, et S. Dorothei Doctrin. 7.

CAPUT L.

De fratribus qui longe ab oratorio laborant, aut in via sunt.

Fratres qui omnino longe sunt [a] in labore, et non possunt occurrere hora competenti ad oratorium, et abbas hoc perpendit, quia ita est, agant ibidem opus Dei, ubi operantur, cum tremore divino, flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ : sed ut possunt, agant sibi [b], et servitutis pensum non negligant reddere.

[a] Oxon., Hadr., *longe sunt*, omisso *in labore*. Affl., *longe sunt ab oratorio*. Al., *longe sunt ab oratorio, aut in via*.

[b] Al., *agant ibi*.

COMMENTARIUS.

Fratres qui omnino longe sunt in labore.] Id est, qui valde distantes ab oratorio et monasterio laborant.

Et non possunt occurrere hora competenti ad oratorium.] Scilicet *ante gloriam primi psalmi*, ut loquuntur Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, et Boherius.

Et abbas hoc perpendit.] Hæc perpensio notitia est et licentia, vel auctoritate Regulæ, vel abbatis sermone fratri laboranti concessa : potest enim abbas ita dicere in generali : Frater qui tot passibus, vel stadiis, vel usque ad tales terminos distat ab oratorio, non teneatur ad tales horas ad oratorium venire, » inquiunt iterum Bernardus Cassinensis et Boherius.

Agant ibidem opus Dei.] Antiquis monachis haud insolens fuit extra oratorium, etiam mediis in agris officia divina celebrare, ut patet tum ex hoc S. Benedicti testimonio, tum ex aliis SS. monachorum regulis. Maxime ex Regula S. Pachomii, art. 142; ex Regula S. Basilii a Rufino translata, c. 56; ex Regula SS. Pauli et Stephani, cap. 12; S. Ferreoli, cap. 11; S. Fructuosi, cap. 6; denique ex Regula Magistri, in qua decernitur ut, cum quinquaginta a monasterio passibus **661** laborant, ibidem opus Dei operentur. Nec certe mirum esse debet, quod in agris opus Dei persolverent, cum ibidem meridiano quoque somno corpus reficerent, uti supra notavimus.

Nostros tamen quod spectat, notandum eos non semper sub dio divinum exsolvisse officium ; sed, ut decentius faciliusque illud explerent, oratoria sibi ubi operari solerent erexisse. Ita B. Benedicti Anianensis discipuli (*In Vita S. Ben. Anian., num.* 38, *sæc.* IV *Bened.*) « in montibus, in quibus fratres soliti erant alendarum ovium curam habentes habitare, sibi ad orandum exiguum oratorium construxerunt. » Ita Leonas abbas Piscariensis (*Chron. Piscar. lib.* III, *tom.* V *Spicil.*), « accepto fundo a regali curia, construxit oratoriam domum in angulo ipsius civitatis circa portam quæ dicitur Marauesca, ut fratres qui pro negotiis et eisdem rebus custodiendis et conservandis mitterentur, haberent ubi psallerent, et in officiorum obsequiis se frequentius et liberius ibidem occuparent. »

Cum tremore divino.] Sive, ut habet Regula SS. Pauli et Stephani (*Cap.* 12) : « Cum disciplina et timore Dei, consona voce, non prout unusquisque operis excusatione aut occupatione voluerit obrute. » Idque non singulatim, sed omnes insimul duos in choros divisi ex constitutione Benedicti papæ XII, cujus hæc verba (*Cap.* 27) : « Qui ad chorum vel ad ecclesiam accedere nequiverint, prædicationi, lectioni, studio, seu administrationibus, vel officiis suis, aut piis seu licitis operibus de licentia illius ad quem ea de re pertinuerit, occupati in alio loco congruo et honesto, debitis horis juxta possibilitatem plures simul conveniant, et debite dicant divinum officium, et quotidianum pensum exsolvant debitæ servitutis. » Atque ita etiam in itinere constituti observabant, ut patet ex Fausto in Vita S. Mauri num. 30 (*Sæc.* I *Ben.*), ubi sanctus vir « matutinos hymnos cum aliis ejusdem habitus viris, » hoc est cum fratribus una cum eo in Gallias directis, celebrasse legitur, idque in basilica illius loci in quo diverterant.

Flectentes genua.] Ad preces scilicet et orationem, et hoc, ut aiunt Bernardus Cassinensis et Boherius, in diebus quibus genua fratres in *conventu* flectunt ; » ubi vides antiquum ad orationes divini cursus genuflectendi morem, a quo tamen abstinebant tam universi fideles quam monachi diebus dominicis et a Pascha ad Pentecosten, ut patet ex Tertulliano lib. de Corona milit., cap. 3 ; S. Ambrosio serm. 61, de Pentecoste ; S. Hieronymo Dial. adversus Lucif., et in prooemio Epist. ad Ephesios ; Cassiano lib. II, cap. 18, et Alexandro III in sua decretali lib. II Decretalium, cap. *Quoniam*, cujus institutionis rationem reddit Rabanus Maurus lib. II de institut. clericorum, cap. 4.

Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ.] Hic locus multarum apud monachos, maxime Cluniacenses inter et Cistercienses querelarum seges fuit. Alii enim hanc vocem *similiter* ad præcedentia verba *cum tremore divino flectentes genua* referentes, ab itinerantibus horas canonicas **662** recitantibus genua flecti volebant ; alii econtra ad subsequentia *non eos prætereant horæ constitutæ*, istud negabant ; quorum sententia etsi probabilior videatur ex sequentibus verbis *sed ut possunt agant sibi* ; prior tamen confirmatur ex communi monasteriorum praxi, saltem quoad genuflexiones horarum initio ad tres orationes fieri solitas : « Fratres in viam directi, inquit Lanfrancus (*Statut. cap.* 15), cum horam regularem dicunt, aut orationem faciunt, aut *Deus, in adjutorium meum* cum *Gloria Patri* dicunt ; si dies talis est, sicut in monasterio *genua flectunt* ; sed ante et retro nusquam faciant, nec cum falluntur veniam petant, nisi sint in ecclesia. Diebus quibus super formas orant, dicturi aliquam horam, si equitant, de equis descendant, et inchoata hora, et venia petita, a manibus chirothecas et a capitibus caputia auferant, et sic ascensis equis horam finiant. » Et Consuetudines mss. Farfensis et Romani Sancti Pauli monasteriorum : « Fratres in itinere directi, cum viderint horæ tempus, si aptus locus est ibi, ubi directi stant, vel perambulant ; *flectant genua* descendentes de equis. Si fuerint in cœnobiis genua super formas, et ipsi faciant ubi degunt. Peracta oratione, signum S. crucis imprimant in frontibus suis, et non gyrent ; sed tantum petant veniam et incipiant horam ascendentes in equos, pergentes, et horam decantantes, wantos tollant de manibus suis usque dum finiant divinum officium. » Udalricus loquens de decanis villarum provisoribus (*Lib.* III, *c.* 5) : « In via positus, si est privata dies, et hujusmodi in qua ad singulas horas venia est petenda, ipse quoque

quando quamlibet horam cantaverit, descendit ad terram, abstrahit capellum de capite, de manibus chirothecas, veniam petit, orationem dominicam dicit; unde se levans, signo crucis facto, iterum veniam petit, et hora imposita tenet viam. » Idem docet Petrus Venerabilis ad Bernardum sic scribens (*Lib.* I, *epist.* 28): « De genuflexionibus regularium horarum quidquid regula jubet omnimodis custodimus, et antequam horam decantare incipiamus, ubicunque simus, cum tremore divino genua flectimus. Prohibet hoc aliquando nimius imber, condensa nix, lutulenta tellus; et tunc loco metaneæ psalmum *Miserere mei, Deus*, decantamus; et tali commutatione præceptum, quod implere non possumus, compensamus. » Denique liber Usuum Cisterciensium de dirigendis in via loquens (*Cap.* 88): « Dicturus horas per diem, si dies prosternendi fuerit, in terram orationi incumbat: dicens *Gloria Patri* rursum flectat genua silentium tenens, quousque locatus cœptam prosequatur horam: tam die quam nocte dum non equitat, stans horas, si non multum gravatur, dicat. » Unde etiam qui ab hujusmodi genuflectionibus abstinebant, non tanquam a re licita et non præcepta abstinebant; sed ex dispensatione id faciebant, metaneæ seu genuflectionis loco psalmum *Miserere mei, Deus*, recitantes, ut patet ex supra citato Petri Venerabilis loco: hinc et Boherius in primo comment. Bernardum Cassinensem exscribens, « propter hoc verbum, inquit (scilicet *similiter*), dicunt quidam quod etiam equitantes debent descendere ad singulas horas, et flectere genua, **663** quod usque hodie Cistercienses faciunt in itinere constituti. Attamen nostri temporis abbates et fratres non faciunt: fatentur tamen quod loco genuflectionis dicunt singulis horis psalmum *Miserere mei, Deus*; nam propter longitudinem vestimentorum, quæ talaria debent esse, et ponderositatem ipsorum, ac pluvias frequentes, viasque lutosas, durum æstimant fieri similiter in via sicut in agro laborando. » Sed et his omnibus antiquior Hildemarus ad hunc sensum inclinat: « Quamvis, inquit, sensum proprium S. Benedicti proprie nesciamus, tamen melius est, ut si possunt, qui equitant in terram descendant, et officium suum flectentes genua faciant. » Magister etiam in Regula (*Cap.* 56) præscribit, ut versantes in itinere fratres a via modice deflectant, flectentes genua, et post orationem impositam ambulando prorumpant in psalmum; quo expleto, *stent modicum, et inclinato capite* modice orent: et post orationem viam prosequantur cum psalmo; *quo expleto, iterato stantes orent.* Post incedendo psalmum similiter decantent; *quo expleto, iterato curvati orent.* Denique in Regula monastica communi S. Fructuosi hæc lego (*Cap.* 10): « Ubi eis properandi fuerit necessitas, et horarum cognoverint metas, continuo *humo prostrati*, indulgentiam a Domino suppliciter petant, etc.

Quod vero S. Benedictus ait, *non eos prætereant horæ constitutæ*, sic interpretantur commentatores, « ut hora tertia tertiam dicant, sicut sexta sextam, et sic in horis singulis proprias horas dicant. » Ita Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, et Boherius: addit tamen Hildemarus: « Si possunt: nam si necessitas cogit, faciant ut possunt. » Atque hæc fuit veterum monachorum praxis: « Serva etiam horas orationum, inquit sanctus Antonius (*In Regul. num.* 4), nec prætermittas ullam earum, ne rationem pro ea reddas. » Et Regula Orientalis (*Cap.* 12): « Ad collectam, et ad psallendum nullus sibi occasiones inveniat quibus se dicat occupatum, quasi ire non possit: et si in monasterio, vel in agro, aut in itinere, aut in quolibet ministerio fuerit, orandi atque psallendi tempus non prætermittat. » Quæ verba desumpta sunt ex Regula sancti Pachomii, art. 81. Atque ita abbas Sosimas, teste Sophronio (*In Vita S. Mar. Ægyp., cap.* 7, *lib.* I *de Vit. Pat.*), « viginti diebus exigens iter, cum sextæ horæ tempus advenisset, stetit modicum ab itinere, et conversus ad orientem agebat solitam orationem; consueverat enim constituto diei tempore figere itineris cursum, et stans psallere, et genu flexo orare. » Ita S. Maurus ad Gallias missus (*In Vita S. Mauri, sæc.* I *Bened.*), in itinere nocturnum nocte peragebat officium, testante Fausto itineris socio, quia « ea nocte celebrantibus nobis nocturnale officium, advenerunt illuc duo nihilominus ex fratribus nostris. » Ita S. Bertulfus (*Sæc.* II *Ben.*) Roma Bobium rediens, cum jam atra nox irruisset, Jonam itineris socium accersivit, ac de nocturnis vigiliis sciscitavit, ut scribit idem Jonas in ejus Vita, n. 8. Ita S. Fructuosus postea Bracarensis episcopus (*In ejus Vita, num.* 13, *sæc.* II *Bened., Bolland.*, 1 *Martii*), constitutus in itinere « officium sacrum cum suis fratribus » in navi celebrasse dicitur. Ita denique Germanus monachus in hospitio « pro suo more, postquam acquievisset aliquantum, intempesta hora consurgens, **664** psalmodia nocturna perfunctus est, » uti legimus in Vita S. Eudociæ, n. 3.

Sed ut possunt agant sibi.] Quod ait *ut possunt*, Bernardus Cassinensis intelligit « quod hoc in loco non possunt facere æque prolixas orationes, nec officium tractim, et morose; sed *ut possunt*, supple ad minus verba integra, numerum psalmorum, numerum lectionum. » Quod vero *agant sibi*, « id est apud se, secreto, sine cantu; sibi solum, si sint soli: sibi vicissim dicendo versus psalmorum et horarum, si sint duo vel plures. » Nonnulli codices legunt *agant ibi*, hoc est in itinere, quam lectionem probat Menardus.

Et servitutis pensum non negligant reddere.] Ideoque « debent a bibliotheca habere librum in quo sit officium ordinatum, » inquit Bernardus Cassinensis; idque juxta Gregorii papæ IX constitutionem pro Benedictinis, præscribentem ut « ipsi dicant horas in via, et de libris provideatur eisdem: » cui concinit Benedictus XII in sua item pro monachis Benedictinis constitutione, in qua sic lego (*Cap.* 24): « Nullus monachus pernoctaturus extra ecclesiam, monasterium, et alium locum suum, permittatur abire sine cuculla regulari clausa, nec non breviario, in quo servitutis pensum possit exsolvere Creatori. »

CAPUT LI.

De fratribus qui non satis longe[a] proficiscuntur.

Frater qui pro quovis responso dirigitur, et ea die speratur[b] reverti ad monasterium, non præsumat foris manducare, etiamsi a quovis[c] rogetur nisi forte ei ab abbate suo[d] præcipiatur. Quod si aliter fecerit, excommunicetur.

[a] Conc., *satis longe*, Al., *non longe*.
[b] Conc., *sperantur*; recentiores, *sperant*. Dunst., *ut sperant*.
[c] Al., *omnino a quovis*.
[d] Lyr. et Ebrul. addunt *vel priore*.

COMMENTARIUS.

Frater qui pro quovis responso dirigitur.] Responsum, ut probat Menardus ex lib. II Dial. S. Greg. papæ, c. 12, et epist. 47, lib. II, est negotium quod quis tractat foris; unde responsales dicti sunt qui ad negotia tractanda mittebantur.

Et ea die sperat reverti ad monasterium, non 665 *præsumat foris manducare.*] Juxta priscorum monachorum disciplinam, quæ fratres extra cœnobium edere non ferebat. « Nequaquam in sæculari domo cibos sumere consueverant monachi, » inquit vetus scriptor Vitæ S. Pachomii, n. 42. Et Regula incerti auctoris : « Nemo extra monasterium sine præcepto manducet, neque bibat; non enim hoc ad disciplinam pertinet monasterii : » quæ pene iisdem verbis exstant in Regula Tarnatensi, cap. 9, laudatque hanc in rem duorum adolescentulorum religionem Cassianus (*Lib.* v, *cap.* 40), quos etiam ficus deferentes fames in eremo consumpsit. Atque eo referri potest quod S. Cuthbertus cum duobus sociis ad terram Pictorum profectus, « nec cibaria secum detulere, tanquam citius reversuri, » ut scribit Beda Venerabilis (*In Vita S. Cuthb.*, *cap.* 11, *sæc.* II *Benedict.*).

Dura forte videbitur talis institutio, iis præsertim qui summo mane exeuntes, ad multam diem duntaxat revertuntur. At certe dura Petro Damiani visa non fuit, qui eam etiam aggravavit, cum de institutis suæ congregationis agens, sic locutus est (*Opusc.* 15, *cap.* 11) : « Regulare est monasteriis ut ii qui in via diriguntur foris non comedant, si eo die sperant reverti, cui videlicet observantiæ illud etiam apud nos additur, ut sive ipso, sive alio die fuerit quis egressus, exceptis præcipuis festivitatibus, jejunus semper ad eremum revertatur; sin alias, pœnitentia non deerit. » Idem habet (*Opusc.* 14) loquens de ordine eremitarum Fontis Avellani. Et sane consideranti quam periculosum sit monachis una cum sæcularibus manducare eorumque conviviis interesse, quam necessarium ut stimulante fame citius ad monasterium revertantur, æquum omnino videbitur S. Patris decretum : unde Gregorius IX in sua pro Benedictinis constitutione : « Nullus abbas, inquit, vel monachus prope monasterium suum, vel cellam monasterii sui ad leucam unam in domo sæculari comedat vel pernoctet. »

A *Etiamsi a quovis rogentur.*] Etiam ab episcopo, abbate, magnate, seu quovis nobili, quibus, ut ait Bernardus Cassinensis, « frater licentiam non habens debet respondere sibi comedere non licere. »

Nisi forte ab abbate suo eis præcipiatur.] Quia, ut monent commentatores, cum summa semper discretione agere debet, atque habita ratione personæ quæ dirigitur, illius ad quam dirigitur, laboris itineris, proficiscenti fratri comedendi licentiam dare debet, si forte ab episcopo aut principe invitetur, vel si ad seram duntaxat reverti debeat. Alioquin pejor foret fratris hujusmodi in viam directi conditio, quam excommunicati, qui in monasterio citius reficeret. *Videsis* Regulam Magistri cap. 59, 60, 61, et 62.

Quod si aliter fecerint, excommunicentur.] Istud decretum anno 1198 renovavit Petrus abbas Silvæ Majoris his verbis (*Statut. mss. Petri Silvæ Majoris abb.*]: « Præcipimus et mandamus in virtute sanctæ obe- B dientiæ, et sub pœna excommunicationis, ne aliquis monachus nostri ordinis comedat, bibat, vel jaceat in villa Silvæ Majoris, vel aliis villis ubi habemus prioratus. » An vero de majori aut minori excommunicatione Regula intelligenda sit, S. Pater non satis exprimit; sed delicti habita ratione in abbatis 666 arbitrio reliquisse videtur : licet Nicolaus de Fractura S. Benedictum interpretetur de excommunicatione qua *a mensa simul et oratorio separentur.* In Regula tertia SS. Patrum legitur (*Cap.* 9) : « Si quis vero extra conscientiam abbatis vel præpositi, qualemcunque locum egressus, gulæ vel ebrietati se sociaverit, aut si in proximo transmissus, pro sua levitate et gula, non statim expedita necessitate ad cellam redierit; cum in id facinus detectus fuerit, ut canones docent, aut triginta diebus a communione separetur, aut virgis cæsus emendetur. » Longe mitius egit ipse S. P. Benedictus cum duobus fratribus qui missi ad quoddam responsum, cum tardiori hora C remorari fuissent compulsi, apud religiosam feminam sumpserunt cibum; nam delictum confitentibus *protinus culpam pepercit* (*S. Greg. lib.* II *Dial.*, *c.* 12). Ex quo patet excommunicationem qua de hoc capite, non præceptam esse, sed comminatoriam.

CAPUT LII.

De oratorio monasterii.

Oratorium [a] hoc sit quod dicitur, nec ibi quidquam aliud geratur aut [b] condatur. Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant, et agatur [c] reverentia Deo : ut frater qui forte sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. [d] Sed si alter vult sibi forte secretius orare, simpliciter intret et oret; non in clamosa voce, sed in lacrymis, et intentione cordis. Ergo qui simile opus non facit, non permittatur expleto [e] opere Dei remorari [f] in oratorio, sicut dictum est, ne alius impedimentum patiatur.

[a] Hild. addit *monasterii.*

[b] Conc., *contendatur.* Gratian., Burch., Ivo., ex quibus hunc locum restituendum censet Menardus, addunt *quam quod divinis ministeriis conveniat.*

[c] Al., *habeatur.*

[d] Hild. deest, *Sed si alter vult sibi forte secretius orare;* quidam legunt *sed et si*, etc.

[e] Conc. Comp., *explicito.*

[f] Oxon. deest *in oratorio.* Narb., *ibi.*

COMMENTARIUS.

Oratorium hoc sit quod dicitur.] De oratorio ipso ejusque nomine pluribus agunt Menardus in hunc locum et Haeftenus lib. VII, tract. 1, disq. 1, quos lector consulere potest.

Nec ibi quidquam aliud geratur aut condatur.] Hunc locum respexisse videtur citatum ab Ivone concilium Turonense 667 cap. 5, cum dixit (*Decr. part.* III, *cap.* 75) : « Si enim domus Dei domus orationis vocatur, hoc debet esse quod dicitur, nec ibi debet D aliud geri aut recondi. » Simili prorsus modo loquitur S. Augustinus in Regula, cap. 4, et Regula Tarnatensis, c. 15.

Quæ autem in oratorio fieri permittantur aut prohibeantur, fusius referre supersedeo, cum ad id sufficiat abunde Haefteni lib. VII, tract. 1, disq. 2 et 3. Unum hic observabo ex mente commentatorum Hildemari, Bernardi Cassinensis, et Boherii, S. Patrem Benedictum hoc loco respexisse ad canones ecclesiasticos

prohibentes in ecclesia fieri convivia : « Honestatem A docet B. Benedictus, inquit Hildemarus, sequens auctoritatem canonicam': præcipiunt enim canones in concilio Laodiceni, cap. 24, cujus titulus iste: *In ecclesiis prandia fieri non debeant.*] Et tamen diu post Laodicenum concilium hæc in ecclesiis edendi consuetudo perseveravit, etiam apud monachos. *Vide* Hist. monast. Orientis Gallice scriptam, t. II, cap. 2, n. 9.

Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant.] Hæc enim fuit priscorum monachorum religio, ut summum semper in oratorio silentium custodirent, maxime divinas laudes celebrantes : « Si acciderit ut psallendi tempore vel orandi, aut in medio lectionis aliquis loquatur, aut rideat, inquit Regula sancti Pachomii (*Art.* 4), solvet cingulum, et, inclinata cervice, manibus ad inferiora depressis, stabit ante altare, et a principe monasterii increpabitur. » Et infra (*Art.* 68) : « Qui una oratione tardius venerit, vel qui mussitaverit, aut locutus fuerit ad alte- B rum, vel qui riserit, in reliquis orationibus constituto ordine aget pœnitentiam. » Regula sanctorum Pauli et Stephani (*Cap.* 9): « Nulli liceat tempore quo opus Dei canitur qualibet occasione sermonem contra alium fratrem proferre, nisi seniori tantum. » Regula S. Cæsarii ad monachos (*Cap.* 8) : « Dum psallitur, nullus loqui præsumat. » Regula S. Aureliani ad monachos (*Cap.* 29) : « Dum psallitur,... nec operari, nec loqui præsumant. » Regula Tarnatensis (*Cap.* 6) : « Qui aliis orantibus vel psallentibus fabulari præsumpserit, non solum fraternitati, sed etiam Divinitati reum se esse non dubitet. » Regula S. Isidori (*Cap.* 7) : « Quando celebrantur psalmorum spiritalia sacramenta, refugiat monachus risus vel fabulas. » Hinc S. Joannes Climacus (*Grad.* 4) de monachis Alexandrinis disserens : « Cumque frequenter, ait, precibus eorum interessemus, animadvertit sanctus illorum præses quosdam inter se sermocinari ; quos ille per totam hebdomadam ante fores templi statui jussit, et ab omnibus tum ingredientibus C tum egredientibus veniam petere. » Et quod nostros spectat, in antiquis S. Benedicti Anianensis Consuetudinibus (*Tom.* IV *Analect.*) præscriptum lego « in oratorio summum silentium, summam psallendi reverentiam,.... in sacrario magnum silentium et nitidissimam administrationem : » Et infra : « Vidimus etiam et aliud observabile, si quis ad perfectionem taciturnitatis venire desideret ; quod nullus fratrum in quolibet loco loqui aliquid præsumebat, præter duo ad hoc deputatos. In ecclesia nullus præter divinum officium, et verba **668** orationis loquebatur. Si alicui cuilibet loqui necessitas erat, tacto vestimento abbatis, vel cujuslibet fratris, annuit ad illa loca ; expositisque paucissimis verbis vel rationabilibus, statim abscesserunt timentes ne propter necessaria verba in nociva et inutilia inciderent. »

Et agatur reverentia Deo.] Vel salutando altare, juxta Hildemarum et Boherium, vel per summum silentium, secundum Bernardum Cassinensem.

Sed si alter vult sibi secretius forte orare, simpliciter intret et oret.] Ubi « quod ait *simpliciter*, inquit Bernardus Cassinensis, est ac si diceret : plane, non sonore, non cum magno strepitu pedum, non alte tussiendo, vel excreando; sed modeste, plane, silenter. » Verum cum præter quietis refectionisque tempora, labore manuum, lectione, divinisque officiis semper occupatos monachos teneat S. P. Benedictus, qua ratione volentes orare oratorium ingredi poterunt? Respondet Hildemarus eos quibus compunctionis contemplationisque a Domino gratia concessa est, lacrymis haud esse fraudandos ; relictoque labore, aut libro, oratorium intrare licite posse, quamvis paucorum sit ista virtus. Adderem ego : cum abbatis benedictione.

Non in clamosa voce.] Quia, ut dicit apud Cassianum abbas Isaac (*Collat.* 9. *cap.* 35), « cum summo orandum est silentio, non solum ne fratres astantes nostris susurris vel clamoribus avocemus, et orantium sensibus obstrepamus; sed ut ipsos quoque inimicos nostros, qui orantibus nobis maxime insidiantur, lateat nostræ petitionis intentio. »

Sed in lacrymis et intentione cordis.] Vide quæ supra diximus ad cap. 20.

Ergo qui simile opus non facit, non permittatur expleto opere Dei remorari in oratorio.] Id summa cum religione observabant majores nostri, finito quolibet cursu operis Dei sæculares ejicientes, ut pluribus exemplis et factis demonstrari posset. Sed unus in hanc rem sufficiet Udalricus de officio sacristæ loquens in hunc modum (*Lib.* III, *cap.* 12) : « Claudit quoque vel aperit ecclesiæ fores variis modis per diversa tempora. Nam cum ad nocturnos tam in hieme quam in æstate semper aperiat, in hieme tamen post officium, quod in nocte cantatur, semper eas claudit, atque ita permanent usque dum scilla sonetur ad tertiam; finitaque missa matutinali claudit, clausæque permanent usque dum scilla pulsatur ad sextam. Tunc aperiuntur, et missa finita, usque ad vesperos clauduntur. Post vesperos vero regulares clauduntur, ita usque ad nocturnos permansuræ. In æstate autem cum statim post matutinas regulares claudantur, ad primam aperiuntur, et usque dum missa matutinalis finiatur patent; quæ tunc clausa ad missam aperiuntur, post quam usque ad vesperos obserantur; quibus finitis, usque ad nocturnos omnino clauduntur. In Quadragesima privatis diebus post missam matutinalem clauduntur, et post sextam mox ut scilla sonaverit reserantur, nec clauduntur **669** usque dum vesperi finiantur. In XII vero lectionibus tam in hieme quam in æstate ad scillam quæ post capitulum sonatur, aperiuntur. » Atque hanc consuetudinem respicit quod in lib. Mir. S. Gualteri abbatis Pontisarensis legitur : « Die altera, quæ Dominica habebatur, sacrista universos post missas exire cogente, » etc.

CAPUT LIII.

De hospitibus suscipiendis.

Omnes supervenientes hospites, tanquam Christus D suscipiantur : quia ipse dicturus est : *Hospes fui, et suscepistis me* (*Matth.* XXIII). Et omnibus congruus honor exhibeatur, maxime domesticis fidei et peregrinis. Ut ergo nuntiatus fuerit hospes, occurratur ei a priore vel a fratribus, cum omni officio charitatis ; et primitus orent pariter ; et sic sibi socientur in pace. Quod pacis osculum non prius offeratur, nisi oratione præmissa, propter illusiones diabolicas. In ipsa [a] autem salutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus sive discedentibus hospitibus, inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terra [b], Christus in eis adoretur, qui et suscipitur.

Suscepti autem hospites ducantur ad orationem ;

[a] Flor., *ipsa*, omisso *in*.

[b] Oxon., Conc., deest *in terra*. Al., *in terram*.

et postea sedeat cum eis prior, aut cui [a] jusserit ipse. Legatur coram hospite lex divina, ut ædificetur: et post hæc omnis exhibeatur humanitas. Jejunium a priore frangatur propter hospitem, nisi forte præcipuus sit dies jejunii qui non possit violari. Fratres autem consuetudines [b] jejuniorum prosequantur.

Aquam in manibus abbas hospitibus det; pedes hospitibus omnibus [c] tam abbas quam cuncta congregatio lavet. Quibus lotis, hunc versum dicant: *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, in medio templi tui* (*Psal.* XLVII). Pauperum et peregrinorum maxime susceptioni cura [d] sollicite exhibeatur: quia in ipsis magis Christus suscipitur. Nam divitum terror ipse sibi exigit honorem.

Coquina abbatis et hospitum super se sit, ut incertis horis 670 supervenientes hospites, qui nunquam desunt monasterio, non inquietent [e] fratres. In quam coquinam [f] ad annum ingrediantur duo fratres, qui ipsum officium bene impleant; quibus, ut indigent, solatia administrentur, ut absque murmuratione serviant [g]; et iterum quando occupationem minorem habent, exeant, ubi eis imperatur [h], in opera [i]. Et non solum in ipsis, sed et in omnibus [j] officiis monasterii ista sit consideratio, ut quando indigent, solatia accommodentur eis; et iterum quando vacant, obediant imperatis.

Item et cellam hospitum habeat assignatam frater, cujus animam timor Dei possidet: ubi sint lecti strati [k] sufficienter, et domus Dei a sapientibus sapienter [l] administretur [m]. Hospitibus autem, cui non præcipitur, nullatenus societur neque colloquatur; B sed si obviaverit aut viderit, salutatis humiliter, ut dictum est [n], et petita benedictione, pertranseat, dicens non licere sibi colloqui cum hospite.

[a] Oxon., *quem.*
[b] Al., *Consuetudinem.*
[c] Conc. deest *omnibus.*
[d] Cassin., Hild., Dion., Andr., Hadr., Boher., *susceptionum cura.* Narb., Haeft., *susceptionis cura.*
[e] Narb., Cassi., Flor., *non inquietentur.*
[f] Oxon., Flor., *in qua coquina.*
[g] Oxon., *sint.*
[h] Narb., *quod imperatur.* Al., *ubi eis imperatum fuerit.* Al., *uti eis imperatur.*
[i] Al., *in opere.*
[j] Al., *ipsis, sed et omnibus*, bis omisso *in.*
[k] Al., *lecti sternia.*
[l] Flor., Cassin., *et sapienter.*
[m] Sabin., *ædificetur.*
[n] Al., *ut diximus.*

COMMENTARIUS.

Ab oratorio transimus ad hospitium; tanta est enim C utriusque loci affinitas, ut ab invicem separari non debeant: utrobique Christus adoratur, utrobique suscipitur; in oratorio quidem ad altare, in hospitio autem in hospite et peregrino. Neque vero necesse arbitror pluribus hic hospitalitatis virtutem commendare, quam tot ac tantis SS. Patres celebrarunt encomiis. Hanc abunde laudat Petrus Blesensis in epist. 29, quem si lubet consule: nobis interim sufficiat exemplum patriarcharum, præceptum apostolorum, Christi Domini promissum, quo cœleste se suscipientibus in hospite regnum spopondit, ut merito Gregorius IX in constitutione pro Benedictinis monachis decreverit, « ut in quolibet monasterio vel prioratu, abbas vel prior, aut ipsis cessantibus visitatores qui pro tempore fuerint, secundum possibilitatem locorum, hospitalitatem ordinent ad eleemosynas faciendas, certo hospitio ad recipiendos pauperes, et alios hospites, et ministro idoneo qui eis deserviat deputato. Et si alicui personæ religiosæ hospitium denegatum fuerit, qui hospitio deputatus fuerit, tribus diebus jejunet in pane et aqua. »

671 *Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur.* [*Omnes supervenientes hospites;* « quia, inquit Bernardus Cassinensis, ignoratur in quo magis Christus suscipiatur; nonnunquam enim suscipitur pauper et egenus, qui prima facie creditur abundans et locupletatus; nonnunquam etiam susceptus cum humilitate ædificatur suscipientium charitate, et induens animi lenitatem, et mentis privatur feritate, et per consequens Christi efficitur habitaculum; et sic in eo contingit suscipi Christum. Nullus ergo prætermittendus, nullus repellendus, nullus excludendus, omnis superveniens suscipiendus. » Idem habet Petrus Boherius. Et tamen Hildemarus hunc locum exponens, « quod dixit *omnes*, inquit, videtur arduum et pene difficile, eo quod multi sunt hospites qui ad monasterium veniunt. Sed isto modo potest intelligi: sive ideo dixit omnes hospites, quia tunc pauci veniebant, sicut Cassianus dicit in collatione, et in Vita Patrum legitur, quanquam dicat S. Benedictus nunquam deesse monasterio hospites. Potest etiam unus vel duo intelligi venisse, nam tanti tunc forte non erant sicut nunc; et secundum hunc sensum intelligebat Teudulfus. Per Deum, si nunc adesset S. Benedictus, claudere illis ostium fecisset. Sive altero modo intelligitur *omnes*, subaudis quos potest monasterium suscipere, tanquam Christus suscipiantur, quia Regula nihil impossibile dicit. Sive solvitur hæc ratio in intentione, de qua intentione omnes debent ita recipi ut hospites sicut Christus, quanquam non possit omnibus serviri sicut Christo, sed paucis. »

Quamvis autem omnes quos potest monasterium hospites sine discrimine debeat suscipere, nonnullis tamen denegandam esse hospitalitatem, et recta ratio docet, et antiqua monet institutio. Hos inter accensere debemus primum hæreticos, quibus majores nostri sua claustra claudebant: « Nobis in monasterio hospitalitas cordi est, inquit S. Hieronymus (*Apolog. advers. Rufin.*), omnesque ad nos venientes læta huD manitatis fronte suscipimus: veremur enim ne Maria cum Joseph locum non inveniat in diversorio, ne nobis Jesus dicat exclusus: *Hospes eram, et non suscepistis me.* Solos hæreticos non suscepimus. » Et S. Basilius (*Regul. brev.*, *interr.* 124): « De cibo capiendo cum hæreticis habemus præceptum Apostoli in quibus hoc fugere conveniat, etc. »

Secundo. Eadem lege excludendi sunt ab hospitio homines malitiosi, ad omnia crimina parati; id quod enixe postularunt in supplici ad Carolum Magnum libello monachi Fuldenses his verbis (*Cap.* 17): « Malitiosæ et furiosæ mentis homines, et ad cuncta flagitia perpetranda promptissimi, non colligantur intra monasterium, sicut factum est de illo homicida clerico qui monachum interfecit, qui contra omnium fratrum voluntatem et consensum locatus est in monasterio. » Attamen, ut cum S. Augustino loquar (*Epist.* 38): « In recipiendis hospitibus ignotis solemus dicere multo esse melius malum hominem perpeti, quam forsitan

per ignorantiam excludi bonum, dum cavetur ne A recipiatur malus. »

Tertio. Sub hac etiam lege contineri debent et feminæ, quibus **672** non modo monasterii semper, sed ipsius etiam oratorii aditus est aliquando denegatus, ut supra demonstravimus ad caput 4 : « Ne appropiare sinas ad te mulierem, inquit S. Antonius in Regula (*Num.* 7), nec permittas ingredi domicilium tuum; ira enim graditur post illam. » Et S. Ephrem (*Tom.* II *in Doct. varia.*) : « Non decet monachum ullam habere cum femina societatem : ad eam vero quæ virginitatem profitetur, prorsus ne accesseris, siquidem ullus in te carnalis sensus viget; nam monachum inter epulas cum feminis versari, idem est ac se in ignem projicere : qui autem earum fugit consuetudinem, fugiat tanquam dama ex retibus, et velut avis ex laqueo. » Huc spectat quod Godehardus abbas Tegernsensis ad quamdam abbatissam scribit (*Tom.* IV *Analect.*) : « Ista soror nostra venit ad nos ante Natale Domini multiplicis necessitatis suæ miseriam nobis conquesta; quam libentissime nobiscum B commorari permitteremus, et in quantum sufficeremus ministrare illi necessaria juberemus, si qualitas sexus aliquot permitteret monasterio fratrum feminas cohabitare: quia, ut a sanctis viris comprobatur, stipulæ, paleæ, ignisque nunquam sibi pacificantur, nisi alter alterius damno citius consummentur. » Cisterciensium hac in re religionem experta est quædam mulier devotionis causa ad sepulcrum S. Roberti profecta (*Bolland.*, 29 *Aprilis*); nam « inclinata jam die venit ad monasterium Quincei, hospitium mendicans a monachis; sed quia illorum traditio inter fines suos sexum muliebrem non admittit, compulsa est misera mulier inde recedens in nemore pernoctare, » ut scribit auctor Vitæ S. Roberti abbatis Molismensis num. 17. Idem postea confirmavit Gregorius IX in bulla ad Cistercienses, in qua hæc lego : « Auctoritate præsentium inhibemus ne quis in domibus vestris uti carnibus, seu mulier aliqua eas intrare præsumat contra ordinis statuta. » C

Non defuere tamen qui humanitatem hospitalitatis extra monasterii claustrum feminino sexui exhiberent; imprimis Pachomiani, in quorum Regula hæc habentur (*Art.* 29) : « Si sæculares homines, aut debiles, aut vasa infirmiora, id est mulierculæ, venerint ad ostium; suscipiens singulos in diversis locis juxta ordinem præpositi et sexus sui; præcipue feminas majori honore et diligentia curabunt, cum omni timore Dei, et locum separatum ab omni virorum vicinia eis tribuent, ut nulla sit occasio blasphemandi. Quod si ad vesperas venerint, abjicere eas nefas est; sed accipient, ut diximus, separatum locum, et clausum cum omni disciplina atque cautela, ut grex fratrum libere suo officio serviat, et nulli detur offendiculum detrahendi. » Idem præstabant et Cluniacenses, ut testatur Petrus Venerabilis ad S. Bernardum scribens (*Lib.* I, *epist.* 28), et Farfenses ex mss. Consuetudinibus ejusdem monasterii. Ipsi etiam Cistercienses, etsi feminas ad hospitandum haud reciperent, foris nihilominus eis victum præbebant ex D lib. Usuum Cisterciensium cap. 120.

Quarto. « Quod S. Benedictus ait *supervenientes*, videtur excludere contiguos vel proximos habitatores, qui potius domestici seu concives, quam hospites appellari possunt, » ut cum Bernardo Cassinensi loquitur **673** Boherius. Addit tamen : « Sed et contra illos indifferenter admittendos, vel totaliter excludendos discretio debet haberi. Pauperem tamen sive remotum, sive propinquum admittendum hortor. »

Fuerunt etiam qui hospitalitatem tanquam monasticæ quieti et solitudini contrariam a monachorum cœnobiis omnino arcendam esse existimarent. Hac ratione S. Augustinus in Hipponensi monachorum asceterio, in quo presbyter vixit, hospites recipi nolebat. In statutis quoque Guigonis Carthusiæ prioris lego (*Cap.* 19) : « Ipsorum hospitum personas tantum, non etiam equitaturas procuramus. »

Tanquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est : Hospes fui, et suscepistis me.] Ex hoc maxime capite hospitalitatem commendant SS. Patres, atque in primis S. Augustinus (*Serm.* 136) : « Discite, inquit, hospites suscipere, ubi agnoscitur Christus : an nescitis quia si quem Christianum susceperitis, ipsum suscipitis? Nonne ipse dixit : *hospes fui, et suscepistis me?* et quando ei dicitur, *Domine, quando te vidimus hospitem?* respondet : *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Cum ergo Christianus Christianum suscipit, serviunt membra membris, et gaudet caput, et sibi imputat datum quod membro ejus fuerit erogatum. Hic ergo pascatur Christus esuriens, accipiat potum sitiens, vestiatur nudus, suscipiatur peregrinus, visitetur ægrotus. » Et revera qui in hospite se suscipi asserit, in se ipso aliquando excipi voluit, ut de quodam ignoto testatur S. Gregorius his verbis (*Homil.* 23 *in Evang.*) : « Quidam paterfamilias cum tota domo sua magno hospitalitatis studio serviebat, cumque quotidie ad mensam suam peregrinos susciperet, quodam die peregrinus quidam inter alios advenit, ad mensam ductus; dumque paterfamilias ex humilitatis consuetudine aquam vellet in ejus manibus fundere, conversus urceum accepit; sed repente eum in cujus manibus aquam fundere voluerat non invenit. Cumque hoc factum secum ipse miraretur, eadem ei nocte Dominus per visionem dixit : Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in meipso suscepisti. » At quod S. pontifex de alio quodam quasi ignoto, hoc ipsum de illo narrat Joannes Diaconus l. II Vitæ S. Greg., c. 22 (*Sæc.* II *Ben.*), et sequenti capite refert quoque alia vice susceptum ab eo fuisse angelum. Simile aliquid de S. Agilo abbate Resbacensi in ejus Vita, c. 20, et de S. Cuthberto, apud Bedam, in ejus item Vita, cap. 7, legitur.

Et omnibus congruus honor exhibeatur.] Quem in locum Bernardus Cassinensis et Boherius : « Aliter enim, inquiunt, debet honorari episcopus et abbas, et aliter clericus vel monachus; aliter prælatus, aliter subditus; aliter magnæ religionis fama adveniens frater, aliter sarabaita vel gyrovagus; aliter nobiles et potentes, aliter ignobiles et pauperes; et ideo dicit *congruus*, ut secundum qualitatem susceptæ personæ sit et condescendentis in honoris exhibitione, in ciborum præparatione, in occursione, in associatione: una enim debet esse ad omnes charitas secundum interiorem hominem; **674** sed debet esse diversitas in exterioris honoris exhibitione. Pauperi enim sufficit panis grossus, olus et faba; diviti vero vix sufficit porcus, vel caro bovina, aut altilia delicata : pauper ubique jacet; diviti vero lectus pretiosus vix placet. » Et Smaragdus : « Quamvis una charitas omnes amplectatur interius, aliter pauperibus, aliter vero exterius congruit ministrare potentibus : neque enim æqualis omnibus paranda est sessio, neque omnibus æqualis ciborum convenit præparatio; sed unicuique necesse est cum charitatis discretione congruus locus, congruus cibus, congruus lectus, congruus omnibus exhibeatur et honor. » Quibus ex verbis patet solutio ad eam difficultatem, quam ex cura et sollicitudine, quam pauperibus et peregrinis impensius exhiberi præcipit S. legislator, hic movet et solvit Hildemarus : nam « hæc sententia, inquit, in qua dicit omnibus congruus honor exhibeatur, attinet ad exteriorem hominem : illa autem sententia qua dicit pauperum et peregrinorum, attinet ad interiorem hominem. Id est, ac si diceret in præparatione servitii unusquisque hospes juxta suam mensuram recipiendus est : tamen in mente debet præferri pauper diviti. »

Maxime domesticis fidei et peregrinis.] Quem locum ita explicat Smaragdus : « Domesticus dicitur amicus, familiaris, vel sodalis, quos duobus modis intelligere debemus : sive omnes generaliter Christianos, unam nobiscum fidem, unum habentes baptisma; sive specialiter monachos, qui nobiscum Deo peculiariter fidei cultum et religionis servant famulatum. Peregrinus dicitur in longæ patriæ agro positus. » Eodem fere

modo loquitur Bernardus Cassinensis. Similiter etiam Regula S. Pachomii (*Art.* 28) : « Quando ad ostium monasterii aliqui venerint, si clerici fuerint vel monachi, majori honore suscipiantur. » Idem habet Regula Orientalis cap. 40. Et Regula S. Isidori (*Cap.* 21) : « Licet omnibus hospitalitatis bonum cum gratia oporteat referri, uberior tamen clericis et monachis deferenda est honorificentia hospitalitatis. » Denique Regula S. Stephani ordinis Grandimontensis institutoris (*Cap.* 56) : « Religiosis plus honoris et reverentiæ quam cæteris exhibere studeatis. »

Ut ergo nuntiatus fuerit hospes, occurratur ei a priore, vel a fratribus cum omni officio charitatis.] Incipit hic S. Benedictus hospitis suscipiendi ritum describere. Et primo quidem ante omnia vult ut advenienti occurratur, juxta priscorum monachorum morem, quem videre est apud Rufinum, lib. II de Vitis Patrum, cap. 1 et 7, et insuper cap. 21, ubi de Nitriensibus loquens, hæc habet : « Huic cum appropinquaremus loco, ubi peregrinos fratres advenire senserunt, continuo velut examen apum, singuli quique ex suis cellulis proruunt, atque in obviam nobis læto cursu et festina alacritate contendunt, portantes secum quamplurimi ipsorum urceos aquæ et panes, secundum quod propheta corripiens quosdam dicit, quia non existis filiis Israel in obviam cum pane et aqua. » *Vide* Palladium, in Laus. cap. 52, et Vitam sancti Martini abbatis Vertavensis, sæc. I Bened., pag. 378.

675 Sed quam sibi singuli Nitrienses monachi sumebant hospitibus occurrendi curam, quamque Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii, ei cui sollicitudo hospitalis data erat committit, hanc S. Benedictus sub distinctione priori vel fratribus injungit, ut a priore occurratur majoribus, minoribus a fratribus, uti exponunt Smaragdus et Bernardus Cassinensis : « Quia enim duæ ad monasterium solent venire personæ, inquit Smaragdus, duas et illis personas rationabiliter jubet occurrere. Prioribus enim necesse est occurrat prior, fratribus occurrat frater. Si enim venerit rex, episcopus, aut aliquis de summo apice potens, exeat illi obviam abbas; si autem venerit alter, obviam illi exeat alter. » Quod autem S. Benedictus dicit *vel a fratribus*, non est intelligendum ab omnibus, sed ab iis quos ad id officii deputaverit abbas, ut patet ex lib. Usuum Cisterciensium, cap. 87.

Et primitus orent pariter, et sic sibi socientur in pace.] Secundo præscribit S. Benedictus ut primitus orent pariter, id quod Richardus de S. Angelo intelligit « unus alterum salutando, vel unusquisque dicendo *Benedicite*, prout vidi, » inquit. Rectius S. Hildegardis *primitus orent* pariter exponit, ut « omnes quicunque sint ad ecclesiam ad adorandum ducantur, ita quod fratres Deum orent, ne cum eisdem hospitibus ordinem suum infringant, isti autem ut conversationem illorum videntes meliores fiant. » Quonam vero ritu id fieret, ita explicat liber Usuum Cisterciensium (*Cap.* 87) : « Occurrentes vero hospitibus deponant caputia de capitibus, si tunc superposita fuerint, et sic, prostrati super genua, ducant ad orationem. Ingressi vero ecclesiam, aspergat illos aqua benedicta ille cui officium illud injunctum est. Postea faciant orationem incurvi vel prostrati, sicut tempus exigit. Sed si episcopus vel abbas fuerit, qui eum suscipit offerat ei sparsorium, osculando manum, et ducto eo ad locum ubi orare debet, subtrahat se paululum cum socio post ipsum orantem, faciens orationem, sicut supra dictum est : qua completa, signent se et exeant. » Idem fere habent Bursfeldenses in Cæremoniali, dist. 3, cap. 26. Cluniacenses ad plura altaria hospites ad orandum ducebant, testante Udalrico, lib. III, cap. 22. Sithivenses S. Bertini ad altare S. Dionysii ex Joanne monacho Bertiniano in Mir. B. Bernardi Pœnitentis, n. 31. Cassinenses vero præscribunt (*Decl. Cass.*, *cap.* 53, *n.* 2) ut « sit sacellum, quantum possibilitas permittit, juxta portam monasterii, quo ad orationem hujusmodi hospites introducantur. » Quod sane haud ita novum recensque videri debet; nam Hildemarus, in cap. 66, scribit : « In nostra provincia solarium habetur super portam et oratorium ibidem. » Vallisoletani volunt (*Constit. Vallis.*, *cap.* 74) ut prælatus recipiat hospites loco deputato, aut mittat qui eos recipiant; deinde ducantur ad ecclesiam, aut locum aliquem in hospitio, in quo decenter ante aliquam imaginem preces fundi possint. Denique in mss. Constitutionibus Casalis Benedicti hæc lego (*Cap.* 32) : « Sufficiet orare mente, et dicere quod ad orationem vel laudem Dei pertineat, puta *Deo gratias*, vel *Benedictus qui venit in nomine Domini; Deus laudetur*, aut tale. Alioquin 676 post pacis osculum ducatur ad oratorium, et ibi oretur. »

Manavit autem iste ritus ab antiquis monachis, ut docet Rufinus his verbis (*Lib.* II *de Vitis Patr.*, *cap.* 1) : « Hic est enim mos apud Ægyptum, ut ubi advenerint, statim per orationem sibi invicem confœderentur. » Et loquens de S. Apollonio (*Ibid.*, *cap.* 7) : « Ubi ingressi sumus monasterium, oratione prius, ut moris est, data, pedes nostros propriis manibus lavat. » Et de Nitriensibus : « Tunc deinde nos susceptos adducunt primo cum psalmis ad ecclesiam. » Idem patet ex Vita sancti Pachomii, num. 44, apud Rosweidum.

Quod pacis osculum non prius offeratur, nisi oratione præmissa, propter illusiones diabolicas.] Tertio. ductis ad orationem hospitibus pacis osculum offerri præcipit S. legislator, in signum reconciliationis, in signum amoris et dilectionis, in signum pacis, in signum unitatis catholicæ : quadruplex enim hujusmodi osculum distinguit auctor libri de Amicitia apud S. Augustinum, quamvis ultimum maxime hospitibus offerri dicat cap. 6.

Illud autem nonnisi oratione præmissa propter illusiones diabolicas exhiberi voluit; id quod ab antiquis item monachis didicerat, testante Rufino (*Lib.* II *de Vitis Patr.*, *cap.* 1), quia « hic est mos apud Ægyptum, ut ubi advenerint fratres, statim per orationem sibi invicem confœderentur... Propterea enim forma hujusmodi inter monachos observatur, ut si quis ad eos veniat, sive vir ille, sive mulier sit, sive senex, sive juvenis, sive ignotus, sive notus, ante omnia ut oratio fiat, ut nomen Domini invocetur, quia si fuerit aliqua transformatio dæmonis, continuo oratione facta diffugiet. » Nonnulli tamen ex priscis etiam monachis ante orationem advenienti hospiti osculum præbebant, ut manifestum est ex eodem Rufino (*Ibid.*, *cap.* 9), ubi de Coprete : « Is, inquit, cum nos vidisset, et osculo salutasset, atque ex more etiam post orationem pedes lavisset, requirebat quæ gererentur in sæculo. » Et de monachis sub sancti Apollonii disciplina degentibus (*Cap.* 7) : « Occurrerunt autem nobis cum psalmis, hoc enim moris est eis facere in adventu omnium monachorum, et adorantes in facies suas usque ad terram osculabantur nos..... Alii ergo ex fratribus præcedebant nos, alii sequebantur; utraque tamen turba psallebat. Ubi autem appropinquare jam cœpimus audita voce psalmi, ipse etiam Apollonius procedit in occursum, et ut vidit, nos statim prior adoravit usque ad terram, et surgens osculo nos suscepit; ubi autem ingressi sumus monasterium, oratione prius, ut moris est, data, pedes propriis manibus lavat. » Sed et nunc Cassinenses (*Declar. Cassin.*, *cap.* 53) sola oratione mentali præmissa, osculum ante offerunt quam ducant hospites ad orationem. De osculo ipso videsis Haeftenum, lib. XI, tract. 2, disq. 1. De modo illud efferendi, ita scribit citatus a Bernardo Cassinensi Petrus Diaconus : « Antiqui quando recipiebant homines venientes, stabant in ostio domus suæ, et ponebant pedes hospitis super pedes suos, et dabant eis pacem; et sic eos recipiebant in domum suam. « Cistercienses 677 vero statuunt (*Lib. Usuum Cist.*, *c.* 87) ut post orationem egressi ab ecclesia « dicat *Benedicite*

qui sententiam debet legere; deinde flectant semel coram omnibus genua, et erecti osculentur eos, et postmodum resideant. »

In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas.] *Omnis*, id est tam mentis quam corporis, ut loquuntur commentatores. Salutatio autem, juxta Boherium, « fit communiter verbo, manu et osculo: quandoque fit solo verbo: unde Hispanorum salutatio est *Humiliamus nos*, ad quod facit verbum sequens Francorum, *Deus vos salvet*; Lombardorum, *Benevehau*; Sarracenorum, *Ey ylla Melaac*. Multi tamen salutant hodie inclinando caput, pileumque, sive caputium a capite in totum vel in partem amovendo. »

Omnibus venientibus sive discedentibus hospitibus inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui et suscipitur.] Quem in locum Hildemarus: « Reges, inquit, et episcopos, et abbates prostrati in terra debemus salutare propter exemplum Nathan prophetæ, qui prostratus David regem salutavit. Reginam vero cum videt monachus, non debet monachus prostratus salutare; sed unum genu in terra ponere, aut humiliari debet capite suo. Abbatem vero nostrum, si rarius videmus, in terra salutare debemus. Cæteros autem, id est comites, presbyteros, monachos, et reliquos inclinato capite salutare debemus. » Ubi triplicem distinguit salutationem: unam, qua toto corpore prostrato reges, episcopos, et abbatem proprium; secundam, qua unico flexo genu reginam; tertiam, qua capite inclinato reliquos salutamus. Rectius tamen, meo judicio, Smaragdus: S. Benedictus, inquit, « hic sicut superius duas advenientium inducit personas: unam mediocrem, cui tantum caput inclinatur a fratre; aliam vero summam, quæ in terram toto prostrato adoratur et corpore; sed tamen in utrisque Dominus Jesus Christus adoratur qui et suscipitur. » Simili modo Bernardus Cassinensis: « Nam reges et episcopi genuum flectione; alii mediocres, comites, abbates, et cæteri capitis inclinatione sunt honorandi; et ideo dicit *vel*. » Et Nicolaus de Fractura: « *Inclinato capite*, ut si fuerint mediocres, vel etiam comites, barones, abbates, et cæteri, capitis inclinatione honorentur. *Vel prostrato omni corpore in terra*. Et hoc si fuerint reges, vel principes, vel marchiones, et eorum majores, sive spirituales, sive temporales, qui sunt prostrato corpore adorandi. Sic legitur fecisse Nathan propheta, qui regem, ut vidit, adoravit. » Nimirum monachi ad regem non accedebant nisi prostrato in terram corpore: unde Wlfinus Boetius, in Vita S. Juniani, num. 9 (*Sæc.* I *Ben.*), « Ut appropinquavit solio regis, *ut est consuetudo monachorum*, pronus regem adoravit. » Hoc tamen Petri Boherii tempore jam obsoleverat: « Quod nec, inquit, vidi observari, nec qualiter intelligi debeat planam expositionem legi; unde credo quod iste paragraphus debeat intelligi de inclinatione capitis vel corporis, quæ fit in oratorio, **678** dum hospes orat: nec illud præstat differentiam personarum, sed temporum, ut frater qui hospitem comitatur, dum orat pariter cum eo, prout tenetur supra, flectat genua et corpus tempore quo hoc fratres faciunt in conventu; vel sit inclinato capite, si fratres in horis non se prosternunt in terra: et taliter Christus in eis, id est cum eis adoratur, qui et suscipitur. »

Suscepti autem hospites ducantur ad orationem.] « Id est ad ecclesiam coram altari, » inquit Richardus de S. Angelo. Superius dixerat *orent pariter*; nunc iterum dicit *ducantur ad orationem*. An vero de duplici oratione, aut de unica tantum intelligendus sit, non satis explicant commentatores. Nicolaus de Fractura de unica intelligit; Menardus primum locum de oratione, quæ in ipsis monasterii foribus fit propter illusiones diabolicas, interpretatur; alterum de oratione, quæ fit in oratorio, cum susceptus hospes illuc ducitur, gratias acturus Deo de prospero adventu, et erratorum in via veniam deprecaturus.

A Fortassis etiam hic S. Benedictus respexit ad illud Regulæ S. Pachomii (*Art.* 28): « Quod si voluerint (hospites) orationis tempore atque collectæ venire ad conventum fratrum, et ejusdem fidei fuerint; janitor, vel minister xenodochii nuntiabit Patri monasterii, et sic deducentur ad orandum. » Et revera solebant olim hospites monachi una cum fratribus tam die quam nocte divinis interesse laudibus; unde et S. Hidulfus « ordinans interius claustri cuncta religiose, decrevit domum hospitum, ne fratres a supervenientibus molestarentur, ad portam monasterii ædificare; et juxta illam, capellam in qua hospites ad divina audienda convenirent, » ut scribit Richerus in ejus Vita, cap. 19 (*Append. ad sæc.* III *Ben.*). Hinc S. Benedictus Anianensis, teste Ardone in ejus Vita, num. 52 (*Sæc.* IV *Ben.*), Volebat ut nocte « ecclesiæ ostiis patefactis hospitibus pateret ingressus: » hinc et in antiqua monasterii S. Galli delineatione contra basilicam describitur *susceptio supervenientium*
B *fratrum*, cum eorum dormitorio. Ita denique Ingelramnus abbas Centulensis (*Sæc.* II *Ben.*), in Corbeiensi monasterio hospes, interfuisse matutinis legitur in lib. I Mir. S. Adalardi, cap. 2, et Urbanus papa II ad Cavense cœnobium accedens (*Ms. Chron. Cavens. monast.*, *apud Bolland.*, 4 *Martii*): « Ædes ingressus pontifex sacratissimæ eucharistiæ primum reddito cultu, ad specum se contulit.... et nocte ipsa cum eisdem fratribus matutinam laudem solemniter persolventibus devotus interfuit. » Hæc obiter dicta sint, non quasi absolute velim hunc esse S. Benedicti sensum, sed ad demonstrandam antiquam consuetudinem, qua ipsi etiam hospites nocte divinis intererant officiis.

Et postea sedeat cum eis prior, aut cui jusserit ipse.] Quia prior, id est abbas, potest esse « alias occupatus, vel potest esse talis, cui necessarius est interpres, vel est minor persona, cui debet sufficere alius comes quam prior, nec abbas sive prior hoc posset adimplere in cœnobiis in quibus hospites frequen-
C tant, » ut loquitur Boherius. Is autem cui jusserit abbas, debet esse doctus et litteratus, ex concilio Aquisgranensi, decernente (*Can.* 63) « ut docti **679** fratres eligantur, qui cum supervenientibus loquantur.

Legatur coram hospite lex divina ut ædificetur.] Circa hanc lectionem plurima hic occurrunt observanda.

Primo, nomine legis divinæ non solum Decalogus, aut quinque Moysis libri intelliguntur, sed utrumque Vetus et Novum Testamentum, imo « omne verbum ex lege divina sumptum quod ædificat, » inquit Bernardus Cassinensis. Quid vero absolute legendum sit, vix aliqui definiunt. Olim in Cassinensi asceterio « coram hospitibus legebantur exhortationes quædam excerptæ ex libris divi Gregorii papæ, » ut testatur Paulus Augustinus a Janua. Has exhortationes sive sermones in Cassinensi bibliotheca vidit noster Mabillonius. Rodulfus abbas monasterii S. Theodorici prope
D Rhemos, coram Roberto Flandrensium comite, et Danorum regina Vitam S. Theoderici (*Sæc.* I *Ben.*) jussit legi, ut scribit Adalgisus in lib. Mirac. ejus, cap. 15. Denique Patres congregationis Anglicanæ statuunt (*In cap.* 53), ut « ducatur ad cellam hospitum, ubi a fratre cui mandatur cura hospitum legatur lectio ex I Joan., cap. IV, *Charissimi, diligamus*, etc., usque ad finem; et dicatur, *Tu autem, Domine*, et statim prosternat se coram hospite, deosculans terram, quo Christus in eo adoretur juxta regulam. ».

Secundo, statim post factam in ecclesia orationem, et exhibitum pacis osculum, antequam hospes duceretur in hospitium, fiebat hujusmodi lectio, ut videre est in libro Usuum Cisterciensium (*Cap.* 87): « Osculentur eos, et postmodum resideant, et lecta sententia, si expositione indiget hospes, exponatur ei; deinde ducatur ad hospitium, vel præsentetur hospitali; fratres autem redeant in claustrum; » et apud Richardum de S. Angelo ad hæc verba: *Post hæc*

omnis ei exhibeatur humanitas : « Post hæc, id est ducto ad orationem et lecta coram eo lege divina. » Sed Bursfeldenses ducto ad hospitium hospite, coram eo aliquid de divinis Scripturis recitant. Cassinenses vero hunc ad locum ista declarant (*Decl. Cassin.*, *cap.* 53) : « Maxime laudamus hoc fieri si commode possit, et tempus hoc permiserit, ut dum refectio paratur, aliquid hospiti legatur, vel spiritualia dicantur, unde ædificetur, habito respectu ad personæ qualitatem, et necessitatem. Saltem non omittatur quin ad mensam hospiti aliquid legatur juxta conditionem personæ, ut ædificetur. » Similiter in mss. Casalinorum Constitutionibus hæc lego (*Cap.* 32) : Post pacis osculum « ducatur ad hospitium, et legatur coram eo lex divina exspectando refectionem, si tempus cesserit, vel dicantur spiritualia ad ædificationem. Saltem non omittatur quin ad mensam aliquid hospiti legatur in principio et in fine refectionis, juxta conditionem personæ. »

Tertio, hæc olim lectio fiebat in auditorio, ut patet ex Vita sancti Guillelmi ducis et monachi Gellonensis (*Sæc.* IV *Ben.*), ubi narratur quomodo suo B susceptus fuerit in monasterio. Ac primo quidem num. 21, longe occurritur ei a fratribus, ducitur ad orationem, ecclesiæque dona confert. Et postea, num. 22 : « Completa oratione, factaque cunctis altaribus **680** sua cuique digna veneratione.... itur in auditorium, et osculatis fratribus, *lectaque ex more lectione*, factoque pro tempore brevi sermone de animæ ædificatione, mox vir Dei subinfert, et indicat manifeste cur ipse venerit. » Idem videre est apud Ekkehardum in lib. de Casibus S. Galli cap. 11, ubi referens qua ratione episcopi et abbates ad visitandum S. Galli asceterium missi ab Ottone imperatore recepti fuerint : « Adveniunt omnes, inquit, festive receptis *Cives apostolorum* responsorium canitur. Abbas in auditorio debilis residens, introductis quidem eis assurgit. Legitur considentibus lectio de charitate et de pedisequa ejus discretione. Qua finita assurgunt omnes in abbatis et fratrum oscula. Deinde abbas : *Benedicti vos a Domino*. Et fratres : *Qui fecit cœlum et terram*. » Et ita forte capiendus est locus ex Vita S. Alcadri abbatis Gemmeticensis, num. 11 (*Sæc.* II *Ben.*). « Susceptis monachis ad domum auditorii eos perduxit. » Est autem auditorium locus capitulo proximus : locutorium appellare solent. Auditorii tamen nomine hic capitulum intelligit noster Mabillonius.

Quarto, exponebatur hospiti recitata lectio, ut docet Hildemarus : « Si autem talis fuerit hospes, debet etiam exponi lectio; » patetque ex supra citato libro Usuum Cisterciensium, cap. 87, et ex Adalgiso monacho in lib. Mir. S. Theoderici cap. 15, ubi refert Rodulfum abbatem suo in monasterio excepisse Robertum Flandrensem comitem, et reginam, eisque ad mensam adhibuisse lectionem ex Vita S. Theoderici : « Beatissimi Theoderici Vitam virtutibus illustrem coram eis a fratribus lectam et *expositam*, quasi saluberrimum animæ ferculum illis apposuit, quod præ cæteris sumptibus et impensis uterque magni fecit. » D

Quinto, ubi ignotus advenisset monachus, lectioni tota simul congregatio aderat, ut manifestum est ex Capitulis monachorum ad Augiam directorum (*Cap.* 12) : « Omnes hospites supervenientes cum lectione divina suscipiunt; incognitis tamen monachis ad lectionem omnis pariter concurrit congregatio, ut Christus in eis adoretur, qui et suscipitur. »

Sexto, Hildemarus : « Sciendum est, inquit, quia sunt multi qui postquam prima vice legunt lectionem hospiti, jam postea nunquam legunt eidem hospiti, etiamsi post unum, vel duos, vel decem annos venerit. Isti tales non regulariter faciunt, eo quod regula dicit hospiti legi lectionem. Jam si humanitas illi exhibenda est, cur non et lectio ei legenda est, quod melius est? Unde ista potest esse discretio? si enim frequenter venerit ipse hospes ad monasterium, ita ut post quindecim aut viginti dies venerit, quoties A venerit, toties ei lectio legenda sit, et omnis humanitas præbenda. »

Denique singulare haudquaquam exstitit S. Benedicto lectionem adhibere hospitibus; nam in Regula abbatis Isaiæ hæc lego (*Cap.* 33) : « Hilariter occurre extero, et saluta illum, ne discessus vester ab invicem sit cum detrimento; et cave ne cum advenerit ad te interroges illum inutilia **681** tibi; sed postula ab illo ut oret, et cum sederit, dic illi : Quomodo vales, frater mi? et exhibe illi librum aliquem ad legendum. »

Et post hæc omnis ei exhibeatur humanitas.] Omnis humanitas Smaragdo « dicitur omnis miserantis affectus, et obsequium plenum et perfectum amoris, quod hospitibus exhiberi oportet in cibi, et potus, et omnium illis competentium administratione. » Hildemaro, « omnis dilectio.... sufficiens omnis honestas... de temporalibus, id est panis et vinum, cibus, lectum, etc. » Similiter Nicolaus de Fracura humanitatem intelligit « in cibo, potu, in lecto et aliis qualitatibus rerum administrandarum. » S. Hildegardis, « tam in affabili et sociali sermocinatione collocutionis, quam in omni necessaria corporali necessitate. » Denique Richardo de S. Angelo omnis exhibeatur humanitas idem est, « quasi dicat ostendatur benevolentia eis, ducendo ipsum per monasterium, quærendo de eorum provincia, et hujus similia dicantur. » Humanitas etiam complectitur omnem honoris exterioris demonstrationem; atque ita S. Sabas (*Tom.* III *Mon. Eccles. Græc.*) « cum hospitem quemdam accedentem susceperat, qui presbyterii ordinationem haberet, eum peragere faciebat in oratorio sanctam oblationem, » ut scribit Cyrillus in ejus Vita, n. 17.

Bernardus Cassinensis, Boherius, et Turrecremata in omni humanitate etiam carnium esum comprehendi existimant : « Male quidem serviretur regi, inquit Bernardus, episcopo, vel principi, si ad carnium abstinentiam astringerentur. Sentiat aliter qui vult, tamen in hoc signo universali *omnis* hoc comprehendi puto, habita consideratione discretionis ad C hospites religiosos sanos, quibus uti carnibus non licet. » Et Turrecremata : « Si hospitibus cibus carnium indifferenter negaretur, non omnis humanitas eis conseretur exhiberi. »

Sed huic opinioni, quæ contraria est optimæ monasteriorum ordinis nostri praxi, et quam expresse damnavit Innocentius Papa III, in brevi ad abbatem et conventum Sylvæ Majoris, qui tale aliquid præsumpserant, merito potest opponi illud S. Ambrosii (*Lib.* V *in Hexam.*, *cap.* 8) : « Melior est enim hospitalitas in oleribus cum gratia, quam vitulorum pinguium præparatio cum discordia. » Et illud Evagrii in Monachicis, n. 2 (*Tom.* III *Monum. Eccles. Græcæ*) : « Si prætextu hospitalitatis de sumptuoso cibo in mentem venerit, abjice eam cogitationem, nec illi adhæreas; per illam quippe insidiatur tibi adversarius.... licet panem duntaxat habueris, aut sal, aut aquam, potes per hæc mercedem hospitalitatis acquirere; quod si ne illa quidem habueris, tantummodo autem bono affectu peregrinum exceperis, benigneque sermone eum donaveris, consimili ratione potes hospitalitatis mercedem consequi. » Itemque integrum S. Basilii caput 20 in Regulis fusioribus, quo vetat ne obtentu cujuscunque dignitatis, auctoritatisve, qua pollere possent ipsi hospites, soliti commutentur cibi, « nisi forsan, inquit, et res ex nostras immutabimus, si quando cum illustrioribus conversandum est. Si vero id turpius esset, multo turpius est propter delicatos aliquos mensæ nostræ frugalitatem mutare. » Et paulo post **682** superfluum ac nimis sumptuosum ciborum apparatum redarguens, addit : « Et tu cum multitudine et luxu ciborum mensam fratri præter solitum ad voluptatem paras, illum luxuriæ accusas, et gulæ probris per ea quæ instituis inhonestas, dum arguis quod hujusmodi luxus voluptate delectetur. » Favet antiqua ordinis nostri consuetudo, qua pontificibus olim, regibus et cæteris magnatibus, pis-

tes, olera, legumina, et similia monachorum edulia in monasteriis apponebantur. S. Joannes Gualbertus, congregationis Vallis Umbrosæ auctor, Leonem papam cum universa curia Romana hospitio excepit, eisque pisces apposuit, ut in ejus actis habetur. Parcius S. Bernardus abbas Claravallensis, qui pontifici maximo Innocentio II pisciculum ministravit, cum cardinales vix haberent legumina, ut videre est in ejus Vita. Anglorum rex interdum in monasterium Lindisfarnense sub S. Colmanno veniebat, et communibus fratrum cibis cum eis in refectorio vescebatur, ut scribit Venerabilis Beda in lib. III Hist. Angl., c. 26. Rex Castellæ Fernandus cum veniret ad monasterium S. Facundi, cibis fratrum vulgaribus tantum utebatur, ut refert Rodericus lib. VI de Rebus Hispaniæ, cap. 14. Conradus rex Romanorum in die Innocentium cum duobus episcopis comedit in refectorio monasterii S. Galli una cum monachis, vilibus eorum cibis contentus; sicut et postridie fecit solo pane et fabis crudis satiatus, ut habetur in Vita S. Notkeri, cap. 16.

Certe vix dici potest quanta Cistercienses religione hanc custodierint observantiam, quot decretis, quot statutis vetuerint ne carnes ullo modo ministrarentur hospitibus: « Episcopis et aliis personis, inquiunt in libro Institutionum (*Dist.* 13, *cap.* 3), quæ non sunt de ordine nostro infra septa abbatiæ, et in domibus contiguis carnes nullatenus ministrentur, nec comedere permittantur, nisi graviter infirmentur. » Et in capitulo generali anni 1192: « Abbates qui hospitibus in sexta feria caseum et ova apposuerint, tribus diebus sint in levi culpa, uno eorum in pane et aqua. » In libro Definit. antiq., renovato prædicto decreto libri Institutionum, addunt (*Dist.* 13, *cap.* 2): « Sæculares item vel alterius religionis personæ prope cœmeteria nostra habitare, vel carnes comedere nullatenus permittantur; et quicunque abbas infra septa abbatiæ, vel in domibus contiguis carnes talibus ministraverit, vel ministrare fecerit, præter pauperibus infirmis aut personis assidue in abbatiis commorantibus in loco ad hoc specialiter deputato, veniam inde petat in capitulo generali, super hoc graviter puniendus. Officiales vero, et monachi, et conversi hoc procurantes vel facientes, omni sexta feria sint in pane et aqua usque ad sequens capitulum generale. » Et infra (*Dist.* 15, *cap.* 2): « In monasteriis quoque monialium, districtius inhibemus, ne quibuscunque personis regularibus vel sæcularibus, nisi in extrema necessitate carnes de cætero ministrentur; sed cibi conventuales, si necesse fuerit, apponantur una die: ubi autem aliter attentatum fuerit, tam ministrantes quam ministrari procurantes per ablationem habitus puniantur. » His addenda sunt summorum pontificum decreta, quibus prohibuerunt **683** ne visitantes etiam ex officio monasteria Cisterciensis ordinis episcopi carnes ab eis exigerent, ut videre est Clement. l. III, tit. 13, cap. 2, et ne nobiles sub specie patronatus conjuges in monasteriis introducere, et carnes comedere præsumerent, ut patet ex bulla Gregorii papæ IX a nobis supra citata. Absit ergo procul ab hospitiis nostris omnis pinguedo carnium, absit omnis superfluus sumptuosusque ciborum apparatus: hæc in domibus regum sint, non monachorum: « Pulsante cellam tuam fratre, inquit Petrus Damiani (*Opusc.* 15, *cap.* 10), protinus tristes rugæ discedant, contracta se ora resolvant, serena facies occurrat, festiva frons lætitiam præferat. » Hæc est omnis humanitas quam hospitibus exhibere debemus. Nec quis obtendat auctoritatem, nobilitatem, potentiamque hospitum ad excusandos lautiores ciborum apparatus; nam quæcunque hanc in rem proferri possent, jam longo ante tempore refutavit, et valide quidem, S. Hieronymus scribens ad Nepotianum his verbis (*Epist.* 2): « Convivia tibi vitanda sunt sæcularium, et maxime eorum qui honoribus tument. Turpe est ante fores sacerdotis Christi crucifixi et pauperis, et qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum, et milites excubare, judicemque provinciæ melius apud te prandere, quam in palatio. Quod si obtenderis te facere hæc, ut roges pro miseris atque subjectis, judex sæculi plus deferet clerico continenti quam diviti; et magis sanctitatem tuam venerabitur quam opes; aut si talis est qui non audiat clericos pro quibuslibet tribulatis, nisi inter phialas, libenter carebo hujusmodi beneficio, et Christum rogabo pro judice, qui magis et citius subvenire potest quam judex. *Melius enim est confidere in Domino quam confidere in homine; melius est sperare in Domino quam sperare in principibus.* » Optimum et salutare monitum, quod, obsecro, attendant monachi illi qui ad unum aliquando convivium expendunt quod uni per annum integrum nutriendo monacho sufficeret.

Jejunium frangatur a priore propter hospitem.] Nam, ut dicit apud Cassianum (*Collat.* 21, *cap.* 14) abbas Theonas, « Si velit quis in fratris adventu, in quo Christum debet humanitate reficere, et gratissima susceptione complecti, austeritatem jejunii custodire, nonne inhumanitatis potius crimen incurrit, quam laudem aut meritum religionis acquirit? » Et abbas Moyses (*Collat.* 2, *cap.* 26): « Satis absurdum est ut fratri, imo Christo mensam offerens, non cum eo cibum pariter sumas, et ab ejus refectione te facias alienum. » *Vide* eumdem Cassianum, lib. v, c. 24.

Nisi forte præcipuus sit dies jejunii, qui non possit violari.] Veluti est indictum jejunium, inquit Hildemarus, et sicut Quadragesimæ dies, vel Litaniæ, et cæteri dies jejuniorum quos Ecclesia celebrat. » Et Smaragdus: « Dies jejunii, qui violari non possunt, dies intelliguntur sanctæ paschalis Quadragesimæ, Litaniarum et quatuor anni temporum, aut si alicujus diei festi fuerit agenda vigilia, quando non solum a canonicis clericis, verum etiam a laicis **684** catholicis jejunatur. » Eodem fere modo loquuntur Nicolaus de Fractura et Richardus de S. Angelo. Inter hos etiam præcipuos jejunii dies, qui violari nequeunt, veteres monachi accensebant quartam et sextam feriam: « Solve jejunium si frater aliquis ad te peregre venerit, inquit S. Athanasius (*Syntagma doct. ad mon.*, etc.) seu quilibet alius; nequaquam vero jejunium certum quartæ diei et Parasceves, et Quadragesimæ et Passionis. Sermo est de illo jejunio, cujus tu auctor es, secundæ, tertiæque nimirum et quintæ dierum. » Et Cassianus de Ægyptiis monachis loquens (*Lib.* v, *cap.* 24): « Absque legitimis quartæ sextæque feriis, quocunque pergebamus, quotidiana statio solvebatur. » *Vide* Rufinum, lib. II de Vit. Pat., cap. 7, et Pallad., in Lausiaca, cap. 52.

Fratres autem consuetudines jejuniorum prosequantur.] Ne forte humanitatis obtentu rigor jejunii et disciplinæ omnino relaxetur, maxime cum hospites nunquam desint monasterio. Imo recte decernunt Carthusiensium Statuta (*Nova Collect. Stat.*, *part.* II, *cap.* 3, *n.* 31), ne « prior in domo sua cum hospitibus advenientibus debeat passim et indifferenter comedere, sed duntaxat cum personis honestis, et talibus quibus hoc commode negare non possit; et tunc etiam quanto rarius, tanto melius. »

Aquam in manibus abbas hospitibus det.] Idipsum hospitalitatis gratia præstabant olim etiam ipsi episcopi, ut patet ex Baudemundo in Vita S. Amandi, cap. 20, cui in civitatem quamdam advenienti « hospitalitatis more episcopus aquam in manibus fudit. » Imo ipsi sæculares viri, ut constat ex Beda in Vita S. Cuthberti, c. 29.

Pedes autem hospitibus omnibus tam abbas quam cuncta congregatio lavet.] Hæc sententia duobus modis intelligi potest: 1° ut singulis hospitibus abbas et omnis simul cum eo congregatio pedes lavet; 2° ut singulis hospitibus singuli congregationis monachi suo quique ordine, ipso incipiente abbate pedes abluant. Sic enim cuncta congregatio pedes hospitibus lavare dicitur, sicut omnes fratres coquinæ offi-

tium implere, eo quod suo quisque ordine illud exerceat. Et primo quidem sensu vix unquam crediderim hoc Regulæ caput observatum fuisse, nisi forte erga ignotos monachos, quibus ad lectionem divinæ legis, quam S. legislator faciendam præscribit, omnis concurrebat congregatio, ut supra vidimus. Atque ita Paulo postea Virodunensi episcopo pedes manusque lavisse dicitur *abbas cum fratribus* Theologiensis monasterii (*In ejus Vita*, *n.* 3, *sæc.* II *Ben.*). S. Thomas abbas Farfensis (*Sæc.* III *Ben.*) cum viros sanctissimos Paldonem, Tasonem et Tatonem « hospitio suscepisset, ut monachorum ac bonorum moris est Christianorum, *cum fratribus*, ut el solitum fuit, secundum Domini præceptum eorum pedes abluere peregit, » ut scribit Autpertus in Vita S. Paldonis, n. 5. Alioquin si omnibus indifferenter hospitibus cuncta simul congregatio pedes lavare coacta esset, fratres in hoc hospitalitatis officio occupati cætera Regulæ officia implere non possent, quod argumentum valide urget Petrus Venerabilis ad S. Bernardum scribens.

685 Posteriori sensu beatum Benedictum intellexisse videtur S. Hildegardis ad hæc verba *cuncta congregatio lavet*, sic scribens : « Scilicet illi, quibus abbas illud opus injungit; » et Richardus de S. Angelo : « Id est aliqui de congregatione. » Clarius Hildemarus : « Quod vero dicit pedes hospitum cuncta congregatio lavet, per dies vicissim discretio est facienda. » Et infra : « Sic enim facimus de pedes lavare pauperibus; id est illi qui offerunt in die ad missam, illi etiam post vesperam vadunt pedes pauperibus lavare, et cantando lavant pedes, et post lotos pedes miscent; post miscere dicunt capitula, et orationem *Adesto officium servitutis nostræ*, etc. » Ubi respexisse videtur ad illud monachorum ad Augiam directorum capitulum (*Cap.* 3) : « Ut sint equidem quotidie sex per brevem deputati fratres sacram offerentes oblationem, incipientes ab abbate, omnes per ordinem, sicut et nos aliquando fecimus, qui etiam pedes peregrinorum in unaquaque feria lavant. » De Cluniacensibus ita scribit Petrus Venerabilis ad S. Bernardum (*Lib.* I, *epist.* 28) : « Facimus tamen quod possumus, et per totius anni spatium, unaquaque die, tribus peregrinis hospitibus manus et pedes abluimus, panem cum vino offerimus, abbate in ordine suo id faciente, nullisque nisi infirmis, qui hæc implere non valent, exceptis. » Idem in Cassinensi monasterio suo tempore observatum fuisse innuit Bernardus Cassinensis. Nunc vero Cassinenses iis potissimum pedes abluunt, qui ad conversionem veniunt (*Decl. Cass.*, *cap.* 53). In Regulari Concordia S. Dunstani istud ea de re statutum reperio (*Cap.* 10) : « Omni die sine intermissione tres ex his qui continuo in monasterio pascuntur eligantur pauperes, quibus ejusdem mandati exhibeatur obsequium; quique eisdem pascantur victualibus quibus fratres utuntur. Hoc ergo modo illuc eundi ordinem prosequantur : scilicet sabbato pueri dextri chori cum suo custode i lud peragant; sequenti die dominica residui pueri sinistri cum altero custode; deinde singulis diebus hebdomadæ ad unamquamque feriam tot constituantur fratres ad hoc agendum, ut extra abbatem nullus ab hoc debito servitutis excusetur; qui tamen abbas non una tantum feria, sed sæpius, dum ei vacuum fuerit, utque opportunitas dictaverit, sese ad hoc agendum impendat. De cætero supervenientibus peregrinis pauperibus, abbas cum fratribus quos elegerit, secundum Regulæ præceptum, mandati exhibeat obsequium. » Simile aliquid cernitur in mss. Farfensis monasterii Consuetudinibus; quibus editum ab Ingulfo abbate pro suo Croylandensi monasterio decretum adjicere possumus, quod etsi prolixum videatur, tamen multa ædificatione digna continet, quæ pii lectores in nobis merito desiderarent (*Hist. Croyl. monast. an.* 1091) : « Ad honorem etiam Dei, et populi sui ædificationem, recolens ego in transmarinis monasteriis, scilicet Fontanellensi, Fiscannensi, Gemmeticensi, Molismensi, Cluniacensi, nec non et in Floriacensi, et in omnibus aliis antiquioribus cœnobiis mandatum pauperum quotidie post magnam missam fieri, et populum Dei in hoc multum ædificari; ac in omnibus Anglicanis cœnobiis hujusmodi mandatum pauperum vel omitti, vel penitus

686 ignorari, cum totius conventus mei consilio statui pro nostris benefactoribus in nostro monasterio deinceps quotidie peragendum; donans eleemosynario nostro, qui pro tempore fuerit, licentiam exeundi de choro ad magnam missam statim post dominici sacramenti consecrationem, volens ipsum eleemosynarium ad portam monasterii tunc directe procedere, et tres peregrinos in locutorium magnum ante finem magnæ missæ adducere. Quod si peregrini non fuerint, tres senes inopes sint adducti. Quod si nec tales senes adfuerint, tunc tres honesti pueri in loco trium paralyticorum circulariter per villam lectis decumbentium, tam mulierum quam virorum, in dictum locutorium inducantur; et eis sicut aliis peregrinis aut senibus pedes abluantur, sed victualia ad paralyticos, in quorum loco sederant, integre transmittantur. Peregrinorum vero ac senum pedes abluantur, ibique sua victualia comedant, si voluerint; et reliquias tam cibi quam potus secum deferant. Quod si ibidem comedere noluerint, omnia victualia in villam libere secum tollant. Recipiet autem quotidie eleemosynarius ad hoc mandatum faciendum tres panes monachales, tres lagenas cervisiæ conventualis, et tria fercula coquinæ; quæ omnia ut ibi parata existant, ante adventum monachorum, qui magna missa finita, statim de choro venient ad pedes prædictorum pauperum abluendum, eleemosynarius providebit, et tam personas quam victualia quam honestius poterit procurabit. Quod si suadente diabolo ex avaritiæ malo, vel obedientiæ odio dictus eleemosynarius non tres, sed duos, vel unum aliquando pauperem introduxerit, illo die sit in pane et aqua absque aliqua misericordia sibi super hoc facienda; et nisi quot illo die subtraxerit, alio die suppleverit, totidem ministrationes die sequente subtrahantur, quot personas ille subtraxit, nihilominus ipso in sua pœnitentia pro sua inobedientia remanente, nisi dominicus dies,seu festum alicujus sancti intervenerit. Quod si nec tali pœnitentia se corrigere voluerit, ejectus de officio suo, alius fiat eleemosynarius, qui negotia pauperum juxta formam prætaxatam melius voluerit procurare. Hanc namque consuetudinem cum aliquandiu tenuissemus, de aliis monasteriis comprofessi nostri ad nos accedentes, multum ædificati cum ad sua rediissent, eumdem modum etiam apud suos introducebant. »

Antequam hinc discedamus, quæret fortassis aliquis quonam potissimum tempore veteres monachi pedes hospitibus abluerint? hoc enim S. Benedictus tacuit. Regula S. Pachomii statim post ipsorum hospitum adventum, etiam antequam ducantur ad hospitium, id fieri velle videtur (*Art.* 28). In Regula vero S. Fructuosi lego (*Cap.* 10) : « Hospitibus vel peregrinis fratribus cum summa reverentia charitatis et ministrationis obsequia sunt præbenda, et *ad vesperum* lavandi pedes; et si ex itinere sunt confecti, oleo perungendi. » Ita S. Barnardus abbas Ambroniacensis et postea Viennensis episcopus (*Sæc.* IV *Ben.*) « receptorum hospitio peregrinorum omnium vespere pedes abluebat, » ut legitur in ejus Vita, num. 5. 687 « Sed et ipse B. P. Benedictus, ut scribit S. Hildegardis, cum hospites quos susceperat comesturi essent, aquam manibus eorum porrexit; et cum a mensa surrexissent, pedes eorum lavit; et hoc propter exemplum Filii Dei, quod in cœna discipulis exhibuit, fecit, exceptis mulieribus, quarum pedes non tetigit; sed contemptum mundi et in habitu, et in sancta conversatione sua ostendebat eis. » Denique in concilio Aquisgranensi exstat

canon (*Can.* 22) « ut mandatum, si tempus cœnæ est, tam fratrum quam etiam peregrinorum post cœnam fiat. » Et tamen S. Paulo postea Virodunensi episcopo in Theologiensi monasterio divertenti statim post orationem pedes loti sunt, ut habent ejus acta num. 3. Nicolaus Bravus scribit Orientalibus in communi usu fuisse *antequam cibus sumeretur*; Occidentalibus vero *post cœnam, antequam cubitum eatur* (*Dist.* II, *c.* 12), hospitum abluere pedes. Bursfeldenses etiam post completorium hospitum mandatum præscribunt in Cæremoniali.

Pauperum et peregrinorum maxime susceptioni cura sollicite exhibeatur.] Olim in monasteriis nostris aliquis frater pauperum susceptioni præficiebatur, qui eos in xenodochio monasterii ædibus vicino excipiebat; cujus rei exempla habemus in Vita S. Agili abbatis Resbacensis, num. 20, sæc. II; apud Adrevaldum, in lib. Mir. S. Benedicti; apud Walfridum, in lib. Mir. S. Galli, cap. 43; in Vita S. Popponis num. 13; apud Bollandum, 25 Januarii. Idipsum etiam enixe rogarunt olim monachi Fuldenses, in libello supplici ad Carolum Magnum, postulantes (*Num.* 13), ut « peregrinorum susceptio et lavatio in eis pedum non negligatur, sed secundum Regulam, et secundum priorum nostrorum consuetudinem, quandocunque venerint misericorditer suscipiatur, et ab omnibus fratribus lavatio pedum eis exhibeatur. »

Coquina abbatis et hospitum super se sit, etc.] In quem locum Smaragdus: « Æstimatur enim a multis, quia sicut coquina alia quam fratrum, et in alio erat constituta loco, ita et mensa abbatis non tunc in communi refectorio erat cum cæteris mensis posita; sed in alia erat cellula segregata, quam crebro venientes hospites frequenter cibis invenirent paratam. Sed modo ab episcoporum, abbatum, et cæterorum Francorum magno concilio salubre inventum est consilium, ut pro sua et fratrum custodia habeat in communi refectorio mensam, ubi quando adfuerint cum hospitibus; quando vero defuerint, cum quibus voluerit reficiat coram fratribus. » Istud Francorum magnum concilium haud erat aliud ab Aquisgranensi, in quo statutum est (*Can.* 27), « ut abbas, vel quispiam fratrum ad portam monasterii non reficiatur. In refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi ac bibendi exhibeat. Ipse tamen ea cibi potusque mensura contentus sit, quam reliqui fratres accipiunt. Si vero propter hospitem voluerit ad solitam mensuram fratribus sibique augere aliquid, in sua maneat potestate. » Sed plura de his inferius ad caput 56; sufficiat hic interim notare ex Hildemaro coquinam hospitum ita collocandam esse **688** juxta coquinam monachorum, ut inter utramque parva sit fenestra, per quam ex una parte fratribus, ex alia hospitibus in refectorio comedentibus ministretur.

In quam coquinam ad annum ingrediantur duo fratres, qui ipsum officium bene impleant.] Nam « tales sunt eis ministri delegandi, qui et pulmenta strenue præparent, et devoto eis ministerio obsecundent, et de his quæ illis residua sunt, neque fraudem faciant, neque occulte comestione se illicita polluant, » inquit S. Fructuosus (*Cap.* 10). Ex Regula autem Orientali (*Cap.* 25) « advenientibus diversis fratribus escas parabit » cellerarius.

Quibus ut indigent solatia administrentur, etc.] Hinc facit quod in mss. S. Benigni Divionensis Consuetudinibus legitur (*Cap.* 44): « Ut autem deesse non possint qui hospitibus honeste obsequantur, constitutum est ut famuli D. abbatis et prioris, qui cum eis equitare solent, omnes accipiant quotidianum victum de manu hospitarii, et quotidie sint in ejus præsentia, ut quod ipse jusserit faciant; et si quis illorum quoquam abierit absque ejus licentia, illo die justitia carebit. Præterea habet proprios famulos, et proprium coquum, et duos asinos ad ipsum hospitium deputatos, qui ligna quotidie apportent, ut cum hospites supervenerint in promptu sit copia lignorum. »

Item et cellam hospitum habeat assignatam frater, etc.] Ejus munia describit Haeftenus l. II, tract. 2, disq. 3. Cellæ autem nomine S. Benedictus integrum intelligit hospitium, plures in cellas divisum; ubi illud maxime notandum est, in nostris olim monasteriis aliud fuisse monachorum ab hospitio divitum et pauperum, ut patet ex Consuetudinibus S. Benedicti abbatis Anianensis (*Tom.* IV *Analect.*), in quibus legimus « in hospitali hospitum monachorum honestissimam susceptionem, segregata domo susceptionis aliorum hospitum; » ex Hildemaro hunc in locum sic scribente: « Notandum est enim quia, si potest fieri, talis claustra hospitum debet esse nobilium sicut monachorum cum sua ordinatione. Talis etiam debet esse claustra pauperum qualis infirmorum. Talis etiam monachorum hospitum qualis etiam infirmorum, ubi omnia necessaria præparari possint. Si autem non potest esse, sicut dixi, separata loca episcoporum a divitibus, sint simul tamen separata a pauperibus, et abbatibus, et monachis; eo quod non possunt insimul convenire comes et episcopus cum pauperibus et abbatibus peregrinis. » Et alibi (*In cap.* 67): « Verum quia dicit regula de hospitibus suscipiendis: Et domus Dei a sapientibus sapienter administretur, intelligunt, quia dormitorium ubi monachi suscipi debent habetur separatum a laicorum cubiculo, id est ubi laici jacent, eo quod laici possunt stare usque mediam noctem, et loqui, et jocari, et monachi non debent, sed magis silentium habere, et orare: ideo juxta oratorium illorum monachorum hospitum est dormitorium, ubi ipsi jaceant soli reverenter, et possunt nocte surgere qua hora velint, et ire in ecclesiam... Quod si dormitorium monachorum hospitum non est juxta oratorium propter orationem faciendam, **689** sed cum laicis; tunc domus Dei non sapienter a sapientibus ministratur. » Erat ergo monachorum hospitum dormitorium juxta oratorium; et quidem idem forte cum dormitorio fratrum, aut saltem ab eo non longe separatum, ut patet ex lib. II Dial. S. Greg., cap. 35, ubi S. Benedictus describitur in turri quiescens una cum Servando diacono; « ante eamdem vero turrim largius erat habitaculum, in quo utriusque discipuli quiescebant; » S. Benedicti scilicet et Servandi. Hinc illud concilii Aquisg. decretum (*Can.* 58), « ut dormitorium juxta oratorium constituatur, ubi supervenientes monachi dormiant. » In antiqua tamen delineatione S. Galli monasterii dormitorium monachorum hospitum longe dissitum erat a dormitorio fratrum, licet et ipsum contra oratorium: nam dormitorium fratrum ecclesiæ contiguum ex parte meridionali, dormitorium autem monachorum hospitum ex septentrionali. Quæ autem dicimus de separatione hospitii monachorum ab hospitio divitum atque pauperum, confirmantur ex eadem delineatione, ex Bernardo Cassinensi, et ex Boherio.

Ubi sint lecti strati sufficienter.] Hic Smaragdus, « a sternendo, inquit, lecti strati dicuntur; strati quasi storiati; storia enim dicitur quod nos mattam vel nattam dicimus: in his autem solis antiqui monachi dormire solebant, et his solis lectulos suos sternebant. » Eodem modo loquitur Petrus Diaconus, sed Bernardus Cassinensis et Boherius lectos stratos intelligunt lectos « ordinatos cum suis stramentis, id est omnibus ad quiescendum necessariis præparatos. » Similiter Richardus de S. Angelo *lectos ordinatos* quos etiam molles vult esse S. Fructuosus, c. 10. *Vide* Regulam Magistri, cap. 79.

Et domus Dei a sapientibus sapienter administretur.] S. Pachomius « sollicitudinem totius dispensationis erga fratres et peregrinos eisdem commisit, qui se in ordine sequebantur, » ut legimus in ejus Vita, cap. 25 (*Apud Rosweid, lib.* I *de Vit. Patr.*).

Hospitibus autem, cui non præcipitur, nullatenus societur neque colloquatur.] Hæc fuit communis veterum monachorum praxis, quam videre est in omnibus pene antiquis Regulis. Regula SS. Serapionis,

Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii (*Cap.* 8) : A « Nec licebit aliqua fratri cum superveniente sermocinari, non sit illi cura interrogandi unde venerit, ad quid venerit, vel quando ambulaturus sit, nisi soli qui præest Patri, aut quibus jusserit ipse. » Regula secunda SS. Patrum (*Cap.* 3) : « Advenienti peregrino nihil plus exhibeat quam pacem; reliquum non sit illi cura unde venerit, pro quo venerit, nec quando ambulaturus sit, nec se jungat ad fabulas cum illo. » Pœnæ incerti auctoris apud S. Basilium (*Num.* 59) : « Si quis cum accedentibus peregrinis congressus colloquatur, præterquam quo det pacem, exceptis ad hoc designatis, caveat benedictione. » Regula Tarnatensis (*Cap.* 7) : « Advenientibus quoque nihil præter humilitatis affectum et debitum famulatum junior exhibebit; et curam habere de causa qua venerit, quandoque reversurus sit, non præsumat; quia **690** hoc seniorum sollicitudo, non juniorum præsumptio debet inquirere. » Denique Regula S. Isidori (*Cap.* 22): « Nullus propinquum, B vel extraneum hospitem, vel monachum, familiarem seu parentem, videre absque imperio audeat senioris. » Hic videtur respexisse S. Isidorus ad illud S. Pachomii (*Art.* 30) : « Si quis ante ostium steterit monasterii, dicens se velle videre fratrem suum vel propinquum, janitor nuntiabit Patri monasterii, et ille accitum interrogabit præpositum domus, si apud eum sit; et permittente eo, accipiet comitem egressionis suæ, cujus fides probata est, et sic mittetur ad fratrem videndum, vel ad proximum. »

Sed si obviaverit, aut viderit, salutatis humiliter, ut dictum est, et petita benedictione pertranseat, etc.] Quid esset illa benedictio, quove modo peteretur, explicat Boherius his verbis : « Secundum modum religionis etiam in salutando dicunt religiosi majoribus *Benedicite*; hoc enim benedictionem esse puto, vel debet dicere frater *Domine mi*, aut *Reverende Pater, non licet mihi vobiscum loqui, quare cum benedictione vestra discedo.* Hospes autem debet utrique respondere, *Ite, Pater*, vel *Frater, in benedictione Dei.* » Et in secundo comment., « Petita benedictione, id est dicto *Benedicite.* Sed quid, inquam, huic bene respondetur? *Ite, Pater*, vel *Frater, in Dei benedictione.* » Similiter et Nicolaus de Fractura benedictionem ait peti « per illa verba *Benedicite.* » Porro mos fuit apud veteres monachos, non tantum ut ab ipsis hospitibus benedictionem peterent, sed etiam ut ipsi eam hospites ab se suscipiente rogarent, ut clarum est ex Rufino (*Lib.* II *de Vit. Pat.*, *c.* 1): « Cumque salutassemus eum..., regatus est a nobis, ut orationem simul et benedictionem daret. » Hancque iterum, cum recederent, resumebant : « Ut autem, addit idem Rufinus, cœpimus ab eo velle proficisci, datis nobis benedictionibus, Pergite, inquit, filii. » Et de S. Apollonio loquens (*Cap.* 7) : « Benedicens ergo nos dimisit, atque in hæc verba benedictionem dedit, *Benedicat vos Dominus ex Sion, et videatis quæ bona sunt Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ.* » Ita etiam Marculfus monachus (*Sæc.* II *Ben.*), qui S. Columbanum convenerat, « accepta ab eo benedictione, calle quo venerat repedavit » ut scribit Jonas in ejus Vita, n. 14.

CAPUT LIV.

Si debeat monachus litteras vel aliquid suscipere.

Nullatenus liceat monacho nec a parentibus [a] suis, nec a quoquam hominum, nec sibi invicem **691** litteras, eulogias, vel quælibet munuscula accipere [b] aut dare, sine præcepto abbatis. Quod si etiam a parentibus suis ei quidquam directum fuerit, non C præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit abbati. Quod si jusserit suscipi, in abbatis sit potestate cui illud jubeat dari [c]: et non contristetur frater cui forte directum fuerat [d]; ut non detur occasio diabolo [e]. Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subjaceat.

[a] Lyr. deest *nec a parentibus.*
[b] Hild., *suscipere.*
[c] Al., *dare.*
[d] Al., *fuerit.*
[e] Al., *maligno.*

COMMENTARIUS.

Nullatenus liceat monacho nec a parentibus suis, nec a quoquam hominum, nec sibi invicem litteras, aut eulogias, vel quælibet munuscula accipere, aut dare sine præcepto abbatis sui.] Acute hic Bernardus Cassinensis: S. Benedictus, inquit, « in hac prohibitione tria genera personarum, et tria genera nominat rerum : personæ sunt parentes, aut alii quilibet homines, et etiam invicem fratres; res sunt litteræ, eulogiæ, et munuscula, quæ a parentibus non licet suscipere, ne de affectu parentum videatur monachus per munus aliquid retinere; ab aliis etiam hominibus non licet, quia nihil cum mundo commune D monachus habet; sibi invicem etiam non licet, quia singularitatem amoris vel fœdus illicitum demonstraret. »

Primo ergo S. Pater vetat litteras absque licentia abbatis mitti aut recipi; idque ex veterum monachorum disciplina, quam videre est apud Cassianum lib. IV, cap. 16; apud S. Basilium, hic a Smaragdo citatum; in Pœnis incerti auctoris apud eumdem Basilium; in Regula S. Augustini, cap. 9; S. Cæsarii ad monachos, c. 15; ad virgines, c. 23, et in Recapitulatione, c. 6; in Regula S. Aureliani ad monachos, c. 6; ad virgines, c. 4; in Pœnitentiali S. Columbani; in Regula Tarnatensi, c. 19; S. Isidori, c. 22; S. Fructuosi, c. 8, et S. Donati, cap. 53.

Hujus instituti causa præcipua fuit, ne divinis contemplationibus mens devota a Deo avocetur; vix enim lingua effari aut intellectus capere potest quantis animum perturbationibus nimia et inordinata litterarum scriptio exagitet. « Quantus tumultus est in mente dictantium, verba sunt S. Bernardi (*Epist.* 89), ubi multitudo obstrepit dictionum, ubi orationum varietas et diversitas sensuum concurrit, ubi sæpe respuitur quod occurrit, et requiritur quod excidit, ubi quid pulchrius secundum litteram, quid consequentius juxta sententiam, quid planius propter intelligentiam, quid utilius ad conscientiam, quid denique **692** cui, vel post, vel ante, ponatur, intentissime attenditur, multaque alia, quæ a doctis in hujusmodi curiosius observantur! » Quantis animum pulsat motibus præteritorum recordatio, charorum, propinquorum, et relictæ patriæ suavis memoria! Hæc cum serio perpenderet quidam monachus (*Cassian. lib.* V, *cap.* 32), et « ei post annos quindecim patris et matris, amicorumque multorum de provincia Ponti complures epistolæ delatæ fuissent, accipiens grandem fasciculum litterarum, diuque apud

semetipsum volvens : Quantarum, inquit, cogitationum causa erit mihi hæc lectio, quæ me vel ad inane gaudium, vel ad tristitias infructuosas impellent! Quot diebus horum recordatione, qui scripserunt, intentionem pectoris mei a proposita contemplatione revocabunt! Post quantum temporis digerenda est hæc mentis concepta confusio, quantoque labore rursus iste tranquillitatis reparandus est status, si semel animus litterarum permotus affectu, eorumque recensendo sermones ac vultus quos tanto tempore dereliquit, iterum eos revisere, ipsisque cohabitare, et animo ac mente cœperit interesse? quos profecto corporaliter deseruisse nihil proderit, si corde eos incipiat intueri, ac memoriam quam sæculo huic renuntians quisque velut mortuus abdicavit, reviviscens eamdem rursus admiserit. Hæc volvens in corde suo non solum nullam resolvere epistolam definivit, sed ne ipsum quidem fasciculum resignare, ne scilicet eorum qui scripserant, vel nomina recensendo, vel vultus recordando, a spiritus sui intentione cessaret. Itaque, ut eum constrictum susceperat, igni tradidit concremandum : Ite, inquiens, cogitationes patriæ, pariter concremamini, nec me ulterius ad illa quæ fugi revocare tentetis. » Egregium plane facinus, ac vero monacho dignum! Eadem prorsus mente Gerardus pius Belga monachus (*Bucelinus in addit. ad Comment. Gerardi, cap.* 54) « litteras sibi missas, nisi urgentissimæ causæ essent, et respondere illico cogeretur, nunquam nisi pomeridiano tempore legebat, ne quid potissimæ, ut dicebat, diei parti et Deo sacratiori lectione profana detraheret, et distractioni alicui januam aperiret. Solitus etiam, si ad eas nonnihil affici videretur, multo sæpe tempore, priusquam legeret, seponere : litteras autem ad suos missas sollicite perlegens, si quid rumoris e sæculo afferrent, ejusmodi delere, sive præscindere solebat; si quid vero perturbationis, sive inanis gloriæ allaturæ viderentur, omnino cremabat, quæ autem ex iis conducere viderentur, ipse significabat. »

Secundo, vetat S. Benedictus dare aut accipere eulogias sine præcepto abbatis. Quid autem sint eulogiæ hic inquirendum est.

Eulogiæ non ab εὖ Græco, quod est bonum, et *lego* Latinum, quod est eligo, quasi *bonum aliquod electum*, ut volunt Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura et Boherius; sed ab εὖ Græco, hoc est bene, et λέγω etiam Græco, id est dico, vel λόγος sermo, Latine benedictio dicitur : quo nomine intelligitur

Primo, quodcunque munus ex charitate datum, loquendi formula ab Hebræis deducta, qui munuscula benedictiones appellabant, ut I Regum xxv : « Accipe *benedictionem* hanc, quam attulit ancilla tua; » **693** ubi Septuaginta legunt εὐλογία. Et ita intelligendus est S. Bernardus ad episcopum Laudunensem scribens (*Epist.* 272) : « Ex quo episcopari cœpisti, nullam a vobis adhuc *benedictionem* accepimus, neque sacculum, neque peram, neque calceamenta in pedibus; » et ad Guidonem diaconum cardinalem (*Epist.* 335) « Sollicitus fui fratribus nostris... *benedictionem* quoque, quam destinaveras exhibere. »

Secundo, specialius eulogiæ dictæ sunt munera ex SS. reliquiis missa. Sic S. Gregorius Eulogio Alexandrino episcopo scribens (*Lib.* xi *Regist.*, *cap.* 47) : « Eulogias, inquit, S. Marci a beatissima fraternitate vestra transmissas, cum ea charitate qua transmissæ sunt secundum notitiam earum suscepimus. » Et iterum in eadem epistola : « Præterea transmisimus crucem parvulam, in qua de catena amatorum vestrorum inserta est benedictio. »

Tertio, eulogiæ sumuntur pro pane illo qui ad consecrandam eucharistiam destinatur, ut videre est apud Joannem Moschum (*Lib.* x *de Vita Patr.*, *cap.* 25) : « Easdem vero benedictiones imposuerunt diaconi sancto altari, quas cum Joannes presbyter offerret, etc. »

Quarto, pro eucharistia ipsa, ut apud Maximum A martyrem (*Ad cap.* 3 *Eccles. Hierarc.*) : « Elevans sacerdos sacrum panem, ostendebat eulogiam dicens, *Sancta sanctis.* »

Quinto, apud nostros dictæ sunt hostiæ benedictæ, quæ singulis diebus ante communes cibos monachis non communicatis in refectorio præbebantur, de quibus vide lib. i de Antiquis monach. Ritibus, cap. 9. Eulogias etiam vocabant panes qui in ecclesia benedicuntur, olimque distribuebantur iis qui ob quoddam impedimentum diebus festis et dominicis non sumebant eucharistiam; idque, ut nonnulli arbitrati sunt, ex decreto Pii papæ, quamvis epistola illa unde id deducunt sit supposititia; de quibus in concilio Nannetensi, can. 9, et in capitulis Hincmari Rhemensis episcopi, cap. 7, qui panes etiam fidelibus in signum communicationis in eadem fide mittebantur, unde in Laodiceno concilio, can. 32, statuitur « quod non oportet hæreticorum eulogias accipere. »

Sexto, eulogiæ dictæ sunt quæcunque res bene- B dictæ, quo sensu Fortunatus in Vita S. Germani Parisiensis episcopi, num. 11, liquorem benedictum eulogiam vocat, et in Vita S. Mederici panis benedictus eulogia appellatur.

Septimo, eulogias etiam vocabant communem panem, quem in amoris et benevolentiæ signum invicem sibi mittebant; unde Paulinus epist. 1 ad Severum : « Panem campanum de cellula nostra tibi pro eulogia misimus. » Et Florentius presbyter infectum veneno panem S. Benedicto, quasi *pro benedictione* transmisit, ut testatur S. Greg. lib. ii Dial., cap. 8.

Octavo : « In jure, inquit Richardus de S. Angelo, exponitur eulogium, id est testamentum. Extra de Testamentis cap. *Vos quidem*, et Codex lib. ii, cap. *Jubemus.* »

694 Nono : « Vel dicas, addit idem Richardus, quod sunt boni sermones facti de aliquo, sic exponit pe. san. extra de do. et cantu. *Cum olim*, super prima glossa. »

Jam vero quæritur quo sensu hic eulogia a S. P. Be- C nedicto sumatur. Nonnulli, ut scribit Bernardus Cassinensis, eulogias dixerunt esse adjectivum ad litteras. Menardus de eulogiis panis, quas antiqui Patres sine superioris licentia dare prohibuerunt, ut videre est in Regula sancti Cæsarii, cap. 23, et S. Donati, cap. 53, S. Benedictum intelligit. Hildemaro, « eulogiæ sunt munera majora, veluti sunt cappa serica, vel aliud, quæque majoris pretii sunt. » Idem sentiunt Bernardus Cassinensis et Boherius. Richardus autem de S. Angelo dicit esse *gaudeolas*. Ego vero eulogiarum nomine omne munerum genus prohibitum existimo. Atque ita Benedictus Haeftenus : « Asserendum videtur, inquit, interdictas ab eo cujusvis generis eulogias, sive panes, sive esculenta, sive alia quælibet fuerint munera, ut illud : *Aut quælibet munuscula*, accipi possit pro prioris vocis explicatione. »

Tertio, denique S. Pater vetat *quælibet munuscula*, quod non sic acceperim pro prioris vocis explicatio- D ne, quasi eulogiarum nomine sanctus Benedictus sola intellexisset munuscula : nam et majora prohibuit; sed addidit *quælibet munuscula*, ne quis ea tanquam minoris pretii dare vel recipere propria auctoritate præsumeret.

Porro in mittendis recipiendisque litteris aut eulogiis attendere debemus imprimis ad illud S. Hieronymi (*Epist.* 2) : « Crebra munuscula, sudariola, et fasciolas, et oblatos ac degustatos cibos, blandasque ac dulces litterulas sanctus amor non habet. » Maxime autem a parentum muneribus cavere oportet, juxta illud S. Orsiesii (*Num.* 39) : « Si quis in domo monasterii sub præposito manens, nulla re indigens, quam in monasterio habere permissum est, et habet patrem fratremque, et amicum charissimum, nihil ab eis penitus accipiat, non tunicam, non palliolum, non aliam quamlibet rem. » Ne quam tamen conquerendi occasionem fratres habeant, prudenter addit : « Si autem comprobatum fuerit quod

minus habeat de his quæ præcepta sunt, culpa omnis atque correctio ad præpositum convertetur. »

Quod si etiam a parentibus suis ei quidquam directum fuerit, etc.] Ita fere Regula S. Aureliani, cap 5; Regula Tarnatensis, cap. 19, et S. Isidori.

Et non constituetur frater, cui forte directum fuerat, ut non detur occasio diabolo.] Scilicet aut per tristitiam, aut per invidiam, aut per murmurium, ut loquitur Smaragdus.

Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subjaceat.] Hæc verba referri possunt vel ad præcedentem periodum, et non contristetur frater, etc., vel ad omnia quæ hoc continentur in capite. Priorem sententiam sequitur Smaragdus; posteriorem Hildemarus, Bernardus Cassinensis, Richardus de S. Angelo, 695 et Boherius in utroque commentario: « Illud vero, inquit Hildemarus, quod dicit, regulari disciplinæ subjaceat, ad illa omnia quæ superius vetuit respicit, id est si tribuerit, si acceperit, aut litteras, aut eulogias, id est majora munera, aut munuscula, id est parva, aut murmuraverit, vel contristatus fuerit, et reliqua, disciplinæ regulari subjaceat. »

Quanti vero hoc Regulæ Benedictinæ caput fecerit S. Gregorius, vel exinde patet, quod cum in illud peccasset Catellus monachus, et eum postea Urbicus abbas præpositum monasterii Lucusiani sub Bono

A abbate fieri petiisset, negavit S. pontifex, quia, inquit (*Lib.* IX, *epist.* 42), « quod monachus non sit agnovimus: ex parva enim eulogia quam Bonus monachus accepit, partem petendo contentionem facere in itinere minime timuit, quod ex quanta amaritudine cordis descenderit, poterit tua dilectio scire, si Regulam monachorum nosse voluisset. » Antiquiores etiam monachi (*Cassian. lib.* IV, *cap.* 16) scribentes aut recipientes absque permissione litteras, congregatis in synaxi fratribus, prostratos in terram veniam postulare jubebant, quandiu culpam abbas indulsisset. Pœnæ incerti auctoris, apud S. Basilium, num. 49, eos excommunicant; S. Columbanus in Pœnitentiali *superpositione* damnat; S. Isidori Regula, cap. 16, *triduana excommunicatione* etiam emendandos decernit. Denique in ms. codice 47 bibliothecæ Cassinensis inter casus priori reservatos ab annis fere trecentis tertium exstat: « Quod nullus mittat litteram vel ambasciatam extra monasterium, nec ab aliquo ea recipiat sine licentia. »

B Quod si mittentes aut recipientes litteras ita plectebant, quanto magis eulogias, aut alia quælibet munuscula, quæ quidem juxta Regulam Tarnatensis monasterii (*Cap.* 19) « peregrinis et ignotis deputabuntur, aut certe incendio cremabuntur. » Recipientes vero aut mittentes *ad minus in capitulo verberentur*, ex lib. Instit. cap. gener. ordin. Cisterc., dist. 6, cap. 9.

CAPUT LV.

De vestiario et calciario [a] *fratrum.*

Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem ubi habitant, vel aerum temperiem, dentur: quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus. Hæc ergo consideratio penes abbatem est. Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus monachis [b], per singulos cucullam et tunicam: cucullam, in hieme 696 villosam [c], in æstate puram, aut vetustam; et scapulare propter opera: indumenta pedum, pedules et caligas. De quarum rerum omnium colore aut grossitudine non causentur monachi, sed quales inveniri possunt in provincia qua degunt [d], aut quod vilius comparari possit. Abbas autem de mensura provideat ut non sint curta ipsa vestimenta utentibus ea, sed mensurata. Accipientes nova, vetera semper reddant in præsenti, reponenda in vestiario propter pauperes. Sufficit enim monacho duas tunicas et duas cucullas habere, propter noctes, et propter lavare ipsas res: jam quod supra fuerit, superfluum est [e], amputari debet. Et pedules, et quodcunque est vetus reddant, dum accipiunt novum. Femoralia hi qui in via dir'guntur de vestiario accipiant; quæ revertentes [f] lota ibi restituant. Et cucullæ et tunicæ sint aliquanto a solito quas habent modice meliores: quas exeuntes in via accipiant de vestiario, et revertentes restituant.

C Stramenta autem lectorum sufficiant, matta, sagum, lena [g] et capitale. Quæ tamen lecta frequenter ab abbate scrutanda sunt, propter opus peculiare, ne inveniatur. Et si cui inventum fuerit quod ab abbate non accepit, gravissimæ disciplinæ subjaceat. Et ut hoc vitium peculiare [h] radicitus amputetur, dentur ab abbate omnia quæ sunt necessaria: id est, cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus [i], graphium, acus, mappula, tabulæ, ut omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen abbate semper consideretur illa sententia Actuum apostolorum: quia *dabatur singulis prout cuique opus erat* (*Act.* II). Ita ergo et abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem [j] invidentium. In omnibus tamen judiciis suis Dei retributionem cogitet. D

[a] Flor., *De vestiario et calciatorio.* Cassin., Conc. cum aliis quibusdam, *De vestiariis et calciariis.*
[b] Al. deest *monachis.*
[c] Sabin., *vellosam.*
[d] Al., *qua habitant.* Al., *in qua habitant.*
[e] Cassin. deest *est.*
[f] Oxon., Flor. et quidam mss., *qui revertentes.*
[g] Oxon., *lina.*
[h] Conc., Hild., Flor., Sabin., Dunst., Guido, edit. Paris., *peculiaris.*
[i] Al., *cultellum.*
[j] Oxon., *mala voluntate.*

COMMENTARIUS.

697 *Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem vel aerum temperiem dentur,* etc.] Quod S. P. Benedictus hic ait *secundum locorum qualitatem*, juxta Hildemarum « duobus modis intelligitur. Uno modo intelligitur *qualitatem locorum*, juxta quod potest in illo loco, ubi habitant, abbas vestimenta invenire. Altero modo intelligitur *secundum qualitatem* loci, et aerum temperiem, quod unum significat, ac si diceret secundum locorum qualitatem, et exponendo quid sit locorum qualitatem, subjungit, id est aerum

temperiem. Sed iste sensus posterior verior est. » Smaragdus vero et Petrus Diaconus locorum qualitatem exponunt, secundum quod locus est magis operosus, vel minus; vel secundum quod in asperiori vel amœniori loco monasterium situm est; vel secundum quod magis vel minus oportet eos laborare propter paupertatem; quia quanto magis laborant, et in asperiori loco sunt, plus consumunt de calceamentis et de vestimentis. Bernardus Cassinensis, Richardus de S. Angelo, Petrus Boherius, utramque expositionem recipiunt. Quod vero S. Pater dicit *aerum temperiem*, ipsemet explicat cum subdit, quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus.

Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus monachis per singulos cucullam et tunicam, etc.] Quid sit cuculla, quid tunica, quid scapulare, pedules, et caligæ paucis inquirendum est.

Cuculla apud antiquos genus erat vestimenti caput et humeros circumambiens, ut docet imprimis Cassianus (*Lib.* I, *cap.* 4), de cucullis Ægyptiorum loquens in hunc modum: « Cucullis perparvis usque ad cervicis humerorumque dimissis confinia, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus utuntur ac noctibus, scilicet ut innocentiam et simplicitatem parvulorum jugiter custodire, etiam imitatione ipsius velaminis commoveantur. » Eamdem cucullæ notionem dedit nobis vir doctissimus Floridus eo in libro quem Gallico idiomate de Moribus Christianorum conscripsit, ubi sic discurrit (*Pag.* 367): *La cuculle estoit un capot, que portoient les paisans, et les pauvres. Cet habillement de teste devint commun à tout le monde dans les siècles suivans; et estant commode pour le froid, il a duré dans nostre Europe environ jusqu'à deux cents ans d'icy. Non seulement les clercs et les gens de lettres, mais les nobles mesmes, et les courtisans portoient des capuces, et des chapperons de diverses sortes.* A monachis tamen non tam commodi atque utilitatis gratia gestabatur, quam ad innocentiæ et simplicitatis signum, ut patet tum ex citato Cassiano, tum ex his Evagrii verbis (*Tom.* III *Mon. Eccles. Græcæ, p.* 68): « Cucullus equidem signum est gratiæ Dei **698** Servatoris nostri, quæ caput eorum partem principalem tegit, et in Christo infantiam confovet; » tum ex Sozomeno de monachis sic loquente (*Lib.* III *Hist.*, *c.* 13): « Caput integumento, quod cucullum appellare solent, operiebant, quo ostenderent se vitam perinde simplicem et sinceram agere, atque pueros lacte nutritos, quorum caput ejusmodi tiaris involvunt, ut tegatur simul et foveatur; » tum denique ex S. Dorotheo, doctrina I. Hujusmodi cucullas gestabant etiam sanctimoniales, ut patet ex Palladio (*Lausiac. cap.* 41). Pachomiani suis cucullis figuram crucis purpureæ assuebant; iisque solis induti sabbato et dominica ad corporis Christi communionem accedebant, testante eodem Palladio (*Ibid.*, *cap.* 28). Ex quo conjicere licet cucullas illas non solum caput et humeros, sed integrum etiam corpus subtexisse; quis enim credat eos toto fere corpore nudos ad communionem accessisse?

Aliam cucullæ notionem innuit Theodemarus in epistola ad Carolum Magnum: « Sed quia percontati estis quid vestimentum cucullæ debeat intelligi, cucullam nos esse dicimus quam alio nomine casulam vocamus, et inde est quod in hieme villosam, in æstate puram aut vetustam beatus Pater habendam instituit, quia scilicet hoc genus vestimenti solet cum villis intexi. » Huic notioni consonat S. Isidorus (*Lib.* XIX *Origin.*, *cap.* 24): « Casula, inquit, est vestis cucullata, per diminutionem a casa, quod totum hominem tegat. » Et Smaragdus: « Per diminutionem a casula dicitur cuculla, et a casa casulla, et a casulla cuculla. » Certe casulam monachorum fuisse indumentum patet ex Vita S. Severini abbatis Agaunensis, apud Bollandum, 11 Februar.; ex Vita S. Cæsarii Arelatensis episcopi, lib. II; ex Actis S. Fulgentii Ruspensis episcopi, et ex Vita S. Filiberti abbatis Gemmeticensis, sæc. II Benedict. Quid autem sit casula docet S. Isidorus, scilicet vestis quæ *totum hominem tegat*, unde dicitur casula, quasi parva casa, quæ totum corpus in se contineat, sine manicis, et cum hujusmodi forte cucullis Pachomiani accedebant ad sacram communionem: vestimenti genus satis incommodum, cujus forsitan loco, si conjecturis locus sit, S. Benedictus indulsit scapulare propter opera, quod ex utroque latere apertum est, ut facilius brachia exerantur, et liberiorem eorum usum habeant laborantes. Casulam etiam aliquando pro tunica talari, aliquando pro alio indumenti genere usurpari docet noster Mabillonius in præfatione ad sæculum I Bened. pag. 55.

Aliter etiam Smaragdus cucullam explicat: « Cucullam, inquit, dicit ille (S. Benedictus) quod nos modo cappam dicimus. » Idem asserit Hildemarus infra citandus. Quid autem sit cappa vix conjicere possum. Theodemarus in citata ad Carolum Magnum epistola seipsum ita explicat: « Illud autem vestimentum quod a Gallicanis monachis coculla dicitur, et nos cappam vocamus, quod proprie monachorum designat habitum, melotem appellare debemus, sicut et hactenus in provincia a quibusdam vocatur, de quo, sicut B. Gregorius scripsit in libro Dialogi, ereptus ab aqua per Maurum monachum puer Placidus **699** dixit: Ego cum ab aqua abstraherer, melotem supra me abbatis cernebam, eumque me ab aquis educere considerabam. » Jam vero quid sit melotes discimus ex Isidoro (*Lib.* XIX *Orig.*, *cap.* 24): « Melotes, quæ etiam pera vocatur, pellis est caprina, a collo pendens præcincta usque ad lumbos, etc. » Ubi pro *pera* legendum esse *penula* credit Alardus Gazæus in comm. ad Cassian., lib. I, cap. 8. Sed an hujusmodi habitum gesserit aliquando S. Benedictus merito dubitaverim. Hactenus censet melotem S. Benedicti tempore alio nomine vocatam fuisse cucullam; id quod probari posset ex capitulari Theodori Cantuariensis episcopi, in quo præscribitur ut in monachorum ordinationibus abbas capiti monachi velet *cuculla* per dies septem; nam Hildemarus in Regulæ cap. 58 ritus hujus mentionem faciens, *melote* exprimit quod Theodorus cucullam vocat. Verum idem Hildemarus hunc in locum scribens melotem ad scapularis, quod tamen nonnulli etiam cucullam vocarunt, similitudinem accessisse asserit; cucullamque, quam idem cum cappa esse docet, a melote distinguit; « nam aliud est cuculla, inquit, aliud melota, eo quod S. Benedictus cucullam dicit de ea quam nos cappam vocamus. » Cappam aliter describunt Bursfeldenses in Cæremoniali his verbis: « Itinerantes pro floccis, si velint, poterunt uti cappa rotunda, quæ flocco sit brevior, ut ex utraque parte foramen habeat ad exserenda brachia, et desuper caputium assutum, ad instar caputii regularis: subtus vero cappam scapulare deferant, et capellum de filtro nigrum in superficie, non hirsutum, sed planum. »

Clariorem cucullæ notitiam tradunt recentiores. S. Hildegardis cucullam dicit esse vestem « amplam, et ad talum descendentem, manicis brevibus, et manum modice præcedentibus, duobus quoque gyronibus in utroque latere sub ascella deorsum profluentibus, cui caputium desuper adhærebat, quod singulare signum monachi est, significans ne hac vel illac ad sæculum prospiciat, cum illud super caput suum habet. » Ab hujusmodi cuculla haud multum discrepat ea quam gestabant olim monachi Fuldenses, cujus figuram ex tabella Fuldensi, qua legatio ad Ludovicum imperatorem impetrando novo abbati destinata ob oculos ponitur, exhibet noster Mabillonius in præfatione ad sæculum IV Benedictinum. Illorum siquidem cernitur « cuculla non adeo ampla, manicis sat strictis, capitio in acumen desinente, et ad pectus magis aperto, cætera totum corpus ambiens ad talos usque. » Hanc cucullæ descri-

ptionem confirmat antiqua imago « Desiderii abbatis cucullati, talari scilicet vestimento undique clauso, nec admodum sinuoso, manicis non amplis, » quam in archivo Cassinensi asservari asserit Angelus de Nuce in notis ad epist. Theodemari ad Carolum Magnum. Sed et Bernardus Cassinensis hunc in locum ita scribit : « Cucullam dicit Petrus Diaconus esse cappam, propter diminutionem a casula; cujus est diminutivum cuculla. Paulus vero Diaconus quod cuculla tunica est de lana. In hoc vero Cassinensi monte cucullam appellamus habitum cum caputio ex omni parte clausum, longisque manicis **700** manicatum; quod dictum Cistercienses sequuntur in vocabulo et figura. » Bernardo concinit Nicolaus de Fractura, ex quorum testimonio elicitur, a tempore Desiderii ampliatas fuisse Cassinensium cucullarum manicas. Ad Cistercienses vero, de quibus hic Bernardus, quod spectat, vide Juliani Varnerii librum quem Gallice de antiqua Regulæ Benedictinæ praxi composuit, cap 29. At vero, juxta Boherium, « cuculla est habitus longus et amplus, sed manicas non habens; flocus autem, de quo non habetur in Regula, neque in jure antiquo, est habitus longus habens manicas. » Aliquod hic discrimen assignat Boherius inter cucullam et frocum, quem nonnulli cum ea confundunt. Istud discrimen agnovit etiam Bernardus Cassinensis infra citandus, dum scribit Cluniacenses et Ultramontanos monachos scapulare appellare cucullam, et desuper manicatam vestem sine caputio gerere, quam frocum vulgariter dicunt. Hanc differentiam confirmat et explicat scriptor Apologiæ Henrici IV imperatoris : ita enim habet : « Cuculla dicitur vestis cucullata propter cucullum, qui est capitis operimentum..... Igitur cuculla est tunica talaris, et cucullata, atque manicata, habens speciem crucis per quatuor partes extensæ, ut eum qui mundo crucifixus est, hæc quadriga ex omni parte concludat. » Et post multa : « Sed quia otiositas inimica est animæ, ideo propter opera tantum constituit S. Benedictus alteram cucullam, quæ dicitur scapulare, eo quod ejusmodi vestis apta sit caput tantum et scapulas tegere. » Itaque iste auctor duas distinguit cucullas : unam parvam, quæ, ut infra scribit, *ad renes tantum deflueret*, quam scapulare S. Benedictus appellat, et simpliciter cucullam nuncupabant Cluniacenses, aliique Ultramontani monachi, vocantque hactenus Cluniacenses; alteram majorem, quæ totum corpus ambiret, manicas et caputium habentem, quam illi flocum sive frocum vocabant, qualem supra descripsimus, cum hoc tamen discrimine, quod frocus Cluniacensium caputio careret, major autem cuculla minime. Utramque vestem S. legislator concessit, et quidem cum caputio; unam ad laborem, alteram extra opera; unde corrigendus est Boherius, dum scribit de froco in Regula nihil contineri, cum frocus, si ei caputium assuatur, et cuculla major non differant. Hanc S. Benedictus in hieme villosam, in æstate puram esse voluit : Cluniacenses tamen, ut scribit Nicolaus de Fractura, tam in æstate quam in hieme villosam deferebant. Villosam autem, secundum Bernardum Cassinensem, « intelligunt quidam, quod de panno debeat fieri villoso, id est quod vellus ovis sit ad ministrandum calorem. Alii vero dicunt, cucullæ pellem ovinam cum suo vellere jungi debere; sed qualiscunque sit cuculla, cum vellere debet esse ut frigus propellat. » Et revera pelliciis usos fuisse olim monachos et moniales infinitis posset exemplis demonstrari. Iis certe usa est sæculo VII S. Austrudis Lauduuensis abbatissa, ex ejus Vita, n. 24, sæc. II Bened. Sed de cuculla satis, nunc de tunica.

Tunica, quam alio nomine co'obium appellabant, vestis erat linea, **701** perparvas adeo manicas habens, ut cubitos non excederent, unde vestis sine manicis vulgo nuncupatur; de qua Cassianus scribens de monachi habitu (*Lib.* I, *cap.* 5), « colobiis,

A inquit, lineis induti, quæ vix ad cubitorum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus. » Et certe assutas olim non fuisse tunicis monachorum manicas colligi posse videtur ex lib. I Mir. S. Bertini, cap. 2; ex Vita S. Austrebertæ abbatissæ, n. 10, patetque ex Vita S. Guthlaci, n. 26, sæc. III Benedictino. Cujus rei rationem hanc reddit Evagrius (*Tom.* IV *Monum. Eccles. Græcæ*) : « Quod autem nudas habent manus, indicat vitam absque hypocrisi et simulatione; inanis enim gloria virtutes obtegere et obumbrare valet, quæ laudem semper ab hominibus captat, fidemque expellit. »

Tunicas ex lino gestasse testatur Cassianus; sed ex Hildemaro « tonica de lana intelligenda est esse; nam potest esse et linea tonica, et serica, sed in hoc loco videtur intelligere de lana tonicam esse debere. » Magister hebdomadariis coquinam intrantibus tunicas ex sacco, cucullas ex segestri fieri mandat in Regulæ cap. 81.

B Tunicis assuebant caputia nostri Fuldenses, ut ex Browero notat Haeftenus (*Lib.* V, *tract.* 3, *disq.* 7); sed et Cistercienses, ut ex lib. Usuum, cap. 70, manifestum est; testaturque Julianus Varnerius vidisse se anno 1612 in monasterio Claravallensi tunicam assutum habentem caputium quadratum, manicas ad brachii longitudinem, et ita latas ut duo pugna capere possent, quam ad instar tunicæ S. Bernardi factam esse asserebant. In statutis quoque Lanfranci præscribitur, ut novitius *capitio assuto tunica induatur*. Et tamen S. Hildegardis tunicam describit laneam, « et aliquantulum cuculla constrictiorem, sed circa crura aliquantulum largiorem, et ad pedes tendentem, brachialiis nec multum amplis, nec multum constrictis, ad manus tendentibus; imo autem gyrone in utroque latere sub ascella deorsum descendente, quæ desuper caputio carebat. » Et Bernardus Cassinensis, « tunicam vero, inquit, appellamus illam quam sub cuculla portamus, corpus nostrum utrinque tegentem, sed caputio carentem, cum C manicis mediocriter et mensurate longis. » Similiter et Boherius : « tunica est vestis quam subtus habitum portamus, corpus utrinque tegens, sed caputio carens, sed manicis mediocriter mensuratis et longis. Hoc apud nos cotardia vocatur, quæ rotunda etiam esse debet per circuitum, et non scissa, nec longitudine nimia, aut brevitate notanda, largas etiam habet manicas usque ad pugnum protensas, non consutitias. »

Scapulare, quod et analabus, vestis est monastica, quam nobis sub crucis similitudinem repræsentant veteres, ut videre est apud Evagrium in tom. III Monum. Eccles. Græcæ, pag. 69, probatque Menardus in notis ad Concord. Regul., cap. 62, § 1, eo quod ante et retro penderet, et ad humeros latius esset, unde et de scapulari locum illum ex Vita S. Guillelmi ducis et monachi Gellonensis intelligit (*Sæc.* IV *Ben.*, *part.* I) : « Veste apostolica instar crucis induitur, » approbante etiam nostro Mabillonio. De hac veste ita scribit Hildemarus : « Scapulare dicitur illud D unde Græci **702** schema vocant, cum quibus capita tegunt, et cingunt illa sibi, ad cujus similitudinem videtur esse illud vestimentum quod melotam vocamus. » Et Bernardus Cassinensis : « Puto scapulare dictum a scapulis, eo quod scapulas tegat; et usque hodie tam Cassinenses quam Cistercienses habitum caputiatum a scapulis ex utraque parte dependentem scapulare appellant. Sed Cassinenses idem scapulare sub brachiis circa medium corporis, quasi ad locum cinguli sutum quasi ad mensuram medii palmi de consuetudine claudunt, quod scapulare quando operantur ne opus impediat desuper cingunt, sine quo etiam scapulari, vel sine cuculla manicata non se sacris vestibus ad explenda divina officia inducere debent. Illud insuper scapulare benedicitur ab abbate, quando monachus profitetur. Attamen Cluniacenses et Ultramontani monachi scapulare illud cucullam appellant, et desuper vestem manicatam sine

capulio gerunt, quam vestem frocum vulgariter dicunt. Puto autem quod Cistercienses ad fontem recurrerunt Cassinenses * et ab illo tam vocabulum quam figuram utriusque traxerunt scapularis et cucullæ. » Simile aliquid habet Nicolaus de Fractura. De Cisterciensibus vide Julianum Varnerium loco supra citato. Bursfeldenses scapulare suum ita describunt (*Dist.* 3, *cap.* 21) : « Pro opere vero manuali, et, ex apostolico indulto, etiam in ministerio divino sub sacris vestibus etiam scapulari utimur; cujus caputium eidem assutum retro et ad utrumque latus unam palmam habebit, minus in extenso quam cuculla. Pars vero scapularis ante et retro dependens latitudinis mediæ ulnæ sit, vel quasi, longitudo usque ad talos. » Cassinenses vero præscribunt (*Declar. Cass.*, *cap.* 55), ut « scapularia monachorum sint longa super tunicam per dimidium quartæ, lataque secundum latitudinem rasciæ. Scapularia novitiorum sint stricta et curta, et protendantur usque ad genua. »

A

Scapulare S. P. Benedictus indulsit propter opera loco cucullæ, quam tunc deponebant, unde et cucullæ nomen ei inditum est, sive quia cucullæ vices teneret, sive propter caputium : hinc de scapulari locum hunc ex Vita S. Benedicti Anianensis (*Sæc.* IV *Ben.*) merito intellexeris : « In habitu quoque dissimiles fecerat multorum consuetudo; siquidem nonnullis usque ad talos cucullæ pendebant, quamobrem vir Dei uniformem cunctis tenendum monachis instituit modum, ut non amplius a duobus cubitis excederet mensura, vel usque ad genua pertingere posset; » id quod confirmat Smaragdus ad hunc locum sic scribens : « Quod vero ille dicit scapulare propter opera, hoc nos modo dicimus cucullam. » Postea vero usus invaluit, ut non solum ad opera, sed omni etiam tempore scapulare deferretur; rarius cuculla, nec nisi ad divina officia et alia hujusmodi exercitia.

B

Nullam hic S. legislator zonæ mentionem facit; cujus tamen usum supra, cap. 22, præscripsit, decernens ut vestiti dormiant monachi, et cincti cingulis aut funibus. S. Cuthbertum zona linea usum fuisse constat ex Beda in ejus Vita, cap. 23; sed S. Fulgentius Ruspensis episcopus « pelliceo cingulo tanquam monachus utebatur, » uti legimus **703** in ejus Vita. De zonæ usu et significatione videsis Haeftenum, lib. V, tract. 4, disq. 1, et tract. 10, disq. 7.

C

Nihil quoque de camisiis sive interulis S. Benedictus, quas S. Robertus abbas Molismensis repudiasse legitur apud Ordericum Vitalem in Hist. lib. V, et consequenter Cistercienses, quorum in Institutis, cap. 4, decernitur « vestitus simplex et vilis, absque pelliciis, camisiis, stamineis, qualem denique Regula describit. » Harum loco S. Patrem Benedictum, primosque ejus discipulos cilicium carne tenus gestasse contendit Haeftenus (*Lib.* V, *tract.* 3, *disq.* 7) : exemplo esse potest S. Tillo monachus Sollemniacensis (*Sæc.* II *Ben.*), cujus « indumentum valde erat vilissimum, sola tunica videlicet atque cuculla, et intrinsecus ad carnem cilicium, quod tandiu donec præ nimia vetustate consumptum nulli usui aptum esset portabat, » ut habent ejus acta. Carthusianis etiam duo cilicia indulget Guigo in Statutis, cap. 28; de primis etiam S. Emeramni Ratisponensis monachis scribit Arnulfus ejusdem monasterii monachus (*Lib.* II *Dialog.*), quod « lineis camisiis utebantur seniores, qui eas habere potuerunt, cæteri laneis utebantur, *ob penuriam scilicet cilicinarum vestium.* » Postea tamen cilicio suffectæ sunt laneæ camisiæ sive stamineæ, ut patet ex Vita S. Benedicti abbatis Anianensis (*Sæc.* IV *Ben.*), qui, testante Ardone ejus discipulo, « concessit necessitatis causa, propter quam regula jubet, duas scilicet stamineas, etc. » Totidem antea suis permiserat S. Fructuosus in Regulæ cap. 4, et postea concilium Aquisgranense, can. 22, Regulaque solitariorum, cap. 49. Sed et Ansegisus abbas Fontanellensis in sua constitutione de victu et vestitu monachorum « drappos albos 20, de quibus camisiæ 20 fieri possent, » suis Fontanellensibus assignavit. Denique sanctus Odilo abbas Cluniacensis (*Apud Boll.* 1 *Januar.*) « die quodam duos in itinere pueros fame peremptos reperit. Mox equo desiliens, laneam qua indutus erat ad carnem subduxit sibi interulam, eaque, prout velaminis quantitas permittebat, utrumque cadaver obvolvens, exhibet mortuis sepulturam, » quemadmodum scribit Petrus Damiani in ejus Vita. Cæterum nostris lineis uti camisiis, præterquam forte infirmis, nunquam licuit. « Monachi, inquit Zacharias papa in epistola ad Pipinum et universos Franciæ episcopos et abbates (*Apud Bar.*, *ann.* 744), *laneo* indumento, juxta normam et regulam monasticæ disciplinæ, atque traditionem sanctorum probabilium Patrum, sine intermissione utantur; quia monachi ab omnibus illicitis debent abstinere. Apostolis autem divinum datum esse mandatum duas tunicas non habendi : tunicas dixit itaque laneas, non lineas. » Et antea S. Ferreolus in Regula præscripserat (*Cap.* 31) « ut monachus quamlibet delicati corporis linea ad nuda corporis non utatur. » Et S. Isidorus : « Lineo non oportet indui monachum. » In litteris etiam G. abbatis Mosomensis, et A. abbatis Marchianensis ad abbates S. Theoderici (*Hist. ms. S. Theod.*, *ad ann.* 1279) et S. Crispini, quibus eos suæ provinciæ constituunt visitatores, hæc lego : « Inhibeatis in eisdem capitulis districte, ne abbates vel monachi lineis utantur extra monasterium, quando equitant, cum hoc cedat in scandalum sæcularium, et totius ordinis nostri derisum, nec **704** etiam intra monasterium, nisi evidens infirmitas et corporis debilitas hoc requirat. » Idem decernunt in suis constitutionibus pro monachis Benedictinis Innocentius III, Gregorius IX, Nicolaus IV in bulla ad Cluniacenses, et Benedictus XII. Pueris tamen lineas camisias permittebant Cluniacenses ex Udalrico, lib. III, cap. 8. Aelredus vero (*Reg. cap.* 20) virginibus suis *duas stupacio camisias vel staminas.*

D

Pro pedum indumento S. Benedictus indulsit pedules et caligas. Quid vero sint pedules, quid caligæ, non facile explicaverim : « Pedules, inquit Smaragdus, dicit ille, quod nos modo dicimus calceos : caligas ille, quod nos subtalares vel soccos vocamus; caligæ autem a callo pedum dictæ, vel quia ligantur, nam et calcearii vocantur. » Hildemarus : « Pedules sunt illa vestimenta quæ in modum tribuci facta sunt, sed pedes tegunt, unde quia in pedes mittuntur, pedules vocantur; sunt enim multi monachi qui propter sudorem pedum dividunt illud, quod in pedes mittunt, ne grave sit eis ad lavandum. Caligæ autem, ut Isidorus dicit, dictæ sunt a callo pedum, vel quia ligantur; nam socci non ligantur, sed intromittuntur. » Bernardus Cassinensis : « Quanquam expositores diversimode de istis duobus indumentis pedum exponendo dicant, quidquid in pedibus mittitur, sive de corio, sive de lana fiat, pedules congrue appellantur : pedules enim a pede dicuntur, caligæ autem dicuntur a calceamentis crurium, a calcio, calcias, calciare; hinc caliga, caligæ. Vel etiam caliga dicitur a colligo, colligas, quasi circa collum ligata, quia caligæ ligantur.... Sed nota quod monachi ultramontani habent pedules de lana diversos ab illo indumento in modum tibiaci facto, et operiunt tibiam propter facilem ablutionem, et ad evitandum quandoque pedum sudorem; de nocte autem abstrahentes illos pedules, pedibus jam nudatis, retentis tibiacis in lecto quiescunt, ne forte pedulum impedimento fumositates per poros emissæ retineantur inclusæ, et sic per consequens caput lædant ad cerebrum ascendendo. » Nicolaus de Fractura « pedules de corio, et caligas de lana intelligit. » Econtra Richardo de S. Angelo caligæ sunt : « Ocreæ, vel calsaria, vel aliud genus vestimenti; et dicitur inquit,

* Lege *Cassinensem*, aut, *Cassinensium*. EDIT.

a callo pedum, vel quasi a colligando, quia ligantur dure. » Boherius in primo commentario, relata Bernardi et Smaragdi sententia, addit : « Ego credo cum Catone quod pedules, lis, dicitur a pes, et est pars caligarum quæ pedem capit, licet largius forsan hoc magister hic intellexerit, ut supra dicitur. Et scias quod soccis de corio commodius utimur ; et hi non ligantur, sed caligæ, sed tantum mittuntur, quod Teutonia, et nos botas dicimus. » Antiqua versio Gallica ms. hæc duo vocabula *pedules et caligas* ita reddit : *Chaussons et hauts soulles ;* versio Joannis *de Précis*, *soulers chauçons ;* versio Theobaldi Artaldi, *les chauces et les chauçons de drap, et les souliers de cuir ;* versio Guidonis, *des souliers, ou des chaussons, et des chausses ;* versio recentior, *des bas et des souliers.* Menardus noster *pedules* dicit esse *fascias ;* et revera fasciis usos esse veteres patet ex **705** Aimoino in lib. II de Mir. S. Benedicti, num. 2 : *Fasciolis a tibiis resolutis ad binas pontis tabulas se alligavit.* Caligas vero calceamentum ex pellibus, quod ad mediam suram surgebat, multisque ligulis seu corrigiis constringebatur. Haeftenus *pedules* interpretatur udones, sive laneos soccos, Gallice *des chaussons. Caligas* vero sandalia, sive soleas simplices sine superiori corio, sed multis corrigiis ligatas, fere ad instar sandaliorum, quæ hodie ferunt Patres capucini. Sed tamen sancta Radegundis (*Sæc.* I *Ben.*) *de caliga sua sibi duas fecit manicas*, ut scribitur in lib. II de ejus Vita, num. 8, quod coriaceis sandaliis parum convenit. In hac tanta varietate aliquid certo definire difficile est. De pedulibus apud antiquiores monachos nihil quod sciam reperi : caligis vero ad propellendum in hieme frigus, et in æstate cum meridiani æstus fervor exigeret, utebantur. Existimaret aliquis S. Benedictum æstate caligas indulsisse, quibus hieme pedules addiderit, quidquid tandem indumenta illa pedum exstiterint. Ita S. Isidorus, qui utrumque, pedules et caligas concedit, « pedules, inquit (*Cap.* 13), utentur in monasterio, quandiu hiemis coegerit violentia, sive dum fratres gradiuntur in itinere, vel proficiscuntur ad urbem. » Et S. Fructuosus (*Cap.* 4) : « In ipsis quoque calcearis hoc utendum est, ut hieme pedules calceent qui voluerint, a die calendarum Novembrium usque ad calendas Maias. Reliquis æstivis mensibus caligarum tantum solatiis muniendi sunt. » Magister tamen in Regula sua de calceamentis hæc habet (*Cap.* 81) : « Oportet fratres caligas habere ferratas triclinas, non ad lusum, sed ad usum, quas debent tempore hiemis uti ; æstatis tempore unctas reponi. Et caligas omnes oportet habere clavatas, tam in monasterio quam in via, ut et diu repositæ caligæ conserventur, et pes fratris in caliga refrigeretur. Ad nocturnos vero ligneos culpus (*Sic*) utantur, ne inquinatis pedibus ad suum revertentes stratum, lectorum sagos non inquinent. In hieme vero ad nocturnos pedulibus utantur pelliceis propter frigus pedum. » Quod de clavatis caligis hic dicitur confirmari potest ex eo quod S. Gregorius papa de S. Equitio abbate scribit (*Lib.* I *Dial.*, *cap.* 4) : *Clavatis calceatus caligis* erat. S. Eugendus abbas Jurensis (*In ejus Vita, num.* 6, *sæc.* I *Bened.*), habebat « calceamenta fortia rusticaque in modum priscorum Patrum, constrictus ocreis crura, fasciolisque plantas. » An vero per ocreas caligas, per fasciolas pedules intellexerit ? At decessor ejus S. Lupicinus (*Bolland.*, 21 *Mart.*) « calceamento tum tantummodo usus est, cum pro aliquibus forsitan ad comitatum intercessurus ingressus est. In monasterio vero etsi prolixius egressus est ad culturam, lignea tantum sola, quæ vulgo soccos monasteria vocitant Gallicana, continuato petitus est usu. » Non defuere etiam tam ex antiquis quam ex recentioribus monachis qui nudis ambularent pedibus. De S. Antonio id colligere licet ex ejus Vita, cap. 23. S. Fructuosus, teste Valerio in ejus Vita, num. 3 (*Sæc.* II *Ben.*), « Nudus vestigiis penetrabat loca nemorosa. » Et infra, num. 11, « Vili habitu ex-

A calceatis nudisque pedibus » dicitur. Idem de Sitriensibus monachis scribit Petrus Damiani in Vita S. Romualdi, cap. 64. Denique primos Molismenses **706** fratres civitatem Trecas *nudis pedibus* aliquando ingressos esse constat ex Vita S. Roberti, num. 8 (*Bolland.*, 29 *Aprilis*).

Hactenus de vestibus a S. Benedicto concessis ; nunc quas alii monachorum Patres suis indulserint gestaverintque rescire forte an optabit aliquis. Rem ex antiquis eorum regulis et factis illustrare juvat. Atque ut a S. Pachomio, qui primus cœnobitarum Pater exstitit, ducamus exordium, in Regula sua, prout est in codice Regularum excusa, sic loquitur (*Art.* 81) : « Exceptis his quæ a Patre monasterii per domorum præpositos dividentur, id est armatura sua, levitonariis duobus, et uno attrito ex usu, sabano longiore, quod collo humerisque circumdat pellicula, quæ pendet ex latere, gallicis et cucullis duobus, zona et bacello ; præter hæc quidquid in- B veneris absque contradictione auferes. » Eadem fere habet Orsiesii abbatis ejusque discipuli doctrina (*Num.* 22) : « Sufficit nobis habere quod homini satis est, duo levitonaria, et alium attritum, et palliolum lineum, duos cucullos, zonam lineam, gallicas, pellem et virgam. » Quales essent Basilianorum vestes discimus ex Vita S. Philareti sæculo XI a Nilo monacho coætaneo scripta, num. 21 (*Bolland.*, 6 *Aprilis*), ubi agens de illius ad habitum monasticum receptione, has recenset vestes : *Sticarium, id est* tunicam ; *pallium, quod supra cervices et scapulas est ; cucullium, quod capiti imponimus ;* crucem in fronte gestandam, *et cingulum cum sua fibula.* Inter Ægyptiorum monachorum vestes Evagrius Sithensis monachus in epistola ad Anatolium (*Tom.* III *Mon. Eccles. Græc.*) hæc nominat : Cucullum, analabum, melotem, zonam, et baculum. Alias addit Cassianus eo in libro quem de Habitu monachi conscripsit, ubi has eorum vestes earumque symbola explicat, scilicet cucullum, colobium, rebrachiato- C ria, mafortes, melotem et pellem caprinam, cingulum et caligas.

Abbas Patermuthius adolescentem ad se conversionis gratia accedentem « lebitone indutum, cuculla capiti circumposita, ac melote ad humeros, cinctumque linteo ad monachale institutum, exercitiumque promovit, » ut videre est in Ægypt. monach. Historia (*Tom.* III *Mon. Eccles. Græcæ*). In Regula S. Isidori hæc lego (*Cap.* 13) : « Ternis tunicis, et binis palliis, singulisque cucullis contenti erunt servi Christi, quibus supra adjicietur melotes pellicea, mappula, manicæ quoque, pedules et caligæ. » In Regula vero S. Fructuosi (*Cap.* 4) : « Vestimenta non multa nec superflua sint, duabus tantum cucullis, villata et simplici, et uno palliolo, ternisque tunicis, et stamineis duabus cujusque necessitatis querimonia sufficienda est. In ipsis quoque calceis hoc utendum est, ut hieme pedules calceent, qui voluerint, a die calendarum Novembrium usque ad calendas Maias : reliquis æstivis mensibus caligarum D tantum solatiis muniendi sunt. Femoralium usus cuiquam est permittendus, maxime his qui ministerio implicantur altaris. » Denique in Regula Magistri (*Cap.* 81) : « Habere debent fratres in hieme paraturam grossam, quotidianam, stamineam, et tunicam aliam nocturnam, quam post nocturnos puducient (*Sic*); quia in die diversis occupantur laboribus. Habeant enim in hieme et pallium **707** stamineum, braccas laneas, et fasciolas aut pedules. In æstate vero habeant paraturam linostimam, non satis grossam propter laborem et sudorem ; et habeant pallios, linostimos subtiles non satis propter æstus sudoris, et braccas lineas. Fasciolas lineas vero uti Dei homines prohibemus, ut aliquid distet a clerico monachus. Et habeant singulas paraturas linostimas subtiliores, quas diebus festis solum in processionibus utantur. Et in æstate habeant singula mannariola linea propter sudores, et singula facitergia per de-

eadem .... Hebdomadariis coquinam intrantibus sacci sint tunicæ, et cucullæ sint segestræ. »

Ex dictis hactenus satis refutata manet eorum sententia qui priscos monachos a sæcularibus viris non fuisse habitu distinctos, nisi quod simplices et rusticanas vestes portarent, incunctanter asserunt. Certe S. Palæmon Pachomium adolescentem post multas preces in cellam admissum *monachorum habitu* induisse scribitur in antiqua ejusdem S. Pachomii Vita, n. 4 (*Apud Boll.*, 14 *Maii*). In Regula eidem ab angelo tradita inter alia ferebatur scriptum, « ut peregrinus alterius monasterii, si veniret, *habens habitum diversum*, nullus cum eo comederet, excepto eo qui iter agens id observare non posset; » et inter præcepta ejusdem S. Pachomii, quæ post ejus Vitam edidit Bollandi continuator, decimus sextus præscribit, ut monachum fieri volentem *sæcularibus vestibus exuant, et novitiorum habitu vestiant.* Ipse S. Pater Benedictus sæculum fugiens *sanctæ conversationis habitum quæsivit*, ut scribit S. Greg. in lib. II Dial. Et plane, sicuti optime argumentatur S. Basilius (*Regul. fus.*, *c.* 22), « juxta cujusque propositum competens ei debet esse vestimentum; sicut enim alius est habitus militis, alius senatoris, ex quo intelligitur quod iste senator sit, ille miles, ita monacho suus debet esse vestitus, ex quo vel ipso intuitu cognoscatur quod sit monachus. »

De quarum rerum omnium colore aut grossitudine non causentur monachi.] Quod ita exponit Hildemarus: « Non debent monachi causari si pedules albi fuerint, et tunicæ fuscæ; id est si pedules alterius coloris fuerint, et alterius tunicæ, atque alterius cucullæ, aut si grossæ fuerint. » Bernardus autem Cassinensis: « Si non est splendidus, aut speciosus, vel si non est multum vilis, humilis et abjectus, non causentur. » De colore habitus Benedictini litigant inter se auctores. Nigrum communiter propugnant commentatores: ita Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Richardus a S. Angelo, Petrus Boherius, et alii, quorum præcipuæ rationes sunt 1° quod eo S. Benedictum usum esse asserunt: « Beatus vero Benedictus, inquit Bernardus, a quibusdam antiquis doctoribus Cassinensibus nigris usus vestibus et vilibus traditur in scriptis fuisse. » Et Nicolaus: « In antiqua Chronica Petri Diaconi scriptum a nobis et nostris majoribus reperitur, quomodo in monasterio Floriacensi repertus est caputius cucullæ B. Benedicti ex nigris villis contextus. » Et infra: « Legimus in Vita Caroli Magni Cassinensis cœnobii monachi, quod cum Carolus Magnus in territorio Vituriensi, in loco qui Macyatus **708** appellatur construxisset monasterium in honorem B. Martini, illudque submittens Cassinensi cœnobio, posuit ibi caputium P. N. Benedicti ex villis nigris contextum, longitudine trium unciarum. » Idem scribit Richardus de S. Angelo. Et Petrus Boherius: « B. tamen Benedictus nigris vestibus usus traditur a quibusdam SS. antiquis doctoribus Cassinensibus, quorum aliqui dicunt apud montem Cassinum usque nunc schema monasticum quo B. Benedictus usus est perseverare. » Denique Petrus Diaconus interrogatus a monacho Cistellensi coram Lothario imperatore, cur nigris semper vestibus uterentur, respondit: « Quia talibus Benedictus Pater usus est, ut habitu quoque mundo renuntiasse videretur. » Verum fides sit penes istos auctores.

Secunda ratio est quod non solum S. P. Benedictus, sed omnes insuper ejus primos discipulos nigris usos esse vestibus asserunt, quod ad annum saltem millesimum perseverasse auctor est Antonius Yepezius in Chronico ad ann. 525, unde et *Monachorum Nigrorum* nomen illis inditum est, quo ab annis fere mille appellatos fuisse constat, ex charta Ethelbaldi regis ann. 716 data, in qua hæc leguntur (*Ingulf. in Hist. Croyl.*): « Trado et concedo omnipotenti Deo, B. Mariæ, et S. Bartholomæo de

A dominiis meis ad fundationem *Nigrorum Monachorum sub norma S. Benedicti famulantium* totam insulam Croylandiæ. » Et postea Offa rex Merciorum anno 755 (*Ibid.*), « monasterium *Nigrorum Monachorum* in Verolamia civitate ad honorem Dei et protomartyris Anglorum S. Albani » apud Ingulfum fundasse dicitur. Id quod confirmat Thomas Eliensis monachus in Vita S. Ethildritæ reginæ (*Sæc.* II *Ben.*), de qua n. 24 ita loquitur: « Pro regali diademate humili obumbratur velamine, pro bysso et purpura ambitur nigra veste et aspera. » Et anonymus Trevirensis, in lib. de Reliquiis S. Matthiæ, n. 11 (*Bolland.*, 24 *Febr.*), in quo hæc leguntur: « Interea maligni quidam consilio inito Matthiam inde asportare volebant, asserentes monachos sicut veste, ita etiam moribus nigros indignos esse Matthia. » Hinc tanta apud nostros nigri habitus retinendi obstinatio, ut cum Cœlestinus papa V cœnobium Cassinense unire suæ congregationi, et monachos ejusdem monasterii ad mutandum habitum inducere vellet, permulti
B Cassino cedere maluerunt quam nigram dimittere vestem, ut docent in suis Commentariis Nicolaus de Fractura hic, et Richardus in cap. 21, ab Augustino a Janua citatus.

Tertia ratio repetitur ab exemplo antiquiorum S. Benedicto monachorum, quos atra veste usos esse aiunt. Istud argumentum fuse et eleganter prosequitur Petrus Venerabilis ad S. Bernardum scribens (*Lib.* I, *epist.* 28, *et lib.* IV, *epist.* 17), profertque inter alios S. Martinum, quem *nigro ac pendulo pallio* circumtectum describit Sulpicius; S. Hieronymum ad Nepotianum scribentem: *Vestes pullas æque ut candidas devita*; et S. Paulinum de nobilissima quadam femina, ad propositum religionis nuper conversa, ita scribentem in epistola ad Severum Sulpicium: « Vidimus dignam Deo hujus mundi confusionem, purpuream sericam, auratamque supellectilem pannis veteribus *et nigris* servientem. » Addere potuisset illud Regulæ **709** tertiæ SS. Patrum cap. 3: « Vestimenta fratribus necessaria ita abbas omnibus ordi-
C nare debet, quæ monachis deceant, non diversis coloribus tincta, exceptis cucullis, quæ comparantur, si fuerint nigræ, uti eas debere censemus. » Item illud Regulæ S. Aureliani ad monachos (*Cap.* 26): « Vestimenta alio colore non induatis, nisi laia, lactina, et *nigra*; » denique Regulam S. Ferreoli (*Cap.* 32): « Vestimentorum fragrantiam, vel nimium propter elationem nitorem monachus studeat non habere; sed sequens melius Apostolum dicentem: *Bonus odor sumus Jesu Christi.* Colorem etiam in his *album*, vel nimis *rufum*, per quem sæpe species corporis ad perniciem suam videntibus commendatur, vitet, et habere non ambiat. » *Vide* S. Augustini epist. 209, n. 9, in nova editione.

Quartam rationem innuit Boherius his verbis: « Tenemus quod crucifixo Domino et mortuo, quidam apostoli nigra sibi operimenta fecerunt; quæ usque hodie a viduis et charissimis amicis post obitum virorum et charorum fiunt, et lugubres appel-
D lantur. In his Italiæ partibus hunc colorem in suo habitu conservasse leguntur in memoriam mortis Christi. Græci etiam monachi nigro utuntur colore, » quæ haud dubium desumpsit ex Nicolao de Fractura.

Quintam rationem ita exponit Petrus Venerabilis (*Lib.* IV, *epist.* 17): « Ut quod sentio fatear, visum est, ut mihi videtur, magnis Patribus illis nigrum de quo agitur colorem magis humilitati, magis pœnitentiæ, magis luctui convenire, quibus studiis, quia totam monachi vitam invigilare oportet, decreverunt ut color moribus, vestes virtutibus qua possent cognatione jungerentur, etc.; » et Richardus de S. Angelo: « Color niger magis convenit monacho quam alius color: designat enim tristitiam, sicut communiter patet, cum moritur aliquis in hoc mundo, omnes consanguinei ejus induunt pannos nigros ad designandam tristitiam. » Idem fuse prosequitur Nicolaus de Fractura. Denique S. Joannes Climacus (*Grad.*

7) : « Cultus, inquit, ipse corporis, et vestis tua religiosa te ad luctum excitet; omnes quippe qui funera lugent, pullati incedunt. »

Tandem Richardus a S. Angelo, « credo, infit, quod hac de causa fuerit electus color niger, quia turpior et vilior est aliis coloribus, sicut patet per rei evidentiam, vel ut semper recordaremur turpitudinis diaboli, qui dicitur esse hujus coloris, quamvis aliquando in lucis angelum se transformet. »

Attamen non obstantibus hisce rationibus pro albo colore stat Mabillonius noster in præfatione ad sæc. v Bened., ubi sic discurrit (*Pag.* 40) : « Tria sunt instituti nostri vestimenta propria, tunica, cuculla, scapulare. Tunica ad talos defluit, *albi passim coloris* ante annos octingentos, ut in variis Rabani aliorumque iconibus observavimus, atque etiam in Rituali Anianensi. Et ratio sane id postulabat, quandoquidem tunicam, quæ cuti adhærebat (nam laneæ interulæ præter Regulæ auctoritatem postea concessæ sunt), cum sæpius lavari ad munditiam exigeret, potius ex lana candida quam ex nigra fieri congruum 710 erat. Scapulare ita dictum, quod scapulas præcipue tegat et caput, ad laborem qui corpore exercetur, a sanctissimo legislatore concessum est. Cuculla summa vestis est, cum operimento capitis, undique corpus et brachia obvolvit. Utraque nigri semper coloris fuit; unde *Monachi Nigri* appellati; Cistercienses vero Albi, quod cucullam candidi coloris nigræ * pertulerint. » Verum etiam cucullam albi fuisse coloris probat id quod de S. Juniano, qui eodem cum S. Mauro vivebat tempore, scribit Wilfinus Boetius in ejus Vita, n. 7 (*Sæc.* I *Ben.*) : « Vestis ejus cilicina de caprarum pilis, quæ in modum caracallæ, quam nunc cappam vocamus, perseverat usque hodie apud nos, quæ ita illæsa perseverat, ut nihil vetustatis redoleat, *candido colore* perfusa. » Sed et S. Maurum Jacobo abbati Cormaricensis monasterii *candidissimum monachi præferens habitum* apparuisse scribebat anno 869 (*Sæc.* IV, *part.* II) Odo Glannafoliensis abbas in Historia translationis S. Mauri, n. 9, et Ansegisus (*In ejus Vita, sæc.* IV *Ben.*, *part.* I) in Constitutione de victu et vestitu monachorum Fontanellensium assignat « ad saccos 15 comparandum griseos sicciscos unde cappæ fiant. » Porro cappæ nomine intelligi cucullam constat ex dictis; griseumque colorem magis ad album quam ad nigrum accedere omnibus notum est. Erant ergo etiam cucullæ albæ, saltem aliquibus in monasteriis, nam de omnibus quis id asserat? Alioqui Mabillonii sententiam confirmat id quod ipse alibi scribit, vidisse se in Vaticana bibliotheca codicem unum (*Iter Ital.*, *pag.* 122), « in quo Gregorii et Victoris III de S. Benedicto Dialogi, et quidquid ad S. Patrem pertinet, continetur, cum variis monachorum atque abbatum figuris, in quibus cuculla atra, toga alba depingitur. » Et in Barberina autographum Chronici S. Vincentii de Vulturno (*Ibid.*, *p.* 133), in quo variæ depinguntur figuræ, in his « Monachus cum tunica alba, et subastro scapulari quod tribus redimiculis ad utrumque latus astrictum est. » Exstat etiam in codice bibliothecæ Cassinensis, n. 370, ante initium litaniarum S. Gregorii pro peste, imago monachi defuncti, cujus tunica albi, parva cuculla seu scapulare violacei subobscuri coloris cernitur.

Et certe antiquiorum monachorum vestes albi passim fuisse coloris infinitis posset testimoniis demonstrari. Talem fuisse S. Antonii habitum probat Bollandus in prævio commentario ad ejus Vitam, § 15 (*Bolland.*, 17 *Januar.*), patetque ex ejus Vitæ cap. 23, ubi *candente præcinctus veste* suo judicem aspectu provocasse dicitur. In Regula etiam S. Pachomio ab angelo tradita, prout exstat in ejus Vita, et apud Palladium in Lausiaca, cap. 38, præscribitur « ut habeant singuli melotem, id est caprinam pellem, confectam *albam*, sine qua neque comedant, neque dormiant. » S. Apollonii discipuli, numero quingenti, *tota veste candidati* erant, teste Palladio in eadem Lausiaca, cap. 52, unde et S. Joannes Chrysostomus in homilia 70 in Matthæum de monachis loquens : « Cur, inquit, ad illos angelos non gradiemur? cur non *candidas vestes* sumamus, etc.? » S. Patricius etiam in Hibernia *cuculla candida amiciebatur*, ut refert Jocelinus in ejus Vita, cap. 185. Mackalle episcopus, uti auctor est Cogitosus 711 in Vita S. Brigidæ virg., num. 5 (*Apud Boll.*, 1 *Februar.*), « pallium *album* et vestem *candidam* super ipsius venerabile caput imposuit. » Denique in Vita S. Columbæ abbatis Hiiensis a Cummeneo Albo scripta, num. 26 (*Sæc.* I *Ben.*), hæc lego : « *Candidam tunicam* B. viri, qua in hora exitus sui indutus erat, in aere levaverunt. » Jam vero si antiquas regulas consulamus, præter Pachomianam, quam modo citavimus, Regula S. Cæsarii ad virgines ita habet (*Cap.* 40) : « Omnia indumenta simplici tantum et honesto colore habeant, nunquam nigra, non lucida, sed tantum laia, vel *lactina* in monasterio per industriam præpositæ, vel sollicitudinem lanipendiæ fiant. » Regula S. Aureliani item ad virgines (*Cap.* 22): « Vestimenta alio colore non induatis, nisi laia et *lactina*. » Regula S. Donati (*Cap.* 63) : « Moneo specialius ut vestimenta lucida, vel cum purpura, vel bebrina nunquam in usu habeatis, nisi tantum laia et *lactina*. » Tandem Regula Tarnatensis (*Cap.* 19) : « Vestes tam simplici erunt et nativo colore procurandæ, ne disparilitas vestium nutriat arrogantiæ vitium. » Porro nativus ovium color est communiter albus. Ex his omnibus patet quam immerito olim Cistercienses novitatis increpati fuerint, quod vestem candidam atræ prætulerint, cum potius laudandi fuissent, *quod in* vestium colore, sicut in aliis multis, ad primitivum fontem recurrerint. Candidum colorem cum Cisterciensibus deferunt Camaldulenses, Carthusienses, Cœlestini, et Olivetani, quamvis Cœlestini nigro utantur scapulari et cucullo. Eremitæ etiam Fontis Avellani albis induti erant vestibus, cum pallio cærulei coloris. Tironensibus monachis *habitum grisei coloris fuisse* legimus in Monastico Anglicano, pag. 704, et in Itinere Italico Mabillonii, pag. 197, unde et de his ita scribit Gaufredus in Vita Bernardi abbatis Tironensis, num. 71 (*Apud Boll.*, *April.*) : « Habitum quidem monachi habentes, sed vilem, incultum, villosum, a cæterorum habitu monachorum valde dissimilem, ovibus ipsis a quibus sumptus fuerat valde consimilem. » In statutis etiam Gauderici abbatis Reomaensis circa annum 1280 decernitur quolibet anno singulis tradi *cucullam et froccum de panno rosseto*. Denique scribit Antonius Yepezius primarium suæ congregationis habitum castaneum sive cervinum fuisse. Ad vitandam autem omnem in habitu diversitatem, Clemens V in concilio Viennensi statuit, « ut superior vestis ipsorum habitui proxima nigri, bruni, aut albi coloris existat. » At quid pluribus disputare de colore vestium, cum de eo monachos causari vetuerit S. P. Benedictus? « Noli, inquiebat Petrus Venerabilis (*Lib.* IV, *epist.* 17), oro te, frater, si ovis Christi esse cupis, vario de vellere causari, quia nullum de ovili suo pastor ille projicit, nisi quem non coloris varietas, sed fidei vel charitatis læsio ab ovium suarum grege secernit : non, inquam, secernit quemquam ab ovili suo propter colorem, qui de tam semotis regionibus, de tam diversis regionibus in uno fidei Christianæ ovili Judæum congregavit pariter et gentilem. » Et alter Petrus, Blesensis scilicet (*Epist.* 97) : « Sive in alba, sive in pulla veste in omni professione et ordine, in omni gente quicunque operatur voluntatem Domini acceptus 712 est illi : inter album et nigrum habitum non distinguit ille, apud quem non est distinctio Judæi et Græci. Attendit Dominus mentem, non vestem; merita, non colorem. In monte Cassino schema monasticum quo B. Benedictus usus est, usque hodie, sicut dicitur, perseverat. Quis audeat tanti Patris habitum blasphemare in filiis? Nam si delibatio sancta, et massa : si radix sancta, et rami. Sive cum Nazaræis candidior nive sit aliquis; sive cum B. Job super

* Non video ad quid vox *nigræ* referri posset : redundare videtur. Edit.

carbonem denigrata sit cutis ejus; uterque salutem in domo Domini operatur. Sane in ovili Jacob sunt agni albi et nigri; in vinea Sorec sunt uvæ albæ et nigræ. Sed et sponsa, quæ liliis convallium prælbescit, ipsa eadem dicit: Nigra sum, sed formosa. Apud sponsam Christi non est absurda varietas, cum ipsa circumamicta varietatibus describatur. Ipsa varietas uniformitatis causa est, nam in cithara ex diversitate chordarum fit uniformis modulatio ad concentum. »

Neque vero de colore tantum, sed etiam de grossitudine ne causentur monachi vetat S. legislator, iis duntaxat volens esse contentos vestibus, quæ inveniri possunt in provincia qua degunt, aut quod vilius comparari potest. Nihil enim indignius monacho veste pretiosa et lucida: « Vestis sit monachi, inquit Cassianus (*Lib.* v, *c.* 5), quæ corpus contegat tantum, et repellat nuditatis verecundiam, et frigoris retundat injuriam; non quæ seminaria vanitatis et elationis enutriat, etc. » Et S. Odo abbas Cluniacensis (*Lib.* III *Coll.*, *num.* 17): « An non apostasia est humilem vestitum spernere, et decorem vestimenti quærere, cum angelus apostata perfectus decore superbiens in tartarum ruerit? » Et alio in loco: « Sicut B. Hieronymus in epistola ad filiam Mauricii perhibet (*Lib.* II, *n.* 7), grandis divinæ gratiæ contumelia est mundani et sæcularis ornamenti prælatio; et crimen est, post chrismatis sanctificationem cujuscunque specie terrenæ creaturæ caput vel corpus ornari, quod jam cœlesti splendore refulget. » Et infra S. Cyprianum in libro de Virginibus sic loquentem inducit: « Serico et purpura indutæ Christum induere non possunt: auro et margaritis et monilibus adornatæ ornamenta cordis perdiderunt. » *Vide* S. Basilii Constitutiones monasticas, cap. 31; S. Dorothei Doct., cap. 19, et Regulam solitariorum cap. 49, et S. Bernard. homil. 4, super *Missus est*.

Porro acute hic notant Hildemarus, Bernardus Cassinensis, et Nicolaus de Fractura, S. Benedictum non simpliciter viles, nec omnino vilissimas vestes præscripsisse; ne si viles instituisset, ad preciosas; si vilissimas, ad sordes, et affectatam nimis abjectionem aut immunditiem accedere videretur: utrumque enim pari studio monachis esse vitandum docent S. Hieronymus epist. 2 et 22, S. Isidorus in Regula cap. 13, et concilium Aquisgranense can. 20. Atque ita S. Cuthbertus, teste Beda (*In ejus Vita*, *cap.* 16, *sæc.* 2), « vestimentis utebatur communibus, ita temperanter agens, ut horum neque munditiis, neque sordibus esset notabilis. Unde usque hodie, inquit, in eodem monasterio exemplo ejus observatur, ne quis varii aut pretiosi coloris habeat indumentum, sed ea maxime

713 vestium specie sint contenti, quam naturalis ovium lana ministrat. » Narrant etiam de S. Maglorio (*In ejus Vita*, *sæc.* I), quod « corpus ejus jugiter cilicio tegebatur, vestimentis quoque a foris nec multimodis vilibus, nec pretiosis, sed mediocribus; ne forte humanarum laudum blandiretur fomentis, quod est muscipula æternæ damnationis, induebatur; » et de S. Bernardo (*Lib.* III *de ejus Vita*, *c.* 2): « In vestibus ei paupertas semper placuit, sordes nunquam: nimirum animi fore indices aiebat, aut negligentis, aut foris gloriam affectantis humanam. » *Vide* Vitam Walæ abbatis Corbeiensis lib. I, cap. 22, sæc. IV.

Abbas autem de mensura provideat, ut non sint curta ipsa vestimenta utentibus ea, sed mensurata.] Hoc est nec nimis longa, nec nimis curta: unum enim vanitatem, alterum modestiam minus sapit. Curtum autem nimis vestimentum Bernardo Cassinensi est, « quod talum non attingit protensum: nimis longum, quod defluit per humum, et pulverem movet, seu congregat lutum. » De mensura vestimentorum hæc habent mss. Romani S. Pauli, et Farfensis monasterii Consuetudines ab annis circiter septingentis descriptæ: « Vestimenta fratrum mittit S. Benedictus in prudentia abbatis, ut sint mensurata. Qualis autem sit illa mensura secundum Patrum definitionem quan- A tum possumus indagamus. Cuculla quæ nostro singulariter convenit ordini, quod vestimentum antiquitus vocabatur colobium, id est tunica sine manicis, tantum debet habere latitudinis, ut ambobus convenienter aptetur cubitis: longitudinis vero tantum antea, quod ad collum pedis usque pertingat, et sit apta corpori, ut sit ex omni parte rotunda. Capellum ipsius præter limbum integrum virilis pedis ex omni parte quadratam debet continere mensuram. Apertura superior habeat cubitum usque ad pollicis summum; inferior cubitum integrum, et trium digitorum in ante appareat latitudo cucullæ capitio. Similiter autem subtus circa pedes tunica debet esse rotunda, qualitate mensurata: sagittas vero vel gerones tantum habeat, ut iter gradientes vel superfluitate, vel parcitate non impediat; cujus manicæ debent ex utraque parte ad secundos digitorum nodos usque pertingere. Staminea talem debet mensuram habere, ut possit collum pedis cincta pertingere. Similiter autem sicut cucullæ subtus apertura digito terminetur. Capitium habeat pedem B integrum: similiter et manica parte latiori; contra manum vero, quo manere solet, angustior, e radice pollicis usque terminum indicis extendatur. Corrigia, qua cingitur staminia, postquam fuerit bene extenta, latitudinem in se pollicis habeat. Cultellum inter ferrum et manubrium trium adjecta latitudine digitorum habeat pedem dimidium. Femoralia, quæ S. Benedictus concessit iter agentibus, quia nunc temporis incertum est quo vel quali tempore foris mittantur, omnibus conceduntur: taliter mensurentur, ut in longitudine corporis possint convenienter aptari; latitudine vero pars utraque, sicut esse solet, dupla cubitum usque ad pollicem habeat 714 jam consuta. At vero caligæ pedem integrum superius habeant jam consutæ, quæ fiant etiam longæ, ut secundum staturam hominis, quod in omnibus procurandum est vestimentis, cruribus convenienter aptentur; quæ de summo usque ad pedem taliter constringantur, ut cum superius pedem habent, in- C ferius dimidium. Cesta caligæ, cum fuerit assuta, debet esse tam longa, quæ possit intra pugnum fieri constricta. Calcei præter limbum, qui assuitur, altitudinem habeat pedem ¦ dimidium. Anteriori vero parte latitudine digitorum nodos. Pedules similiter mensurati, ut possint pedibus sufficienter aptari. » Divionenses vero S. Benigni Consuetudines mss. vestium mensuras ita definiunt (*Cap.* 45): « Sed ut de mensura eorumdem vestimentorum pauca perstringam, froccus debet esse longus usque ad corrigiam, ut videatur si frater est calciatus: tres sagittas continens in dextra, et tres in sinistra: tamen tantæ latitudinis sit illa quæ est in medio, quam duæ, et frons uniuscujusque jungatur a manica. Manicæ in latitudine sint unius pedis et trium digitorum; et juxta antiquam consuetudinem debent tenere usque ad medium indicis, sed modo longiores fiunt. Apertura unius pedis. Cuculla debet tenere usque ad summitatem corrigiarum sicut froccus; in D latitudine vero cooperire cubitos; orlata ex omni parte: apertura superior a cubito usque ad digitum minimum; deinde consuta dimidio pede, et integro pede aperta, et post conjuncta, deinde aperta similiter. Capellum ex omni parte duplex debet habere unum integrum pedem, et tres digitos. Oro, quando est consutus, tres digitos, minimum digitum inter juncturam interiorem. Staminea, quando est induta et cincta, debet cuculla brevior esse, ex utraque parte orlata, et aperta in alna rasa: extrema ora duplex consuta, et duobus digitis lata. Manica una alna juxta causum, et in summitate duplex in latitudine a radice pollicis usque in summitatem indicis. Apertura capitis unius pedis. Femoralia tres alnas, et una inter cavallones et sellas. Cavallones XII. Naslerius mensura quatuor alnis rasis, deinde cum fuerit consutus cum duobus plicis, debet habere plenum pollicem in latitudinem. Corrigia ad cingendum unum

pollicem in latitudine quando bene est tracta. Cultellum inter manubrium et ferrum dimidii pedis et digitorum trium : vagina aliquid plus cum capello : corrigia, in qua pendet, absque circumligatione dependente, debet esse dimidii pedis. Calceus debet habere unum pedem, et in fronte tres digitos, orlatus in circuitu. Corrigia vero tam longa, ut ter valeat pedem circuire. Pedules similiter longi, et in recto fisi. Nocturnales similiter longi, et minime fixi, sed clausi. »

Accipientes nova vetera semper reddant reponenda in vestiario propter pauperes.] Erat ergo in monasterio vestiarium, seu locus, in quo sub diligentis alicujus fratris custodia vestes asservabantur; de quo in Regula S. Augustini (*Cap.* 10) : « Vestes vestras in uno loco habete, sub una custode, vel duabus, vel quot sufficere potuerint, ad eas excutiendas, ne a tinea lædantur, et sicut **715** pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario. » S. Isidorus vestiarii custodem constituit eum, quem et sacrarii. Ejus officium ex Farfensis monasterii Consuetudinibus supra descripsimus ad caput 32. Præcipuum ejus munus erat, necessaria singulis indumenta ministrare; in quibus distribuendis non exspectabat ut usu et contritione omnino essent consumpta, sed certis statis temporibus sua singulis præbebat. In Croylandensi monasterio Egelricus, qui obiit anno 992, « induit omni anno totum conventum cum secta sua de tunicis, omni altero anno de cucullis, et omni tertio anno de froccis, » ut auctor est Ingulfus in sua Croylandensi Historia. De Cluniacensibus audiendus est Udalricus (*Lib.* III, *cap.* 11) : « Cuilibet autem fratri unoquoque datur anno froccus novus et nova cuculla, ita ut ambo habeat parata et consuta ante Nativitatem Domini. Novum pelliceum secundo datur anno, et in festivitate S. Michaelis : interim dum conventus fuerit in refectorio ad prandium ponitur in ejus lectum. Iterum in festivitate S. Martini pedules. De calceamentis alio loco dixi quomodo dantur in Cœna Domini. De stamineis et femoralibus, vel si quæ sunt aliæ hujusmodi, nihil aliud est constitutum, quam quod cum fuerint inveterata, nec magis proficua, eis ablutis, et per ipsos fratres ad cameram redditis, alia sunt tribuenda. » De calceamentorum distributione in Cœna Domini, qua die etiam ex mss. Germaniæ Consuetudinibus, « omnia vestimenta quæ tunc necessitatem patientibus danda sunt » ministrari debent, diximus in lib. III de Antiquis monachorum Ritibus. Divionenses S. Benigni Consuetudines de vestium distributione ita habent (*Cap.* 43) : « Novum pellicium tertio datur anno, et in festivitate S. Michaelis, dum conventus fuerit in refectorio ad prandium, ponitur in ejus lecto. Calciamenta in Cœna Domini. In festivitate S. Martini per singulos annos pedules. De froccis et cucullis, stamineis et femoralibus, vel si qua sunt alia hujusmodi, non est aliud constitutum, nisi ut, cum fuerint inveterata, nec magis usui congrua, eis camerario redditis, prius tamen stamineis et femoralibus ablutis, alia tribuantur, et ipsa eleemosynario pauperibus distribuenda tradantur. » Alexander papa confirmans statuta facta ab Hugone cardinali tituli S. Sabinæ presbytero pro reformatione cœnobii Athanacensis, in primis dat cucullas et frocos et sotulares quantum expedit, annuatim singulis tres stamineas et tres brachas in capite jejunii. Item duo paria caligarum, unum par grossum in festo S. Lucæ, et in Cœna Domini aliud de cordato. Item in festo S. Lucæ uno anno tunicam et alio pelliciam, et de triennio in triennium nocturnales. In Constitutione etiam Benedicti papæ XII decernitur (*Cap.* 17), ut « ubi alius certus terminus super hoc non fuerit ordinatus, singulis annis, prima videlicet die mensis Octobris, vestiaria præbeantur. » Et in Constitutionibus Cœlestinorum (*Cap.* 10, § 5) : « Quod uno eodemque tempore de supradictis vestibus singuli monachi provideantur de triennio in triennium modo infra scripto. Anno primo triennii

A superiores monasteriorum providere **716** teneantur eis de tunica, scapulari et caputio, secundum modum ut supra. Secundo anno de tribus interulis laneis, scapulari cum caputio, prout supra. Tertio anno provideatur de tunica, scapulari cum caputio et cuculla, prout supra. Prædicta vero omnia, uno et eodem tempore consignentur, scilicet in festo Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi integra, et absque mora et dilatione aliqua. Provideantur eisdem annuatim in festo scilicet omnium Sanctorum femoralium, caligarum et crepidarum. De calceis vero provideatur eis secundum necessitatem et indigentiam. Oblatis autem professis provideatur primo anno de tunica, scapulari et bireto. Anno secundo de tribus interulis, scapulari et bireto. Anno tertio de tunica, scapulari, bireto et pallio, tempore quo supra. Provideatur similiter eis annuatim in festo Omnium Sanctorum de femoralibus et caligis. De calceis vero secundum eorum indigentiam. »

At magis placuit Aquisgranensi concilio (*Can.* 53), B ut, nulla temporis habita ratione, « quoties exposcit necessitas, vestimenta, et calciamenta, et omnia necessaria fratribus dentur. » Quam legem sequuntur Cistercienses in lib. Instit. dist. 8, c. 9, Bursfeldenses in Cæremoniali, dist. 2, c. 9, et Cassinenses in Declarationibus, ad cap. 55. Ne quid autem fratribus desit, Cassinenses statuunt, ut « singulis annis post prælati a capitulo regressum, omnes conficiant inventarium vestium quarumcunque quas habent, apposita qualitate, num vetera, an nova, an mediocria sint, ibique subscribant quibus vestibus indigent; scriptumque hoc prælato consignent, qui uniuscujusque indigentia considerata, omnibus rationabiliter providebit, ita ut superflua amputentur, et necessaria abunde subministrentur, qua decet charitate. »

Accipientes autem nova, quæ ex Hildemaro publice in capitulo vestiarius dare debebat, vetera semper reddi S. Pater instituit, idque propter pauperes : quam legem in sua ad monachos Benedictinos Constitutione renovavit Gregorius IX his verbis : « Nullus C de veteribus vestimentis, vel calceamentis, cum recipit nova, defraudet eleemosynam; sed hæc omnia ad manum eleemosynarii proveniant, qui eadem pauperibus largiatur; nec aliter dentur nova, qui vetera non resignat. » In regula etiam S. Fructuosi (*Cap.* 4) decernitur, ut « quidquid in vestimentis, calceamentis, vel lectariis monachorum vetustum fuerit, dum nova percipiunt, totum ab abbate pauperibus erogetur. » At Regula S. Cæsarii ad virgines (*Cap.* 41) tantum habet, ut « indumenta ipsa cum nova accipiunt, si vetera necessaria non habuerint, abbatissa refundat pauperibus; aut incipientibus vel junioribus dispensanda. » Idem pene ad verbum exstat in Regula S. Aureliani ad monachos, cap. 43.

Porro vetera vestimenta Hildemarus, Bernardus Cassinensis et Boherius intelligunt, quæ amplius portari non possunt; nam quæ adhuc deferri queant, æstati reservanda esse existimant. Id tamen non sic accipiendum censeo, quasi usque portanda essent, D quo jam omnino contritione **717** consumpta, nulli postmodum apta sint usui; alioquin quid pauperibus erogaretur? Aliam S. P. addit rationem, cur vetera reddi debeant, scilicet, ut omnis in fratribus amputetur superfluitas; unde et subjungit :

Sufficit enim monacho duas tunicas et duas cucullas habere, etc.] Tres tunicas cum una cuculla S. Isidorus concedit (*Reg. S. Isid. c.* 13); tres tunicas et duas cucullas villatas S. Fructuosus (*Fruct. c.* 4). Nec refert quod Christus in Evangelio dicat, *neque duas tunicas habeatis*; nam, ut recte exponit S. Ferreolus, « duas tunicas intelligere debemus non numero, si propter hiemem necessariæ esse viderentur; sed supra usum, si reservatæ fuerint, computari. »

Propter noctes.] Id quod duobus modis intelligi posse docet Bernardus Cassinensis, « vel quia de nocte frigidior aer solet esse; et ideo pluribus vesti-

mentis egemus : vel quia vestiti jacentes aliquas superfluitates naturæ non studiose procuratas emittere solent, et ideo vestis est abluenda, nec oportet nudum monachum remanere. » Idem dicunt Nicolaus de Fractura, et Boherius. At vera videtur ratio, quia vestiti dormientes, diurnis vestibus depositis, nocturnas assumebant, cum quibus et dormiebant, et nocturnas vigilias celebrabant : nam surgentes a lecto eas minime deponebant, uti observat hic Menardus ; unde et Sidonius lib. VII, epist. 16, Chariabaudi abbati « nocturnalem cucullum, quo membra confecta jejuniis inter orandum, cubandumque dignanter tegeret, » transmisit.

Et propter lavare ipsas res.] Lavabant ergo vestimenta sibi, haud dubium, quin propriis ipsorum manibus, sicuti declarat synodus Aquisgranensis statuens (*Can.* 4), « ut monachi propriis operentur manibus, et vestimenta sua opportuno tempore lavent. » Et certe ea fuit veterum monachorum praxis, quam in eorum passim Regulis videre licet. Ita Regula S. Pachomii (*Art.* 37) : « Si quis voluerit lavare vestimentum, commonebit præpositum suum, et ille mittet cum eo alium, et lota veste revertantur domum, et siccatam reponet ille cui injunctum est. » Pœnæ incerti auctoris apud S. Basilium (*Num.* 22) : « Si quis lavat aut alterius, aut suam vestem præter voluntatem archimandritæ, careat benedictione. » Regula S. Augustini (*Cap.* 11) : « Indumenta vestra secundum arbitrium præpositæ laventur, sive a vobis, sive a fullonibus. » Regula SS. Pauli et Stephani (*Cap.* 28) : « Vestimenta vel lectualia nullus sibi lavare audeat absque oratione et permissione superioris. » Denique Regula Tarnatensis (*Cap.* 19) : « Observandum est etiam ne interioris animæ sordes contrahat vestis mundæ nimius appetitus. Quapropter secundum præpositi ordinationem sunt lavandæ. » His accedunt acta S. Salabergæ abbatissæ Laudunensis, n. 20 (*Sæc.* II *Ben.*). « Soror quædam lavando vestimentorum sordes, *ut mos est*, ad cellam, qua hæc agi solitum erat, veniens, etc. »

De disciplina et ritu quem hoc in exercitio observarent, audiendus est iterum S. Pachomius in Regula, prout excusa est in codice Regularum : « Levitonarium, inquit, et quidquid in veste est monachorum **718**, nemo lavet in die Dominica, præter nautas et pistrinarios. Nec vadant ad lavandum, nisi omnibus unum signum insonuerit ; sequanturque præpositum suum, et lavabunt taciti cum disciplina. Nemo lavet retractis in altum vestibus plusquam statutum est : cumque laverint omnes pariter revertentur. Si quis remanserit eo tempore quo itur ad lavandum, vel in præsenti non fuerit, commonebit præpositum suum, et ille mittet cum eo alterum, et sic loto vestimento revertentur domum. Vesperi sicca levitonaria tollent, et dabunt secundo, id est ei qui post præpositum est, et ille reponet ea in cellula : quod si sicca non fuerint, altera die expandentur ad solem donec siccentur, nec dimittentur in ardore solis plusquam horam tertiam ; cumque collecta fuerint, leviter mollientur : nec tenebunt ea singuli apud se, sed dabunt, ut reponantur in cellam usque ad sabbatum. » De nostris vero ita scribit Hildemarus (*In cap.* 6) : « Pannos autem lavare non debent nisi isto modo : illi fratres qui dimiserunt hebdomadam in coquina, debent calefacere aquam, et in quinto decimo die debent illam aquam calefacere : v. g., si fratres raduntur sabbato, aquæ præparatio debet esse sequenti tertia feria, aut secunda feria, vel quarta feria ; et tunc debet abbas dicere in ipso die, in quo præparatio aquæ est, fratribus : Unusquisque hodie lavet pannos suos..... Et hoc sciendum est, quia omnia debent esse præparata, id est locus, concha, aqua, sapon, et reliqua necessaria. » De Cluniacensibus etiam Udalricus (*Lib.* II, *cap.* 15), agens de novitiorum institutione : « Si quid ei placuerit de pannis suis lavare, in coquina regulari ad hoc solum æneum offendit, in quo aqua calefiat, lexiviaque temperetur. In claustro autem truncum amplissimum cum plerisque intervallis cavatum, ut hic stamineum, illic femoralia lavari possint separatim ; quæ ante capitulum mittit in aquam calidam, ut mollescant : post tabulæ percussionem lavat, et non diutius, nisi quandiu licentia loquendi durat, excepto si est dies jejunii, lavare non prohibetur post tertiam ; vel si est Quadragesima, vel dies privata, non solum post tertiam, sed etiam post sextam lavat, tametsi non loquantur in claustro. Quidquid autem lavat, quoquo modo sit lavatum, post horam lavandi aufert et siccat, ne jaceat ita sordidum et horridum, maxime ubi totus conventus videbit de refectorio exiturus. »

Jam quod supra fuerit superfluum est, et amputari debet.] Et tamen S. Benedictus abbas Anianensis « concessit necessitatis causa propter quam Regula jubet, duas scilicet stamineas, et femoralia, pelliceas quoque, et tegumenta eorum, cappas duas, et quæcunque necessaria prospexit, ut omnem amputaret occasionis ambagem, tribuit et concessit, » quemadmodum scribit Ardo in ejus Vita, n. 52. Sed et concilium Aquisgranense statuit (*Can.* 22), ut abbas « omnino provideat ut camisias duas, et tunicas duas, et cucullas duas, et cappas duas unusquisque monachorum habeat ; quibus vero necesse est, addatur et tertia ; et pedules quatuor paria, et femoralia duo paria, froccum unum, pellicia usque ad talos duo, fasciolas duas ; quibus **719** autem necesse est itineris causa alias duas, wantos in æstate, muffulas in hieme vervecinas, calciamenta diurna paria duo, subtalares per noctem in æstate duos, in hieme vero soccos. » Cluniacensium vestes erant « duo frocci et duæ cucullæ, duo staminea, duo quoque femoralia, duo paria calceorum cum corrigiis, unum par viltronum ad hiemem in nocte, et alterum sine viltrono ad æstivas noctes, duo paria caligarum, tria pellicia, vel unam pro tertio gunellam, capellum de pellibus, quinque paria pedulum. »

Femoralia hi qui in via diriguntur de vestiario accipiant, etc.] Remanentes enim in monasterio femoralia non portabant ; a quibus etiam abstinuisse S. Martini discipulos colligimus ex Severo Sulpicio (*Lib.* III *de Vit. S. Martini*). Femoralia quoque Molismensibus abstulit S. Robertus, ut scribit Ordericus Vitalis Hist. eccles. lib. VIII. Idem de Cisterciensibus et Cassinensibus sui temporis docet Bernardus Cassinensis. Imo de Cassinensibus nostra ætate ita scribit Paulus Augustinus a Janua : « In congregatione nostra Cassinensi usque ad nostram ætatem vidimus senes non utentes femoralibus intra monasterium, sed interiorem vestem ultra genua defluentem ipsis genibus alligabant. » Eorum quoque usum improbat Hildemarus, hunc in locum sic loquens : « Notandum est enim quia sunt talia monasteria, ubi cum necessitas fuerit, femoralia de vestiario accipiunt : ista monasteria omnino bona sunt. Et iterum sunt alia monasteria ubi omnes generaliter accipiunt femoralia, sed tamen non omnes generaliter semper utuntur, nisi cum necessitas exposcet ; quamvis omnes generaliter illa accipiant : ista monasteria bona sunt, eo quod illa maxima pars semper non portat. Et iterum alia monasteria, ubi omnes generaliter accipiunt, et generaliter portant : ista monasteria non sunt laudabilia. » Hic denotare videtur ultramontana monasteria, in quibus saltem tempore Bernardi Cassinensis fratres promiscue femoralibus utebantur. Regula quoque Magistri (*Cap.* 81) laneas in hieme, lineas in æstate braccas concedit. Ex Regula etiam S. Fructuosi (*Cap.* 4) « femoralium usus cuiquam est permittendus, maxime his qui ministerio implicantur altaris ; sed et hoc qui studere noluerit, reprehendendus non erit, cum hucusque sane constet pleraque hunc usum monasteria etiam in his regionibus non habere. » Ubi quod de ministris altaris dicitur, in memoriam revocat id quod de Cluniacensibus scribit Udalricus (*Lib.* III,

cap. 11) : « Sacerdos et diaconus habere solent tria femoralia, ut si quid eis in nocte contigerit in promptu sit ea mutare. » Cujus statuti æquitatem probat hoc ratiocinio Petrus Venerabilis (*Lib.* I, *epist.* 28) : « Femoralia ratione necessitatis, munditiæ et honestatis, nobis defendimus, recolentes insuper Deum præcepisse ne summus sacerdos sine femoralibus lineis ad altare suum accedere præsumeret, ne si hoc faceret, pœnam mortis incurreret.... Et quamvis in feminalibus lineis ministris Dei castitas indiceretur, tamen honestas velandorum non excludebatur, imo sollicite præcipiebatur, unde et Apostolus : Inhonesta, inquit, nostra abundantiori honore circumdamus. » Quare vero **720** S. P. Benedictus remanentes in monasterio femoralibus interdixerit, explicat S. Hildegardis his verbis : « Quia multitudo hominum femoralibus eo tempore non utebatur, idcirco idem Pater propter mores hominum, et propter signum puerilis simplicitatis et humilitatis dum in cella residerent, discipulis suis femoralia non concessit. Sed exeuntibus, sive equestribus, sive pedestribus, propter exemplum castitatis, et propter virilem honestatem et reverentiam hominum eis indulsit. » Præter femoralia quæ itinerantibus S. Pater concessit, wantos etiam seu chirothecas in via ferebat S. Filibertus abbas Gemmeticensis, ut discimus ex anonymo in ejus Vita, n. 11 (*Sæc.* II *Ben.*).

Et cucullæ et tunicæ sint aliquanto iis quas habere soliti sunt modice meliores.] Scilicet illis in regionibus, « ubi multum vilibus soliti sunt uti vestimentis, inquit Smaragdus ; ubi vero meliora sunt vestimenta, non sunt propter itinera commutanda. » Unde et Hildemarus ait : « Qui bona vestimenta portant intus, non debent alia vestimenta portare. » Et certe cum nonnulli sint, « qui meliora vestimenta in monasterio portant, quam illa, quæ S. Benedictus dixit in monasterio servanda propter foras portanda, » ut loquitur idem Hildemarus; omnino alienum esset a monasticæ paupertatis proposito, pretiosiores insuper vestes extra cœnobium portare.

Acute vero Bernardus Cassinensis hunc in locum, « nota, inquit, tria temperamenta, quia dicit *aliquanto*, et *modice*, et *meliores*. *Aliquanto* dicit aliquid plus a pretii quantitate. Ne vero illud *aliquanto* multum intelligatur, dicit *modice*. Et ne abjectio multa notetur, et notabiiis reprehendatur, addidit *meliores*.

Quas exeuntes in viam accipiant de vestiario.] Quid per *viam* hic intelligere debemus docet Hildemarus, scilicet viam non esse, « cum prope vadunt ad notos homines, qui eos cognoscunt, sed quando longius ire debent. » et non multo post : « Non est via, inquit, si in obedientiam vadit, veluti est in cellam ; sed illa est via cum ad episcopum, aut nobiles potentes homines vadit ignotos : et non solum alia vestimenta debemus portare, cum in via imus ; verum etiam si talis persona quæ est nobilis venit ad monasterium, tunc ille frater qui illi ministrare debet, meliora vestimenta debet habere, propter fastidium rusticæ monasticæ vestis. »

Stramenta lectorum sufficiant matta.] *Matta* Græce *psiathium* est teges ex juncis contexta, ut patet ex Gregorio Turonensi de S. Monegunde (*Lib. de Vit. Patr. cap.* 19) : « Nullum habens stratum feni, paleæque mollimen, nisi tantum illud quod intextis junci virgultis fieri solet, *quas vulgo mattas vocant.* Hoc superponebat formulæ, hoc solo supersternebat, hoc erat quotidianum scamnum, hoc culcitra, hoc plumella, hoc erat stragulum, hoc omnis lecti commoditas. » Unde et Petrus Venerabilis ad Gislebertum eremitam scribens (*Lib.* I, *epist.* 20) : « Si palustria, inquit, prope sunt loca, mattas antiquum opus monachorum compone, super **721** quas aut semper, aut sæpe dormias. » Ejus usum apud veteres monachos quadruplicem distinguit Haeftenus (*Lib.* XII, *tract.* 1) : 1° super mattam dormiebant, imo aliquando super unam illius partem jacentes, al-

A tera corpus contegebant ; 2° mattæ assidebant, ea pro sede utentes ; 3° in matta seu psiathio oratori genuflectebant ; 4° mattam jamjam morituris sternebant. Aliter tamen mattam explicat Bernardus Cassinensis hunc in locum sic scribens : « Matta vel est filtrum secundum Cluniacenses, vel quod loco culcitræ habetur ; unde usque hodie illud quod ponitur super paleas vulgo dicitur mattaratium, non tamen intelligo quod debeat esse mollitie delicatum ; nam ipse magis debet dormire labore ac vigilia fatigatus, quam strati mollitie invitatus. » Similiter Nicolaus de Fractura : « Matta, id est pannus, vel filtrum quod habetur loco culcitræ. Vel secundum nos dicas, matta, id est mattaratium, non multum molle, sed tale quod quasi carnem mactet et maceret, vel mactando fatiget. In Papia vero macta dicitur cella; inde mactilla pro culcitra. » Confirmant antiquæ versiones Gallicæ Joannis *de Précis*, et Guidonis Juvenalis, mattam reddentes *un matteras*. Sed prior explicatio potior videtur; nam matta erat

B stratum durum et mortificationi aptum, ut patet ex S. Augustino, l. V contra Faustum Manichæum, c. 5.

Sagum.] Quod S. Hildegardi est (*Lib.* XIX *Orig.*, c. 24) « aut de grosso lino, aut de canabe factum, et fere in modum sacci formatum, et quodam genere stramentorum repletum, et hic super mattam positum, quod monachi pro lectisternio habebant. » Huic sagi acceptioni concinit Bernardus Cassinensis his verbis : « Puto secundum intellectum modernum sagum istud esse, quod continet paleas, vel fenum, et hoc vulgari hujus regni concordat. » Idem habet Nicolaus de Fractura ; eoque sensu sumitur in antiqua Vita S. Eugendi abbatis Jurensis, in qua hæc lego : « Paleis vero lectuli in eremo lectis, multo tempore, vilique *sagello* constrictis, pellicioque superposito conquievit. » (Ubi etiam obiter observandum est lectorum omnium fenum ex statutis Lanfranci, singulis annis esse renovandum : idque *inter festivitatem S. Joannis et SS. Apostolorum Petri et Pauli*, uti præ-

C scribunt Consuetudines S. Benigni, c. 43.) Existimat tamen Haeftenus sagum esse monachalis lecti operimentum, monachi enim in ipsa matta cubabant; cui consentit Guido Juvenalis *sagum* Gallice vertens *une grosse sarge velue à mettre sur le matteras.*

Læna.] Quæ Hildemaro dicitur « toga duplex, seu vestis regia ; » et Smaragdo « species vestis villosa est, quam nos toxam vocamus ; alii vero galnapem eam vocant. » Galnapis autem seu galbanis est stragulum villosum, quod frigori resistere possit. Atque hoc sensu hic a S. Benedicto sumi censent Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Richardus a S. Angelo, Boherius, Turrecremata, Menardus, et Haeftenus. Lænas tamen cum sagis confundere videtur anonymus Dunelmensis in lib. de Transl. et Mirac. S. Cuthberti cap. 1, sæc. IV Bened., part. II.

722 *Capitale.*] A capite dictum, eo quod capiti supponatur ; estque cervical, lana, paleis, aut plumis plenum : unde Smaragdus : *Capitale dicit, quod nos plumacium dicimus.* Et hæc quidem S. Bene-

D dictus lectorum stramenta fratribus indulsit : quæ nam vero alii ?

In Regula S. Pachomii ab angelo tradita (*Cap.* 41) præscribitur ut monachi « dormiant non recumbentes, sed exstructis sibi sedibus paulo supinioribus, et illic suis impositis stragulis, dormiant sedentes. »

Regula S. Cæsarii ad virgines ita habet : « Lectualia ipsa simplicia sint ; nam satis indecorum est, si in lecto religioso stragula sæcularia, aut tapetia picta resplendeant. » Idem habet Regula S. Donati, cap. 63.

Similiter Regula S. Aureliani ad monachos (*Cap.* 27) : « Lectuaria sæcularia de coloribus facta in usu non habeatis. »

Regula quoque S. Isidori (*Cap.* 14) : « Speciosam vel variam supellectilem monachum habere non licet ; cujus stratus erit storea, et stragulum, pellesque

lanatæ duæ, galnabis quoque, et fæcistergium, geminusque ad caput pulvillus. »

Regula S. Fructuosi (*Cap.* 4) : « In stramentis competens adhibenda est disciplina, nec amplius quidquam ab aliquo requirendum, quam unum stragulum, canabemque villatum, mappulam, et duabus lanatis pellibus arietum. * »

Denique Regula Magistri (*Cap.* 81) : « In lectis habeant in hieme singulas mattas, et sagos tomentatios singulos, et lanas. In æstate pro lanis, rachinis propter æstus utantur; et ante ipsos lectos singulas pelles, ubi tergant a sordibus pedes, et sic in suos lectos ascendant. »

Quæ tamen lecta frequenter ab abbate scrutanda sunt, etc.] Frequenter ait indefinite; sed Regula S. Isidori (*Cap.* 14) præscribit, ut « per singulos menses abbas sive præpositus lectulos cunctorum perspiciat, ne quid indigeant fratres, nec superfluum habeant. » Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 2): « Omnibus sabbatis post horam orationis nonam tam senior quam juniores præpositæ lectos omnium sororum visitent, et faciant, propter earum negligentias inquirendas, aut si quid inveniatur illicite et sine commeatu retentum. » Denique Regula S. Fructuosi (*Cap.* 17) : « Lectula singulorum abbas vel præpositus bis in hebdomada revolvat atque perscrutetur, ut videat ne quis superfluum aliquid illic vel occultum habeat. »

Scrutandorum vero lectorum apud nostros ordinem hunc describit Hildemarus: « Mane congregatis omnibus in capitulo, abbas monebat fratres de lectis perscrutandis; tuncque remanentibus in capitulo omnibus, quatuor aut quinque bonæ conversationis fratres dirigebat in dormitorium, qui singulorum lectos perlustrarent : et si opus peculiare alicubi reperissent, reversi in capitulum, ante pedes illius cujus in lecto fuerat inventum, illud deponebant; qui jussus ab abbate rationem reddere, pro delicti qualitate plectebatur. »

Et si cui inventum fuerit, quod ab abbate non acceperit 723 *gravissimæ disciplinæ subjaceat.*] Quod ita intelligit Hildemarus, ut si furto repertam rem habeat, et illa sit *quatuor valens denariis*, in minori culpa judicetur. Si autem major sit, « tunc debet res incendi, inquit, et ipse in graviori culpa judicandus est. » Bernardus Cassinensis et Nicolaus de Fractura gravissimam disciplinam hic intelligunt majorem excommunicationem, ita tamen, ut « attendatur circa ista inventa qualitas et quantitas rei, quæ ablata sit; quia hæc prudenter sunt consideranda in pœnitentia infligenda, » ut loquitur Bernardus. In Regula S. Donati præscribitur, ut « quæ soror ad lectulum suum, quæ ad manducandum, vel ad bibendum pertinent præsumpserit occultare, publice coram omnibus arguatur; et tunc demum palam cunctis præsentibus objurgata superpositionem sustinere cogatur. »

Et ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab abbate omnia quæ necessaria sunt, id est cucullа, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, etc.] Nonnullas jam ex his vocibus exposuimus; de reliquis aliquid subjiciendum.

Bracile indumentum brachiorum esse quidam existimant, a brachio dictum credentes. Ita Guido Juvenalis in sua Gallica versione bracile reddit *manche*, et alia versio *manchon*; sed absque ullo probati alicujus auctoris testimonio. Haeftenus bracile a bracca deducens, femorale brevius velandis verendis idoneum esse affirmat; sed et hoc absque ulla antiquitatis auctoritate. Verius Menardus bracile asserit esse zonam, sive cingulum, id quod probat auctoritate Papiæ : « Brachile, quod succinctorium sive redimiculum dicimus, quod nunc non brachiorum, sed renum sit cingulum. » Et ex Regula Magistri, cap. 11 : « In die vero cingatur bracilibus. » Confirmarique pos et ex Boboleno monacho in Vita S. Germani ab-

A batis Grandivillarensis, num. 15 (*Sæc.* II *Bened.*) : « Unus autem e fratribus ipsa die interfectionis ejus inter hostium cuneos cingulum quod vulgo bracile vocatur, inter manus trahentium invenit. » His accedunt antiquæ et recentiores versiones bracile Gallice reddentes *sainture*, aut *ceinture*. Boherio bracile est « zona in qua braccæ et corrigiæ quibus ligantur caligæ dependent. »

Graphium stylus erat quo scribebant in cera. Eo primum usi sunt ferreo Græci, Tusci et Romani; postea autem osseo, ut docet sanctus Isidorus his verbis (*Lib.* VI *Orig.*, *cap.* 8) : « Græci enim et Tusci primum ferro in ceris scripserunt. Postea Romani jusserunt ne graphium ferreum quis haberet; unde et apud scribas dicitur : *ceram ferro ne cædito*. Postea institutum est ut in cera ossibus scriberent, sicut indicat Atta in satira dicens : Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus osseo. » Postea tamen Romanos ad graphium ferreum rediisse patet ex Martiali lib. XIV, epigr. 21. Erat autem graphium
B qua parte scribebatur acutum, altera obtusum, vel latum, qua characteres in cera scripti oblitterari 724 possent aut radi; unde *vertere stylum* apud Latinos idem erat ac corrigere, retractare, et mutare sententiam.

De acu vide Haeftenum lib. V, tract. 2, disq. 6.

Mappula est sudariolum, sive linteum tergendæ pituitæ aptum. Vulgatus Alcuinus in lib. de Offic. eccles. cap. 39 : « Mappula quæ in sinistra parte gestatur, qua pituitam oculorum et narium detergimus. » Honorius Augustodunensis : « Ad extremum sacerdos fanonem in sinistrum brachium ponit, qui et mappula et sudarium vocatur, per quod olim sudor et narium sordes extergebantur. » Hildemarus (*Lib.* I *de Gemma animæ*, *c.* 108) : « Mappulam ideo præcepit dari causa sudorum tergendi in labore aut in via. Nam in Francia intelligitur pro sudore et in via dixisse sanctum Benedictum mappulam habere; et quanquam forte intentio fuit S. Benedicti ut etiam
C in monasterio pro faciterguIo habeatur mappula, tamen modo in Francia in commune habentur panni ubi suam fratres faciem tergunt. » S. Hildegardis : Mappula velut sudarium ex lino formata, qua sudorem a se profluentem dum in opere laborabant abstergebant. » Nicolaus de Fractura : « Mappula, id est parva tubalea, quam nonnulli tempore æstivo ad sudorem purgandum ad latus portare consueverunt. » Addit Paulus Augustinus a Janua : « Quam consuetudinem usque hodie retinent senes nostri. Olim enim femoralibus non utentes mappulam, clavem, cultellum a lateribus pendulos portabant. » Ex his omnibus satis refutata manet Antonii Perezii sententia, qui, sublata interpunctione, hanc vocem cum sequenti conjungens hoc modo : *mappulas tabulæ;* hoc est, inquit, mappulas mensæ. Sed neque hic tabulæ pro mensa sumuntur, neque mappulæ pro linteo quod mensæ sternitur; utquid enim monacho singulari hujusmodi supellex? Certe versiones
D Gallicæ communiter mappulas interpretantur *des mouchoirs*. Horum de mensura ita scribit Hildemarus : « Mensuræ enim mappulæ duo debent esse cubiti præter ora in longitudinem, et unius pedis latitudo. »

Tabulæ sunt pugillares in quibus scribitur, vel scriptura imprimitur, et impressa deletur, ut loquitur Nicolaus de Fractura. *Vide* Haeftenum, lib. IX, tract. 2, disq. 5.

Præter ea, quæ hoc in capite danda singulis fratribus præscribit S. P. Benedictus, auctor est Hildemarus antiquæ fuisse consuetudinis, unicuique ad faciem manusque extergendas, saponem, et ad calceos ungendos unctum in uno eodemque vasculo, quod servabant ad lectum, dandi; et vasculum quidem ab abbate, saponem a camerario æqualiter divisum in capitulo recepisse.

* Omnino perturbata syntaxis. Legendum esset *præter*, loco *quam*, et omnia deinde complementa in accusativo ponenda; vel conjunctio *quam* cum nominativo construenda. EDIT.

CAPUT LVI.

De mensa abbatis.

725 Mensa abbatis cum hospitibus et peregrinis sit semper. Quotiens tamen minus sunt hospites, quos vult de fratribus vocare, in ipsius sit potestate. Se- A niores [a] tamen unum, aut duos semper cum fratribus [b] dimittendum [c] procuret, propter disciplinam.

[a] Hild., *Seniorem.*
[b] In Conc. deest *cum fratribus.*
[c] Al., *dimittendos.* Sed in cod. Oxon. hæc periodus ita legitur : *Senior tamen unus aut duo semper cum fratribus dimittendi.* Similiter in Concordia Vindocinensi, præter primum verbum *seniores.*

COMMENTARIUS.

Mensa abbatis cum hospitibus et peregrinis sit semper, etc.] Inter hospites et peregrinos hic distinguunt commentatores. Hildemarus : « Hospites, inquit, sunt qui de eadem regione sunt de prope. Peregrini sunt qui de alia regione ; peregrinus enim dicitur, sicut dicit Cassiodorus, quasi pergens longius. » Idem habet Bernardus Cassinensis, cujus verba cum retulisset in primo commentario Boherius, addit : « Vel dicuntur peregrini qui ad monasterium aut locum aliquem devotionis causa declinant ; hospites vero, qui alia de causa ad ipsa loca accedunt. » Utrumque discrimen affert Nicolaus de Fractura. Richardus autem de S. Angelo sic scribit : « Hospites intelligimus pauperes et non pauperes ; per peregrinos intelligimus illos qui vadunt per oratoria pro indulgentiis obtinendis. » Qui tamen addit : « Vel dicas quod unum sunt. » Hi vero qui in eadem civitate vel oppido in quo situm est monasterium, residentes, ultro convivium emendicant, aut ab abbate invitantur, non hospites, sed convivæ potius dicendi sunt, ut notat Menardus.

Is acute observat non hic cellæ, aut cameræ, aut palatii abbatis, in quo seorsum a sua congregatione cum hospitibus et peregrinis reficiat, sed solius mensæ fieri mentionem : ex quo infert abbati reficiendum esse cum hospitibus et peregrinis in conventu fratrum. Quæ quidem sententia non uni singularis est Menardo : nam multis jam ante sæculis sub lite res erat, ut patet ex Smaragdo, Hildemaro infra citando, et Bernardo Cassinensi. Smaragdus enim in hæc cap. 53 verba, *Coquina abbatis et hospitum super se sit*, scribens, ita habet : « Æstimatur **726** a multis, quia sicut coquina alia quam fratrum, et in alio erat constituta loco, ita et mensa abbatis non tunc in communi refectorio erat cum cæteris mensis posita ; sed in alia erat cellula segregata, qua crebro venientes hospites, frequenter cibis invenirent paratam. » Quo ex loco sic argumentari licet : Si æstimabatur *a multis*, ergo non ab omnibus : ergo æstimabant aliqui mensam abbatis in communi fratrum refectorio cum cæteris fratrum mensis esse debere. Clarius Bernardus Cassinensis : « Dicunt, inquit, hic quidam, quod abbas semper in refectorio cum fratribus comedere debet, et hoc etiam statuto super hoc facto declaraverunt dicentes, quod mensa abbatis debet esse in superiori loco, et ibi cum hospitibus consedentibus debet sumere refectionem. » Talem fuisse Cluniacensium disciplinam insinuare videtur Udalricus his verbis (*Lib.* III, *cap.* 3) : « Clericis, et peregrinis monachis, qui ita vadunt pedites absque jumento, nobiscum in refectorio comesturis aquam ad manus ministrat (abbas), talesque sedent ad mensam principalem. » Ego vero sic Menardi sententiam sequar, et defendam, ut oppositas etiam rationes et auctoritates, si quæ sunt, haud sileam.

Itaque abbatem cum hospitibus in communi fratrum conventu refici debere probat antiqua et recepta monachorum veterum praxis, a quibus S. P. Benedictum recessisse in re tanti momenti facile non est credendum. Hanc vero praxim passim videre est in eorum regulis et actis. Regula tertia SS. Patrum ita habet : « Illud quoque statuimus, ut abbates omni tempore cum fratribus reficiant ; quia eo tempore quo fratres, aut pro negligentia arguere, aut spiritali debent sermone imbuere, absque certa necessitate se removere non debent. » S. Cæsarius in epistola ad Oratoriam abbatissam (*Cap.* 11) : « In quoti- B diano corporis alimento, atque communi cibo par sis his cum quibus pari in mensa uteris consessu, iisdem denique quibus sorores, ferculorum saporibus delectare, et æqualia vobis cibaria potionesque communes exhibeant discoferæ et pincernæ, etc. » S. Aurelianus in Regula ad monachos (*Cap.* 50) : « Sanctus abbas, nisi inæqualitate faciente, extra congregationem non reficiet. » Regula S. Isidori (*Cap.* 10) : abbas citra languoris necessitatem cibos in conspectu pariter cum fratribus sumat : nec aliud quam cæteri, nec cultius quam quæ in commune consistunt, præparari sibi quidpiam expetat. » Regula monastica communis S. Fructuosi (*Cap.* 10) : « Abbates cum fratribus, advenientibus hospitibus et peregrinis, in una mensa communiter vivant. » Regula S. Donati ad virgines (*Cap.* 59) : « Abbatissa, nisi inæqualitate aliqua, aut infirmitate, vel occupatione compellente, extra congregationem suam penitus non reficiat. » Quod desumpsit ex Regula sancti Cæsarii ad virgines, C cap. 38. Denique Regula Magistri passim indicat abbatem in refectorio debere reficere. Idem confirmat praxis. De S. Eugendo abbate ita Vitæ scriptor : « Abbas iste mensulam suam (ut facere quosdam nuper audivi) nec victum unquam exceptavit a fratribus. » S. Eastervinus, teste **727** Beda in lib. I de Vita S. Benedicti Biscopi, « eodem quo fratres cæteri cibo, semper eadem vescebatur in domo. » S. Hermelandus Agatheo comiti in Antrensi monasterio « humanitatis gratiam exhibens, in refectorium eum secum duxit, calicemque meri ei dari jussit, » ut scribit anonymus in ejus Vita cap. 13 ; et infra, cap. 15, inter corruptos mores Adalfredi abbatis, Hermelandi successoris, illud recenset, quod « cœpit aulam sibi ædificare. » Imo auctor est Caramuel omnes fere Hispanos credere S. Benedictum in regulari refectorio, et sæpius communi hora peregrinos et exteros tractasse. His accedit concilii Aquisgranensis decretum, statuens (*Disp.* 132 *in Regul. S. Benedict.*), « ut abbas, vel quispiam fratrum ad D portam monasterii cum hospitibus non reficiantur. In refectorio autem omnem eis humanitatem man ducandi ac bibendi exhibeat. Ipse tamen ea cibi potusque mensura contentus sit, quam reliqui fratres accipiunt. Si vero propter hospitem voluerit ad solitam mensuram fratribus sibique augere aliquid, in sua maneat potestate. » Quod statutum confirmat Caroli Calvi præceptum pro partitione prædiorum S. Germani a Pratis, in quo assignat vineas *in fratrum et hospitum usus in refectorio edentium.*

Deinde S. Benedictus, Regulæ cap. 38 agens de lectore mensæ, statuit ut non præsumat ibi quisquam de ipsa lectione aut aliunde quidquam requirere, ne detur occasio maligno, nisi forte *prior* voluerit pro ædificatione aliquid breviter dicere ; ubi *prior* pro *abbate* usurpatur. Verum si abbas nunquam re-

ficiat in conventu fratrum (debet enim reficere cum hospitibus, qui nunquam desunt monasterio, et si defuerint in ejus manet potestate quos vult de fratribus vocare, qui cum ipso reficiant), frustra permittitur ei in refectorio de lectione aliquid dicere, ut pote qui nunquam ibi cum fratribus manducaturus sit.

Ut vim hujus argumenti eludat Haeftenus, respondet nomine prioris hic intelligi quemcunque superiorem, sive abbas sit, sive prior, sive subprior, qui conventuali mensæ præsideat. Sed prioris nomen in omnibus Regulæ locis, ubi singulariter et absolute, non respective ponitur, abbatem significare merito contendit Menardus noster (*Menard. in Conc. Regul.*, *cap.* 47, § 1), et ipse Haeftenus (*Haeft. lib.* III, *tract.* 6, *disq.* 2) alibi fatetur prioris vocem in Regula pro abbate sæpius usurpari, ut cap. 6, 7, 13, 40, 53: quidni etiam in isto de quo agitur loco? Certe antiquiores monachi ideo maxime nolebant abbatem a communi fratrum mensa abesse, ut posset eis post cibum ædificationis verba proferre, et spiritali sermone eos imbuere, ut habet supra citata Regula SS. Patrum; refectione enim transacta, spiritalis apud eos collatio agitabatur, ut probat idem Haeftenus lib. X, tract. 5, disq. 4, quod S. Benedictum neglexisse non est prorsus qui credat; multo minus qui existimet eum voluisse aut permisisse ut abbas vices suas in exhortationibus faciendis alteri committeret, cum nusquam plus valeant exhortationes quam in ore abbatis et superioris. Adde quod Regula Magistri (*Cap.* 24), quæ hoc statutum a S. Benedicto mutuavit, clare **728** et distincte præscribit, ut *de singulis mensis quos voluerit fratres quid lectum est* ABBAS *interroget*; non præpositus, seu quivis prior.

Præterea, ut optime arguit Hildemarus, S. Benedictus voluit ut abbas majoris nomen factis impleat, et omnia bona et sancta factis amplius quam verbis ostendat; sed si separatam a fratribus seorsim mensam habeat, jam factis suis discipulos non docet: neque enim vident cum quanta moderatione, cum quanto silentio, cum quanta gravitate cum hospitibus manducet.

Insuper, S. legislator decernit ut omnes intersint versui qui ante cibum dicitur, et sub uno simul omnes accedant ad mensam; ubi « non exceptavit abbatem, inquit Hildemarus, dicens excepto abbate, qui cum hospitibus manducaturus est; sed tantum dixit: *omnes dicant versum*. Et hoc non suffecit ei dicere semel *omnes*; sed bis cum subjunxit, *et sub uno omnes accedant ad mensam*; ac per hoc cum ita intelligendum est, ut abbatis mensa in refectorio cum mensis fratrum esse debeat. »

Tandem nulla potest adduci ratio qua S. Pater induci potuerit ad separandam abbatis mensam a fratribus; nam quod ait Bernardus Cassinensis: « Gratia charitatis mensam abbatis separatam esse voluit beatissimus Benedictus: qui vero contrarium ediderunt statutum, aut avaritiæ studuerunt, aut incogniti qualiter viverent esse voluerunt; » tolerari non potest. Magna sane charitas, quæ omnem destruit charitatem, pastorem segregat a grege, viam lupo pandit liberam, omnemque vitiis omnibus aditum ministrat. Quis enim exprimere valeat quanta inde tum in spiritualibus, tum in temporalibus oriuntur mala, dum fervet olla abbatis, et alget congregationis cacabus? Quanta abbati permittitur licentia, cum ei datur occasio quotidie comessandi cum sæcularibus, decoquendi, abligurirendi, dilapidandi bona monasterii! quanta inde in vita monastica corruptela, quot inter fratres in abbatem murmurationes, quot detractiones, quot maledicta, ne quid pejus dicam! O singularis charitas! Præclarum sane est quod aiunt nonnulli (*Apud Haeft.*, *lib.* XI, *tract.* 3, *disq.* 4), S. Benedictum prævidentem quod futurum erat, scilicet divisionem mensæ abbatis a mensa monachorum, hoc caput edidisse, non quidem per modum præcipientis, sed per modum prænuntiantis quod futurum videbat. Quasi vero S. Pater prævi-

A dens quod futurum erat, tanto morbo non occurrisset, et adversus illud suos non præmunisset.

Nec majoris sunt momenti quæ dicit Haeftenus (*Ibid.*, *disq.* 1), « non defuisse illi justas rationes separatæ mensæ: 1° ne fratres turbarentur; 2° ut præ illis liberalius exciperentur (hospites); 3° ne moribus imperfectiorum fratrum forte offenderentur; 4° ne daretur occasio hospites sine venia alloquendi. » Nam easdem rationes ipse refellit postea. Et certe non moverunt rationes istæ Patres Aquisgranenses, quominus statuerent (*Can.* 27), « ut abbas vel quispiam fratrum ad portam monasterii cum hospitibus non reficiatur: in refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi exhibeat. » Non moverunt concilium Londonense II, statuens, **729** « ne abbates faciant milites, et ut in eadem domo cum monachis suis dormiant, et comedant, nisi aliqua necessitate prohibente. » Non moverunt Cluniacenses, aliasque congregationes monasticas, quæ ad

B puriorem Regulæ normam vitam instituere studuerunt; quæ omnes abbatem ad commune fratrum refectorium remittunt, et hospites illo duci et manducare permittunt. Et certe non multum esse timendum ne fratres inde turbentur experientia docet; deinde quid prohibet quominus hospites in refectorio liberalius excipiantur? Quod vero timetur ne scandalizentur minus perfectorum fratrum moribus, multo magis sperandum fuisset, « ut hospites cum viderint tam abbatem quam et monachos cum timore Dei, et cum reverentia, atque moderatione, sive etiam gravitate manducare, glorificent Dominum, sicut Dominus dicit: *Videntes vestra bona opera, glorificant Patrem vestrum qui in cœlis est*; et quandoque, Domino miserante, ipsi hospites contemnentes ea quæ sæculi sunt, ad Dei servitutem venire festinabunt, » ut cum Hildemaro loquar. Tandem non esse periculum ne fratres haudquaquam jussi hospitibus loquantur experientia magistra docet.

C Unum est quod majorem videtur pati difficultatem. Nam cum S. Benedictus abbatem velit frangere jejunium propter hospitem, et hospites nunquam desint monasterio, si abbas cum hospitibus in refectorio reficere debet, sequetur abbatem quotidie coram toto conventu, aliis interim jejunantibus, jejunium frangere; quod quis credat? Hæc objectio, quæ prima fronte videtur aliquid habere difficultatis, nullam in rei veritate complectitur; nam quid melius jejunium extra aut coram conventu violare? quid perfectius? Deinde hæc objectio locum tantum habet quando abbas solitas refectionis horas propter hospitem cogitur prævenire; nam quando hospites una cum conventu reficiunt, abbas nec debet frangere jejunium, nec aliis quam fratres uti alimentis, saltem communiter. Non ita vero frequens est abbatem prævenire solitas refectionis horas, cum non quotidie veniant hospites, et sæpius horam congregationis facile exspectent. Adde quod S. Pater præscribit ut

D quoties minus sunt hospites, in abbatis sit potestate quos vult de fratribus vocare; qui scilicet ejus vice cum hospitibus reficiant, dummodo duos seniores propter disciplinam dimittat cum fratribus, ut ipse possit in communi fratrum conventu refectionem sumere; nam ita explicare Regulæ textum nihil est incommodi.

Major difficultas repetitur ex duobus Regulæ locis qui mensæ abbatialis separationi favere videntur. Primus exstat cap. 53: *Coquina abbatis et hospitum super se sit*: quem locum exponens Smaragdus ait: « Æstimatur a multis quia, sicut coquina alia quam fratrum, et in alio erat constituta loco, ita et mensa abbatis non tunc in communi refectorio erat cum cæteris mensis posita: sed in alia erat cellula segregata, quam crebro venientes hospites frequenter cibis invenirent paratam. » Sed quod æstimabatur a multis, contrarium tenebatur ab aliis, ut supra vidimus. Et certe coquina abbatis et hospitum olim construe-

batur 730 prope coquinam monachorum, et inter utramque erat fenestra, per quam ex una parte pulmenta monachorum, ex altera fercula ministrabantur hospitum, ut docet Hildemarus in cap. 53. Ideo autem S. Benedictus separatam voluit esse coquinam hospitum, non ut separato cum abbate reficerent in loco, sed ut incertis horis supervenientes hospites non inquietent fratres; cum enim paulo lautius hospites excipi voluerit, et aliunde nullum a coquinæ officio excuset, certe si fratres ad coquendos monachorum cibos aliunde satis inepti, ad præparanda hospitum fercula cogerentur, non parum perturbarentur; maxime cum incertis horis superveniant hospites, et brevi tempore omnia præparari necessum sit: propterea S. Benedictus separavit abbatis et hospitum coquinam; non vero ut seorsim abbas comessaretur cum eis, et omnia monasterii bona in comessationibus dilapidaret.

Alter locus in sequentibus hujus capituli verbis continetur: « Quoties tamen minus sunt hospites, quos vult de fratribus vocare in ipsius sit potestate. Seniores autem unum aut duos semper cum fratribus dimittendum procuret propter disciplinam. » Hic triumphant *abbates carnales*: quidni enim tales cum Hildemaro ita liceat appellare? « Dicunt quidem abbates carnales, inquit, quia cum hospitibus extra refectorium debet esse mensa abbatis. Assumunt in adjutorium sui erroris illud quod S. Benedictus dicit: Quoties tamen minus sunt hospites, quos vult de fratribus vocare in ipsius sit potestate; seniorem tamen unum aut duos semper cum fratribus dimittendum procuret propter disciplinam. Quid enim necesse fuerat S. Benedicto dicere, unum aut duos semper cum fratribus dimittendum procuret propter disciplinam, si in refectorio abbas manducare debuisset; cum ipse abbas, si ibi manducat, potest disciplinam habere ne aliquid inhoneste aut agatur, aut loquatur quis? Et in eo quod dicit dimittendum, apparet, quia alibi est ipse abbas, et alibi illi super quos dimittit seniores propter disciplinam, et non simul, etc. » Unam jam hanc ad difficultatem solutionem adhibuimus; scilicet cum pauciores sunt hospites, esse in potestate abbatis quos vult de fratribus vocare, qui vices ejus cum hospitibus edendi suppleant, non ut secum extra commune refectorium reficiantur. Aliam accipe ab Hildemaro: « Quæritur, inquit, in hoc loco ubi debet abbas manducare, utrum in refectorio, an foris? Sunt alii qui dicunt, in refectorio debet manducare. Quomodo ergo debet dimittere fratres suos cum fratribus in refectorio, si ille debet manducare ibi? Qui respondentes dicunt: Propterea dixit B. Benedictus seniores dimittere, quia sunt talia refectoria in quibus ita sedent fratres propter multitudinem fratrum, ut ab abbate non possint videri, veluti sunt in Sancto Gallo. » Hanc responsionem confirmat Regula Magistri, quæ licet aliquando recedat a Benedictina, in multis tamen potest spectari ut ejus interpretatio et commentarius (*Cap.* 84): « Ad mensam abbatis, inquit, sedeant seniores, extranei supervenientes, vel vicibus fratres psalterati, quos voluerit abbas, 731 præter præpositos, qui in decadis suis ideo ad suas mensas jubentur esse præsentes, ut causam Dei, id est taciturnitatis et gravitatis in susceptis suis custodiant. » Et ita forte intelligendus est locus ex Vita S. Filiberti abbatis, n. 3 (*Sæc.* II *Ben.*): ***Jussus igitur sedere ad priorem mensam***, etc. Quod si quis nolit S. Benedictum respexisse ad ampla illa refectoria, satis vero simile est seniores etiam ad mensas permiscuisse junioribus, ut super eos invigilarent; sicut in dormitorio noluit adolescentiores fratres juxta se lectos habere, sed permixtos cum senioribus dormire. Et certe decani, quos S. Benedictus, cap. 22, seniores appellat, ex antiqua monachorum disciplina suis decaniis assidebant ad mensam, ut supra diximus ad cap. 21. Ab hac vero disciplina S. legislator recedere noluit, unde cum nollet abbatem in sua mensa remanere solum, ubi pauci, vel nulli sunt hospites, quosdam ex senioribus vocare permisit, ita tamen ut unum aut duos ex fratribus permixtos relinqueret, ne hanc disciplinam a monachis receptam ex toto dimittere videretur. Et sane qualis esset illa disciplina, si uno aut duobus senioribus cum fratribus relictis, abbas cum reliquis sibi seorsim indulgeret?

Aliter etiam respondet Hildemarus, hunc locum intelligendum esse de illis diebus quibus hospitalitatis gratia solitam refectionis horam abbas prævenire cogitur. Tunc enim cum pauci sunt hospites, quos vult ex fratribus potest vocare, qui cum eo et hospitibus reficiant in refectorio. Respondebit hic Haeftenus hoc esse restringere verba S. Benedicti ad certum casum, quem nusquam insinuat. Verum quid prohibet S. Benedicti textum ad certum restringere casum, cum recta ratio id exigat, et antiquissimi Regulæ commentatores, qui omnium optime S. Patris mentem assecuti sunt, ita Regulæ verba intellexerint? Quod vero urget Haeftenus in verbo *semper*, dicit enim S. Benedictus, Seniores semper cum fratribus dimittat, certe non urget: nam, ut optime dicit Hildemarus, verbum illud in divinis Scripturis non semper sumitur universaliter; sed neque in Regula S. Benedicti, ut facile demonstrare possem. Quod ergo S. Pater ait, Seniores semper cum fratribus dimittat, non sic capiendum est quasi quotidie fratres secum assumere deberet; id enim quotidie S. Benedictus non permittit, sed quando minus sunt hospites, et abbas hospitalitatis gratia canonicas refectionis horas prævenit.

Opponi insuper posset Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii, ita præscribens: « Venientibus vero fratribus ad horam refectionis, non licebit peregrino fratri cum fratribus manducare, nisi cum eo, qui præest, Patre, ut possit ædificari. » Sed hic locus intelligitur non de quibuscunque hospitibus, at de peregrinis, hoc est de longe venientibus, quos non semper expedit admittere cum fratribus; nec de quibuscunque peregrinis, sed de venientibus hora refectionis, qui consequenter nihil sibi paratum inveniunt, saltem quo paulo humanius excipiantur.

Quibus autem ista non sufficient, sufficere prorsus debet id quod scribit 732 Petrus Venerabilis ad S. Bernardum his verbis: (*Lib.* I, *epist.* 28): « Quoscunque abbas substantia monasterii reficit, nonne mensæ propriæ participes facit? Quod si isto modo impleri a nobis Regula secundum vos minime potest, et hoc esse mandatum, ut cum abbate manducent, affirmatur; fit et istud quandoque de honestis personis; nam indecens credimus, ut præsente conventu quarumcunque personarum non cunctis placitura incongruentia indiscrete introducatur; et ipsis forte bonis inde scandalum oriatur. Si vero opponitis non in conventu, sed extra conventum mensæ abbatis hospites debere sociari, respondemus hac occasione abbates a fratribus se sequestrare solere, et sub prætextu hospitum lautioribus sibi ac familiaribus epulis indulgere, neque de ovium suarum pastu curare; et secundum Prophetam (quod salvo mystico intellectu dicimus) quod crassum videbant assumebant, et quod debile erat projiciebant; et cum limpidissimam aquam biberent, reliquam pedibus suis conturbabant, et gregem Domini turbida et cœnosa aqua potabant; hoc est, sibi optime providentes, de cæteris non curabant: qui quoniam bono præcepto male abutebantur, novo ulceri novum emplastrum superponendum fuit, et præceptum quod aliquando salubre fuerat, salubriore consilio commutandum; eapropter ut vitium de virtute ortum rursum virtute exstingueretur, cum de communi mensa ad singularem Regula transmisisset, iterum de singulari mensa ad communem regula rationis et charitatis adduxit; unde et abbates nostri, nisi infirmitas obstiterit, nobiscum semper comedunt: et aliquando cum hospitibus, quando tales adsunt, aliquando sine illis, a

communi tamen mensa nunquam vel raro discedunt, hospitibus autem et peregrinis nihil deesse patiuntur. » Audiant et alium Petrum (*Petrus Dam., opusc.* 33, *cap.* 7) : « Nonnulla in nostris partibus monasteria præclaram nuper institutionis normam sibimet indiderunt, ut præter cætera pietatis opera, etiam tres pauperes cum privata mensa juxta se semper A abbas habeat, eisque singulis mensuram cibi, quem quivis habet frater, apponat. Nam cum regularis norma præcipiat ut abbatis mensa semper sit cum hospitibus, hoc modo noviter utrumque completur, ut et abbatis mensa non superbis sæculi, sed sanctis hospitibus hæreat, et ipse convesci fratribus non omittat. »

CAPUT LVII.

De artificibus monasterii

Artifices, si sunt in monasterio, cum omni humilitate faciant ipsas artes, si permiserit abbas. Quod si aliquis ex eis extollitur [a] pro scientia artis suæ, eo quod **733** videatur aliquid conferre monasterio: hic talis evellatur [b] ab ipsa arte, et denuo per eam non transeat, nisi forte humiliato ei iterum abbas jubeat.

Si quid vero ex operibus artificum venundandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sunt: ne aliquam fraudem monasterio facere præsumant. Memorentur semper Ananiæ et Saphiræ (*Act.* v), ne forte mortem quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti, vel omnes qui aliquam fraudem de rebus monasterii B fecerint, in anima patiantur. In ipsis autem pretiis non subripiat [c] avaritiæ malum : sed semper aliquantulum vilius detur quam ab aliis sæcularibus datur [d], ut in omnibus glorificetur Deus.

[a] Hild., *extollatur*.
[b] Oxon., *egrediatur*. Cass. cum Floriacensi et aliis quibusdam, *erigatur*. Al., *ejiciatur*
[c] Hild., *subrepat*.
[d] Al., *dari potest*. Al. deest.

COMMENTARIUS

Artifices si sunt in monasterio, cum omni humilitate et reverentia faciant ipsas artes, si tamen jusserit abbas.] Cum omnia in monasteriis obedientiæ subjaceant, nec ipsas quas artifices callent artes, exercere permisit, nisi jubente abbate. Id quod ex antiquis monachorum regulis accipere potuit, nam Pachomiana ita habet (*Art.* 123 *in cod. Reg.*) : « Nemo quidquam operis faciet, nec scyphos plenos aqua circumferet, nec funiculum quidem torquebit, nisi præpositus jusserit. » Et S. Basilius interrogatus (*Regul. brev., interr.* 142) : « Si oportet eos qui noverunt artificia suscipere aliquod opus absque conscientia vel jussione ejus qui præest et operum sollicitudinem gerit? » respondet : « Furti reus erit hujusmodi, vel similis eis qui furibus concurrunt. » Idem videre est in Regula SS. Pauli et Stephani, cap. 33, et in Regula S. Aureliani ad monachos, cap. 23.

Operantes autem remanebant soli, nec ulli fas erat alterius officinam sine abbatis commeatu ingredi : « Nulli liceat, inquit Regula SS. Pauli et Stephani (*Cap.* 26), tam in cellario quam in singulis officinis artificum improba et importuna absque senioris jussu audacia introire; quia et communem utilitatem valde impedit hæc præsumptio, et ipsis artificibus rancorem animorum ex superflua importunitate impingit. »

Quod si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suæ, eo quod videatur aliquid conferre monasterio, hic talis evellatur ab ipsa arte.] « Et merito quidem arte et artificio suo prohibetur, qui iis plus perdit quam **734** lucratur, » inquit Gerardus Belga monachus : qui enim pro scientia artis suæ extollitur, pro levi ac temporali lucro quod confert monasterio, animam suam perdit, qua nihil pretiosius : longe omnino ab illa Ægyptiorum monachorum humilitate, de quibus Cassianus (*Lib.* IV, *c.* 14) : « Et cum tantos unusquisque eorum quotidie de opere ac sudore proprio reditus conferat monasterio, ut ex his sustentare non solum suam valeat parcitatem, verum etiam usibus possit exuberare multorum; in nullo tamen inflatur, nec sibi de tanto operis sui quæstu ac sudore blanditur, sed præter duo paximatia, quæ tribus vix denariis ibidem distrahuntur, nihil sibimet amplius unusquisque præsumit. »

Quos autem S. Benedictus ab arte sua evellit, horum etiam opera ab operibus fratrum evelli S. Basilio placuit (*Regul. fus. cap.* 29) : « Ejus sane opus, inquit, qui vel murmurare, vel animo esse elato inter laborandum deprehenditur, commiscendum non est labori qui fit ab humilibus corde et spiritu contritis; nec prorsus insumi debet in usus religiosorum, propterea quod abominatio est coram Deo quod altum inter homines est..... Et hanc rem diligenter curare C debent præpositi, ut neque ipsi sententiam ejus corrumpant, qui dixit : Qui ambulat in via immaculata, is mihi ministrabat : non habitabit in medio domus meæ faciens superbiam; neque suffulciant eum qui delictum præcepto immiscet, et socordia laboris vel animi elatione sese supra reliquos efferentis, opus suum commaculat, ut in ista perversitate permaneat, quod fit dum operam ipsius approbant, non sinentes eum ad proprii defectus pervenire sensum. »

Et denuo per eam non transeat, nisi forte humiliato ei iterum abbas jubeat.] Hic duo notat Hildemarus : primum non esse in abbatis potestate hujusmodi artificem superbum ab ipsa arte evulsum eidem denuo implicare, nisi humiliatus fuerit; secundum, etiam humiliatum non posse per eam iterum transire, nisi permiserit abbas.

Si quid vero ex operibus artificum venundandum sit.] Antiqui monachi sua vendebant opera, non tantum ut sibi providerent necessaria, sed etiam ut aliorum D consulerent inopiæ, haberentque unde tribuerent necessitatem patienti.

Videant ipsi.] « Scilicet abbas et fratres, quia communia sunt hujusmodi opera, » inquit Boherius. At de ipsis artificibus loqui videtur S. Pater, quamvis ad beneplacitum abbatis opera distraherent.

Per quorum manus transigenda sunt.] « Id est in quibus manibus ponenda sunt ad vendendum, ut ille venditor sit legalis, sive fidelis, » inquit Richardus de S. Angelo; ita ut ipsi per se non vendant, sed per domesticos, aut alios amicos : quia magnum est monachis periculum vel minimum claustro egredi. Eadem ratione S. Stephanus Grandimontensis (*In Regul. cap.* 15) fratres suos nolebat quidquam per se emere; sed « cum aliquid emere volueritis, inquit, mandate alicui amicorum vestrorum, quatenus hoc vobis afferat; quod si vobis dare noluerit, **735** postquam ab eo ad emendum petieritis, nullatenus accipiatis. Sed nobis fortasse dicetis, Melius mercabimur

si nundinas adeamus? hoc vobis prohibemus, nam multo melius vobis est parum substantiæ amittere, quam redeundo ad sæculum animam perdere. » Et sane cautum olim fuit ne monachi venderent, ut passim videre est in conciliis. Sed ante sancti Benedicti tempora id passim consueverant, quamvis illud omnino non probet S. Basilius (*Regul. fus. cap.* 39), de distractione operum hæc scribens: « Cavendum est ne opera fratrum longius aliquo venum exponantur, ne ipsi vendendi gratia in publicum procedant; honestius est enim ut uno in loco agant, et utilius quoque ad mutuam ædificationem, et diligentem quotidianæ disciplinæ custodiam; ita ut satius sit aliquid de justo pretio demere, quam modici lucri gratia extra regionis fines proficisci. Si vero id fieri non posse ipsa docuerit experientia, eligenda sunt loca et urbes virorum piorum, ne infrugiferam perfectionem instituamus; et curandum ut plures fratres ad demonstratas panegyres una proficiscantur, quorum quisquis quæ operatus est ipse portet. Deinde ut communem quidem alienorum comitatum fugiant, ut id itineris liceat cum psalmis et precationibus, ac reliqua in aliis ædificatione conficere. In ipso vero loco quo proficiscendum est constituti, eadem eligant diversoria, ut se invicem observare, et nullum precandi tempus, sive diurnum, sive nocturnum negligere: deinde et avarorum cum quibus ægre distrahendo convenitur, et fraudatorum congressus vitare queant; quod sane cum minore detrimento fieri potest, si cum multis sit quis, quam si solus: fugiunt enim multorum testimonium etiam qui alioqui sunt iniquissimi. »

Memorentur Ananiæ et Saphiræ, etc.] Innuere videtur hic S. Benedictus Ananiam et Saphiram mortem duntaxat corporis, non animæ pertulisse; id quod etiam asserunt plerique et gravissimi Patres Ecclesiæ, maxime Origenes, tract. 8 in Matth.; S. Augustinus, lib. III contra Parmenian., et serm. 148; Cassianus, collat. 6, cap. 11; et Petrus Damiani, opuscul. 12, cap. 3. *Vide* Haeftenum, lib. IX, tract. 3, disq. 4.

In ipsis autem pretiis non subrepat avaritiæ malum.] Hæc est enim idolorum servitus, quæ, ut dicit Gerardus Belga, « monachum sordidum non facit, sed monachum diabolum: quod enim ex angelo facit superbia, hoc ex monacho facit avaritia: et sicut illa angelum Deo ingratum ingratitudinis arguit, sic ista monachum perjurum efficit. »

Sed semper aliquantulum vilius detur quam a sæcularibus datur.] Idem docet Evagrius in Monachicis, num. 8 (*Tom.* III *Monument. Eccl. Græc.*): « Sive ergo vendis, sive emis, parum te de justo pretio fraude: ne in mores nimium exactos, aut erga pretium lucri cupidos inductus, ad noxias animæ causas decidas, etc. » Et Regula Magistri (*Cap.* 85): « Cum unaquæque ars aliquid perfectum, supervacuum usibus monasterii, vel mittendarum eulogiarum abundaverit, interrogata qualitate pretii, **736** quantum a sæcularibus distrahi potest, tantum infra nummorum minori semper distrahatur pretio, ut agnoscantur in hac parte spiritales a sæcularibus actibus distantiaque separari,... quæ diminutio pretii æstimatione abbatis artificibus debet constitui, ut sciant item quanta ementibus summa respondeant, et accepti pretii fraudem non possint facere de ipsa quantitate jam scienti abbati. » Sed et Regula S. Stephani Grandimontensis (*Cap.* 16): « Annonam, vel quodlibet aliud propter expensam vestram a vobis comparatum, si charius potestis vendere quam emistis, nulla cupiditate id faciatis; hinc enim negotiatores efficeremini: imo potius quod venditis, vilius vendere, et quod emitis, charius emere vobis præcipimus, ut semper a fraude declinetis. » Atque ad hujusce statuti praxim auctor est Hildemarus, ut « si alii volunt dare pro illa re viginti denarios, tu debeas dare uno minus, id est decem et novem: et quamvis non specialiter Regula dicat, tamen subintelligitur, ut sic cum emis aliquam rem pro qua alii volunt dare viginti denarios, tu vero debes dare viginti unum. » Et Udalricus Cluniacensium Consuetudines describens (*Lib.* III, *c.* 11): « Si quando tale quid comparaverit vel vendiderit camerarius, negotiatione sua ex toto peracta, mercatori cum quo negotiatus est, secundum quod negotium est et persona, aliquantos etiam addit vel reddit sua sponte denarios, propter illud S. Benedicti præcipientis ut res nostra semper vilius vendatur quam aliorum hominum. » Quanta religione istud observari voluerit S. Pachomius, habes in ejus Vita, apud Bolland., num. 25, et Sur. cap. 75, Maii die 14. *Vide* Vitam S. Filiberti abbatis Gemeticensis, num. 21, sæc. II Bened.

CAPUT LVIII.

De disciplina suscipiendorum fratrum.

Noviter veniens quis ad conversionem [a], non ei facilis tribuatur ingressus: sed, sicut ait Apostolus: *Probate spiritus, si ex Deo sunt* (*Joan.* IV). Ergo si veniens perseveraverit pulsans, et illatas sibi injurias, et difficultatem [b] ingressus, post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare, et persistere petitioni suæ [c], annuatur ei ingressus, et sit in cella hospitum paucis diebus: postea autem sit in cella novitiorum, ubi meditetur, et manducet, et dormiat.

Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas **737** animas: qui super eum omnino curiose intendat et sollicitus sit si revera Deum quærit, si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei omnia dura et aspera per quæ itur ad Deum. Si promiserit de stabilitatis suæ perseverantia [d], post duorum mensium circulum legatur ei hæc regula per ordinem et dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis: si potes observare [e], ingredere; si vero non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam novitiorum: et iterum probetur in omni patientia.

Et post sex mensium circuitum [f], legatur ei regula, ut sciat ad quod ingreditur. Et si adhuc stat, post quatuor menses iterum relegatur ei eadem regula. Et si, habita secum deliberatione, promiserit se omnia custodire, et cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in congregatione, sciens lege regulæ

[a] Al., *conversationem*.
[b] Hild., *difficultates*.
[c] Narb., *in petitione sua*.
[d] Al., *de stabilitate sua perseverantiam*. Sabin., *stabilitatis suæ perseverantiam*. Narb., *Deo stabilitatis suæ perseverantiam*.
[e] Al., *servare*.
[f] Al., *circulum*.

constitutum [a], quod ei ex illa die non liceat de monasterio egredi, nec collum excutere de sub jugo regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit aut excusare aut suscipere.

Suscipiendus autem, in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua [b], et conversione [c] morum suorum, et obedientia [d] coram Deo et sanctis ejus, ut si aliquando aliter fecerit, ab eo [e] se damnandum sciat quem irridet. De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen sanctorum quorum reliquiæ ibi sunt, et abbatis præsentis [f]. Quam petitionem manu sua scribat : aut certe si non scit litteras, alter ab eo rogatus scribat : et ille novitius signum faciat, et manu sua eam super altare ponat. Quam dum posuerit, incipiat ipse novitius mox hunc versum : *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum,* B *et vivam : et non confundas me ab exspectatione mea* (*Psal.* CXVIII). Quem versum omnis congregatio tertio A respondeat, adjungentes, *Gloria Patri.* Tunc ille frater novitius prosternatur singulorum **738** pedibus, ut orent pro eo : et jam ex illa die [g] in congregatione reputetur.

Res si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemniter donatione, conferat monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus : quippe qui ex illo die nec proprii corporis potestatem se habiturum sciat. Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis quibus vestitus est, et induatur rebus monasterii. Illa autem vestimenta quibus exutus est, reponantur in vestiario conservanda, ut, si aliquando, suadente [h] diabolo, consenserit ut egrediatur de monasterio, quod absit, tunc exutus rebus monasterii, projiciatur. Illam tamen petitionem ejus quam desuper altare abbas tulit, non recipiat : sed in monasterio reservetur.

[a] Oxon., *sciens se sub lege regulæ constitutum.* Hild. cum quibusdam, *sciens se lege regulæ constitutum.* Cassin., *sciens se jam regulæ constitutum.* Menardus existimat legendum, *sciens esse lege regulæ constitutum.* Sabin., *sciens se lege regulæ subditum.* Narb., *sciens se in legem regulæ constitutum.*

[b] Sabin., *stabilitatem suam.*

[c] Hild., *conversionem.*

[d] Hild., Flor., *obedientiam.*

[e] Oxon. cum quibusdam, *a Deo.*

[f] Oxon., *abbate præsente.*

[g] Al., *hora.*

[h] Flor. et Lyr., *suadenti.*

COMMENTARIUS.

Noviter quis veniens ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus.] Cum ex novitiorum receptione præcipuum religionis bonum pendeat, non cunctos facile absque ullo discrimine in monasteriis admitti voluit; sed probatos Dei spiritu duci, qui iis carerent defectibus et impedimentis quibus vulgo monasterii præcluditur aditus, atque iis, tum corporis, tum animi C dotibus præditi essent sine quibus vix aut ne vix quidem monastice vivitur. Quinam vero sint ii defectus, quænam animi dotes, paucis inquirendum est.

Ante omnia servos a monachatu excludendos esse censuerunt majores nostri, nisi prius a propriis dominis libertate donatos : unde S. Ferreolus cap. 5 : « Interrogetur ab eo utrum liber sit. » Et S. Fructuosus in Regula monastica communi, cap. 4 : « Quod si servi sunt, non recipiantur, nisi libertatem a proprio domino præ manibus attulerint præsentandam. » Sed eis postmodum paulo indulgentiores fuere leges civiles imperatorum. *Vide* Menardi notas in Conc. Regul., c. 65, § 13.

Secundo, legitimam requirebant ætatem; quam qui non attigissent, in monasterium non admittebantur. De necessaria dicemus infra, cum de professione agemus.

Tertio, eos qui actionem egissent publicam, aut D inter milites habiti fuissent, nisi expleta militia, aut pro corporis debilitate repulsi **739** essent, monachatu interdixit Mauritius imperator : qua de re conqueritur S. Gregorius papa, Theodoro medico scribens in hæc verba (*Lib.* II *Regist.*, *c.* 103) : « Præcepit ut nullus qui actionem publicam egit, nullus qui officio vel manu signatus, vel inter milites fuit habitus, ei in monasterio converti liceat, nisi forte si militia ejus fuerit expleta. Quam legem primum, sicut ii dicunt, qui leges veteres noverunt, Julianus protulit; de quo scimus omnes quantum Deo adversus fuerit. » Rescripsitque de injustitia hujus legis; cui tamen subjectus paruit, eam variis in locis promulgans, uti ipse testatur hunc in modum (*Lib.* II *Regist.*, *c.* 100) : « Ego quidem jussioni subjectus eamdem legem per diversas terrarum partes transmitti feci; et quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis dominis nuntiavi. Utrobique ergo quæ debui exsolvi, qui et imperatori obedientiam præbui, et pro Deo quid sensi minime tacui. » Neque omnino inutilis exstitit S. pontificis objurgatio, nam quinquennio post ad plures episcopos scribens, milites ad monasterium conversionis gratia venientes, temere non esse suscipiendos dicit, sed triennio in habitu suo probatos monastica veste indui mandat, « qua de re, inquit, etiam serenissimus et Christianissimus imperator, mihi credite, omnimodo placatur. »

Quarto, conjunctos matrimonio, vivente uxore et continentiam non vovente, haudquaquam recipiebant : « Si quis vult conjugatus converti, inquit S. Isidorus (*Cap.* 4), ad monasterium non est recipiendus, nisi prius a conjuge castimoniam profitente fuerit absolutus. » Concilium Abrincacense anno 1172, cap. 10 (*Apud Spelman.*) : « Vir ad religionem non transeat, uxore in sæculo remanente, vel e converso, nisi ambo vacandi operibus carnis tempus excesserint. » Et Constitutiones Richardi episcopi Sarum (*Ibid.*) : « Doceant sacerdotes frequenter populum, et prohibeant sub anathemate, ne alter conjugum transeat ad religionem, nec recipiatur nisi per nos, aut per licentiam nostram. » Hinc S. Gregorius papa Urbico abbati de suscipiendo Agathone scribens (*Lib.* V *Regist.*, *c.* 149), « quem, inquit, ita suscipiendum esse cognosce, si et uxor ipsius similiter converti voluerit; nam dum unum utrorumque corpus conjugii copulatione sit factum, incongruum est partem converti, et partem in sæculo remanere. » Et alibi (*Lib.* IX, *cap.* 44) virum invita uxore conversum, etiam jam tonsuratum et monachum factum, propriæ conjugi restitui præcipit. In libro etiam Usuum Cisterciensium hæc lego (*Cap.* 102) : « Si contigerit ut aliquis conjugali nexu ligatus, monachis hoc ignorantibus, suscipiatur, dum cognitum fuerit, ejiciatur : quod si postea sigillum episcopi sui, vel certum testem adduxerit, quod uxor ejus castitatem vovens eum absolverit, recipi poterit, annum integrum in probatione denuo peracturus. Quod si habitum monachi

jam accepit, similiter recedat; si in cella moritur, de eo sicut de monacho fiat. »

Et tamen S. Basilius conjugatos etiam reluctante conjuge admitti volebat; ita enim habet (*Reg. fus.*, *cap.* 12): « Si qui in conjugio sunt constituti ad hanc vitam accedere cupiant, examinandi sunt an id ex consensu faciant, **740** secundum Apostoli mandatum; potestatem enim, inquit, qui talis est proprii corporis non habet; atque ita demum, adhibitis pluribus testibus, suscipiendi: nihil enim obedientiæ Deo debitæ præferendum est. Si vero pars altera dissentiat ac reluctetur, minus intelligens quid Deo placeat, recordandum est Apostoli dicentis: In pace autem vocavit nos Deus; *et mandatum Domini adimplendum*, dicentis: Si quis venit ad me, et non odit patrem et matrem, et *uxorem*, etc., non potest meus esse discipulus: obedientiæ namque Dei nihil est præferendum. » Basilio favent etiam humanæ leges, ut discimus ex S. Gregorio (*Lib.* IX *Regist.*, *cap.* 44), qui tamen eas non probat: « quia, inquit, etsi mundana lex præcipit, conversionis gratia, utrolibet invito, posse solvi conjugium, divina hoc tamen lex fieri non permittit. » *Vide* Cassian. collat. 21, c. 9.

Quinto, debent esse qui recipiuntur corpore sano et robusto, quo possint monasticæ vitæ jugum portare suavius; ac præsertim morbis contagiosis et insanabilibus carere: nam licet Fuldenses olim monachi in libello supplici ad Carolum Magnum postularint (*Num.* 6), « quod omnibus ad monasterium vitæ hujus amore venientibus pietas congrua impendatur; et nec infirmi, neque seniores, neque delicati duritia aufugentur; sed omnes cum misericordia suscipiantur, et solatium quod petierint honeste infirmitati eorum impertiatur; » tamen experientia magistra docuit ex hujusmodi hominum receptione non parum relaxari vigorem observantiæ regularis, qua nihil antiquius monachis esse debet; hinc S. Stephanus ordinis Grandimontensis institutor, « præcipimus, inquit (*In Reg. cap.* 44), ne quis infra viginti annos, aut homo infirmans nisi equitando aut pedibus ambulando venire possit in hac religione recipiatur; quemlibet etiam leprosum manifeste cognitum in nostra religione recipi prohibemus. » Et Institutiones Cistercienses (*Dist.* 10, *c.* 2): « Novitii, qui in probatione lepram incurrunt, de jure emittantur; sed de misericordia poterit eis provideri. Idem statuitur de caducis. »

Sexto, attendendum est maxime ne suscipiendus invitus convertatur, aut cogentibus eum parentibus monachus fiat. Ita Fuldenses in libello supplici postulant (*Num.* 9), « quod nullus vi monachus fieri cogatur, nec ad clerum tondeatur, sive liber sit, sive servus; quia tales in monasterium suscepti auctores sunt scelerum, et exsecutores vitiorum. »

Septimo, Cistercienses volunt (*Lib. antiq. defin.*, *dist.* 11, *cap.* 1), ut « in recipiendis novitiis clericis tanta in litteratura competenti, ætate legitima, et probatione spirituum, si ex Deo sunt, adhibeatur diligentia, quod cedant ad utilitatem ordinis et honorem. Et idcirco districtissime prohibetur ne aliquis deinceps recipiatur in ordine, nisi constet eum de legitimo matrimonio natum, vel super dispensatione sua litteras apostolicæ sedis ostendat. Quod si quis defectum natalium patiens, vel fallaciter recipientis dissimulatione receptus fuerit, a visitatore, quam citius hoc eidem innotuerit, expellatur; et abbas in hoc delinquens per patrem abbatem vel visitatorem citetur ad capitulum generale. Eidem pœnæ sit subditus, qui aliquem de mendicantibus ordinibus, vel apostatam, **741** seu fugitivum, aliorumque ordinum aliquem nostro præsumpserit ordini sociare. » In antiquis etiam Carthusiensium statutis hæc lego (*Part.* II, *c.* 23, *n.* 3): « Volens fieri monachus, aut conversus, aut redditus, si nobis placuerit ut probandus recipiatur, primo quæratur ab eo coram testibus si de ordine aliquo exierit, si liber, si absolutus, si absque incurabili sit morbo, si de querelis satisfecerit. Is vero qui vult fieri monachus insuper interrogetur, si possit ad sacros ordines ascendere. Examinetur quoque si legere et cantare novit et possit: sciturus quicunque sit ille, clericus, aut laicus; quod si id de quo interrogatur celaverit, poterit etiam post professionem expelli. » Eadem habent in Nova statutorum Collectione parte II, cap. 17, n. 11. Eadem fere etiam leguntur in Bursfeldensium Cæremoniali, dist. 3, c. 1.

Ex recentioribus Olivetani circa novitiorum receptionem hæc constituunt (*In Constit.*, *part.* II, *c.* 58): « Recipiendi novitii videndum imprimis erit si spiritu Dei aguntur, si e legitimo matrimonio nati bonæ indolis sunt, si quinto decimo suæ ætatis expleto anno sextum-decimum attigerunt, si bene anteactam vitam transegerunt, et grammaticam saltem didicerunt. Caveatur autem ne recipiendi alicujus favore et gratia recipiantur, nisi in eis prædictæ qualitates elucescant. Spurii et incurabilibus morbis obnoxii non admittantur. Criminosi, facinorosi, infames, ac malæ vitæ, qui ut sæcularem justitiam vitent, ad religionem, tanquam ad asylum confugere audent, nisi certissimæ resipiscentiæ, contritionis ac devotionis signa per longum tempus ediderint, arceantur. Qui patres infame opus exercentes habent, non accipiantur, nisi arctiori quam alii examine probentur, et in ipsis tot qualitates reperiantur quot satis sint ad patris delendam maculam. Ab alia religione ejecti, aut qui illam deseruerunt, licet in ea perpaucos dies egerint, non accipiantur. » Cœlestinorum etiam Constitutiones ita habent (*Cap.* 5, § 2): « Recipiendi sint corpore sani, ex legitimo matrimonio nati, sint conditione liberi, et in ætate legitima constituti, ut saltem quartum decimum ætatis annum compleverint, grammaticalibus rudimentis instructi, non excommunicati, non schismatici, non alterius religionis professi, nisi summus pontifex expresse jusserit ut recipiantur. Nulla sint vulgari infamia maculati, de nullo errore suspecti, non criminosi, non ære alieno gravati, vel reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxii, sani mente, Deum timentes, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem et obedientiam in omnibus et per omnia servaverint et tenuerint. Sint etiam cum membris aptis, et nullum habeant in illis notabilem defectum, nec in vultu cicatrices, ac demum tales qui rite et canonice possint ad sacros ordines promoveri. Quod si vigesimum annum excesserint, non nisi per capitulum definitoriale admittantur. » Denique Fulienses (*In const. cap.* 58) decem declarant impedimenta quibus ab ingressu religionis pulsantes arceantur: 1° ætas minor septemdecim annis, aut major quadraginta quinque pro clericis; pro conversis aut donatis vero viginti minor, aut quadraginta major; 2° si quis fuerit hæreticus, aut **742** de hæresi probabiliter suspectus, aut etiam a Judæis oriundus; 3° si schismaticus fuerit; 4° si ea sit irregularitate astrictus quæ nullam aut difficilem dispensationem admittat; 5° si non sit ex legitimo matrimonio natus; 6° si ære alieno sit obstrictus, aut aliquarum personarum egestati subvenire teneatur; 7° si futurus clericus linguæ Latinæ sit imperitus; 8° si qua sit ignominia notatus, præsertim in ipso loco in quo habitum petit; 9° si flagitiis aut sceleribus sit contaminatus; 10° si ea corporis infirmitate laboret quæ disciplinæ austeritatem diu ferre non posse videatur. De quibus tamen, exceptis 2, 6, 9 et 10, impedimentis, justis de causis potest haberi dispensatio a superiore congregationis cum consilio seniorum assistentium.

Præter hujusmodi impedimenta, quibus retardatur aut ex toto impeditur religionis ingressus, simplicitatem insuper atque humilem prudentiam in suscipiendo requirit Guillelmus abbas S. Theoderici ad fratres de Monte Dei scribens in hæc verba (*Cap.* 12): « Ex duobus hominum generibus cellarum habitatio supplenda est, scilicet vel de simplicibus,

qui et sensu et voluntate ad assequendam religiosam prudentiam ferventes apparuerint et humiles; vel de prudentibus quos religiosæ et sanatæ simplicitatis constiterit esse æmulatores. Stulta vero superbia, vel superba stultitia a tabernaculo justorum semper procul sit. Est autem omnis superbia stulta, quamvis non omnis stultitia sit superba; stultitia enim sine superbia nonnunquam simplicitas invenitur; quæ si ignorat, forsan est docibilis; et si nequit doceri, forsan est tractabilis. Et est propria civitas refugii simplicitati cohabitatio religionis, nisi sit talis quæ nolit humiliari, vel tam bruta, ut non possit regi et tractari. Bona tamen voluntas etsi multum sit bruta, non tamen est deserenda, sed salutari consilio ad laboriosam et actuosam vitam transmittenda. Superba autem quantumvis prudens sibi videatur, dimittenda sibi est et abigenda : si enim admittitur superbus, prima die qua ingreditur habitare, incipit leges dare; nimium vero stultus discere non potest quas invenit. Sollicite ergo et prudenter perpendendum est quis admittatur ad habitandum secum; qui enim habitat secum nonnisi seipsum qualis ipse est habet secum : malus autem homo nunquam tuto secum habitat, quia cum malo homine habitat; et nemo molestior ei est quam ipse sibi. »

Sed sicut ait Apostolus : Probate spiritus si ex Deo sunt.] Quatuor enim sunt genera spirituum, ut docet S. Bernardus (*Serm.* 23, *de Diversis*) : Spiritus carnis, qui suadet mollia; spiritus mundi, qui suadet vana; spiritus malignus diaboli, qui suadet amara, ut sunt rixæ, scandala, etc. Quibus nonnunquam addit se spiritus noster; ac tandem spiritus Dei, qui suadet castigationem corporis, humiliationem cordis, et conservationem. Et istum maxime spiritum hic requirit S. P. Benedictus. Eodem respexit S. Pachomius in Regula, art. 26; S. Basilius in Regula a Rufino translata, cap. 7; S. Ferreolus in Regula, cap. 5, et Regula Tarnatensis, cap. 1.

743 *Ergo si veniens perseveraverit pulsans, et illatas sibi injurias et difficultatem ingressus post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare*, etc.] Probationem venientium ad conversionem ad quartum aut quintum diem duntaxat S. Pater extendit, magnum imitatus Antonium, qui, teste Palladio (*Laus.*, *c.* 28), Paulum Simplicem post quartum in cella suscepit. In monasterio etiam abbatis Timothei quinque diebus probabantur pulsantes, ut patet ex Vita S. Simeonis Stylitæ, cap. 2.

Hunc dierum numerum paululum auxit S. Pachomius, qui, ut scribit Palladius (*Laus.*, *c.* 20), Macarium, rejectum et objurgatum, post septem dies admisit : quem probationis terminum etiam definit Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii, cap. 7, ubi sic loquuntur : « Ii qui tales sunt, cum de sæculo hujus illecebris liberari voluerint, appropiantes monasterio, hebdomada pro foribus jaceant : nulli cum eis de fratribus jungantur; et semper dura et laboriosa eis proponantur. Si vero perseveraverint pulsantes, eis non negetur ingressus. »

Aliis vero placuit decem probationis constituere dies, de quibus Cassianus : « Ambiens quis intra cœnobii recipi disciplinam, non ante prorsus admittitur, quam diebus decem, vel eo amplius pro foribus excubans, judicium perseverantiæ ac desiderii sui, pariterque humilitatis ac patientiæ demonstraverit. » Atque ita in Regula vivendi monachis a S. Davide præscripta (*In ejus Vita, apud Boll.*, 1 *Martii*), « qui sancto proposito a mundo se convertens fratrum inire consortium affectabat, prius decem diebus præ foribus monasterii, quasi reprobatus et verborum opprobriis conviciatus, remanebat. Si tamen bene utens patientia ad decimum perseveraret diem, acceptus prius sub seniore, qui pro tempore præerat, constitutus serviebat; ibique multo tempore desudans, fractusque multis adversitatibus, tandem fra-

A trum merebatur consortium. » Hinc et S. Fructuosus episcopus in prima Regula (*Cap.* 21) : « Conversum, inquit, de sæculo Patrum decreta docent non suscipiendum in monasterio, nisi prius experimentum sui in opere et penuria, in opprobriis dederit et conviciis; quique decem diebus persistens ad januam cœnobii, orationibus et jejuniis, patientiæ et humilitati operam dederit. » Sed in secunda Regula (*Cap.* 4) hunc dierum numerum ita contraxit, ut « monachi qui ob religionis obtentum monasterium ingredi petunt, primum ante fores tribus diebus et noctibus excubent; et ex industria jugiter ab hebdomadariis exprobrentur. »

Qualis esset interim pulsantium probatio, innuit S. P. Benedictus dum ait, *post illatas injurias et difficultatem ingressus* perseveranti annuendum esse ingressum. Ubi respexisse videtur ad illud Cassiani (*Lib.* IV, *c.* 3) : « Cumque omnium prætereuntium fratrum genibus provolutus, et ab universis de in-
B dustria refutatus atque despectus, tanquam qui non religionis, sed necessitatis obtentu monasterium optet intrare, injuriis **744** quoque et exprobrationibus multis affectus experimentum dederit constantiæ suæ; qualisque futurus sit in tentationibus opprobriorum tolerantia declaraverit, atque ita fuerit explorato mentis ardore susceptus, diligentia summa perquiritur, ne de pristinis facultatibus suis inhæserit ei vel unius nummi contagio. » In Regula vero Magistri præscribitur (*Cap.* 90), ut « cum aliquis novellus de sæculo ad servitium Dei in monasterium confugerit, et indicaverit se velle converti, non ei credatur tam facile. Nam ficte ab abbate solo verbo, non facto habitatio ei monasterii denegetur, ad probationem gravia proponantur, ad obedientiam ejus inveniendam prædicentur contraria, et voluntati ejus amara, quotidiana ei jejunia promittantur. Nam et hoc ex lectione regulæ et dicto abbatis agnoscat, quia in monasterio nulli licet dicere : Hoc volo, et hoc nolo : Hoc amo, et hoc odio, ut non propria
C eligatur voluntas. Et sciat quia qui in monasterio conversus fuerit, quidquid ex voluntate sua voluerit, hoc magis non permittitur. » Atque ita fere S. Stephanus ordinis Grandimontensis institutor adoriebatur eos quos in disciplina sua recipiebat : « Cum aliquis causa veniendi ad eum charitatem ab eo postularet, inquit ms. liber de ejus doctrina, antequam ei tribueret, hoc modo respondebat : Frater, quomodo poteris onus sustinere quod tibi vis imponere? Aspice crucem : multum est difficile ibi manere : si huc adveneris, in ea configeris, et amittes dominationem quam habes in temetipso, in oculis, et in ore, ac in cæteris membris. Manducandi, jejunandi, dormiendi ac vigilandi tuam relinquis voluntatem, multarumque rerum aliarum; et hoc quod in sæculo diligis, continget tibi odio habere. Exinde non reverteris ad domum cognatorum tuorum; et si ad te venerint, nequaquam eis paupertatem tuam ostendes. Poterisne, frater, fossor esse, lignum et fimum portare, cunctisque fratribus
D servire? Hoc totum esset facile; sed captus tali carcere manebis ubi non est foramen per quod ad sæculum revertaris, nisi tu ipse feceris. Et ego curam tui non agam, nec temetipsum agere sinam : a sæculo quippe meos abscidi pedes; et si propter me non redeo, propter te non redibo. Adhuc aliud superfuerit : forsitan mitterem te in aliquod nemorum, et annonam quam manibus tuis cum ligneo ligone acquisieris laborando, ego acciperem, et eis qui me hic custodiunt tribuerem. Aliud vero restat horribilius : centupliciter tibi melius est damnari in sæculo quam hic; qui enim ab altiori cadit, amplius læditur; et si hinc in infernum caderes, omnibus aliis perditis inferior esses : tu vero pergere potes ad quodlibet monasteriorum, ubi magna invenias ædificia, ciboque delicatos suis temporibus constitutos : illic bestias reperies terrarumque latitudinem; hic tantum crucem ac paupertatem. Talibus

verbis vir bonus experiebatur si ille firmum relinquendi sæculum cor haberet. › Hildemarus quoque hunc Regulæ locum exponens ita habet : ‹ Cum venit ad monasterium quis, debet illi dicere injurias isto modo : Frater, tu forte fecisti furtum, aut adulterium, **745** aut aliquod scelus; et nunc venisti ad monasterium, et te decipere et alium. Sed tamen in prima vice debet duriter illi dicere injurias; in secunda autem vice jam leniter, et hoc facto vel dicto. Si quatuor vel quinque diebus istam moram vel injurias patienter portaverit, tunc debet suscipere illum in hospitale. › Et iterum : Abbas ‹ debet illi dicere : Frater, non potes observare hoc quod petis : melius tibi est in sæculo esse, quam huc venire, et promittere ea quæ non potes observare. Forte fecisti mala in sæculo, nunc venis et alios perdere. › Addit tamen : ‹ Verum debet unus ex fratribus dicere illi semoto : Frater, nostra regula dicit ut te noster abbas non recipiat cito, sed si perseveraveris pulsando, faciet tibi sicut tu postulas; quia Regula dicit : Non facilis tribuatur ingressus. Ideo tibi noster abbas non dixit venire; sed veni ad portam monasterii, et nos exhibeamus tibi aliquod adjutorium et sublevamentum, usquequo iterum loquaris cum illo. › Et Bernardus Cassinensis : ‹ Ostiarius causa probationis poterit sibi dicere aliqua verba, quæ impatientes cito ad animum revocare solent, ut pote, Frater, quid scimus si tu commisisti furtum, vel adulterium, aut si tu servilis conditionis es, et fugis dominum tuum? et similia : vel forte injungens ei aliquod opus vilissimum, quod pro injuria videtur haberi, ut purgare aliquem locum sordidum, et cætera talia. › *Vide* Drogonis monachi Floriacensis probationem apud Aimoinum in lib. I de Mir. S. Bened. num. 13, et concil. Cloveshoviense, cap. 24, apud Spelmannum tom. I.

Et sit in cella hospitum paucis diebus.] Quid autem in ea facturus, quandiuve immoraturus arbitrarium censent Richardus de S. Angelo et Boherius. Sed rem tum ex antiquis Regularum conditoribus, tum ex Benedictinæ commentatoribus discere licet : ‹ Cum igitur, inquit Cassianus (*Lib.* IV, *c.* 7), quis susceptus, et hac perseverantia, quam diximus, comprobatus, ac depositis propriis vestimentis, habitu monasteriali fuerit accinctus, non statim congregationi fratrum commisceri permittitur, sed deputatur seniori, qui seorsum haud longe a vestibulo monasterii commanens habet curam peregrinorum et advenientium deputatam; eisque omnem diligentiam susceptionis et humanitatis impendit; cumque ibidem integro anno deserviens absque ulla querela suum circa peregrinos exhibuerit famulatum, imbutus per hoc prima institutione humilitatis ac patientiæ, atque in ea longa exercitatione præcognitus, admiscendus ex hoc congregationi fratrum. › Simili modo Regula Tarnatensis (*Cap.* 1) : ‹ Uni de senioribus deputatus tandiu jubeatur advenientibus deservire, quousque ejus devotio fuerit patientia teste demonstrata. › Regula S. Isidori (*Cap.* 4) : ‹ Qui renuntians sæculo ad monasterium venerit, non statim in cœtum delegandus est monachorum; vitam enim uniuscujusque in hospitalis servitio tribus mensibus considerari oportet. › Regula S. Fructuosi (*Cap.* 21) : ‹ Hospitibus sive peregrinis stramina comportabit, aquam calefaciens pedibus, et omnia humiliter ministeria exercebit; fascemque lignorum suo quotidie **746** dorso ferens hebdomadariis tribuit. › Regula Magistri (*Cap.* 87) : ‹ In quibus duobus mensibus sub cura illorum fratrum qui peregrinos custodiunt, et ipsi similiter ex improviso custodiantur; et in cella peregrinorum dormiant, ut ingressus illorum vel exitus in monasterio custodum præsentia videatur. › Eodem forte etiam respexerit S. Basilius (*Apud Ruff. cap.* 6) cum scripsit : ‹ Priusquam corpori fraternitatis inseratur, oportet ei injungi quædam laboriosa opera, et quæ videantur opprobrio haberi a sæcularibus; et observare oportet si libenter hæc et libere

A ac fideliter expleat, nec confusionem eorum graviter ferat, vel etiamsi in labore impiger inveniatur, et promptus. › Denique Hildemarus : ‹ Deinde suscipiatur in cella hospitum adhuc laicus; debet enim illum suscipere qui hospitalem tenet, et debet illi imperare, ut discalciet hospites; et faciat focum, et serviat quæ necessaria sunt hospitibus : et debet ille frater hospitalis illum admonere qualiter obediens et mortificatus esse studeat : si autem illum cognoverit frater hospitalis per duos menses, tunc debet illi legi Regula. › Tandem concilium Aquisgranense (*Can.* 34) : ‹ Novitio non facilis in monasterium tribuatur ingressus, et ut in cella hospitum probationis causa hospitibus serviat paucis diebus. › Sed hæc jam dudum abiere in dissuetudinem; nam Cluniacenses novitios in hospitio nisi unum diem non retinebant ex Udalrico lib. II, cap. 1; Cistercienses tres duntaxat ex lib. Usuum, cap. 102; Camaldulenses tres vel quatuor ex eorum Constitutionibus, cap. 58;
B Vallisoletani tandiu quoad Regulam a capite ad calcem perlegerint, et generali peccatorum confessioni præparandæ dies aliquot insumpserint ex Constitutionibus eorum, cap. 58.

Postea autem sit in cella novitiorum.] Hæc cella a communi fratrum habitaculo erat separata, velut alterum monasterium, suum habens claustrum, refectorium, coquinam, dormitorium, infirmitorium, lavatorium, ut patet ex antiqua delineatione monasterii S. Galli; idque omnino ad mentem priscorum monachorum, qui novitios corpori congregationis misceri haud patiebantur, ut videre est apud Cassianum, lib. IV, cap. 7, jam citato; in Vita S. Sabæ tom. III Monumentorum Ecclesiæ Græcæ; in Regula S. Ferreoli, cap. 5, S. Fructuosi, c. 22; apud Bedam in lib. IV Historiæ Gent. Angl., cap. 23, et in Vita S. Austrudis abbatissæ Laudunensis, num. 34. Ejusdem cellæ fit mentio in Vita S. Hermelandi, in Vita S. Guillelmi ducis et monachi Gellonensis, in Reginonis Chronico: apud Leonem Ostiensem in
C Chronico Cassinensi, lib. III, cap. 31; apud Udalricum, lib. II, cap. 2; in Statutis Petri Venerabilis, num. 19, et alibi passim. De ea mss. Farfensis monasterii Consuetudines : ‹ Construatur cella novitiorum, et sit angulata in quadri modis : videlicet prima ubi meditentur, in secunda reficiant, in tertia dormiant, in quarta latrina ex latere. ›

Postea vero successu temporis cœperunt novitii commisceri professis. Udalricus loquens de Cluniacensibus : ‹ Quando pauciores sunt, non separatim dormiunt. › Statuta Lanfranci, cap. 18 : ‹ In cella novitiorum **747** dormiat, aut in dormitorio; si cœnobium cellam hujusmodi non habet, in claustro separatim sedeat cum magistro suo in loco novitiis deputato. › Sed tandem Clemens papa VIII antiquam formam restituere conatus est, decernens ut in omnibus Ordinibus novitiatus haberetur communis, in quo novitii loco a professis separato educarentur.

Ubi meditetur.] In hoc quod dicit meditari, inquit
D Bernardus Cassinensis, ‹ intelligit et lectionem, et meditationem, et orationem, et psalmodiam, et omnia quæ ad spiritales actus comprehendantur, ut sit hic meditatio quasi genus. › Concinunt Boherius et Turrecremata; sed et Smaragdus : ‹ Meditetur, inquit, in canticis, et psalmis, et hymnis, sive in regularibus præceptis, quibus tradendus est, observandis. ›

Manducet.] Cum eadem omnino disciplina qua monachi professi, ita ut ‹ Cum manducat lectionem audiat, et sileat, › sicuti loquitur Hildemarus. Audiendus est hanc in rem Udalricus (*Lib.* II, *c.* 2) · Novitii ‹ quando sunt pransuri, ante conventum exeunt de ecclesia, et lotis manibus incedunt ad coquinam regularem, ut singuli fabas suas apportent : ad generale quoque apportandum, vel ad pulmentum tanti surgunt de mensa, quanti opus fuerit, et ille voluerit qui in loco cellerarii eis servit; nunc et

lectiones habent, et scillam; et aliis modis simulant eamdem disciplinam, quam nos in refectorio habemus. » Cassinense vero hunc in locum declarant, « quod novitii in refectorio comedant simul cum monachis, sed in mensa segregata ab eis, ubi commode videri possint a Patribus. »

Et dormiat.] Et simul cum eo novitiorum magister, qui ut in eos omnem sollicitudinem habere possit, ab eis separari non debet: unde et Hildemarus: « Ille magister novitiorum debet cum illo manducare, et dormire, et per omnia intentus debet esse, et nullo modo debet illum dimittere; et ita debet admoneri, et corrigi, et excommunicari, et flagellari sicuti monachum. »

Et senior ei deputetur talis, qui aptus sit ad lucrandas animas.] Quia novitios ab omni fratrum consortio segregaverat, et solos remanere non parvi esset periculi, sapientem eis seniorem, aptum ad lucrandas animas præficit, qui eos in vita religiose instituenda informet. Quod sic intelligit Haeftenus (*Lib.* IV, *tract.* 4, *disq.* 1), ut singulis novitiis singuli seniores deputandi sint: at quæ ad id probandum profert, minime evincunt. Et certe si singulis novitiis singuli præficerentur magistri, jam non separati, sed professis permixti habitarent, nec necesse foret separatam eis assignare cellam, cum novitiorum numerus aliquando accedat ad numerum professorum. Adde quod difficile esset tot in congregatione reperire magistros: nam etsi nullo negotio invenias qui regantur, ægre tamen reperies qui regere possint; maxime in Haefteni sententia, qui seniorem non tantum moribus, sed et ætate requirit. Notat enim tria in eo requiri. **748** Primum ut sit ætate et moribus senex; quia, inquit, verissima est Cassiani sententia, non posse alios utiliter institui ab eo « qui virtutum laboriosa certamina reipsa non fuerit expertus; harum enim rerum ratio nequaquam potest otiosa meditatione doctrinaque verborum vel tradi, vel intelligi, vel memoria contineri; totum namque in sola experientia usuque consistit. » Secundum ut sit aptus ad lucrandas animas; qualem describit S. Basilius his verbis (*Sermon. de Abdic. rerum*): « In omnibus deinceps delectæ tibi vitæ studiis certissimum ducem sequaris ejusmodi, videlicet qui certum iter ad Deum volentibus pergere sciat commonstrare, qui ornatus sit virtutibus, cujus universæ totius vitæ actiones testimonio sint, charitatem in eo erga Deum inesse, qui divinarum litterarum scientiam habeat, virum integrum, ab avaritia abhorrentem, minime libenter gerendis se negotiis admiscentem, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minime iracundum, immemoremque injuriarum, natura propensum ad eos docendos qui ad ipsum accedant, quem gloria inanis non inflat, superbia non extollat, adulatio non frangat, severum atque constantem, cui denique Deo nihil sit potius. » Tertium ut sollicite intendat super novitios: quonam vero extendere se debeat ejus sollicitudo, S. Pater explicat his verbis:

Et sollicitus sit si revera Deum quærit.] Quid sit revera et in simplicitate cordis, ut aiunt, quærere Deum, docet S. Bernardus, scilicet « non aliud tanquam illum, non aliud præter illum, non aliud post illum. » Et infra ait: « Si nolumus frustra quærere Deum, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseveranter; ut nec præ illo aliud, nec cum illo aliud, nec ab illo ad aliud convertamur: facilius est enim cœlum et terram transire, quam ut sic quærens non inveniat, sic petens non accipiat, sic pulsanti non aperiatur. »

Jam vero si quis quærat quibus indiciis dignoscatur novitius ita quærere Deum, respondet Adam abbas Persenniæ in epistola ad Osmundum monachum (*Tom. I Miscell. Baluz.*): « Certe si ad illa tria ipsum magister paratum invenerit; si in opere Dei ipsum fervere cognoverit; si bono et læto animo bonum obedientiæ superioribus, coæqualibus, inferioribus exhibentem; si ad perferenda opprobria patientem potest intelligere quod vere Deum quærit; si tamen felici perseverantia felix initium claudere non omittit. »

Ad opus Dei.] Sive divinum officium, ut videat « an ad horam divini officii mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione occurrat, an de nocte festinet alios prævenire ad opus Dei, num frequenter tarde occurrat, et qua ex causa, an officium prævideat, et sedulus sit in addiscendis iis quæ illud concernunt, » ut loquitur Haeftenus (*Lib.* IV, *tract.* 3, *disq.* 5). Sed Smaragdus paulo latius hic opus Dei intelligit et extendit, nimirum « ad ea quæ proprie ad Deum pertinent, videlicet ad orationem, ad lectionem divinam, ad vigilias nocturnas, cursusque diurnos, ad jejunium, et ad omne divinum **749** officium. » Similiter Nicolaus de Fractura « ad ea per quæ itur ad Deum, ut sunt horæ canonicæ, oratio Dominica, lectio, psalmodia, et his similia. »

Ad obedientiam.] Ut pote quæ proprius sit vitæ cœnobiticæ scopus, in qua exercendus ante omnia novitius, a qua si vel minimum abhorruerit, a congregatione procul pellendus; nam, ut recte dicebat Guillelmus abbas S. Theoderici (*De vit. solit. ad fratres de Monte Dei*): « animalem discretum, novitium prudentem, incipientem sapientem, in cella diu posse consistere et in congregatione durare impossibile est. Stultus fiat, ut sit sapiens; et hæc omnis sit ejus discretio, ut in hoc nulla sit discretio: » hinc et Severus Sulpicius de monachis loquens (*Dial.* 1, *c.* 11): « Præcipua, inquit, ibi virtus et prima est obedientia; neque aliter adveniens ad monasterium abbatis suscipitur, quam qui tentatus prius fuerit et probatus, nullum unquam recusaturus quamlibet arduum, ac difficile, indignumque toleratu abbatis imperium. » Et Cassianus (*Lib.* IV, *c.* 8): « Hæc erit sollicitudo, et eruditio principalis, ut doceat juniorem primitus suas vincere voluntates, quem studiose in his ac diligenter exercens, hæc illi semper imperare de industria procurabit, quæ senserit animo ejus esse contraria. Multis siquidem experimentis edocti tradunt monachum, et maxime juniores, ne voluptatem quidem concupiscentiæ suæ refrenare posse, nisi prius mortificare per obedientiam suas didicerint voluntates. »

Ad opprobria.] Quo nomine intelligit injurias, humiliationes, irrisiones, abjectiones, aliasque tum animi tum corporis mortificationes. Et hoc quia, ut dicebat abbas Esaias (*Monum. Eccles. Græc.*, *p.* 445), « nihil adeo utile est novitio monacho ut contumelia; nam quemadmodum arbor singulis diebus irrigata, sic novitius contumelia affectus, et tolerans: » unde et S. Basilius (*Regul. fus.*, *cap.* 10): « Erga quosvis probandi modus sit, an ad omnis generis humilitatem citra verecundiam appositi sint, ita ut vilissima artificia injungi sibi sinant, quo certa ratione probetur, num utile futurum sit eorum studium: maxime vero si relicta quisquam illustriore vita ad eam aspiraverit vitæ humilitatem, quæ est ad similitudinem Domini nostri Jesu Christi; illi decernenda, et injungenda talia quædam, quæ apud sæculares homines turpia ducuntur; et observandum an cum omni diligentia se non pœnitendum Domino operarium exhibeat. »

Prædicentur ei omnia dura et aspera.] Primo quidem ad portam monasterii antequam admittatur, secundo in cella hospitum postquam admissus est, tertio in cella novitiorum ubi probandus est. Quid autem sit prædicare dura et aspera, ita explicat Adam abbas Persenniæ in præfata epistola (*Tom. I Miscell. Baluz.*): « Hoc ei prædicare non est aliud quam ex Scripturis aut ex propriis exemplis ostendere arctam et arduam esse viam quæ ducit ad vitam: quam viam procul dubio non incedit, qui intrare per angustam portam juxta præceptum Domini non contendit. »

Porro etsi « dura et aspera quasi idem videntur

esse, inquit Bernardus Cassinensis, illa tamen sunt proprie dura, quæ sunt per perseverantiam **750** durabilia; nam forte per duos aut tres dies quis jugum Ordinis leviter portare posset, sed non amanti ad finem usque perseverare valde difficile esset. Aspera vero sunt cibus regularis, abstinentia Ordinis, durus lectus, continuum silentium, prolixum officium, longæ vigiliæ, abjectio sui, dura imperia prælati, patientia in adversitatibus, totalis abrenuntiatio mundi, et affectionis consanguineorum et omnium propinquorum, vivere sine proprio, et sine propria voluntate, et similia. »

Et si promiserit de stabilitatis suæ perseverantia.] Id est promissurum se dixerit, quia adhuc promissio ejus, quæ ad professionem pertinet, recipienda non est, inquiunt Bernardus Cassinensis, Richardus, et Boherius.

Post duorum mensium circulum.] Quos in hospitio vult transigi Hildemarus, reliquis decem in cella novitiorum peragendis; quamvis æquior Regulæ sensus indicare videatur integrum probationis annum in cella novitiorum esse transcurrendum, ut etiam haud obscure docent Smaragdus, Bernardus Cassinensis, et Boherius, qui exponentes sequentia verba: *ducatur in supradictam cellam novitiorum*, supponunt exivisse ex ea lectionem Regulæ audiendi gratia.

Et legatur ei hæc Regula per ordinem.] Juxta priscorum monachorum instituta, quæ venientibus ad conversionem, ut sciant ad quid ingrediuntur, legi Regulam mandant, ut videre est in Regula tertia SS. Patrum, cap. 1; in Regula S. Cæsarii ad virgines in recapitulatione, cap. 8; in Regula S. Aureliani, cap. 1; S. Ferreoli, cap. 5; Tarnatensis monasterii, cap. 1, et Magistri. A quibus, si S. Cæsarium excipias, in hoc tantum differt S. Benedictus, quod illi semel tantum introeunti sive admisso legendam decernunt Regulam; S. Benedictus vero ter in ipso probationis anno; cujus statutum renovavit Gregorius papa IX in Constitutione pro monachis Benedictinis, decernens, ut admittendis « novitiis dura prædicentur et aspera; et eisdem admissis legatur, et exponatur regula ter in anno, probationis terminis a B. Benedicto constitutis. »

Hanc lectionem fieri *per ordinem* S. Pater instituit, quod Bernardus Cassinensis exponit, ut non sit « superficialis, sed diligens, et expositiva, et intelligibilis. Et hoc est, inquit, legere per ordinem. » Hinc et Hildemarus: « Bene dixit, *legatur ei regula per ordinem*, ut sciat quid observare debeat, et manifestare illi debet totum sensum regulæ. »

Locus autem huic lectioni deputatus erat capitulum seu auditorium, ut patet ex Smaragdo et Bernardo Cassinensi; quorum primus exponens illud Regulæ: *Ducatur in supradictam cellam novitiorum*. « Intelligitur, inquit, exisse eum ab ipsa cella novitiorum, et venisse ad auditorium, sive ad eum quem abbas elegit locum, et ibi audire Regulæ præceptum; et tunc iterum reverti in cellam novitiorum. » Alter vero in eumdem locum: « Quia de illa exierat, ut admonitionem abbatis **751** audiret, et suam ipse voluntatem de stando vel exeundo dicere posset; exierat enim ad aliquod auditorium, vel ad ipsum capitulum. » Sed Hildemarus hospitium designat: « Sub duobus vel tribus diebus potest illi legere regulam, et manifestare sensum regulæ..... deinde postquam in hospitali legerit regulam, » etc. Præter hanc regulæ lectionem, concilium Aquisgranense decernit, « ut monachi omnes, qui possunt, Regulam memoriter discant. » Idem præscribunt Constitutiones Othoboni legati in Anglia anno 1248, apud Spelmannum tom. II Conc. Angliæ, pag. 255.

Et dicatur ei.] Scilicet in capitulo, coram omnibus, ex lib. Usuum Cisterciensium.

Ecce lex.] Legem nuncupat suam Regulam, de qua appellatione videsis Haeftenum l. II, tract. 2, disq. 1.

Sub qua militare vis.] Apposite hunc in locum Smaragdus: « Non ait, ecce lex sub qua quiescas, vel vacans otio quietus vivas; sed sub qua militare vis, inquit, ut intelligas quia militia est vita hominis super terram, et sicut mercenarii dies ejus. »

Tunc ducatur in supradictam cellam novitiorum.] Fratrum orationibus commendatus, ex Udalrico l. II, c. 26: « et aliquando, inquit, si videtur unum psalmum post singulas horas in illo die cantari, » abbas jubeat.

Et iterum probetur in omni patientia.] Nam, ut dicit Guillelmus abbas S. Theoderici (*Ad Frat. de Mont. Dei, num.* 17), « Pia simplicitas, et in professione religionis, et solitudinis novus homo, qui non habet vel rationem ducentem, vel rationem trahentem, vel discretionem moderantem; sed vi quadam u itur in semetipsum, tanquam a figulo figmentum lege quadam mandatorum Dei quasi manibus alienis faciendus est, et formandus in omni patientia, et in rota volubilis obedientiæ, et in igne probationis suæ plasmatoris et formatoris sui voluntati et arbitrio subdendus, etc. » Atque ita S. Plato in monasterium Symbolorum admissus, « omnia recte faciens, reprehendebatur coram hospitibus, et veluti si laudatus fuisset, perseverabat immotus: vir laude dignissimus legebat, audiente fraternitate, ut congruum erat; et velut si obsone vitioseque legisset, castigatus verecundabatur sapientissimus, etc., » quemadmodum scribit Theodorus Studita in ejus Vita, n. 12 (*Bolland., 4 April.*). *Vide* Petr. Blesens., epist. 13.

Suscipiatur in congregatione.] Post expletum scilicet annum, quod temporis spatium ad probandos tirones præfixerant sibi veteres monachi, ut patet ex hoc Cassiani testimonio (*Lib.* IV, *cap.* 7): « Cumque integro anno deserviens absque ulla querela suum circa peregrinos exhibuerit famulatum... admittendus ex hoc congregationi fratrum, alii traditur seniori, qui decem juvenibus præest. » Ex Regula S. Cæsarii ad virgines (*Cap.* 3): « Ei ergo quæ Deo inspirante convertitur, non licebit statim habitum religionis assumere, nisi antea in multis experimentis fuerit voluntas illius approbata, sed uni ex senioribus tradita annum **752** integrum in eo quo venit habitu perseveret. » Ex Regula S. Ferreoli (*Cap.* 5): « Si quis veniat religionem expetens, monasterium intraturus, nisi elapso prius anni circulo, vel certe si abbati visum fuerit aliquantulum temperare, antequam sex mensium dierum numerus compleatur, monachorum contubernio non jungatur. » Ex Regula Tarnatensi (*Cap.* 1): « Et nisi expleto anno nullus mutare habitum permittatur. » Ex Regula 1 S. Fructuosi (*Cap.* 21): « Sicque anno illo integro uni spiritali traditus seniori, non statim commiscendus erit congregationi. » Ex secunda Regula (*Cap.* 18): « Anno integro a cunctis fratribus ex industria conviciis comprobatur. » Denique ex Regula Magistri (*Cap.* 90): « Cum ergo ex illa die omnia cum cæteris fratribus inculpabiliter in monasterio per annum integrum expleverit, tunc demum sine aliqua dubitatione tondeatur, vel ei sancti propositi vestes mutentur. » Quamvis annuam probationem aliquando ex justis rationibus contrahi permittant S. Cæsarius, S. Ferreolus, S. Fructuosus, Regula Tarnatensis, et quidem S. Ferreolus ad sex menses. Illud etiam contrahit S. Isidorus ad trimestre spatium in Regulæ c. 4. Sed in Acœmetarum monasterio sufficiebat dierum quadraginta probatio, ut constat ex Vita S. Joannis Calybitæ, qui sæculo IV florebat; cuique in congregatione admitti postulanti abbas respondisse dicitur (*Bolland.*, 15 *Januar.*): « Nobis mos est, ut qui vitam monasticam profiteri velit, quadraginta dies apud monasterium maneat; et cum exercitationis regulam consideraverit, ita tondeatur. » Licet ille moræ impatiens ab abbate obtinuerit, ut eadem die « et ad monasterium venerit, et monachus sit factus. » Quapropter haudquaquam mirum videri debet quod ait Petrus Venerabilis, ad S. Bernardum

scribens (*Lib.* I, *epist.* 28) : « Nos quando expedire videmus annum ad novitii susceptionem integrum exspectamus : aliquando post dimidium annum cæteris illum fratribus aggregamus : multotiens non tantum mensem, aut hebdomadam, sed nec biduum præstolamur : semper tamen quod animabus utilius esse perpendimus facere non differimus; sic charitatem sequentes, regulam sequimur. » Et in Statutis (*Statut.* 37) : « Statutum est ut pro annua et regulari probatione, saltem menstrua, hoc est unius mensis probatio erga novitios observetur antequam voto promissæ obedientiæ astringantur. » Porro quamvis hæc praxis explicite in regula non contineatur, eam tamen his rationibus defendere nititur.

Primo, quia nec Dominus, nec apostoli accedentes ad fidem in annum repellebant; sed volenti abire tantum ad sepeliendum Patrem Christus non permisit.

Secundo, « Nec contrarii sumus regulæ, inquit, quoniam charitatis oculum erga salutem proximi B apertum habemus; perpendimus enim quia si eum ab Ordine nostro tam aspere deterreremus, ad sæculum convertens post Satanam converteretur; et qui in salutem venerat, in perniciem laberetur..... Pertractamus et hoc, quia sæpe etiam invitis bona præstantur : hoc dicimus quod apud nos sæpe contingere cernimus : nonnulli huic jugo colla submittentes post aliquantum temporis **753** diversis seu tentationibus, seu tribulationibus oppressi, ad fæces mundi, quas dimiserant reverterentur, nisi cogitarent quod semel fecerunt non posse absque damnatione æterna prævaricari; qui si aliquando hoc præsumunt, postmodum tamen hoc timore compulsi ad ovile revertuntur; et quia se aliter salvari non posse cognoscunt; velint nolint, servant quod voverunt. »

Tertio, adversariis objicit, et proposito suo adaptat illud Regulæ : *Sic abbas omnia temperet atque disponat, ut animæ salventur.*

Quarto, quod charitatis intuitu plerumque Ecclesiæ magistris Patrum instituta transgredi licet, et ad C utilitatem animarum regularum præcepta moderari; id quod multis probat exemplis, et fusissime tractat.

His accedit Petri Damiani testimonium (*Opusc.* 16, *cap.* 9), qui relato Regulæ textu, *Noviter quis veniens ad conversionem non tam facilis tribuatur ingressus, sed, sicut ait Apostolus : Probate spiritum si ex Deo est;* ex eo sic infert : « In quibus verbis patenter cognoscitur quia quisquis ad conversionem divino spiritu provocatus accesserit, tam morosæ probationis intersititio penitus non egebit. »

Sed istis rationibus refragatur istud Alexandri II papæ suffragium : « B. Benedicti Regula, et præcipue patris et prædecessoris nostri sancti Gregorii canonica institutio interdicit monachum ante unius anni probationem effici. » Quidquid sit, sive licite, sive illicite ante expletum probationis annum quis profiteatur, validam esse professionem, si ex utriusque partis consensu fiat, declaravit Innocentius III, asserens (3 *decretal. de Regul.*, etc., *cap.* Ad apostolicam), « Tempus probationis a SS. Patribus fuisse D indultum non solum in favorem conversi, sed etiam monasterii, ut et ille asperitates istius, et istud mores illius valeat experiri. Si tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum, is qui converti desiderat, habitum recipit, et professionem emittit, abbate per se vel per alium professionem recipiente, monasticum et monachalem habitum concedente, uterque renuntiare videtur ei quod pro se noscitur introductum : ideoque obligatur per probationem emissam pariter et acceptam ad observantiam regularem, et vere monachus est censendus, quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint obtinent firmitatem. »

Nunc vero ex decreto concilii Tridentini (*Sess.* 25, *de Regul.*, *cap.* 19) emissa ante annuum probationis tempus professio nulla censetur. Nec immerito : nam, ut objiciebant olim Cluniacensibus Cistercien- A ses, « inde contigit, ut quia incaute recipiuntur, incautius recepti conversentur; et quia ad quod veniunt venientes non intelligunt, jam cæteris sociati, quid agere debeant nesciunt; dumque in stadio more athletarum ante pugnam non exercentur, ad conflictum venientes, cum pugnare debeant fugiunt; et cum fortiter dimicantes vincere, ut pote talium inexperti vincuntur. » Unde non sine causa Fuldenses olim monachi in supplici ad Carolum Magnum libello postularunt (*Num.* 7), « ut nullus ante probationem suscipiatur, neque corpori monasterii societur, ne forte aliquis magis propter commoda terrena, quam propter æternæ vitæ amorem se **754** monasterio sociare voluerit, et receptus inhonesto suo more conturbet fratres. » Et concilium Cloveshoviæ (*Apud Spel. tom.* I *Conc. Angl.*) an. 747 celebratum, can. 24 decernit, « ut si quis sæcularium sanctæ professionis famulatum subire desiderat, non antea tonsuræ habitum suscipiat quam illius conversatio et mores ac morum qualitas secundum monasticæ regulæ definitionem manifestius probetur, juxta apostolicum præceptum : *Probate spiritus si ex Deo sunt*, nisi aliqua rationabilis causa ut ante suscipiatur in congregationem persuadeat. »

Sed quæritur quandonam censendus sit incipere probationis annus. Si Smaragdo fides sit, « hic anni cursus impletur novitio a tempore quo pulsans venit ad monasterium, cui et ordinatim in hoc anni circulo ter lecta est regula demoranti adhuc in cella novitiorum. » Hildemarus probationis annum incipit a tempore quo cellam hospitum ibi serviturus ingreditur, duos nimirum menses in hospitio, decem duntaxat in cella novitiorum vult demorari novitium. Cistercienses a die quo cellam novitiorum inhabitat ex lib. Usuum cap. 102. Idem sentire videtur Boherius, dum menses duos in cella novitiorum tirones manere requirit antequam eis primo regula legatur. Bursfeldenses a die quo novitius novitiali veste indutus est.

Sed qui forte nonnullis prolixior visus est ad probandos novitiorum mores anni circulus, ab aliis plus æquo brevior judicatus est : cui consequenter alterum annum adjiciendum esse existimavit S. Gregorius papa, Fortunato episcopo Neapolitano sic scribens (*Lib.* VIII, *epist.* 23) : « Monasteriis omnibus fraternitas vestra interdicat ut eos quos ad conversionem susceperint, priusquam biennium in conversione compleverint, nullo modo audeant tonsurare; sed hoc spatio vita moresque eorum sollicite comprobentur, ne quis eorum aut non sit contentus eo quod voluit, aut ratum non habeat quod elegerit nam cum grave sit inexpertos hominum obsequiis sociari, quis possit dicere quanto sit gravius ad Dei servitium improbatos applicare? »

Sed neque hoc spatio contenti fuere nonnulli. Regula S. Pachomio ab angelo tradita triennium præscribit; in ea siquidem, prout exstat apud Palladium (*Laus. c.* 38), hæc lego : « Qui semel ingreditur, nec potest cum eis ad triennium sustinere certamen, non admittes; sed cum opera fecit difficiliora, sic prodeat post triennium. » Atque huc respicere videtur Joannes Antiochenus in oratione in monast. donationes laicis, num. 14 (*Tom.* I *Mon. Eccles. Græc.*), ubi sic scribit : « Sacra monachorum lex præcipit ut qui mundo mundique rebus jam renuntiat, a monasterii præposito ac fratribus recipiatur per integrum triennium vero probetur si fieri possit monachus; et si quidem visus fuerit idoneus, tondeatur, et cooptetur ad monachorum collegium : sin minus, redeat unde profectus est.

Hanc quoque triennalis probationis regulam tam civilibus quam ecclesiasticis legibus confirmatam reperimus. Justinianus imperator in novella 5 sic loquitur : « Sancimus sacras sequentes regulas eos qui singularem conversationem profitentur, non prompte mox a reverendissimis **755** præsulibus venerabilium monasteriorum habitum percipere mo-

nachalem; sed per triennium totum, sive liberi forte sint, sive servi tolerare, nondum monasticum habitum promerentes, sed tonsura et veste eorum qui laici vocantur uti, et manere. ». Et paulo post: « Cum triennio toto in ea vita permanserint, optimos semetipsos et tolerabiles aliis monachis et præsuli demonstrantes, hos promereri vestem atque tonsuram. » Idem tamen imperator alibi ita habet (*Novell.* 123): « Si quis ad monasticam venire vitam voluerit, jubemus ut siquidem de eo constet, quod nulli servili conditioni obnoxius sit, præsul monasterii habitum illi quando sibi visum fuerit adhibeat: si de eo non constet, cuinam conditioni obnoxius sit, intra tres annos habitum is monasticum non assumat; sed intra prædictum tempus monasterii præsul periculum facito, si pedem referre velit. » In conciliis etiam Constantinopolitanis I et II, can. 5, decernitur, « ut nemo monachi habitu dignus putetur, priusquam triennii tempus eis ad experientiam relictum eos probatos et dignos esse tali vita ostendit. » Similiter in concilio Aurelianensi V, can. 19, sanctimonialibus quæ non perpetuo tenentur inclusæ, probationis triennium ante habitus susceptionem decernitur. Idem observari voluit S. Gregorius erga milites quos monastico habitu indui vetuit (*Lib.* VII, *epist.* 11), « nisi eorum vita subtiliter fuerit inquisita; et juxta normam regularem, inquit, debent in suo habitu per triennium probari, et tunc monachicum habitum Deo auctore suscipere. » *Vide* Mabillonii tom. II Analect., pag. 207.

Multo severior exstitit quorumdam monachorum disciplina, qui suos tirones ad multos annos probabant. Sic Isidorus quidam Alexandrinæ civitatis primarius in monasterium veniens, teste S. Joanne Climaco (*Gradu* 4), « cum septem annos peregisset, atque ad profundissimam humilitatem compunctionemque pervenisset, voluit Pater post incomparabilis viri tolerantiam, cujus superiori tempore aptum documentum dederat, hunc fratribus connumerare. » At multo magis stupendum videtur quod de alio fratre cui nomen Abbacyro refert idem auctor: hic enim interroganti cur quotidie a mensa expulsus juberetur incœnatus dormire, respondit (*Ibidem*): « Crede mihi, Pater, probant me Patres mei utrum monachus esse cupiam; non autem vere id faciunt: quam ego Patris aliorumque intentionem non ignorans, levissime ac sine ulla molestia omnia tolero; et ecce decimum quintum jam annum ego istud cogitans, sicut et ipsi quando monasterium intravi, dixerunt mihi quod usque ad trigesimum annum renuntiantes probare solerent. »

Sciens lege Regulæ constitutum, quod ei ex illa die non liceat de monasterio egredi.] Ut scilicet ad sæculum revertatur; quia, ut dicit S. Leo papa ad Rusticum episcopum scribens: « Propositum monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato. » Ita citatur in excerptis Egberti episcopi Eboracensis, apud Spelmannum tom. I Concilii Angl. anno 750, et a Gratiano 20, quæst. 3, cap. *Propositum*; hinc **758** Chalcedonense concilium (*Act.* 5, *can.* 7): « Qui monachorum vitam expetiverunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam; sed hoc tentantes, et non agentes pœnitentiam, quominus redeant ad hoc quod propter Dominum primitus elegerunt, anathematizari. » Idem docet S. Basilius in Constitutionibus monasticis, cap. 22; S. Cæsarius in Regula ad monachos et ad virgines, cap. 1, et sanctus Aurelianus in Regula monachorum, cap. 2. *Vide* Petri Blesensis epist. 15.

Nec collum excutere de sub jugo regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit excusare aut suscipere.] Ad hunc locum respicere videtur Petrus Blesensis ad E. priorem de monasteriolo scribens in hæc verba

A (*Epist.* 131): « Quandoque in arbitrio fuit jugum Domini non recipere, semel autem acceptum non licebit abjicere: Deus ergo nunc exigit oblatum, qui non exegerat offerendum: voluntas in necessitatem translata est, et vinculo professionis arctaris reddere vota, quæ distinxerunt labia tua. »

Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua et conversione morum suorum, et obedientia coram Deo et sanctis ejus.] Formam hic substantiamque professionis monasticæ S. P. Benedictus exprimit; cujus varias et ab antiquis nobis relictas hic referre haud erit fortassis abs re.

Ex epistola Theodemari abbatis Cassinensis ad Carolum Magnum.

In nomine Domini. Promitto me ego ille in sacro monasterio B. martyris, sive confessoris ill., secundum instituta B. Benedicti coram Deo et SS. angelis suis, præsente etiam abbate nostro illo omnibus diebus meis in hoc sancto monasterio amodo et de-B inceps perseveraturum, et in omni obedientia quodcunque mihi præceptum fuerit, obediturum. Ego ille talis hanc promissionem a me factam manu propria coram testibus scripsi et roboravi.

Ex chartulario Bellilocensi.

Ego frater Geraldus promitto stabilitatem meam loci istius secundum Regulam S. Benedicti et SS. apostolorum Petri et Pauli, in præsentia Domini Geraldi abbatis, et cæterorum fratrum: et cedo aliquid de rebus meis ad istud monasterium quod est constructum in honorem S. Petri, ubi vir venerabilis Geraldus abbas præesse videtur.

Ex Smaragdo.

Ego ille in hoc monasterio sancti illius promitto stabilitatem meam, et conversionem morum meorum, et obedientiam secundum Regulam S. Benedicti coram Deo et sanctis ejus.

Ex Udalrico, lib. II, *cap.* 27.

C **757** Ego frater promitto stabilitatem monachi, et conversionem morum meorum, et obedientiam secundum Regulam S. Benedicti coram Deo et sanctis ejus, in hoc monasterio, quod est constructum in honore BB. apostolorum Petri et Pauli, in præsentia domni N. abbatis.

Ex ms. codice S. Dionysii in Francia.

Ego frater N. humilis monachus monasterii S. Dionysii in Francia, Parisiensis diœcesis, voveo et promitto Deo, B. Mariæ *, B. Dionysio, B. Benedicto, et omnibus sanctis, et tibi, Pater, obedientiam, castitatem, paupertatem. Insuper promitto loci stabilitatem, morum conversionem, secundum hujus loci constitutionem, et Patrum traditionem testibus præsentibus.

Ex primo commentario Boherii.

Ego frater P. B. promitto stabilitatem meam, conversionem morum meorum, et obedientiam secun-D dum Regulam S. Benedicti coram Deo et sanctis ejus, in hoc monasterio S. Aniani, ad cujus honorem est constructum.

Eadem est formula Bursfeldensium; Cassinensium vero, Vallisoletanorum, sanctimonialiumque in Belgio habes apud Haeftenum lib. IV, tract. 5, disq. 4.

Formula Cisterciensium.

Ego frater N. promitto stabilitatem meam, et conversionem morum meorum, et obedientiam secundum Regulam S. Benedicti abbatis coram Deo et omnibus sanctis ejus, quorum reliquiæ hic habentur, in hoc loco qui vocatur N. ordinis Cisterciensis, constructo in honorem beatissimæ Dei Genitricis semper virginis Mariæ, in præsentia domni N. ejusdem loci abbatis.

* Antiquus est iste ritus vovendi vota sua Deo et sanctis ejus, ut patet ex Mir. S. Marii abbatis Bodanensis, sæc. I Bened.: *Videant illi qui in hac ecclesia Deo et sancto Mario morum stabilitatem promiserunt.*

Ex Statutis Guigonis, cap. 23.

Ego frater ille promitto stabilitatem, et obedientiam, et conversionem morum meorum coram Deo et sanctis ejus, et reliquiis istius eremi, quæ constructa est in honorem Dei, et B. semper virginis Mariæ, et B. Joannis Baptistæ, in præsentia domni illius prioris.

Ex oratione Joannis Antiocheni in monast. donationes laicis tom. I *Monum. Eccles. Græcæ.*

Renuntio parentibus, fratribus, cognationibus, amicis, familiaribus, possessionibus, facultatibus, inanique et vanæ tum voluptati tum gloriæ: et non solum hæc abnego, sed et animam meam juxta mandatum Domini: et sustineo omnem austeritatem monasticæ vitæ, **758** ac me servo in puritate, virginitate, et inopia propter regnum cœlorum, perstoque in monasterio et vita monachica usque ad extremum halitum meum, etc.

Alias formulas *vide* in sæculo IV Bened., tom. I, sub finem.

B Ut autem ad S. Regulæ textum revertamur, « Per lorum promissæ stabilitatis tanquam pia jumenta ad cœleste præsepium religamur; per conversionem morum pietati angelicæ simulamur; per exhibitionem obedientiæ ipsa angelica ministeria imitamur, » inquit Adam abbas Persenniæ ad Osmundum monachum scribens (*Tom.* I *Miscel. Baluz.*). Verum quid hisce tribus votis Deo promittatur paulo fusius explicare necessum est.

Licet stabilitatem loci in nonnullis professionis formulis specialiter expressam videamus, non ea tamen una sufficit ad omnes voti stabilitatis partes explendas; sed præterea requiritur stabilitas status, seu perseverantia in arrepto vitæ monasticæ proposito, ut non obscure demonstrat usitata apud Cluniacenses professionis formula, qua non simpliciter *stabilitas* promittitur, sed *stabilitas monachi;* et edita ad calcem sæc. IV Bened. prima petitionis formula, in qua novitius promittendam stabilitatem ita ex-C primit: « *Stabilitatem conversationis nostræ* in congregatione vestra, teste Domino, devoto animo cum observatione regulæ usque in finem profitemur servare. » Atque ita forte intelligendus est locus ex Vita S. Remberti, n. 12 (*Sæc.* IV *Ben., part.* II), ubi dicitur promisisse *stabilitatem morum suorum.*

Neque aliam nobis stabilitatis notionem exhibent qui super Regulam S. P. Benedicti scripserunt auctores. Audiendus in hanc rem antiquissimus pene omnium Hildemarus: « Stabilitas, inquit, attinet ad perseverantiam .... stare enim est in cœpto bono opere perseverare. Ubi animadvertendum est quia si non perseveraverit in illo cœpto opere aut desiderio, sed aut minus aliquid, aut ex toto non perseveraverit, iste talis si videatur stare in monasterio coram hominibus, tamen coram Deo non stat. » Non ergo sola sufficit stabilitas loci, nisi accesserit insuper stabilitas in cœpto bono opere et desiderio perfectionis. Clarius Bernardus Cassinensis: « Per D stabilitatem astringitur quod nullo modo deserat monachatum, et quod sine necessitate et superioris auctoritate non exeat monasterium. » Idem docent Nicolaus de Fractura, Petrus Boherius, Joannes de Turrecremata, Columbanus Uranx, Antonius Perezius, et Benedictus Haeftenus l. IV, tract. 6, disq. 3. Idem etiam insinuat S. Bernardus ad Adam scribens in hæc verba (*Epist.* 7): « Qua die autem (quod quidem Deus avertat) aliis incipiam vivere legibus, aliis moribus conversari, diversis deservire observantiis, adinvenire nova, extraneas usurpare consuetudines, transgressor professionis, promissam stabilitatem jam non me tenere confido. » Et certe ipse S. Benedictus stabilitatis votum explicuisse videtur, cum professionis emittendæ formam præscripturus præmisit: *Sciens lege regulæ constitutum, quod ei ex illa die non liceat de monasterio egredi, nec collum excutere de sub jugo regulæ, quam sub tam morosa delibe-*A *ratione licuit excusare aut suscipere.* Duo ergo includit **759** stabilitatis votum, et perseverantiam usque ad mortem in monasterio, et observationem regulæ; id quod clarius alibi S. Pater explicat permittens monasterio sociari clericum, si tamen *promittit de observatione regulæ vel propria stabilitate*, quæ duo synonyma reddere videtur particula *vel.*

Maxime tamen S. legislator stabilitate monachos in monasterio perpetuo retinere intendit, ad vitandas frequentes illas de monasterio ad monasterium transmigrationes, coercendosque inquietos gyrovagorum discursus: hinc S. Bernardus (*De Præc. et disp.*): « Præscribat proinde stabilitatis pactum omni deinceps remisso descensui, contentioso discessui, vago et curioso discursui, totius denique inconstantiæ levitati. » Et primum Angliæ concilium apud Bedam statuerat (*Lib.* IV *Hist., cap.* 5), « ut monachi non migrarent de loco ad locum, hoc est de monasterio ad monasterium, nisi per dimissionem proprii abbatis, sed in ea permaneant obedientia, quam tempore suæ conversionis promiserunt. » Et merito quidem: nam, ut dicebat Guillelmus abbas S. Theoderici (*Ad fratr. de Monte Dei*), « impossibile est hominem figere in uno animum suum, qui non affixerit in aliquo loco corpus suum. » Quod tamen non sic capiendum est, quasi æternæ sese clausuræ devoverent monachi; licet id præscripserit olim S. Aurelianus, et Vallisoletani in Hispania in professione promittant stabilitatem *perpetuæ inclusionis.* Nonnulli enim sunt casus et rationes pro quibus licite potest aliquis exire: tres recenset Hildemarus, scilicet *pro melioratione, pro salvatione atque obedientia.* Pro melioratione, ut perfectius in alio quam in proprio monasterio vivat, licet in eo observantia vigeat; pro salvatione, ut periclitantem in eo quo stabilitatem vovit monasterio, salutem suam tuetur; pro obedientia, quando abbas jubet. Quatuor alias causas assignat Julianus Parisius in libro de Prima vivendi Ratione Cisterciensium: 1° ad fundandum novum monasterium; 2° propter inopiam illius cœnobii in quo vovit stabilitatem; 3° ad agendam pœnitentiam pro commissa aliqua culpa; 4° ad reformanda monasteria quæ ab arctiori disciplina deflexerunt. De secundo et tertio casu exstat Gregorii IX decretum in constitutione pro monachis Benedictinis: « Si paupertas loci, vel defectus loci, vel defectus ordinis, seu pœna delicti hoc exigit, ut de sedibus propriis monachi aliqui emittantur, abbates ad quos missi fuerint personæ hujusmodi, eas recipere non recusent, quandiu visitatoribus visum fuerit expedire, nisi tales fuerint quod eorum conversatio non possit sine gravi scandalo tolerari: quod si eas recipere noluerint cum possint, per visitatores compellantur, etc. *Vide* Haeftenum lib. IV, tract. 6, disq. 3 et 4.

Conversio morum duplex vulgo concipitur, a malo ad bonum, et a bono ad melius. Quæ Hildemaro dicitur *eradicatio vitiorum et plantatio virtutum*, per quam « monachus obligat se ut non sæculariter vivat, sed mores suos secundum regulam dirigat, » ut post Bernardum Cassinensem, Nicolaum de Fractura, et Boherium, loquitur Joannes de Turrecremata. Sed Boherio in secundo commentario, « conversio morum in **760** hoc casu est idem quod abrenuntiatio mundanorum, quæ triplex est. Prima est, inquit, qua corporaliter universas divitias mundi facultatesque contemnimus. Secunda, qua mores et vitia affectusque pristinos animi carnisque respuimus. Tertia, quo mentem nostram de præsentibus universis ac visibilibus evocantes futura tantummodo contemplamur, et ea quæ sunt invisibilia concupiscimus, » quod desumpsit ex Cassiani collat. 3, cap. 6. At vero Richardus de S. Angelo hunc Regulæ locum exponens, et facta sibi objectione, « quod autem habet bonos mores, aut malos: in primo casu non est necesse quod convertatur, cum jam sit conversus; si malos, tunc non est recipiendus ad hujusmodi conversionem, ne una ovis morbida totum gregem con-

tamiuet; » mentem suam de conversione morum ita exprimit: « Potest dici *morum suorum*, id est actuum sæcularium, et licet ipse fuisset conversus ante, sicut patet per prædicta, tamen nunc debet promittere cum solemnitate, quæ hic sequitur; et sic erit quasi civiliter obligatus, alias erat naturaliter obligatus. Vel dic, quod aliquos forte mores sæculares retinuit, quorum conversionem nunc promittit. Vel dic, conversionem morum suorum de bono in melius, ut sit sensus, si bonus fuit in supradicta probatione, ex nunc melior efficiatur, juxta illud, *Ambulabunt de virtute in virtutem;* ex ista enim conversione morum, seu promissione ipsorum, veterem ex toto exuit hominem, sine aliqua spe redeundi ad sæculum, et induit vitam perpetuo monachorum, ut infra sequitur. Vel dic, si olim conversus sit corpore, nunc promittat et mentis conversionem, unde expone conversione, id est mentis et corporis versione; unde dicit B. Bernardus: Conversio corporis, si sola fuerit, erit nulla. » Denique Haeftenus (*Lib.* IV, *tract.* 6, *disq.* 5) ex vi hujus voti asserit monachum teneri: 1° ad omnimodam sæculi renuntiationem; 2° ad exactam regulæ observantiam; 3° ad bonas consuetudines loci, quæ professionis tempore observabantur.

Tertium monasticæ professionis votum est obedientia, quæ prima et maxima monachorum est virtus, quam ante omnia intendit et commendat S. Benedictus in Regula, quæque veluti illius est spiritus. Hanc ita definit in hunc locum Hildemarus: « Obedientia est, quæ in prosperis non habet de suo, et in adversis de suo habet, hoc est quæ ad honorem, et delectationem, et prosperitatem sæculi pergit invite: ad tristia, et ad probra, et adversitatem sæculi pergit sponte. Si enim ad gaudia et prosperitatem ieris sponte, non es obediens; si autem ad tristia et tentationes perrexeris invite, non es obediens; unde considerare debes quæ est obedientia quam agis, et vide quo animo agis. » Et Bernardus Cassinensis: « Per obedientiam autem astringitur monachus, ut non suo sensu, non sua voluntate vivat, non quo vult vadat, non quod vult faciat, sed alieno imperio, et alterius voluntati subjectus existat. » De ea cum jam plura diximus cap. 5, hæc pauca sufficiant. Attamen priusquam ultra gradum faciamus, nonnulla circa tria hæc professionis monasticæ vota veniunt observanda.

761 Primum est, quam convenienter tribus hisce stabilitatis, conversionis morum, et obedientiæ votis suos S. Benedictus alligari voluerit; nam, uti observat Menardus, cum mens humana sit inconstans et mutationi obnoxia, convenienter omnino institutum est stabilitatis votum quo monachus perseveraturum se promittit in statu cœnobitico. Deinde quia non sufficit in monasterio conversari, nisi monastice vivatur, additum est votum conversionis morum. Tandem quia multæ possunt oriri in congregatione difficultates, diversæ opinationes, et studia, ex quibus non leves procellæ et tempestates queunt excitari, accessit tertium obedientiæ votum, ut singuli et omnes monachi uni rectori subditi, summa cum securitate et tranquillitate vivant. Præterea cum capite 1 ex assignatis quatuor monachorum generibus, aliis postpositis, cœnobiticum elegisset, singularibus votis suos ab aliis discerni voluit, nimirum a gyrovagis stabilitate, a sarabaitis morum conversione, ab anachoretis obedientia, quemadmodum hic notat Bernardus Cassinensis.

Secundum est, tria prædicta vota non simpliciter et absolute promitti, sed *secundum regulam*, quod non solum super obedientiam cadit, sed etiam super stabilitatem et conversionem morum, ita ut monachus eam stabilitatem servet quam regula et loci constitutiones præcipiunt; mores ad eorum præscripta convertat, et obediat prælato in iis quæ regulæ conveniunt; hinc S. Bernardus: « Non parum, inquit, prælati præscribitur voluntati, quod is qui profitetur, spondet quidem obedientiam, non tamen omnimo- A dam, sed determinate secundum regulam, nec aliam quam S. Benedicti; ut oporteat eum qui præest, non frena suæ laxare voluntati super subditos, sed præfixam ex regula sibi scire mensuram, et sic demum sua imperia moderari circa id solum quod rectum esse constiterit. Proinde si professo secundum illam regulam abbas meus mihi aliud forte imponere tentaverit quod non sit secundum regulam, aut etiam quod non sit secundum ista instituta, verbi causa, Basilii, Augustini, Pachomii, quænam mihi, quæso, in hac re necessitas imminet obsequendi? Solum quippe id a me posse exigi arbitror, quod promisi. Videtis jam ergo obedientiæ limites quos requiritis, si modus est obeditionis, tenor professionis, nec se valeat extendere potestas imperantis, nisi quatenus attigerit votum profitentis. »

Tertium, nullam paupertatis aut castitatis mentionem facit in ea professionis formula quam nobis præscripsit, id quod nobiscum commune est Carthu- B sianis, Præmonstratensibus, Carmelitis, et Eremitis S. Augustini, ut probat Haeftenus lib. IV, tract. 6, disq. 6; neque tamen minus tenentur monachi ad castitatem et paupertatem quam ad obedientiam; quippe, ut ait Innocentius III (*Cap.* Cum ad monasterium), « Abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere. » Sunt qui paupertatem et castitatem sub conversione morum contineri existimant, 762 ut Bernardus Cassinensis, Boherius et alii: nonnulli sub obedientia, ut S. Thomas, Turrecremata, etc. Certe sub utraque, imo etiam sub stabilitate. Hæc enim ita monasticæ professioni sunt connexa, ut ab ea nequeant separari, et qui unum promiserit alia promittere censeatur, non secus ac clerici dum sacris ordinibus initiantur, tacite continentiam profiteri noscuntur. Non defuerunt tamen, nec desunt etiam nunc ex nostris, qui castitatem et paupertatem explicite voveant, ut Dionysiani, quorum formulam C supra retulimus; Cœlestini, ex eorum Constitutionibus, cap. 5, § 13; nonnullæ sanctimoniales in Gallia et in Belgio.

Quartum, professionem emittendam esse in oratorio, uti cum sancto Benedicto decernit S. Fructuosus in Regulæ cap. 21, statuens ut « expleto anno, probatus moribus, et laboribus elimatus, percepta in ecclesia benedictione, fratrum societate donetur. » Et recte quidem, ut actio sacra in loco sacro perageretur, et qui Deo se consecrat, Deum, qui speciali modo templum inhabitat, habeat præsentem.

Quintum, ut magis sollicitos reddendæ professionis faceret monachos, Deum et sanctos ejus testes adhiberi voluit: *coram Deo et sanctis ejus*, inquit.

Ut si aliquando aliter fecerit.] Stabilitatem deserens apostatando, modos regulares abjiciens ad sæculariter vivendum se dando, obedientiæ frenum dimittens per campos propriæ voluntatis discurrendo, ut loquitur Bernardus Cassinensis.

Ab eo se damnandum sciat, quem irridet.] Se dam- D nandum sciat tanquam sacrilegum; « nam qui seipsum Deo obtulit, si postea ad aliud vitæ genus resiliat, sacrilegus redditur, dum seipsum furatur, et oblationem Deo factam aufert, » inquit S. Basilius (*Regul. fus.*, *cap.* 14): unde et S. Gregorius ad Venantium quemdam ex monacho cancellarium Italiæ factum scribens (*Lib.* I *Regist.*, *cap.* 33), eum ita adoritur: « Ananias pecunias Deo voverat, quas post diabolica victus persuasione subtraxit: sed qua morte mulctatus est scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit qui eos quos dederat nummos abstulit, considera quanto periculo in divino judicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu devoveras, subtraxisti. » *Vide* Cassianum, lib. IV, cap. 33, et Petrum Damiani, opusc. 16, cap. 4.

De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt, et abbatis præ-

sentis.] Hanc petitionem cum promissione confundunt recentiores Regulæ commentatores, licet ex ipso Regulæ textu non obscure videantur distingui; id quod amplius patet ex antiquis Regulæ commentatoribus Smaragdo et Hildemaro: uterque enim hunc initiandi monachi ordinem commemorat, ut primo novitius promittat *de stabilitate, conversione morum, et obedientia secundum Regulam S. Benedicti.* « Et cum hæc dixerit promittens, inquit Hildemarus, tunc **763** debet facere petitionem, id est, aut tunc debet scribere ipsam petitionem, aut si scripta fuerit ipsa petitio, tunc in præsentia debet scribere aliquid ibi, hoc est nomen suum, aut si non sapit scribere, tunc in præsentia fratrum ibi debet facere signum crucis: deinde cum hoc fecerit, tunc debet ipsam petitionem manu sua ponere super altare. » Sed multo clarius Smaragdus, qui utriusque et petitionis et promissionis formulas in suo commentario exhibet. Promissionis formulam supra retulimus, hic petitionem repræsentare alicujus erit fortassis operæ pretium.

Monachatus mei tirocinium diligenter attendens, considero quod petitioni meæ primum non facilis monasterii concessus est introitus, sed diu mihi pulsanti, vix hospitii locus est attributus misericorditer, in quo perpaucos dies demoratus, novitiorum sum domum progressus, in qua mihi dura et aspera primo diligenter a seniore sunt prædicata, et stabilitatis meæ promissio suppliciter adimpleta, qui senior comminans mihi hæc terribiliter verba auribus intimabat: Sciendo scias quoniam si post promissionem regularis observantiæ retro convertens respexeris, aptus regno cœlorum non eris. Insuper qualibus te tectum vestibus monasterii claustra susceperunt, in talibus te fore ab illis projiciendum cognosce. Et quia te pannis exspoliatum veteribus, pariterque exspoliatum vitiis perdiderat mundus, fas est utroque vestitum suum recipiat servum ad ignominiam omnium in perpetuo servandum. Ego autem Davidico confortatus exemplo, Domino clamans, aiebam: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*: certissime sciens, quia si particeps Christi passionis fuero, ero et resurrectionis. His et similibus confortatus divinis oraculis, omnia me constanter perpeti pro vita profitebar æterna. Hanc nostram cernens Pater constantiam, ter jussit in anno per ordinem nobis legere pariterque tradere regulam cum protestatione monentis atque dicentis: Ecce lex sub qua militare vis: si potes observare, ingredere; si non potes, liber discede. Hoc ergo videns ordinatissimum, atque morosum mihi spatium attributum, dubitationis aditu prætermisso, ut me jam vestro corpori sociare dignemini, lacrymabiliter rogans deposco. Ego vero jam mecum salvationis deliberatione salubriter adhibita, promitto in omnibus hujus regulæ custodire, Domino juvante, instituta, libenterque abbatis mei servare præcepta, fratrumque majorum cunctis Domino favente obtemperare mandatis, et propter æternam libertatem legibus hujus regulæ deinceps me polliceor fideliter mancipari, ita ut jam non mihi ex hac die liceat egredi de monasterio, collumque sub regulæ excutere jugo, quod sub annali optione aut excusare licuit, aut suscipere; sed, ut præfatus sum, omni excusatione postposita, promitto stabilitatem monasterii, morumque meorum conversionem, et propter professionis meæ servitium, et vitæ æternæ præmium, metumque gehennæ, sanctæ me obedientiæ coram Deo et angelis ejus militaturum subjicio. Et ut hæc promissionis meæ petitio a vobis firmiter teneatur, ad nomen sanctorum quorum hic reliquiæ continentur, et præsentis abbatis illis **764** conscriptam petitionem trado in perpetuum habendam, et manu mea roboratam super altare pono, in hoc monasterio perenniter conservandam.

Duas alias petitionis formulas ad calcem sæc. IV Bened., part. I, p. 738, edidit noster Mabillonius, in quibus perinde ac in promissione novitius stabilitatem, conversionem morum, et obedientiam, aut quid A hujusmodi promittit; sed promissione Deo, petitione veluti contractu et pacto abbati ac religioni obnoxium se facit. Promissionem quidem præmittebat, deinde petitionem faciebat, ut naturalis Regulæ intellectus requirit, patetque ex Smaragdo et Hildemaro; quod tamen non usquequaque obtinebat ubique; nam in formulis a Mabillonio editis promissioni præmittitur petitio, cujus super altare positæ fit in ipsa promissione mentio.

Quam petitionem manu sua scribat, aut certe si non scit litteras, alter ab eo rogatus scribat; et ille novitius signum faciat, et manu sua eam super altare ponat.] In quem locum Bernardus Cassinensis: « Vide igitur quod quasi tribus modis se monachus obligat: 1° quidem se obligat oris verbo, 2° scripto, 3° quodammodo juramento. Primo in promissione voti, secundo in confessione vel signatione scripti, tertio impositione ipsius scripturæ super altare in qua est ostensio juramenti, vel confirmatio voti. » Quæ tria designat B Arnulfus Lexoviensis in epistola 13 (*Tom. XII Biblioth. Patrum*), ubi sic loquitur: « Nosse siquidem debes, in eo qui religionem professus est inobedientiam crimen esse, ipsumque ad exactissimam diligentiam teneri, qui obedientiam prælato suo viva voce, et scripto, juramento etiam corporaliter interveniente, adhibita salutiferæ crucis impressione signavit. » Notandum quoque id quod scribit in secundo commentario Boherius, cap. 7, ubi explicans hæc verba, *Imposuisti homines super capita nostra*, sic habet: « In multis namque monasteriis Gallicanis lecta professione ponit super caput suum eam novitius, sicque ad altare eam defert; quamvis tamen hoc manu sua textus facere jubeat. »

Quam dum posuerit incipiat ipse novitius mox hunc versum: « Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, » etc.] Quod idem est, inquit Hildemarus, « ac si diceret: Domine, eloquium tuum est, quo dixisti, *Qui reliquerit omnia quæ possidet, centuplum accipiet*, etc. Et ecce ego propter hoc eloquium, id est præ- C ceptum tuum deserui sæculum, et omnibus meis abrenuntiavi; et nunc rogo ut suscipias me. Et reddit causam quare, cum dicit: Et vivam, *et* pro *ut* est, id est ut vivam; et rogo ne confundas me ab exspectatione mea; ac si diceret: Rogo clementiam tuam, ut quia tandiu distuli converti, ne ob hoc confundas me, id est ne sit mihi confusio et verecundia ante te. »

Quem versum omnis congregatio tertio respondeant, adjungentes Gloria Patri.] Quod ita intelligit **765** Bernardus Cassinensis, ut totum versum ex integro a novitio dictum repetat omnis congregatio, eique tertio repetito adjungat *Gloria Patri*, non novitius.

Tunc ipse frater novitius prosternatur singulorum pedibus, ut orent pro eo; et jam ex illa die in congregatione reputetur.] Ita nimirum S. Pater monachos Deo consecrari voluit. Sed varios consecrationis ipsorum ritus hic referre haud ingratum lectoribus futurum speramus.

D *Ex Regula Magistri, capite 89: Quomodo debeat frater novus in monasterio suum firmare introitum.*

Cum expletæ duorum mensium ad tractandum induciæ fuerint, et placabili disciplina ab eo magis stabilitas eligatur, et perseverantiam repromissa lectæ regulæ firmitate ei placeat adimplere, reinterrogatus ab abbate novus frater quid secum in concesso induciarum spatio definisset, cum responso ejus implendam in omnibus promittat obedientiam: respondeat abbas *Deo gratias*. Alia die post primam dictam, missas explicitas, exeunti limen oratorii cum congregatione abbati flectat ad genua ejus novus frater suam cervicem, rogans eum, vel omnem congregationem ejus debere modicum in oratorio remorari, et orare pro se, a quibus mox diutissime pro eo oretur, et completis omnibus, abbas volens egredi, humiliter apprehenso ejus vestimento, novi retineatur manu discipuli, qui hoc rogando insinuet: Est

quod suggeram primo Deo, et oratorio isti sancto, vel tibi, et congregationi. Cum responderit abbas, Quid illud est intimato, subsequatur petitor dicens: Volo Deo servire per disciplinam regulæ mihi lectæ in monasterio tuo. Cum responderit abbas dicens: Et hoc placet tibi? subsequatur futurus discipulus: Hoc primo Deo, sic et mihi. Tunc dicat abbas: Vide, frater, mihi nihil promittis, sed Deo, et huic oratorio', vel altari sancto: si ad omnia obaudieris divinis præceptis, vel meis monitis, in die judicii tu coronam accipies bonorum actuum, et ego de peccatis meis indulgentiæ aliquid promerebor, qui ut diabolum cum sæculo vinceres incitavi: si autem nolueris mihi in aliquo obedire, ecce ego Dominum contestor, quin et hæc congregatio testimonium mihi est in die judicii præbitura, quia, ut supra dixi, cum non mihi vel congregationi in aliquo obaudieris, in judicio Dei ego absolutus, tu pro tua anima, vel contentione rationem restitues. Post hæc verba, si cum rebus suis introierit, tunc ille brevis, vel donatio rerum suarum Deo, vel monasterio facta ipsius donatoris manu super altare ponatur, dicente ipso fratre: Ecce, Domine, cum anima mea et paupertate mea quidquid mihi donasti tibi reconsigno et offero, et ibi volo ut sint res meæ ubi fuerit cor meum et anima, sub potestate tamen monasterii et abbatis, quem mihi, Domine, in vice tua timendum præponis, cum eis dicis: *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit:* **766** unde quia per eum nobis tu omnia necessaria cogitas, ideo nihil nos oportet peculiare habere, quia tu nobis de omnibus es idoneus, et in omnibus sufficis solus, ut jam nobis vivere, et spes Christus sit, et mori lucrum. Post hæc dicet ipse novus frater responsorium hoc: *Suscipe me, Domine, secundum verbum tuum, et vivam; et non confundas me ab exspectatione mea.* Post hoc responsorium dicat abbas hunc versum: *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* Post quem versum dictum, mox data ei ab omnibus pace, compleat abbas, et tollens brevem desuper altare, mox ab eo novus discipulus sub præposito ordinetur, et in manu eorum consignatus, cum aliis fratribus exeat disciplinæ. Eadem namque die pro humilitatis indicio aquam manibus fratrum ad communionem intrantibus ipse ministret; et cum dat, osculetur omnium manus, et petat pro se singulos debere orare. Breves vero donationum factos a fratribus tempore mortis suæ abbas in quod usibus monasterii restituerit, testamento suo inserat, etiam nomina eorum quorum noscuntur collata, ut nullus post mortem ejus forte de monasterio exiens, repetendi rerum suarum fiduciam habeat, et stabilitatem monasterii, et fidem frangat defuncti, vel dicat sine donatione aliquid suum in monasterio contineri.

Ex Capitulari Theodori Cantuariensis archiepiscopi, n. 2, Spicilegii tom. IX.

In monachorum ordinationibus abbas debet missam agere, et tres orationes complere super caput ejus; et septem dies velat caput suum cuculla sua, et septimo die abbas tollat velamen de capite monachorum. Sicut in baptismo presbyter septimo die velamen infantium abstulit, ita et abbas debet monacho, quia secundum baptisma est, juxta judicium Patrum, et omnia peccata dimittuntur sicut in baptismo.

Ex Hildemari Commentario in Regulam S. Benedicti, cap. 58.

Incipit ordo qualiter debet agere novitius, quando regulam promittit.

Imprimis cum venit in oratorium debet promittere coram hominibus his verbis: Ego.... promitto de stabilitate mea, et conversionem morum meorum, et obedientiam secundum Regulam S. Benedicti coram Deo et sanctis ejus. Et cum hæc dixerit promittens, tunc debet facere petitionem, id est aut tunc debet scribere ipsam petitionem, aut si scripta fuerit ipsa petitio, tunc in præsentia debet scribere aliquid ibi, hoc est nomen suum; aut si non sapit scribere, tunc in præsentia fratrum ibi debet facere signum crucis. Deinde cum hoc fecerit, tunc debet ipsam petitionem manu sua ponere super altare; deinde cum eam posuerit super altare, statim debet inclinato capite dicere istum versum tertio, id est, *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam; et ne confundas me ab exspectatione mea.* Et cum dixerint **767** fratres ipsum versum, debent etiam subjungere *Gloria Patri*, etc. Deinde cum hæc dixerint, tunc debet ille novitius ponere genua in terra, et salutare omnes fratres volvendo se in gyro, ut omnes orent pro eo. Deinde cum salutaverit omnes fratres, sicut dixi, tunc debet ipse novitius se prosternere, et prostratus jacere ante altare in terra, et sic genibus flexis cantare pro illo quinque psalmos ad illud opus pertinentes, id est, *Levavi oculos meos; Ad te levavi oculos meos; Nisi quia Dominus; De profundis,* atque *Miserere mei, Deus, secundum magnam miser cordiam tuam,* cum *Gloria.* Omnes debent canere, et tribus vicibus dicere *Kyrie eleison.* Deinde cantatis his quinque psalmis, tunc debet aut abbas, aut, si non vult abbas, tunc presbyter debet dicere *Pater noster,* deinde, *Et ne nos inducas in tentationem*, atque capitula dicere ad ipsum versum pertinentia, id est, *Salvum fac servum tuum: Convertere, Domine, usquequo: Dominus custodiat te ab omni malo: Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum ex hoc nunc et usque in sæculum: Dominus vobiscum;* et orationem ad ipsum opus pertinentem. Deinde cum hæc omnia fuerint facta, tunc debent se erigere omnes, atque novitius; et erecto novitio, tunc debet abbas induere caput novitii cum melota; et post hæc debet ille novitius omnes fratres osculari, et usque tertium diem coopertum caput habere. In die tertio debet auferre, et communicare, et sic abbas debet caput novitii discooperire ante altare.

Quod de cooperiendo tribus diebus novitii capite hic legitur, statutum exstat in concilio Aquisgranensi, can. 35.

Item ex eodem Hildemaro ibidem.

Postquam compleverit annum, et visus fuerit patiens, et obediens, et probatus, tunc venire debet in capitulum, et debet dicere illi abbas: Si potes observare? Et ille si responderit: Domino juvante possum et volo; tunc debet dicere illi abbas: Ecce, frater, si vis Deo omnipotenti monachico habitu deservire, et placet tibi sancta regula, vade et vende omnia, et da pauperibus, et veni, sequere Christum. Si ille dixerit, quia in hoc monasterio volo tribuere; tunc dicat illi abbas: Frater, adjuvante Deo, nobis non est necessaria tua res, eo quod nostram indigentiam habemus unde suppleatur; sunt enim pauperiores nobis, aut etiam monasteria, vel certe parentes tui plus sunt pauperes quam nos, et ideo melius est ut pro mercede illis tribuas, qui plus indigent, quam nobis. Si autem ille dixerit, quia volo pro mercede animæ meæ magis in hoc monasterium tribuere quam alteri dare, tunc debet rem suam aut pauperibus, aut in monasterium dare. Cum hoc fecerit, tunc debet venire in oratorio, et ibi exui suis vestibus, et vestiri rebus monasterii in uno angulo oratorii, petitione jam facta. Et hoc notandum est, sive antequam promittat, sive post vestietur in oratorio, nihil obstat, tantum ut caput ejus post promissionem veletur, et in die septimo (*Al.* octavo) debet develari, quia vice baptismi est **768** melota. Deinde debet venire ante altare, et ibi dicere debet: Promitto me de stabilitate mea, et conversionem morum meorum, et obedientiam coram Deo et sanctis ejus. Deinde illam petitionem suam, quam scriptam habet, secundum regulam debet ponere super altare.... et postquam posuerit, tunc debet dicere tribus vicibus: *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam; et ne confundas me ab exspectatione mea.* Deinde omnis congregatio tribus vicibus, sicut Regula dicit, debet respondere. Tunc debet ille novitius prostratus jacere in terra, et omnis

congregatio solummodo genibus fixis: et debent pro A illo cantare istos psalmos, id est, *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam*, et *De profundis*, et cæteros psalmos qui ad hoc pertinent. Post hæc debent surgere, et dicere hæc capitula : *Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te : Convertere aliquantulum et deprecabilis esto super servum tuum : Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum.* Et oratio postea dicatur pro illo.

Ex ms. codice S. Benedicti Floriacensis.

Cum autem novitius in cella novitiorum regulæ examinatione jam bene probatus fuerit, egrediatur pariter cum suo magistro, veniant in capitulo; ipse vero novitius, ut sibi traditum fuerit, prosternatur ante pedes abbatis; residentibus fratribus cunctis, et deposcat sociari se sanctæ congregationi. Si vero sibi concessum fuerit, festinet et osculetur pedes abbatis. Deinde in conspectu omnium fratrum flexis genibus faciat suam petitionem. Abbas vero jubeat sibi scribere professionem; aut certe, si non scit litteras, B alter ab eo rogatus, qui scit, scribat. Jamque cum hora tertia decantata fuerit, vel litania, præsente abbate, et cunctis astantibus fratribus, ipse novitius secum gestans chartulam, veniat ante altare, elevataque voce dicat : Ego frater ille promitto stabilitatem meam, et conversionem morum meorum, et obedientiam secundum regulam S. Benedicti, coram Deo et sanctis ejus, et in præsentia domni ill. abbatis. Mox ipse manum suam super altare ponat, statimque hunc versum dicat : *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam ; et non confundas me ab exspectatione mea.* Et per unumquemque versum flectat genua, quem versum omnis congregatio respondeat adjungentes *Gloria Patri.* Deinde toto corpore prostratus in pavimento jaceat, cum gemitu et compunctione cordis. Tunc abbati deferatur a ministris stola, nec non et codex, et aqua benedicta; et ipse surgat, dicatque *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Salvum fac servum tuum : Mitte ei, Domine, auxilium :* C *Nihil proficiat inimicus in eo.* Oratio *Deus indulgentiæ Pater*, etc.; *Deus, qui per coæternum Filium*, etc.; *Domine Jesu Christe, qui es via sine qua*, etc.; *Domine Jesu Christe, qui es via, veritas, et vita*, etc.; *Sancte Spiritus, qui te Deum*, etc. Tunc novitius se erigat de pavimento, et stet incurvatus quousque dicta ab **769** abbate super vestimentum cucullæ fuerit hæc oratio. Benedictio cucullæ : *Deus bonarum virtutum*, etc.; *Adesto, Domine, supplicationibus*, etc. Tunc exuatur novitius vestimentis quibus utebatur, et aspersa aqua benedicta super cucullam, nec non et super ipsum novitium, induat eum abbas dicens : *Exuat te Dominus veterem hominem cum suis actibus, et induat te novum, qui secundum Deum creatus est.* Tunc abbas super novitii caput.... inducat : *Domine Jesu Christe, qui tegumentum*, etc.; *Præsta, Domine, huic famulo tuo ill.* etc.; *Deus, qui famulum tuum*, etc. His expletis, ab omnibus fratribus pacis osculum accipiat, sicque in ultimo constituatur gradu. Capitium D vero cucullæ in capite die noctuque usque in tertio die habeat, nec non et summum silentium teneat, ad missam offerat, et communicet. Tertio jam die post pacem missæ magnæ, mox ut data sibi fuerit ab abbate pax, tollat abbas capellum de capite, et amodo in congregatione reputetur perseverans usque ad mortem. Amen.

Ex primo commentario Petri Boherii in Regulam S. P. Benedicti.

Cum novitius solemniter profitetur, abbas induitur missam celebraturus; et post offertorium abbas interrogat ipsum dicens : Frater talis, vis abrenuntiare sæculo et omnibus pompis ejus? Respondet : Volo. Item abbas : Vis assumere conversionem morum tuorum? Respondet : Volo. Item abbas : Vis profiteri obedientiam secundum Regulam B. Benedicti? Respondet : Volo. Et abbas subdit : Deus auxilietur tui. Inde legit novitius prædictam professionem, vel alius rogatus ab ipso, qua perlecta, ponit eam super caput suum, et deinde super altare. Post quæ, provolutis genibus quatuor in partibus in modum crucis, dicit versum *Suscipe me*, etc., ut supra. Et post *Gloria Patri* dicitur *Kyrie eleison : Pater noster*, et litaniæ, ipso novitio in silentio ad terram prostrato ante altare usque ad finem missæ. Quandiu tamen litaniæ dicuntur, fratres flexis genibus in choro esse debent. Dictis vero litaniis sequuntur orationes valde devotæ a Patribus institutæ, et statim post communionem, priusquam dicatur oratio, benedicuntur vestes novitii, quæ ante altare plicatæ existunt, cum suis orationibus; et adolentur, et asperguntur aqua benedicta ab abbate, et post *Ite, missa est*, surgit a terra novitius, et exuto ab eo habitu primævo non benedicto, induitur benedicto, dicente abbate : *Exuat te Dominus*, etc. Et dato osculo ab abbate, omnes dant ei per ordinem fratres osculum pacis, et cooperto capite per dies tres, in continuo silentio perseverat, sacram communionem recipiens in eisdem; et sic completur quod dicitur : Et jam in illo die. *Vid.* lib. v de Antiquis monachorum Ritibus, cap. 4.

Hactenus antiqui professionis monasticæ ritus. Restat ut de ætate ad profitendum necessaria aliquid dicamus. Rem ipsam non absolute definit S. P. Benedictus, ut pote qui nullam ætatem serviendo Deo non aptam judicans, ipsos etiam infantes et pueros in monasteriis suscipi **770** voluit : non immerito tamen antiquis Patribus visum est aliquos juniorum devotioni et zelo limites præfigere, ne suscepta incaute et absque maturo satis judicio religiosa professio, eam postea excutere non valenti tædio sit et molestiæ. Ea ratione Basilius Magnus, qui omnem Deo serviendo ætatem idoneam ducebat, virginitatis nihilominus professionem ante adultam ætatem firmam et stabilem esse nolebat. Ita quippe in Regula a Rufino translata (*Cap.* 7); « Omne tempus a prima ætate opportunum quidem esse ducimus ad suscipiendum timorem et eruditionem Domini : firma tamen tunc erit professio virginitatis, ex quo adulta jam ætas esse cœperit, et ea quæ solet nuptiis apta deputari, ac perfecta. » Et in epistola ad Amphilochium 2, can. 18 : « Professiones autem ab eo tempore judicamus, quo ætas rationis complementum habuerit : non enim pueriles voces omnino in his esse ratas existimare oportet; sed eam quæ supra sexdecim vel septemdecim annos nata fuerit, rationisque compos, et diu examinata, probataque perseveraverit, et ut admittatur precibus contendat, tum oportet in sacrarum virginum catalogum referri, ejusque confessionem comprobare, et ejus infirmationem inexorabiliter punire. » Verum non usque adeo progreditur synodus vi in Trullo celebrata, annos duntaxat decem in profitente requirens can. 40, ubi sic loquitur : « Qui ergo monachicum jugum est subiturus, ne sit minor quam decem annos natus, ejus quoque rei examinatione in præsulis arbitrio sita, an augeri tempus conducibilius existimet ad introductionem et constitutionem in vita monastica. » Utriusque vero sententiam et definitionem amplectitur conciliatque Leo imperator (*Novella* 6), hac ratione ut qui anno decimo sexto ætatis monasticam vitam capessunt, liberam suorum bonorum dispositionem habeant : secus qui decimo, donec ad legitimam ætatem perveniant.

Paulo severior saltem quoad loca nonnulla S. Gregorius, qui ante annos decem et octo adolescentes in monasteriis admitti vetat : « quia, inquit (*Lib.* I, *epist.* 48), dura est in insulis congregatio monachorum, etiam pueros in eisdem monasteriis ante decem et octo annorum tempora suscipi prohibemus. Vel si qui nunc sunt, tua eos experientia auferat, et in Romanam urbem transmittat. » Eamdem ætatem requirit alter Gregorius papa IX in sua pro Benedictinis monachis constitutione : « Nullus autem qui ætatis suæ annum octavum decimum non attigerit,

admittatur, nec talibus admittendis permissio ulla fiat.» Similiter Oxoniense concilium anno 1222 apud Spelmannum (*Tom.* II *Concil. Angl.*): «Monachi infra decimum octavum annum non recipiantur, nisi evidens utilitas vel necessitas aliud inducat.» Et Cistercienses Institutiones (*Dist.* 10, *cap.* 1): «Novitii infra decimum octavum annum recepti a visitatoribus ejiciantur. Abbates vero qui tales scienter receperint, quanto tempore eos retinuerint, tanto tempore sint in pane et aqua omni sexta feria. Excipiuntur ab hac lege qui remotas inhabitant regiones, ut pote Phrygiam, Hungariam, Poloniam, Bohemiam, Livoniam, et Germaniæ **771** partes, et alia loca, in quibus adulti raro veniunt ad conversionem, quibus indulgetur ut a quindecim annis et supra ad conversionem venientes licite recipiant. Si vero infra annos quindecim receperint, pœnæ subjaceant prænotatæ.» Antea tamen novitios ubique recipiebant post expletum annum ætatis decimum quintum, ut patet ex libro Institutorum, c. 76: quam etiam ætatem tantum pro admittendis ad professionem requirunt Gregorius IX et Nicolaus IV in suis bullis ad Cluniacenses; licet Petri Venerabilis statutum legamus (*Statut.* 36), «ut nullus etiam ex concessione futurus monachus regularibus usque ad viginti annos vestibus induatur.» Hæc ætas Guigoni Carthusiensium priori maxime placuit, cujus antiqua Statuta hæc legunt (*Cap.* 27): «Pueros sive adolescentulos non recipimus, quia per eos monasteriis multa contigisse dolemus, et magna spiritualia simul et corporalia pericula formidantes; sed viros qui juxta præceptum Domini per manum Moysi, viginti ad minus annorum sacra possunt ad bella procedere.» Ita etiam Stephanus ordinis Grandimontensis institutor in Regula (*Cap.* 44): «Præcipimus, inquit, ne quis infra viginti annos..... in hac religione recipiatur;» cujus decretum renovarunt postea Innocentius IV et Clemens V in suis constitutionibus pro dicto ordine. Eadem etiam ætate in institutis a S. Patricio monasteriis novitii vota nuncupabant. At novissimis ante Tridentinum concilium temporibus ætas ad monasticam professionem requisita eadem prorsus erat quæ ad contrahendas nuptias, hoc est annorum 12 in feminis, 14 in viris, ut constat ex cap. *Significatum*, et cap. *Cum virum* de Regularibus. Sed tandem concilium Tridentinum (*Sess.* 25, *de Regul.*, c. 15) invalidam irritamque professionem omnem religiosam infra annos 16 factam declaravit. *Vide* Petri Damiani opusc. 16, cap. 6.

• *Res si quas habet aut eroget prius pauperibus*, etc.] Quam periculosa sit et noxia monachis rerum terrenarum possessio S. Benedictus agnoscens, atque antiquiorum Patrum vestigiis insistens, nullum ante voluit ad solemnem vitæ religiosæ professionem admittere, quam rebus omnibus ac possessionibus omnino renuntiaret. Sic veteres illi Tabennenses Ægyptiique monachi summa diligentia, ut ait Cassianus, perquirebant, ne suscepto tironi de pristinis facultatibus suis vel unius nummi contagio inhæreret: «Sciunt enim, inquit (*Lib.* IV, *c.* 3), eum sub monasterii disciplina diuturnum esse non posse; sed ne humilitatis quidem aut obedientiæ apprehensurum esse virtutem, nec illa cœnobii paupertate ac districtione contentum fore, si in conscientia ejus pecuniæ quantulumcunque latitaverit; sed ubi primum exorta fuerit qualibet occasione commotio, fiducia stipis illius animatum continuo de monasterio velut funda rotante fugiturum.» Hinc Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii docens qualiter examinandi sint ii qui ex sæculo convertuntur. «Amputandæ sunt, inquit (*Cap.* 7), primo ab hujusmodi divitiæ sæculi. Et si quis pauper converti videatur, habet et ipse divitias, quas computare debeat, **772** quas Spiritus sanctus ostendit per Salomonem dicens: *Odit anima pauperem superbum, et divitem mendacem*; et alio loco dicit: *Sicut vulneratum superbum*. Debet ergo is qui præest Pater magno studio hanc regulam tenere, ut si pauper convertitur, primo exponat sarcinam superbiæ et sic exinanitus suscipiatur... Quod si dives est habens multas divitias in sæculo, et converti voluerit, debet primo Dei voluntatem implere, et consequi præceptum illud præcipuum quod adolescenti diviti dicitur: *Vende omnia bona tua, et da pauperibus, et tolle crucem tuam, et sequere me*....... Quod si voluerit monasterio partem conferre, noverit quo ordine sive ipse, sive ejus oblatio suscipiatur.» Et Regula tertia SS. Patrum (*Cap.* 1): «Si aliquam in cellulam voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Quod si susceptus fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed nec de seipso ab illa judicabit hora.» Quæ totidem verbis continentur in Regula sancti Macarii (*Cap.* 4). Idem docet sanctus Basilius in Regula a Rufino translata exemplo Jacobi et Joannis, qui patrem suum et navem in qua erant reliquerunt; et sancti Matthæi, qui vectigal ut sequeretur Christum abjecit; id quod fuse prosequitur in Regulis fus. cap. 8. Et sanctus Cæsarius (*Regula ad monachos c.* 1, *et ad virgines cap.* 4): «Vestimenta, inquit, laica non ei mutentur nisi antea de facultate sua chartas venditionis suæ faciat, sicut Dominus præcepit dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus, et veni, sequere me*. Certe si non vult vendere, donationis chartas, aut parentibus, aut monasterio faciat, dummodo liber sit, et nihil habeat proprium.» Eodem modo loquitur S. Aurelianus in Regula ad monachos, cap. 3, et ad virgines, cap. 2. In Regula quoque S. Isidori lego (*Cap.* 4): «Qui relicto sæculo ad militiam Christi pia et salubri humilitate convertuntur, omnia sua primum aut indigentibus dividant, aut monasterio conferant; tunc enim servi Christi liberum animum divinæ militiæ offerunt, quando a se spei sæcularis vincula cuncta præcidunt.» S. Fructuosus (*Regul. monast. comm.*, *cap.* 4) etiam ad monasterium accedentes religionis obtentu vult interrogari, «utrum recte abrenuntiaverint, an non: Si omnia fecerunt quæ in Evangelio voce veritatis audierunt, quæ ait: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, meus non potest esse discipulus*.» Additque: «Quod si horum quos supra diximus, more pietatis, vel unum nummum alicubi male renuntians reliquit, statim eum foras repelli mandamus, quia non eum in apostolorum numero, sed Ananiæ et Saphiræ sequacem videmus.» Denique Magister præscribit (*Cap.* 87) ut venienti ad conversionem abbas dicat: «Constituimus salubre consilium, ut audias vocem Domini tibi dicentis: *Vade, vende omnia, et da pauperibus, et veni, sequere me*. Quam ergo si sequi vis vocem, vade, vende quæ habes, et omne pretium huc ante me defer, ut te præsente, a me pauperibus erogetur, ut nullum sæculo pignus tuum remaneat ad illud iterum revertendi.» *Vide* S. Augustinum, epist. 83.

773 S. Benedictus autem aut pauperibus erogari, aut facta solemniter donatione, monasterio conferri bona novitiorum constituit: sed postremum istud summa districtione cavebant Tabennenses Ægyptiique monachi, qui, ut scribit Cassianus (*Lib.* IV, *c.* 4), «idcirco ne usibus quidem cœnobii profuturas suscipere ab eo (novitio) pecunias acquiescunt. Primum ne confidentia hujus oblationis inflatus nequaquam se pauperioribus fratribus coæquare dignetur. Tum ne per hanc oblationem nullatenus ad humilitatem Christi descendens, cum sub disciplina cœnobii non poterit perdurare, egressus exinde, ea quæ in principio renuntiationis suæ spirituali fervore succensus intulerat, tepefactus postea, non sine injuria monasterii, sacrilego spiritu recipere atque exigere moliatur; quod nimimodis observari debere multis sunt experimentis frequenter edocti: nam per alia minus cauta monasteria simpliciter quidam suscepti, eorum quæ intulerant, quæque in Dei opere fuerant dispensata, cum ingenti post blasphemia redhibitionem

noscere tentaverunt. » Eadem ratione S. Fructuosi Regula monastica communis jubet (*Cap.* 18), ut « nihil de pristinis facultatibus in eumdem locum, ubi ingredi se petit monasterium, vel ad unum nummum recipiatur; sed et ipse manu sua cuncta pauperibus eroget, et postmodum comprobatus monasterium sub regula introducatur. » His accedere videtur S. Basilius, qui nulla monasterii facta mentione, pauperibus distribuenda esse bona novitii tantum asserit. Non desunt tamen, et quidem majori numero monachorum regulæ, quæ Benedictinæ concinant, ut Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii. et alterius Macarii, Regula tertia SS. Patrum, S. Cæsarii, S. Aureliani Tarnatensis, S. Isidori, et Magistri : imo S. Cæsarius parentibus, S. Aurelianus cui novitio placuerit bona ejus distribui permittunt, id quod olim magna animi constantia facere recusavit S. Filibertus (*In ejus Vita, sæc.* II *Ben.*), qui ad S. Agilum Resbacum veniens, « quidquid habere potuit in eleemosynam erogavit, nec quidquam exinde amicis vel parentibus gratis aliquid tribuit; sed totum ac si regalia negotia sibi credita caute et fideliter dispensavit. »

Sed ex his omnibus constat quam longe a veteri monachorum disciplina dissideant ii qui novitios ad professionem ante non admittunt, quam pacto pretio, summa constituta solvatur, ita ut si vel unus deficiat nummus, ad sæculum forte perituri reverti cogantur. Certe nullum hujus corruptionis vestigium in antiquis deprehendimus regulis, quæ aut omnino pauperibus erogatis facultatibus, quidquam dari monasterio vetant; aut si quid tribui permittant, ita plane permittunt, ut prius egenis distribui consulant. Imo legimus apud Hildemarum ægre a monasteriis accepta fuisse sponte oblata a novitiis bona, id quod probat professionis admittendæ ritus ex eo supra relatus. Horruerat prorsus diabolicum hoc Simonis Magi inventum Carolus Magnus cum in Capitulis suis definiit (*Num.* 15), « ut nullus abbas pro susceptione noviti orum præmium quærat; » horruerat et concilium 774 Nicænum II, act. 8, cap. 19; horruerat Francofordiense anno 794, can. 16; horruere Aquisgranense, can. 75; Melphense an. 1090, can. 7; Westmonasteriense an. 1127, cap. 3, et an. 1175; Lateranense III, an 1179, cap. 10; Londonense an. 1200, cap. 14; Lateranense IV, an. 1215; Oxoniense an. 1222, et Senonense sub Tristando, an. 1485 : quæ omnia monstrum istud suis decretis et sanctionibus confodere tentarunt. Verum an idcirco excusandi sunt parentes qui privatos hæreditate debita filios in monasterio intrudunt, hic non discutio. *Vide* interim, si lubet, Rodulfi abbatis S. Trudonis ad Sibertum priorem S. Pantaleonis epistolam cum Mabillonii notis in Veterum Analectorum tom. II.

Ex hoc etiam Regulæ loco Petrus Venerabilis recte infert licitum esse monachis terras habere et possessiones. Cum enim Cistercienses objecissent Cluniacensibus quod in nullo discreparent a sæcularibus, ut pote qui « castra, villas, et rusticos, servos, et ancillas, et, quod deterius est, thelonearia lucra, et fere cuncta hujusmodi emolumenta indifferenter » susciperent, inter alia hæc reposuit : « Regulam imprimis obtendimus; tractans quippe de novitiis suscipiendis ait : Res si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solenniter donatione conferat monasterio. Dicendo ergo : Res si quas habet, nullam rem excepit; quod si nullam rem excepit, nec fundum aliquem, nec villam, nec rusticos, nec servos, nec ancillas, nec aliquid hujusmodi excepit. Sed constat nihil exceptum esse. Patet igitur hæc quæ posuimus excepta non esse. » Et infra idem probat auctoritate et exemplo S. Gregorii, S. Mauri, et S. Columbani.

Verum etsi liceat monachis terras habere et prædia, longe tamen præferimus eos qui majores divitias æstimantes Christi paupertatem æmulari, omnes omnino possessiones resouunt, quales exstiterunt ex

A priscis non pauci, ut S. Euthymius, qui oblatos ab Eudoxia Augusta reditus recusavit; ut S. Sabas, qui in simili casu imperatori respondisse dicitur (*Tom.* III *Monum. Eccles. Græc., p.* 345) : « Qui pro vestra pietate precantur, hujusmodi reditu non egent; pars enim eorum ac reditus Dominus est; » ut S. Pæmen (*Ibid., tom.* I, *pag.* 593), qui « nolebat quidquam a quoquam accipere, ad vitandam nimirum turbæ vexationem; » ut S. Lupicinius abbas (*Lib. de Vitis Patr., cap.* 1), qui, teste Gregorio Turonensi, ad Chilpericum Burgundiæ regem profectus, aliquod ab eo pro victu vestituque fratrum, quibus præ multitudine non pauca deerant, petiturus subsidium; agros et vineas quibus necessitates suas explerent offerenti regi respondit : « Agros et vineas non accipiemus, sed si placet potestati vestræ, aliquid de fructibus delegate; quia non decet monachos facultatibus mundanis extolli, sed in humilitate cordis Dei regnum justitiamque ejus exquirere. » His accedit S. Isaac, qui, ut B scribit alter Gregorius papa (*Lib.* III *Dial., cap.* 14), « cum ei crebro discipuli humiliter imminerent, ut pro usu monasterii possessiones quæ offerebantur acciperet, ille sollicitus suæ paupertatis fortem sententiam tenebat, dicens : Monachus qui in terra possessiones quærit, monachus non est. Sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut avari 775 divites solent perituras divitias custodire; » sed et monachi sub S. Davidis legibus viventes, « possessiones et dona reprobabant, et divitias detestabant, boum quoque nulla ad arandum cervix ab eis introducebatur. » Ex nostris etiam S. Richmirus abbas apud Cenomanos, cum a Gilberto episcopo locum aliquem petivisset, ubi sub sancta regula cellulam ædificare fratresque congregare posset (*Sæc.* III *Ben.*), « voluit ei memoratus episcopus aliquem locum dare locupletem ad hoc opus perficiendum; quod ille renuens ait : Non quæro locupletem, nec plurimis ædificiis sublimatum, sed pauperem, in quo ego pauper pauperem Christum sequi et imitari mec rear. » Et S. Corbinianus (*Ibidem*), fidelium eleemosynis auctus, divitias sibi locupletatas, haud secus ac avari omissas, deflebat. Denique S. Vitalis abbas ordinis S. Basilii (*Bolland., Mart.* 9), morti proximus, suos exhortans dicebat : « A terrenis possessionibus abstinete. » Hæc in gratiam eorum qui arctiori paupertatis vinculo constringuntur fusius retulimus, utque tot illustrium clarissimorumque monachorum exemplis singularis hujus virtutis studium cordibus nostris altius infigatur; turpe est enim monachos post abdicatas sæculi facultates, rebus terrenis plus æquo adhærere. His plura superaddere potuissemus, quæ, ne fastidium legenti generent, narrare supersedemus. Non possum tamen prætermittere insignes illas in Ægypto virgines, quibus cum Eupraxia nobilis matrona aurum et argentum obtulisset, oblatum suscipere renuit abbatissa dicens (*Vita S. Eupraxiæ, apud Bolland.*, 13 *Mart.*) : « Domina mi sen trix, ancillæ tuæ non egent reditibus, neque pecuniam concupiscunt : propterea namque omnia reliquerunt et D cuncta despiciunt in hoc sæculo, ut æternis bonis frui mereantur; et nihil possidere volumus, ne cœlesti regno privemur. » Et iterum eadem abbatissa morti proxima ad electam sibi successuram : « Conjuro te, inquit, per intemeratam Trinitatem et consubstantialem, ne istius mundi quæras divitias, aut possessionem, neque occupes sorores ad terrenas sollicitudines; sed magis ut contemnentes bona temporalia, perpetua mereantur accipere. » Præclare omnino S. Stephanus ordinis Grandimontensis institutor (*In ejus Vita, tom.* II *Bibliot. Labb.*) discipulis « quærentibus quomodo post ejus mortem sine temporalibus viverent, respondit : Deum solum vobis relinquo, cujus sunt universa, cujus etiam amore cuncta pariter ac vosmetipsos reliquistis. Si amando paupertatem ei constanter adhæseritis, nec a veritatis via declinaveritis, ipse, juxta providentiam suam, qua mirabiliter gubernat omnia, vobis quod expedire

noverit largietur.» Sed de his satis: ad Regulæ textum revertor.

S. Benedictus igitur hoc loco permittit ut novitius, facta solemniter donatione, bona sua conferat monasterio. Sed quæritur quid *solemni donatione* intelligendum sit? Respondet Richardus de S. Angelo solemnem donationem eam esse quæ fit *per scripturam, coram publicis personis, exprimendo voluntatem suam, et quantitatem donationis.* Similiter Boherius eam quæ fit *in scriptis*, et Smaragdus eam quæ fit *religiose coram testibus, et universa monasterii congregatione:* adducitque locum istum ex Regula tertia SS. Patrum (*Cap.* 4): «Si aliquam novitius in cellulam voluerit inferre **776** substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus;» et alium ex Regula Magistri (*Cap.* 87): «Una cum anima sua Deo et oratorio monasterii per donationem offerat totum, subscribentibus religiosis testibus, episcopo, presbytero, et diacono, vel ipsius territorii clero: et in ipsa cautione taxans hoc, quod si aliquando de monasterio discedere voluerit, sine rebus suis de monasterio, vel sine indulgentia peccatorum a Deo recedat.» Huic addendus est alter locus ex eadem Regula Magistri (*Cap.* 89): «Si cum rebus suis introierit, tunc ille brevis vel donatio rerum suarum Deo vel monasterio facta, ipsius donatoris manu super altare ponatur, dicente ipso fratre: Ecce, Domine, cum anima mea et paupertate mea, quidquid mihi donasti tibi reconsigno et offero, et ibi volo ut sint res meæ, ubi fuerit cor meum et anima; sub potestate tamen abbatis, quem mihi, Domine, in vice tua timendum præponis cum eis dicis: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit:* unde quia per eum nobis tu omnia necessaria cogitas, ideo nihil nos oportet peculiare habere, quia tu nobis de omnibus es idoneus, et in omnibus sufficis solus, ut jam nobis vivere, et spes Christus sit, et mori lucrum.»

Et certe ad donationis solemnitatem pertinuisse videtur ejusdem ad altare manu offerentis delatio; id quod ideo præsertim agebant, ut illius aliquando revocandæ donatori religio major fieret: hinc Regula Tarnatensis cap. 1: «Si ejus votum tale est, ut quæ sua sunt, monasterii usibus conferre desideret, oblationem ejus ad integrum devotio sincera commendet, et super altare statuat, unde reposci aliquid sacrilegium judicatur.» Hujusce ritus fit mentio in Chronico Piscariensi, lib. I (*Spicil. tom.* V), ubi «nobilis ac ditissimus Luto filius quondam suprascripti Aderisi obtulit se cum omnibus rebus suis mobilibus et immobilibus quas habebat in Bectorita, domno Romano abbati; et veniens ante altare, fecit oblationem rerum suarum, et secundum Regulæ morem vitam monasticam assumens in congregatione receptus est.» In charta donationis villæ de Porta, facta ab Ingelranno comite Pontivorum Centulensi monasterio (*Chron. Centul., lib.* IV, *cap.* 21), in qua post subscriptiones ita legitur: «Facta est hæc traditio super altare S. Richarii, die sepulturæ Hugonis comitis, XII cal. Decembris, ab Ingelranno filio ejus cum optimatibus suis.» In Chronico S. Benigni Divionensis, ubi anno 1017 quidam Hugo miles «donationem ad altare S. Benigni coram multitudine populi» reiterasse dicitur (*Spicil. tom.* I); et anno 1052 Hugo Chrysopolitanæ sedis archiepiscopus cujusdam ecclesiæ «donationem posuit super altare S. Benigni, die natalis ipsius martyris ibidem missas celebraturus.» In charta etiam Wihtredi regis Cantiæ (*Spelman. tom.* I *Conc. Angl.*), qua terram quamdam in insula Teneti Eabbæ abbatissæ donat anno 696, sub cujus finem hæc lego: «Ad cujus cumulum et affirmationis cespitem hujus supradictæ terræ super sanctum altare posui, et propria manu pro ignorantia litterarum signum S. crucis in hac chartula expressæ, etc.» Denique Mattheus Parisius refert Offam Merciorum regem, et monasterii S. Albani conditorem (*In Vitis abbatum S. Albani*), **777** «chartas donationis suæ super majus altare S. Albani in conspectu Willegodi abbatis, et totius conventus, et multorum magnatum obtulisse.» *Vide* Menardi notas ad Conc. Regul., c. 65, § 17.

Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis quibus vestitus est, et induatur rebus monasterii.] Ne forte margaritas ante porcos projicere videretur, et ab indignis aliquando vestis monastica deturparetur; neve etiam novitios redderet obnoxios decretis Nicænæ synodi, gravissimæ pœnitentiæ subjicientis eos qui vocati per gratiam, militiæ cingulo semel deposito, ad sæculum reverterentur; illos ante emissam professionem monasticis vestibus indui noluit S. Benedictus, sed integro probationis anno in habitu sæculari remanere. Et hæc quidem videtur fuisse veterum monachorum praxis, maxime in Occidente, quam videre est in Regula Tarnatensi cap. 1, S. Fructuosi communi cap. 18, Magistri cap. 90, et S. Cæsarii ad virgines. Exstat etiam de virginibus decretum concilii V Aurelianensis anni 549, decernens (*Can.* 19) ut «quæcunque puellæ, seu propria voluntate monasterium appetunt, seu a parentibus offeruntur, annum in ipsa qua intrant veste permaneant: in his vero monasteriis ubi non perpetuo tenentur inclusæ, triennium in ipsa qua intraverint veste permaneant; et postmodum secundum statuta monasterii ipsius in quo elegerint permanere, vestimenta religionis accipiant.» Idem etiam civilibus legibus reperitur confirmatum, ut patet ex Justiniani imperatoris novella 5, cujus hæc verba: «Sancimus sacras sequentes regulas eos qui singularem conversationem profitentur, non prompte mox a reverendissimis præsulibus venerabilium monasteriorum habitum percipere monachalem, sed per triennium totum, sive liberi forte sint, sive servi, tolerare, nondum monasticum habitum promerentes, sed tonsura et veste eorum qui laici vocantur, uti et manere, sic divina addiscentes eloquia.» Ubi laicos intelligit, non fratres conversos, uti æstimavit Haeftenus; sed aut servos sive famulos ad monachorum servitia deputatos, qui nec vestem, nec tonsuram monasticam ferebant, sed amputata duntaxat capillorum superfluitate, modesto induebantur habitu, et sæcularia eorum negotia exsequebantur, quales sunt in nostra congregatione commissi, qui nec ita protensos ac cæteri sæculares gerunt capillos, nec ita pretiosis utuntur vestibus; de quibus S. Isidorus in Regula (*Cap.* 20): *Ars pistoria ad laicos pertinebit;* et Regula S. Fructuosi (*Cap.* 23): *Laici foris abbatis vel præpositi mandata peragant.* Hi apud Cluniacenses froco utebantur, saltem ii qui decanis villarum provisoribus serviebant, ut patet ex his Udalrici verbis (*Lib.* III, *c.* 5): «In ipso loco decaniæ famulus, qui ei cibum et potum administrat, nunquam in sola camisia administrat, vel in femoralibus solis, nisi etiam froco, vel pellicio, et caligis sit amictus.» Vel clericos intelligit sæculares, quos laicos vocat, ad distinctionem clericorum regularium seu monachorum (neque enim eos laicos appellare antiquis fuit inusitatum, cum Regula Magistri cap. 83 sacerdotes ipsos *laicos* vocet), id quod manifestum **778** probatur ex Hildemaro, qui modum referens novitios nonnullis in cœnobiis recipiendi, dicit primo vitæ monasticæ candidatum per quinque dies ad portam monasterii permansisse, deinde susceptum in cella hospitum, ubi peractis in habitu laicali duobus mensibus, ei legebatur Regula sub duobus vel tribus diebus, ad quam observandam si se parem esse testatus fuisset, tunc indutus *suis bonis vestimentis, id est lorica, scuto, lancea, spatha, et balteo*, in capitulum adducebatur. Post exhortatorium abbatis sermonem, si sæculo renuntiare pergebat, acceptis rursus induciis, denuo in capitulum accedebat eodem ritu; et ibi coram fratribus *aut balteum et armillas, aut spatham solummodo* deponebat. Jam si reverti ad sæculum omnino pernegabat, tunc ibidem abjectis aliis omnibus suis vestimentis, radebatur, atque *aliis vestibus, id est* CLERICALIBUS suis induebatur, ac tan-

dem in novitiorum cellam mittebatur. Eam sententiam confirmare videtur Aigradus in Vita S. Ansberti, n. 8. Hic enim relicta regis aula Fontanellam confugiens, et ibi receptus hospitio, cœpit ministrum implorare, quatenus sanctum monasterii Patrem videre mereretur, ad cujus pedes humiliter prostratus postulabat ab eo se monachum fieri. Audiens autem venerandus Pater sanctam et Deo dignam postulationem, inducias super hoc dicebat habere se velle, « quibus expletis spiritualium *fratrum* consulta suscipiens inclytus Pater, pia ejus vota veluti postulaverat impleverunt, *clericatusque* habitu decorabilem reddiderunt. » Ast alii neque arma neque sæcularem vestem deponebant, nisi expleto probationis anno, quibus favit Aquisgranense concilium, statuens (*Can.* 34) ut novitius « nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet priusquam obedientiam promittat. » Cujus rei praxim videre est in Vita S. Landelini, n. 3, sæc. II Bened.; S. Botulfi, n. 2, sæc. III; S. Leufredi, n. 9, ibidem; SS. Harlindis et Reinulæ, n. 11, ibid., et in Chronico Centul., l. IV, c. 14.

Sed jam diu obsolevit ista consuetudo. Nam Benedictus, qui Anianensis postea abbas exstitit, ad S. Sequani monasterium accedens, ingrediendi licentia adepta, « mox capitis comam deposuit, et veri monachi habitum sumpsit. » Cluniacenses etiam novitiis tonsuram et habitum monasticum, una excepta cuculla, impertiebant, ut discimus ex Udalrico : idque postmodum communis usus obtinuit, unde Statuta Lanfranci decernunt (*Cap.* 18), ut « novitius, sive laicus, sive clericus tondeatur, et radatur more monachorum; dehinc vestibus sæcularibus exuatur, et rebus monasterii regularibus, præter cucullam, capitio assuto tunicæ, induatur. » Apud Cistercienses etiam (*Lib. Usuum, cap.* 102) novitius iisdem pannis induebatur quibus alii professi, « excepto habitu monachali, pro quo cappam, et mantellum, vel pelles » habebat; quamvis in ipso nascentis ordinis exordio sæculares vestes ad professionem usque reservaret, ut probat S. Bernardi epistola 1 ad Robertum nepotem, ad quem sic loquitur : « Tuis precibus multisque lacrymis diu exspectatam impetrasti misericordiam, et quem satis desideraveras, ingressum obtinuisti. **779** Post hæc per annum juxta Regulam in omni patientia probatus, perseveranter et sine querela conversatus, post annum sponte professus, *Tunc primum sæculari veste rejecta religionis habitum suscepisti.* » De Cassinensibus audiendus est Bernardus Cassinensis : « Nos autem moderni, inquit, de consuetudine, o utinam rationabili ! in ipso ingressu probationis, et radimus, et tonsuramus, et habitum induimus, non tamen habitum benedictum : et licet ista consuetudo non reprobetur de more, tamen consultius videtur opinio dicti Pauli sequenda. » Hæc est opinio Hildemari a nobis supra relata, quem sub nomine Pauli Diaconi solet citare. Addit Boherius : « Ego credo bene factum, si initio probationis tradantur ei vestes, tonsura, et clausura regulares, ut per annum probetur in eis, et aliis duris et asperis observationibus ordinis. » Et infra : « Similitudinem tamen et asperitatem habere debet alicujus monachalis habitus, ut habetur hodie in constitutione Benedicti papæ, c. 22. Scissura tamen, colore vel benedictione distingui debet hujusmodi habitus novitiorum ab habitu professorum. » Et certe cum monastici habitus gestatio ad religionis austeritatem pertineat (laneis enim ad cutem indui, vestitum dormire, contemptibilem sæculo habitum deferre, naturæ contrarium esse nemo non videt), et aliunde novitios omnem monasterii asperitatem experiri deceat; non sine causa posteris visum est eos sub aliqua distinctione monasticis induere.

Neque hoc vacat exemplis apud antiquos monachos, maxime in Oriente, ubi Ægyptii Tabennensesque monachi in ipso religionis ingressu suos novitios habitu monastico vestiebant, sicuti testatur Cassianus his verbis (*Lib.* IV, *c.* 5) : « Ita nudatur quisque, cum receptus fuerit, omni pristina facultate, ut ne ipsum quidem quo opertus est indumentum habere permittatur ulterius; sed in concilio fratrum productus in medium exuatur propriis, ac per manus abbatis induatur monasterii vestimentis, ut per hoc se non solum universis rebus suis antiquis noverit spoliatum, verum etiam omni fastu deposito mundiali, ad Christi paupertatem et inopiam descendisse, jamque opibus sustentandum non sæculi arte quæsitis, nec de infidelitate pristina reservatis, sed de sanctis ac piis monasterii largitionibus militiæ suæ stipendia percepturum; atque inde se deinceps vestiendum alendumque cognoscens, et nihil habere, et nihilominus de crastino non esse sollicitus secundum Evangelii discat sententiam, nec erubescat pauperibus, id est corpori fraternitatis coæquari quibus connumerari Christus, et quorum se fratrem non erubuit nuncupare, quin potius glorietur domesticis ejus factum se esse consortem. » De Tabennensibus seu Pachomianis constat ex Regula S. Pachomii, cap. 26, sed clarius ex ejus præceptis a Bollandianis editis post ejus Vitam, in quibus n. 16, (*Maii* 14) ita præcipitur : « Si quis ad monasterium accesserit volens fieri novitius, precationem ei evangelicam (*Orationem dominicam*) porrigent, et psalmos docebunt. Maneat porro ad monasterii fores, ibique probetur : quidquid autem alii norunt fratres, iste et ipse addiscat. Quo facto, sæcularibus eum vestibus exuent, et novitiorum habitu vestient. » **780** Cujus præcepti praxim videre est in epistola Ammonis ad Theophilum n. 1, ibidem etiam a Bollandianis edita; quin et ipse S. Pachomius a Palæmone admissus statim habitu monastico indutus legitur.

Locus hic esset loquendi de monachis ad succurrendum, hoc est qui in extremis positi pœnitentiæ causa vestes monasticas postulabant; qui ut semel iis induti fuerant, in professorum numero censebantur si postmodum convaluissent, de quibus agit noster Mabillonius in præfat. ad sæc. IV Bened., part. II, p. 99, quem consulere quivis potest.

Illa autem vestimenta quibus exutus est, reponantur in vestiario conservanda.] Idem præscribit Regula Magistri, cap. 90. Eamdem etiam praxim de Ægyptiis et Tabennensibus refert Cassianus, lib. IV, cap. 6. De Tabennensibus res constat ex Regula S. Pachomii, art. 26, et ex Paralipomenis ad ejus Vitam apud Bollandum, ubi Silvanum monachum ob remissum fervorem post annos viginti, « in cœtu fratrum veste exui monastica, et sæculari indutum habitu e monasterio per fratres expelli » mandasse dicitur (*Boll.*, 14 *Maii*). Sed et Joannes Moschus de quodam latrone refert (*Prat. spir.*, *c.* 166), quod in Firmini monasterio monachus effectus, post novem annos ad abbatem accedens dixerit : *Da mihi vestimenta mea sæcularia, et recipe monastica;* quæ ubi recepit, sequenti die laqueo suspensus est miser.

Illam tamen petitionem ejus, quam desuper altare abbas tulit, non recipiat; sed in monasterio reservetur.] Ut per illam, etiam illo nolente, si voluerit abbas, possit eum iterum in monasterium reducere, ibique subjectum tenere. Aut forte, si dixerit se non esse monachum, ab illa petitione victus, in monachatus redigatur servitium, » inquit Smaragdus. Sive etiam, ut ait Hildemarus, « Ut si forte aliquando negaverit habitum monachicum aut forte clericalem, habeatur quo illi probetur. episcopo, quia aut in monasterio, aut certe sub canone constitutus etiam coacte ab episcopo, postquam exiit de monasterio, vivere debet, juxta auctoritatem Nicæni canonis. » Notandum porro quod de hujusmodi petitionis asservatione narrat Boherius : « Consuevit apud nos reservari in armario reliquiarum, non in chartulario, cum charius reservari debeant obligationes personarum quam rerum. » In ms. etiam constitutione Clementis V pro ordine Grandimontensi præscriptum

lego, ut novitius professionis schedulam « offerat in altari, priore ipsam recipiente, et eam cantori ipsius A monasterii tradente ad æternam rei memoriam in sacrario ipsius monasterii reponendam. »

CAPUT LIX.

De filiis nobilium vel pauperum qui [a] *offeruntur.*

781 Si quis forte de nobilibus [b] offert filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minori [c] ætate est, parentes ejus faciant petitionem quam supra diximus. Et cum oblatione, ipsam petitionem et manum pueri involvant in palla altaris, et sic eum offerant. De rebus autem suis, aut in præsenti petitione promittant sub jurejurando, quia nunquam per suffectam [d] personam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi.

Vel certe si hoc facere noluerint, et aliquid of- B ferre volunt in eleemosynam monasterio pro mercede sua, faciant ex rebus quas dare volunt monasterio donationem, reservato sibi, si ita voluerint, usufructuario [e]. Atque ita omnia obstruantur [f], ut nulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire possit, quod absit, quod experimento didicimus. Similiter autem et pauperiores faciant. Qui vero ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, et cum oblatione offerant filium suum coram testibus [g].

[a] Al., *quomodo.*
[b] Flor., *nobilium.*
[c] Hild., Flor. cum quibusdam, *minor.*
[d] Oxon., *subjectam.* Recentiores, *suspectam.*
[e] Oxon., *usum fructuum.* Flor., *usum fructum.* Al., *usu fructu.* Narb., *fructu usus.*
[f] Oxon., Concord. et Bern. Cass. *observantur.* Deest in Flor. et Hadr. *coram testibus.*

COMMENTARIUS.

Ab adultorum receptione S. Benedictus transit ad oblationem infantium, quos olim in monasteriis admissos fuisse et enutritos constat non solum ex hoc S. Benedicti capite, sed etiam ex antiquis monachorum regulis, aliisque probatis auctoribus non paucis. Hos autem S. legislator tam ex pauperibus quam ex divitibus indifferenter recipi sancivit, quia nulla utrorumque est apud Deum distinctio, cui plerumque acceptior fit pauper humilis quam nobilis superbus; unde et S. Augustinus, et ex eo S. Isidorus de monachis loquens dicebat (*August. de Opere monach.*; *Isid. lib.* II *Offic. eccl.*) : « Veniunt quoque ex ipsa vita rustica, et ex opificum exercitatione, et ex plebeio labore, tanto utique felicius, quanto fortius C 782 educati; qui si non admittantur, grave delictum est : multi enim ex eo numero viri magni imitandique exstiterunt : nam propterea et infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia, etc. » Quamvis ista non sapuerit Leofricus decimus abbas S. Albani in Anglia, qui, ut scribit Matthæus Parisius (*Vitæ viginti trium abbatum S. Alb.*), « acceptor fuit personarum : nullum nisi genere clarum, vel saltem legitimum in monachatum admisit, asserens ignobiles et illegitimos, ignotos maxime et instabiles, ad enormia fore proniores. » At longe aliter sentiebat S. Fulgentius (*In ejus Vita, apud Boll., 1 Januar.*), qui « quos multa largiendo de temporali fame liberabat, renuntiare sæculo sapienter admonendo faciebat, et quamvis nihil habentes habendi voluntatem contemnere suadebat. » Et S. Gildasius abbas Ruyensis (*Sæc.* I *Ben.*), qui « ut plures Domino offerre posset alumnos, collegit monachos secum tam ex nobilibus D quam ex pauperibus, pupillis et orphanis, » quemadmodum habent ejus acta, num. 12. Et certe vera et certa est Gerardi Belgæ monachi sententia : « Tanto indignius esse pauperem non admittere, quanto turpius est monachum superbire; si tamen non tam fortuna quam spiritu insuper probentur Christi pauperes esse, et appareat non venire paupertatem exuere, sed diligentius quærere. » Hæc obiter dicta sint occasione tituli hujus capitis, qui est *De filiis nobilium vel pauperum qui offeruntur.* Ad textum venio.

Si quis forte de nobilibus.] Nobiles hic S. Benedictus intelligit, non stricte, pro insignitis aliquo gradu, titulo, aut dignitate, qua distinguantur a plebeiis; sed late, pro potentibus et divitibus quibuscunque, « sive sint nobiles sive ignobiles, inquit Hildemarus, id est, de illis dicit qui divitias habent. » Et Boherius : « De nobilibus, id est divitibus et potentibus. » Et sane nobiles hic pauperibus S. Pater opponit.

Offert filium suum Deo in monasterio.] Regularibus disciplinis instituendum, et in perpetuo Dei servitio ibidem permansurum.

Si ipse puer minori ætate est.] « Id est, si est minor quatuordecim annis, » inquit Richardus de S. Angelo. Et Boherius : « Hæc est minor ætas in masculo quatuordecim annorum, et in femina duodecim. » Idem habet Nicolaus de Fractura, atque ita definitum est in concilio Toletano x (*Can.* 16) : « Parentibus sane filios suos religioni contradere non amplius quam usque ad quartum decimum eorum ætatis annum licentia poterit esse. » Saltem ita legit Gratianus 20, quæst. 2, cap. *Si in qualibet.* Sed Ivo Carnotensis in part. VII Decreti, cap. 27, non *quartum decimum*, sed *duodecimum* habet : in editione vero Conciliorum legitur *decimum.* Ex quo forte utrumque emendaveris, qui concilii Toletani canonem ad sui temporis praxim adaptavit. Ergo ultra hanc ætatem jam haud licitum erat parentibus filios suos in monasteriis offerre. An vero infra hujusmodi ætatem quoscunque parentes offerrent recipere oporteret S. Benedictus non aperuit, sed neque S. Basilius. Sed Regula S. Aureliani præscribit (*Cap.* 17), ut « minori ætate in monasterio 783 non excipiantur, nisi ab annis decem, aut duodecim, qui et enutriri non egeant, et cavere noverint culpas. » Et synodus VI in Trullo (*Can.* 40), ut « qui monachicum jugum est subiturus, ne sit minor quam decem annos natus. » Nisi forte concilium intelligas de his qui sponte se offerunt, non autem de his qui offeruntur ab aliis. In plerisque monasteriis oblatos infantes haudquaquam admittebant ante septimum annum. Atque ita forsitan interpretandus est S. Joannes apud Rufinum (*Lib.* II *de Vit. Patr.*, *cap.* 1), ad quemdam militum præpositum de filio ejus ita loquens : « Hic nutriatur in domo tua absque ulla contaminatione gentili septem annis; quibus peractis, trade eum monachis erudiendum sanctis et cœlestibus disciplinis. » In Regula S. Cæsarii ad virgines hæc legimus (*Cap.* 5) : « Si fieri potest, aut difficile, aut nulla unquam in monasterio infantula parvula, nisi ab annis sex aut septem, quæ jam et litteras discere, et obedientiæ possit obtemperare suscipiatur. Nobilium filiæ, sive igno-

bilium ad nutriendum aut docendum penitus non accipiantur. » Idem habetur in Regula S. Donati, cap. 6. Atque hac ætate aut circiter plerosque in monasteriis nostris oblatos reperimus, ut Placidum, Faustum, Gordianum, Bertulfum, Bedam. Plurimos etiam in minori, ut Samsonem, Bonifacium, Godefridum et Petrum Diaconum quinquennes. Aliquos quoque triennes, imo anniculos. Prætermittere hic non possum pium S. Stephani Obazinensis abbatis institutum. Hic, uti legimus in ejus Vita, lib. II, num. 4 (*Tom. IV Miscel. Baluz.*), duo virorum et mulierum collegia adunaverat, et in utroque pueros admittere ita decreverat, ut in feminarum monasterio usque dum quinque annorum metas excederent nutrirentur, inde ad virorum cellam transituri.

Parentes ejus.] « Parentes nominat solummodo patrem et matrem, quia parentes de patre et matre dicuntur a pariendo, » inquit Hildemarus. Similiter Smaragdus, relato S. Isidori testimonio, in quo fit mentio Samuelis ab Anna matre Deo oblati, « Hinc datur intelligi, infit, quia parentes non parentes alios quam patrem aut matrem, qui eum genuerunt, dicit. » Idem habet Boherius. Et tamen Bernardus Cassinensis fieri posse asserit, « quod juxta vulgare regionis propinquiores sibi carne parentes voluit appellare, » cui suffragari videtur Nicolaus de Fractura. At contrarium ex ipso textu evincitur, in quo filius appellatur ille qui debet offerri, quod certe nisi aut patri aut matri nulli prorsus convenire potest.

Sed quæritur a quonam parentum puer offerendus sit? Respondet Hildemarus: « Debet, si pater est vivus, dicere pater (petitionem.) Si autem mortuus est, dicere mater; nam alius propinquus non debet. » Sed Suarez (*De Religione, tom.* III, *lib.* V, *cap.* 2) docet potestatem offerendi pueri in utroque parente residere; altero mortuo, remanere penes superstitem. Quod si pater offerat, et mater repugnet, validam esse et licitam hujusmodi oblationem; secus si velit mater, patre repugnante; licitam nihilominus validamque fore factam a matre absque patris consensu, modo **784** pater non resiliat; qui tamen infra annum filium revocare poterit. Deinde idem jus competere tutori, quia tutor parenti, quoad omnia quæ ad filii educationem pertinent, succedit, nec jus hunc casum excepit. Imo posse tutorem invita matre, non vero matrem reluctante tutore filium offerre. Econtra vir clarissimus Petrus de Gussanvilla in notis ad epist. 54 Petri Blesensis scribit non licere tutoribus, affinibus et consanguineis addicere in monasterio in perpetuum impuberes patre et matre orbatos nolentes. Citatque ad id concilium Aurelianense V, Toletanum IX et X, SS. Benedictum, Lanfrancum et Bernardum, qui voce *parentes* utuntur, quæ proprie patrem et matrem significat, non affines, non consanguineos, non tutores. Eadem est Mabillonii sententia in Veterum Analectorum tomo III (*Pag.* 479), et Caroli Cointii in Annalium Ecclesiæ Francorum tom. I, ad annum 541. Poterant tamen parentes per alios filios suos offerre, ut patet ex Othlono in Vita S. Bonifacii, cap. 2 (*Sæc.* III *Ben.*, *part.* II), qui quinquennis ab ægrotante patre *per legatos idoneos ad monasterium* directus est; et ex formula oblationis apud Cluniacenses usitata, qua monachus puerum offert Deo in monasterio *vice parentum ejus.* Atque ita intelligendus videtur Petrus Boherius, dum ait in suo monasterio pueros aut a parentibus, aut ab amicis oblatos fuisse. Poterant etiam ipsi tutores et consanguinei, cum id infantes desiderarent, eos offerre; secus si reluctarentur. Aliquando etiam adultos legimus a parentibus oblatos, de quibus vide quæ diximus in lib. V de Antiquis monachorum Ritibus, cap. 5.

Faciant petitionem, quam supra diximus.] Superiori capite nimirum, promittentes etiam pro filio stabilitatem, conversionem morum, et obedientiam, ut patet ex Smaragdo, Hildemaro, Boherio et aliis, ex quibus corrigas Bernardum Cassinensem, qui petitionem hic interpretatur illam qua parentes abbatem et congregationem simul rogant filios suos in monasterio enutriri. Sic enim ille, relata Hildemari sub nomine Pauli Diaconi sententia: « Sed certe mihi sicut modo videtur, et puto quod hanc petitionem debemus intelligere sicut in capitulo præcedenti: Post quatuor vel quinque dies persistere petitioni suæ, etc. Id est ut petant eum in monasterio recipi, nutriri, et doceri regularibus disciplinis, et quantum in se est offerant ipsum Deo. Nam secundum jura cum ad annos discretionis pervenerit, reclamare potest, et ad sæculum redire; unde illud non intelligo de verbis professionis. » Bernardo subscribunt Richardus, et Nicolaus de Fractura. Verum contrarium evincit sequens Regulæ textus, quo præscribitur pueri manum cum ipsa petitione in palla altaris involvi. Ipsius petitionis sive oblationis formulas aliquas edidit noster Acherius in notis ad Lanfrancum; alias item noster Mabillonius, alias Carolus Cointius a nobis supra citatus, aliam insuper Smaragdus quam refert Haeftenus lib. IV, tract. 1, disq. 4; duas hic breviores adjicio, unam ex veteri ms. codice S. Ceciliæ Albiensis sæculo IX exaratam, quæ est hujusmodi.

785 Trado puerum istum in devotione Domini nostri Jesu Christi, coram Deo et SS. ejus, ut persistat omnibus diebus vitæ suæ, et fiat monachus usque ad mortem suam.

Alteram ex mss. codice Montis Majoris in hæc verba:

Sancitum est in Veteri et Novo Testamento pueros Deo offerre, ut Abraham (*Hic deest aliquod verbum*) leguntur fecisse, quorum exemplo et aliorum multorum instructus, ego ille, pro remedio animæ meæ et parentum meorum, nunc offero hunc filium meum illum Deo omnipotenti, et S. Mariæ genitrici ejus, secundum Regulam B. Benedicti in monasterio Montis Majoris, in præsentia domini abbatis illius, ab hac die, ut non liceat ei collum de sub jugo Regulæ excutere, et promitto nunquam per me, neque per suspectam personam ullo modo ei occasionem dare egrediendi, quod absit; et ut hæc scriptio firma permaneat, manu propria firmo.

Et cum oblatione.] Hæc oblatio erat ipsa incruenti sacrificii materia, panis et vinum, ut constat ex Hildemaro: « Debet ponere in dextera manu filii sui oblatam cum mappula, in sinistra autem amulam vini. » Et infra: « Oblatio attinet ad panem et vinum quæ in sacrificium offeruntur; » quod etiam patet ex Statutis Lanfranci (*Cap.* 18): « Offerendus puer, facta prius corona, manibus portans hostiam et calicem cum vino, sicut mos est; » et ex Udalrico: « Accipit ipse puer cum offertorio patenam et calicem, hostia imposita et vino infuso, et ita vicarius ille involvit manum pueri cum palla altaris. » Ex quibus emendandus est Nicolaus de Fractura, qui oblationem intelligit « forte de rebus suis monasterio faciendam. »

Involvant in palla altaris.] Sacras altaris pallas tangere sacratis Deo feminis et monachabus Soteris papæ decreto prohibitum dicitur; et ex synodo Antissiodorensi (*Can.* 37) « non licet mulieri manum suam ad pallas dominicas mittere; » ut mirum sit S. Benedictum pueris adhuc laicis pallæ tactum permisisse, quem sacratis Deo feminis legimus vetitum. Sed hic Regulæ locus non de altaris palla sacrata quæ dominico corpori immediate supponitur, qua etiam aliquando obtegebatur, quamque ideo * corporale vocabant, intelligitur; sed de linteo seu velamine quo sternitur et operitur altare, cujus olim pars ante altaris faciem dependebat, qua pueri manum obvolvere facillimum erat, dicebaturque palla a palliando, eo quod altare cooperiret. Hæc pallæ expositio con-

* In S. Aredii testamento, tom. II Analect., *pallas corporales* legimus.

firmatur tum ex libro Mirac. S. Remacli episcopi, n. 14 (*Sæc.* II *Ben.*) : « Pallam qua prædicta materfamilias altare texerat sustulit; » tum ex Statutis Lanfranci (*Cap.* 18) : « Qua oblatione a sacerdote suscepta, involvant prædicti parentes manus pueri in palla qua altare coopertum est, et cujus pars anterior pendet ; » tum ex libro Usuum Cisterciensium (*Cap.* 114) : « Pallam altaris super quam extenditur corporale in vase ad hoc deputato separatim lavans. » Neque enim extenditur corporale, nisi super altaris mappam. Suffragantur versiones Gallicæ, quæ pallam exponunt, *la nappe de l'autel ;* et Nicolaus de Fractura : « In palla altaris, id est in **786** illa tubalea, vel mappa sacrata, quæ semper est super altare. » Atque ita intellexisse existimo Bernardum Cassinensem, cum dixit : « Puto ego secundum litteram intelligi debere de palla quæ est in altari, et ita vidi etiam de facto servari ; » et Richardus : « Credo quod pars superior altaris vocetur palla, sicut sumitur de Consecratione, dist. 1, c. *Altaris palla.* » At vero Boherius in primo comment. usum monasterii sui ita explicat : « Apud nos facta receptione in capitulo, per parentes vel amicos puer offertur ad altare, et super ipsum genibus flexum, et capite inclinatum, duo fratres imponunt pallam, seu pallium quod ante altare dependet. » Sed ab his omnibus discrepat Hildemarus, qui pallam interpretatur de mappula illa cum qua puer oblationem offert : « Non enim, inquit, dicit in illo panno altaris involvi qui sacratus est, id est qui super altare ponitur, sed de illo panno cum quo nos offerimus, quem nos mappulam vocamus, et hoc altaris pannus est, quia ipsum officium altaris per hoc agitur. »

Et sic offerant eum.] Idque ex decreto concilii Aquisgranensis, can. 36 : « Tempore oblationis, et petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, quam tempore intelligibili ipse puer confirmet. » Sed juvat hic integrum oblationis ritum ex Hildemaro describere : « Ita faciendum est. Debet, si pater est vivus, dicere pater; si autem mortuus est, dicere mater; nam alius propinquus non debet. Id est : Promitto ego ille coram Deo et sanctis ejus, pro filio meo, de stabilitate sua, et conversione morum suorum, atque obedientiam habendam. Et debet habere petitionem scriptam, et promissionem in manu pro filio suo, verbi gratia, cum lectum fuerit Evangelium, quando debent offerre, antequam incipiant offertorium, debet ponere in dextra manu filii sui oblatam cum mappula, in sinistra autem amulam vini. Deinde debet illum pater ante se tenere infantem, et debet involvere manum filii sui in illa mappula cum qua offert ; quia de ipsa mappula dicitur palla altaris, non de altaris panno sacrato. Deinde debet tenere manu sua manum filii involutam in illa mappula, et petitionem qua firmat filium suum in illo monasterio; et debent adesse testes. Tunc abbas interrogare illum isto modo : Quid petis, frater? Ille debet respondere dicens : Volo tradere filium meum Deo omnipotenti, ad serviendum sibi in hoc monasterio, quia præcepit Dominus in lege filiis Israel, ut offerrent filios suos Deo : et propterea ego volo hunc filium meum similiter Deo offerre. Deinde debet dicere abbas testibus : Auditis, fratres, et videtis quid iste dicit? Isti debent dicere : Audimus et videmus. Tunc debet ille pater ante se filium suum ducere ad illum locum ubi homines offerre consueverunt. Deinde debet presbyter tollere oblatam et amulam de manu infantis, tentam in manu patris; et abbas debet recipere infantem, et tollere petitionem, ita tamen ut pater illam petitionem super altare ponat, eo quod abbas illam petitionem desuper altare debet tollere, quia sic in capitulo quinquagesimo octavo : Desuper altare ponat ; et alibi : Non reddat illam petitionem, quam desuper **787** altare tulerit. Verumtamen melius est, si potest fieri, ut abbas cantet missam, ut ille accipiat etiam illa oblata, et vinum. Ideo præcepit B. Benedictus cum oblatione offerri, ut per hoc, quod foris ostenditur, significetur hoc quod geritur : id est sicut oblatio efficitur holocaustum Domino, ita etiam ille infans holocaustum Domino efficiatur, etc. » *Vide* Lanfranci Statuta, c. 18; Udalricum, lib. III, c. 8, et lib. V de Antiq. monach. Ritibus, cap. 5.

De rebus autem suis, aut in præsenti petitione promittant sub jurejurando, quia nunquam per se, nunquam per suffectam personam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi.] « Multis enim modis, ut ait Bernardus Cassinensis, potest aliquis invenire occasiones, ut pote si forte rogarent aliquem ut puerum oblatum suum faceret hæredem ; vel si eum alicui substituerent instituto, et diversis aliis modis, quos malitiosi homines adinvenire noverint. » Quanam vero ratione hanc promissionem facere debeant parentes, ita exprimit Hildemarus : Pater, « quando offert filium suum, tunc debet dicere : Sancti, promitto per viventem in sæcula quia nunquam do illi hæreditatem suam, aut aliquid quidquam ; sed exhæredo illum ab omni mea hæreditate, ut exhæres sit in perpetuum, ita ut per nullum ingenium possit quærere hæreditatem meam pro successione sua. » Aliquid hujusmodi videre est in formulis petitionis apud Smaragdum et alios a nobis supra citatos. Sed Boherius in primo comment., « hoc, inquit, apud nos non servatur, » forte ex aliquo apostolicæ sedis privilegio, quo monachis potestas facta fuerit parentum hæreditatis participes fore : cujusmodi legimus olim concessum ab Innocentio IV monasterio S. Theoderici prope Remos in Hist. ms. ejusdem monasterii ad annum 1247, et ab eodem, et a Nicolao monachis S. Germani a Pratis in hunc modum : « Auctoritate vobis præsentium indulgemus ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, quæ personas fratrum qui, e sæculo fugientes, in monasterio vestro habitum religionis assumunt, ibique se vinculo professionis adstringunt, contigissent ratione successionis, vel alio justo titulo in eodem sæculo permanendo, percipere, petere ac retinere libere, exceptis rebus feudalibus, valeatis. »

Vel certe si hoc facere noluerint, etc.] « Hoc est, inquit Hildemarus, si eum exhæredare de rebus suis noluerint, sed voluerint ejus portionem offerre in monasterium, tunc offerant ejus portionem cum ipso infantulo. Debet enim isto modo fieri, id est si voluerint offerre ejus portionem in monasterium, tunc debet etiam dicere, quando offert filium suum : Offero etiam ejus portionem pro mercede animæ meæ in hoc monasterium, ut dum ego adjunxero ejus portionem, usufructuarium habeam; post meum vero discessum, tunc veniat ejus hæreditas in hoc monasterium, aut certe aliquid plusquam portionem suam. » Hujusce donationis mentionem faciebant in formula petitionis, **788** sub finem, quam una cum manu pueri in palla altaris involvebant, juxta antiquum morem, quo nonnunquam legimus oblationes Deo factas in palla seu pallio altaris involutas fuisse, ut videre est in Vita S. Virgilii episcopi Salzburgensis, n. 16 (*Sæc.* III *Ben.*, *part.* II), ubi Gunterius comes « per pallium altaris Virgilio episcopo ipsam ecclesiam cum omnibus quæ in antea perdonavit » tradidisse dicitur. Ad hunc vero locum spectat quod scribit Regula Magistri, cap. 91, ubi parentibus primum suadet ut filii sui portionem totam erogent pauperibus juxta præceptum Domini; aut si noluerint, eamdem saltem portionem in tres dividant partes æquales, quarum una manu abbatis egenis distribuatur, altera parentibus vel fratribus ejus remaneat, tertia in commune monasterii commodum cedat.

Atque ita omnia obstruantur, ut nulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire possit, quod absit, quod experimento didicimus.] In quem locum Smaragdus : « Viderat enim ille tali occasione de monasterio juvenes foras exire, et pro terrenis rebus servitium Dei relinquere, sæculumque diligere,

et ideo ait, quod experimento didicimus; quod si tunc raro fiebat, nunc vero factum nos frequentissime esse cognoscimus. »

Porro ex hoc Regulæ loco recte omnino concludit noster Menardus, oblatos hoc modo in monasteriis infantes ita monachatui fuisse astrictos, ut resilire et ad sæculum redire postmodum, etiam cum ad pubertatis annos pervenissent, eis integrum non foret. Utquid enim exhæredare filios, idque cum solemni juramento nunquam se aliquid eis daturos, si venientibus ad pubertatis annos liberum fuisset excutere jugum vitæ monasticæ? Injusta prorsus exhæredatio, et irreligiosum juramentum. Deinde si ad sæculum reverti licitum fuisset, cur ita obstruenda essent omnia, ut nulla suspicio seu occasio remaneret puero, per quam deceptus perire posset? an ideo periturus esset, quod illud vitæ genus repudiasset, ad quod sectandum nullo prorsus vinculo fuisset constrictus? quam ad sæculum tuta conscientia regredi poterat. Hæc autem ex Regula S. Benedicti illatio confirmatur ex oblationis sive petitionis formula, in qua parentes omnem filio ad sæculum redeundi libertatem tollunt, tradentes eum « regulariter permansurum, ita ut ab hac die non liceat illi collum de sub jugo excutere Regulæ, sed magis ejusdem Regulæ fideliter se cognoscat instituta debere servare, et Domino cum cæteris gratanti animo militare, » uti habetur in formulis Smaragdi, Udalrici, et aliis; sive « ut persistat omnibus diebus vitæ suæ, et fiat monachus usque ad mortem suam, » ut legitur in formula S. Ceciliæ Albiensis: unde etiam pro filio promittebant stabilitatem, conversionem morum et obedientiam, secundum Regulam S. Benedicti. Confirmatur etiam ex Regula S. Isidori (*Cap.* 4), in qua legimus: « Quicunque a parentibus propriis in monasterio fuerit delegatus, noverit se ibi permansurum. » Quem locum reperies in excerptis Egberti Eboracensis episcopi, n. 92 (*Apud Spel., tom.* I *Conc. Angl.*).

789 Idem patet ex conciliis. Concilium Toletanum IV (*Can.* 49): « Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit: quidquid horum fuerit alligatum, tenebit. Proin de his ad mundum reverti intercludimus, et omnem ad sæculum interdicimus ingressum. » Et infra (*Can.* 55): « Quicunque ex sæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt se, et rursus prævaricantes laici effecti sunt, comprehensi ab episcopo suo ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, revocentur. Quod si aliqui per pœnitentiam irrevocabiles sunt, nec admoniti revertentur, vere ut apostatæ coram Ecclesia anathematis sententia condemnentur. Non aliter et hi qui detonsi a parentibus fuerunt, aut sponte sua amissis parentibus seipsos religioni devoverunt, et postea habitum sæcularem sumpserunt, etc. » Concilium Wormatiense (*Can.* 22): « Si pater, vel mater, filium filiamque intra septa monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderit disciplina, non liceat eis postquam ad annos pubertatis pervenerint egredi, et matrimonio copulari. Hoc ergo omnibus devitandum est, quia nefas est ut oblatis Deo a parentibus filiis voluptatis frena laxentur. Igitur, ut prædiximus, non liceat eis susceptum habitum unquam dimittere, sed convicti quod tonsuram aut religiosam vestem aliquando habuerint, in religionis cultu habituque, velint, nolint, permanere cogantur. » Concilium Triburiense (*Can.* 6): « Quem progenitores ad monasterium tradiderunt, et in ecclesia cœpit canere et legere, nec uxorem ducere, nec monasterium deserere poterit; sed si discesserit, reducatur; si tonsuram dimiserit, rursus tondeatur; uxorem si usurpaverit, dimittere compellatur. » His accedit Gregorii papæ II ad S. Bonifacium Germanorum apostolum, qui summum pontificem hac de re consuluerat, responsum, cujus verba expressit concilium Wormatiense a nobis supra relatum; hinc Lambertus quidam apud Gratianum, qui invitus inter octavum et decimum annum a patre cuculla indutus fuerat, nec multo post ab episcopo etiam invitus habitum monachicum acceperat, postea reclamans a Nicolao I pontifice absolvitur et dispensatur, non quia minori ætate veste monastica indutus postea reclamavit, sed quia invitum pater cuculla induisset, nec manum ejus palla altaris involvisset, nulla ab abbate benedictione percepta.

Sed et S. Bernardus ad Robertum nepotem, qui delectionis suæ a Cisterciensibus ad Cluniacenses inter alias rationes hanc afferebat, quod Cluniacensi cœnobio a parentibus oblatus fuerat, scribens ita respondet (*Epist.* 1): « Quanquam dubium non sit promissum illum fuisse, non donatum; nec enim petitio quam Regula præcipit pro eo facta fuit a parentibus, nec manus illius cum ipsa petitione involuta palla altaris, ut sic offerretur coram testibus. » Si ergo ita oblatus fuisset, rata omnino exstitisset ejus oblatio. Et alibi (*Epist.* 324) docet Thomam in monasterio S. Bertini olim oblatum prohibendum non esse quominus a Bertinianis transiret ad Claravallenses, non quia non ligaret ejus oblatio, sed quia « votum parentum integrum manet, et oblatio eorum non est exinanita, sed cumulata. »

790 Atque ita Aldricus puer in Centulensi monasterio a parentibus oblatus legitur apud antiquum auctorem, lib. I Mir. S. Richarii abbatis, num. 14 (*Sæc.* II *Ben.*): « Ea conditione vel tenore, ne in reliquo ab hac professione retro pedem vertere voluisset. » Ita Aldricum alterum in Ferrariensi cœnobio (*Sæc.* IV *Ben.*), « Deo perpetuo serviturum » parentes ejus obtulerunt, uti testatur anonymus in ipsius Vita, num. 4. Factam tamen oblationem *tempore intelligibili* puer ipse confirmare debebat, ex decreto 36 concilii Aquisgranensis, Statutis Lanfranci, et ex Udalrico, non ut novam sibi induceret obligationem, sed ut inductam se ratam habere et acceptare probaretur.

Quæ hactenus a nobis dicta sunt adeo clara sunt et perspicua, ut vel cæcus ea digito tangat, omnique oporteat rationis lumine destitui, qui hæc non adverterit, adeo ut mirum sit aut potius stupendum, quosdam per multiplices alienarum violentarumque glossarum invectiones in oppositum sensum illa detorquere: qui tamen nulla sive rationis, sive auctoritatis fundamento suam sententiam stabilire possunt. Quis enim neget potestatem filios in monasterio perpetuo mansuros offerendi penes parentes fuisse? Qui possunt dare, qui possunt vendere, servitutis jugo subjicere, possunt utique suavissimo Christi jugo submittere, et Deo consecrare: qui propria voluntate Christianæ religioni astringere per baptismum potuerunt, potuerunt et vitæ monasticæ. At, inquiunt, hæc praxis fons est, causa et origo damnationis plurimorum, qui invite in monasteriis detenti, in deterius ruunt. Multo æquius dixissent, Hæc praxis fons exstitit, causa et origo salvationis plurimorum, et plane multo plurium, qui in sæculo mundi corruptelæ participantes æternam damnationis pœnam incurrissent. Deinde quis credat eos qui vitæ monasticæ onus leve ferre nequeunt, in sæculo meliores et salvandos fore? Utquid enim exire de monasterio volunt? ut Christi fiant discipuli, an sæculi? Plane ut sæculi, ut vanis ejus serviant pompis, perfruantur deliciis, gaudeant divitiis, efferantur honoribus. Cum his vero quis salvabitur? Qui se negat in Christi schola salvari posse, salvabitur in schola diaboli?

Sed econtra non sine fundamento asserere possemus, hanc ad sæculum redeundi facultatem, iis qui ad discretionis annos pervenerunt positam fuisse in ruinam multorum, quibus ipsa sæculi repetendi potestas, tanquam tentationum fomes, sola reversionis, ac consequenter perditionis exstitit occasio. Quam potestatem si non habuissent, nusquam de sæculo repetendo cogitassent, sed necessitatem ipsam convertentes in virtutem, in Dei servitio religiose

et humiliter perseverassent, sæculum solo nomine A cognoscentes.

Nonnulla opponunt jura, sed vel falsa, vel saltem dubia, vel solos adultos tangunt non infantes, vel tandem nova sunt. Novo enim jure infantibus a parentibus oblatis, cum ad annos discretionis pervenerint, permittitur oblationem confirmare parentum, aut ad sæculum remeare: hanc eis licentiam fecit Clemens III, cap. *Cum virum*, de Regularibus,
791 et Cœlestinus III, cap. *Cum simus*, eodem titulo, idque propter abusum nonnullorum qui non tam devotionis quam sublevandæ familiæ gratia, si quos gibbosos, deformes, aut sæculo ineptos habebant filios, hos in monasteria intrudebant, id quod non solum ipsis pueris, sed etiam in disciplinæ regularis ruinam vergebat. Unde nonnulli abbates, etiam antea, pueros in monasteriis haudquaquam recipere volebant. Qua de re S. Udalricus in præfatione ad Consuetudines Cluniacenses (*Spicil. tom.* IV), quam Willelmo Hirsaugiensi abbati nuncupat; eumdem B laudat quod lege lata providisset ne pueri in monasterio admitterentur, « ut opus sit, inquit, præfatis sæcularibus alium sibi nidum providere, ubi reponant pullos suos abortivos velut exhæredatos. »

De qua re, addit paulo post, sentiat quisque quod voluerit; ego certus sum illam te radicem funditus exstirpasse, ex qua sola præcipue omnia sunt monasteria destructa, quæ destructa sunt vel in Teutonica, vel in Romana lingua. » Idem quoque animadverterat Guigo Carthusiæ Majoris prior quintus, uti ipse testatur in Statutis (*Cap.* 27): « Pueros sive adolescentulos non recipimus, quia per eos monasteriis multa contigisse dolemus, et magna spiritualia simul et corporalia pericula formidantes. » Unde etiam Petrus Damiani ad Cassinenses scribens (*Opusc.* 36, *cap.* 16): « Inter cæteros, inquit, virtutum flores quos in illo agro pleno, cui benedixit Dominus, reperi, fateor, hoc mihi non mediocriter placuit, quod ibi scholas puerorum, qui sæpe rigorem sanctitatis enervant, non inveni; sed omnes aut senes, C cum quibus utique nobilis vir sedebat in portis ecclesiæ, aut juvenili vivendi decore lætantes. » Verum longe benignius in pueros affectus fuit S. Anselmus, qui conquerenti cuidam abbati quod indociles sustineret, respondit id non tam ex prava puerorum indole, quam ex mala præpositorum institutione oriri, ut testatur Eadmerus in lib. I de ejus Vita (*Misc. Baluz.*, *tom.* IV). Anselmi sententiam confirmare possent ea quæ de mira puerorum simplicitate, pietate et sanctimonia, leguntur in Vita S. Stephani abbatis Obazinensis, lib. II. Cæterum ut periculis quæ ex mala puerorum indole possent contingere obviaretur, non quoslibet indifferenter in monasteriis admittebant, sed probatos (saltem in aliquibus monasteriis) per annum non secus ac adultos; id quod probat concilii Aurelianensis V decretum, can. 19: « Quæcunque puellæ seu propria voluntate monasterium appetunt, seu a parentibus offeruntur, annum in ea qua intrant veste permaneant. » Eadem haud dubium lex imposita erat pueris, qui in ipsa obla- D tione veste induebantur monastica. Deinde non pro libito quoscunque abbas vellet recipiebat, sed quos fratres probassent; horum enim consilium et con- A sensum postulasse patet ex Vita S. Willibaldi a sanctimoniali scripta, in cujus num. 5 Willibaldus quinquennis abbati Egbalt oblatus dicitur (*Sæc.* III *Ben.*, *part.* II), « statimque ille abbas monasterii secundum regularis vitæ disciplinam declarabat ista suæ congregationis, sicque, ut cum eorum consilio sive licentia hoc foret, ille flagitabat, cui protinus illa conventio fratrum simulque responsum seu licentiam dabant, 792 suæ voluntatis arbitrio hæc omnia fas fore dicebant, etc. »

Quæ hactenus de oblatione infantum dicta sunt, monent me ut motam aliquando brevi resolvam quæstionem de viduis pupillos habentibus, et tamen sæculo renuntiare desiderantibus, quomodo filiorum educationi et saluti, quæ ad eos singulariter ex jure pertinet, providerent.

Quia solos in sæculo relinquere nimis periculosum foret, et alioquin de jus omne in filios olim obtinebant parentes: qui speciali Spiritus sancti vocatione sæculi vanitatem abjicere, et Christi humilitatem in B monasteriis sectari cupiebant, filios suos una secum offerebant Deo servituros, quorum saluti et educationi hac ratione abunde sufficiebant. Cui probando præsto est Vita S. Rictrudis abbatissæ Marcianensis, cap. 11, sæc. II Bened.

Similiter autem et pauperiores.] Id est minus divites; nam, ut notant hic commentatores, tria hominum genera distinguit hoc capite S. Benedictus: divitum, quos nobiles vocat; mediocrium, quos pauperiores; et omnino pauperum, qui ex toto nihil habent.

Faciant.] Sicut supra dictum est de nobilibus, filium suum exhæredando, aut portionem ejus qualemcunque facta solemniter donatione monasterio conferendo.

Qui vero ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant.] Nulla donatione aut exhæredatione facta.

C *Et cum oblatione offerant filium suum.*] Cum oblatione, id est, cum incruento sacrificio missæ, vel cum pane et vino ad illud offerendis ex dictis superius. Unde merito redarguas Caramuelem, qui in tam claro textu tenebras objiciens, particulam *cum* hic stare pro particula *pro* asserit, ita ut hunc sensum referat: « Simpliciter petitionem faciant, et cum oblatione et pro oblatione offerant filium suum, » quasi ipse filius sit oblatio. « Et sic debere textum exponi, inquit, clarum est, quia quam oblationem possent Deo dare, qui supponuntur non modo esse pauperes, sed et nihil omnino habere? » Verum aliam oblationem ab eis S. Benedictus non exigit.

Coram testibus.] « Forte duobus vel tribus, » inquit Richardus de S. Angelo; et quidem laicis ex concilio Aquisgranensi, can. 36, ne forte suspectum sit in re propria monachorum testimonium. Ita etiam S. Basilius (*Regul. fus. cap.* 15, *et apud Rufin. cap.* 7): « Oportet tamen infantes voluntate et consensu D parentum, imo ab ipsis parentibus oblatos, sub testimonio plurimorum suscipi, ut omnis occasio maledicti gratia excludatur hominum pessimorum. » Quod tam de nobilibus quam de pauperibus intelligendum esse usus comprobavit.

CAPUT XL.

De sacerdotibus qui forte voluerint in monasterio habitare.

793 Si quis de ordine sacerdotum in monasterio se suscipi rogaverit, non quidem ei citius assentiatur: tamen si omnino perstiterit in hac supplicatione, sciat se omnem regulæ disciplinam servaturum, nec aliquid ei relaxabitur, ut sit sicut scriptum est: *Amice, ad quid venisti* (*Matth.* XXVI)? Concedatur ei tamen post abbatem stare, et benedicere, aut missas tenere, si tamen jusserit ei abbas: sin alias,

nullatenus aliqua [a] præsumat, sciens se disciplinæ A regulari subditum, et magis humilitatis exempla omnibus det.

Et si forte ordinationis aut alicujus rei causa fuerit in monasterio, illum locum attendat, quando ingressus est in monasterium, non illum qui ei pro reverentia sacerdotii concessus est. Clericorum autem si quis [b] eodem desiderio monasterio sociari voluerit, loco mediocri collocetur. Et ipse tamen si promittit de observatione regulæ vel propria stabilitate [c].

[a] Deest *aliqua* apud Hild.

[b] Quidam mss. reliqua in plural efferunt, *si qui*, etc.

[c] Flor., *propriam stabilitatem*.

COMMENTARIUS.

Si quis de ordine sacerdotum.] « Sacerdotis nomen, inquit Hildemarus, ad episcopum seu presbyterum attinet atque diaconum, sicut ipse inferius dicit. » Sed Rupertus de solis episcopis hunc locum interpretatur (*Lib.* III *in Reg. S. B.*) : quod confirmat codex mss. monasterii S. Hadriani Gerardi montis, cujus caput præsens inscribitur *De episcopis qui in monasterio habitare voluerint*. Et certe sacerdos proprie de episcopo dicitur. Econtra vero S. Hildegardis non de episcopis, sed de solis presbyteris S. Benedictum intelligit; sic enim illa : « Sacerdos intelligendus est ille qui aut præpositurae, aut archipresbyteratui, aut parochiæ præerat, qui etiam propter eamdem prælationem animam suam vix ad subjectionem coercere poterit; non autem episcopus, qui indecens 794 esset quod princeps animarum populi, qui et magister abbatis exstitit, abbati subjiceretur; sed hic si converti voluerit, solus sit in pœnitentia absque subjectione magisterii. » At tam de episcopis quam presbyteris textum hunc intelligendum esse docet ac probat antiqua monasteriorum nostrorum praxis; nam, ut scribit Petrus Venerabilis (*Lib.* II, *epist.* 11), « solebant clerici diversorum ordinum, canonici diversarum professionum, et ipsa Ecclesiæ cacumina, episcopi dico, pontificalem dignitatem pro abjecta monachorum vilitate commutare, et de summis ecclesiasticorum honorum gradibus, ad humilem se hujus propositi ordinem inclinare. » Cui exemplo esse possunt S. Arnulfus Metensis, S. Claudius Bisuntinus, SS. Wulframnus et Amatus Senonenses, S. Hidulfus Trevirensis, Leydradus Lugdunensis, Adalbertus Bohemorum apostolus, Leo Ravennensis, Petrus Damiani Ostiensis, Brunus Signiensis, et alii quamplurimi, qui dimissis pontificalibus insignibus, humilem in claustro monachorum habitum gestare non dubitarunt.

In monasterio se suscipi rogaverit.] Acute observat Haeftenus S. P. Benedictum non, ut superius, dixisse *converti voluerit*, sed *se suscipi rogaverit;* quia censentur clerici jam a sæculo conversi, cum clericalem statum arripiunt : quod probat ex concilio Cabillonensi, c. 5, quo prohibetur, « ne sæculares, qui nondum sunt ad clericatum conversi, res parochiarum debeant habere commissas. »

Non quidem ei citius assentiatur.] Quem in locum Bernardus Cassinensis : « Istud *citius* potest esse comparativum ad illud quod in 58 cap. dictum est, videlicet *non ei facilis tribuatur ingressus :* ac si diceret S. Benedictus, non assentiatur facilius quam laico, in ingressu, imo sicut ille probatur, probetur et iste. » Imo amplius. Idem habet Boherius. Quanam vero ratione probandus, explicat Grimlaicus in solitariorum Regula, cap. 18, his verbis : « Sed ne forte quis simulata mente ad hoc propositum venire pertentet, primitus duriter probandus est : quod ita demum facile dignoscitur, si omnem laborem corporis qui ei injungitur æquanimiter ferat, et ad austeriorem vitam libenter inclinetur; vel si delictum aliquis suum, cum interrogatus fuerit, nequaquam pronuntiare confunditur, et medelam delicti, quæ ei adhibita fuerit, gaudenter assumat; et si ad omnem humilitatem absque verecundia inclinatur, ac vilioribus et abjectioribus artificiis, si ita ratio poposcerit, tradi se non erubuerit. Cum autem his atque aliis exercitiis probatus fuerit, si stabilis et prompto animo perstiterit, tunc eum suscipi decet. » Quæ verba ex S. Basilii Regula a Rufino translata, cap. 6, de omnibus generatim dicta, ille presbyteris singulatim adaptat.

B *Tamen si omnino perstiterit in hac petitione sua, sciat se omnem regulæ disciplinam servaturum.*] « Dignum est enim ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam, » ut ait Alexander III (*In Decretal.*, *c.* Recolentes). Hic autem Hildemarus observat vocem *disciplinam* varias habere acceptiones 795; sed hoc loco præcipue sumi a nonnullis pro flagello, ab aliis pro Regulæ observatione, quæ acceptio posterior aliis quibuscunque præferenda est : « Regulæ disciplinam, inquit Smaragdus, dicit regularem in omnibus doctrinam, et eruditionis sanctæ præcepta : disciplina enim a discendo nomen accepit; quidquid enim in schola regulari sancta discitur, non incongrue disciplina vocatur. Eruditio enim regularis disciplinæ in præceptis ejusdem Regulæ, et in castigationibus et increpationibus, et in variis judiciis constat, in quibus qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » Eodem fere modo loquuntur Bernardus Cassinensis et Boherius; et hunc esse Regulæ sensum verba sequentia clare demonstrant.

C *Nec aliquid ei relaxabitur.*] « Quia, ut ait Hildemarus, per omnes gradus debet probari velut laicus, et etiam plusquam laicus. Nam tres sunt gradus quibus probari debent novitii : id est unus ad portam monasterii per quatuor aut quinque dies : deinde secundus in hospitio paucis diebus, id est duobus mensibus : tertius in cella novitiorum per decem menses. » Similiter Bernardus Cassinensis intelligit nihil esse relaxandum *de gradibus probationis*, quos totidem recenset. Ita etiam Turrecremata et Matthæus Lambertus. At Menardus noster S. Benedictum interpretatur *non de novitiatu*, sed de observatione Regulæ. Rectius quidem, meo judicio, Richardus de S. Angelo, et Boherius in primo comm. de utroque, ut nihil relaxandum sit *de observatione regulæ, vel de gradibus probationis*. Atque ita « cum clericus aliquis ad S. Pachomium, ut monachis ascriberetur, accedebat, ordini quidem ejus deferebatur reverentia, quemadmodum divina lex præscribit nobis : D quantum vero ad observationem canonis fratres obligantis, præstabat illam æque ac cæteri, » ut habent acta S. Pachomii, n. 18.

Ut sit sicut scriptum est : Amice, ad quid venisti?] Subaudiendum est, hoc age, quibus verbis se ipse excitare solebat S. Bernardus, qui, referente Guillelmo abbate (*Lib.* I *de ejus Vita*, *c.* 4), « hoc semper in corde, frequenter etiam in ore habebat : Bernarde, Bernarde, ad quid venisti? » Et S. Arsenius : « Arseni, propter quid existi? » Observat autem hic Hildemarus hæc Christi Domini ad proditorem discipulum verba duobus modis sumi posse; nam « alii dicunt quia dolentis vox est, quasi dolenter dixisset Dominus : Amice, ad quid venisti? id est ad quod scelus dilapsus es? Venisti discipulus tradere magistrum, servus Dominum, creatura Creatorem, et dum esses apostolus, effectus es traditor. Sunt iterum alii qui intelligunt *Amice, ad quid venisti?* subaudiendum est *fac*, id est non venisti osculum dare,

sed tradere, quasi diceret : Ad quod venisti fac, id est trade, et imple quod spopondisti. Et secundum hunc sensum S. Benedictus in hoc loco illud intellexit : Amice, ad quod venisti fac, id est, non venisti imperare, sed imperari; servire, non serviri; subesse, non præesse. » Ita etiam Bernardus Cassinensis et Boherius.

Concedatur ei tamen post abbatem stare.] « Ac proinde **796** ante præpositum, et decanos, si non sint sacerdotes, » inquit Menardus, quanquam Bernardus Cassinensis *post abbatem stare* exponat, stare tantum « in aliquo superiori loco cum senioribus, ut apud Cassinum, inquit, in tertia vigilia ; » idque ob honorem sacerdotii. Si tamen talis fuerit ejus vita, quæ talem mereatur prælationem ; nam si propter crimen aliquod pœnitentiæ causa confugerit ad monasterium, non ita præponendus est aliis, sed ordinis sui loco humiliter debet esse contentus, ut loquitur Smaragdus. Communis autem monasteriorum praxis apud nos est, ut sacerdotes novitii omnes etiam professos non sacerdotes præcedant, quoad illi sacerdotii gradum adipiscantur : sed apud Cassinenses et Fulienses sacerdotes novitii reliquis tantum novitiis non sacerdotibus præponuntur. *Vide* locum supracitatum ex Vita S. Pachomii.

Benedicere,] scilicet cibum et potum in refectorio, vel ad lectiones in ecclesia, ut exponunt commentatores.

Aut missas tenere.] Observavimus supra missam plures habere acceptiones. Hic vero sumitur pro incruento Christi sacrificio : et sic *missas tenere* ex commentatoribus et Gallicis versionibus idem est ac missas celebrare, idque ordine suo, ut exponit Theobaldus Artaldus. Est etiam qui Gallice reddit, *faire dire des messes*. Insuper missas tenere est eis interesse, easque audire, ut clarum est ex concilio Agathensi, can. 47 : « Missas die dominico sæcularibus totas tenere speciali ordine præcipimus. »

Si tamen ei jusserit abbas.] Ubi Hildemarus : « In eo quod dicit, *si jusserit abbas*, manifestatur quia per probationem vitæ debet jubere. »

Sin alias, nullatenus aliqua præsumat.] Ex prædictis, « scilicet de stando inter seniores post abbatem, de benedictionibus dandis, de missis celebrandis : ab istis enim abstinebit, et humiliorem locum tenebit, » inquit Bernardus Cassinensis. Et certe hæc olim apud Cluniacenses consuetudo vigebat, ut sacerdotibus novitiis non statim concederetur sacrificium offerre, imo nec statim post professionem, testante Udalrico, l. II, c. 28, ubi agens de novitiorum habitatione triduo post vota emissa, inter alia hæc habet : Abbas « de his tamen qui sunt sacerdotes et levitæ, diligenter examinat quomodo sint ordinati, qualis sit eorum scientia, qualis conscientia, et per aliquod tempus probat eorum conversationem, antequam eis hujus ministerii licentiam permittat : præcipue qui sacerdos erat antequam veniret, omnino ab officio prohibetur, usque dum sæpius prospiciens addiscat quam multiplici studio tale sacramentum tractetur a nobis. » Idem habent Divionenses S. Benigni Consuetudines mss., c. 31. Idem etiam obtinuisse apud Cistercienses colligimus ex lib. Antiq. definit. (*Dist.* 4, *cap.* 1), in quo sic lego : « Si vero doctores in theologia, vel aliæ reverendæ personæ ad ordinem se transtulerint, et fuerint sacerdotes, de consilio abbatis loci illius tempore probationis poterunt celebrare. » Unde **797** merito licet inferre alios, qui doctores non erant, haudquaquam celebrasse. Cassinenses etiam inhibent (*Declar. Cassin.*, *c.* 60) « plerumque præfatis sacerdotibus celebrationem missarum ad tempus, ut ex hoc eorum humilitas comprobetur, et ut eam etiam melius addiscant. Et tunc, inquiunt, ipsi communicent cum clericis. » Neque vero id mirum videri debet, cum nec sacerdotes professi missas quotidie cantarent, ut demonstravimus in lib. II de Antiquis monach. Rit., c. 6. Sane Clemens ex regali Anglorum prosapia, Fiscanensis primum, deinde Divionensis monachus, « in tantum se abjectum et vilem asscrebat, ut cum sacerdotii gradu fungeretur, nunquam in omni vita sua nisi semel ad hoc ministerium accedere præsumpsit, » ut docet chronographus S. Benigni.

Sciens se disciplinæ regulari subditum.] « Hic omnem ei materiam aufert præsumptionis, cum ei ad memoriam reducit statum suæ subjectionis, » inquit Bernardus Cassinensis.

Et magis exempla humilitatis omnibus det.] In quem locum Richardus de S. Angelo : « Littera ista potest exponi duobus modis : 1° ut sit sensus, ut iste plus ostendatur humilis quam alius monachus; 2° ut sit sensus, si abbas jusserit ei ut celebret, vel ut sedeat post ipsum, ipse magis ostendatur humilis. »

Si forte ordinationis, aut alicujus rei causa fuerit in monasterio, illum locum attendat quando ingressus est monasterium, etc.] Hunc locum varie exponunt commentatores : 1° Hildemarus S. Benedictum ita intelligit : « Si forte fuerit dignus ut decanus, aut præpositus fiat, aut consiliator, aut certe alicujus utilitatis, cum tali humilitate et subjectione debet abbati consilium dare, aut certe agere hoc quod illi injunctum fuerit, cum quali humilitate et reverentia seu subjectione locutus fuerat, quando in monasterium ingressus est. » Ita etiam Turrecremata. 2° Smaragdus, et Petrus Diaconus seipsos ita explicant : « Quod vero dicit : *Si forte ordinationis*, aut quia sacerdos est ordinatus, aut quia ordinationis ministerium, id est ut aliquid ordinaret potestatem accepit ab abbate in monasterio. *Aut alicujus rei causa*, subauditur, fuerit exaltatus in monasterio; illum locum attendat, etc. 3° Boherius, relata utraque expositione, tertiam addit in primo commentario his verbis : « Vel intendit quod, præterquam in præmissis, debet semper servare ordines suos, ut tempus conversionis discernit, ut si aliqua ardua sunt in monasterio ordinanda, et abbas petat consilium fratribus, non primus respondeat, non primus loquatur ; » et in secundo commentario : « Hoc etiam est dicere, quod licet sacerdos honoretur in sedibus, benedictionibus et missis, in aliis tamen tractatibus et officiis tenere debet locum sui ingressus. » 4° S. Hildegardis illud *si vero ordinationis*, etc., ita exponit : « Si aut in obedientiis, aut in officiis magisteriorum, seu in negotiis exteriorum, aliqua ibi per consilia tractanda sunt, illum locum attendat quando ingressus est in monasterium, videlicet locum, id est propositum conversationis, humilitatis et subjectionis, quæ bonum et **798** altum gradum sibi acquirit, etc. Denique Theobaldus Artaldus *locum illum attendat*, etc., sic interpretatur, ut attenta meditatione consideret quem locum obtinere deberet, si ingressus sui in monasterium ratio haberetur, ut inde humilietur; non illum qui pro sacerdotii reverentia concessus, ut non extollatur.

Clericorum etiam si quis eodem desiderio monasterio sociari voluerit.] Etsi Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii præscribat ut « Nulli permittatur clerico in monasterio habitare, nisi ei tantummodo quem lapsus peccati ad humilitatem deduxit, et est vulneratus, ut in monasterio humilitatis medicina sanetur; » eos tamen in monasteriis admittendos et admissos fuisse ex hoc Regulæ testimonio evidenter probat Lupus Ferrariensis epist. 129, eosque non solum criminosos, sed etiam pios ac probos, ut pote quibus prælationis gradum, et altaris ministerium criminosis indebitum permittit. Idem constat ex Regula S. Pachomii supra citata. Eadem quoque exstitit mens concilii Toletani IV, cum hoc edidit statutum (*Can.* 49) : « Clericis qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos ab episcopo in monasterio largiri oportet ingressus. » Simile reperitur decretum in concilio Augustano, anno 952. Eodem etiam respexit Paschalis papa II ad Joannem priorem de Vateriis scribens in hæc verba (*Miscel. Baluz. tom.* II) : « Laicos sane sive clericos sæculariter viventes ad conversionem suscipere, nullius episcopi vel præpo-

siti contradictio vos inhibeat; » et Innocentius IV in A litteris ad abbatem et monachos monasterii S. Theoderici anno 1244 datis (*Ms. Hist. S. Theoder.*): « Liceat quoque vobis clericos, et laicos liberos, et absolutos, e sæculo fugientes ad conversionem recipere, ac eos absque contradictione aliqua retinere. » In concilio quoque Aquisgranensi constituitur (*Can.* 42), « ut nullus plebeius, seu clericus sæcularis, in monasterio ad habitandum recipiatur, nisi voluerit fieri monachus. » *Vide* S. Gregorium, lib. x, epist. 59, ad Desiderium in Gallia episcopum, qui cum Pancratium clericum olim suum, postea monachum factum, in ecclesiam, cui mancipatus fuerat, revocare vellet, ut ne id tentaret, admonitus a Gregorio est. *Vide* etiam Petri Venerabilis lib. ii, epist. 50, ad Attonem Trecensem episcopum, quem ad implendum vitæ monasticæ votum exhortatur; et S. Anselmi lib. ii, epist. 12, et lib. iii, epist. 15.

Loco mediocri collocetur.] « Si mediocrem ejus vitam cognoverint; nam si talis fuerit ut etiam juxta abbatem stet, aut debet collocari, collocetur. Similiter si talis fuerit, in ultimo stet, » inquit Hildemarus.

Et ipse tamen si promittit de observatione regulæ, vel propria stabilitate.] « Id est postquam probati fuerint, et professionis emiserint votum; nec enim antea sunt nisi cum novitiis et sub magistro novitiorum, » inquit Bernardus Cassinensis. Hujusmodi autem promissio fieri debet et verbo et scripto, sicut ab aliis. Atque ita S. Ursmarus (*Sæc.* iii *Ben., part.* i) in Laubiensi monasterio Erminonem **799** presbyterum recipiens, « secundum morem ibidem degentium fecit spondere observare regulam, et obedientiam exhibere majoribus, » quemadmodum auctor est Anso in Vita S. Erminonis, n. 4.

CAPUT LXI.

De monachis peregrinis, qualiter suscipiantur.

Si quis monachus peregrinus de longinquis provinciis supervenerit, si pro hospite voluerit habitare in monasterio, et contentus fuerit consuetudine loci quam invenerit, et non forte superfluitate sua perturbat monasterium, sed simpliciter contentus est quod invenerit, suscipiatur quanto tempore cupit. Si qua sane rationabiliter et cum humilitate charitatis reprehendit aut ostendit, tractet abbas prudenter; ne forte eum pro hoc ipso Dominus direxerit.

Si vero postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas: et maxime, quia tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignosci. Quod si superfluus aut vitiosus [a] inventus fuerit tempore hospitalitatis, non solum non debet sociari corpori monasterii, verum etiam dicatur ei honeste ut discedat, ne ejus miseria etiam [b] alii vitientur. Quod si C B non fuerit talis qui mereatur projici, non solum si petierit, suscipiatur congregationi sociandus, verum etiam suadeatur ut stet, ut ejus exemplo alii erudiantur: quia in omni loco uni Domino servitur et uni Regi militatur.

Quem etiam si talem esse perspexerit abbas, liceat eum in superiore aliquantulum [c] constituere loco. Non solum autem monachum, sed etiam de suprascriptis gradibus sacerdotum vel clericorum stabilire potest abbas in majori quam ingreditur [d] loco, si eorum talem perspexerit esse vitam. Caveat autem abbas ne aliquando de alio noto monasterio monachum ad habitandum suscipiat, sine consensu abbatis ejus, aut litteris commendatitiis: quia scriptum est: *Quod tibi non vis fieri, alteri* [e] *ne feceris* (*Tob.* iv).

[a] Deest in Concord. *aut vitiosus.*
[b] Narb., *miseri vitio.*
[c] Al., *aliquantum.*
[d] Al., *ingrediuntur.*
[e] Al., *alio.*

COMMENTARIUS.

800 *Si quis monachus peregrinus de longinquis provinciis supervenerit, si pro hospite voluerit in monasterio habitare, et contentus fuerit consuetudine loci quam invenerit.*] Solebant enim veteres monachi hospitem monachum post duos tresve dies ad communem congregationis vivendi rationem redigere. Nitrienses permittebant (*Pall., Laus. cap.* 7), « una hebdomada manere in otio; aliis autem diebus deinceps occupabant eum in operibus, aut in pistrino, aut in coquina. Quod si quispiam fuisset cujus habenda esset ratio, dabant ei librum legendum, non permittentes ei ut cum ullo colloqueretur usque ad horam sextam. » In Regula tamen S. Pachomio ab D angelo tradita præscriptum lego (*In ejus Vita, apud Boll.*, 14 *Maii*), ut « peregrinus alterius monasterii, si veniret habens habitum diversum, nullus cum eo comederet, excepto eo qui iter agens id observare non posset. »

Et non forte superfluitate sua perturbat monasterium.] Hildemarus superfluitatem intelligit in cibo, aut potu, vel in aliquo opere; Bernardus Cassinensis in cibo potu, somno, lecto et labore; « dicunt enim, inquit, isti superflui: Ego non possum comedere istas fabas, ista cicera, istas lenticulas, istud antiquum oleum, istud mucidum caseum, ista ova putrida, istos pisces corruptos. Istud vinum desipit mihi; iste est panis canum, non hominum. Tales superfluitates monasterium perturbant, quia inde scandalizantur fratres, et nonnulli minus perfecti horum verborum corrumpuntur exemplis. » Bernardum suo more exscribit Boherius.

Suscipiatur quanto tempore cupit.] « Id est uno vel duobus annis, » inquit Hildemarus. Atque ita in monte Nitriæ (*Pall., Laus. cap.* 7), « prope ecclesiam positum erat xenodochium in quo venientem hospitem toto tempore accipiebant, etiamsi biennium aut triennium voluisset manere, donec vellet sua sponte discedere. » Et S. Basilius interrogatus (*In Regul. a Rufin. translata*): « Si dicat quis, Volo apud vos parum aliquid temporis facere ut proficiam ex vobis, si oportet eum suscipi, » respondet: « Concedi quidem ei convenit ingressum, propter incertos exitus rerum. Interdum enim potest fieri ut per tempus proficiat, et delectetur sanctitate vitæ, et permaneat in cœptis, sicut et frequenter factum scimus. Sed et ut manifesta fiat veritas institutionum nostrarum, de quibus forsitan homines aliter opinantur. Oportet tamen circa eum cautius agi et diligentius, ut sive in veritate permaneat, vel proficiat, sive institutionum nostrarum veritas exploretur, probabilis inveniatur et pura. Ita namque Deo placebimus, et ille aut proficiet, si verax est; aut, si simulator est, erubescet. » Ea de causa scribit Anonymus **801** in Vita S. Philiberti (*Sæc.* ii *Ben.*), quod « alii abbates sua propria monasteria relinquerent, vel monachos probatissimos ad eum dirigerent, ut cum eo longo tempore demorantes, discerent ejus vitam, vel conver-

sationem, ut in suis propriis recte prodesse deberent. » Cassinenses quoque monachi in epist. ad Alemannos hæc testantur (*Analect. tom.* IV) : « Plerique nostræ consuetudinis nostræque conversationis cupidi, de suis, quem cognoscunt ingenii, unum hoc transmittunt, quo non solum auditu, verum etiam ipso visu, pro quibus mittitur, perspiciat; eoque modo quasi unus ex nobis hic quidam per integrum annum, quidam etiam diutius manent. Tandem omnibus perspectis ad sua certus cum gaudio redit. » Ne tamen inde monasteria gravarentur nimis, in litteris G. Mosomensis et A. Marchianensis abbatum ad abbates S. Theoderici (*Ms. Histor. S. Theod.*) et S. Crispini Suessionensis, quibus eos suæ provinciæ visitatores constituunt, inter alia generalis capituli statuta, quorum eis maxime commendant observationem, istud est : « Ut nullus hospes detineatur ultra annum, nisi de abbatis et conventus ad quos missus fuerit, processerit voluntate, vel visitatoribus visum fuerit expedire. »

Si qua sane rationabiliter, et cum humilitate charitatis reprehendit aut ostendit.] Idque verbo aut exemplo, sive de servitio Dei, sive de Regulæ observationibus, sive de præceptis Domini custodiendis. Ubi notat Boherius triplicem esse reprehensionem : imperiosam, quæ fit imperio potestatis, quæ solum majoribus conceditur; temerariam, quæ malo fit animo, et socialem, quæ minoribus conceditur, quæ sine acerbitate, devoto et reverenti animo fieri debet, de qua hic S. Benedictus.

Tractet prudenter abbas.] « Apud se, et cum aliis qui hospitis conversationem noverunt et verba, » inquit Bernardus Cassinensis.

Ne forte cum propter hoc ipsum Dominus direxerit.] Ad hujus Regulæ praxim referri debent ea quæ scribit Hildemarus in cap. 63, sub finem : « De hospitibus monachis ita in Francia agitur. Si est familiaris monachus, in dormitorio monachorum dormit, et in claustra cum aliis monachis legit, et in refectorio manducat, et mane et ad seram ad capitulum venit fratrum. Si iste talis videt negligentiam, debet admonere ut emendetur. Si vero novus hospes fuerit, tantum ad capitulum venit fratrum, causa ædificationis ex lectionis traditione, et ducitur in refectorium fratrum ad manducandum : dormire vero foris debet in dormitorio hospitum monachorum. Nam prima vice cum venit iste novus, ducit eum prior per tota officina * monasterii dicens : Frater, ubi negligentiam forte vidisti, charitatis amore deprecamur ut dicas, quatenus emendemus. »

Si vero postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas.] Ad quem locum Smaragdus : « Quomodo firmet stabilitatem suam, sive in corde tantum, sive in corde simul et verbo, hic aperte non dicit; sed **802** ut datur intelligi, sicut ille novitius promittit de stabilitate sua coram Deo et sanctis ejus, ut si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat quem irridet : ita et iste, quamvis non promittat, quia jam promissum habet, firmet tamen stabilitatem suam corde, similiter et verbo coram Deo, et sanctis ejus, et idoneis testibus, ne mereatur accipere damnationem pro multa sua et illicita vagatione. » Formulam autem confirmandæ stabilitatis habemus apud Hildemarum his verbis conceptam : « Ego N., veniens de longinquis provinciis in hoc monasterium, quia placuit mihi conversatio fratrum istius loci, et illis placuit mea conversatio; ideo stabilitatem meam in hoc monasterio per hanc scripturam manu mea scriptam perpetuum confirmo. » Addit Hildemarus : « Si autem nescierit litteras, debet rogare alium qui scribat, et debet dicere inferius : Manu mea pro majore firmitate subscripsi. Hoc vero notandum, quia non debet nominare monasterium unde fuit. » Sed Bernardus Cassinensis ad hunc locum scribens : « Puto ego, inquit, quod promittendo obedientiam abbati loci istius, maxime si in alio monasterio fuit professus, satis potest ejus stabilitas esse firmata; nec est apud nos consuetudo aliter stabilitatem firmare. » Idem habet Nicolaus de Fractura.

Maxime quia tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignosci.] Ad probationem monachorum peregrinorum, aliud a tempore hospitalitatis spatium, quod Boherius vult esse annuale, non indicit S. P. Benedictus. Ex quo datur intelligi, statim ut stabilitatem in monasterio firmare rogaverint, congregationis corpori esse sociandos. Et certe Regula Magistri (*Cap.* 89) duorum duntaxat mensium inducias hujusmodi monachis jam conversis ad tractandum instituit, quibus expletis, stabilitatem firmare permittit. De Cisterciensibus hæc reperio in libro Institutionum (*Dist.* 2, *c.* 3) : « Monachus alterius ordinis professus secundum Regulam S. Benedicti in aliquo ordinis nostri monasterio receptus, si benedictus non est, in cella noviciorum sit per annum, et eodem ordine quo novitius benedicatur. Si autem benedictus fuerit, statim detur ei cuculla, et completis ad minus antea quatuor mensibus, postea ad nutum abbatis in capitulo petitionem faciat de professione facienda, et in ecclesia sicut novitius monachus professionem suam legens, super altare offerat, nihil amplius faciens. »

Dicatur ei honeste ut discedat.] Admiranda prorsus S. legislatoris indulgentia, qui etiam superfluum et vitiosum, non cum dedecore, ut meretur, sed honeste vult dimitti : id quod hoc modo fieri debere tradit Hildemarus : Debet illi dici : « Optabamus, frater, te meliorem esse, sed nunc quia tui mores cum nostris non conveniunt, nec nostri cum tuis, ideo tolle quod tibi in via sufficiat, et vade. » Alioquin : « Si isti admitterentur in congregatione, illam retributionem redderent quam juxta vulgare proverbium, mus in pera, serpens in gremio, ignis in sinu, suis consueverunt hospitibus exhibere, » ut loquitur Richardus de S. Angelo.

803 *Verum etiam suadeatur ut stet.*] Dicendo ei, juxta Smaragdum : « Sta, frater, nobiscum immobilis in hoc monasterio, ut tuo bono alii erudiantur exemplo; non enim opus est Deum in alio quærere loco, qui ubique est et totus. Ipsi enim Domino et nos in hoc loco servimus, et ipsi Regi militamus; unus enim Dominus est in omni loco, cui a servis suis quotidie servitur, et unus Rex regum, cui a militibus suis semper et in omni loco militatur; et ideo non est tibi opus alium quærere locum, ubi melius servias Domino, quia hic bene laborando, Dominoque bene serviendo, cœlorum poteris conquirere regnum. » Neque hoc vacat exemplis apud antiquos; nam Zosimam monachum Dei monitu monasterium quod juxta Jordanem erat ingressum, abbas ut ibidem remaneret hortatus est his verbis (*In Vita S. Mar. Ægyp., lib.* I *de Vitis Patr.*) : « Quia Christi charitas te videre nostram paupertatem invitavit, commane nobiscum, si pro hoc ad nos te adjungere festinasti. Simul omnes nos satiabit Christi Dei gratia, idemque pastor bonus, qui tradidit animam suam pro nostra redemptione, vocavitque oves suas nominatim. » Quæ cum ille perorasset, Zosimas faciem humi inclinavit, orantesque pariter. celebrata oratione, dixerunt, *Amen*; sicque remansit.

Ut ejus exemplo alii erudiantur : quia in omni loco uni Domino servitur, etc.] Duplicem S. Pater subjungit rationem cur peregrinus monachus sit retinendus : unam, quæ monasterium respicit, ut ejus exemplo alii erudiantur; alteram, quæ peregrinum monachum, quia in omni loco Domino servitur, et uni Regi militatur; « ne forte enim prioris sui monasterii memor, remordente, ut assolet, conscientia, incipiat denuo de rupta stabilitate causari, » inquit

* Forte legendum *officia*, quæ vox significare poterit loca implendis officiis destinata. Sic Plinio juniori *officium prætoris* est prætorium. EDIT.

S. Bernardus (*De Præc. et di p.*, *c.* 16), generalem super hujuscemodi scrupulo consolatoriam profert sententiam, dicens : *Ubique enim uni Deo servitur, et uni Regi militatur.* »

Quem etiam si talem esse perspexerit abbas, liceat eum in superiore aliquantulum constituere loco.] Atque ita Guillelmum Luciacensem monachum in Cluniacensi monasterio S. Majolus (*Bolland.*, 1 *Januar.*) « promovit honorifice cum consilio fratrum, » teste Glabro Rodulfo in Vita S. Guillelmi. Ita in Virdunensi S. Vitoni monasterio S. Popponem (*Bolland.*, 25 *Januar.*) « in sublimiori quam fuerat loco » promovit Richardus abbas. Ita Petrum Abaelardum in Cluniacensi stabilitate firmata, ad altiorem gradum Petrus Venerabilis extulit, ut ipse docet ad Eloysam scribens. Ex hoc tamen loco Haeftenus recte infert (*Lib.* IV, *tract.* 2, *disq.* 5) communi jure peregrinum hunc monachum ultimo collocandum loco. Et certe in Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii, hæc lego (*Cap.* 13) : « Ille vero monachus quantos fratres in alio monasterio invenerit, tantos se noverit habere priores; nec attendendum est qui fuit antea, sed probandum est qualis esse cœperit. »

Caveat autem abbas ne aliquando de alio noto monasterio monachum ad habitandum suscipiat **804** *sine consensu abbatis ejus*, etc.] Hæc fuit antiqua et constans priscorum monachorum praxis, conciliorum, summorum pontificum, monasticarumque regularum decretis confirmata. Concilium Agathense, cui præfuit S. Cæsarius Arelatensis episcopus, ita habet (*Can.* 27) : « Monachum nisi abbatis sui aut permissu, aut voluntate, ad alterum monasterium commigrantem, nullus abbas aut suscipere aut retinere præsumat. » Quæ verba desumpta sunt ex Regula tertia SS. Patrum, cap. 14. Concilium Augustodunense, sub S. Leodegario (*Can.* 10) : « Statuimus ut nullus monachum alterius absque permissu sui abbatis præsumat retinere. » Concilium Anglicanum a Theodoro Cantuariensi episcopo anno 673 congregatum, can. 4 : « Ut ipsi monachi non migrent de loco ad locum, hoc est de monasterio ad monasterium, nisi per dimissionem proprii abbatis, sed in ea permaneant obedientia quam tempore suæ conversionis promiserunt. » Hic locus citatur in excerptis Egberti Eboracensis episcopi, cap. 66, circa quem notandum in quibusdam Bedæ exemplaribus legi : *Ut episcopi monachi*, etc. ; unde si episcopis monachis non licuit, multo minus aliis. Septima synodus : « Non oportet monachum vel monacham proprium relinquere monasterium, et ad aliud se conferre. Si autem hoc contigerit, ipsum ut hospitem accipi est necessarium ; sed eum recipere sine mente monasterii perfecti non convenit. » S. Gregorius papa ad Anthemium Subdiaconum scribens (*Lib.* I, *epist.* 40) : « Neque monacho ulterius de monasterio in monasterium liceat migrare, neque eorum aliquando peculiare quidquam habere permittas. Sed si quilibet hoc præsumpserit, in monasterio in quo ab initio conversatus est, et sub abbatis sui regula de qua fugerat, cum competenti coercitione reddatur. » Capitula selecta ex antiqua canonum collectione sæculo circiter VIII in Hibernia facta (*Spicil. tom.* II, *pag.* 28) : Illos vero monachos quorum abbatem de mensa sanctorum propter infamiam non arcemus, non debemus illo nolente suscipere; quanto magis venientes de sanctis abbatibus et nullo alio modo suspectis! » S. Basilius (*Constit. monast.*, *c.* 31) : « Oportet autem spiritualium congregationum præceptores, mutuam inter se benevolentiam colentes, et curam sui vicissim gerentes, non alios aliorum conatus ac studia demoliri, neque temere et sine judicio deficientes alterius congregationis fratres suscipere; hoc enim ad omnimodam spiritualis ædificii confusionem, dissolutionem, imo et destructionem vergit. »

Neque vero hoc sine causa a SS. Patribus tam pie et salubriter institutum est. Una ex præcipuis fuit,

A ut pax et concordia in monasteriis salva et integra permaneret; unde S. Benedictus ait : *Quia scriptum est, Quod tibi fieri non vis, alteri non feceris.* Hanc rationem affert Regula SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii et alterius Macarii, in qua sic lego (*Cap.* 13) : « Nec tacendum est qualiter inter se monasteria pacem firmam obtineant. Non licebit de alio monasterio, sine voluntate ejus qui præest Patris, fratres recipere; sed nec videre oportet, dicente Apostolo, *Quia qui primam fidem irritam fecit, est infideli* **805** *deterior*. Quod si precatus fuerit ab eo qui præest patre ut in alio monasterio ingrediatur, commendetur ab eo ei qui præest, ubi esse desiderat, et sic suscipiatur. Nam sine voluntate, qui præesse debet in monasterio, Patris, nullatenus alibi recipiatur frater. Quod si præsumpserit talia facere, noverit se in synodo episcoporum, aut in conventu fratrum suorum in audientiam venire, et tunc recedet tanquam junior suus, donec ab eo cui
B injuriam fecit veniam petat, ut non per ipsius vitium alii despiciantur Patres. » Eamdem rationem etiam adducit Regula S. Ferreoli (*Cap.* 6) : « Hinc enim, inquit, plerumque non tantum inter abbates, sed etiam inter monasteria lites insanabiles oriuntur, dum unus nititur defendere quem suscepit, alter revocare quem perdidit : et ad extremum nisi reddatur illi petitori petitus, et isti restauratio recepti placaverit injuriam acceptam, fit ut non secundum B. Apostolum vincant in bono malum, sed utrique mali vincantur uno malo. Attamen nec illud prætereundum censuimus, ut si forte alterius loci, ut supra dixi, monachus sive clericus scripta abbatis, vel episcopi sui deferat, in queis manifeste probetur non propter vitia cavendus, sed propter charitatem Dei missus, ipse tantum socius fieri congregationis obtineat. » Et S. Bernardus (*De Præc. et disp.*, *c.* 16) : B. Benedictus « de vicino prohibet, quod jubet de peregrino, ne vicinitas inter monasteria fomes scandali, rixæ materia sit, si alterutrum recipere
C monachos acquieverint absque mutuo duntaxat assensu. » Eadem denique de causa Cistercienses in libro Institutionum hoc ediderunt statutum (*Dist.* 10, *c.* 3) : « Pacis charitatisque gratia statuimus ut nullum de ordine Carthusiensium sine eorum licentia recipiamus, nec ipsi de nostris sine nostro assensu ullum recipiant. Si vero aliqui de nostris ad ordinem Prædicatorum, vel Fratrum Minorum, vel ad aliam quamcunque religionem transierint, pro fugitivis habeantur. » Quamvis hoc Cisterciensium statutum videatur de solis intelligendum fugitivis aut ejectis, quibus postea pœnitentibus ex Guigonis Statutis, cap. 77, datur licentia *ad aliquam aliam religiosam eundi domum, in qua suam possint animam salvam facere;* neque enim verosimile est ut in tam sanctis ordinibus fratres, proprio derelicto professionis proposito, in quo omnia ad salutem æternam secure sibi procurandam abunde sufficiebant, pro libitu ad alias religiones transiisse; saltem aliquod
D ea de re desideraremus exemplum.

Alteram rationem profert S. Basilius his verbis (*Const. monast.*, *c.* 34) : « Si ignavior viderit sibi liberum esse ut semel electæ congregationis labores fugiat, et ad aliam fratrum mansionem divertat, vivatque absque ulla custodia, pro ingenii sui licentia facile avellitur a contubernio fratrum, et perditionis ipsius reus erit, qui illum prompte suscipit; et malum hoc si progrediatur, plerumque et recte ambulantes a recta et justa via seducit, atque ita omnium perditio in eum cumulate recidit, qui hujusmodi lapsibus causas dedit. Proinde ne hoc accidat, deficientes fratres vel admoneamus, et ad eos a quibus defecerunt reducamus; aut si **806** nolint obtemperare, caveamus et aversemur, recusemusque convictum illorum, ideoque fratribus omnibus denuntiemus, ut tali aversione castigati, ad suam ipsorum causam redeant, et sub eo grege in quem primum collecti sunt pascantur, aut si ipsi spiritalem socie-

tatem pertinaciter contempserint, reliqui saltem animadvertentes quam isti habeantur abominabiles, ipsorum exemplo admoniti, nolint imitari, quorum turpitudinem abhorreant. »

Tertiam addere possumus rationem, ut nimirum ex dimissoriis litteris seu commendatitiis veri a fugitivis apostatisque monachis discernantur, de quibus Regula monastica communis S. Fructuosi (*Cap.* 20) : « Cum aliquis per vitium dilapsus fuerit a monasterio, in aliud non recipiatur cœnobium, neque in humanitatis charitatem, neque in pacis osculum ; sed continuo vinctis post tergum manibus abbati reducatur proprio. »

Porro commendatitiæ illæ litteræ quas etiam dimissorias appellare placuit, duplicis erant generis : aliæ speciales, quæ speciali ac singulari alicui abbati mittebantur ; generales alteræ, quæ cunctis et universis abbatibus aut episcopis inscribebantur. Utrarumque formulas, quas nonnulli des derare possent, accipe.

Ex Hildemaro, et ex Farfensis, et Romani S. Pauli monasteriorum Consuetudinibus mss.

Ego humilis abbas. Noverit dilectio tua quia suggessit iste frater nomine Joannes, vel Paulus, nobis, ut illi licentiam daremus vobiscum habitandi. Nos autem quia te cognovimus regularem ordinem tenere, assensum illi præbuimus vobiscum habitandi. Nunc autem illum tibi commendo, ut illum ita tractes sicuti ego, et pro illo Deo rationem reddas sicut ego.

Ex Bernardo Cassinensi et Boherio.

Venerabili Pat i talis monasterii abbati N. talis monasterii abbas salu em in osculo sancto.

Cum monasterium nostrum sit diversis oppressionibus et paupertate gravatum, paternitatem vestram rogamus, quatenus fratrem nostrum in monasterio vestro ad habitandum suscipiatis, quem nos per has commendatitias seu dimissorias litteras vestræ jurisdictioni et obedientiæ commendamus. *Vel sic.* Eum d mittimus ab obedientia nostra sub obedientia vestra Domino serviturum.

Ex Richardo de S. Angelo.

Reverendo in Christo Patri. Vel, Religioso et honeste viro. Aut, Venerabili viro tali abbati talis abbas in Domino salutem.

Noscat sancta fraternitas vestra, vel benignitas vestra, aut sanctitas, quod religiosus vir frater talis a nobis cum instantia petiit ut ei commendatitias litteras conscribere dignaremur, quibus vestræ fraternitati, vel sanctitati, aut benignitati commendatus sub tuitione vestri regiminis valeret in monasterio vestro Domino deservire. Cujus voluntati **807** consentientes, secundum canonicam auctoritatem ei has litteras commendatitias concedimus, per quas vobis licentiam elargimur in monasterio vestro ipsum recipere infra unius mensis spatium, alias ex tunc decernimus ipsas litteras non valere ; reddentes ipsum postquam in monasterio vestro receptus fuerit a nostra obedientia absolutum, et ipsi fratri tali ad vestrum monasterium licentiam transeundi, scientes ipsum non pro sua nequitia expulsum fuisse de monasterio nostro, sed quia affectabat non modicum in vestro monasterio Domino f mulari, unde ad futuram rei memoriam, etc.

Litteræ generales ex Hildemaro.

Omnibus episcopis, seu cunctis ord nibus sanctæ Ecclesiæ, nec non cuncto populo fideli.

Notum sit vobis quia ego dedi licentiam isti fratri nostro nomine Joanni, vel Paulo, ut ubi invenerit sibi commodum habitare regularem ordinem ducendo, habeat licentiam habitandi, ad utilitatem suam et monasterii.

Ex Bernardo Cassinensi.

Cum talis frater desideret in alio monasterio mo- rari, ubi, secundum quod sibi videtur, animam suam salvare possit, et Domino famulari ; noveritis nos sibi licentiam dedisse per has dimissorias litteras ad aliud monasterium transeundi.

Præter has generales specialesque litterarum formulas quibus monachis indultum erat ad aliud transire monasterium, erant et aliæ pro abbatibus seu monachis ad fundandum novum monasterium missis, a quibus absoluti ab obedientia sui abbatis futuro monasterii, ad quod mittebantur, abbatii subjiciebantur, ut patet ex Vita S. Germani abbatis Grandivallensis, n. 10 (*Sæc.* II *Ben.*). Harum litterarum formulam ex Hildemaro habes in tomo II Analectorum, p. 81.

Porro quod S. Benedictus commendatitias exigit litteras, hoc tantum venientes ex noto monasterio respicit, non peregrinos, qui, ut observant commentatores, in aliud monasterium stabilitatem sine dimissoriis litteris licite poterant firmare.

Sed quia de monasterii mutatione hic agit S. Benedictus, quam etiam peregrinis monachis suadet, vicinis cum licentia abbatis permittit ; celebris est quæstio an expediat monacho transire ab uno ad aliud monasterium : quam ut clarius resolvam, tribus modis eam proponi posse suppono. Primo enim fieri potest ut ex inordinato aliquo monasterio in quo penitus collapsa ruit disciplina, nec ulla restaurandæ observantiæ spes affulgeat, ad aliud in quo integra atque illibata permaneat, aliquis transeat. Secundo ex ordinato monasterio, in quo tuta conscientia sine ullo salutis periculo versari potest, ad aliud strictioris observantiæ, idque majoris perfectionis intuitu. Tertio ex ordinata et stri ta ad laxiorem observantiam, et hoc cum summi pontificis licentia.

808 In primo casu dico non modo licitam, sed et aliquo modo necessariam esse transmigrationem ad aliud monasterium, in quo religiose et secure vivatur ; nam « si hæc ibidem pro improbitate nimirum atque irreligiositate cohabitantium obtineri forte nequiverint, inquit S. Bernardus (*De Præc. et disp.*, c. 16), duce spiritu libertatis transire indubitanter suadeo ad locum alium, ubi non impediatur homo reddere Deo vota sua, quæ distinxerunt labia sua. Et quidem cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris. » Et alibi (*Epist.* 7) reddens rationem cur ex aliis monasteriis ad suum transeuntes reciperet : « Hac ergo illos ratione suscipimus, quoniam non putamus esse malum si vota labiorum suorum, quæ in locis suis potuerunt quidem promittere, sed nequaquam persolvere Deo, qui ubique est, ubicunque poterunt reddant, et solius stabilitatis damna reliquorum regularium præceptorum integra observatione compensent. » Et infra, adversus eos qui inde in se murmurarent : « Quid molestus es fratri tuo, quoniam satagit quemadmodum quæ processerunt de labiis suis non faciat irrita? Si quæris homo ubi et quomodo persolvat quod pollicitus est Deo, quid tu perdis? Forsassis si aliquantæ pecuniæ tu eum debitorem teneres, circuire cogeres mare et aridam, donec usque ad novissimum quadrantem debitum redderet universum. Quid igitur meruit de te Deus, quoniam non vis ut et ipse a suo quod suum est debitore recipiat? » Idem docet Petrus Venerabilis ad S. Bernardum sic scribens (*Lib* 1, *epist.* 28) : « Scimus non debere aliquem alicujus monachum absque ejus permissione suscipere, quandiu ut verus pater filio, ut bonus pastor ovi propriæ cuncta tam corporis quam animæ necessaria, ea scilicet sine quibus nec anima salvari, nec corpus potest sustentari provideril. Quod si horum aliquid defuerit, licet fratri, etiam invito abbate, locum sibi tam inutilem, imo tam noxium et perniciosum deserere, atque suæ animæ interitum modis omnibus declinare, locumque alium, in quo hoc, quod prius non poterat, implere possit, quærere.... Neque enim voti vel professionis transgressor potest dici monachus, si, loco qui votum implere non sinebat dimisso, ad eum

quo votum persolvere queat, transmigrat, ut cum propheta dicere valeat : *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Arguendus potius esset, et dignus morte judicandus, si tantæ rei dispendium parvi pendens, mortem suam stulta patientia sustineret. Hinc ecclesia Cluniacensis ab apostolica sede concessionem retinet, taliter ad se venientes recipere, quod tamen non ut privatum aut singulare, sed velut omnibus commune et licitum obtinet. Ita quippe venientes non solum illa ecclesia, sed et universa Christi cœnobia suscipere, retinere, atque fovere debent. » Hactenus Petrus Venerabilis, ubi quod dicit indultum suo monasterio a sede apostolica alios monachos ad se venientes recipere, Andreas Quercetanus in notis ad hanc epistolam duplex citat diploma pontificium, unum Alexandri II ad S. Hugonem, et alterum Urbani II. Eodem respexit Gregorius IV in epist. ad episcopos, etc. (*Miscell. Baluz. tom.* II), de dignitate et privilegiis monasterii Floriacensis, anno 834 scripta. His omnibus **809** accedit S. Lanfranci suffragium ad Rodulfum abbatem sic scribentis (*Epist.* 60) : « Si ego Lanfrancus manu propria me de aliquo monasterio non recessurum jurassem, viderem autem quod ibi animam meam salvare non possem, exirem, nec perjurii crimen incurrerem. Qui enim Deo propter Deum alligatur, non solvitur ab ipso, nisi contra ipsum solvatur : porro ab ipso contra ipsum minime solvitur, qui propter amorem ejus, et ut bene sibi complaceat, a filiis discordiæ, superbiæ, diffidentiæ, et, ut aptius dicam, a filiis diaboli migrat ad filios pacis, humilitatis, spei, imo ad filios Dei : qui enim sic transit, nonne plane fugit a sede diaboli ad sedem Dei? etc. » Eadem est doctrina S. Anselmi, l. I, epist. 29.

Secundo, dico majoris perfectionis intuitu posse quidem monachum transire ex ordinato et regulari monasterio ad aliud observantiæ strictioris; sed tamen communiter non expedire, nec temere id aggrediendum, cum hujusmodi desiderium fere semper sit purum cacodæmonis tentamentum. Hæc est sana et constans sanctiorum vitæ monasticæ Patrum doctrina, quam perspicuis et infinitis prope eorum testimoniis licet comprobare. Ita S. Euthymius, cujus hæc ad suos verba refert Cyrillus in ejus Vita (*Bollan.*, 20 *Januar.*) : « Si quis autem hic forte non possit virtutem exercere, ne existimet, si alio transiverit, id cujus studio tenetur, alibi posse facilius et rectius gerere; non enim ex loci natura, sed ex libero animi nostri instituto boni fit operatio. Contra autem hoc est et periculosum monachis, et quod eos potest reddere imbecilles, et virtutum carentes fructibus; nam nec planta quidem potest ferre fructus quæ assidue transplantatur. » Ita apud Cassianum abbas Nesteros (*Collat.* 14, *cap.* 5) : « Unicuique utile atque conveniens est, ut secundum propositum quod elegit, sive gratiam quam accepit, summo studio ac diligentia ad operis arrepti perfectionem pervenire festinet, et aliorum quidem laudans, admiransque virtutes, nequaquam a sua, quam elegit, professione discedat. » Ita S. Anselmus ad Lanzonem monachum, qui talia forte meditabatur, scribens, fuse et eleganter hoc prosequitur argumentum, respondetque omnibus quæ adversus hanc sententiam proferri possent.

At nullum hanc in rem S. Bernardi testimonio luculentius proferri potest : « Sane de religiosis, inquit (*De Præc. et disp.*, *cap.* 26), ac bene ordinatis monasteriis nullus professorum, meo consilio, ne arctioris quidem vitæ desiderio, sine licentia sui senioris egredietur.... Et accipite manifestius in exemplis hujus sententiæ rationem : Forte vult aliquis de Cluniacensibus institutis ad Cisterciensium sese stringere paupertatem, eligens præ illis nimirum consuetudinibus magis regulæ puritatem. Si me consulit, non consulo, si non sane id abbatis sui usurpaverit assensu. Quamobrem? Primo propter scandalum ipsorum quos deserit. Deinde quia certa pro dubiis relinquere certum non est : forsitan enim hoc tenere

A potest, illud non poterit. Tertio suspectam habeo levitatem qua sæpe id quod facile volumus antequam probemus, experti jam nolumus, uno prope momento idipsum et cupientes et respuentes, tam leviter quam et irrationabiliter. Quales utique non paucos frequenter experimur qui **810** una vix hora in una voluntate durantes, aura levitatis impulsi, vagi et instabiles hac et illac velut ebrii nutant, mutantque pro experimento judicium, imo sine judicio fluctuantes et tumultuantes tot de se consilia præsumunt quot loca revisunt, semper quod non habent cupientes, et quod habent fastidientes. » Et alibi ad abbatem S. Nicasii scribens (*Epist.* 32) : « Fratrem Hugonem de Lausanna ore tuo et nostro spiritu commonemus, non omni spiritui credere, et ne cito moveatur certa pro incertis deserere; sciens diabolum soli semper perseverantiæ insidiari, quam solam novit coronari, tutiusque esse in ea vocatione qua vocatus est simpliciter perseverare, quam sub

B specie quasi melioris boni, id quidem, quod jam cœpit dimittere, nec ad id quod præsumit, fortassis sufficere. » Item alibi (*Epist.* 86) ad Guillelmum abbatem S. Theoderici, qui ardentissimo flagrabat desiderio abjiciendi onus pastorale, privatamque in Clarevallensi monasterio vitam agendi : « Tene itaque, meo consilio, quod tenes, mane in quo es, et stude prodesse quibus præes : nec præesse refuge, dum prodesse potes; quia væ quidem tibi, si præes, et non prodes; sed væ gravius si quia præesse metuis, prodesse refugis. » Denique ad abbatem Præmonstratensem (*Epist.* 253) : « Inveni ego in claustris vestris, qui ad verbum prædicationis nostræ compuncti et conversi, ad nos venire disposuerant, cum ecce sollicitantibus vestris, retrahentes pedem recepti et retenti sunt in ordine et habitu vestro. Postmodum vero remordente eos conscientia exire voluerunt, et, ni fallor, exissent, nisi nostro firmarentur, non assensu tantum, sed et hortatu. » Et certe solebat S. doctor ex alienis monasteriis ad se

C venire cupientes monachos repellere, venientes remittere, ut ex hac epistola, et ex 67 et 293 patet. Unde si quosdam aliquando admisit, aut ex non noto monasterio, aut de consensu sui abbatis admisit, aut sane hi pauci sunt recepti, et contra communem agendi sancti viri consuetudinem, et singularibus de causis, quorum admissionem nullus potest in exemplum adducere. Eadem fuit Guillelmi abbatis sententia, licet ipse singulari Dei vocatione ad Cistercienses tandem transmigrarit : nam inter alia ad fratres de Monte Dei hæc scribit (*Cap.* 9) : « Impossibile est hominem fideliter figere in uno animum suum, qui non prius aliquo loco perseveranter affixerit corpus suum. Nam qui per ægritudinem animi migrando de loco ad locum fugere nititur, sic est sicut qui fugit umbram corporis sui : seipsum fugit, seipsum circumfert, locum mutat, non animum : eumdem ubique se invenit, nisi quod deteriorem facit ipsa mobilitas, sicut lædere solet ægrum, qui circumfe-

D rendo concutit eum. » Eodem modo loquitur Petrus Blesensis in epist. 102. Tandem Petrus abbas Cellensis variis comparationibus idem demonstrat (*Lib.* IX, *epist.* 12) : « Ranas et muscas inquietantes penetralia cordis vestri utinam vos abjicere vel potius exterminare brevi admonitione possem! Non ignoro apud Aristotelem dubitare de singulis non esse inutile. Teneo autem apud Hippocratem quod mutationes maximæ generant morbos. Dicit Gregorius quod plantæ quæ sæpe transponuntur radices non mittunt..... In parabola **811** quoque Evangelii dum fatuæ virgines irent emere oleum, clausa est janua. Harum auctoritatum sensus hic est, ne instabiles simus, ne fluctuemus, ne omni vento circumferamur, ne dicamus, Ecce hic Christus, ecce illic. Videte itaque vocationem vestram, et bases, et plantas vestras statuite supra petram; et cum Job dicite : *In nidulo isto moriar, et tanquam palma multiplicabo dies meos.* » Denique in Regula S. Stephani Grandimontensis ex-

stat integrum caput 40, *De viris alterius religionis non recipiendis*, quod ita incipit: « Alterius religionis viros in hac religione recipi omnino prohibemus. » Scio equidem aliquos cum laude ad strictiora monasteria transfugisse: sed ne quis de eorum sibi blandiatur exemplo, scio etiam multo plures ad suam et aliorum confusionem id tentasse. Querebatur olim ea de re S. Bernardus ad Guillelmum abbatem scribens hoc modo (*Apolog. ad Guil.*): « Scio nonnullos de aliis congregationibus et institutionibus ad nostrum ordinem pervolasse, pulsasse, intrasse; qui hoc quidem agendo suis scandala reliquerunt, et nobis nihilominus attulerunt, dum quantum illos sua temeraria discessione, tantum nos turbaverunt sua mi-era conversatione, quoniam superbe spreverunt quod tenebant, et temere præsumpserunt quod non valebant. » *Vide* Haeft. l. iv, tr. 2, disq. 6, et Goffrid. Vindoc. l. iv, epist. 2.

Tertio, his qui ex regulari et ordinata congregatione cum summi pontificis licentia transeunt ad laxiora, responderi forte merito posset quod S. Bernardus Roberto nepoti, qui ex Cisterciensi fam lia ad Cluniacenses se transtulerat (*Epist.* 1): « O insensate puer! quis te fascinavit non solvere vota tua, quæ distinxerunt labia tua? Annon ex ore tuo justificaberis, vel ex ore tuo condemnaberis?.... Quid tibi frustra quispiam blanditur de absolutione apostolica, cujus conscientiam divina ligatam tenet sententia? *Nemo*, inquit, *mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei*.... Tolle occasiones, respue blandimenta, adulationibus claude aures, te interroga de te, quia tu te melius nosti quam alius: attende cor tuum, discute intentionem, consule veritatem, tua tibi conscientia respondeat, cur abieris, cur ordinem tuum, cur fratres, cur locum, cur me, qui et propinquus carne, et propinquior spiritu sum, deserueris. Si ut arctius, si ut rectius, si ut perfectius viveres; securus esto, quia et non retro aspexisti; sed et gloriare cum Apostolo dicens: Quæ retro oblitus, et ad ea quæ ante sunt, extentus, sequor ad palmam gloriæ: sin alias, noli altum sapere, sed time; quoniam (ut cum venia tui dixerim) quidquid tibi amplius indulgens in victu ves itque supe fluo, in verbis otiosis, in vagatione licentiosa et curiosa, quam videlicet promisisti, quam apud nos tenuisti: hoc procul dubio retro aspicere est, prævaricari est, APOSTATARE EST. » Illis etiam posset et istud ejusdem S. Doctoris ad Adam monachum aptari (*Epist.* 7): « Quod et vos quoque non immerito timentes, nec satis de propria causa confidentes, remorsas ac remordentes conscientias apostolica conati estis delinire licentia. O frivolum satis remedium! quod non est aliud, nisi more protoplastorum cauteriatis **812** conscientiis texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum, etc. » Et alibi mentem suam auctoritate S. Gregorii papæ ita explicat (*Epist.* 94): « Quisquis bonum majus subire, inquit, proposuit, bonum minus, quod potuit, sibi illicitum fecit: ad quod probandum subjicit testimonium de Evangelio dicens: *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno cœlorum*. Et infert: Qui igitur fortiori studio intenderat, retrospicere convincitur, si relictis bonis amplioribus, ad minima retorquetur (*S. Greg. Past.*, *part.* III, *cap.* 28). Item ipse in homilia tertia super Ezechielem: Sunt nonnulli qui bona quidem quæ noverunt operantur; atque hæc operantes, meliora deliberant; sed retractantes, meliora quæ deliberaverant, immutant. Et quidem bona agunt, quæ cœperant, sed a melioribus, quæ deliberaverant, succumbunt. Illi nimirum ante humana judicia stare videntur in opere, sed ante omnipotentis Dei oculos ceciderunt in deliberatione. » Denique alibi (*Epist.* 371) loquens de his qui, cum a laxioribus ad strictiora transierint, postmodum ad priorem vivendi rationem redeunt: « Ego, inquit, de me dicam quod sentio. Ego Bernardus, si de bonis ad meliora, vel de periculosis ad securiora voto et opere libere pertransissem; et illicita voluntate ad ea quæ mutavi denuo recurrere præsumpsissem, non solum APOSTATA, verum etiam regno Dei non idoneus fieri pertimescerem. Hoc et B. Gregorius ait: Quisquis, inquit, majus bonum subire proposuit, minus bonum, quod licuit, illicitum fecit: scriptum quippe est: *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei*. Qui ergo fortiori studio intenderat, retrospicere convincitur, si relictis amplioribus bonis ad minora retorquetur. »

CAPUT LXII.

De sacerdotibus monasterii.

Si quis abbas sibi presbyterum vel diaconum [a] ordinari petierit, de suis eligat qui dignus sit sacerdotio fungi. Ordinatus autem, caveat elationem aut superbiam. Nec quidquam præsumat, nisi quod ei ab abbate præcipitur, sciens se multo magis disciplinæ regulari subditum [b]. Nec occasione sacerdotii obliviscatur regulæ obedientiam et disciplinam, sed magis ac magis in Deum proficiat.

Locum vero illum semper attendat, quo ingressus est in monasterio [c], præter officium altaris [d], et si forte electio congregationis et voluntas abbatis pro vitæ merito eum **813** promovere voluerit. Qui tamen regulam a decanis vel præpositis constitutam sibi servare [e] sciat: quod si aliter præsumpserit, non sacerdos, sed rebellio [f] judicetur: et sæpe [g] admonitus si non correxerit, etiam episcopus adhibeatur in testimonium. Quod si nec sic emendaverit, clarescentibus culpis projiciatur de monasterio: si tamen talis fuerit ejus contumacia, ut subdi aut obedire regulæ nolit.

[a] Al., *diaconem*.
[b] Flor., *subdendum*.
[c] Al., *in monasterium*.
[d] Narb., *sacerdotis*.
[e] Al., *servari*. Editi *servandam*.
[f] Oxon. cum editis, *rebellis*.
[g] Narb., *qui sæpe*.

COMMENTARIUS.

Si quis abbas sibi.] *Sibi*, hoc est suo monasterio. Ubi observat Menardus duplici olim nomine sacerdotes ordinatos fuisse: vel pro monasteriis suis, ut ex hoc capite constat; vel pro sæcularibus ecclesiis seu parochiis, ut habetur 16, quæst. 1, cap. *Si quis*, cap. *In parochia tua*, cap. *Cum pro utilitate Ecclesiæ*, cap. *Monachi*, et cap. *Ne pro cujuslibet*. Ad primos spectat nostri Mabillonii observatio, qua docet (*Præf. in sæc.* v *Bened.*, *pag.* 83), « Monachos olim, non (ut modo) sub titulo paupertatis, sed sub monasterii sui fuisse ordinatos. Id quod patet ex concilio Londoniensi anni 971, in quo Eadgarus rex Glastoniensi monasterio certas leges ac prærogativas concedit, atque inter alia: *Sanxit etiam ut quoties abbas loci vel*

monachi aliquos suorum sacris ordinibus initiari decernerent, a quocunque præsulum canonice ordinato, aut in illius sede, aut in eodem Sanctæ Mariæ Glastiginsi monasterio, tam monachos quam clericos, quos idoneos judicarent, ad titulum S. Mariæ ordinari facerent. Et ita quidem sancitum fuerat in concilio Chalcedonensi; sed postmodum hæc disciplina mutata est. Concilii hæc verba sunt in can. 6: *Nullum absolute*, id est sine titulo, *ordinari debere presbyterum aut diaconum, nec quemlibet in gradu ecclesiastico, nisi specialiter in ecclesia civitatis aut pagi, aut in martyrio, aut in monasterio qui ordinandus est pronuntietur.* Contrarium morem induxit Mendicantium (ut conjicimus) exemplum, et instabilitas monachorum. Hujus loci occasione observandum venit id quod in Actis S. Dunstani ad num. 29 notamus, eum primo ordinatum fuisse episcopum sine titulo, ea maxime ratione ut *regali præsentiæ*, propter sua provida consilia *jugiter adesset.* » *Vide* ejusdem S. Dunstani Vitam auctore Osberno, num. 12, sæc. v Benedictino. Secundos respicit id quod scribit sanctus Gregorius papa Mariniano Ravennati episcopo in gratiam monasterii SS. Joannis et Stephani (*Lib.* VII, *epist.* 18): « Ad ecclesiasticum officium nullus exinde producatur, nisi quem abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit. Quisquis autem ex prædicto monasterio ad ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec aliquam **814** potestatem, nec licentiam habeat habitandi. » Econtra vero qui sub titulo monasterii ordinabantur, ei ita alligabantur, ut in eo perpetuo manere cogerentur, ut patet ex eodem S. Gregorio scribente (*Lib.* VII, *epist.* 92) Victori Panormitano episcopo, ut unum in Præcoritano monasterio monachum ordinare debeat sacerdotem, « atque eum nec in ecclesia, nec in loco alio observare, sed illic jugiter permanere ex nostra quoque auctoritate constituat: quatenus et ille dum alibi non fuerit occupatus, in officio suo assiduus possit et utilis inveniri, et congregatio quæ sibi eum postulat ordinari, quoties necesse fuerit, ipso sacrificii solemnitatem veneratione debita celebrante, valeat refoveri. » Hinc S. Fulgentium monasterii sui abbatem, et delitescere cupientem, Felix presbyterum ordinari curavit, « ut abbatis et presbyteri decoratus officio, nec monasterium relinquere, nec in alia posset ecclesia ordinari fortuito. » An vero huc respiciat concilium Londoniense anni 1075, decernens: « Ne aliquis alienum clericum vel monachum, sine commendatoriis litteris ordinet vel retineat? »

Presbyterum vel diaconum ordinari petierit.] Olim monachi non solebant sacris ordinibus initiari, nisi ad petitionem, aut saltem de licentia proprii abbatis, ut patet ex S. Gregorii epistola supra citata ad Marinianum, et insuper ex concilio Agathensi (*Can.* 27): « Si necesse fuerit clericum de monachis ordinari, cum consensu et voluntate abbatis præsumat episcopus. » Oblatus autem ab abbate, nisi obstaret aliud, ab episcopo ordinabatur, ex decreto Gelasii papæ, quod refert Gratianus his verbis (*Dist.* 16, *q.* 1, *c.* Si quis monachus): « Si quis monachus fuerit qui venerabilis vitæ merito sacerdotio dignus videatur, et abbas, sub cujus imperio Regi Christo militat, illum fieri presbyterum petierit, ab episcopo debet eligi, et in loco quo judicaverit ordinari. » Quid autem ab ordinando exigerent episcopi, discimus ex hoc concilii Cloveshoviensis canone (*Apud Spelm., tom.* I *Conc. Angl.*): « Episcopi nullum de clericis seu monachis ad sacrum presbyterii gradum ordinent, nisi prius ejus vitam qualis exstiterit, vel tunc morum probitas ac scientia fidei existat, manifeste perquirant. »

De suis eligat.] Non de externis, ut semper præsto sit ad sacramenta fratribus administranda, nec necesse sit foras egredi ad extraneum sacerdotem perquirendum: neque enim expedit omnino monachis foras prodire; eoque respexit S. Gregorius cum ad petitionem Urbici, abbatis monasterii S. Hermæ, Victori Panormitano episcopo scribit (*Lib.* V, *epist.* 41), ut electum a congregatione, « cujus vita, mors *, et actio, tanto possint ministerio convenire, *sine mora auxiliante Domino* valeat consecrari: quatenus nec ille de monasterio suo hac pro causa egredi, nec extraneum sibi ad peragendum sacrum opus cogatur adducere. » Et certe hujusmodi extraneus deesse posset, et revera aliquando deerat, ut patet ex Rufino, lib. II de Vita Patrum, cap. 11, ubi de sancto Heleno loquens hæc habet: « Alias rursus tempore dominica die venit ad monasterium quoddam fratrum, et cum vidisset eos non agentes **815** solemnitatem diei, causam requirit: cum autem dixissent, pro eo quod presbyter non adesset, qui trans flumen maneret, etc. » Ex his manifestum est quam longe a vero aberrent qui monachos olim in ecclesiis parœchialibus divinis interfuisse mysteriis incunctanter asserunt: quod utut verum sit de eremitis, et forte de aliquibus virginibus Deo sacratis, de cœnobitis nusquam demonstrari poterit. Sane primus eorum Pater S. Pachomius, si quando inter suos sacerdotem monachum non habebat, « ubi ad peragenda sacra mysteria erat necesse, presbyterum e vicinarum ecclesiarum una aliqua evocabat, atque ita ipsis absolvebatur solemnitas, » quemadmodum legimus in ejus Vita, num. 18 (*Bolland.*, 14 *Maii*). Dixi exceptis forte virginibus, quia revera moniales in civitate Anti..i sub Talida abbatissa viventes die dominico gratia communionis progrediebantur in ecclesiam, testante Palladio in Lausiaca, cap. 138.

De suis ergo eligat, non proprio duntaxat motu, sed totius congregationis assensu et consilio: nam talem fuisse monasteriorum praxim colligitur ex S. Gregorii epistola ad Victorem episcopum Panormitanum de ordinando sacerdote in monasterio Præcoritano, in qua sic loquitur (*Lib.* VII, *epist.* 92): « Quia monachorum congregatio quæ in monasterio Præcoritano consistit, pro sacris missarum solemnibus peragendis presbyteri indigere probatur officio, atque de sua sibi congregatione in hoc ordine postulant consecrandum; fraternitatem vestram præsentibus scriptis adhortamur ut quem sibi de congregatione sua unanimes duxerint eligendum, in prædicto monasterio, sine mora vel excusatione aliqua, presbyterum debeat ordinare. » Idem patet ex Vita S. Germani abbatis Grandivallensis, num. 7 (*Sæc.* II *Ben.*), quem « cum cerneret B. Waldebertus virum esse industrium, eum presbyterum fieri jussit; omnisque chorus fratrum in ejus veneratione clamaverunt, dicentes Germanum dignum esse presbyterio. » Item ex Vita S. Sivardi, abbatis Anisolensis (*Sæc.* III *Ben.*), qui « factus est non solum monachus, sed et per electionem fratrum sacerdos. » Et ex Vita V. Benedicti abbatis Clusani, auctore Guillelmo ejus discipulo (*Sæc.* VI *Ben.*), qui « fratribus annuentibus et abbate jubente ad sacerdotium » promotus est: unde et Boherius in primo commentario: « Quanquam abbas scire præsumatur conscientias monachorum, et ei competat jussio in hujusmodi ordinum receptione, consulo tamen quod seniorum utatur consilio; multa enim oculos latent prælati. » Et in secundo: « Hanc autem electionem puto debere fieri ad testimonia fratrum: nam et antiquitus presbyter monasterii Pater monasterii dicebatur, ut hæc electio inter præcipua numeretur. » *Vide* Vitam S. Hugonis Æduensis monachi, num. 6, sæc. V, et Vitam S. Gerardi abbatis Broniensis, num. 9, sæc. etiam V.

Porro ex hoc loco constat, nec S. Benedicti mentem fuisse, nec consuetudinem, ut omnes passim in monasteriis, quemadmodum jam usus invaluit, sacerdotio initiarentur. Si enim omnes promiscue ad sacros ordines fuissent admissi, non necessaria visa esset electio. Et certe **816** in pluribus monasteriis

* Legendum videtur *mores*, ut sensus constet. Edit

aut nulli, aut pauci olim erant sacerdotes. S. Pachomius non patiebatur quemquam ex suis ad clericalem gradum ascendere, ut testatur ejus Vitæ scriptor, cap. 24 (*Apud Rosweid.*). In pluribus aliis monasteriis nonnisi missi ab episcopo presbyteri sacra mysteria celebrabant. In aliis quibusdam pro magno reputabatur unum aut alterum in monasterio esse sacerdotem: hinc S. Epiphanius ad Joannem Hierosolymitanum se excusans quod Paulinianum S. Hieronymi fratrem in monasterio Bethleemitano sacerdotem ordinasset (*Inter epist. S. Hieron. epist.* 60): « Cum vidissem, inquit, quia multitudo sanctorum fratrum in monasterio consisteret, et sancti presbyteri Hieronymus et Vincentius propter verecundiam et humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia, et laborare in hac parte ministerii quæ Christianorum præcipua salus est: invenire autem et comprehendere servum Dei non posses, qui te, eo quod grave onus sacerdotii nollet suscipere, sæpe fugiebat; sed nec alius quis episcoporum facile eum reperiret, etc. » In monte Nitriæ erant quidem octo presbyteri pro omnibus ibi constructis monasteriis; sed tamen ita ut quandiu primus illis ecclesiæ presbyter vixisset, nullus alius offerret, nec judicaret, nec haberet sermonem. Neque id ante S. Benedicti tempora tantum, sed etiam multo post ejus mortem, ut patet ex S. Gregorii papæ epistolis, in quibus discimus defuisse aliquando in monasteriis sacerdotes: id quod nec miramur, cum etiam in ipsis parœchiis aliquando defuisse constet ex l. I, epist. 45 et 51; l. V, epist. 2; l. VII, epist. 77, secundæ indictionis. Denique S. Aurelianus in Regula sua decernit (*Cap.* 46), ut « nullus honorem presbyterii aut diaconatus accipiat, præter abbatem, si voluerit ordinari presbyterum, et unum diaconem et subdiaconem, quos ipse voluerit, et quando voluerit ordinandi habeat potestatem. »

Postea vero sensim et sine sensu ita accrevit in cœnobiis sacerdotum numerus, ut ineunte sæculo IX jam plures sacris essent initiati. In Centulensi monasterio sub S. Angilberto abbate, qui anno 814 vivere desiit, ex trecentis monachis triginta duo, ut minimum, erant presbyteri, sicuti constat ex ejusdem scripto ab Hariulfo in Chronico Centulensi relato (*Spicil. tom.* IV), quo mandat « ut nulla dies prætereat absque sacrarum missarum decantatione: videlicet ut, si non plus, vel triginta a fratribus diversorum chororum per diversa altaria missæ quotidie agantur, exceptis illis duabus de conventu, quæ mane et meridie solemnissime celebrantur. » Non multo post sub Salomone abbate S. Galli: « Fuerunt simul in nostro monasterio presbyteri 42, diaconi 24, subdiaconi 15, pueri 20, » inquit Ekkehardus Junior in libro de Casibus S. Galli, cap. 1 (*Spicil. tom.* IV). In litteris monachorum S. Remigii Rhemensis, quibus circa annum 838 societatem ineunt cum Dionysianis, exstat fratrum monasterii S. Dionysii in Francia catalogus in quo ex monachis centum viginti tribus recensetur unus episcopus, presbyteri triginta tres, diaconi septemdecim, subdiaconi viginti quatuor, acolyti septem. Ex triginta monachis monasterii Croylandensis quos anno 870 **817** Normannorum rabiem fugisse scribit Ingulfus (*Hist. Croyl.*), decem erant sacerdotes. In Chronico Piscariensi anno 1047 electioni abbatis Dominici ex triginta duobus undeviginti sacerdotes, unus diaconus, reliqui monachi subscribunt (*Spicil. tom.* V). Denique in subscriptionibus venditionis cujusdam terræ a monachis Laudunensibus S. Joannis monasterio S. Theoderici factæ anno 1184 (*Histor. ms. S. Theod.*) ex quatuordecim monachis octo presbyteri, tres diaconi et tres subdiaconi recitantur. Tandem Clemens V in concilio Viennensi *ad ampliationem cultus divini* statuit « quod monachi quilibet ad monitionem sui abbatis se *faciant ad omnes ordines sacros*, excusatione cessante legitima, promoveri. »

Qui dignus sit sacerdotio fungi.] Hanc dignitatem seu sacerdotii meritum in tribus potissimum constituit Alexander III in concilio Lateranensi, cap. 3, ubi sic loquitur: « In cunctis sacris ordinibus et ecclesiasticis ministeriis ætatis maturitas, gravitas morum, et litterarum scientia inquirenda est. » Id quod summo studio observari rogabant monachi Fuldenses in libello supplici ad Carolum Magnum, postulantes (*Num.* 2) ut « illi ad sacrum ordinem eligantur qui eruditi sunt verbo et sancta conversatione probati, et nec fures, nec scelerati, et qui sacerdotii juris penitus sunt ignari. » Ad ætatem vero quod spectat, exstat Petri Venerabilis statutum (*Statut.* 43), « ut nullus nostrorum ad sacerdotium promoveatur, usque ad triginta vel saltem viginti quinque annos. »

Optabit fortean aliquis antiquum rescire ordinem quo majores nostri suos ad sacerdotii gradum promoverent. Rem ex antiquissimo Regulæ commentatore discere est operæ pretium. Ut ergo abbas aliquis unum ex suis sacerdotali honore vellet insignire, eum cui frater ille peccata confiteri soleret conveniens, suam ei de promovendo illo monacho ad sacerdotium voluntatem aperiebat, consiliumque ejus rogabat: poterat enim latens aliquod in illo existere impedimentum abbati ipsi ignotum. Cumque ab eo abbas responsum accepisset, aliquam prætendebat occasionem qua solus ordinandus in capitulum non veniret: « Et tunc, inquit Hildemarus, debet abbas pro illo fratre dicere sermonem ad fratres: Ego volo cum Dei adjutorio facere talem fratrem presbyterum; unde rogo dilectionem vestram ut tam pro amore Dei, et salvatione nostra, et animæ suæ, qui sapit aliquid de isto fratre, per auctoritatem nostram dicat. Et hoc quidem jam de illo fratre nuntiatum est; sed nolo dicere et manifestare, sed per vos scire: nam in processu temporis majori conjuratione vos constringam, si hoc non manifestaveritis. Hoc dicto, debet dare inducias per octo dies. Deinde debet venire in capitulum, si aliquis non dixerit, et indicaverit de illo fratre, et conjurare omnes iste modo: Adjuro et conjuro per communionem corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, et per sanctum baptismum, et remunerationem cœlestis gaudii, et professionem nostram, quam professi sumus, ut quicunque cognovit illum in tali peccato detentum, quod illum prohibet accedere ad oblationem **818** sacrificii, nuntiet mihi atque manifestet, quatenus ego prævaricator hujus præcepti non existam. Deinde si aliquis cognoverit, veniat et nuntiet. Si autem non venerit, tunc debet speciale taliter vocare unumquemque, et illum interrogare de motu, de incessu illius. Deinde si non poterit cognoscere indignum, tunc offerre debet ad ordinandum. » Hanc disciplinam aliqua ex parte imitantur Fuldenses monachi, in quorum Constitutionibus hæc lego (*Cap.* 62): « Quoties quis erit in aliquo monasterio ordinandus, denuntietur id palam in monasterii cujus est capitulo; ut si quis labem aut vitium ejus aliquod sciat propter quod ordinari debere non videatur, indicet non publice quidem, sed privatim superiori, aut uni alicui seniorum. » Et hæc ex parte abbatis ordinandum eligentis: quid vero ex parte ipsius ordinandi? Saluberrimum omnino sequatur S. Joannis abbatis consilium (*Lib.* II *de Vit. Patr.*, *c.* 1): « Sic ergo, filioli mei, neque fugiendum omnimodis dicimus clericatum vel sacerdotium, neque rursus omnimodis expetendum: Dei autem judicio relinquendum est quem velit, et si velit, assumere sibi ad ministerium vel ad sacerdotium. » Ea fuisse videtur Fromundi Tegernsensis monachi animi dispositio, quam Peringero abbati suo scribens aperit his verbis (*Analect. tom.* IV): « Hunc gradum nec multum renuo, nec multum desidero; sed vobis cæterisque senioribus in hoc obedio. »

Caveat ergo imprimis ne sacerdotii honorem ambiens abbatem proprio motu conveniat, ab eo sacrum ordinem extorqueat, aut etiam eo invito ad tantum gradum ascendat: nam « Clericatum aut præsiden-

tiam fra'rum desiderare religioso haudquaquam competit : est enim morbus diabolicus, et vitium ambitionis, judicium habens extremæ diaboli malitiæ, » ut cum S. Basilio loquar (*Const. mon.*, *cap.* 10) : unde et illud cujusdam imperatoris : *Profecto indignus est sacerdotio nisi fuerit ordinatus invitus;* et Lucius papa III ad archiepiscopum Turonensem rescribens : « Honestius et tutius est subjectis, debitam præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum præpositorum scandalo graduum appetere dignitatem ; nec est in hac parte subjectorum desiderium confovendum. » Quapropter recte omnino Cistercienses olim decreverunt, ut « qui abbates suos per se vel per alios inquietant, ut promoveantur ad ordines; a die qua hoc fecerint, usque ad biennium, non ordinentur, nisi promoti fuerint in abbates. »

Cæterum cum S. Benedictus presbyterum et diaconum simul prius nominaverit, moverit fortassis aliquem, quod solius postea sacerdotii meminerit, dicens, *de suis eligat qui dignus sit sacerdotio fungi.* Sed cum Menardo « notandum est sacerdotii nomen aliquando diaconis attribui. Nam diaconatus est quidam ordo sacerdotii, qui tertius appellatur, et presbyteratus secundus, ut patet ex Optato Milevitano, l. I cont. Parmenianum : *Quid* (commemorem) *diacones in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos?* ac proinde recte dici potest *diaconus dignus sacerdotio fungi,* quia sacerdotium non modo de episcopatu et presbyteratu, sed etiam de diaconatu dicitur. » Addi etiam cum Bernardo **819** Cassinensi potest, istud *sacerdotio fungi* referri ad omnes sacros ordines, quorum sacerdotium, tanquam dignius nominaverit.

Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam.] Quoniam, ut ait S. Bernardus, « in alto posito non altum sapere, difficile est, et omnino inusitatum; » et, ut loquitur S. Gregorius (*Epist.* 42), « plerumque rector eo ipso quo cæteris præeminet, elatione cogitationis intumescit. » Et idem (*Past. part.* II, *cap.* 6) : « Humana mens plerumque extollitur, etiam cum nulla potestate fulcitur; quanto magis in altum se erigit cum se etiam potestas adjungit ! » Sapienter proinde sanctus legislator ordinatum ab elatione et superbia deterret, dicens : *Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam;* quæ duo, licet idem prorsus significare videantur, « in eo tamen differunt, inquit Bernardus Cassinensis, quod elatio pertineat ad interiorem hominem, superbia vero ad illa signa per quæ perpenditur et cognoscitur superbire de gradu. » Utramque autem summo studio cavere debet ordinatus, quia quanto prælatus est a iis, tanto debet esse humilior : ut dignitatis altitudo mensura sit humilitatis. Recte enim Basilius Magnus (*Sermon. de Abdic. rerum*) : « Non te gradus cleri extollat, sed potius humiliet : progressus enim animæ progressum humilitatis facere debet; econtra in postremis relinqui, et inhonoratum esse, ab elatione gignitur. Quanto magis ad sacros gradus te accedere contigerit, tanto magis humilia teipsum. » Hæc erat ipsissima mens S. Romani abbatis Jurensis, qui, ut scribit auctor antiquissimus in ejus Vita, n. 6 (*Bolland.*, *Februar.* 28), ordinatus sacerdos « professionis pristinæ memor, auctoritatem clericalis officii monachali humilitate calcabat; ita ut cum solemnitas advenisset, vix a fratribus sacrificii causa cogeretur stare superior; reliquis vero diebus monachum monachis exhibens, nihil in se eminentiæ sacerdotalis præstabat. » S. quoque Joannes Damascenus, teste Joanne Hierosolymitano, ex monacho presbyter factus, et lauram S. Sabæ ingressus (*Sur.*, *Maii* 6), « illud, quod duplici honore presbyteri digni sunt haudquaquam in mentem suam injecit; sed velut hoc dictum commutans, illud secum volvebat, presbyteris duplici humilitati studendum esse, presbyteros religiosæ vitæ exercitationem duplo quam prius majorem sibi vindicare. »

A *Sciens se multo magis disciplinæ regulari subditum, etc.*] Quem in locum Hildemarus : « In hoc loco in quo dicit, *sciens se multo magis disciplinæ regulari subditum,* intelligunt alii, ut debeat duci per septem gradus, id est ut etiam flagelletur. Et hoc comprobatur per hoc quod inferius dicit, *nec occasione sacerdotii obliviscatur regulæ obedientiam et disciplinam :* obedientia ad operis exercitium; disciplina vero ad septem gradus. » Similiter Bernardus Cassinensis : « Hæc clausula exercitium respicit operis; disciplina vero ad deductionem per gradus septem referri potest. » Boherius addit : « Vel dic disciplinam, id est regulæ rigorem, vel id est coercitionem ac correctionem. »

Sed magis ac magis in Deum proficiat.] Tanto **820** enim perfectiorem esse oportet sacerdotem monachum, quanto perfectius sacerdos ad altare non tam imitari tenetur, quam referat Christum, et Christum quidem ad mortem usque obedientem, agniculum, factum pro nobis omnibus holocaustum
B et sacrificium, » inquit Gerardus Belga monachus.

Locum vero illum semper attendat quo ingressus est, monasterium, præter officium altaris.] « Hoc est præter quando officium altaris agit, » inquit Hildemarus. Et Smaragdus : « Humilitatem semper intendens, locum suum in omnibus regulariter observans custodiat; et sic accedat ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, in choro standum, et in omnibus omnino locis, præter officium altaris, id est quando altario ministrat : altario enim assistens, primus stat, sacrificat, et primus pro omnibus orat, etiamsi ultimus inveniatur in ordine : et ideo nec locus ibi constituendus est, nec ordo tenendus. » Et Bernardus Cassinensis : Perinde est « ac si diceret : Non sedebit sacerdos superior seniore suo acolyto, præterquam quando exercet officium altaris; quia tunc, quando indutus est sacris, sedet post abbatem, vel præpositum, vel decanum super omnes alios; et quando celebrat, est super
C omnes, et pro omnibus sacrificium reddit Deo. » Et certe in catalogo monachorum S. Dionysii in Francia supra citato (*Spicil. tom.* IV) sacerdotes et alii sacris ordinibus initiati, imo ipse etiam episcopus cum aliis inserti monachis inscribuntur.

Et si forte.] « Expone nisi forte, » inquit Richardus de S. Angelo.

Electio congregationis.] Boherio hic in secundo comm. electio est « votum, vel postulatio, aut approbatio. » At ex Bernardo Cassinensi electio hic pro sola approbatione sumitur.

Et voluntas abbatis.] Voluntatem Bernardus Cassinensis mandatum interpretatur; Boherius mandatum, vel licentiam.

Promovere voluerit.] Altiori gradu, aut officio donando.

Qui tamen regulam a decanis vel præpositis constitutam sibi servandam sciat.] Id est « quod a decanis et præpositis sibi imperatum fuerit custodiat, » inquit Hildemarus. Regula enim pro præcepto hoc loco
D sumitur, quemadmodum docet Bernardus Cassinensis : nam nec decani, nec præpositi regulam edere possunt, ut scribit Boherius : quamvis Richardus de S. Angelo ex hoc textu inferat, « quod decani, sive præpositi possunt aliquid ordinare, sive statuere in monasterio, » citatque argum. extra de constitut. *Cum accessissent.*

Quod si aliter præsumpserit, non sacerdos, sed rebellio judicetur.] Quod duobus modis intelligi potest : vel ut æstimetur rebellis, vel ut puniatur tanquam rebellis. Duplicem hunc sensum aperit Hildemarus sic scribens : « Istud *judicetur* duobus modis intelligitur, id est pro *condemnetur* uno modo, et altero modo pro *æstimetur.* Et ideo varie intelligunt sapientes illum locum **821** : sed illi qui intelligunt pro æstimetur, ut sacerdos non flagelletur aut excommunicetur, sed credatur, pro reverentia canonica, hoc intelligunt; et pro hoc quod S. Benedictus

dicit : *Et sæpe admonitus si non correxerit, adhibeatur* A *episcopus in testimonium*. Si vero depositus fuerit, tunc postea potest flagellari aut excommunicari..... Tamen in monasteriis Francorum ita flagellatur presbyter velut alius monachus. » Ipse vero infra suam sententiam ita exponit : « Sanior est sensus, ut sicut diximus de monachis, si talis est persona cui non competat flagellum, nullo modo debet illi adhiberi; si talis est quem adjuvet flagellum, et non noceat, adhibeatur flagellum. » Ita quoque sentit Bernardus Cassinensis : « Licet nonnulli aliter hoc assumant, mihi tamen sic videtur intelligendum, quod ex quo est inobediens et contumax, non jam debet judicari sacerdos, id est non debet sibi deferri sicut sacerdoti, sed judicari rebellio, id est sicut contumax et rebellis. » Similiter Richardus de S. Angelo : « Melius dicas, scilicet, quod potest et debet judicari, seu puniri tanquam contradictor. » Priorem nihilominus sententiam sequitur Menardus noster : « Ob dignitatem et reverentiam sacerdotii... neque illos flagellis aut excommunicationi subjicit; sed statuit ut judicentur ut rebelles; deinde si non emendaverint sæpius admoneantur; si nec sic correxerint, episcopus adhibeatur in testimonium : tandem clarescentibus culpis, id est patentibus et manifestis, ita ut propter dignitatem presbyteratus sint aliis scandalo, projiciantur. »

Et sæpe admonitus.] « Ac si diceret, inquit Hildemarus, non per gradus ducatur, sed admoneatur. » Illud autem *sæpe* Boherius in secundo comment. exponit tertio, ut supra de decanis, vel quater, ut infra de præposito monasterii.

Etiam episcopus adhibeatur in testimonium.] Hunc locum varie varii exponunt. Hildemarus mentem suam ita explicat : « Notandum est quia pro illis sacerdotibus qui sacerdotes veniunt in monasterium, non dicit regula adhiberi episcopum in testimonium, sed solummodo pro illis sacerdotibus qui in monasterio consecrantur. Ideo non pro illis qui sacerdotes veniunt in monasterium, eo quod illi in alio titulo fuerunt consecrati, non est opus episcopum adhiberi in testimonium. Illi autem sacerdotes, quia in illo titulo fuerunt consecrati, ideo necesse est ut adhibeatur episcopus in testimonium. » Bernardus Cassinensis, quod episcopus adhibeatur in testimonium, non necessitatis esse existimat, sed honestatis duntaxat : « Dictum hoc, inquit, in monasteriis non exemptis de diœcesano locum habere potest; quia ductus per septem gradus per diœcesanum habebit deponi secundum quosdam. Ego vero a littera non recedens, quando dicit adhibeatur in testimonium, puto quod solummodo exponenda est contumacia et inobedientia episcopo, ut sit quasi testis, ad justificandam correctionem et disciplinam. Et propterea hoc non credo esse necessarium, sed honestum : manifestum est enim per sequentia quod adhuc remanet **822** in foro abbatis, judicandus ab eo; nam sequitur : *Qui si nec sic emendaverit, clarescentibus culpis*, etc. » Nicolaus de Fractura hæc intelligit « in monasteriis non exemptis, ubi ad episcopos in defectum abbatum non corrigentium subditorum excessus spectat correptio. » Similiter Boherius se in hoc locum habere in monasterio non exempto; ut B deductus per septem gradus a diœcesano episcopo deponatur. Et certe olim monachi sacerdotes non minus episcopo quam abbati subjecti erant, ut probat Menardus, quod tamen improbasse videtur Glaber Radulfus in Vita S. Guillelmi, Luciacensis primum monasterii monachi, ac postea abbatis S. Benigni Divionensis, ubi hæc scribit : « Insoleverat etiam malæ arreptæ consuetudinis usus, ut nullus fratrum loci illius (Luciaci) levitici ordinis gradum prius susciperet, quam sese assertione jurandi promitteret servaturum fidelitatem episcopo.

Quod si nec sic emendaverit, etc.] Ubi Hildemarus : « Quod vero dicit : *quod si nec sic emendaverit*, etc., manifestatur quia iste sacerdos per octo gradus duci debet, non per septem, sicut alius monachus vel sacerdos. Id est, primus gradus est secreta admonitio, secundus publica correptio, tertius gradus est excommunicatio simplex, quartus gradus est nimiis jejuniis, quintus gradus si dignus est flagellis, sextus C gradus est oratio, septimus gradus episcopus, deinde expulsio. » Atque ex hoc loco non obscure colligitur monachos sacerdotes olim ex monasteriis inconsulto episcopo haud expulsos fuisse. *Vide* concil. Meldense can. 59.

CAPUT LXIII.

De ordine congregationis.

Ordines suos in monasterio ita conservent, ut conversionis tempus et vitæ meritum discernit, utque abbas constituerit. Qui abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi [a] libera utens potestate, injuste disponat aliquid; sed cogitet semper quia de omnibus judiciis et operibus suis redditurus est Deo rationem. Ergo secundum ordines quos constituerit, vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedant ad pacem, ad communionem [b], ad psalmum D imponendum, in choro standum. Et in omnibus omnino locis ætas non discernat ordines [c], nec præjudicet, quia Samuel et Daniel pueri presbyteros judicaverunt.

Ergo exceptis his quos, ut diximus, altiori consilio abbas **823** prætulerit, vel degradaverit certis ex causis, reliqui omnes ut convertuntur, ita sunt : ut, verbi gratia, qui secunda hora diei venerit in monasterio, juniorem se noverit illo [d] esse qui prima hora venit diei, cujuslibet ætatis aut dignitatis sit : pueris per omnia ab omnibus disciplina conservata [e].

Juniores igitur priores suos honorent, priores juniores suos diligant. In ipsa appellatione nominum, nulli liceat alium puro nomine appellare : sed priores juniores suos fratrum nomine. Juniores autem priores suos nonnos vocent : quod intelligitur paterna reverentia. Abbas autem, quia vices Christi agere [f] creditur, Domnus et Abbas vocetur; non sua assumptione, sed honore et amore Christi. Ipse autem cogitet, et sic se exhibeat, ut dignus sit tali honore.

[a] Hild., *ne quasi*.
[b] Deest in Concor. *ad communionem*.
[c] Al., *discernatur in ordine*.
[d] Al., *alio*. Al., *illius*.
[e] Al., *servetur*. Al., *teneatur*. Al., *exhibeatur*.
[f] Oxon., *egit*.

Ubicunque autem sibi obviant fratres, junior a priore benedictionem petat. Transeunte majore, minor surgat, et det ei locum sedendi. Nec præsumat junior consedere, nisi ei præcipiat senior suus, ut fiat quod scriptum est : *Honore invicem prævenientes* (*Rom.* XII). Pueri, parvi, vel adolescentes, in oratorio, vel ad mensas, cum disciplina ordines suos consequantur. Foris autem, vel ubi ubi [a], custodiam habeant et disciplinam, usque dum ad intelligibilem ætatem perveniant.

[a] Conc., Hild., *vel ubi et ubi*. Al., *ubi ubi*, omisso *vel*. Narb., *ubique hanc*.

COMMENTARIUS.

Ordines suos in monasterio ita conservent, ut conversionis tempus, et vitæ meritum decernit, utque constituerit abbas.] Tria in statuendis ordinibus attendi voluit : 1° conversionis tempus, 2° vitæ meritum, 3° quæ constituerit abbas : quanquam nonnulli, ut asserit Hildemarus, secundum cum tertio confundunt, eo quod abbatis sit discernere vitæ meritum, nullusque existat qui pro vitæ suæ merito superiorem sibi gradum petere præsumat; et eum qui talia auderet, sane pro vitæ merito, non superiorem, sed omnino inferiorem locum cons. qui mereretur. Non sine causa tamen utrumque distinguitur ab aliis : sunt enim nonnulli qui ex vitæ merito nullo sunt digni superiori loco, quos tamen **824** necessitatis, aut etiam utilitatis ergo ad altiorem locum promovere sola abbatis voluntas solet. Verbi gratia, est aliquis qui nulla vitæ sanctitate discernitur ab aliis, qui nihilominus, eo quod egregie cantat, aliis in choro sola abbatis voluntate præfertur. Sed qui sunt hujusmodi, in iis tantummodo artibus quibus præcellunt aliis, eos præcedere oportet : verbi gratia, cantor in choro, non in capitulo, non in refectorio, etc., ut recte observavit Hildemarus. Unde quamvis sit abbatis discernere singulorum merita, et quosque, ut voluerit, ad altiorem quam ingrediuntur gradum promovere possit, sobrie tamen hac uti debet potestate. Hinc S. Pater subdit.

Qui abbas non conturbet gregem sibi commissum, etc.] Hic, ut scribit Bernardus Cassinensis, « triplici freno considerationem constringit abbatis. Primo quod paci subditorum intendat, gregem non conturbando. Secundo quod omnia juste disponat, potestatis libertate non abutendo. Tertio quod tam opera quam judicia Deo sunt cognita, et semper timeat discussionem extremi judicii cogitando. »

Sic accedant ad pacem.] Scilicet quæ datur in missa, ut docent Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Richardus de S. Angelo, Boherius in secundo commentario, Theobaldus Artaldus, et Nicolaus Bravus; vel quæ datur advenientibus hospitibus aut in missa, ut Menardus; vel tandem quæ datur in missa, aut accedentibus hospitibus, aut professis post missam, aut in missa Evangelio dicto *a textu Evangelii sine cruce* in quibusdam monasteriis, ut exponit in primo commentario Boherius. De modo dandi et accipiendi in missa pacem ante communionem, de qua hunc locum interpretor, vide quæ diximus in l. II de Antiq. monach. Ritibus, c. 3

Ad communionem.] Hunc locum de communione corporis et sanguinis Christi exponunt omnes commentatores, nullo, quem sciam, refragante, ad quam cuncti suo quique ordine accedebant, ita tamen ut ministri altaris alios præcederent. Ubi observandum venit quod scribit Udalricus (*Lib.* II, *cap.* 30), scilicet quod si abbas justis ex causis aliquem conversum in capitulo, aut in refectorio elevare voluerit, tamen « ad pacem, et ad communionem, sicut et ad aquam benedictam, secundum ordinem suæ conversionis » accedere debet. Porro qui jus is ex causis aberant a missa, communicaturi tamen properabant circa tempus orationis dominicæ, ut discimus ex Regula SS. Pauli et Stephani (*Cap.* 13) : « In hora qua sanctum corpus et sanguinem communicaturi sumus, præsentes esse festinemus ad dicendum : *Libera nos a malo.* » Ex quo loco patet non omnes olim monachos diebus dominicis, quibus præsertim communicabant, integro missæ sacrificio interfuisse, id quod maxime coquinæ hebdomadariis contingere poterat.

Ad psalmum imponendum.] *Id est ad antiphonam psalmi* (hoc est quæ psalmum præcedit) *imponendam*, uti exponunt Hildemarus, Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Boherius, Turrecremata, **825** Haeftenus. Additque Bernardus Cassinensis : « Et hic est supplendum, quod illi secundum ordines suos legant, aut cantent, qui possunt officium implere, ut il ud cum 38 capitulo concordare possit, ubi dicitur: *Fratres autem non per ordinem legant aut cantent.* »

Quia Samuel et Daniel pueri presbyteros judicaverunt.] Samuel quidem Heli et ejus filios judicavit; Daniel vero duos iniquos presbyteros Susannam opprimere volentes. Sic S. Ignatius Magnesianos monet, ne Demam episcopum ob juniorem ætatem contemnant, cum Daniel duodecennis senes calumniatores convicerit; et Samuel parvulus Heli nonagenarium redarguerit; Salomon annum ætatis duodecimum adeptus mulieres pro filiis judicaverit; Josias verum potius ætatis anno octavo aras et templa subverterit, lucosque succiderit.

Reliqui omnes, ut convertuntur, ita sint.] Id est juxta tempus et diem conversionis ordines suos observent. Hanc disciplinam S. Benedictus ex S. Pachomio ejusque discipulis accepit, de quibus S. Hieronymus ait (*Præf. in Reg. S. Pachomii*) : « Quisquis monasterium primus ingreditur, primus sedet, primus ambulat, primus psalmum dicit, primus in mensa manum extendit, prior in ecclesia communicat; nec ætas inter eos quæritur, sed professio. » Idem postea decrevit S. Isidorus in Regula (*Cap.* 4): « Qui in monasterio prior ingreditur, primus erit in cunctis gradu vel ordine; nec quærendum est si dives sit aut pauper, servus an liber, juvenis an senex, rusticus an eruditus : in monachis enim nec ætas nec conditio quæritur, quia inter servi et liberi animam nulla est apud Deum differentia. » Et S. Fructuosus (*Cap.* 23) : « Qui primus in monasterio conversus fuerit, primus ambulet, primus sedeat, primus eulogiam accipiat, primus communicet in ecclesia, prior loquatur cum interrogantur fratres pro aliqua quæstione, prior psalmum dicat, in choro primus consistat, hebdomadam primus faciat, manum in mensam primus extendat; nec ætas sola inter fratres requirenda, sed conversatio est, et laboris studiique propositum. Unde et hæc discretio senioris est præstolanda, ut quem quomodo erga Dei amorem cultumque ferventem viderit, sic honoret : non enim generis dignitas, aut rerum opulentia quam quisque habuit in sæculo, vel ætatis grandævitas exquirenda, sed vitæ rectitudo, et ardentissimæ fidei merita debent esse pensata : ille enim potior, qui Deo proximior, judicandus est. » S. Donatus in Regula ad virgines, c. 66, S. Benedictum pene ad verbum exscribit, eique concinit Regula Cujusdam item ad virgines, c. 22. Unus est Magister, qui ab aliis discrepans, nulla conversionis habita ratione, ordines ab abbate vult quotidie confundi, ut nullus inter fratres videatur primus, nullus appareat novissimus : Abbas, inquit (*Cap.* 92), « semper eorum confundat gradus, vicibusque ad mensam secus se sedere faciat, vicibusque in oratorio jubeat secus se universos stare, univer os vicibus post se psalmos imponere, ut nullus de secundo honore jam reddatur elatus, sive de ultimo gradu aliquis se faciat

desperatum. » Sed ad S. Benedicti textum revertor. A

826 Cum omnes, ut convertuntur, ita esse S. Pater instituerit, quærunt an ab ingressu in monasterium, an vero ab emissa professione conversionis tempus intelligendum sit. Posterius asserit Boherius, prius Haeftenus. Fundamentum Boherii est maxime, quia fratres perfecte non convertuntur, nisi per professionem monasticam, per quam tunc primum duntaxat in congregatione suscipi et reputari incipiunt. Contrarium elicit Haeftenus (*Lib.* III, *tract.* 3, *disq.* 6) ex ipso S. Regulæ textu, quem ipse S. Benedictus quasi exponens, dicit, ut qui secunda hora diei venerit in monasterium, juniorem se noverit illius esse qui prima diei hora accesserit. Quem locum non de professione, sed de ingressu in monasterium intelligendum esse contendit; cum vix fieri possit ut unus prima hora, alter secunda professionem emittat; sed si plures una hora profiteri necesse sit, eadem hora, non diversis, vota pronuntiare experientia docuerit: quod confirmat auctoritate Petri Walnen, et Walloncapellii, qui idem sentiunt. B Et certe ita observatum fuisse olim apud nostros Dionysianos a majoribus accepi. In Institutionibus etiam ordinis Cisterciensis hæc lego (*Dist.* 10, *cap.* 2, *et Antiq. Definit. dist.* 11, *c.* 2): « Novitiorum autem qui primus ingreditur capitulum, si perseveraverit, prior habeatur, etiamsi benedicatur posterior ante ipsum. » Et in Statutis Guigonis (*Cap.* 26): « Ordinem autem sive in refectorio, sive ubicunque, eum cuncti tenemus, quem singulis suus dedit adventus: » a quo derogant antiqua Statuta Carthusiensium dum scribunt (*Part.* II, *cap.* 24), ut « quando novitii duo ad aliquam domum veniunt, qui posterior venit, si prius professionem fecerit, primus deinceps remaneat. » Sed in his omnibus laudabili cujusque congregationis consuetudini insistendum existimo: neque vero ita ad litteram accipiendum esse exemplum a S. Benedicto propositum, quod forte duntaxat proposuit, ut clarius doceret eum qui primus per professionem monasticam congregationi insertus est, alios debere præcedere. C

Sed cum B. Benedictus aliquos certis de causis aliis præponi permittat, optabit fortean aliquis rescire quinam illi esse debeant. Verum id cujusque monasterii et congregationis constitutiones satis declarant. Hildemarus sui temporis morem ita exponit: « Sciendum est quia decani minores vel circatores, pro hoc quia decani sunt vel circatores, non debent præesse aliis, hoc est non debent præponi in choro, aut in capitulo, aut in alio vero loco, excepto si deesset abbas, aut præpositus, aut decanus major. Tunc unus illorum debet præponi, qui teneat locum abbatis. Nam ideo dixi non debere præponi, quia non est ratio ut in isto uno anno, cum habent ministerium, supponantur; in altero anno, cum non habent ministerium, iterum sedeant inferius loco quo intraverunt. Decanus vero major aut præpositus debent præponi, pro eo quod illi servant locum abbatis si non est. Quando non est, servat præpositus locum abbatis; quando vero non est præpositus, servat decanus major locum abbatis in excommunicando et in omnibus. D » Apud Cluniacenses ad abbatis dexteram sedebat major prior ex Udalrico, lib. III, c. 4; sed non item prior claustralis, de 827 quo idem Udalricus ejusdem libri cap. 6: « Prior claustralis vicarius est majoris prioris per omnia. Hic est, quocunque D. abbas proficiscatur, quocunque prior, qui in claustro jugiter moratur, et qui præcipue pondus totius ordinis portat: propter quod tamen in choro non est aliquantulum promotus, excepto quod, absente priore, primus offert, primus procedit ad pacem, et primus ad aquam benedictam. » Apud Cistercienses prior, ex libro Usuum cap. 111, primum post abbatem locum ubique tenebat; at subprior præsente abbate, neque in choro, neque in capitulo, neque ad collationem proprium locum mutabat, ex cap. 112. Eadem erat Bursfeldensium disciplina, ex Cæremoniali, dist. 2, cap. 2 et 3.

Quærit insuper Boherius, « an quoad loca et subscriptiones in abbatibus ad concilia congregatis considerari debeat tempus conversionis, an tempus suæ promotionis; » respondetque: « Dico quod tempus promotionis. Generale enim est ut qui prius dignitatem assequuntur aliis præferantur, et ille gradus cæteros antecedet, quem labor prolixior et stipendia longiora fecerint anteire. Exemptos tamen abbates puto aliis præferendos; cæteris enim concurrentibus, ratio privilegii est habenda. »

Pueris vero per omnia ab omnibus disciplina teneatur.] Ergo quæ hactenus a S. Benedicto dicta sunt solos in adulta ætate conversos spectant, non pueros, qui separatim ab aliis una cum pulsantibus, seu novitiis, instituebantur, ut patet ex antiquissima monasterii S. Galli delineatione, in qua cellæ novitiorum inscriptus legitur hic versus:

Oblati hoc claustro pulsantibus associantur,

et qui proinde ab aliis ordines suos inter se servare debent donec ad annum ætatis decimum quintum perveniant: quo tempore, aut circiter, exeuntes de custodia, eum accipiebant locum quo monasterium ingressi erant, ut auctor est Hildemarus in Regulæ cap. 70. Unde et Petrus Boherius hunc locum exponens: « Hoc, inquit, dicit, ne credat aliquis quod puer vel adolescens decrepito vel presbytero ultimo converso præponatur. »

In ipsa autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro nomine appellare.] Laudatur ea de re S. Fulgentius, quod « circa singulos ita mansuetus fuit, ut neminem fratrum puro nomine clamitaret. » Puro autem nomine appellari est appellari solo nomine, ut dicit Hildemarus, sive, ut loquuntur Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, et Boherius, *sine adjectione*, id quod tribus quatuorve modis fieri potest: vel solum baptismi nomen enuntiando, verbi gratia, *Petre, Paule;* vel solum familiæ nomen, verbi gratia, *le Blanc, le Noir, la Perche;* vel solum nationis, ut *Germane, Hispane;* vel officii aut dignitatis, ut, *Sacrista, Cantor, Decane, Præposite*, quod aut sæculum sapit, aut contemptum, imo etiam aliquando præbet occasionem superbiendi, dum ei suggeritur a cogitationibus suis se non 828 esse ut cæteri hominum, ut pote tali præpositum officio, ex tali oriundum familia, tam clara, tam illustri.

Sed priores juniores suos fratres nominent.] Juniores hic vocat, non quidem infantes, sive, ut aiunt, simpliciter ætate juniores; sed comparative ad antiquiores et priores in ordine professionis, ut indicat pronomen *suos:* non enim dicit *priores juniores fratres nominent*, sed *juniores suos*, id est sibi inferiores in ordine professionis: unde contingere potest ut unus et idem monachus frater et nonnus vocetur, frater ab antiquiore, nonnus ab inferiore. Certe sæculo XII Joannes sacerdos et monachus *frater Joannes* appellatus legitur in Vita S. Aiberti num. 7 (*Bolland.*, 7 *Aprilis*). Alius tamen usus viguit apud Cluniacenses, in quorum antiquis Consuetudinibus reperio (*Lib.* II, *c.* 20): « Si quem fratrem appellat, nunquam puro nomine appellat, nisi *domnus* adjungat; et pueros *fratres* nominat. Item proprium nomen dicturus, semper *frater* præmittit. » Quare autem juniores S. Benedictus appellari voluerit fratres, ita explicat Hildemarus: « Bene fratres jussit appellari, quia uno sacro fonte baptismatis sunt renati, et uno Spiritu sanctificati, et unam professionem professi sunt, et unam remunerationem adipisci desiderant, et una matre, id est sancta Ecclesia editi sunt. » Aliquid simile habet Bernardus Cassinensis. *Vide* Haeftenum, lib. III, tract. 4, disq. 2.

Juniores autem priores suos nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia.] « Idem ergo significat *nonnus* quod *Pater reverendus*. Vox antiqua, et apud monachos honoris ac reverentiæ causa usurpari solita, ut patet tum ex hoc loco, tum ex concilio Aquisgranensi, decernente (*Can.* 54), « ut qui præponuntur *nonni* vocentur, id est paterna reverentia. »

Ita etiam Papias: « Nonnos vocamus majores ob reverentiam: nam intelligitur paterna reverentia. » Ea voce S. Columbanus Petrum apostolum nuncupat: « Privilegium dedit claviculario, communi omnium nonno. »

Porro cum synodus Aquisgranensis decernat ut præpositi *nonni* vocentur, suspicabitur forte non nemo præpositos, *nonni* nomine spreto, *domni*, quod soli abbati competit, sive honoris aut ambitionis, sive cujuscunque alterius rationis gratia, sibi assumpsisse, quod corrigere voluerit. Aut forte præpositos intelligit quoscunque professione antiquiores, qui suis junioribus ubique ex Regula præponuntur, quique jam *nonni* nomen in *domni* mutaverant, ut colligitur ex Smaragdo illius temporis auctore, qui hunc locum exponens sic scribit: « Sicut tunc apud illos paterna exhibebatur reverentia, ut priores vocarentur *nonni*: ita nunc apud nos exigitur hodie ut ipsa paterna reverentia priores nostri a nobis vocentur *domni*. » Id quod viguit etiam apud Cluniacenses, teste Udalrico lib. II, cap. 20. Perseverabat tamen apud nostros Corbeienses *nonni* appellatio sæculo IX, ut patet ex Vita Anscharii Corbeiensis primum monachi (*Sæc.* IV *Ben.*, *part.* II), postea episcopi Bremensis, in qua lego: « Socium illi ex vestra fraternitate venerabilis abbas invenit *nonnum* Witmarum. » Perseveravit **829** et apud Cistercienses, ex libro Usuum cap. 98 et ex Vita Caroli abbatis Villariensis (*Bolland.*, 29 *Januar.*), cujus hæc verba: « Cum videritis *nonnum* Conradum novitium Villariensem. » Et item: « Una cum *nonno* Walterio simplici monacho. » Perseveravit et apud Cassinenses usque ad tempora Bernardi Cassinensis, ut constat ex cæremonia pronuntiandi officiales ab eo instituta, quæ est hoc modo: « Vicarius ordo postulat ut in hac futura hebdomada canat *nonnus* Amicus missam; coquinæ servitium *nonnus* Remigius faciat; ad servitium ecclesiæ *nonnus* Jacobus, etc. » Sed de hac voce videsis Menardum, Haeftenum, et Cangii Glossarium.

Abbas autem quia vices Christi agere creditur, domnus et abbas vocetur.] Ubi Bernardus Cassinensis: « Littera ultramontana non habet *dominus*, sicut littera Cassinensis, sed habet *domnus*; et sine dubio *domnus* videtur plus habere reverendæ maturitatis, et *dominus* plus metuendæ potestatis. » Bernardum sequitur Nicolaus de Fractura: *dominus* etiam legit Richardus de S. Angelo. Item Concordia Regularum, codices Victorini, editio Guidonis Juvenalis, Lovaniensis, et Joannes Bertelius; eamque lectionem, quam in omnibus Cassinensis bibliothecæ mss. reperiri asserit, pluribus tueri conatur Paulus Augustinus a Janua. Verum antiquis non videtur fuisse nisi unus Dominus Deus: unde etiam Augustus imperator domini nomen recusasse legitur apud Orosium, lib. VI, cap. 22. Quanquam postea a scriptoribus, ut humiliori vocabulo uterentur, ex verbo *dominus* factum sit per syncopen *domnus*. Qua voce sanctos viros, episcopos, reges, aliasque honorabiles nobilesque personas appellarunt: unde in antiquis litaniis summus pontifex *domnus apostolicus* appellatur. Ita apud Severum Sulpicium, epist. 2, *Domnum Martinum obiisse nuntiant;* Vita B. Alcuini, num. 22, sæc. IV Bened., *Vade ad sepulcrum domni Martini;* S. Gregorius, lib. I Regist., cap. 6, *Domnum Alexandrum, domnum Theodorum, filium meum Marinum, domnam Eusiciam, domnam Eudochiam, domnam Dominicam mea peto vice salutari;* Statuta S. Adalardi, *Missa domnæ Balthildæ;* Aimonius, lib. IV de Gestis Francorum, c. 68, *Domnus Carolus rex habuit conventum generalem in Wormatia civitate.* Hinc tritus ille versiculus:

Cœlestem Dominum, mortalem dicito domnum.

Sed quod soli tunc abbati competebat *domni* nomen, nunc omnibus fere monachis promiscue tribuitur; id quod jam tempore Smaragdi abbatis usu receptum fuisse constat ex ejusdem loco supra citato, et apud Cluniacenses ex Udalrico etiam laudato.

A Etsi credamus non defuisse etiam olim qui utrumque *domini* et *domni* titulum respuerint, *patres* simpliciter appellati. Ita Hilboldus Heriensis abbas ab Ermentario in Translatione S. Filiberti, cap. 1, vocatur *pater Hilboldus*. Ita Geilo abbas Heriensis in Chronico Trenorchiensi *pater Geilo* appellatur. Ita Usuardus monachus S. Germani a Pratis ab Aimoino in Histor. Translat. SS. Georgii et Aurelii, num. 6, *Usuardus pater* **830** dicitur. Denique in Vita S. Anscharii, quem primo *nonnum Witmarum* appellatum legimus, postea *pater Witmarus* nuncupatur. Cæterum in subscriptione nominum non solum simplices monachi, sed ipsi etiam abbates proprio nomini *frater* præmittere solebant. In Chronico Centulensi, lib. IV, Gervinus chartam quamdam ita incipit: *Ego frater Gervinus abbas monasterii S. Richarii.* Sæculo XI (*Sæc.* III *Ben.*, *part.* I) Bovo abbas Sithiensis Widoni Rhemensi archiepiscopo scribens, epistolam ita inscribit (*Spicil. tom.* V): *Domino præstantissimo archiepiscopo Widoni frater Bovo indignus*
B *abbas Sithiensis cœnobii.* In subscriptionibus monachorum Piscariensium in electione Dominici abbatis omnes, etiam præpositus et alii sacerdotes, nomini proprio præmittunt *frater*. Anno 1313, Adam abbas S. Faronis Meldensis chartam ita incipit (*Sæc.* II *Ben.*, *pag.* 601): *Frater Adam divina permissione monasterii S. Faronis ordinis S. Benedicti abbas humilis.* Denique anno 1493, in Instrumento Reformationis ordinis Cisterciensis articulis Parisiensibus præmisso omnes abbates inscribuntur *fratres* (*Nomast. Cist* p. 574).

Ubicunque autem sibi obviant fratres, junior a priore benedictionem petat.] Scilicet « in his locis et horis ubi licet loqui; verum si aliis locis et horis fuerint, in corde suo petet benedictionem inclinato capite, » inquit Hildemarus. Similiter et Bernardus Cassinensis: « Ubi et quando licet loqui, tunc modeste potest dicere *benedicite;* ubi et quando non licet loqui, sola capitis inclinatio erit benedictionis postulatio. » Con-
C cinunt Nicolaus de Fractura, Boherius, et Turrecremata, ut merito ad Cisterciensium objecta Petrus Venerabilis responderit (*Lib.* I, *epist.* 28): « Ubicunque sibi obviant fratres, junior a priore benedictionem petit, *benedicite* dicendo, si extra regularia loca fuerit, et humiliter inclinando; sed nihil ore proferendo, si intra officinas regulares sibi occurrerit. Quod si semper loquendo hanc peti debere dictis, videant discreti utrum superfluæ locutioni utile silentium imponi an supponi debeat: superfluam idcirco dicimus, quia ad id quod æque bene silentio potest fieri, linguam non esse necessariam, et ideo superfluum existimamus, maxime cum nullius sermonis propter hanc salutationem proferendi in regula facta fuerit mentio; sed et si hoc, prout vultis, indifferenter concederetur, forte ab aliquibus, non plane maturitate fundatis, inania pro utilibus, ludicra pro seriis, maledictiones pro benedictionibus proferrentur; hoc ne contingat, censura silentii prohibemus. » Quæ hactenus a Petro Venerabili dicta sunt
D movent nos ad quærendum amplius quomodo quibusve verbis peteretur ac daretur hæc de qua hic agit S. Pater benedictio. Regula Cujusdam ad virgines decernit (*Cap.* 22), ut « quando sibi mutuo sibi in via vel in quocunque loco occurrerint, cum omni humilitate ab invicem flectentes benedictionem rogent; et si una ex eis senior fuerit, prius junior benedictionem postulet, tunc demum senior prosequatur. » Capitulum 29 monachorum Sangallensium, « ut ubicunque sibi obviaverint fratres, junior benedictionem petens, in uno loco inclinatus, usque dum tribuens benedictionem prior transeat. » S. Hildegardis **831** hanc benedictionis petitionem constituit in simplici « salutatione, qua seniori suo se subjectum esse in omni humilitate demonstrabit. » At Boherius benedictionem vult peti « inclinatione et verbo pariter, si locutionis tempus sit; sin autem, inclinatione tantum. Et pari utique modo, inquit, fit responsio per

A priorem. » Quænam vero sint illa verba quibus petitur benedictio, ex Ordine conversationis monasticæ didicimus : « Ubicunque exinde sibi obviant fratres, junior priori inclinato capite dicat *benedicite.* » Cui concinunt ea quæ supra scribebant Petrus Venerabilis et Bernardus Cassinensis. Addere possumus Boherium in secundo commentario ita scribentem : « In monasteriis quidem Specus Sublacensis et montis Cavensis hoc optime practicatur : nam in obviatione, ut ipse vidi, semper junior ait priori *benedic, pater.* Sed quod prior quidquam respondeat non audivi, nec etiam ex regula capio quidquam de prioris responsione, nisi *Deo gratias* respondeat. » Sed quod Boherium præteriit, Regula Magistri declarat, præscribens (*Cap.* 13) ut excommunicato « petenti benedictionem nullus respondeat *Deus.* » Bernardus Cassinensis ad caput 25 de excommunicato loquens : « Si forte ille *benedicite* diceret, nullus *Deus* vel *Dominus* respondere deberet. » Et Vallisoletanorum Constitutiones : « Hanc benedictionem petimus dicendo *benedi-* B *cite*, et inclinando versus illum qui præterit; qui si sit decanus, vel multi temporis professus, dicat *Dominus.* Vel si malit, ob majorem humilitatem, petat ejus junioris benedictionem dicendo *benedicite.* » Nunc vero Cassinenses hanc benedictionis petitionem intelligunt signo magis quam verbo, ideoque per solam capitis inclinationem faciendam esse præscribunt.

Hanc porro petendæ benedictionis consuetudinem non solum ab antiquis monachis, apud quos occurrens S. Apollinari Macarius ei dixit, *Benedic, pater* (*Bolland.*, 5 *Januar.*), hausit S. Benedictus; sed etiam a primis Christianis, qui inter se conversantes, sibi invicem occurrentes, se salutantes benedicebant, ut ex Tertulliano manifestum est (*Lib. de Test. animæ*, *c.* 2) : « Et quod penes Deum bonitatis et benignitatis omnis benedictio inter nos summum sit disciplinæ et conversationis sacramentum, *benedicat te Deus* tam facile pronuntias quam Christiano necesse est. »

Transeunte majore, minor surgat, etc.] Ita etiam C S. Basilius (*Serm. de Abdic. rerum*) : « Ne festines sedere coram majore : si vero tibi præcipiat, ne sedeas in eadem cum illo sella; sed respiciens hinc inde, festina inferiorem invenire cathedram, ut te Deus ob hanc humilitatem honoret. » S. Fructuosus (*Cap.* 12) : « Coram senioribus suis prior nullus ambulet, neque non jussus sedeat vel loquatur, sed honorem fratri seniori et reverentiam ut condecet competenter exhibeat. » Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 22) : « In consessu sororum si alia supervenerit, quæ juniores sunt ordine consurgant, et seniori locum præbeant, » si nimirum ibidem remanere debeat : nam si pertranseat tantummodo, « debet parum surgere et caput inclinare, petens benedictionem, » inquit Hildemarus.

832 Quod vero S. Benedictus ait : *Nec præsumat consedere, nisi ei præcipiat senior suus*, majorem informat, ut loquitur Bernardus Cassinensis, « ut sicut junior assurgit, benedictionem petit, et locum sedendi reverenter ostendit : ita et prior quasi eodem D momento, ut salutando benedicat, et ut juxta eum sedeat, vel alibi prope, debet quodammodo prævenire; et sic impletur quod sequitur, *honore invicem prævenientes.* » Unde etiam Hildemarus ad hunc locum : « Sciendum est quia debet in capitulo abbas docere, ut sicut junior surgere debet ante suum seniorem, ita et ipse prior statim innuat juniori sedere. Quod si non dixerit statim sedere prior juniori suo surgenti, admoneatur regulari disciplina, sicut diximus, per septem gradus. Si autem non se emendaverit, debet in ultimo gradu illum priorem constituere, et discat qualiter prior debeat juniori suo sedere dicere. » In ipsa vero sessione illud S. Basilii observandum : « Cum sedes, crus cruri ne superponas; hoc est enim elatæ et non attentæ mentis. »

Porro non solum monachis, sed ipsis etiam ethnicis sacratus fuit senio iste assurgendi usus : « Omni seniori, inquit Aristoteles (*Lib.* IX *Ethic.*, *cap.* 2), honor pro ætate reddendus est assurgendo, et sessione cedendo, atque hujusmodi cæteris. » Et Cicero (*De Senectute*) : « Lacedæmonii venientibus senibus omnes in theatro assurgere solebant, et eos sessum recipere. » Et Juvenalis de Romanis (*Satir.* 13) :

Credebant hoc grande nefas, et morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerit, et si
Barbato cuicunque puer.

Pueri parvuli.] Recte S. Benedictus cum additione dicit, « pueri sive parvuli ad differentiam famulorum et filiorum, » inquit Boherius; « nam puer, ut docet S. Hieronymus (*In epist. ad Titum*), secundum Græcos et famulum significare potest et filium. »

Cum disciplina ordines suos consequantur.] « Juxta tempus ingressionis suæ in monasterium, inquit Menardus, non solum inter se, sed etiam inter alios monachos; quia ætas non debet discerni, nec præjudicare in ordine, ut supra dixit, nisi forte abbas rationabili causa velit aliquem eis præferre. » Contrarium tamen supra docuerunt Boherius, et Haeftenus, l. IV, tr. 1, disq. 6, ubi ex hoc Regulæ textu recte omnino intulit pueros olim in ordine nostro seorsum ab aliis monachis institutos fuisse, quia, inquit, « dum ait *ordines suos*, aperte significat eos non commiscendos ordinibus seniorum, sed habere particularem inter se ordinem. Unde Bernardus Cassinensis ait : Hic fit mentio de pueris qui sua loca specialia, suosque speciales habent magistros, nec sedent nec stant cum aliis majoris ætatis. » Atque hanc fuisse communem ordinis consuetudinem probant ea quæ diximus in lib. V de Antiquis monachorum Ritibus, cap. 5. Eamque S. Benedictus potuit accipere a S. Basilio in Regul. fus., c. 15, ubi pueros a senioribus ita separandos constituit, ut tamen communes sint omnibus preces.

Foris autem vel ubi ubi.] « Hoc est in omni loco : nam cum **833** dicit ubi, nullum locum prætermittit, » inquit Hildemarus.

Custodiam habeant, et disciplinam, usque dum ad intelligibilem ætatem perveniant.] Hildemarus, quem sub nomine Pauli Diaconi hic citant Bernardus Cassinensis et Boherius, ætatem intelligibilem sic intelligit usque ad annos 15 in bene morigeratis, ut alios etiam usque ad viginti, imo triginta annos ferulæ magistrali subdendos existimet, si desit eis necessaria maturitas.

CAPUT LXIV.

De ordinando abbate.

In abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur quem sibi omnis concors congregatio [a] secundum timorem Dei, sive etiam pars quamvis parva congregationis saniori [b] consilio elegerit. Vitæ autem merito et sapientiæ doctrina eligatur qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in ordine congregationis. Quod si etiam omnis congregatio vitiis suis, quod quidem absit, consentientem personam pari consilio elegerit [c], et vitia ipsa aliquatenus in notitia episcopi ad cujus diœcesim per-

[a] Narb., cum duobus aliis mss. et quatuor editis, *cohors congregationis.* Lyr., *consors.*

[b] Narb., *seniori.*

[c] Al., *elegerint.*

vinet locus ipse, vel abbatibus [a], aut vicinis Christianis claruerint, prohibeant pravorum prævalere consensum, sed domui Dei dignum constituant dispensatorem; scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste et zelo Dei faciant, sicut e diverso peccatum, si negligant.

Ordinatus autem abbas cogitet semper quale onus suscepit, et cui redditurus est rationem villicationis suæ. Sciatque sibi oportere prodesse magis quam præesse. Oportet ergo eum esse doctum lege divina, ut sciat et sit unde [b] proferat nova et vetera, castum, sobrium, misericordem, semper superexaltet misericordiam judicio [c], ut idem ipse consequatur. Oderit vitia, diligat fratres.

In ipsa autem correptione prudenter agat, et ne quid nimis, ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vas: suamque fragilitatem semper suspectus sit, memineritque **834** calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus ut permittat nutriri vitia, sed prudenter et cum charitate ea amputet, ut viderit cuique expedire, sicut jam diximus; et studeat plus amari quam timeri. Non sit turbulentus et anxius [d], non sit nimius [e] et obstinatus, non sit zelotypus et nimis suspiciosus, quia nunquam requiescet [f].

In ipsis imperiis suis sit providus et consideratus, sive secundum Deum, sive secundum sæculum sint. Opera quæ injungit discernat et temperet, cogitans discretionem sancti Jacob, dicentis: *Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die* (*Gen.* XXXIII). Hæc ergo aliaque [g] testimonia discretionis matris virtutum sumens, sic omnia temperet, ut sit quod et fortes cupiant [h], et infirmi non refugiant. Et præcipue, ut præsentem regulam in omnibus conservet [i]; ut dum bene ministraverit, audiat a Domino, quod servus bonus qui erogavit triticum conservis suis in tempore suo: *Amen dico vobis, ait, super omnia bona sua constituet eum* (*Matth.* XXIV).

[a] Al., *ad abbates, aut vicinos Christianos.*
[b] Al., *ut sciat unde.*
[c] Al., *misericordia judicio.* Al., *misericordia judicium.*
[d] Narb., *anxiosus.*
[e] Al., *nimius nec nimius.*
[f] Cass., Flor., Conc., cum quibusdam mss., *requiescit.* Narb., *requiesceret.*
[g] Narb., *aliqua.*
[h] Narb., *ut et fortibus sit quod cupiant.*
[i] Al., *conservent.*

COMMENTARIUS.

In abbatis ordinatione.] Id est electione; sic enim antiqua jura loquuntur, inquit Bohe ius. De ea pluribus egimus in libro V de Antiquis monachorum Ritibus, c. 1.

Illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur quem sibi omnis concors congregatio, etc.] Ad ipsam ergo congregationem pertinebat abbatis electio. Hæc fuit antiqua ordinis monastici disciplina, priscorum monachorum regulis, ecclesiasticis civilibusque sanctionibus confirmata, ut probat hic Menardus, patetque ex antiqua formula chartæ faciendæ cum aliquis monasterium in proprio ædificat, ex formula condendi beneficii, quas videre est in Sæc. IV Bened., part. I, p. 743; ex Vita S. Benedicti Anianensis, n. 27; ex plurimis imperatorum, regum ac principum diplomatibus, quorum nonnulla exhibet Veterum Analectorum tomus IV. Quamvis in abbatis ordinatione aliam inierit rationem Regula Magistri: ut nimirum is ordinetur quem moriturus abbas ante obitum elegerit. **835** Aut si improvisa morte abbatem defungi contingat, ab episcopo et clero unus ex proximis abbatibus eligatur, qui triginta diebus in congregatione maneat; quibus expletis, quem hic designaverit ex congregatione, ille abbas sit. Verum non solum a congregatione, sed etiam ex ipsa abbas ordinandus eligi debebat: aut si idoneus in illa non esset repertus, alius ex alio monasterio, ut patet ex formulis citatis et diplomatibus hac de re innumeris: inauditi enim antiquis monachis abbates sæculares, qui sæculo præsertim VIII sinente Carolo Martello prodierunt, de quibus *vide* præfat. ad Sæc. III Bened., part. I, p. 89.

At vero quod S. Benedictus ait: *Sive etiam pars quamvis parva congregationis saniori consilio elegerit*, non parum torquet aliquorum ingenia. Hildemarus non satis clare mentem suam explicat, hunc in locum hæc scribens: « Hoc notandum est, quia in hoc loco, hoc quod dicit, *quamvis parva*, subintelligitur si media pars congregationis saniore consilio, sive etiam pars major congregationis saniore consilio elegerit, illis consentiendum est qui saniore, id est meliore consilio eligunt. Quid est parva congregatio? Verbi gratia, si quinquaginta monachi sunt qui malum abbatem eligunt, et sunt duo boni fratres qui meliorem abbatem eligunt, istis duobus consentiendum est, et non illis quinquaginta, etc. » Nam, si nihil deest in textu ejus, primo minorem congregationis partem intelligere videtur *mediam fratrum partem*; deinde contrarium docere, asserens duorum melius consilium quinquaginta malis esse præferendum, id quod aliis hujusmodi exemplis confirmat. Huic sententiæ omnino opponitur Joannis Caramuelis opinio, qui in suo super Regulam S. Benedicti commentario, n. 1479, ad hunc locum sic scribit: « Verba sunt difficilia, et ni bene examinentur, vere schismatica apparent. Si pauci saniori consilio quempiam eligant, ille sit abbas. Sed quis resolvat utra pars nitatur saniore consilio? Fere omnes existimant D. Benedictum asseruisse illum debere esse monasterii antistitem qui saniori etiam minoris partis consilio electus fuerit. Verum non ita exponenda est littera, nisi forte quis velit menti legislatoris contraire. Non comparat divus Pater partem minorem majori, sed partem toti: dicit illum esse declarandum abbatem quem vel tota communitas elegerit, vel saltem pars sanioris consilii, licet parva, hoc est pars cui plures subscripserunt, licet pauci. Exemplo res clarior evadet: Dantur viginti activæ voces; si omnes Petro faveant, nulli est quæstioni locus. Si ipsi faveant quatuor, Joanni septem, Paulo sex, et Ambrosio reliquæ: vult institutor sanctissimus præponi Joannem: quamvis enim sit parva congregationis pars quæ illum elegit, numerosior tamen est aliis, et propterea sanior præsumitur. » Econtra Paulus Augustinus a Janua monachus Cassinas, quam Caramuel fere omnium esse dicit interpretationem, et tamen reprobat, propius ad S. legislatoris mentem accedere sibi persuadet ex antiqua sui cœnobii, ut ait, intelligentia, et ex praxi: quod probat ex codice abbatis Joannis, is est Hildemari commentarius, qui, ut vidimus, ad hæc verba sic habet: « Si quinquaginta **836** monachi sunt qui malum abbatem eligunt, et sunt duo boni fratres qui meliorem eligunt abba-

tem, istis duobus consentiendum est, et non illis quinquaginta. Similiter si centum, similiter si ducenti, quingenti, etc.; alii vero tres, vel quatuor, vel quinque, etc. » Et ex Richardo : « Pars parva numero præfertur majori consilio. Et scias quod tunc præfertur majori parti, quando major pars eligit scienter indignum, secundum quosdam : secus, si ignoranter ; tunc enim utraque cassaretur. » Paulo aliter tamen legit, qui penes nos est codex ms. Richardi de S. Angelo : nam ad verbum *parva*, « Supple, inquit, numero tamen majori, et saniori consilio, ut infra sequitur : » quæ est ipsissima Caramuelis sententia. Addit tamen : « Et scias quia tunc præfertur minor majori, quando major pars eligit scienter indignum ; secus, si ignoranter, quia tunc utraque electio cassaretur, ut extra.de electione *Scriptum est;* et iterum in simile celebrarent aliam electionem, ut c. t. victoum. Aliqui dicunt quod si electiones factæ sunt uno contextu, et minor pars eligat dignum, et major pars indignum etiam ignoranter, quod valet electio facta a majore parte. Hoc audivi a magistro Richardo de Senis doctore meo, cum legebat cap. *Congregato*, extra de electione. Si vero omnes elegerunt ignoranter indignum, tunc non sunt privati potestate eligendi, sed debent iterum eligere, ut legitur et nota c. t. *Innotuit.* » Ad interrogationem vero Caramuelis, quis nimirum resolvet utra pars saniore nitatur consilio? respondet Paulus Augustinus a Janua ex mente Regulæ hoc pertinere ad abbates, et vicinos Christianos, vel episcopum loci : tandemque suam sententiam confirmat exemplo Innocentii papæ II, qui, defuncto Honorio II, sexdecim tantum cardinalium suffragiis summus pontifex renuntiatus, Anacleto, quem paulo post unus supra viginti cardinales elegerant, prælatus est. Eadem videtur fuisse Menardi sententia, qui parvam partem interpretatur minorem, sentitque hic esse hellenismum, quo positivus pro comparativo ponitur, quod docte suo more probat.

Vitæ autem merito et sapientiæ doctrina eligatur qui ordinandus est.] Declarat hic S. Pater qualem velit in abbatem eligi, nimirum aliquem vitæ merito et sapientiæ doctrina inclytum; nam, etsi « cœnobitæ sufficiat vitæ meritum, ut loquitur Boherius, sapientiæ tamen habere doctrinam convenit abbatem. » Hic enim locum habere potest illud S. Hieronymi : « Sancta rusticitas quantum ex vitæ merito ædificat Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat. » Resistere autem non potest, nisi fuerit sapientiæ doctrina instructus. Quantum ergo fieri possibile est, et vitæ sanctitate, et scientia fulgeat, qui in abbatem ordinandus est. Quod si talis reperiri nequeat, ex Hildemaro præstat sanctum ac pium doctrina carentem ordinare, quam doctum, qui alioqui malis sit moribus : quanquam si non sit multum malus, sed magis fragilis, potius eligendus sit vir doctus, alioqui disciplinæ zelum habens, quam pius et sanctus, sed discretione carens. Porro, ut ait Bernardus Cassinensis, « vitæ meritum **837** ad conscientiæ sanitatem et ad sanctorum refertur veritatem. Sapientiæ vero doctrina ad prudentiam, et ad sanam intelligentiam, et ad facundam eloquentiam, et ad eminentem, vel minus competentem scientiam, et ad temporalium prudentiam potest congrue aptari. »

Etiamsi ultimus fuerit in ordine congregationis.] Hæc verba duplicem sortiri possunt intellectum. 1° Ut etiam ex fratribus ultimus genere, si mereatur, eligatur ; neque enim ulla in his generis aut prosapiæ habenda est ratio; unde et S. Benedictus Biscopus abbas, inter alia ad fratres monita, teste Beda (*Sæc.* II *Ben.*, *pag.* 1007) : « Hoc sedulus eisdem solebat iterare mandatum, ne quis in electione abbatis generis prosapiam, et non magis vivendi docendique probitatem putaret esse quærendam. Et vere, inquiebat, dico vobis, quia in comparatione duorum malorum, tolerabilius mihi multo est, totum hunc locum in quo monasterium feci (si Dominus judicaverit) in solitudinem sempiternam redigi, quam ut frater meus carnalis, quem novimus viam veritatis non ingredi, in eo regendo, post me abbatis nomine succedat, etc. » 2° Ut etiam ultimus professione, si tantæ sit maturitatis et prudentiæ, defuncto abbati succedat : neque enim ætas in his præjudicare debet, aut gradus, ut docet Justinianus imperator in novellis 5 et 123; unde etiam Ingelardum Corbeiensem monachum, cum adhuc esset in scholis, et solum subdiaconus, Centulensi monasterio præfectum legimus circa medium sæculum X in Chronico Centulensi, lib. III, cap. 23 ; Wilfetrudem Nivialensi, Austrudem Laudunensi annos duntaxat viginti natas, in utriusque Vita ; Rusticulam, sive Marciam anno ætatis suæ duodevigesimo Arelatensi. Quid quod Gertrudi abbatissæ Hamaticensi mortuæ suffecta est Eusebia duodennis, ut habetur in Vita S. Rictrudis, cap. 16 ? Hæc tamen exempla quæ proferimus, caute accipi volumus : neque enim in electionibus *exhonorandum est omnino tempus, et ex eo ordo*, ut dicebat Justinianus (*Novella* 5), nec decet omnino artis spiritalis tirunculos discipulosque statim evadere in magistros. Id vetant tam monasticæ quam ecclesiasticæ leges : « Nullus congregationi fratrum præfuturus eligitur, inquit Cassianus de antiquis monachis loquens (*Lib.* II, *c.* 3), priusquam idem qui præficiendus est quid obtemperaturis oporteat imperari obediendo didicerit, et quid junioribus tradere debeat institutis seniorum fuerit assecutus ; bene enim regere, vel regi sapientis esse pronuntiant, summumque donum et gratiam S. Spiritus esse definiunt : nam neque salutaria præcepta quempiam posse obtemperantibus præstituere, nisi eum qui prius universis virtutum disciplinis fuerit instructus ; nec obedire quemquam seniori posse, nisi eum qui consummatus timore Dei et humilitatis fuerit virtute perfectus. » Et S. Fructuosus in Regula monastica communi (*Cap.* 3): « Primum prævidendus est abbas, vitæ sanctæ institutione duratus, non conversatione novellus, sed qui per diuturnum tempus in monasterio sub abbate desudans inter multos est comprobatus. » Similiter S. Gregorius papa (*Lib.* III *Regist.*, *cap.* 11) : « Juvenculas abbatissas fieri vehementissime **838** prohibemus. » In Jure etiam canonico legitur : « In magistrum assumi non debet qui formam discipuli non assumpsit ; neque præficiendus est qui subesse non didicit. » Idem docet Zosimus papa ad Hesychium, cap. 1 ; Cœlestinus item papa ad episcopos Galliæ scribens, cap. 3, et Ruricius lib. II, epist. 25, ac tandem concilium Tridentinum decernit (*Sess.* 25, *de Regul.*, *c.* 7), ut « abbatissa et priorissa et quocunque alio nomine præfecta, vel præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, et quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio ejusdem ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum superiori, qui electioni præest, videatur, ex iis quæ in eodem monasterio annum trigesimum excesserint, et quinque saltem annis post professionem recte vixerint, episcopo vel superiore consentiente, eligatur. » Et hæc quoad feminas. Viros autem quod spectat, ex jure nunc debent esse sacerdotes, ac proinde annum attigisse ætatis vigesimum quintum. Id primum decretum est anno 826 ab Eugenio II, in concilio Romano, his verbis (*Can.* 27) : « Abbates per monasteriales ordinentur, qui sibi subjectos bene regere possint, sacerdotalem quoque gradum adepti. » Et postea in concilio Pictaviensi anno 1078 (*Can.* 7) : « Abbates diaconi qui presbyteri non sunt, presbyteri fiant, aut prælationes amittant. » Longe tamen antea id quasi pro lege usus obtinuerat, ut patet ex Actis sancti Maximini abbatis, cap. 5 (*Sæc.* I *Ben.*, *ad an.* 520, *pag.* 585), ubi unum ei defuisse dicitur, *quo insigniri debet*, SECUNDUM REGULAREM SANCTIONEM, *qui monachis præest*, *sacerdotale scilicet ministerium :* quod rogante S. Euspicio ab Eusebio episcopo acce-

pit, qui *insuper et benedictionem, qua Patres abbatesque monachorum confirmari solent, superaddidit;* et ex Actis S. Leobini abbatis primum, deinde episcopi Carnotensis (*Sæc.* I *Ben.*, *ann.* 556, *pag.* 124), cujus sanctitatem cum Ætherius episcopus perspiciens, *eum ad diaconatus proveheret officium, et fratribus Brajacensis monasterii præponeret, dignum duxit ut præfecturæ officium commodius ageret, ad presbyterii onus eum ordinabiliter sublimaret.*

In Occidente tamen haud ita generalis usus ille evaserat; nam et multos reperimus abbates diaconos duntaxat, et S. Eugendus abbas Jurensis (*Sæc.* I *Ben.*, *pag.* 572) dicebat « utilius multo esse abbati propter juniorum ambitionem, liberum a sacerdotio præesse fratribus, et non illigari dignitate quam abrenuntiantes ac remotos minime convenit affectare. » At longe alia erat mens Orientalium monachorum (*Monum. Ecclesiæ Græcæ tom.* III, *pag.* 205), ex quibus qui S. Sabæ abbati rebelles exstitere, eo inter alia nomine eum ad Salustium episcopum accusarunt, quod « neque ipse ordinem sacrum haberet, B neque alium clericum fieri permisisset. » Et certe ante S. Sabam omnes communiter abbates sacerdotio fungebantur, ut probat imprimis epistola Martini, Petri, et aliorum numero decem et octo archimandritarum ad Marcianum imperatorem contra Eutychetem, qui omnes erant sacerdotes (*Tom.* IV *Conc. Labb.*, *pag.* 531); Acta depositionis Eutychetis hæresiarchæ factæ in concilio Chalcedonensi, act. 7, (*Tom.* IV *Conc. Labb.*, *pag.* 230), cui ex viginti tribus abbatibus octodecim sacerdotes subscribunt; denique libellus monachorum ad concilium **839** Constantinopolitanum tempore Justiniani imperatoris pro condemnatione Severi (*Tom.* V *Concil.*, *pag.* 171), in quo abbates sexaginta quatuor subscribunt, sacerdotes omnes, uno excepto diacono; tandem alter libellus monachorum Apameæ ad proprios episcopos de sceleribus Petri (*Tom.* V *Concil.*, *p.* 250), in quo ex decem et octo abbatibus sexdecim leguntur sacerdotes, duo diaconi. Quid quod ipsæ abbatissæ C prius ordinarentur diaconissæ? ut docet Henschenius in notis ad Vitam S. Eupraxiæ, probatque ex Vita sanctæ Irenes (13 *Martii*, *Bolland.*).

Cæterum ex hoc S. Regulæ textu manifestum est ex ipso congregationis corpore, et non aliunde, maxime si alterius ordinis existant, abbates eligendos esse, nec nisi per summum abusum clericos, ut vocant, sæculares monachorum cœnobiis prælici, contra expressam S. Gregorii papæ prohibitionem (*Lib.* III *Regist.*, *cap.* 11): « Presbyteros, diaconos, cæterosque cujuslibet ordinis clericos, qui ecclesiis quoquomodo militant, abbates fieri per monasteria non permittas; sed aut admissa clericatus militia monasticis non promoveantur ordinibus; aut si in abbatis loco permanere decreverint, clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cum unum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus; sicque invicem et ecclesiasticus ordo vitæ monachicæ et ecclesiasticis utilitatibus D regula monachatus impediatur. » Recte alibi idem S. doctor (*Lib.* I *Dialog.*, *cap.* 1): « Usus quidem rectæ conversationis est, ut præesse non audeat, qui subesse non didicerit; nec obedientiam subjectis imperet, quam prælatis non novit exhibere. »

Quod si etiam omnis congregatio, etc. *Prohibeant pravorum prævalere consensum.*] Et quidem episcopus, coercendo pravos sua auctoritate; abbates, fratres dirigendo consilii sanitate; vicini Christiani, manuali, si necesse sit, adjuvando exsecutione, ut cum Bernardo Cassinensi loquar.

Scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste et zelo Dei faciant.] Caste, id est *sine corruptione vanæ gloriæ aut præmiorum;* et zelo Dei, id est *amore perficiendi Dei præcepta*, ut exponit Hildemarus.

Sicut e diverso peccatum si negligant.] Ex hoc loco A patet olim abbates eorumque monasteria, sub episcoporum jurisdictione fuisse; licet postea, ad consulendum monasteriorum quieti, et compescendas quorumdam episcoporum exactiones, prudenter sit provisum ut ab hujuscemodi episcoporum subjectione eximerentur monachi. Verumtamen hujus exemptiones valde improbavit Richardus archiepiscopus Cantuariensis ad Alexandrum III summum pontificem ita scribens (*Apud Petrum Blesens. epist.* 68): « Monasteria quæ hoc beneficium damnatissimæ libertatis, sive apostolica auctoritate, sive, quod frequentius est, bullis adulterinis adepta sunt, plus inquietudinis, plus inobedientiæ, plus inopiæ incurrerunt; ideoque et multæ domus quæ nominatissimæ sunt in sanctitate et religione, has immunitates aut nunquam **840** habere voluerunt, aut habitas continuo rejecerunt. » Et antea: « Quæ est hæc forma justitiæ, aut potius juris deformitas, prohibere ne discipuli magistro consentiant, ne filii obediant patri, ne milites sequantur principem, ne servi domino sint subjecti? Quid est eximere ab episcoporum jurisdictione abbates, nisi contumaciam et rebellionem præcipere, et armare filios in parentes? » Eadem erat mens Petri Blesensis, qui Richardi nomine prædictam epistolam scripsit; quique ad Guillelmum abbatem fratrem suum scribens eum ab inducenda hujusmodi exemptione ita dehortatur (*Epist.* 90): « Si Romanus pontifex a jurisdictione vestri episcopi vos exemit, nolite, quæso, uti privilegio quod materiam rebellionis inducit. »

Verum longe alia erat mens S. Gregorii papæ, qui necessarias hujusmodi exemptiones propria didicerat experientia, uti ipse testatur his verbis: « Quam sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, et de eorum perpetua securitate tractare, anteactum nos officium, quod in cœnobii regimine exhibuimus, informat. Et quia in plurimis monasteriis multa a præsulibus præjudicia atque gravamina monachos pertulisse cognoscimus, oportet ut nostræ fraternitatis provisio de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione, quatenus conversantes in illis, in Dei servitio, gratia illius suffragante, mente libera perseverent. » Eamdem necessitatem agnoverat S. Theodorus Siceota, cœnobiorum in Galatia archimandrita, qui a Mauritio imperatore et Cyriaco patriarcha C. P. privilegium obtinuit, ut sua monasteria « nulli alii episcopatui subjecta essent, sed sanctissimæ tantum et magnæ Ecclesiæ apostolicæ regiæ ipsius civitatis, » quemadmodum scribit Georgius illius discipulus in ejus Vita, num. 72. Et Gregorius VII (*Lib.* II, *epist.* 69): « An ignoras quod SS. Patres plerumque et religiosa monasteria de subjectione episcoporum, et episcopatus de parochia metropolitanæ sedis, propter infestationem præsidentium diviserunt, et perpetua libertate donantes, Apostolicæ sedi velut principali capiti suo membra adhærere sanxerunt? » *Vide* Petri Venerabilis epist. ad S. Bernardum, et Notas ad Petri Blesensis epistolam 68.

Ordinatus autem.] Et quidem ab episcopo, ut diximus in lib. V de Antiq. monachorum Ritibus.

Cogitet semper quale onus suscepit.] In quem locum Hildemarus: « Sciendum est enim quia non dicit honor, sed onus, id est pondus, et bene pondus dicit illum suscepisse, et non honorem, quia qui hoc pondus suscipit, non ut honoretur suscipere illud debet, sed ut laboret, et aliis proficiat. »

Sciatque sibi oportere prodesse magis quam præesse. Ita quoque S. Bernardus (*Serm.* 36 *de diversis*): « Puritatem quidem cordis in eo prælatus habeat, ut prodesse desideret, non præesse, ut scilicet proprium commodum, vel honorem sæculi, seu aliud quidpiam in prælatione non quærat, præter solum beneplacitum Dei, et animarum salutem. » Et alibi: « Improbe satis præesse affectas, quibus prodesse non curas; et **841** quorum non zelas salutem, subjectionem nimis ambitiose vindicas tibi. » Et

Iterum ad Eugenium papam (*Lib.* III *de Consid.*, *c.* 1): « Ita et tu præsis, ut provideas, ut consulas, ut procures, ut serves; præsis, ut prosis; præsis ut fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: ad quid? ut des illis escam in tempore, hoc est ut dispenses, non imperes. Hoc fac, et dominari ne affectes hominum homo, ut non dominetur tui omnis injustitia. »

Oportet ergo eum esse doctum lege divina.] Etsi « constet neminem prorsus ob imperitiam litterarum a perfectione cordis excludi, nec rusticitatem obesse ad capessendam cordis atque animæ puritatem, » ut loquitur Cassianus (*Collat.* 10, *cap.* 14); imo cum sæpe « scientia sæcularis, teste S. Bernardo (*Serm.* 9, *in Cant.*), inebriet curiositate, non charitate, implens, non nutriens, inflans, non ædificans, ingurgitans, non confortans; » necessariam esse nihilominus abbati, et omni animarum pastori, si non sæcularem, saltem divinæ legis scientiam nemo jure dubitaverit: quin et sæcularem, si recte utatur, omnino perutilem. Divinæ vero legis scientiam Hildemarus interpretatur Veteris et Novi Testamenti cognitionem: ego autem prætcrea sanctiones tam ecclesiasticas quam monasticas, sanctorumque Patrum scripta.

Ut sciat et sit unde proferat nova et vetera.] Quod Richardus de S. Angelo exponit *dicta Novi et Veteris Testamenti*. Verum Hildemaro « ille scit nova et vetera proferre, qui cognoscit dicere pœnam perpetuam, et gaudium patriæ cœlestis. Quid enim, inquit, per nova nisi gaudium, et quid per vetus nisi pœna intelligitur? quia, sicut B. Gregorius dicit, ille in sancta Ecclesia doctus prædicator est, qui et nova scit proferre de suavitate regni, et vetusta dicere de terrore supplicii. »

Misericordem, semper superexaltet misericordiam judicio.] Apposite hic Hildemarus: « Notandum est quia misericordem oportet illum esse in cibo, et potu, et vestitu. Si autem in vitiis ventum fuerit, et ibi dubium fuerit utrum pœnam exerceat an misericordiam, tolerabilius est flectere ad misericordiam quam ad pœnam. » Simili fere modo loquitur Bernardus Cassinensis: « Sit in abbate justitia, sed non crudelis: sit misericordia, sed non multum remissa. Sed ubi dubium est de aliquo judicio, nunquam intendum est per se justitiæ severitate: ubi vero clarum est judicium, ultra condignum nunquam, sed circa condignum exercendum erit. Et hoc modo misericordia judicio præponitur et exaltatur. » Eximium hujusce misericordiæ habes exemplum in Petro Venerabili Cluniacensi abbate (*Lib.* VI, *epist.* 46), cujus ipse testis auctorque est ab omni fuco alienus: « Assuetus sum pati, inquit, assuetus et indulgere. Declarat hoc (quod tamen non superbe jactito) de Pontiano schismate, in quod cum innumeri declinaverint, ac nefanda et in ordine monastico inaudita fecerint, nunquam gladium meum, nunquam mucronem, nunquam frameam experti sunt, vix unquam asperum verbum de ore meo audierunt. Feci hoc **842** tunc, feci et postea sæpe, etiamsi non de tam gravibus, tamen de gravibus, et juste forsan, nisi to[lerantia] intercessisset, graviter puniendis excessibus: facio et adhuc frequenter, nec, ut sic dicam, facere assidue cesso. » Sed et S. Odilo ejusdem decessor (*Petrus Dam. in ejus Vita*) etiam eo nomine reprehensus respondebat, quod si damnandus foret, se malle ob clementiam quam ob severitatem damnari. Et certe tales decet esse pastores, qualem se supremus omnium et bonus pastor exhibuit, qui nusquam delictum aliquod ex condigno punivit. Plus enim aliquando obsunt prælati nimia severitate, quam si impunitum omnino peccatum reliquissent: exasperant animos, non corrigunt; et quos emendare debuerant, in pejus ruere faciunt. Quemadmodum enim qui debili dorso graviorem sarcinam imponit, aut sarcinam abjicere, aut sub ejus pondere infirmum succumbere cogit, haud secus abbates qui gravio- A rem delinquentibus pœnitentiam injungunt, aut detrectare judicium, aut illud subeundo gravius delinquere faciunt. Unde et Mabillonius noster (*Præf. in Sæc.* IV *Benedic.*, *part.* I) inter alias collapsæ disciplinæ regularis causas, primo loco quorumdam abbatum nimiam rigiditatem ponit; cum nonnulli errata monachorum suorum punirent orbatione oculorum, ac membrorum mutilatione: id quod prohibent Carolus Magnus in capitulari anni 789, c. 16, et Patres concilii Francofurtensis anno 794, c. 18.

Oderit vitia, diligat fratres.] Idem monet S. Gregorius (*Lib.* IX, *epist.* 8): « In correctione hunc esse ordinem noveris, ut personas diligas, vitia persequaris. » Et in alio loco (*Lib.* I, *epist.* 24): « Summus itaque locus bene regitur, cum is qui præest, vitiis potius quam fratribus dominatur: bene acceptam potestatem regit, qui et tenere illam novit et impugnare; bene hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, scit cum illa cæteris in æqualitate com- B poni. » Eamdem ipse S. pontifex servabat regulam: unde et ad Venantium Italiæ cancellarium scribens (*Lib.* I, *epist.* 33), « sic, inquit, culpam tuam insequor, ut te diligam: sic personam diligo, ut cum ea vitium non amplectar. » Eamdem et S. Fulgentius (*Bolland.*, 1 *Januar.*), qui « odiens vitia, diligens homines, tandiu severus apparebat quandiu disciplinæ spiritualis utilitas exigebat: alias autem circa singulos ita mansuetus fuit, et communis, et facilis, ut neminem fratrum puro nomine clamitaret, neque cum typho sæcularis dominationis aliquibus quamvis parvulis imperaret. »

In ipsa autem correptione prudenter agat.] Qualiter fieri debeat correptio, alio juvat ex ore audire: « In his, qui plerumque contingere solent, lapsibus et erroribus, inquit S. Dorotheus monasteriorum præfectos alloquens (*Doctr.* 17), ne nimium indigneris; sed absque animi perturbatione illius erroris aut delicti deformitatem et damnum ostende. Increpa qui- C dem, si opus fuerit, servata tamen utriusque personæ qualitate, et dignitate, et tempore opportuno. Noli vero in parvis erratis minimisque delictis nimius exactor et severus indagator existere, tanquam et tu nimium fueris justus, et perfectus juris interpres. Noli etiam frequenter et assidue increpare et arguere; **843** hoc enim grave admodum est, et durum, et ex assiduitate vilescit, minimeque sentitur. Neque superbe et cum imperio præsis et imperes; sed cum animi humilitate et mansuetudine consule cum fratre tuo. » Ex quibus vides ad prudentem utilemque correptionem necessarium esse: 1° ut fiat absque indignatione et animi perturbatione; 2° observando personæ qualitatem, dignitatemque, ac tempus opportunum; 3° ut pro minimis erratis non sit nimia; 4° ut non sit frequens et assidua; 5° ut cum humilitate et mansuetudine fiat.

Et ne quid nimis.] Solemne effatum, ab antiquis valde celebratum, et tanquam pro certa discretionis D et prudentiæ regula positum, cujus auctorem Solonem sapientem facit Diogenes Laertius in lib. I de ejus Vita, quodque hic merito a S. Benedicto positum existimat Boherius « propter duo extrema justitiæ sive æquitatis, scilicet severitatem et remissionem; quia utrumque in corrigendo et puniendo vitium habet. » Hinc Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 1): « In utroque abbatissæ cavendum est, ne aut nimia bonitate in subjectarum cordibus vitia nutriat, aut nimia disciplinæ auctoritate ea quæ leni increpatione sananda fuerant, rigida correptione diripiantur. » Id præcipue in Urbico abbate redarguit S. Gregorius papa (*Lib.* IX, *epist.* 42): « Vehementer ingemisco, inquit, quia aliter esse monasterium vestrum, quam putabam, invenio: quod ex nulla re alia evenire valuit, nisi quia tua dilectio in regimine suo inordinata est, nec cum gravitate aliquid valet disponere, sed modo studet precantibus leniter blandiri, modo inordinate extra modum nimie irasci. »

Porro licet S. legislator ad utramque respexerit, et nimiam severitatem cum indiscreta remissione ex æquo damnaverit, primam tamen præsertim intendisse sequentia verba demonstrant

Nedum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vas.] Alia similitudine utitur S. Gregorius Bononi abbati Lerinensi ita scribens (*Lib.* IX, *epist.* 8) : « Sic enim vulnus debes abscindere, ut non possis ulcerare quod sanum est, ne si plus quam res exigit ferrum impresseris, noceas cui prodesse festinas. » *Vide* S. Dorothei doctrinam 6.

Suumque fragilitatem semper suspectus sit.] Egregie in hanc rem S. Gregorius papa (*Lib.* XXIII *Moral.*, c. 8) : « Consideremus qui aut tales sumus, quales nonnullos corrigimus, aut tales aliquando fuimus, etsi divina gratia operante non sumus, ut tanto temperatius corde humili corrigamus, quanto nosmetipsos verius in his quos emendamus agnoscimus. Si autem tales nec sumus, nec fuimus, quales adhuc illi sunt quos emendare curamus, ne cor nostrum forte superbiat, et de ipsa innocentia pejus ruat, quorum mala corrigimus, alia eorum bona nobis ante oculos revocemus : quæ si omnino nulla sunt, ad occulta Dei judicia recurramus, quia sicut nos meritis nullis hoc ipsum bonum quod habemus accepimus, ita illos quoque potest gratia supernæ virtutis infundere, ut excitati posterius, etiam ipsa possint bona quæ nos ante accepimus prævenire. »

Memineritque calamum quassatum non conterendum.] **844** « Id est monachum, inquit Smaragdus, maculis peccatorum confectum, variisque vitiis conquassatum, ad desperationis foveam, vel fugæ lapsum non impellendum. Calamum enim quassatum sine dubio conterit, qui peccatori non salutis, sed perditionis præbet occasionem. Hinc B. Hieronymus ait (*In Matth.* XII) : Qui peccatori non porrigit, nec portat onus fratris sui, iste quassatum calamum confringit. » Id quod duobus fieri docet Richardus de S. Angelo : « 1° Si per superfluam remissionem seu immoderatam dimittitur peccatum, et sic incurrit laqueum perpetuæ mortis ; 2° si immoderate corripitur, et per desperationem simili modo in laqueum mortis cadit : ad quod evitandum præcipitur calamum quassatum non conterendum.

In quibus non dicimus ut permittat nutriri vitia, sed prudenter et cum charitate ea amputet.] « Nihil enim fœdius præceptore furioso, qui cum deberet esse mansuetus et eruditus, econtra torvo vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effrenatis conviciis, facie inter pallorem ruboremque variata, clamore perstrepit, et errantes non tam ad bonum retrahit, quam ad malum sævitia sua præcipitat, » inquit citatus hic a Boherio S. Hieronymus in epistolam ad Titum.

Sicut jam diximus.] Nimirum supra ubi dixit : *oderit vitia, diligat fratres :* in ipsa autem correptione prudenter agat, ut exponunt Bernardus Cassin. et Boherius in secundo comm., vel capite 2 Regul., ut volunt idem Boherius in primo comm. et Richardus de S. Angelo.

Et studeat plus amari quam timeri.] Præclare ad hunc locum S. Bernardus (*Serm.* 23, *in Cant.*) : « Audiant hoc prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati raro. Erudimini qui judicatis terram ; discite subditorum matres vos esse debere, non dominos : studete magis amari, quam metui. Et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres fovendo, patres vos corrigendo exhibeatis : mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera, producite ubera : pectora lacte pinguescant, non typho turgeant. Quid jugum vestrum super eos aggravatis, quorum potius onera portare debuistis ? » At his in omnibus sequenda est regula S. Gregorii ad Bononem Lerinensem abbatem ita scribentis (*Lib.* IX, *epist.* 8) : « Ipsa in te dulcedo cauta, non remissa sit : correctio vero diligens sit, non severa : sed sic alterum condiatur ex altero, ut et boni habeant amando quod caveant, et pravi metuendo quod diligant. »

Non sit turbulentus et anxius.] « Turbulentus Smaragdo dicitur, commotionis ira turbatus, mœstus, molestus, vel atrox. Anxius vero dicitur acedia vel anxietate plenus. » Hildemaro turbulentus, « qui in vultu suo hilaritatem non ostendit : anxius est superfluus, sicut nos dicimus. Sive anxius est ille, qui uno in tempore diversa cupit agere sine aliqua interpositione. » Denique Bernardo Cassinensi « turbulentus est qui semper incedit quasi iratus, vel ira turbatus aut commotus : anxius dicitur commotus. »

845 *Non sit nimius et obstinatus.*] Secundum Hildemarum « nimius et obstinatus unum significat. Obstinatus autem est qui aliquid præcipitanter et sine revocatione facere festinat. » At Smaragdus utrumque sic distinguit, ut nimius sit « dilargus, prodigus, vel rerum monasterii nimius et superfluus dispensator. Obstinatus vero insuperabilis, obfirmatus, pertinax et obduratus. » Similiter, juxta Bernardum Cassinensem, « nimietas ad prodigalitatem pertinet : obstinatio vero ad proprii sensus obdurationem ; ne per unum res monasterii indiscrete dissipet, et per aliud de proprio sensu confidens, vel non requirat consilia, vel sequi contemnat fatue requisita. » Sed hæc omnia præclare explicant Fuldenses monachi in libello supplici ad Carolum Magnum postulantes (*Num.* 20), ut abbas « fieret non turbulentus vultu, non anxius animo, non nimius in judicio, non obstinatus in consilio ; sed hilaris facie, lætus in mente, discretus in opere, consentiens in utilitate. »

Non zelotypus et nimis suspiciosus.] Quid sit zelotypus, sive suspiciosus (eadem est enim utriusque vocis significatio) explicat Smaragdus his verbis : « Zelotypus dicitur zelo sollicitudinis plenus, et suspicionis typo repletus, qui etiam ea quæ non fiunt, fieri in absentia suspicatur, et ea quæ nemo committit, committi in abscondito pertimescit, et ideo spiritus ejus nunquam requiescit. » Hoc vitium sollicite vitabat V. Eigil abbas Fuldensis (*Sæc.* IV *Ben. part.* I), qui, ut scribit Candidus in ejus Vita, n. 8 « accusatorum nugas et frivola vaniloquia audire non consensit, sciens se inde magis turbari quam jucundari. Suspicionem prorsus menti suæ quietis amator non permisit dominari, neque angulosis viri simplex delectabatur insidiis. »

In ipsis autem imperiis sit providus et consideratus.] Et quantum ad personas quibus committuntur et quantum ad res ipsas quæ fieri imperantur, ut loquitur Bernardus.

Sive secundum Deum, sive secundum sæculum sint.] « Id est sive in temporalibus, sive in spiritalibus, » inquit Richardus de Sancto Angelo. Hildemarus hæc verba non ad *imperia*, sed ad opera quæ injunguntur refert : ubi virgulam post *consideratus* ponens, reliqua consequenter ita legit : *Et sive secundum Deum, sive secundum sæculum sit opera quam injungit, discernat atque temperet.* Quod ideo fecit, inquit Bernardus Cassinensis, « propter hoc quod in aliquibus regulis est bis illud *sit* ; dicit enim alia littera : *Sit providus et consideratus, sive secundum Deum, sive secundum sæculum sit.* Ubi vero, inquit, non est nisi unum *sit*, non est necessaria hæc expositio Pauli (id est Hildemari, quem sub nomine Pauli consuevit citare). Ubi vero est bis illud *sit*, expositio est bona : et puto illam litteram, ubi est bis, esse meliorem. » Vulgatam tamen lectionem, quam etiam habet vetustissimus codex Oxoniensis, præferendam esse censet Menardus, ita ut verbum substantivum *sint* referatur ad *imperia*, citatque Smaragdum hunc locum ita explicantem : « Imperia secundum sæculum sunt, quæ **846** ad corpus spectant, ut sunt arare, metere ; secundum Deum, quæ ad animam, ut orare, jejunare. » Verum aliter ejusdem Smaragdi Floriacensis codex ab annis circiter octingentis descriptus, in textu legit *sit*, non *sint*, et expositionem aliter

etiam exhibet hoc modo: « Opera secundum Deum sunt hæc: Vigiliæ, jejunia, abstinentia, et his similia; secundum sæculum autem sunt opera, quæ corpori tantum exhibentur, non animæ, id est arare, fodere, metere, et omnia similia corporis opera. »

Opera quæ injungit, discernat atque temperet.] Discernat, nimirum an facienda sint necne, ut loquitur Hildemarus; et si facienda sint, temperet, hoc est non plus quam oportet debet imperare, sed sicut habet Regula S. Pachomio ab angelo tradita (*In ejus Vita apud Rosw.*): « Validioribus quidem et comedentibus validiora opera; leviora vero infirmioribus et abstinentibus » imponat.

Cogitans discretionem S. Jacob dicentis: « Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die. »] Hinc tantas in Fuldensi cœnobio turbas excitavit Ratgarius, ut etiam proprias oves alium sibi pastorem quærere coegerit, cum addictis duro operi monachis, nec concederet spatium feriatis diebus sacra faciendi: quinimo festos dies propria auctoritate rescinderet; libros studiaque interdiceret; infirmis remedia, omnibus vestimenta necessaria denegaret, uti conqueruntur Fuldenses in libello supplici ad Carolum Magnum.

Hæc ergo aliaque testimonia discretionis matris virtutum sumens.] Discretionem virtutum matrem appellat S. Benedictus, quia, ut dicit Petrus Venerabilis (*Lib.* I, *epist.* 20), « nisi eas, ut filias mater, nutrierit, statim cuncta virtutum soboles interibit. » Hanc plurimis commendat Cassianus in collatione 2, in cujus cap. 4 ait « tam B. Antonii quam universorum sententia definitum esse, discretionem esse, quæ fixo gradu intrepidum monachum perducat ad Deum, prædictasque virtutes jugiter servet illæsas, cum qua ad consummationis excelsa fastigia minore possit fatigatione conscendi, et sine qua multi etiam propensius laborantes, perfectionis nequiverunt culmen attingere; A omnium namque virtutum generatrix, custos, moderatrixque discretio est. »

Ut sit quod et fortes cupiant, et infirmi non refugiant.] « Quia, inquit Hildemarus, si temperatum fuerit opus, infirmi illud non refugiunt, et fortes illud cupiunt agere, sicut superius diximus: quia si fortes, qui possunt laborare, refrenaverit, illi fortes semper desiderabunt illud opus semper plus agere, eo quod volunt sicut possunt, et non sinuntur; et infirmi non refugiunt, veluti cum quis ducit equum nimis cupientem ambulare, et iterum ducit debilem: illi cupienti mittit frenum, ut nimis non ambulet, et debilem non contristet, sed in sua libertate dimittit, ut ambulet prout vult. »

847 *Præcipue ut præsentem regulam in omnibus conservet.*] In quem locum Bernardus Cassinensis: « Audiant hoc verbum illi qui dicunt abbatem ad observationem regulæ non teneri: eis enim hæc regula contradicit. Dicit itaque in littera Pater *præcipue*; quia præ aliis debet regulam observare, qui alios B habet ad regulam informare. Dicit insuper *præsentem*, ut non faciat sibi aliam, sed conservet istam. Dicit *in omnibus*, in quo nullum excipit regularium institutorum. » Eodem modo loquuntur Boherius, Turrecremata, et Matthæus Lambertus. Hinc et illud concilii Aquisgranensis decretum (*Can.* 1), « ut abbates mox ut ad monasteria sua remeaverint, regulam per singula verba discutientes, pleniter legant, et intelligentes Deo opitulante efficaciter cum monachis suis implere studeant. » Æquum est enim « ut *qui* est primus in nomine, sit et primus in *operatione*, et quod ore prædicat, opere compleat, et prior in humeris vel in cervicibus suis portet, quæ portare fratres jubet, ut utrum sint levia aut gravia, quæ fratribus imponit onera experimento cognoscat, primatumque suum, quem prior ad mensam tenet, primus ad virtutis parcimoniam indicet, et abstinentiam quam lingua prædicat, experimento cognoscat » ut cum Smaragdo loquar.

CAPUT LXV.

De præposito monasterii.

Sæpius quidem contingit [a] ut per ordinationem C præpositi scandala gravia in monasteriis oriantur, dum sint aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, et æstimantes se secundos abbates esse, assumentes sibi tyrannidem scandala nutriunt, et dissensiones in congregatione faciunt, et maxime in illis locis ubi ab eodem sacerdote, vel ab eisdem abbatibus qui abbatem ordinant, ab ipsis etiam et præpositus ordinatur.

Quod quam sit absurdum facile advertitur, quia ab ipso initio ordinationis materia ei datur superbiendi, dum ei suggeritur a cogitationibus suis exutum eum esse a potestate abbatis sui, quia ab ipsis est ordinatus [b] a quibus et abbas. Hinc suscitantur invidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, exordinationes. Et dum [c] contraria 848 sibi invicem [d] abbas præpositusque sentiunt, et ipsorum necesse est sub hac dissensione [e] animas periclitari; et ii qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cujus periculi malum illos respicit in capite, qui talibus in ordinatione [f] se fecerunt auctores [g].

Ideoque nos prævidemus [h] expedire, propter pacis charitatisque custodiam, in abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterii sui. Et, si potest fieri, per decanos ordinetur, ut antea disposuimus, omnis utilitas monasterii, prout abbas disposuerit, ut dum pluribus committitur, unus non superbiat.

Quod si aut locus expetit, aut congregatio petierit, rationabiliter cum humilitate, et quemcunque elegerit abbas cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi præpositum. Qui tamen præpositus illa agat cum reverentia quæ ab abbate suo ei injuncta fuerint, nihil contra abbatis voluntatem aut or- D dinationem faciens: quia quantum prælatus est cæteris, ita eum [i] oportet sollicitius [j] observare præcepta regulæ.

Qui præpositus, si repertus fuerit vitiosus, aut

[a] Oxon et Flor., *contigit.*
[b] Cassin., Flor., Conc., *quia ab ipsis es et tu ordinatus.*
[c] Cassin., Hild., Conchens., *Ut dum.*
[d] Al. deest *invicem.*
[e] Conc., Flor., *hanc dissensionem.*
[f] Cassin., *talibus inordinationibus.*
[g] Al., *actores.*
[h] Al., *prævidimus.* Al., *vidimus.* Al., *videmus.*
[i] Cassin., *in tantum.* Hild., *tantum*
[j] Oxon., Hild., Guid., *sollicite.*

elatione deceptus superbiæ [a], aut contemptor sanctæ A **regulæ fuerit** comprobatus, **admoneatur** verbis usque quater: si non emendaverit, adhibeatur ei correctio disciplinæ regularis. **Quod si neque sic correxerit, tunc dejiciatur de ordine præposituræ, et alius qui** dignus est in loco ejus subrogetur. Quod si et postea **in congregatione quietus et obediens non fuerit,** etiam de monasterio expellatur [b]. **Cogitet tamen** abbas se de omnibus judiciis suis Deo reddere [c] rationem, **ne forte invidiæ aut zeli flamma urat animam.**

[a] Al., *superbire.*
[b] Oxon., Cassin., *pellatur.*
[c] Oxon., *redditurum.*

COMMENTARIUS.

849 De præposito monasterii duo potissimum hic tractat S. Benedictus, qualiter ordinandus sit, et quomodo corrigendus, si repertus fuerit vitiosus. Quid autem sit præpositus, quæ institutionis ejus causæ, quæ munia, quæ virtutes, aut omnino tacuit, aut ita leviter tetigit, pene ut præteriisse videatur. Quapropter antequam S. Regulæ textum expendamus, B isthæc aliunde repetere duximus operæ pretium.

Præpositus itaque, si vim nominis attendamus, idem significat quod prælatus; eoque nomine apud Romanos appellabatur regii satellitii præfectus, ut patet ex Theophilacto Simocatta (*Lib.* IV, *c.* 15): « Satellitii regii principem, quem præpositum appellare Romani solent, Martyropolim misit. » Apud Apostolum (*Hebr.*) episcopi et pastores: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei.* Et: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis.* Apud monachos qui primus post abbatem erat, ut patet ex eorum passim regulis. Dicebantur etiam *præpositi* aliquot monasteriorum superiores, qui uni abbati subjiciebantur, ut observavit Menardus, quem, sicut et Haeftenum lib. VII, tract. 6, disq. 1 et 2, consulere potes. Nunc vero licet remaneat in cœnobiis præpositi munus et officium, nomen pene antiquatum est, cujus loco *prioris* voce uti solemus: qua etiam usus est Lanfrancus in Statutis, ubi dicit C (*Cap.* 3), quod, « servata abbati in omnibus reverentia, prior, qui et præpositus in Regula nominatur, honorabilior est reliquis ministris domus Dei. » Eadem et Ingulfus in Historia Croylandensi non semel, maxime ubi refert quod in excidio monasterii « domnus Askerus prior in vestiaria, domnus Letwynus subprior in refectorio, » barbarorum gladio occisi sunt. Eadem longe ante S. Gregorius Magnus ad Victorem episcopum scribens in hæc verba (*Lib.* IV, *epist.* 4): « Victoria.... res monasterii dispersit, ut ad *prioratus* locum pertingeret, et ipsa post abbatissam interim inveniri debuisset. »

Illius instituendi causas tres omnino recensere possumus. Prima, quæ S. Basilii est (*Regul. fus., cap.* 45), ut absente abbate remaneat semper aliquis qui monasterium regat, fratrumque curam suscipiat. « Quoniam sæpenumero accidit, inquit S. doctor, aut per corporis infirmitatem, aut necessariam peregrinationem, vel alio quodam casu, ut a fratribus absit hegumenus, sit alter quisquam qui per illius D et aliorum judicio valentium probationem ad hoc electus sit, ut absente illo curam fratrum in se recipiat, ut et præsentibus fratribus ab uno aliquo administretur adhortationis sermo, et non in absentia hegumeni democraticum quemdam statum arripiant fratres ad destructionem regulæ et traditi ordinis, sed quæ ad gloriam Dei diligenter sunt decreta custodiant, etc. »

850 Secunda ratio est ut etiam præsens abbas aliquem habeat in solatium, cujus auxilio onus impositum faciliori negotio portare possit. Hanc rationem videre est in Regula S. Ferreoli, cap. 17; in Regula monastica communi S. Fructuosi, cap. 11; in Regula Cujusdam ad virgines, cap. 2, et apud S. Gregorium lib. IX, epist. 42. Ita S. Aventinus Fidolum monasterii sui præpositum constituit (*Sæc.* I *Ben.*), « ut tanto securius orationi et divinæ contemplationi posset insistere, quanto sciret eum nihil extra communis regulæ ordinem agere vel jubere, » ut habent Acta S. Fidoli, num. 8.

Tertia ratio est ut, si contingat abbatem esse negligentem, præpositi sollicitudine salva et integra maneat ordinis disciplina. Hanc rationem adducit S. Gregorius Victori episcopo Panormitano scribens, ut Gregorium abbatem atque presbyterum monasterii S. Theodori pœnitentia afflictum in locum suum constituat, « ita tamen, inquit (*Lib.* IV, *epist.* 4), ut Urbicus monasterii mei præpositus dare aliquem de servis Dei debeat, qui ejus præpositus fiat, ut quod istius incuria negligitur, illius sollicitudine servetur. »

Jam vero quærat aliquis quibus potissimum in rebus præpositus adjuvare debeat abbatem, quæve sint ejus officii munia; de his enim mentem suam non satis explicat S. Benedictus, contentus dicere ut illa præpositus agat cum reverentia quæ ab abbate suo ei injuncta fuerint. Sed res aliunde repetenda est. Igitur ex Regula S. Pachomii, art. 152 et 154 (*In cod. Regul.*), ad præpositum pertinebat fratrum negligentias ad abbatem deferre; et art. 152 binas singulis hebdomadis disputationes, id est catecheses complere. Regula Orientalis generatim tantum decernit (*Cap.* 3), ut « ille qui secundum ordinem disciplinæ, ordinatione abbatis, ex consilio et voluntate omnium fratrum fratribus præpositus est, omnem ad se curam de disciplina fratrum et diligentiam monasterii revocabit, habens potestatem absente abbate faciendi omnia quæ abbas præsens facit. » Regula vero Tarnatensis ita habet (*Cap.* 23): « Ad præpositum præcipue pertinebit ut ad abbatem, cujus est apud vos major auctoritas, referat quod modum et vires ejus excedit..... corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes: disciplinam libens habeat, metum imponat; et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus amari appetat quam timeri. » Regula S. Isidori (*Cap.* 19): « Ad præpositum pertinet sollicitudo monachorum, actio causarum, cura possessionum, satio agrorum, plantatio culturaque vinearum, diligentia gregum, constructio ædificiorum, opus carpentariorum, sive fabrorum. » Regula prima S. Fructuosi (*Cap.* 3): « Præpositus sane in medio consistens dormitorio, quousque cuncti quiescant, omnibus jam cubantibus, circumeat silenter lecta singulorum, ne quis aut tarde se jactet, aut extra regulam occultis mussitationibus vacet, et ut plenius perscrutans gesta singulorum et merita, intelligat quem quomodo veneretur, atque suscipiat.... Ante mediam surgentes noctem.... priusquam cæteri surgant, a vigiliariis fratribus præpositus excitetur, **851** ut cum benedictione sua et signum moveatur, et cunctorum lectula ab eo, priusquam consurgant, strenue visitentur. Hoc quoque in omnibus nocturnis orationibus, ut semper prior surgat præpositus, quam ad consurgendum cæteri moveantur, et ipse videat quis quomodo jaceat, ne aliquam lasciviam per incuriam quietionis suæ dormiens incurrat; » Et Regula ejusdem monastica communis (*Cap.* 11): « In potestate habeant præpositi omnem regulam monasterii..... Omnem monasterii substantiam præpositi accipient dispensandam; et si quispiam captivorum aliquid ali-

menti petierit abbatem, et pro quacunque causa, ipse præpositus hoc provideat, et ut abbas nullum laborem habeat, exceptis quæ supra diximus, omni intentione sollicitudinem gerat : excommunicandi tamen causam sicut abbas, sic præpositus habeat. Et quod per singulos menses expensum fuerit, per omnium capita mensium rationem suo abbati faciat; et hoc cum tremore et simplicitate, et vera cordis humilitate, tanquam redditurus Domino rationem. Et quod fecerit semper in arbitrio pendeat abbatis. » Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 2) : Præposita « debet esse omnium necessitatum tam corporis quam animæ provida, ut et subsidia præsentis necessitatis porrigat, et corda subditarum ad laudem Creatoris intonandam ex sedula admonitione excitando erigat : humiles et propter Christum subjectas honorando in sublime provehat, sese vero attollentes castigationis flagello ad gradus humilitatis retrahat. Curam in rebus omnibus monasterii, seu vasis, seu suppellectilibus, ita habeat intentam, ut in nullo negligentiæ tenebris reperiatur fuscata, ut dum sacri B laboris omnem curam adhibet, ab Omnipotente fructum laboris recipiat. Omnibus sabbatis post horam orationis nonam tam senior quam juniores præpositæ lectos omnium sororum visitent, et faciant propter earum negligentias inquirendas, aut si aliquid inveniatur illicite et sine commeatu retentum. Itemque post completam lectos omnium cum luminaribus visitent, ut omnium expergiscentem sensum vel tepescentem ex oratione agnoscant. Similiter ad omnes cursus nocturnos, hoc est faciendum, ut sciant quæ cum fervore vel quæ cum tepiditate ad cursum assurgunt; et eas quas tarditate vel segnitia culpabiles repererint, prout culpa vel ætas fuerit, aut increpatione, aut flagello corripiant. » Sed hæc alii, nostri autem quid? In concilio Aquisgranensi decernitur solum (*Can.* 31), « ut præpositus intra vel extra monasterium post abbatem majorem reliquis abbati subjectis habeat potestatem : » quod quasi explicare videntur capitula monachorum Sangallensium his C verbis (*Cap.* 30) : « Absente abbate, præpositus locum ejus in ecclesia, in capitulo atque in refectorio teneat, ejusque vice lectiones in unoquoque conventu interpretetur, et benedictionem legentibus tribuat. Et præposito non præsente, senior decanus eadem faciat : qui præsente abbate propria teneant loca. » Et Hildemarus : « Sciendum est enim quia cum abbas non fuerit in monasterio, eamdem potestatem quam abbas habet, debet habere præpositus : videlicet in arguendo, vel in excommunicando, seu etiam in flagellando, **852** atque in cæteris locis. Si præpositus non fuerit, debet habere decanus; si decanus non fuerit, debet habere ille quem in loco suo constituerit. » Et paulo antea dixerat : « Præpositus appellatur, eo quod sit subjectorum ac famulantium ordinator vel rector. » Fusius Udalricus (*Lib.* III, *c.* 4) : « Ab hora autem ordinationis suæ, post D. abbatem de omnibus rebus vel causis quæ ad monasterium pertinent, et spiritualibus, et temporalibus, se D intromittit. Quotquot sunt qui ullam habent obedientiam, ad eum respiciunt omnes; et si tale quid præcipuum acturi sunt, nequaquam agunt absque consilio ejus et nutu. In choro sinistro stat supremus, et in refectorio ad supremam mensam, quæ est ad dextram D. abbatis, et si ille non aderit, sedet in ejus sede, etc. » : quæ fere iisdem verbis exstant in mss. S. Benigni Divionensis Consuetudinibus, c. 2. *Vide*, si lubet, Lanfranci Statuta, cap. 3; lib. Usuum Cisterc., cap. 111, et Cæremoniale Bursfeldensium, dist. 2, c. 2, ubi prioris officium fuse describitur. Hic tantum adnotare sufficiat, præcipuum præpositi officium fuisse exteriora monasterii negotia procurare, ut patet tum ex citatis Regulis S. Isidori et S. Fructuosi, atque ex Udalrico, tum ex Fausto in Vita S. Mauri (*Sæc.* I *Ben.*), in cujus n. 15 ita habet : « B. Maurus, qui, imperio Patris nostri, in monasterio tunc præpositi, ac totius cœnobii *procuratoris*, post A ipsum fungebatur officio ; » tum denique ex his quæ scribit S. Gregorius papa (*Lib.* I *Dial.*, *c.* 2) de Libertino Fundensis monasterii præposito, quem sæpius repræsentat utilitates monasterii foris procurantem, vixque aliud de ipso refert.

Ex dictis hactenus liquet quales debeant esse præpositi virtutes, et quam merito jure S. Fructuosus, cap. 11, easdem in eo dotes quas in abbate requirat, atque S. Ferreolus (*Cap.* 17) velit *personam strenuam et disciplinæ valde amantem*, quæ nomen et officium præpositi suscipiat. Sed juvat hanc in rem Regulam Cujusdam ad virgines disserentem audire (*Cap.* 2) : « Præposita monasterii non ætate senili, sed moribus constituenda est : multas enim prolixitas annorum attollit, sed dedecus torpentis vitæ ad infantiæ immaturitatem tepescendo reducit. Constituenda ergo est præposita moribus gravis, et sermonibus solers, ingenio fortis, consideratione vigil, cursu impigra, correptione pia, disciplina moderata, actu casta, moribus sobria, dispensatione æqua, humilitate ornata, B patiens, mitis, non turbulenta, non iracunda, non superbiæ vel arrogantiæ vitio maculata, non prodiga, non garrula, sed omni actu religionis ornata, quæ sciat languentium moribus subvenire, et tepescentium ignaviam excitare, super quam abbatissa requiescat, ut in nullo ab ejus præceptis deviet; sed in omnibus subdita, et in jussis senioris detenta, nihil quod abbatissæ voluntati sit contrarium aut faciat, aut ordinet faciendum, sed omnia per ejus interrogationem. » Huc referenda sunt quæ *scribit* Regula S. Pachomii, articulo 128, de vitiis *præposito* fugiendis, et Regula Orientalis, cap. 17. *Vide* etiam Petri Damiani opusc. 13, c. 16. Ad Regulæ textum venio.

Sæpius quidem contingit ut per ordinationem **853** *præpositi scandala gravia in monasteriis oriuntur*, etc.] Hic declarat S. Benedictus quam longe a monasteriis amandari scandala voluerit, quorum causas, effectus et remedia detegit.

C *Et maxime in iis locis ubi ab eodem sacerdote.*] Id est episcopo, qui proprie sacerdos dicendus est; alii enim presbyteri tantum titulo donandi sunt.

Vel ab iisdem abbatibus.] « Supple episcopo ordinanti assistentibus, » inquit Bernardus Cassinensis. Hic enim particula *vel* sumitur copulative pro *et*.

Qui abbatem ordinant, ab ipsis etiam et præpositus ordinatur.] Nam, ut ait Smaragdus : « Mos eorum tunc erat ut quando abbas ordinabatur, tunc ab eodem episcopo, et ab aliis coram astantibus abbatibus et præpositus ordinaretur. Sed quia inde superbiæ vitium nascebatur, jam non ab alio hodie apud nos ordinatur, sed a proprio abbate præposituræ illi injungitur obedientia, ut quandocunque abbati visum fuerit, ab ipso ministerio præpositi mutetur, ne fomes illi superbiæ nascatur. »

Cujus periculi malum illos respicit in capite, qui talibus in ordinatione se fecerunt auctores.] Quod « de illis, inquit Smaragdus, dici videtur, qui sicut abbatem, ita et præpositum ordinaverunt, qui unius mo- D nasterii ordinationem non duobus, sed uni debuerunt imponere; et ne inter duos nascerentur periculosa scandala, soli abbati congregationis suæ debuerunt committere curam. » Eodem fere modo loquuntur Hildemarus, Bernardus Cassinensis et Boherius.

Ideoque nos prævidemus expedire, propter pacis charitatisque custodiam, in abbatis pendere arbitrio ordinationem sui monasterii.] Quod de ordinatione locorum, negotiorum et officialium interpretatur Boherius, de sola officialium ordinatione Bernardus Cassinensis, et rectius; nam S. Pater agit de præpositi ordinatione.

Et si potest fieri, per decanos ordinetur, ut antea disposuimus, omnis utilitas monasterii, prout abbas disposuerit.] Quod ita intelligit Carolus Cointius, ut nullo præposito constituto, soli instituantur ordinenturque decani, qui monasterium sub abbate regant. Consentit Hildemarus S. Benedictum ita explicans,

« ac si diceret: Quidquid ordinandum est in monasterio, decani debent ordinare; et decani debent disponere, sicut abbas disposuerit. » Per decanos autem hic Bernardus Cassinensis et Boherius in utroque commentario *officiales* intelligunt. Ego vero decem monachis præfectos, inter quos et ipsi officiales reperiri poterant: unde et Hildemarus: « Prout intelligo, antiqua consuetudo fuit ut in omni officio et obedientia monasterii semper esset unus decanus super illos decem monachos, verbi gratia: si grammatici erant qui **854** discebant, unus decanus erat super illos fratres qui erant deputati ad illam obedientiam: et isti decani habebant curam de eorum necessitate corporali, et illi necessitatem eorum quærebant ab abbate, et illi erant solliciti de eorum negligentia, sicut legitur in Instituta Patrum, quando ad mensam sedebant; quomodo illi decani faciebant signum, si qua necessitas quærenda erat fratribus. Deinde forte quando quærebant (*forte* coquebant) panes, ibant quatuor aut tres decani, prout necesse erat, cum fratribus. Quando vero in horto ibant, quatuor decani cum decania sua ibant. Deinde non audebat ire de istius decania quis, et ire ad illius decaniam, et loqui nisi jussus. Similiter et in capitulo semper decanus erat super decaniam suam; et in omni loco quo ibat decanus, cum decania sua ibat, et erat magna sollicitudo; sed modo non fit. » Denique istud Regulæ decretum renovavit sub Carolo Magno concilium Moguntinum his verbis (*Can.* 12): « Deinde decrevimus, sicut sancta Regula dicit, ut monasterium, ubi fieri potest, per decanos ordinetur, quia illi præpositi sæpe in elationem incidunt. »

Ut dum pluribus committitur, unus non superbiat.] Huc forte respexerat Albricus episcopus et abbas Trajectensis monasterii, de quo Altfridus in Vita S. Liudgeri episcopi, lib. I, n. 15 (*Sæc.* IV *Ben*, *part.* I): « Divisit idem Albricus annum in distributiones quatuor, ita ut in Trajecto monasterio præ cæteris præpositis ipse in tempore vernali, in doctrinæ studio et sanctæ conversationis præesset fratribus menses tres. Deinde post eum in æstate Adalger presbyter in vice sua menses tres. Post hunc Liudgerus presbyter menses tres. Deinde in hieme Thiadbraht presbyter menses tres. »

Quod si aut locus expetit, etc.] Ubi Bernardus Cassinensis, et post eum Boherius: « In ordinatione, inquiunt, præpositi quatuor concurrere debent: utilitas monasterii, congregationis petitio humilis, causa rationalis, et judicium seu voluntas abbatis. » Simili fere modo Richardus de S. Angelo: « Tria debent concurrere in ordinatione istius præpositi: scilicet ut locus expetat, congregatio petat, et abbas judicet. »

Quod vero S. Benedictus addit, *cum consilio fratrum timentium Deum*, Hildemarus intelligit *seniorum*, ita tamen ut *postmodum interroget omnes in capitulo*. Cujus rei praxim videre est apud Udalricum modo citandum, et in mss. Consuetudinibus S. Benigni Divionensis, cap. 2. Ex Regula tamen Orientali (*Cap.* 3) præpositus eligendus est *consilio et voluntate omnium fratrum*; sed et in Portuensi virginum monasterio S. Austreberta, « eligentibus cunctis, consentiente matre licet invita, præposita » constituta legitur in ejus Vita, num. 9 (*Sæc.* III *Ben.*); in Cluniacensi S. Hugonem, « ex consensu fratrum B. Odilo priorem constituit, » teste Hildeberto in Vita S. Hugonis, num. 3 (*Bolland.*, 29 *Aprilis*); in Cellensi, Deus, in cujus manu corda sunt hominum, « fratribus inspiravit ut virum Dei Robertum sibi eligerent in priorem, » ut legimus in Vita S. Roberti abbatis Molismensis, num. 3 (*Ibidem*); denique in Crispiniensi S. Aybertus (*Bolland.*, 7 *Aprilis*): « Præpositus, et communi **855** fratrum electione cellerarius » factus dicitur in ejus Vita, num. 9. Nisi forte quis dicat hic electionem et consensum late sumi pro consilio, sicut S. Aventinus Fidolum cernens ad virtutum alta conscendentem, « unanimi fratrum consilio præposituræ ei locum A delegavit, » ut habent Acta S. Fidoli, num. 8 (*Sæc.* I *Ben.*). In libro Institutionum Cisterciensium etiam hæc lego (*Dist.* 7, *cap.* 25): « Priores nullatenus eligantur, sed abbates ipsos instituant cum consilio fratrum timentium Deum, quos et quomodo voluerint ad hoc convocare. » Rectius, ut videtur, ad mentem S. Benedicti.

Porro quod de abbate supra diximus, idem de præposito asserendum est, eum scilicet de gremio monasterii esse creandum, Aquisgranensi synodo statuente (*Can.* 32), « ut monachis nonnisi monachus constituatur præpositus, » et capitulari Caroli Magni ad Theodonis Villam anno 805 dato (*Num.* 15), « ut laici non sint præpositi monachorum infra monasterium. » Imo etiam presbyterum, juxta istud concilii Westmonasteriensis anni 1126 decretum (*Apud Spelm. tom.* II *Conc. Angl.*): « Nullus in decanum, nullus in priorem nisi presbyter, nullus in archidiaconum nisi diaconus promoveatur. »

B Formulam seu ritum instituendi præpositi habemus tum in mss. Farfensis monasterii Consuetudinibus, tum apud Udalricum. Farfenses Consuetudines ita habent: « Cum prior fuerit electus ab omnibus fratribus, post capitulum surgant omnes, eantque in ecclesiam. Dein tunc ille qui exiturus est ab ipso opere dicat tertio, omnibus repetentibus hunc versum ante altare: *Benedictus est Dominus Deus;* et accepta benedictione illa quæ dicitur quando ab aliquo opere absolvuntur fratres, sic recedat. Accedat ille qui intraturus est in antea, et dicat tertio omnibus audientibus hunc versum: *Deus, in adjutorium meum intende;* et accepta illa benedictione quæ dicitur cum in aliquo opere ordinantur fratres, et sic ipsum officium administret. » Paulo fusius Udalricus (*Lib.* III, *c.* 4): « Quando prior est ordinandus, primo domnus abbas habet inde consilium cum senioribus congregationis; postea refert sententiam suam in capitulo, et quod sibi videtur laudant omnes. Quem elegerit, si sapit, veniam petit, excusat se ad munus hujusmodi non C idoneum esse. Ad ultimum si jussa et injuncta fuerit obedientia, non aliud facit quam inclinat. Sedet ad sinistram domni abbatis. Cum surrexerint de capitulo, eunt cum psalmodia solita ad ecclesiam majorem; ubi novus prior ante facit et retro, hunc versum dicendo ter: *Deus, in adjutorium*, et totus conventus similiter respondet. Dat ei ipse domnus abbas hanc benedictionem: *Tuam, clementissime Pater, omnipotentiam supplices deprecamur, ut infundere digneris super hunc famulum tuum, quem tuo servorumque tuorum servitio mancipamus, spiritum sapientiæ, et intellectus, discretionisque: dona ei in hac domo tua ita agere, et injunctum sibi officium ita administrare, ut et tibi placere valeat, et utilitatem servorum tuorum te auxiliante perfectissime expleat, propter quod et hic, et in futuro sæculo mercedem laborum suorum in consortio sanctorum tuorum a te piissimo* **856** *largitore percipiat. Per Dominum*, etc. Quando autem est absolvendus, mittit cum illo versum: *Benedictus es, Domine, qui adjuvisti me*, et tali absol- D vitur benedictione: *Domine Jesu Christe, qui pie servientibus tibi munificus retributor et clemens largitor existis, hunc famulum tuum, qui in hac domo tua nunc usque fideliter laboravit, et tibi servisque tuis obediendo injunctum sibi te auxiliante administravit officium, laboribus suis solita benignitate responde, et pius remunerator appare; et præsta ut in hac domo jugiter permaneat, et mercedem laborum suorum, et hic, et in retributione justorum a te percipiat, largitoremque omnium bonorum te esse plenissima fide non dubitet.* » Idem habent Benignianæ Consuetudines mss. cap. 2.

Qui tamen præpositus illa agat cum reverentia quæ ab abbate suo ei injuncta fuerint.] Ita quoque S. Pachomius (*Art.* 128): « Ipse autem præpositus nihil faciet, nisi quod Pater jusserit, in re nova maxime; nam quæ ex more descendit, observabit regulas monasterii. » Quæ quidem intelligenda sunt, non solum

quando præsens est abbas, sed etiam quando est absens; unde magna licet sit in monasterio absente abbate præpositi auctoritas, limites tamen ejus potestati ponit semper abbatis voluntas. Hinc et liber Usuum Cisterciensium (*Cap.* 111) ista vetat absente abbate fieri a præposito : « Locum ejus (scilicet abbatis) in ecclesia non occupabit, nec missas solemnes pro eo cantabit, nec candelas, cineres, ramos, ignem, coronam, novitium benedicet, nec ad Evangelium benedictionem dabit : infirmum non unget, mortuum non sepeliet; nullum promovebit, vel degradabit, nec ordinare faciet; nullum in gravi culpa mittet, aut inde absolvet; monachum de monasterio non ejiciet, nec novitium recipiet nisi jusserit, nec confessionem de criminabilibus nisi in extremis positi recipiet. Non ei committetur cura operum, vel gregum, aut grangiarum; sufficit enim ei officium suum. »

Nihil contra abbatis voluntatem aut ordinationem faciens.] S. Fulgentius (*Bolland.*, 1 *Januar.*) « illos veros esse monachos dicebat qui mortificatis voluntatibus suis parati essent nihil velle, nihil nolle, sed abbatis tantummodo consilia vel præcepta servare. Propterea sine consilio suo, nec eum fratrem qui præpositi gerebat officium sinebat aliquid agere, » ut scribit auctor Vitæ illius. Porro circa S. Benedicti textum duo notant Regulæ commentatores, Bernardus Cassinensis, Boherius et Turrecremata. Primum est ut nihil præsumat præpositus contra abbatis ordinationem verbo vel scripto significatam. Secundum quia omnia verbo aut scripto definiri, et ad certam regulam deduci nequeunt; quam novit, aut credit in ejusmodi esse abbatis voluntatem, hanc impigre exsequatur : unde si nec ipsa satis innotescat, abbatem consulat, juxta illud Regulæ Orientalis (*Cap.* 3) : « Hæc observabit senior monasterii qui fratribus præpositus est, referens ad abbatem omnia, vel præcipue illa quæ per se non valuerit **857** explicare; » et Regulæ Tarnatensis : « Ad præpositum præcipue pertinebit ut ad abbatem, cujus est apud nos major auctoritas, referat quod modum et vires ejus excedit. »

Qui præpositus, si repertus fuerit vitiosus aut contemptor sanctæ regulæ.] Hic observat Boherius in suo secundo commentario quosdam hujus occasione textus negare eam quam habemus Regulam a S. Benedicto scriptam fuisse, eo quod *sanctam* illam appellet, ac proinde abnuendam esse fidem his quæ a Gregorio Magno lib. II Dialogorum scribuntur. Verum non ideo S. Pater Regulam suam appellavit *sanctam*, quod a se scripta sit, sed quia sancta et

A salutaria continet præcepta, quorum praxis ad supremum perfectionis fastigium perducit.

Comprobatus.] Neque enim simplex suspicio hic sufficere debet.

Admoneatur verbis usque quater.] Idque secreto, secundum Bernardum Cassinensem, et quidem ab abbate, juxta Boherium. Nam simplex monachus bis, decanus ter, præpositus quater admoneri debet.

Si non emendaverit, adhibeatur ei correctio disciplinæ regularis.] Quasi diceret, inquit Hildemarus, « Si per quatuor vices fuerit admonitus, et se non emendaverit, ducatur per gradus, hoc est publica correptio, excommunicatio, nimiis jejuniis, si dignus est, flagello, deinde oratio, postea ejiciatur de ordine præposituræ, postea expellatur. » Idem habent Bernardus Cassinensis, Boherius et Turrecremata.

Quod si neque sic correxerit, tunc dejiciatur de ordine præposituræ.] Ita præpositum quemdam superbia elatum aliquando deposuisse dicitur Benedictus abbas Anianensis in ejus Vita, auctore Ardone, n. 24
B (*Sæc.* IV *Ben.*, *part.* I). Causas vero seu rationes hujusmodi depositionis præpositi declarat Gregorius papa IX in bulla ad Cluniacenses his verbis : « Conventuales quoque priores, quandiu in spiritualibus et temporalibus bene administraverint, non nisi ex certis causis debent amoveri : videlicet si dilapidatores, vel inobedientes, aut rebelles, seu infames, vel incontinentes exstiterint, seu etiam ad majorem dignitatem admovendi : quod etiam de majoribus volumus observari : nullusque litteras confirmationis habeat, quod de suo prioratu vel obedientia non debeat amoveri. » Idem habet Nicolaus IV in bulla item ad Cluniacenses, et concilium Londonense anno 1200, apud Spelmannum, tom. II Conc. Angliæ.

De monasterio expellatur.] Quod Richardus de S. Angelo ita intelligit ut « in alio monasterio arctiori ponatur, ne valeat de sua malitia commodum reportare. »

C *Cogitet tamen abbas se de omnibus judiciis suis Deo reddere rationem.*] Apposite hic observat Hildemarus, quod quoties de judicio ab abbate dando loquitur S. Benedictus, toties ipsi abbati frenum immittit recordationem judiciorum Dei.

858 *Ne forte invidiæ aut zeli flamma, etc.*] Etsi zelus et invidia unum et idem significent, ut hic notant commentatores, observat tamen Hildemarus zelum ad præteritum malum, invidiam ad futurum pertinere ; quasi diceret S. Benedictus : « ne quia videt illum bonum esse, aut futurum esse, ideo ejiciat de monasterio. »

CAPUT LXVI.

De ostiariis monasterii.

Ad portam monasterii ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum et reddere], cujus maturitas eum non sinat vagari [a]. Qui portarius cellam debet habere juxta portam, ut venientes semper præsentem inveniant a quo responsum accipiant. Et mox ut aliquis pulsaverit aut pauper clamaverit, D *Deo gratias* respondeat, aut benedicat [b], et cum omni mansuetudine timoris Dei, reddat responsum festinanter, cum fervore charitatis. Qui portarius si indiget solatio, juniorem fratrem accipiat.

Monasterium autem, si potest fieri, ita debet construi, ut omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum [c], vel artes diversæ, intra monasterium exerceantur, ut non sit necessitas monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam sæpius volumus in congregatione legi, ne quis fratrum de ignorantia se excuset.

[a] Oxon., *vagare.*
[b] Flor., Conc. et duo mss., *benedic.*
[c] Deest in Cassin. et Flor. *pistrinum.*

COMMENTARIUS.

Cum ostiarii monasterii sint veluti congregationis custodes, non nisi præcipuis olim et dignioribus hoc munus credebatur : unde et S. Benedictus postquam de ordinando abbate, deque præposito monasterii

tractavit, consequenter de ostiariis tanquam post ipsos dignissimis disseruit. Et certe in Thebaidis monasterio magni Isidori *erat presbyter janitor*, teste Palladio (*Laus.*, c. 71); sive, ut loquitur Rufinus (*Lib.* II *de Vitis Patr.*, *cap.* 17) *senior vir gravis*, *et de primis electus*. S. Willibaldus, ex decem annis, quibus in Cassinensi monasterio vixit monachus, primo anno ecclesiæ cubicularius **859**, secundo decanus, reliquis octo portarius constitutus dicitur, in ejus Vita, n. 25 (*Sæc.* III, *part.* II). S. Veremundus abbas Hyrachensis prius monasterii sui janitor exstiterat, uti legimus in ejus Vita, n. 8 (*Bolland.*, 8 *Mart.*). In monasterio S. Theoderici prope Remos Eilbertus, qui postea abbas Marriliacensis exstitit, ostiarii officio fungebatur, testante Everhelmo in Vita S. Popponis, n. 13 (*Bolland.*, 25 *Januar.*). In Tegernsensi S. Quirini Fromundus janitor unus ex præcipuis cœnobii sui monachis fuisse colligitur ex epistola quam scripsit ad Theodulum episcopum (*Anal. tom.* IV), qua se excusat quod ratione sui officii ad synodum proficisci haud potuerit. Idem dicendum de Ingelbaudo Vindocinensi portario (*Miscel. Bal. tom.* II), qui cum Frotmundo priore pro causis sui monasterii ad Urbanum papam II missus fuit. Sed his missis ad Regulæ textum veniamus.

Ad portam monasterii.] Ex primo hujus capitis vocabulo Haeftenus (*Lib.* III, *tract.* 7, *disq.* 5) colligit ex mente S. legislatoris non plures in monasterio, sed unicam duntaxat januam esse constituendam; id quod etiam statuit Justinianus imperator in novella 133 : « Et primum quidem ne monasterium multos habeat aditus, sed unum tantum, aut duos forte. »

Ponatur senex sapiens.] « Notandum, inquit Smaragdus, quia non dixit : Ad portam ponatur senex ætate; sed ait : Ponatur senex moribus sapiens : ubi datur intelligi quia non ætas in portario quærenda est corporis, sed sapientia et intellectus. » Smaragdum sequitur Joannes Craesbeeck, similiter Cassinenses (*Decl. Cassin.*, *cap.* 66) ad hoc caput declarantes *non tam ætate quam moribus* ostiarium esse instituendum. At refragatur tam communis commentatorum sententia quam antiqua veterum monachorum praxis. Nam licet in divinis Scripturis *senex* idem significet ac *sapiens*, ut ex SS. Ambrosio et Gregorio hic notat Hildemarus, « tamen S. Benedictus, addit idem auctor, in hoc loco duo vult ut habeat, et *senectutem per ætatem*, et sapientiam per vitam. Nam quare vult duo, manifestat inferius cum dicit : *Ut sciat accipere responsum et reddere*, *cujus maturitas eum non sinat vagari*. In eo quod dicit : sciat accipere responsum et dare, attinet ad sapientem; in eo quod dicit : cujus maturitas, attinet ad ætatem. » Hildemaro subscribit Bernardus Cassinensis his verbis : « In hoc textu tria dicit (S. Benedictus), quod sit senex, sapiens, maturus. Senex morigeratus, sapiens, affabilis et discretus, maturus, stabilis et firmus..... Senex iste annosus si sequentes duas haberet conditiones, janitor esse deberet; sed si non potest annosus talis haberi, habeatur ad minus sapiens et maturus; nam ad sapientiam pertinet quod dicit in littera ; qui sciat accipere responsum et reddere; ad maturitatem : cujus maturitas non sinat eum vagari foras. » Bernardum exscribit in primo commentario Boherius. Eadem est sententia Nicolai de Fractura, Joannis de Turrecremata, Matthiæ Lamberti, Hugonis Menardi, Benedicti Haefteni et Nicolai Bravi : cui omnem dubitationis locum adimit id quod postea subdit S. Benedictus : qui portarius si indiget solatio, juniorem fratrem accipiat : qui **860** haud dubium, licet sit ætate junior, senior tamen debet esse moribus; alioquin ad portam non esset ponendus.

Confirmat hanc sententiam veterum monachorum praxis, qui non solum moribus, sed etiam ætate senes ad portam constituebant, ut patet ex Rufino supra citato, et ex Regula Magistri præcipientis (*Cap.* 95), ut « duobus fratribus ætate decrepitis cella intra regias monasterii prope constituatur, qui deputati ibi, et claudant monasterium omni hora post exeuntes, aperiant ingredientibus, et advenientes nuntient abbati. » Ex Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 3) : « Portariæ seu ostiariæ monasterii tales esse debent, quæ omnium simul mercedem ædificent; *ætate senili*, quibus mundus silet, quæ jam ex præsentibus pompis nihil desiderent. » Et ex Justiniani novella 133 : « Ut portæ assistant viri ætate graves et casti, neque non omnium testimonio comprobati. »

Quare autem ad portam senes sint constituendi explicat Gerardus Belga monachus his verbis : « Expedit enim : 1° propter firmandam in perfectione senum sanctam humilitatem, quando vile vulgo censetur, et cætera inutilem senem; 2° propter ædificationem, quando etiam ad portam et in atriis domus Dei omnes observant loci et incolarum sanctitatem; 3° propter necessitatem, quia oportet ad aditum omnem hominem excubare circumspectum et vigilem, qui omnem a cœnobio excludat sæculi rumorem, omnem a porta abigat curiositatem. »

Sed jam pene obsolevit apud monachos tam sancta et laudabilis consuetudo; vixque offendes unum monasterium in quo non dicam senex sapiens, sed ne monachus quidem constituatur ostiarius : quin pro magno reputatur si fratri laico, sive, ut vocant, converso, hoc munus injungatur. Quandonam vero desierit, omnino me fugit. Certe Cluniacensibus jam olim objecerant Cistercienses, quod in hac parte a Regulæ præscripto deflexissent : quibus Petrus Venerabilis ad S. Bernardum scribens ita respondit (*Lib.* I, *epist.* 28) : « Nos autem ad portam portarium cur poneremus, qui nec portam habemus? Portæ quippe nostræ non clauduntur per diem, sed assidue patentes, sine personæ discretione, introitum advenientibus præbent. Nec necesse est aliquem pulsare, nec necesse est aliquem clamare, quia non tantum murorum aditum, sed etiam hospitii introitum apertum inveniat, et illico recumbens, universa parata reperit. Ne cogantur vero fratres extra domos proprias manere, sapientem et honestum famulum juxta manere et jacere faciamus, qui meridianis horis, sive illis quibus ostia cuncta monasterii ex consuetudine clauduntur, pulsantibus vel clamantibus non tantum vocis clamore quantum obsequii exhibitione respondeat. » Singulare prorsus exemplum, cui an simile reperire sit valde ambigo. Longe alia erat in monasterio ad Jordanem sito agendi ratio; in eo siquidem, teste Sophronio in Vita S. Mariæ Ægyptiacæ, c. 5 (*Lib.* I *de Vit. Patr.*) : « Regia nunquam aperiebatur, sed semper erat clausa, et absque ulla perturbatione monachi cursum suum explebant : nec enim erat licitum aperire aliquando, nisi fortassis monachus propter aliquod opus necessarium adveniebat. » **861** Eadem viguisse consuetudo videtur in monasterio abbatis Isidori in Thebaide (*Pallad.*, *Laus.* c. 72), ubi « erat presbyter janitor, qui nullum permittebat egredi, neque alium ingredi, præterquam si quis vellet usque ad mortem illic permanere, nusquam progrediens. » Ipsi vero Cistercienses, quibus respondebat præfatus Petrus Venerabilis, in capitulo generali anni 1217 (*Lib. Institut.*, *dist.* 7, c. 10) hæc diffinierunt : « Ad ostia claustri in majoribus congregationibus duo monachi, vel unus monachus et conversus vicissim sedeant, qui sæculares claustrum ingredi volentes diligenter et honeste studeant amovere, ibidem canonicas horas solventes, qui etiam loqui cum illis poterunt quos ab ingressu claustri amovebunt, etc..... In minoribus autem congregationibus unum maturis moribus ad hoc sufficiat deputari, etc. »

Qui sciat accipere responsum et reddere.] Accipere responsum, inquit Menardus, est concipere advenientis voluntatem, quam ab eo sciscitatus fuerit.

Cujus maturitas non sinat eum vagari.] Regula Ca-

jusdam ad virgines addit (*Cap.* 3) : « Fabulis quas ad portam vel a sæcularibus, vel a quibuslibet audierint, nullatenus aurem accommodent : et si nolentes audierint, vel intellexerint, nullatenus consodalibus suis referant. »

Qui portarius cellam debet habere juxta portam, ut venientes semper præsentem inveniant.] Ex mente ergo S. Benedicti nullo unquam tempore ab ostio recedere debet janitor; sed Regula Magistri præscribit (*Cap.* 95), « ut horis quibus oportet in monasterio legere, seratis regiis, congregationi se jungant, ut legentes audiant, et cum ad opus divinum oratorii index sonaverit, seratis item regiis, ad opus Dei oratorio præsententur. » Optima sane institutio, ut nullus ab officio abesse permittatur.

A quo responsum accipiant.] Non dixit qui monasterii januas aperiat, neque enim omni venienti monasterii aditus patere debet, nec nisi post acceptum ab abbate responsum ostium aperiri : saltem hæc olim erat « consuetudo Cassinensis monasterii, quod adventus hospitum undecunque venientium, antequam intrent, pandatur abbati, vel ipsius locum tenenti, » ut scribit Nicolaus de Fractura. Sed et in libro Usuum Cisterciensium præscribitur (*Cap.* 120), « Quod si de vicinis vel notis aliquis ad portam venerit, postquam quid velit cognoverit, extra portam eum demorari faciat, donec ab abbate quid de eo agatur cognoscat. Si autem talis fuerit quem nec nuntiare, nec ibi remanere deceat, intrare ei quo vult ire permittat. » Huc facit quod in Vita S. Alexandri acœmeti abbatis lego (*Bolland.*, 15 *Januar.*), quod nimirum ad monasterium Petri fratris sui veniens, « fratre uno secum assumpto, januam pulsat. Janitor vero, præstolare, inquit, tantisper; sine primum ad præpositum referam, et tunc ingredieris. » Erat autem ad januam fenestella, per quam ostiarius venientes respiciebat et alloquebatur, ut patet tum ex Vita S. Agili abbatis Resbacensis, cap. 20 (*Sæc.* II *Ben.*) : « Audivit ad **862** portam monasterii veluti plangentis hominis exilem vocem, apertaque fenestra, quæ portæ inhærebat, cernit ante fores pauperem jacere ulceribus plenum; » tum ex Vita S. Eudociæ, n. 29 (*Bolland.*, 1 *Mart.*), ubi Philostratus quidam sub monachi habitu « progressus ad ejusdem Parthenonis occlusas fores, cum ostium pulsasset, adfuit puella janitrix una e loci virginibus, quæ aperta non plane fenestella januæ, per rimulam vocis transmissioni solius exiliter patentem, alio converso vultu breviter interrogavit quis et quid ibi quærens ostium pulsasset? Ille consueta monachorum formula respondet : Peccator sum vestrarum precum consortium et benedictionem petens. »

Et mox ut aliquis pulsaverit, aut pauper clamaverit, Deo gratias respondeat, aut benedicat.] Concors commentatorum sententia est S. Benedictum duo hominum genera designasse, divitum scilicet et pauperum : nam *pauper clamat, dives pulsat*, ut loquitur Hildemarus. Quibus proinde duplicem assignat responsionem; ut pauperi dicatur *Deo gratias*, diviti *benedicat*, pro *benedic*, imperative, ut exponit idem Hildemarus; vel *benedicat me paternitas vestra*, ut Turrecremata, qui hanc benedictionis petitionem ab ecclesiasticis personis alicujus auctoritatis duntaxat faciendam dicit : sæcularibus vero vel ecclesiasticis non tantæ auctoritatis *Deo gratias* esse respondendum. Aliter tamen Smaragdus, Hildemarus, et alii, qui uno ore *Deo gratias* ad pauperes, *benedicat* ad divites seu potentes attinere asserunt. Et certe moris erat apud veteres monachos non solum ab ecclesiasticis, sed etiam ab aliis maxime monachis benedictionem postulare. Cistercienses utrumque usurpabant, et *Deo gratias*, et *benedicite* : primum, audito pulsantis seu clamantis voce aut signo; secundum, cum ad eum accederent : « Cum hospes pulsaverit, inquit liber Usuum (*Cap.* 120), responso *Deo gratias* januam aperiat; et postquam *benedicite* dixerit, humiliter quis sit vel quid velit ab eo requirat. » Et infra : « Quod

A si dum hora in ecclesia celebratur hospes ad portam pulsaverit, more solito *Deo gratias*, et *benedicite* dicat. » Eadem exstitit etiam Bursfeldensium consuetudo.

Posset etiam aliter intelligi istud *benedicat*, ut scilicet ostiarius venienti benedictionem tribueret : solebant quippe veteres monachi ad aliquod monasterium hospitaturi venientes, in ipso accessu de foris benedictionem petere dicentes *benedic*, vel aliquid hujusmodi, ut patet ex citata Vita S. Eudociæ, et ex Regula Magistri, cap. 1. Cui expositioni favet antiqua versio Gallica Joannis *de Précis*, ita reddens, *ou dogne beneisson*; et alia recentior, *ou qu'il donne quelque parole de bénédiction*. At prior expositio, quæ omnium fere est commentatorum, præstat, monasticæ humilitati magis consentanea, et ad S. Benedicti mentem magis accedens. Nam cap. 53 ab obvio hospite vult peti benedictionem : unde etiam S. Benedictus Anianensis in sua Regularum Concordia pro *benedicat* legit *benedic*.

B Antiqua alia versio Gallica alium sensum hujus vocis reddit, quasi **863** janitor aliquam ad Deum precem funderet, ita nimirum vertit, *ou benere Dies*. Similiter Guido Juvenalis, *ou bénisse comme disant : Benedicamus Domino*. Idem habet alia recentior Gallica versio.

Aliter etiam Boherius : « Hic benedicere ponitur pro bona verba dicere, ut dicat pulsanti : Bene veneritis; vel : Benedictus Deus qui vos huc misit. »

Quod vero spectat ad vocem *Deo gratias, ea olim* utebantur in occursibus et congressionibus Christiani, uti observat Menardus noster ex S. Augustino in psalm. CXXXII, et ex Optato Milevitano lib. II contra Parmen. Usitatam etiam a priscis monachis docet Haeftenus lib. III, tract. 4, disq. 7. Sed et Boherius in secundo commentario ad hunc locum ita scribit : « Hoc salutare verbum semper est in ore fratrum, ut ipse vidi, cœnobiorum Patris Benedicti, Cassinensis scilicet, Sublacensis, et Spe... : et est forsan C responsio ad *benedicite*, de quo legitur supra de ordine congregationis. »

Et cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum festinanter cum fervore charitatis.] Ita fere Orientalis Regula (*Cap.* 26) : « Ostiarii cura sit ut omnes advenientes intra januas recipiat, dans eis responsum honestum cum humilitate et reverentia, ac statim nuntians vel abbati vel senioribus quis venerit et quid petierit, nec ullus extraneorum patiatur injuriam. » Alia janitoris munia S. Benedictus non declarat, quapropter ea aliunde repetere oportet.

Primum erat hospitum cura, eisque præparandi cibos, ut docet Hildemarus ad hunc locum his verbis : « Antiquitus qui coquinam abbatis faciebant, ipsi etiam erant portarii; quia tunc non erat multitudo hospitum venientium ad monasterium; et ideo illi poterant hoc facere. » Coquina vero abbatis et hospitum ex Regula eadem erat. Sed clarius S. Isidorus (*Cap.* 19) : « Ad janitorem pertinebit cura hospitum, custodia exteriorum claustrorum. »

D Alterum erat eleemosynarum distributio, ut videre est in libro Usuum Cisterciensium (*Cap.* 120) : « Portarius vero debet habere panes in cella sua ad distribuendum transeuntibus. » Et infra : Portarius « cum servitoribus solet comedere, et solatium ejus interim portam servare, et eleemosynam transeuntibus dare : qui solet etiam vasa sua ad colligendas reliquias ciborum in coquinam deferre, et pulmenta defunctorum, et cætera quæ cellerarius dederit in ipsis recipere : qui postquam a refectione surrexit, debet ad portam pauperibus distribuere : quam distributionem non debet propter subsequens opus Dei dimittere; sed paucis utens verbis et moderatis, citius quod inceperat perficere. » Et in Cæremoniali Bursfeldensium (*Dist.* 2, *c.* 11) : « Ad officium portarii pertinet eleemosynas mendicantibus erogare : unde et reliquias de refectione fratrum, et hospitum et coquinæ colligere debet, et distribuere petenti-

bus. » Hinc etiam Hildemarus ad hunc locum: Ostiarius, « si pauper fuerit, innuit illi ut ad hospitalem vadat. » Qui scilicet 865 prope monasterium ad receptionem pauperum constructus erat.

Præterea Regula Magistri ostiariis animalium curam committit: « Annonam canum a cellerario ipsi incipiant, et eis cum aqua vel culinæ remanente juscello ministrent. Animalium intra monasterium curas, adjuncto in septimana illorum hebdomadariorum solatio, ipsi impleant, et regiæ munditias exerceant. »

Denique in Resbacensi monasterio sub S. Agilo abbate (*Sæc.* II *Ben.*), « consuetudo talis erat, quod janitor, ut signum pulsabatur ad completam, confestim portas monasterii firmans ei claves deferebat. »

Qui portarius, si indiget solatio, juniorem fratrem accipiat.] In quem locum Richardus de S. Angelo: « Per hoc patet quod ostiarius debet esse monachus, licet in aliquibus monasteriis contrarium observetur; et male, quia conversatio nostra debet esse secreta, et a laicorum actibus remota. » Porro junioris istius fratris officium erat advenientes abbati nuntiare, dum senex sapiens remaneret cum hospite, et supervenientium reciperet responsa: durum enim foret seni semper currere, quem propter ædificationem et sapientiam magis deceret ad januam remorari, ut cum hospite, si tamen id ejus qualitas exigeret, sederet.

Monasterium autem, si fieri possit, ita debet construi, ut aqua.] Scilicet fons, puteus, aut cisterna.

Molendinum.] Ad molendum triticum.

Hortus.] De quo etiam Regula S. Isidori (*Cap.* 1): « Hortulus sane intra monasterium sit inclusus, quatenus dum intus monachi operantur, nulla occasione exterius evagentur. » Et infra (*Cap.* 6): « Hortos olerum, vel apparatus ciborum propriis sibi manibus exerceant. » Nihilotamen minus ad hoc officium unus specialiter deputabatur; de quo in eadem Regula (*Cap.* 19): « Ad hortolanum pertinebit munitio custodiaque hortorum, alvearia apum, cura seminum diversorum, ac denuntiatio quid, quando oporteat in hortis seri aut plantari. » Istud officium laudabiliter exercuit in Curbeiensi monasterio S. Adalardus, teste Paschasio; in Laudunensi Lantredus ex Vita S. Salabergæ, et in Rotonensi Condelucus ex libro de Gestis SS. Rotonensium. *Vide* Udalricum, lib. III, c. 20.

Pistrinum.] De quo Hildemarus: « Pistrinum quasi pilitrinum, quia pilo antea tundebant granum: unde et apud veteres non molitores, sed pistores dicti, quasi pinsores, a pinsandis granis frumenti; molæ enim usus nondum erat, sed granum pilo findebant: unde et Virgilius:

Nunc torrete fruges flamma, nunc frangite saxo.

Ubi pistrinum a molendino distinguere videtur. Et certe: « Antiquitus ipsum molendinum vocabatur pistrinum, eo quod frumenta non molebantur, sed tundebantur, » inquit Paulus Augustinus a Janua, qui etiam scribit in nullo Cassinensi codice ms. reperiri *pistrinum*. Præterea S. Isidorus artem pistoriam a confectione massæ et panis distinguit in Regula (*Cap.* 19), ubi illam laicis, istam fratribus committit: « Ars pistoria ad laicos pertinebit; ipsi enim triticum purgent, ipsi ex more 865 molant. Massam tantumdem monachi conficiant, et panem sibi propriis manibus ipsi faciant. Porro pro hospitibus et infirmis laici faciant panes. » Ex his forte suspicabitur nonnemo additum esse in Regula *pistrinum*, maxime cum desit in codicibus Cassinensibus: exstat tamen in vetustissimo codice Oxoniensi, in textu Hildemari, et Smaragdi Floriacensis, in Concordia Benedicti Anianensis, et omnibus nostris mss. Sed quidquid sit, certe utrumque a nostris usitatum fuit; nam et granum molebant sive tundebant, et farinam ipsi miscebant; ut patet ex supradictis ad caput 48, et insuper ex mss. Germaniæ Consuetudinibus, in quibus lego: « Fratres interdum generaliter intrant pistrinum, pastamque propriis manibus præparant, et temperant ad faciendos panes. » Quinimo pistoris officium hebdomadatim exercebant, ut vidimus supra, cap. 46, pateique ex Vita S. Stephani abbatis Obazinensis, lib. II, num. 54; communiter tamen id munus uni alicui committebatur, quod in Gellonensi monasterio summa cum humilitate exercuit S. Guillelmus, ejusdem loci fundator et monachus.

Vel artes diversæ intra monasterium exerceantur.] Tale erat Fuldense cœnobium sub Sturmio abbate, teste Eigile abbate in ejus Vita, num. 20; tale Flaviacense sub S. Geremaro, ex ejus Vita, num. 25; tale Solemniacense ex S. Audoeno in Vita sancti Eligii; tale Lesciense ex Vita S. Hiltrudis, num. 3; tale Centulense ex Hariulfi Chronico, lib. II, cap. 7; tale Talipiacum ex gestis S. Aldrici, num. 28; tale Sanctigallense ex antiqua ejus delineatione; tale denique Divionense S. Benigni ex ejusdem Chronico. Talia etiam construi volebat monasteria Moguntinum sub Carolo Magno concilium, S. Benedicti præceptum renovans his verbis (*Can.* 20): « Dignum et necessarium est, ut missi per quæque loca directi simul cum episcopo uniuscujusque diœcesis perspiciant loca monasteriorum canonicorum pariter et monachorum, similiterque puellarum, si in apto et congruo loco sint posita, ubi necessarium commodum possit acquiri, quod ad utilitatem pertinet monasterii, sicut in S. Regula dicitur: Monasterium autem ita debet constitui, ut omnia necessaria intra monasterium exerceantur, ut non sit necessitas monachis vel clericis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. » Favet quoque Regula Magistri (*Cap.* 95): « Omnia necessaria intus intra regias esse oportet, id est, furnum, macinæ, refrigerium, hortus, et omnia necessaria, ut non sit frequens occasio, propter quam fratres multoties foras egressi, sæcularibus mixti, forte a religiosorum oculis visi, ad damnationem potius nostram ab eis pro angelis adoremur, et *benedicite* nobis non meritis indigne dicatur. » Atque hæc erat veterum monachorum praxis, quam videre est apud Rufinum, de monasterio Isidori abbatis sic loquentem (*Lib.* II *de Vitis Patr. cap.* 17): « Vidimus et apud Thebaidam etiam Isidori nominatissimum monasterium, amplissimis spatiis circumseptum, muroque circumdatum, in quo habitantibus viris larga præbebantur habitacula. Intrinsecus putei plures, horti irrigui, omnium quoque pomorum arborumque paradisi, 866 et quæcunque necessaria usibus erant, sufficienter, imo et abundanter provisa; ob hoc ut nulli monachorum habitantium intrinsecus necessitas ulla fieret exeundi foras ad aliquid requirendum. »

Porro S. Benedictus prædicta omnia non absolute requirit, sed conditionale, *si possit fieri;* cujus mentem ita explicat Hildemarus (*Hist. Gallic. Ord. S. Ben. lib.* III, *c.* 28), ut si prædictorum nonnulla duntaxat desint, nihilominus construatur monasterium; sicque S. Berta in territorio Rhemensi monasterium cum omnibus quæ præcipit S. Benedictus ædificavit, uno excepto molendino, quia deficiebat aqua. Sin autem prædicta omnia defuerint, non ædificetur.

Cum vero aliquis monasterium ædificare cogitat, quatuor ex Hildemaro providere debet. Primum ut locus in quo construitur nullum patiatur impedimentum a regibus, principibus, episcopis, aliisque magnatibus: qui proinde ab hujusmodi aula remotus sit. Hujus rei eximium habemus exemplum in Vita S. Froduberti abbatis Cellensis (*Sæc.* II *Ben.*), qui « quanquam plurimi nobilium regionis sanctitati ejus familiarissime cohærerent, ineptum tamen duxit a quoquam illorum partem agri vel prædii postulare; non sibi solum, sed etiam posteris consulens, ne religiosa fraternitas, quam ipse in sacro habitu aggregare cupiebat, a quolibet sæcularium pro loco suæ habitationis quid inquietudinis vel molestiæ pateretur. »

Secundum, ut monasterium sit ab iis locis remotum, « Ubi feminæ, aut clerici, vel laici causa officii faciendi veniunt, » hoc est iis in locis in quibus causa devotionis aut peregrinationis fit concursus populorum; quia exinde non parum turbatur quies monachorum : unde etiam aliquando exosa majoribus nostris si sic loqui fas sit, sanctorum miracula legimus, eo quod ad suas ecclesias populorum turbas invitaret, ut de Sarlatensibus monachis scribit Gaufredus in Chronici lib. 1, quod scilicet S. Pardulfi corpus « illic multarum signis virtutum populorum turbas invitans, monachis tunc ibidem religiosis nauseam ingerebat. » At omni prorsus admiratione dignum videtur quod de S. Hidulfo hanc in rem legimus in Chronico Senoniensi, in cujus templo cum meritis S. Spinuli frequentia virtus divina patraret miracula, « S. Hidulfus suæ inquietationis molestiam, quam ab advenientibus sustinebat, ferre non valebat; licet monasterio suo pro virtutibus sancti, et salinarum quæstu aliquid emolumenti conferri ab illa gente videretur. Vir igitur B. Hidulfus, qui pro divitiis mundi acquirendis paupertatis onus sibi non assumpserat, videns se et suos a proposito suo non modicum affluentia populi deviare, auxilium divinum super hoc duxit requirendum. Ecclesiam tandem B. Gregorii, baculo artus sustentante, ut jam erat vigiliis, et orationibus, et jejuniis satis attenuatus, lento gradu pervenit; doloremque se prementium populorum corde concipiens, cum ad sepulcrum dilecti sui Spinuli pervenisset, orationi incubuit, et quasi vivo loqueretur, sic ait : Gratias agimus Deo Salvatori, o frater Spinule, quod miraculis fidem facientibus, te divinæ majestati adstare **867** certissime credimus, etiam naufragia præsentis sæculi evasisse te, ac cœlesti gloria potiri gaudemus. Sed si frequentia populorum, quam Deus per te huc confluere fecit, aliquandiu pressi fuerimus, non modicum a via regia, quæ ducit ad vitam, nos declinare videbis. Unde te illa obedientia, quam dum viveres nobis intædiabiliter exhibere solebas, admonemus et exhortamur in Domino, ut affluentem et omnium bonorum largitorem Deum pro nobis interpelles, ut repressa inquietudine gentium, et præsentis vitæ fluctuationibus amotis, cursum cœlestis vitæ expedito gressu nobis liceat peragrare. » Addit chronographus : « Videres mortuum, quasi viveret, magistro jubenti obedire, cessantibus signis miraculorum, etc. » Istud exemplum ad morum ædificationem fusius referre libuit. Similes querelas monachorum Casæ Dei adversus S. Robertum refert Bertrandus in tripartito libro miraculorum S. Roberti, dist. 2, n. 8; nam cum ille plurimis coruscaret signis, ex quibus divina turbarentur officia, « Majores natu et ferventiores spiritu ad B. viri sepulcrum accedentes, hujusmodi sermonibus eum convenisse feruntur : Hos, inquiunt, domine pater eremi, squalores vestro ducatu optavimus, et ut delictorum veniam et Redemptoris gratiam consequeremur, gaudentes intravimus : præsentium miraculorum abundantia tanta nobis successit divinorum officiorum inopia, ut nec peccata nostra plangere, nec divinas laudes valeamus decenter exsolvere; vestra ideo nobis impetrent merita, ut his diebus importunitatibus sopitis, cum tranquillitate sic Christo Domino serviamus, ut in futuro veniam delictorum invenire valeamus. Proinde interim cautum est ne quis infirmorum ad sepulcrum accederet, quoniam nec ei amodo valvæ aperirentur, nec obsequia præberentur. » His adde quod de Grandimontensibus narrat Fremonus, scilicet « Petrum secundum Grandimontis abbatem, cum certatim concurrere turbas videret ad sepulcrum S. Stephani, sancto quodam zelo inflammatum expostulasse cum sancto, verbis tamen reverentiæ plenis, quod quam iis præcepisset quietem, ipse turbatum iret : ac demum rogasse, imo simplici quadam innocentia impetrasse, ut desineret miracula patrare, se alioquin ossa ejus refossurum, et in aquam abje- A cturum. Paruit sanctus successoris imperio, neque, quoad ille vixit, miraculum ullum amplius fecit. Postea Petrus quartus prior cum multa alibi accidere miracula S. Stephani invocatione audiret, veritus ne ea turbam denuo ad Grandimontensem ecclesiam excirent, sancti ossa e tumulo clanculum eximit, atque in claustro recondit, quasi minus exauditum iri preces crederet, quæ ad ipsas reliquias non essent conceptæ. » Aliquid hujusmodi referunt de S. Bernardo et aliis quibusdam sanctis.

Tertium est, ut monasterium eo in loco construatur, ubi sit *aqua*, *silva*, et cætera quæ hic enumerat S. Benedictus, quæque raro offendes in urbibus, in quibus proinde monasteria difficilius sunt construenda. Et certe S. Benedictus nulla aliquando in civitatibus exstruxisse monasteria legitur (*Lib.* II *Dial.*): Duodecim quidem in Sublacensi solitudine, unum in **868** Cassino monte, alterum juxta urbem Terracinam ædificata ab eo scribit S. Gregorius papa, nullum intra civitatis alicujus muros. S. Maurus in Gal- B lias profectus ad Florum, monasterium illi ædificare cupientem dixisse fertur (*In ejus Vita, sæc.* I): « Observatio ordinis nostri summam deposcit quietem et securitatem. » Similiter cum Ansoaldus Pictavorum episcopus S. Filibertum (*Vit. S. Filib., sæc.* II) « vellet secum retinere in urbe, et S. Filibertus semper desideraret eremi vastitatem, largiente Domino, Herio maris insulæ locavit cœnobium. » Atque hic passim fuit Majorum nostrorum usus, qui vix ullum in urbibus cœnobium constituisse leguntur. Cistercienses præsertim id præ cæteris vitasse videntur; nam et in antiquis eorum institutis hæc reperio (*Cap.* 1) : « In civitatibus, in castellis aut villis, nulla nostra construenda sunt cœnobia, sed in locis a conversatione hominum semotis. » Idem statutum renovant in Institutionibus, ubi et illud addunt (*Dist.* 1, *c.* 1): « Omnesque ecclesiæ ordinis nostri in honorem B. Mariæ fundentur et dedicentur. »

Quartum est, ut qui novum aliquod monasterium C fundat, illud sufficienti ad victum vestitumque monachorum illic degentium reditu dotet : ex eorum quippe defectu sæpenumero oriri solet inter fratres murmurandi, forisque vagandi occasio, eoque respexisse videtur S. Maurus, cum tam sua quam suæ congregationis auctoritate in suo Andegavensi monasterio numerum centum quadraginta monachorum præfixit, quem nec minuere liceret, nec excedere, « quoniam, inquit Faustus, et res quæ jam tunc ib. delegatæ erant tantorum fratrum numero in his quæ necessaria erant, sufficiebant, et si amplior esset numerus, occasionem patiendæ necessitatis forte inferre potuisset. » Quare et Cistercienses in lib. Institutorum (*Cap.* 12) volunt, ut « duodecim monachi cum abbate tertio decimo ad cœnobia nova transmittantur, nec tamen ibi destinentur, donec locus libris, domibus, et aliis necessariis aptetur : libris duntaxat Missali, Epistolari, Textu, Regula, libro Usuum, Psalterio, Hymnario, Collectaneo, Antiphonario, Lectionario, Graduali; domibusque, oratorio, D refectorio, cella hospitum, et portarii : necessariis etiam temporalibus, ut et vivere, et regulam ibidem statim valeant observare. » Idem repetunt in libro Institutionum, dist. 1, c. 6. Idem etiam decernunt Carthusienses in nova Collectione Statutorum, part. II, c. 21, n. 3. Verum, sicut cavendum ne monasterio fundando desint necessaria, ita vicissim providendum est ne abundent superflua. Præclara sunt hæc in rem monita quæ suis Corbeiensibus in Saxonia tum primum positis dabant eximii abbates S. Adalardus, et germanus ejus Venerabilis Wala (*Lib.* I *de vita Walæ, c.* 18, *sæc.* IV), cum monasterii fundamenta jacerent : « Tria ista, inquit Paschasius, omnino monebant, ne rebus multum ditescere gauderent, neque divitias appeterent, ut in eis cor apponerent : sed omnino delicias et voluptates, ac si venena fugerent : ad ultimum, ne ullis ac si pro religione honoribus et fastu delectarentur superbiæ,

ne forte ex toto latescerent, et in vacuum deperi- A rent, sicut in Galliis multas deperiisse ecclesias bene olim fundatas cernimus. » Et infra (*Cap.* 19): « Monebant **869** enim ne aut nos (Corbeienses Franciæ) aut illi (Corbeienses Saxoniæ) res non necessarias susciperemus, neque facultatem habere amplam ambiremus; quasi pro Dei religione : sed rebus ac possessioni ecclesiæ modum imponeremus, ne digitum illi ultra extenderent, monente propheta, aut agrum agro usque ad terminum loci absque concupiscentiæ fine copularent. »

Præterea Justinianus imperator sancivit (*Novella* 5), « ut quocunque tempore et quocunque loco quis ædificare venerabile monasterium voluerit, non prius licentia sit hoc agendi, quam Deo amabilem locorum episcopum advocet. At ille extendat manus ad cœlum, et per orationem locum consecret Deo, figens in eo salutis nostræ signum (dicimus autem adorandam et vere honorandam crucem), sicque inchoet ædificium, bonum utique quoddam in hoc et B decens fundamentum ponens : hoc itaque principium piæ venerabilium monasteriorum fabricæ fiat. » Quibus in verbis duo licet advertere : primum nullum absque episcopi licentia construendum esse monasterium; alterum antequam inchoetur apponendam esse eo in loco crucem, ubi ædificandum est, præsertim ubi altare collocandum est. Utriusque praxim videre est in Actis sanctorum passim (*Sæc.* II), prioris quidem in Vita S. Humberti confessoris, qui « impetrata Cameracensis episcopi licentia » Maricolense cœnobium condidit; et in Vita S. Aicadri, qui in episcopatu Pictaviensi idem præstitisse dicitur cum permissione Ansoaldi episcopi, ut pote qui « ad plene erat eruditus, canones etiam non ignorabat : legerat enim ne quis in alicujus episcopio ecclesiam construeret, altare erigeret, sine licentia sui episcopi; » et in Vita Rabani (*Sæc.* IV, *part.* II), « qui per cellas quoque fratrum sibi commissorum et per alia multa loca ad se pertinentia, in quibus prius non erant, ecclesias cum permissione episcopi sui construxit, C quas collectis undecunque SS. reliquiis, eorum nomine et honore consecrari fecit. » *Vide* Vitam S. Theuderii abbatis Viennensis, n. 7, sæcul. I, p. 680. « Posterioris habemus exempla in antiquis Patrum Apophtegmatis (*Mon. Eccles. Græc. tom.* I), in quibus S. Antonius, reperto ad construendum monasterium loco, dixit : « Oremus, atque hic statuamus crucem, ut ibidem ædificent, qui ædificare volunt; » in Vita S. Botulfi abbatis, ubi anonymus loquens de constructione monasterii Ikanhoensis ab eo facta (*Sæc.* III *Ben.*), « in Christi, inquit, cruce præfigitur signum cœlestis potentatus, et construitur aula divini incolatus; » in Historia translationis S. Viti Corbeiam, n. 11, ubi de constructione Corbeiæ Saxonicæ (*Sæc.* IV, *part.* I) : « Venerunt ergo anno 822 dominicæ Incarnationis, sub die 8 idus Augusti, regnante Ludovico serenissimo Augusto XI anno, ad locum memoratum : circumspectoque ex omni parte, et undique circuientes, prostrati in orationem decantaverunt D psalmos ad hoc officium pertinentes; et postquam compleverunt litaniam et orationem, jactaverunt lineam, et infixerunt paxillos, et cœperunt mensurare prius quidem templum, inde habitationes fratrum... et primum petierunt episcopum, ut veniret, ut sanctificaret locum, vexillumque S. crucis in loco altaris poneret, nomenque **870** ut Corbeia vocaretur aptaret. » In Vita S. Stephani abbatis Obazinensis, lib. II, n. 9 (*Misc. Baluz. tom.* IV), qui « quotiens aliquem locum ædificaturus esset, assumpta cruce et aqua benedicta, cum paucis fratribus ibi pergebat, permensaque tellure juxta quod futuri ædificii qualitas vel quantitas exigisset, ubi altare fundandum esset, ibi crucem figebat, etc. » Porro ipsa crux aut ab ipso episcopo prius invitato apponebatur, ut in Historia translationis S. Viti Corbeiam, aut saltem prius ab eodem benedicebatur, uti colligimus ex eadem Vita S. Stephani Obazinensis, lib. I n. 7, cujus cum duo ex discipulis ad Lemovicensem episcopum accessissent, ille « benedicens eis crucem, quam ei detulerant, consecravit; eisque cum aqua a se benedicta tradidit, dans potestatem missam celebrandi, et monasterium construendi : ita duntaxat ut morem a Patribus traditum per omnia sequerentur. » Hæc omnia fuse referimus, ut inde appareat quanta religione majores nostri in condendis cœnobiis procederent; qui non solum in monasteriorum, sed in cujuslibet ædificii constructione primum non ponebant lapidem, quin prius solemniter divinum implorassent auxilium : quod præsertim videre licet in præfata Vita S. Stephani Obazinensis, lib. II, n. 18, ubi de ædificatione novæ basilicæ cœnobii Obazinensis hæc habentur : « Sequente feria 6, quæ est ante Palmas, omnes a monasterio usque ad locum ædificationis, cum cruce et aqua benedicta devote procedunt, dictisque litaniis, et psalmis ad hoc pertinentibus, mox ab episcopo et abbate, atque electo operis magistro cum invocatione trinæ majestatis primus lapis in fundamentum deponitur, etc. »

Ad ipsius monasterii dispositionem quod spectat, illud observare solebant ut ecclesia in parte Aquilonari posita, Orientem in superiori parte, ubi altare principale collocari consuevit, respiceret; in inferiori, ubi janua, Occidentem. Dormitorium fratrum, sub se habens capitulum, ad Orientem construeretur. Cella hospitum ad Occidentem prope januam monasterii, ut hospitibus interiora monasterii loca penetrandi fas non esset. Ad meridiem vero refectorium, coquina in inferiori parte refectorii ab ecclesia, præsertim a choro remotissima : atque inter hæc omnia claustrum. Cella novitiorum, et cella infirmorum, utraque in modum alterius monasterii separata erat a locis regularibus. Saltem ita fere videre est in antiqua delineatione monasterii S. Galli. Romani tamen claustrum contra occidentalem plagam collocabant, ut docet Candidus in Vita Venerabilis Eigilis Fuldensis abbatis. *Vide* Vitam Ansegisi abbatis Fontanellensis, n. 9. Unum hic addo de dormitorio ex gestis S. Aldrici episcopi Cenomanensis, qui in monasterio a se constructo « dormitorium novum decenter compositum fecit, et in ipso dormitorio absidam in orientali parte mirifice construxit, et in ea altare construxit et erexit; ipsam vero absidam una cum prædicto altare in die IV iduum Septembris, una cum suis reliquiis, in honore S. Benedicti confessoris præcipui solemniter consecravit. »

871 *Ut non sit necessitas monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum.*] Imo omnino perniciosum, ut clare demonstrat Petrus Damiani his verbis (*Opuscul.* 12, *cap.* 11) : « Ut pauca referantur e multis, monachus in itinere positus tenere jejunium nequit, quia hospitalis ei humanitas non permittit; non sapienter psallit, quia obambulantis comitatus eum loquacitas impedit; nocturnis non insistit excubiis, quia secretum deest singularibus; flectendis genibus non insudat, quia sanctæ devotionis studio labor itineris non concordat; nequaquam sub silentii censura constringitur, quia frequenter emergentibus causis, invitus etiam per multiloquia defrenatur, etc. » *Vide* ejusdem opusculi cap. 12, 13 et 14, et opusculi 27 cap. 3 et 5. Præclare etiam idem argumentum prosequitur Petrus Blesensis epistola 134. Nota est omnibus sententia, quam sancto Antonio tribuunt sanctus Athanasius in ejus Vita, cap. 53, et Sozomenus libro I Histor. cap. 13, abbati Moysi Rufinus libro III de Vitis Patrum num. 109, quod piscibus aqua, hoc monachis claustrum : quemadmodum ergo piscis extra aquam cito extinguitur, sic monachus extra monasterium facillime perit : adeo ut non mirum sit quosdam Patres etiam consolandorum parentum causa egressum e claustro suis denegasse. Præclarum habemus ea de re Petri Blesensis in præfata epistola testimonium : « Juxta doctrinam Hieronymi : Sis honestus in domo, sis rarus in publico, si ægrotaverit aut obierit aliquis de tuis

parentibus, non sit tibi eorum ægritudo, vel mors egressionis occasio; sine mortuos sepelire mortuos suos. Fallax et proditoria est affectio parentelæ. Carnalis amor extra Dei amorem cito te capiet, et affectio mundi, quæ jam in te aruerat, in perniciem animi revirescet. » Multa jam ea de re diximus ad cap. 4, quibus etiam addere liceat istud S. Anselmi ad Mabiliam sanctimonialem scribentis (*Lib.* III, *epist.* 127) : « Filia mea, in quo indiges visitare al quos propinquos tuos? cum ipsi nullo modo egeant consilio et auxilio tuo, nec tu aliquod consilium aut auxilium accipies ab illis ad propositum et professionem tuam, quod non invenias in claustro tuo. Divisum est propositum vitæ tuæ a conversatione illorum : nec illi flent propter te monachi, nec tu redibis propter eos ad sæcularem vitam.... Si ipsi volunt te videre, aut egent aliquo modo consilio tuo aut auxilio, veniant ad te; quia illis licet vagari et discurrere per diversa : tu noli ire ad eos, quia tibi non licet exire de claustro, nisi ea necessitate quam Deus testetur. »

Quod si non decet monachos parentum ergo exire de claustro, multo minus pro aliis pietatis operibus. Unde etiam Regula S. Stephani Grandimontensis (*Cap.* 35) : « Cellas quoque causa procurandi pauperes exire non debetis; nullus enim meliores pauperes valet procurare, quam Martha procurabat, Deum videlicet procurando : nec tamen Jesus Christus dixit Mariæ pedibus suis assidenti : Surge, adjuva illam. » Et alibi : « Vobis præcipimus ne causa faciendi prædicationem, solitudinem **872** exeatis; dum enim manetis in eremo, et cavetis a sæculo, lumen est super candelabrum, id est vita bona, quæ illucescit fideli populo; ut enim B. ait Gregorius (*Cap.* 48) : « Vita justi viva prædicatio. » Ac tandem (*Cap.* 49) : « Præterea vobis præcipimus ne causa audiendi prædicationem eremum exeatis : constat enim quod Joannes Baptista manebat in eremo dum Jesus Christus prædicaret in terris; nec tamen dicit Evangelium inde Joannem exiisse, ut Domini prædicationem audiret. » Idem dicendum est de peregrinationibus quas devotionis aut pœnitentiæ causa nonnulli suscipiunt. Unde et S. Bernardus monachum quemdam a peregrinationis proposito, quam de licentia sui abbatis inceperat, dehortatum ad suum remisit monasterium (*Epist.* 319) : « Rectius judicantes, inquit, ad ejus abbatem scribens, quantumlibet reum in suo monasterio monachum pœnitentiam agere, quam foris vagando provincias circumire; neque enim terrenam, sed cœlestem requirere Jerosolymam monachorum propositum est, et hoc non pedibus proficiscendo, sed affectibus proficiendo. » Et Gauffridus abbas Vindocinensis (*Lib.* IV, *epist.* 21) : « Fides utique monasticæ professionis eundo Jerusalem observari minime potest, sed violari. Jerusalem etenim ire sicut indultum est laicis, sic interdictum est monachis ab apostolica sede : quod novi ego ipse sicut ille cujus aures erant ad os domini Urbani papæ, cum et eundo Jerusalem peregrinari præciperet laicis, et ipsam peregrinationem monachis prohiberet, etc. » Exstat ea de re decretum concilii Eboracensis anno 1195 (*Can.* 13, *apud Spelm.*). « Exigit professio religiosæ sanctitatis, ut monachi, et canonici regulares, et moniales religiosæ, et religiose et regulariter conserventur. Ut ergo eis adimatur opportunitas evagandi, prohibemus ne redditus, quos obedientias vocant, ad firmam teneant, nec iter peregrinationis arripiant. » Similiter et concilium Londonense anni 1200 vetat ne monachi « obtentu peregrinationis claustrum egrediantur. » *Vide* S. Lanfranci epist. 57, et S. Anselmi lib. III, epist. 130.

Quid quod ne quidem ad procurandas res monasterii temporales monachos foras exire probaverunt nonnulli? Certe ea videtur fuisse mens S. Gregorii papæ, ut colligimus ex epistola ad Petrum subdiaconum Siciliæ, qua præcipit ei ut exteriorem curam monasterii Fausto commendet, quia, inquit (*Lib.* I, *epist.* 67), « sicut studii nostri condecet, et litigiis foralibus monachos submovere, ut divinis ministeriis pie ac solerter invigilent, ita necesse est nostra provisione, quemadmodum negotia eorum disponi debeant ordinare, ne districta mens per varias causarum curas diffluat, et ad celebrandum opus consuetum enervata torpescat. » Et infra : « Expedit enim parvo incommodo a strepitu causarum servos Dei quietos existere, ut et utilitates cellæ per negligentiam non pereant, et servorum Dei mentes ad opus dominicum liberiores existant. » Hæc eadem etiam erat mens S. Dunstani, qui Wlfinum germanum fratrem suum « sibi forinsecus in villarum suarum negotiis potentem præpositum, ne vel ipse, vel quispiam ex monastica **873** professione foris vagaretur inepta rei sæcularis discursione, constituit. » Imo non defuerunt ex monachis qui, ut omnem foras discurrendi locum amputarent, possessiones extra monasteria habere recusarunt, ut de Carthusianis constat ex Statutis Guigonis, cap. 41; ex antiquis Statutis, parte II, cap. 19; et ex tertia compilatione Statutorum, c. 3, num. 7; atque de Grandimontensibus, ex Regula S. Stephani, et ex ejus Vita, apud Labbeum, tom. II Bibliot. novæ.

Denique, una excepta charitatis causa, indecorum omnino judicabant monachos prodire foras : unde S. Bernardus monachos dentibus sponsæ conferens, eisque proprietates eorum attribuens (*Serm.* 93 *de diversis*), « Indecens est, inquit, si appareant, nisi interdum forte ad risum; quia nihil turpius est quam monachus per urbes et castella discurrens, nisi cum illa cogit, quæ operit multitudinem peccatorum : charitas enim risus est, quia hilaris; læta quidem, non tamen dissoluta. » Sed et hoc quoque cum magna cautela; « plerumque enim contingit ut qui propria non contentus, alienæ progreditur saluti consulere, sui potius cogatur periculum sustinere; cumque alii velut inter procellosa naufragia palpitanti manum porrigit, ipsum quoque præcipitem vorax fluctus involvit. » *Vide* S. Joannem Climacum, gradu 3.

Cæterum quæ hactenus a nobis dicta sunt, non minus abbates, aliosque superiores, quam ipsos fratres respiciunt : hinc et Gregorius IX in sua pro Benedictinis Constitutione : « Cum abbates vel priores discurrere vel vagari non debeant, volumus ut in claustro cum fratribus sedeant, et divinis intersint officiis, maxime vigiliis, capitulo, et collationi, et aliis divinis officiis cum eisdem, nisi causa remedii necessaria, vel honesta fuerint præpediti. » Et Regula Cujusdam ad monachos (*Cap.* 20) : Si abbas « in curribus et in equis de loco ad locum discurrat, hic non solum principatu fratrum indignus est, verum etiam homicida animarum judicandus est, et alius monasterio ejus præesse constituatur. Sin vero non poterint monachi, ab illo exeant, et ille excommunicetur. »

Hanc autem Regulam sæpius volumus in congregatione legi.] Hæc verba ad modo prædicta hoc in capite possunt referri, ut vel inde discant monachi quantum periculum sit foras prodire : vel ad totam Regulam, ut vult Bernardus Cassinensis. Et certe antiquiores monachorum Patres suam in conventu fratrum Regulam frequenter legi decernunt. Regula S. Augustini, ex cap. 24, et Tarnatensis singulis hebdomadis in conventu legebantur. Regula S. Aureliani et S. Ferreoli semel in mense, scilicet in calendis. Magister suam quotidie in refectorio legi jubet. Similiter et Regula Cujusdam ad virgines (*Cap.* 9) : « Ante mensam vero semper capitulum Regulæ unum aut amplius, si abbatissæ placuerit, legatur. » S. Benedictus autem nullum determinate tempus assignavit ad lectionem Regulæ, contentus dicere *ut sæpius in congregatione legatur*. Sed antiquus ordinis nostri usus obtinuit ut aliquid ex ea quotidie, saltem semel in capitulo **874** pronuntietur, ut videre est in concilio Aquisgranensi, canone 69, in libello Supplici monachorum Fuldensium, num. 1, in Vita S. Benedicti Anianensis, in Vita S. Odonis, in mss. Germaniæ Consuetudinibus, in Historia Relationis S. Wa-

larici, et apud Bernardum Cassinensem, in hunc locum sic scribentem : « Hoc in consuetudinem est conversum apud nos, quod quolibet die unum Regulæ capitulum legatur. Imo debet diligenter exponi ad ignorantiam crassam tollendam omnino. Novitii vero totiens debent ruminare legendo, ut totam ex integro sicut psalterium mente perfecte sciant. » Sed et Boherius : « Apud nos, inquit, in capitulo consuevit legi quotidie, et qualibet die infra capitulum istius Regulæ, exceptis diebus XII lectionum, et vigiliis festivitatum, quibus pronuntiatur evangelium homiliæ, ut in vigilia Paschæ, Pentecostes, et similibus. Dividuntur tamen ad instar psalmorum prol xiorum, procemium hujus Regulæ, cap. 2, 43, 48, 63, 64, 65. Constitutiones vero papales bis in anno legi debent, et semel in capitulo provinciali. » Cistercienses in legenda Regula ita singula distribuebant capita, ut eam quater in anno percurrerent. Dies autem in quibus inchoari deberet explicantur his versibus :

Tu Benedicte caput, sequitur vigilia Baptist.
Crastinus Andochii, tandem festum puerorum.

Cum vero festum B. Benedicti transferretur, transferebatur etiam ipsa Regulæ inchoatio ex libro Instit., dist. 6, cap. 1.

Ne quis fratrum de ignorantia se excuset.] Ex his postremis hujus capituli verbis recte omnino Bernardus Cassinensis infert, non modo legendam, sed insuper exponendam esse Regulam; alioquin de ejus ignorantia posset se aliquis excusare. Et certe nonnulla occurrunt in textu Regulæ loca quæ varios possunt sortiri sensus, nec facile, ni exponantur, intelligi queunt. Bernardo lucem prætulerat Hildemarus, « quia, inquit, nihil valet illa lectio, nisi fuerit ejus traditio adhibita. » Hinc congregata Aquisgrani synodus decernit (*Can.* 70), « ut ad capitulum lectio tradatur (id est exponatur). Similiter ad collationem, si tempus fuerit opportunum. » Et Alcuinus ad fratres Wiremutensis et Girwensis ecclesiæ scribens (*Epist.* 49) :

A « Vos vero qui estis patres et pastores sanctæ congregationis, docete diligentissime fraterno amore familiam, quam accepistis regendam, omneque bonitatis exemplum in vobismetipsis ostendite; sæpiusque Regula S. Benedicti in conventu fratrum propria exponatur lingua, ut intelligi possit ab omnibus. » Similiter S. Dunstanus (*In Concord. cap.* 1) : « Residentibus legatur Regula, vel si dies festus fuerit, evangelium ipsius diei, de qua lectione a priore, prout Dominus dederit, dicatur. » Et Udalricus de capitulo feriæ 5 in Cœna Domini (*Lib.* I, *c.* 12) : « Exposita Regulæ sententia, jubente domno abbate, consurgit camerarius, etc. » Denique Joannes Trithemius (*Præfat. ad lib. Region. claustr.*) : « Sicut moris est observationibus Bursfeldensibus, cujus unionis et observantiæ secundum regulam S. Benedicti sumus, paragraphum unum de eadem Regula, quæ nobis capitulariter ter in anno legi consuevit, fratribus meis **875** singulis diebus compellor declarare : super qua subit animum colligere, et de
B sanctorum promptuariis mendicare, ut loquens habeam ad manum quod placeat audientibus. » His adde summorum pontificum constitutiones. Gregorius IX : « Quia, inquit, in multis monasteriis a paucis intelligitur Regula cum legitur, præcipimus ut lectio Regulæ, quæ legitur in capitulo, propter minores statim in vulgari exponatur ab ipso qui capitulum tenet, vel ab illo cui duxerit injungendum. » Idem habent Clemens V in sua decretali, et Benedictus XII in sua constitutione. Hinc Cistercienses Congregationis Reformatæ in Hispania, in capitulo generali anni 1557, Ludovico de Estrada injunxerunt ut commentarios super Regulam S. Benedicti scriberet, « quibus abbates in capitulis privatis ad illam exponendam uti possent, » quemadmodum scribit Angelus Manriquus in Serie abbatum Palatiolensium. Hinc etiam forte capiendus est locus ex Beda in Vita S. Cuthberti cap. 16 (*Sæc.* II *Ben.*), « Sæpius in cœtu fratrum de Regula disputans, etc. »

CAPUT LXVII.

De fratribus in viam directis.

Dirigendi fratres in viam, omnium fratrum, vel abbatis orationi [a] se commendent : et semper ad orationem ultimam operis Dei, commemoratio omnium absentium fiat. Revertentes autem de via fratres in ipso die quo redeunt, per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei, prostrati solo oratorii [b] ab omnibus petant orationem, propter excessus : ne quid [c] forte subripuerit in via vi-
C sus [d], aut auditus malæ rei, aut otiosi sermonis [e].

Nec præsumat quisquam alio [f] referre quæcunque foris monasterium [g] viderit aut audierit : quia plurima destructio [h] est. Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subjaceat. Similiter et qui præsumpserit claustra [i] monasterii egredi, vel quocunque ire, vel quidpiam quamvis parvum [j] sine abbatis jussione facere [k]

[a] Al., *orationibus.*
[b] Oxon., *loco orationis.* Narb. *loco oratorii.*
[c] Oxon., *ne quis*, etc. Conc., Flor., *ne qui forte subripuerint.* Cassin., *ne cui*, etc
[d] Lyr., *visu, aut auditu*
[e] Narb., *otiosus sermo.*
[f] Hild., Comp., Haeft., *alii.* Editi, *aliis.*
[g] Al., *monasterio.* Al., *monasterii.*
[h] Oxon., *discretio.*
[i] Flor., *clausa.*
[j] Plures mss., *parum.*
[k] Narb. addit *vindictæ subjaceat.*

COMMENTARIUS.

876 *Dirigendi fratres in via.*] Acute Petrus Boherius in utroque commentario hunc locum exponens, et post eum Haeftenus observant, non sine causa pluralem hic a S. Benedicto usurpatum esse numerum, quo tacite saltem innueret solos extra cœnobium monachos sine socio fratre progredi non debere. Et certe eam fuisse veterum monachorum disciplinam, patet ex Regula S. Antonii, n. 12; ex Regula tertia SS. Patrum, cap. 8; S. Macarii, c. 22; S. Pachomii, art. 34; Orientali, c. 22; S. Basilii fus., c. 39; incerti auctoris,
D c. 3; S. Augustini, c. 12; Tarnatensi, c. 2; S. Isidori, c. 22; ex Vita S. Benedicti, passim; ex Vita S. Samsonis, S. Eparchii, S. Gregorii papæ, auctore Joanne Diacono, l. I, c. 11, et ex Vita S. Cuthberti, c. 11. Hic tamen aliquando cum *uno comite puero* egressus fuisse dicitur in ejusdem Vitæ c. 12. Hanc disciplinam singulari canone renovavit concilium Aquisgranense statuens, « ut soli et sine alio fratre in via non dirigantur. » Et Gregorius IX, in constitutione pro monachis Benedictinis his verbis : « Inhibemus quo-

que districtius ne libera detur monachis evagandi potestas, nec dent claustralibus licentiam revisendi sæcularia, nisi forte rarissime, et ex causa rationabili, et ad tempus modicum, matura quoque *societate* eisdem ad custodiam deputata. » Sane hanc monachorum consuetudinem tanti faciebat S. Gregorius (*Lib.* x *Regist.*, *cap.* 22), ut Constantinum monachum a fratribus in abbatem expetitum ideo repulerit, quod peculiaritati studeret, et quia « ad monasterium quod in Piceni provincia situm est, solus pergere sine aliquo fratrum suorum præsumpsit. Ex qua ejus actione cognoscimus, inquit, quia si sine teste ambulat, recte non vivat. » Constitutiones Cœlestinorum præscribunt (*Tract.* 1, *cap.* 12) ut monachi sine licentia euntes aut soli, carceribus tradantur. » Hujus instituti causas habes apud Haeftenum, lib. xi, tract. 4, disq. 1.

Omnium fratrum vel abbatis orationi se commendent.] Idem habes in Regula S. Isidori, cap. 22, et Magistri, cap. 66. Ritum explicat Hildemarus his verbis: « Et hoc notandum est, si longa via vadunt, veluti est ad regem aut etiam in aliquid longe: tunc in capitulum veniet sive abbas sive cæteri quilibet ambulaverint, et ibi coram fratribus manifestatur locus quo pergant, et in illo capitulo prius prosternuntur fratribus, et commendant se orationibus, et osculantur omnes*. Et tunc in oratorio prosternuntur, et sic vadunt. Si autem non valde longe vadunt, solummodo in oratorio petant benedictionem, » et fratrum orationes, « dicentes: Orate pro me, fratres, » inquit Richardus de S. Angelo. Id autem tam ex Smaragdo quam ex Hildemaro, et libro Usuum Cisterciensium, c. 88, præstare debebant prostrati ante altare, si tempus ferret; alias tantum incurvati: **877** quamvis in Franciæ monasteriis omni tempore genuflecterent, cum hoc discrimine quod diebus quibus ex ecclesiæ præscripto genua flectenda essent, etiam prosternerentur, aliis minime, quemadmodum testatur Hildemarus. Prostrati vero ex eodem auctore dicebant: « Domine Jesu Christe, tu scis fragilitatem meam, adjuva me in hoc itinere, quatenus hoc iter obedientiæ meæ valeam orationibus fratrum sine offensione peragere. » Preces dicendas super eos habes apud Smaragdum et Haeftenum, passimque occurrunt in antiquis libris. Porro hanc petendæ benedictionis legem tanti faciebant Cistercienses, ut qui eadem die reversuri illam non flagitarent, hos panis et aquæ pœnitentia mulctarent, nisi evidenti necessitate aut utilitate ordinis excusarentur, quemadmodum continet libellus antiquarum definitionum, dist. 10, c. 2.

Duo hic restant circa Regulæ textum adnotanda. *Omnium fratrum vel abbatis orationi se commendent*, inquit S. Benedictus. 1° Terminus universalis *omnium* S. Stephanum abbatem Obazinensem movere potuit, ut « in itinere processurus, post generalem fratrum benedictionem, etiam infirmorum se orationibus commendaret. » 2° Particula *vel*, quam Menardus asserit hic esse conjunctivam, secundum Bernardum Cassinensem et Boherium disjunctive accipi debet, propter improvisos et inopinatos casus urgentesque necessitates, quæ conventum congregari non sinunt, verbi gratia, cum nocte recumbentibus adhuc in lecto fratribus, aut per diem extra monasterium laborantibus, proficiscendum est: quo casu solam abbatis benedictionem percipi voluerit S. Benedictus: cujus rei praxim videre est in lib. i Dialogorum S. Gregorii papæ, cap. 2, ubi de Libertino ita habes: « Erat pro utilitate monasterii causa constituta: expletis igitur hymnis matutinalibus, Libertinus ad lectum abbatis venit, orationem sibi humiliter petiit. »

Et semper ad orationem ultimam operis Dei commemoratio omnium absentium fiat.] Per ultimam operis Dei orationem Menardus et Cointius completorii collectam intelligunt, non ultimam cujuscunque horæ canonicæ orationem. Econtra Petrus Boherius hunc locum exponens ad verbum *semper*, « id est, inquit, in omnibus horis canonicis. » Et ita usus obtinuit non solum apud nos, sed etiam apud Camaldulenses et tenacissimos Regulæ ad litteram observatores Cistercienses, teste Juliano Parisio in libro de prima vivendi ratione Cisterciensium, parte iii, cap. 4, § 1. Et ratio est quod sicut absentium ministerium omnibus in claustro remanentibus proficit, par quoque erat, ut totius congregationis orationes absentibus prodessent. Qualis autem esset illa commemoratio, S. Pater non explicat: unde et varius ubique usus obtinuit: de quo *vide* Haeftenum, in lib. ii, tract. 4, disq. 3, et Menardum hic.

Revertentes autem de via fratres, ipso die quo redeunt, etc.] Ex hoc loco recte inferunt commentatores, sic omnia a viatoribus peragenda esse negotia, ut multa adhuc hora revertentes, monasterium ingrediantur saltem ante completorium. Ita **878** Hildemarus, Bernardus Cassinensis et Boherius in 1 commentario. Hildemari verba hæc sunt: « Non dixit S. Benedictus, ipsa nocte qua redeunt, sed ipsa die, eo quod intentio S. Benedicti fuit ut in die veniat monachus, quatenus per omnes canonicas horas ante quas venerit, valeat negligentias suas abstergere: unde pro hac causa in terra nostra consuetudo est, et debet etiam fieri, ut tali hora debeat venire, ut etiam ad completorium paratus esse possit, si alius horis non potest, ut hoc capitulum valeat *implere*, ne prævaricator suæ professionis existat. *Aut certe* si non potest tali hora venire, aut vadit ad mansionem in alterum locum nostrum, si habemus; aut certe si hoc non potest, tunc maneat ad portam monasterii in illa nocte, et ibi pro necessitate manducare illi præparatur sicut hospiti, aut sicut potest illi præparare, ita tamen si non possit in alium locum ire ad manducandum. Quod si potuerit alium locum habere, inhonestas est ad portam monasterii manducare. »

Ab omnibus petant orationem.] Hæc oratio fiebat ante commemorationes ex libro Usuum Cisterciensium, cap. 78. Boherius tamen in secundo commentario existimat solam abbatis benedictionem sufficere egressis et eodem die reversis. Qualis autem esset illa oratio, habes apud Menardum et Haeftenum, lib. ii, tract. 4, disq. 3.

Propter excessus.] Excessum hic *transgressionis lapsum* interpretantur Smaragdus et Bernardus Cassinensis. Sed Hildemaro *excessus est maxime, ubi non sponte peccatur, sed cum improvisu*, ad quem sensum inclinat Boherius, ita ut excessus non a verbo *excedo*, sed ab *excido* derivetur. Et hunc esse genuinum S. Patris sensum verba sequentia demonstrant, *ne quid forte subripuerit*, non dicit *commiserit*, sed *subripuerit*, id est, non satis advertenti exciderit.

Nec præsumat quisquam aliis referre quæcunque foris monasterium viderit, etc.] Idem præscribunt Regula S. Pachomii, art. 34, 48 et 49; Orientalis, cap. 23; et Tarnatensis, cap. 2.

Quia plurima destructio est.] Ita fere abbas Pœmen in Patrum Apophthegmatis, tom. I Mon. Eccles. Græcæ: « Si videris spectacula et audieris sermones, noli enarrare proximo tuo: est enim bellica subversio. » Id plane agnoverat S. Hugo episcopus Lincolniensis (*Surius in ejus Vita*, *cap.* 22), qui conciliata inter Angliæ et Franciæ reges pace, et de modo quo inita fuisset interrogatus a suis Carthusianis, respondit contristatus: *Rumores audire et referre etsi licet episcopis, sed non licet monachis.*

Quod si præsumpserit, vindictæ regulari subjaceat.] Ad quem locum ita declarant Cassinenses: « Si quis in hoc notabiliter excesserit, dicat culpam suam in

* Ita sancto Mauro in Gallias directo S. Benedictus osculum dedisse legitur in Vita S. Mauri, n. 29, et S. Placido in Siciliam proficiscenti, in ejus item Vita, n. 20.

capitulo, et comedat in terra in pane et aqua in refectorio, arbitrio prælati toties quoties contravenerit. » Reversi tamen omnium rationem abbati reddere debebant, ut præscribit S. Basilius his verbis (*Regul. fus. cap.* 44): « Post regressum examinet 879 præpositus ex itinere reversum, quales fuerint rerum contractus, cum qualibus viris negotium habuerit, quos sermones miscuerit, quæ fuerint animi cogitationes, an quamvis diem ac noctem in timore Dei transegerit, an metu externarum calamitatum perculsus, aut propria socordia dissolutus, decretorum aliquid perverterit. Et si quid recte administratum fuerit, approbando confirmet; si vero error quispiam irrepserit, cura ac prudenti doctrina corrigatur. Ita quippe et vigilantiores erunt peregre proficiscentes fratres propter sollicitudinem reddendæ rationis, et nos videbimur vitam eorum ne absentium quidem negligere. »

Similiter et qui præsumpserit claustra monasterii egredi, etc.] Eodem fere modo loquuntur S. Pachomius in Regula, art. 36; S. Basilius in Regulis brevioribus, interrog. 120; S. Ferreolus in Regula, cap. 20; et S. Isidorus, cap. 22. In concedenda autem ista licentia abbas non nimis facilem exhibere se debet; sed ad solam monasterii necessitatem aut piam aliquam utilitatem attendere. Et tunc tam egredientes quam revertentes abbatis benedictionem excipiant juxta veterum monachorum morem, quem videre est in sexta synodo, can. 46; in Pœnis incerti auctoris, apud S. Basilium, n. 1; in Regula S. Fructuosi, cap. 8; in lib. II Dialogorum S. Gregorii papæ, cap. 7 et 12, et apud S. Joannem Climacum, grad. 4. Hanc autem benedictionem edito super egredientes crucis signo dabant, ut patet tum Pœnitentiali S. Columbani, tum ex Ardone in Vita S. Benedicti Anianensis, n. 23.

Quod vero S. Benedictus addit *vel quocunque ire*, Menardus id intelligit « de his qui in via diriguntur, ut tantum ad locum ad quem missi sunt, nec declinando ad dextram vel ad sinistram recta se conferant. » Sed omnes Cassinenses commentatores id interpretantur de discursu *intra claustra monasterii*, ut nec vagari per monasterium sine abbatis jussu liceat. Et certe id non expedit, nec nisi noxium fratribus esse potest; unde etiam Regula sancti Pachomii (*Art.* 47): « Nullus neque ambulandi in monasterio, neque extra murum monasterii procedendi habeat facultatem, nisi interrogaverit præpositum et ille concesserit. » Et Pœnæ incerti auctoris, apud S. Basilium (*Num.* 37): « Si quis egressus fuerit ad ostiarium sive janitorem, si non permissum fuerit ipsi a designatis præfectis, careat benedictione. Si vero egressus fuerit ad munitionis prospectum, excommunicetur. » *Vide* Regulam SS. Pauli et Stephani, cap. 26, et lib. de Antiquis monachorum Ritibus, cap. 17

CAPUT LXVIII.

Si fratri impossibilia injungantur.

880 Si cui fratri aliqua forte gravia aut impossibilia injunguntur [a], suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine et obedientia. Quod si omnino virium suarum mensuram viderit pondus oneris [b] excedere, impossibilitatis suæ causas ei qui sibi præest, patienter et opportune suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo. Quod si post suggestionem suam in sua sententia prioris imperium perduraverit, sciat junior ita sibi expedire, et ex charitate confidens de adjutorio Dei, obediat.

[a] Hild., *injungantur.*

[b] Hild. cum alio ms., *operis*. Flor., *humeris*.

COMMENTARIUS.

Si cui fratri aliqua forte gravia aut impossibilia injunguntur.] Duo hic distinguit S. Benedictus, gravia et impossibilia; in quibus hoc intercedit discriminis, quod gravia sint dura, difficilia, aut quæ vix fieri possunt, nisi cum summo conamine; impossibilia vero nullo modo. Ita fere Hildemarus, Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, Boherius, et Turrecremata. Impossibilia autem cum Boherio triplicis generis distinguere possumus: 1° juris, ut cum aliquid contra jura præcipitur; 2° facti, ut Alpes ultra mare transferre; 3° naturæ, ut cœlum conscendere, aut digito tangere. Vel etiam cum Ambrosio (*Lib.* IV *de Fide, cap.* 3) impossibilia in quadruplici differentia constituere possumus: 1° aliquid est impossibile per naturam, verbi gratia, ut avis sapientiæ disciplinam assequatur aut artem; 2° est aliquid possibile quidem per naturam, sed impossibile per infirmitatem: sic impossibile est infirmo onera deferre robusti; 3° aliquid est impossibile per imperitiam aut impotentiam, ut, verbi gratia, idiota litteras doceat; 4° est impossibile per definitionem incommutabilis propositi, et constantis perseverantiam voluntatis, atque amicitiæ fidem, ut si quis contra legem Dei vota, etc., agere jubeatur. Verum impossibile hoc loco non physice, sed moraliter accipiendum esse censent Menardus et Caramuel.

Suscipiat quidem jubentis imperium.] Nihil omnino dijudicans inter gravia et levia, possibilia et impossibilia: nihil enim 881 asperum, nihil grave, aut impossibile perfecte obedienti; et, ut ait S. Basilius (*In Reg. a Ruff. transl., c.* 82), « qui fideliter et puriter Deum diligit, et certus est de retributione Domini, nec sufficere sibi putat ea quæ injunguntur; sed semper augmenta operis quærit, et majora quam injunguntur desiderat et exoptat, etiamsi supra vires esse videatur quod facit. » Unde etiam Cassianus (*Lib.* IV, *c.* 10): « Vera obedientia est quæ, quamvis aliquid difficile ei imperetur, nihil tamen discutiens sine aliqua cordis hæsitatione perficere nititur et consummare quod jussum est; et pro reverentia senioris nihil de impossibilitate aut stultitia præcepti dijudicat; sed plena fide ac devotione quidquid dictum fuerit, non tanquam ab homine, sed tanquam a Deo sibi suscipit imperatum. »

Cum omni mansuetudine et obedientia.] Hoc est, inquit Hildemarus, « non solum ore dicere non debet se nolle aut non posse suscipere, sed etiam in vultu non debet se significare resistere; ut sicut in corpore ostendit mansuetudinem, ita etiam in mente. »

Quod si omnino virium suarum mensuram viderit pondus oneris excedere, etc.] Recte omnino Bernardus Cassinensis ad hunc locum: « Nota, inquit, sensum litteræ; non enim in gravibus seu difficilibus dicit excusationem aliquam suggerendam, sed impossibilibus tantum. Et nota quod illud debet esse ita impossibile, quod et viribus pensatis et pondere oneris, impossibile sibi vere debeat judicari: onus autem et vires ex parte negotii injuncti, et ex imbecillitate obedientiam suscipientis sollicita consideratione pensetur. » Idem habet Boherius in utroque commentario.

Quinque etiam in hujusmodi excusatione S. Benedictus attendi voluit: 1° ut fiat *patienter*, hoc est cum humilitate, ut loquitur Hildemarus; 2° *opportune*,

id est suo loco, secreto, non palam; 3° *non superbiendo*, quasi respuendo quod fuit a majore imperatum; 4° *non resistendo*, id est renuendo in facie ea implere quæ fuerunt jussa; 5° *non contradicendo*, alta et aperta voce clamando ea non esse facienda.

Prioris imperium perduraverit.] Per priorem hoc loco Menardus intelligit seniorem, quem juniori opponit dicens: Sciat junior ita sibi expedire. Sed refragatur Boherius, cum omnibus quas viderim tam antiquis quam recentioribus Gallicis versionibus, quæ omnes priorem hic interpretantur prælatum seu superiorem.

Sciat junior ita sibi expedire.] « Quasi diceret, inquit Hildemarus, non pro hoc dimittat obedientiam; quia si in illis difficillimis rebus obedierit, hoc suæ saluti convenit. »

Et ex charitate confidens de adjutorio Dei, obediat.] Nisi forte aliquid præcipiatur quod sit impossibile juris, sive, ut loquitur S. Ambrosius (*Lib.* IV *de Fide, cap.* 3), impossibile *per definitionem immutabilis propositi, et constantis perseverantiam voluntatis, atque amicitiæ fidem.* Hoc enim, cum legi Dei repugnet, ex charitate fieri non potest. Cæterum, quidquid aliud præcipiatur, quocunque modo sit impossibile, cum firma spe de Dei adjutorio aggrediendum est, ut si effectus exhiberi nequeat, saltem **882** ostendatur affectus. Præclare autem hunc in locum exclamat Bernardus Cassinensis: « Mirabilis obedientiæ perfectio regularis, quæ etiam ad impossibilia se extendit, et soli Deo relinquitur, quando impossibile est quod jubetur: et mirabilis Patris nostri consolatio, quæ et sic expedire dicit, et confidentiam de Dei adjutorio repromittit, cum dicit, *Sciat junior sibi expedire*, etc. Cum Deus secundum Joannem charitas sit, cum amanti nihil sit difficile, Deum in charitate habenti nihil erit impossibile, quia, juxta Domini vocem, quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Charitas, ut hæc littera explicat, omnia expedire facit; confidentia in merito Dei parit adjutorium, in operatione impendit. »

CAPUT LXIX.

Ut in monasterio non præsumat alter alterum defendere.

Præcavendum [a] est ne quavis occasione præsumat alter alium defendere monachum in monasterio [b], aut quasi [c] tueri: etiamsi qualevis [d] consanguinitatis propinquitate jungantur [e]. Nec quolibet modo id a monachis præsumatur, quia exinde gravissima occasio scandalorum oriri potest. Quod si quis hæc transgressus fuerit, acrius coerceatur.

[a] Oxon., *recavendum*.
[b] Deest in duobus ms. *in monasterio*.
[c] Al. deest *quasi*.
[d] Oxon., Conc., *quavis*.
[e] Oxon., *jungatur*. Bober., *conjungatur*.

COMMENTARIUS.

Præcavendum est ne quavis occasione præsumat alter alterum defendere monachum in monasterio, aut quasi tueri.] Inter *defendere* et *tueri* sic distinguunt commentatores, ut *defendere* de aperta et manifesta defensione intelligendum sit; *tueri* vero de occulta et callida; non manifesta, sed verbis cooperta: « Sunt enim, inquit Hildemarus, qui palam et manifeste defendunt alios; ut hoc non fiat, dixit *defendere*. Et sunt alii qui non audent manifeste defendere, defendunt ingeniose cum dulcibus verbis et aliis latenter, cogitantes abbatem non intelligere se causa defensionis hoc agere, de quibus dixit *quasi tueri*. » Ita cum Hildemaro Bernardus Cassinensis, Nicolaus de Fractura, et Boherius in utroque commentario. *Tueri* tamen Smaragdo dicitur **883** *sustinere, opem ferre, vel præsidium*; et Menardo *plus est tueri quam defendere.* Magis tamen nonnullis arridebit primus sensus, quia S. Benedictus non dicit simpliciter *tueri*, sed *quasi tueri*, quod callidam defensionem potius significare videtur.

Etiamsi qualevis consanguinitatis propinquitate jungantur.] Et certe, ut optime hic ratiocinatur Hildemarus, cum nec proprias voluntates in propria potestate suis discipulis S. Benedictus reliquerit, eosque etiam impossibilia imperanti per omnia obedire velit: « Si ita est ut monachus pro se non audeat quidquam loqui, multo minus pro aliis. » Cui concinit S. Columbanus hic a S. Benedicto Anianensi in Concordia citatus.

Nec quolibet modo id a monachis præsumatur.] « Multis enim modis, uti observat Hildemarus, fit defensio: aliquando pro consanguinitate; aliquando pro patria, quia de una patria est; aliquando pro discipulatu, aliquando pro amicitia, aliquando pro gula. » Sed nullo modo id a monachis præsumatur.

Quia exinde gravissima occasio scandalorum oriri potest.] Quia, ut ait S. Basilius (*Reg. a Ruff. transl.*, c. 20): « Non jam correptionem ad emendationem, sed defensionem ad confirmandum peccatum suscipit, qui delinquit. Sed et alios ad simile provocat malum: ita ut conveniat ei, qui peccantes defendit, illud quod dictum est: *Quia si non ostenderitis fructus dignos pœnitentiæ, excidemini, et in ignem mittemini.* » Et Orsiesius (*Doctr. c.* 24): « Si præpositus domus aliquem corripuerit ex fratribus qui sibi subjecti sunt, erudiens eum in timore Dei, et cupiens ab errore corrigere; et alius voluerit pro eo loqui, et eum defendere, subvertens cor illius; qui hoc facit peccat in suam animam, quia subvertit eum qui corrigi poterat, et consurgentem dejicit in terram, atque ad meliora tendentem mala persuasione decipit, errans ipse, et alios errare faciens. Huic illud aptabitur congruenter: *Væ qui potum dat proximo suo subversionem turbidam, et inebrians eum! Væ qui errare facit cæcum in via, qui scandalizat quempiam de his qui credunt Deo! Expedit ei ut appendatur ei mola asinaria super collum ejus, et præcipitetur in mare*; quia subvertit, ut diximus, sublevantem se, et obedientem transtulit ad superbiam, et eum qui in dulcedine charitatis poterat ambulare, convertit in amaritudinem, et subjectum legibus monasterii malis consiliis depravavit, fecitque odisse eum, et contristari contra illum, qui eum docebat Domini disciplinam, lites serens inter fratres et discordias. »

Quod si quis hæc transgressus fuerit, acrius coerceatur.] Hæc verba duobus modis intelligit Hildemarus: « Aut enim in ipso gradu quo stat durius debet argui, aut certe unum gradum transcendere. » Bernardus Cassinensis vero: « Ego autem, inquit, puto quod B. Benedictus vidit ex quantitate delicti pœnam transgressoribus imponendam, arbitrio relinqui abbatis hujus impositionem pœnæ, ut secundum ægritudinem medicina præstetur. » Sed Boherius, relata **884** utriusque expositione, suam ita exprimit: « Ego autem dico: acrius puniatur, scilicet defendens illo qui deliquit. » Et certe si in « qui aliorum er-

rorem defendit, multo est damnabilior illis qui errant, quia non solum ille errat, sed etiam aliis offendicula erroris præparat et confirmat; » merito *acrius* puniendus est qui alios tuetur. Apposite ergo S. Pachomius (*Art.* 99) : « Qui consentit peccantibus, et defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum et homines, et corripie ur increpatione severissima. » Et Regula Orientalis (*Cap.* 33) : « Si quis errori ejus A consenserit, et secundum duritiam illius magis consilium dederit, ut se tardius humiliet, sciat se cum in hoc errore fuerit deprehensus, simili modo culpabilem judicandum. » Denique Regula secunda SS. Patrum (*Cap.* 5) : « Si quis vero de fratribus, vel qui in cellis consistunt, ejus errori consenserit, culpabilis erit, atque excommunicatione dignissimus. »

CAPUT LXX.

Ut non præsumat passim quisquam cædere [a]

Vetetur [b] in monasterio omnis præsumptionis occasio. Constituimus ut nulli liceat quemquam fratrum suorum excommunicare aut cædere, nisi cui potestas ab abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur : ut cæteri metum habeant. Infantum [c] vero usque ad quindecim annorum ætates, disciplinæ diligentia ab omnibus, et custodia sit. Sed et hoc cum omni mensura et ratione. Nam in fortiori ætate qui præsumpserit [d] aliquatenus, sine præcepto B abbatis, vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit, disciplinæ regulari subjaceat, quia scriptum est : *Quod tibi non vis fieri, alio ne feceris* (*Tob.* IV).

[a] Quidam addunt, *aut excommunicare.*
[b] Al., *vitetur*, editi, *ut vitetur.*
[c] Al., *Infantibus.*
[d] Cassin., Flor., *præsumit.*

COMMENTARIUS.

Æqualis utrinque periculi est, et tueri nocentem, et persequi innoxium : unde cum illud superiori capite prohibuisset S. Benedictus, istud præsenti capitulo damnat : ubi quod ait in titulo *passim*, Hildemarus interpretatur « leviter, præsumptive, prout quis vult, vulgo **885** ubique; » Smaragdus « inordinate, incongrue, et sine rationis modo; » Boherius « indiscrete, indifferenter, quandocunque. » Idque secundum Hildemarum tam abbatem respicit quam eos quibus excommunicandi et cædendi potestatem fecit, aliosve quoscunque, qui pro libitu, leviter, inordinate indifferenterque cædere aut excommunicare debent neminem, sed omnia cum pondere et mensura facere.

Vetetur in monasterio omnis præsumptionis occasio.] Hoc membrum, ut scribit Menardus, est quoddam generale edictum ad sequentia stabilienda.

Constituimus, ut nulli liceat quemquam fratrum suorum excommunicare.] Sive propter majores, sive propter minores culpas.

Aut cædere.] Sive per se, sive per alium ; aut percutiendo, aut pœnitentiam injungendo.

Nisi cui potestas ab abbate data fuerit.] Sive data sit in commissione alicujus officii, cui annectatur correctio fratrum ; sive per specialem delegationem ad aliquem particularem hujusmodi actum, ut post Bernardum Cassinensem et Boherium loquitur Turrecremata. Hæc potestas vulgo tribuitur priori majori et subpriori, sive, ut majores nostri vocabant, priori claustrali; « hi enim apud nos exercent hoc officium absente abbate potissime, inquit Boherius. » Præterea decanis et senioribus.

Idem cum S. Benedicto decernit S. Ferreolus cap. 21, et merito quidem ; nam optime arguit S. Basilius (*Regul. fus., cap.* 53) : « Si increpatio medicina est, non est cujusvis increpare delinquentem, quemadmodum neque curare ægrotum, nisi alicui ipse præpositus cum majore censura id muneris commiserit. »

Peccantes autem coram omnibus arguantur.] Hildemarus hic alium regulæ locum objicit, ubi peccantes bina admonitione secreta corripi jubentur, non publica. Sed ipse etiam solvit objectionem distinguendo inter privata et publica peccata : illa secreto, hæc publice coram omnibus emendanda : unde et hanc periodum cum hac interpunctione scribit : *Peccantes coram omnibus, arguantur*, supple : coram omnibus. Ita quoque S. Augustinus hunc Apostoli locum ; *Peccantes coram omnibus arguantur*, conciliat cum illa Matthæi sententia : *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum* (*Serm.* 82, *de Script.*). « Ipsa, inquit, corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus. Ipsa corripienda sunt secrete, quæ peccantur secretius. Distribuite tempora, et concordat Scriptura. » Hunc etiam Regulæ locum de peccatis publicis interpretantur Smaragdus, Richardus de S. Angelo, Boherius, Turrecremata, Matthias Lambertus. Atque ita C in Regula Tarnatensi decernitur (*Cap.* 8), ut « quæcunque absque testibus admittuntur, si ad abbatis notitiam pervenerit, secretius emendetur ; si omnibus innotuerit, coram omnibus est reus admissi criminis arguendus. »

886 Ejus rei praxim videre est in antiquis Cluniacensis monasterii Consuetudinibus, auctore Udalrico, ubi hæc leguntur : « Sunt adhuc apud nos alia genera correctionis, quæ non solum domnus abbas facit, sed etiam, si opus fuerit, prior. Nam et inde audivi quam verissime domnus abbas dixerit (*Lib.* III, *cap.* 3) nullam monachorum ecclesiam dehonestari propter quod tale quid committitur ab aliquo fratre ; sed hoc esse quod plane faciat ad ignominiam nostram, si quid nequiter committitur, et absque digna emendatione dimittitur. Idcirco si quis de aliquo flagitio divulgatur in populo, in præsentia quoque populi solet emendari ; ut qui ejus excessum cognoverint, cognoscant et emendationem. Cunctis enim D qui videre voluerint videntibus, et maxime in media platea nudatur, ligatur, et verberatur. Et si culpa non est de gravioribus malis, sed forte ut cum aliquo inhoneste et irreligiose in audientia popularium contenderit, pro hujusmodi, cum venerit dies dominicus, ad initium missæ matutinalis concurrente populo ad ecclesiam, stat ipse nudis pedibus prope fores ecclesiæ, et unum codicem grandiusculum tenet in manu; capellum non induit, ut ab omnibus possit agnosci; nemini loquitur intranti vel exeunti; unus famulus semper est juxta illum, qui dicat interrogantibus propter quid talis ei pœnitentia sit injuncta, nec recedit inde usquequo missa finiatur. » *Vide* quæ supra diximus ex Benignianis Consuetudinibus ad cap. 44. Sed econtra Bernardus Cassinensis hic conqueritur de nonnullis religiosis qui, « quando aliquis fratrum etiam sæculares homines suo pravo corrumpit exemplo, eum occulte puniunt, vel de uno loco transferunt ad alium locum, et peccatum licet publicum aut negant mendaciter, aut palliant turpiter. Et qui malo ejus exemplo corrupti fuerant delinquentis,

pœnam ignorantes disciplinæ latentis, magis corrumpuntur, et assumunt audaciam faciendi similia, vel etiam majora : contra quos invehitur hac auctoritate B. Benedictus : *Peccantes coram omnibus arguantur.* »

Infantum vero usque ad quindecim annorum ætates disciplinæ diligentia sit.] Et etiam ultra si non sint morigerati, ut docet Hildemarus. Et tamen in excerpto 94 Egberti episcopi Eboracensis exstat canon Roman. et Francor. (*Spelm. tom.* I *Concil. Angl.*) : « Parvulus usque anno 15 pro delicto corporali disciplina castigetur ; post hanc vero ætatem quidquid deliquerit, vel si furatur, retribuat, seu etiam secundum legem exsolvat. »

Et custodia adhibeatur ab omnibus.] Qui disciplina non indigent, eamque apprime noverunt : « Neque enim consequens est, ut illi disciplinam dent, qui indigent disciplina et nesciunt disciplinam, » inquit Hildemarus : hinc etiam Menardus : « Cum dicitur *ab omnibus*, hoc de præpositis, decanis, sacerdotibus, diaconis, senioribus, aliisque intelligitur, qui ad eam ætatis maturitatem pervenerint, ut tempus, rationem et modum discretæ correctionis cognoscere valeant. Vel, ut loquitur S. Ferreolus, *ad quos pertinet correctionis* **887** *vel nosse modum, vel tenere judicium.* Nec puto unquam fuisse permissum iis qui 17 aut 16, imo et 20 ætatis annum vix attigerunt, passim pueros cædere. »

Nam in fortiori ætate qui præsumpserit, etc.] Ita S. Aurelianus decernit (*Cap.* 13), ut « frater in fratrem si ausus fuerit manum mittere, legitimam disciplinam accipiat. » Quæ verba tanquam ex concilio Ilerdensi, cap. 7, citantur ab Ivone Carnotensi, p. 6 decreti, cap 292. Sed ea desumpsisse videtur S. Aurelianus ex Regula S. Cæsarii ad virgines, ubi hæc leguntur (*Cap.* 24) : « Si forte, ut se habet humana fragilitas, in tantum nefas aliquæ de sororibus ausæ fuerint, diabolo instigante, prorumpere, aut ut furtum faciant, aut in se invicem manum mittant, justum est ut legitimam disciplinam accipiant. » In Regula vero S. Ferreoli præscribitur (*Cap.* 21), ut « quisquis taliter incontinens manibus invenitur, ita ut nesciat ab illicitis temperare, manus illæ quas erexit in proximum, per longum tempus non solum jejunio, sed etiam operis assiduitate lassentur, ut deinceps ad Deum leventur in oratione, non cum furore extendantur in fratrem. »

Cæterum quod hic statuit S. Benedictus de pueris usque ad annos 15 cædendis, confirmatur ex praxi veterum monachorum, quam videre est apud Severum Sulpicium, lib. I Dialog., cap. 5, ubi refert duos pueros, quorum unus 12, alter 15 erat annorum, ab abbate suo flagris exceptos fuisse, eo quod patratum a se miraculum aliis fratribus divulgaverant, ne scilicet vana elati gloria perirent.

CAPUT LXXI.

Ut obedientes sint sibi invicem.

Obedientiæ bonum non solum abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi invicem ita [a] obediant fratres, scientes se per hanc obedientiæ viam ituros ad Deum. Præmisso ergo abbatis aut præpositorum [b] qui ab eo constituuntur imperio, cui [c] non permittimus privata imperia præponi, de cætero omnes juniores prioribus suis omni charitate et sollicitudine obediant. Quod si quis contentiosus reperitur, corripiatur.

Si quis autem frater pro quavis minima causa ab abbate, vel a quocunque priore suo corripiatur quolibet modo ; vel si leviter senserit animum [d] prioris cujuscunque **888** contra se iratum vel commotum, quamvis modice; mox sine mora tandiu prostratus in terra ante pedes ejus jaceat satisfaciens, usque dum benedictione sanetur illa commotio. Quod si quis contempserit [e] facere, aut corporali vindictæ subjaceat ; aut, si contumax fuerit, de monasterio expellatur.

[a] Al. deest *ita*.
[b] Conc., *ut præpositorum*.
[c] Al., *quibus*.
[d] Cassin., Narb., Flor., cum quibusdam mss., *animos ..... iratos vel commotos*.
[e] Al., *quod qui contempserit*.

COMMENTARIUS.

Obedientiæ bonum non solum abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi invicem ita obediant fratres.] Eamdem doctrinam tradit abbas Isaias in Regula sua his verbis (*Cap.* 30) : « Si habitaveris cum aliquo fratre, esto cum illo ut peregrinus, nec præcipias illi quidquam, nec te superiorem illi facias, nec præfidenter agas cum illo ; et si præceperit tibi aliquid quod nolles, abscinde voluntatem tuam, et ne contristes illum, ne abscindatur pax a vobis, et scias quod obediens est major. » Idem etiam docent S. Basilius in Regul. brev., interr. 115 ; S. Dorotheus doctr. 19; Regula Cujusdam ad monachos, cap. 3, et S. Bernardus sermone II, in Cant.

Scientes se per hanc obedientiæ viam ituros ad Deum.] Præclara sane, et digna S. Benedicto sententia, quæ multos, si quibus excitari possimus stimulis, animos addere debet ; neque sub dubio aliquo obedientem ad Deum iturum promittit, sed constanter, certissimeque affirmat dicens : SCIENTES *se per hanc obedientiæ viam ituros ad Deum* ; quia « solis obedientibus æterna salus hæreditario jure debetur, » ut ait Petrus Damiani (*Serm. de S. Bened.*), seu quivis alius : unde et S. Fructuosus in Regula monastica communi dicit (*Cap.* 5) : « Qui per Christum ad Deum ire desiderant, ... obedientes sint abbati usque ad mortem, in tantum ut nullam propriam faciant voluntatem, sed Patris. »

Præmisso ergo abbatis et præpositorum qui ab eo constituuntur imperio.] Præpositorum nomine S. Benedictus hic non eos solum qui supra decanos post abbatem sunt secundi, intelligit ; sed ipsos etiam decanos, circatores, officiales, cujuslibet artis præpositos.

Cui non permittimus privata imperia præponi.] Ordo enim obedientiæ exigit ut primum majoribus, deinde minoribus pareamus, ut etiam docet S. Augustinus his verbis (*Serm.* 62, *de Script.*) : « Ipsos humanarum rerum gradus advertite. Si aliquid jusserit curator, nonne faciendum est ? Tamen si contra proconsulem jubeat, non utique contemnis potestatem, sed eligis majori servire ; nec hinc debet minor irasci, si major **889** prælatus est. Rursum si aliquid ipse proconsul jubeat, et aliud jubeat imperator, nunquid dubitatur isto contempto illi esse serviendum ? Ergo si aliud imperator, et aliud Deus, quid judicatis ? »

De cætero omnes juniores prioribus suis cum omni charitate et sollicitudine obediant.] Verum cum omni

tempore fratres aliquo occupatos exercitio detineat S. Benedictus (nam modo in ecclesia divinas laudes celebrare, modo in claustro lectioni vacare, modo in horto aut alibi labori manuum incumbere, modo in refectorio cibum sumere, modo in dormitorio somno indulgere Regula jubet, nullum prorsus, aut vix ullum temporis intervallum relinquens), quærit hic Hildemarus qua ratione sibi invicem fratres obedire debeant: nam si fratribus quis obedientiam exhibeat, Regulæ consequenter denegat; si Regulam observet, eo ipso fratribus obtemperare non valet. Hanc ad objectionem tria reponit idem Hildemarus: 1° Omnibus obedit, qui omnibus servit, sive in coquina cibos præparando, sive in hospitio supervenienti ministrando, sive in infirmitorio ægrotos curando, et sic in aliis obedientiis. 2° Qui opere non potest, corde saltem et voluntate, quam præsertim respicit Deus, obedire nihil vetat. 3° In eadem etiam addicti obedientia sibi invicem obtemperare possunt, verbi gratia, cum pannos lavaturi fratres mittuntur, delicati alicujus fratris hoc ab eo deprecantis pannos ipse lavare potest; coquinæ officio deputatus, socio in hac arte minus versato aliquid circa coquinæ ministerium petenti obedire potest. Primam et tertiam responsionem proferunt etiam Bernardus Cassinensis et Boherius.

Quod si quis contentiosus reperitur, corripiatur.] Quem in locum Hildemarus: « Et bene, inquit, cum obedientiæ fecit mentionem, subjunxit: Si quis contentiosus fuerit, corripiatur, quia nulli magis contentio congruit, quam inobedienti. » Contentiosus autem eidem Hildemaro « est ille, qui quidquid agit, semper eum murmurio vel detractione agit, sive cum defensione mala, atque ingenio. » Secundum Bernardum Cassinensem vero « contentiosus ad inobedientiam attinet; sed hic plus importat, videlicet quod non solum obedire contemnit, sed etiam cum imperante superbe contendit. » At Boherio contentiosus est ille, « qui alium incitat sermonibus duris et contumeliosis, et qui respondet mala malum dicenti, vel male bonum operanti. ».

Si quis autem frater pro quavis minima causa, ab abbate, vel a quocunque priore suo corripiatur.] Hunc locum Boherius in 2 commentario intelligit de correptione quæ fit « in capitulo regulari, in quo etiam de more coram cunctis debet proclamari ad culpam, et corripi ad emendam. » At rectius in 1 commentario dixerat: « Credo hic loqui de correptione privata, quam priores omnes possunt exercere in junioribus, non de correptione publica, quæ fit verbis, quandoque verberibus in capitulo; nam illam solus abbas, vel cui commiserit ipse exercere debet. » Et certe S. Pater **890** hic non loquitur de correptione quæ fit ab abbate, aut solo priore, sed de ea quæ fit *a quocunque priore suo.*

Quolibet modo.] Sive juste, sive injuste.

Vel si leviter senserit animum prioris cujuscunque contra se iratum vel commotum, quamvis modice.] Hildemarus, Bernardus Cassinensis et Boherius, inter commotum et iratum hoc ponunt discriminis, quod iratus dicitur, qui majori inflammatur ira, commotus qui minori.

Mox sine mora tandiu prostratus in terra ante pedes ejus jaceat, etc.] Hæc communis exsistit veterum monachorum praxis, quam videre est in eorum passim Regulis. In Regula abbatis Isaiæ (*Cap.* 24): « Si peccaveris in aliquo, non pudeat te confiteri illud, neque excuses te mendacio, sed *genua flecte*, et confitere delictum tuum, et pete veniam, et condonabitur tibi. » In Regula secunda SS. Patrum (*Cap.* 7): « Et hoc attendendum fuit, ut frater qui pro qualibet culpa arguitur, vel increpatur, patientiam habeat, et non respondeat arguenti, *sed humiliet se* in omnibus. » In Regula S. Macarii, cap. 16, ubi eadem leguntur. In Regula S. Aureliani (*Cap.* 38): « Si quis pro qualibet culpa, aut transgressione Regulæ increpatur, aut disciplinam accipit, arguenti respondere non præsumat. » Clarius in Regula Cujusdam ad monachos (*Cap.* 7): « Ad primum verbum discussionis senioris, sive œconomi, sive alicujus fratris, venia petenda est, et tandiu in terra prostratus, donec senior discussionem consummaverit: si autem senior discussionem iteraverit, et ipse veniam iterare debet. » In secunda Vita S. Comgalli, n. 22 (*Boll.*, 10 *Maii*): « Mos erat in monasterio S. P. Comgalli, ut si quis alium increparet, quamvis ille esset culpabilis aut inculpabilis, statim qui increpabatur genua humiliter flecteret. » In Vita S. Eupraxiæ virginis, n. 14 (*Bolland.*, 13 *Mart.*), quæ ab abbatissa reprehensa, quod tentationes occultasset, « cadens ad pedes abbatissæ dixit: Ignosce mihi, domina mea, quia confusa sum indicare tibi hanc causam. » Apud Rufinum de quodam Eulalio referentem (*Lib.* III *de Vit. Patr. n.* 29), quod « cum argueretur a senioribus fratribus, non negabat, sed prosternebat se in terram, et adorans eos se dicebat peccasse, et negligenter fecisse. » Idem institutum renovat concilium Aquisgranense decernens (*Can.* 13), « ut cum a quocunque priore suo increpatus quis eorum fuerit, *mea culpa* primo dicat; deinde prosternens se illius pedibus cum cappa, si habuerit, veniam petat: et tunc jubente priore surgat, et unde interrogatus fuerit, rationem humiliter reddat. »

Hic autem quærit Hildemarus, num ad pedes junioris increpantis se senior sese prosternere debeat; id enim S. Benedictus non dicit. Respondetque affirmative. Similiter et ordo conversationis monasticæ: « Si frater increpatur, vel reprehenditur, aut corripitur a priore qualicunque, aut ab alio quolibet, vel certe a juniore, pro qualicunque re, statim cum summa velocitate in faciem cadens veniam postulet; quia hæc eadem humilitas Deo exhibetur, non homini; et si ex corde fuerit, cito indulgentiam promerebitur. »

891 *Donec benedictione sanetur illa commotio.*] Quærit hic iterum Hildemarus, quid si frater iratus aut commotus humiliato fratri benedicere nolit. Respondetque, et simul cum eo Bernardus Cassinensis et Boherius, talem per gradus deducendum esse, et merito quidem; nam omnem omnino humanitatis sensum exuisse oportet eum qui veniam petenti et humiliato parcere recusat: hinc citatus hic a Boherio Fabianus papa: « Si quis contristatus noluerit reconciliari fratri suo, satisfaciente eo qui contristaverit, acerrimis maceretur inediis, usque dum gratanti animo satisfactionem recipiat. »

Quod si quis contempserit facere.] Scilicet humiliare se coram arguente.

Aut corporali vindictæ subjaceat.] Id quod Hildemarus et Bernardus Cassinensis intelligunt de jejuniis et flagellis, juxta illud S. Fructuosi (*Cap.* 17): « Procaci, et persistenti, atque per superbiam vel controversiam deneganti (culpam), amplior et districtior animadversio, flagellorumque pœna irrogabitur. » Concinit S. Ferreolus, c. 2.

Aut si contumax fuerit, de monasterio expellatur.] Et tamen superius dixerat contumacem bina admonitione secreta primo corrigendum esse. At ille locus, cap. 23, de contumacia transeunte et corrigibili intelligendus est, iste de perseverante, quæ nullo modo frangi potest. Ita S. Benedictum conciliant Hildemarus, Bernardus Cassinensis et Boherius. « Attamen in ista expulsione, addit Hildemarus, debet attendi persona, sicut sæpe jam dictum est, id est si jam grandis venerit de sæculo, tunc debet expelli; si vero parvus fuerit nutritus in monasterio, non debet expelli, sed mitti in carcerem, quia melius est ut in carcere sit, quam ad sæculum, id est ad pejorem conversationem vadat. » Ita Hugonem olim in Dervensi monasterio oblatum, et fuga elapsum abbas et monachi « in remoto diversorio cum sibi necessariis manere constituunt, » ut habetur in lib. Mirac. S. Bercharii, n. 22 (*Sæc.* II *Ben.*). His aliqua ex parte conformis est Regula Cujusdam ad mona-

chos (*Cap.* 7): « Si quis tardior ad veniam inventus fuerit, sive aliqua verba religioni contraria, sive pro excusatione delicti sui protulerit; mittendus est in carcerem, et pœniteat secundum quod judicaverit senior, usquequo corrigatur. Si autem obstinatus invenitur, separandus est a fratribus. » Richardus autem de S. Angelo hanc expulsionem ita intelligit, ut A expulsus « ponatur in alio arctiori monasterio; alias daretur vagandi materia, quod esse non debet. » Sed loquitur secundum jura recentiora, non juxta priscum veterum monachorum morem, qui contumaces de monasterio exturbabant, ne una ovis morbida totum gregem contaminaret.

CAPUT LXXII

De zelo bono, quem debent habere monachi.

892 Sicut est zelus amaritudinis malus, qui separat a Deo et ducit ad infernum, ita est zelus bonus qui separat a vitiis [a] et ducit ad Deum et ad vitam æternam. Hunc ergo zelum ferventissimo B amore exerceant monachi; id est, ut honore se invicem præveniant [b]. Infirmitates suas sive corporum, sive morum, patientissime tolerent; obedientiam sibi certatim impendant. Nullus quod sibi utile judicat sequatur, sed quod magis alio. Charitatem fraternitatis casto impendant amore [c], Deum timeant, abbatem suum sincera et humili charitate diligant [d]; Christo omnino nihil præponant, qui nos pariter ad vitam æternam perducat.

[a] Conc., *a vitio.*
[b] Hild., *prævenientes.*
[c] Narb., *charitate fraternitatis castum impendant amorem.*
[d] Oxon. cum tribus mss., *humilitate diligant.*

OMMENTARIUS

Sicut est zelus amaritudinis malus, etc.] Etsi zelus apud veteres invidiam proprie significet, in sacris tamen Scripturis, et a SS. Patribus in bonam et in malam partem promiscue usurpatur, ut hic a S. Benedicto; ex Hildemaro autem « zelus qui in bono ponitur, intelligitur vis, id est amor mentis; et zelus malus intelligitur invidia. » Utrumque vero S. Pater *philosophice*, ut loquitur Bernardus Cassinensis, distinguit per oppositionem unius ad alterum contrarium, « ut unum per aliud possit clarius apparere : distinguit enim inter zelum bonum et malum, utriusque proprietates et effectus ponens. » Proprietas zeli boni est, quod sit natura sua bonus, mali malus : « Zelus enim bonus est amor virtutum, et horror vitiorum : zelus malus est amor vitiorum, et horror virtutum, » ut scribit Hildemarus. Effectus zeli boni tres hic annotat S. legislator : 1° quod separet a vitiis, 2° quod ducat ad Deum, 3° quod vitam æternam conferat. Zeli vero mali duos, 1° quod separat a Deo, 2° quod ducat in infernum.

Hunc ergo zelum ferventissimo amore exerceant monachi.] Nota quantum in discipulis zelum ardere desideret, qui non fervent tantum aut ferventiori amore contentus, ferventissimo omnium agi peroptat, cujus exercitium in octo potissimum constituit.

893 *Id est ut honore se invicem præveniant.*] En primum zeli boni exercitium, quod velim attendant ii qui contrariam monasticæ vitæ honestatem contendunt : etsi nolim sæculares agendi modos in claustra transferri, a quibus alienum se facere tenetur quilibet monachus.

Infirmitates suas sive corporum, sive morum, patientissime tolerent.] En secundum boni zeli exercitium, quod commendat apud Cassianum abbas Joannes his verbis (*Collat.* 19, *c.* 9) : « Is vere et non ex parte perfectus est, qui et in eremo squalorem solitudinis, et in cœnobio infirmitates æquali magnanimitate sustentat. » Et S. Bernardus (*Serm.* 12 *in Cant.*) : « Omnis in vobis, qui fraternas infirmitates tam corporum quam animorum non solum patienter supportat, sed insuper, si licet, et si valet, juvat obsequiis, confortat alloquiis, consiliis informat; si hoc non potest propter disciplinam, sollicitus saltem orationibus solatari non cessat infirmo; omnis, inquam, qui talia operatur in vobis, bonum omnino spargit odorem inter fratres, et odorem de unguentis optimis. Balsamum in ore hujusmodi frater in congregatione, monstratur digito, et dicunt de eo omnes : Hic est fratrum amator, et populi Israel; hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate. » Et alibi (*Serm.* 1 *de omnib. SS.*): « Quibus laudibus dignum, quanto amplectendum putas affectu fratrem illum qui, sine querela conversans inter fratres, tota sollicitudine cavet ne quid in eo sit quod ab aliis portari oporteat, et quidquid in C aliis est onerosum, patientissime portat. » *Vide* ejusdem S. Bernardi serm. 36 de Diversis.

Obedientiam sibi certatim impendant.] Præmisso tamen abbatis et præpositorum imperio : en tertium zeli boni exercitium.

Nullus quod sibi utile judicaverit faciat, sed magis quod alio.] Ecce quartum, de quo Benedictum Anianensem laudat Ardo Smaragdus in ejus Vita, n. 31.

Charitatem fraternitatis casto impendant amore.] Et in hoc quintum boni zeli exercitium reponit S. Benedictus; in quo, ut notant Bernardus Cassinensis et Boherius, non sine causa dixit *casto*, « ut videlicet inordinatum, indiscretum, carnalem, et immundum, seu pollutum, compescat et excludat amorem. » Atque ita S. Macarius dicebat (*Cap.* 7) : « Omnes oportet diligere fratres, cum quibus etiam te confidis videre gloriam Christi. »

Deum timeant.] Filiali utique timore, et hoc est sextum zeli boni exercitium.

D *Abbatem suum sincera et humili charitate diligant.*] Ecce septimum. Sincera vero charitas dicitur illa quæ nullo carnali amore, nullo timoris aut remunerationis intuitu corrupta est, sed pro solo Dei amore impenditur.

Christo omnino nihil præponant.] Dignus est enim plane omnibus postponi, qui Christo aliquid præponit; cum summo 894 et infinito bono nihil sit præferendum. Et hoc est ultimum zeli boni exercitium, quod licet absque ullo remunerationis intuitu sit habendum, sua tamen mercede non caret, quam S. Pater indicat cum addit :

Qui nos pariter ad vitam perducat æternam.] Istud *pariter* commentatores interpretantur *simul omnes*, *nullo excluso.* Nonnulli codices addunt *amen*, qua de voce Boherius in 2 commentatio : « Gallici quidem hoc *amen* raro habent, quod tamen bene convenit, cum finis Regulæ sit hic verus, quoniam sequens caput non est ubique regulare, sed intentum magistri.

Regulæque effectum summatim indicat. *Amen* itaque hic optative ponitur, ut hic conclusio ejusdem operis esse demonstretur. » Desideratur tamen in antiquissimo codice Oxoniensi, in Cassinensibus, apud Hildemarum, Smaragdum, Haeftenum, atque in aliis mss. et editis non paucis.

CAPUT LXXIII

De eo [a] *quod non omnis observatio justitiæ in hac sit Regula constituta.*

Regulam autem hanc descripsimus, ut eam observantes in monasteriis [b], aliquatenus vel honestatem morum, aut initium conversationis [c] nos demonstremus habere [d]. Cæterum ad perfectionem conversationis qui festinat [e], sunt doctrinæ sanctorum Patrum : quarum observatio perducit [f] hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo divinæ auctoritatis Veteris ac Novi Testamenti, non est rectissima norma vitæ humanæ? aut quis liber sanctorum catholicorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? Nec non et collationes Patrum, et instituta [g], et vita [h] eorum; sed et Regula S. Patris nostri Basilii, quid aliud [i] sunt nisi bene viventium et obedientium monachorum instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis et male viventibus atque negligentibus, rubor confusionis est. Quisquis ergo ad patriam cœlestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam, adjuvante Christo, perfice : et tunc demum ad majora, quæ supra commemoravimus, doctrinæ **895** virtutumque culmina, Deo protegente, pervenies j.

[a] Al. deest, *De eo.*
[b] Oxon., *in hanc observationem monasterii.*
[c] Al., *conversionis.*
[d] Oxon., *nostræ demonstremus haberi.*
[e] Al., *qui festinant.*
[f] Al., *perducat.* Al., *perduxit.*
[g] In conc. deest, *et instituta et vita eorum.*
[h] Al., *vitas.* Al., *vitæ.*
[i] Conc., *amplius.*

j Flor. addit, *Amen. Facienti hæc vita erit æterna.* Concord. cum quibusdam mss. et commentatoribus, *Facientibus hæc regna patebunt superna*, vel *æterna;* quidam etiam addunt, *Amen.* Sed hæc clausula desideratur in antiquioribus Cassinensium codicibus, esseque additam patet ex Hildemaro, qui suo commentario hunc finem imponit : *Explicit Deo gratias. Amen. Explicit tradlio quam Hildemarus monachus exposuit super Regulam S. Benedicti, et tradidit discipulis. Facientibus hæc regna patebunt superna. Amen.*

COMMENTARIUS.

Regulam autem hanc descripsimus, ut eam observantes in monasterii, aliquatenus vel honestatem morum, aut initium conversationis nos demonstremus habere.] Ita nimirum de se ipso sentiebat Pater sanctissimus, suosque discipulos in humilitate fundatos atque firmatos esse peroptabat, ut Regulam discretione præcipuam, sermone luculentam, quam etiam inter præcipua ejus miracula S. Gregorius recenset (*Lib.* II *Dial.*), observantes, non absolute, sed *aliquatenus* tantum honestatem morum, aut conversationis initium, sese arbitrentur habere.

Honestatem vero morum in tribus consistere docet Joannes de Turrecremata : 1° In fuga vitiorum, juxta illud S. Ambrosii (*Lib.* I *de Offic. c.* 46) : « Quid est aliud honestum, nisi ut fugibilia fugiantur? » 2° In timore, amore, cultuque Creatoris, juxta illud ejusdem Ambrosii (*Ibid., c.* 45) : « Honestum est, Domine, ut te timeamus, te diligamus, te deprecemur et honoremus : te enim decet hymnus in Sion. » 3° In disciplinata conversatione exteriori, secundum illud Regulæ S. Augustini : « In incessu, statu, habitu vestro, et in omnibus motibus vestris, nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram decet sanctitatem. »

Cæterum ad perfectionem... qui festinat, sunt doctrinæ SS. Patrum, etc.] Apposite ad hunc locum Petrus Damiani de monachorum perfectione disserens (*Opuscul.* 13, *cap.* 3) : « Ad hanc, inquit, profecto agriculturam (cordis) typice impellebat Josue filios Joseph, cum eis de parvæ sortis funiculo conquerentibus diceret : Si populus, inquit, multus es, ascende in silvam, et succide tibi spatia in terra Pheresæi, et Raphaim, quia angusta est tibi possessio montis Ephraim. Nam ut rem ad id quod propius adjacet non incongrue referam, in angusta se montis Ephraim possessione cohibuit, qui sola B. Benedicti Regula contentus esse decrevit. Sed audi quomodo te ad montem Josue novus impellat, et ad latiora possessionum spatia festinare præcipiat : Regulam, inquit, hanc descripsimus, ut hanc observantes aliquatenus, vel honestatem morum, vel initium conversationis, nos demonstremus **896** habere. Ecce mons Ephraim. Sed quoniam angustam hic possessionem esse perpendit, mox ad altiora simul et latiora transmittit. Cæterum qui festinant ad perfectionem, sunt doctrinæ sanctorum, sive Collationes, et Instituta Patrum, etc.; quæ quoniam vobis notissima novimus, hic apponere superfluum judicamus. »

Porro doctrinæ SS. Patrum, secundum Bernardum Cassinensem et Nicolaum de Fractura (*In* 2 *comm.*), « Magis intelligendæ sunt per exempla factorum quam per scripta verborum : » unde acute observat Boherius S. Benedictum non in singulari, sed in plurali numero dixisse *doctrinæ;* « quia, inquit, quædam doctrina est verbalis, quædam autem exemplaris. » Sed Richardus de S. Angelo, nulla facta utriusque doctrinæ distinctione, doctrinas hic intelligit eas « quæ recipiuntur ab Ecclesia Romana; et sunt istæ, inquit, in primis Opuscula B. Cypriani martyris et Carthaginiensis episcopi, item Opuscula B. Athanasii Alexandrini episcopi, item Opuscula B. Basilii Cappadoceni episcopi, item Opuscula B. Gregorii Nazianzeni episcopi, item Opuscula B. Joannis Constantinopolitani episcopi, item Opuscula B. Hilarii Pictaviensis episcopi, item Opuscula B. Ambrosii Mediolanensis episcopi, item Opuscula B. Theophili episcopi Alexandrini, item Opuscula B. Hieronymi presbyteri, item Opuscula B. Prosperi religiosi viri, item Opuscula B. Leonis papæ ad Flavianum episcopum destinata; item Opuscula atque Tractatus omnium Patrum orthodoxorum, qui in nullo a S. Romana Ecclesia deviaverunt; item Decretales epistolæ quas beatissimi papæ diversis temporibus in urbe Romana pro diversorum Patrum consolatione dederunt, venerabiliter suscipiendæ sunt. » Boherius autem inter catholicos Patres, Ecclesiæ doctores; atque hos inter S. Hiero-

nymum prætert, maxime quoad actus cœnobiticos, ut pote qui cœnobiticam in Urbe, eremiticam in vasta Ægypti eremo, abbatialem in Bethlecm vitam peregerit, et præclare de monastica scripserit, præsertim in epistolis ad Heliodorum, Nepotianum, Paulinum, et Rusticum.

Quæ enim pagina, aut quis sermo divinæ auctoritatis Veteris ac Novi Testamenti, etc... *hoc non resonat, ut recte cursu perveniamus ad Creatorem nostrum*?] Istud præclare resonabat apud Cassianum abbas Pynufius, cum compendiosam ad perfectionem viam demonstrans, et ascendentes ad ipsam charitatem, quæ Deus est, gradus componens diceret (*Lib.* IV, *c.* 43) : « Audi paucis ordinem per quem ascendere ad perfectionem summam sine ullo labore ac difficultate valeas. Principium nostræ salutis sapientiæque, secundum Scripturas, timor Domini est; de timore Domini nascitur compunctio salutaris; de compunctione cordis procedit abrenuntiatio, id est nuditas et contemptus omnium facultatum; de nuditate humilitas procreatur; de humilitate mortificatio voluntatum; mortificatione voluntatum exstirpantur atque marcescunt universa vitia; expulsione vitiorum virtutes fructificant atque succrescunt, **897** pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur, puritate cordis apostolicæ charitatis perfectio possidetur. »

Necnon et Collationes Patrum, et Instituta, et Vitas eorum.] Patrum Collationes hic commentatores intelligunt eas quas numero viginti quatuor descripsit Cassianus. Similiter Instituta libros duodecim quos de Institutis renuntiantium composuit. Per Vitas autem Patrum interpretantur aut eos libros qui dicta et facta priscorum monachorum continent, quos vulgo *Vitas Patrum* appellant, aut etiam acta quorumcunque sanctorum scripta, quorum exempla ad perfectiorem vitam segniores haud parum excitant, uti nos docet S. Joannes Climacus his verbis (*Grad.* 26) : « Religiosorum Patrum vitæ et virtutes auditæ, seu recitatæ, et lectæ, mentem nostram ad imitandi studium excitant : doctrinæ vero auditio est lucerna quæ pellit tenebras, quæque errantes in viam reducit, cæcutientes illustrat. » Certe Gregorius episcopus Turonensis (*Lib. de Vit. Pat. cap. ult.*) *Vitas Patrum, et Institutiones monachorum* Leobardo monacho, ad Majus monasterium recluso direxit, ut eum adversus tentationes præmuniret.

Sed et Regula S. Patris nostri Basilii.] Cæsariensis nimirum in Cappadocia episcopi, cujus habemus regulas breviores, et fusius disputatas, et alteram ex utrisque conflatam, quam ex Græco in Latinum Rufinus Aquileiensis presbyter convertit, cum monasticis Constitutionibus, quas omnes hoc in commentario non semel citavimus : unde miramur Boherium Basilii Regulam, de qua hic S. P. Benedictus, Basilio cuidam monacho a Cæsariensi episcopo distincto ascripsisse : nam Regula illa Basilii monachi, quam observant, ut ait, Orientales cœnobitæ, quamque ipse multoties citat, haudquaquam est alia ab illis quas scripsit Cæsariensis episcopus.

Quod vero S. Benedictus eum vocat Patrem et suum, non inde sequitur eum militasse sub S. Basilii institutis; sed eum Patrem appellat, vel honoris gratia tanquam antiquiorem, juxta illud S. Augustini : « Honorificentiæ causa Patres appellamus eos qui nos vel tempore vel meritis præcesserunt; nam illud honoris est, quod quotidie senibus dicamus *Pater*. » Vel quia, ut ait S. Hieronymus : « Vulgato sermone maxime in Palæstina et Ægypti monasteriis se invicem Patres vocant. » Unde Cyrillus episcopus Alexandrinus epistolam ad presbyteros et diaconos missam, quæ habetur in actis concilii Ephesini, inscripsit *Patribus monachis*. Vel denique quia nomen

A Patris præstantissimis Ecclesiæ scriptoribus, inter quos haud erat inferior S. Basilius, tribui solebat, quemadmodum observat Haeftenus lib. II, tr. 1, disq. 1.

Similiter quod suum nuncupaverit, addens pronomen *nostri*, hoc ideo maxime fecit, vel honoris atque observantiæ gratia, vel quia hic titulus *sancti Patris nostri* sanctorum ac præsertim monachorum libris solet præfigi, ut videre est in omnibus S. Basilii, S. Joannis Climaci, S. Germani patriarchæ Constantinopolitani operibus : quin etiam ipsi Græci S. Benedicti natalem in suo Menologio die 14 Martii ita annuntiant : **898** « S. Patris nostri Benedicti, multorum monasteriorum Patris, celeberrimi pietate, et miraculorum multitudine illustris. »

Nobis autem desidiosis, et male viventibus, atque negligentibus rubor confusionis est.] Ibi, quemadmodum notat Bernardus Cassinensis, de tribus nos S. Pater arguit : de desidia, per quam bonum agere

B omittimus; de mala vita, per quam peccata committimus; de negligentia, per quam contemnimus, et surgere a nostris iniquitatibus non curamus. Nobis ergo talibus existentibus rubor confusionis est, « scilicet legere et attendere libros Patrum et facta eorum; quia magna verecundia nobis est et confusio, nomen SS. monachorum habere, et opera eorum non facere, » inquit Boherius. Vel, ut ait Hildemarus, Collationes, Instituta, et Vitæ Patrum, nec non et Regula S. Basilii, quæ obedientium et bene viventium monachorum sunt instrumenta virtutum, nobis desidiosis sunt rubor confusionis, non secus ac duobus hominibus, quibus idem labor injungitur, eadem instrumenta ministrantur, eadem merces promittitur, quod studioso et diligenti est materia laudis, negligenti et torpenti est vituperii et confusionis.

Quisquis ergo ad patriam cœlestem festinas.] Recte *festinas*, neque enim lento gradu illuc pervenitur.

C *Hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adjuvante Christo perfice.*] Hic enim probe usurpare possumus illud Orsiesii de Patre Pachomio : « Traditiones Patris nostri scalam putemus ad cœlorum regna tendentem : » unde et S. Paldo abbas, ut fratres in ea quam arripuerant paupertate firmaret, dicere solitus erat (*In ejus Vita*, *num.* 3, *sæc.* III *Bened.*) : « Credite mihi, fratres, quia monachus ille qui in hoc monasterio persistens usque ad finem permanserit, anima ejus æterna supplicia nequaquam sustinebit, sed vitam æternam possidebit. »

Porro Regulam suam S. Benedictus *minimam inchoationis Regulam* nuncupat, vel modestiæ, aut humilitatis gratia, vel respectu Anachoreseos, ad quam est præludium, vel quia observatu facilis est, ut fuse disserit Haeftenus lib. II, tract. 2, disq. 5.

Illud autem quod habet *adjuvante Christo*, ex Bernardo Cassinensi referri potest vel ad præcedens verbum *descriptam*, vel ad sequens *perfice*.

D *Et tunc demum ad majora quæ supra commemoravimus doctrinæ virtutumque culmina, Deo protegente, pervenies.*] Ad majora quæ supra commemoravimus, nimirum initio hujus capitis, doctrinas scilicet Patrum, Collationes, Instituta, Vitasque eorum, ac Regulam S. Basilii; quæ, ut observat Bernardus Cassinensis, S. Benedictus majora appellat, « quia in se continent doctrinæ sanctitatem, virtutum acquisitionem, et cœlestis patriæ culmen. » Richardus de S. Angelo illud *supra commemoravimus* refert, vel ad præcedens caput de zelo bono quem debent habere monachi, vel ad præsens capitulum ultimum Boherius ad plura alia Regulæ loca; sed prior nostra sententia, quæ est Hildemari, magis arridet.

S. P. BENEDICTI OPUSCULA.

SERMO S. P. BENEDICTI

HABITUS IN DISCESSU S. MAURI ET SOCIORUM.

Si tristandum (dilectissimi Patres ac filii) pro tali esset negotio, mihi magis quam vobis in hoc esset mœrendum, qui quantum ad præsens, magnis videor destitui solatiis. Sed quia, dicente Apostolo, charitas benigna est, benignitatem charitatis nostræ omnimodis impendere debemus his quo aliquo modo ea indigere cognoscimus : nec nostra tantum, quantum aliena quærere. Quapropter vos amoris paterni sollicitudine a fletibus et mœrore temperare deposcimus, quia potens est Deus meliores nobis post hujus depositionem corporis huic sanctæ immittere congregationi : quorum meritis et exemplis, longe præstantius quam nostris, ædificemini. Sed et illud summopere nobis procurandum est, ne versutia antiqui hostis, unde aliis salus acquiritur, inde nobis tristitiæ malo, detrimentum in aliquo ingeratur. Non etenim quos unitatis semel in sancta charitate junxit concordia, nunquam vel longissima terrarum divident spatia : quoniam semper interioris hominis aspectu, qui renovatur secundum imaginem ejus qui creavit eum, nos quoad vixerimus tempore invicem intuebimur.

Post quæ verba, D. Maurum et socios sic effatus est : Vos autem, fratres charissimi, quos ad opus Domini construendum, ad illas dirigimus partes, viriliter agite et confortetur cor vestrum in sancto proposito et religione : procul dubio scientes quia quanto austeriora, causa salutis aliorum, in hujus via sæculi pertuleritis, tanto majora a Deo recipietis cœlestium gaudia præmiorum. Nec vos ullo modo resolutio hujus nostri mœstificet corpusculi : quoniam præsentior vobis ero carnis deposito onere, vestrique per Dei gratiam cooperator existam assiduus.

Melius confirmari non potest sermo iste quam testimonio oculati simul et auriti testis, scilicet B. Fausti S. Pauli discipuli, ad quem et alios tres socios tendebant ultima verba hujus sermonis : venit enim in Galliam una cum B. Mauro, post cujus obitum, a fratribus Romam advocatus, et scribens jussu summi pontificis Vitam sancti Mauri, hæc ipsa verba sancto Benedicto ascribit. Sequitur sanctum Faustum Adrenaldus Floriacensis auctor antiquissimus (florebat siquidem anno 890) *lib.* I *de Miraculis sancti Benedicti, cap.* 6. Sanctus Faustus (inquit) Vitam beati Mauri composuit, ex quo opere nos quoque hæc quæ scripsimus mutuavimus; *et immediate postea subjungit istum sermonem una cum epistola ad sanctum Maurum missa. Vide Surium tomo primo, et Arnoldum Uvion Ligni Vitæ lib.* I, *cap.* 1. *Denique hujus sermonis veritatem videntur valde stabilire cum verba illa sancti Mauri quibus sanctum Roman. de obitu sancti Benedicti consolatur apud scriptorem antiquissimum Vitæ sancti Romani in Bibliotheca Floriacensi, tum versus isti P. Damiani S. R. E. cardinalis, ubi de laudibus montis Cassini, his verbis :*

Si cecidit Sinai mons qui legem dedit olim,
Quod periisse tamen sua mœnia credere nolim.
Regula namque manet digitis descripta sacratis.
Tradita discipulis Mauro Placidoque beatis.
Si rex Antiochus ex auro vendidit aram,
Lege labore novem Machabæus restruet aram.
Lator ait legis, vobis præsentior adsum,
Post mortem, quam nunc dicam clamantibus, adsum.

Citat Arnold. Uvion in martyrologio suo ad diem S. Mauri.

EPISTOLA SANCTI BENEDICTI

AD SANCTUM MAURUM MISSA.

Accipe, dilectissime, extrema institutoris tui dona, quæ et longum nostrum testentur amorem, et tibi ac commilitonibus tuis contra omnium perpetim munimen præbeant impedimenta malorum. Post expletam enim totam trinam vicenorum annorum decursionem, ex quo monasterialem adisti perfectionem, in gaudium Domini tui es introducendus : ut nobis hesterno die, postquam a nobis digressus es, Dominus ostendere est dignatus. Prædico etiam, ibi moram vos in eundo esse passuros, ac cum difficultate habilem locum inventuros, pro his quæ et Deo ordinante perficientur, et quæ inimicus humani generis molimine calliditatis suæ in vos concitabit. Nusquam tamen benignitas misericordis Dei vobis deerit : sed potius differendo licet, ac desiderium animi vestri in longum experiendo, aliorsus quam speravimus aptissimam largiri dignabitur metationem. Jamque valeas felix in professione, felicior futurus in perventione.

Auctores omnes superius citati in not. ad sermonem in discessu S. Mauri habitum, hanc etiam afferunt epistolam ascribuntque S. Benedicto : quos citasse denuo visum est superfluum. Addo solum testimonium Adrevaldi Floriacensis eodem libro quo supra, cap. 7, *ubi de sanctis Mauro et sociis loquens, sic ait :* Profecti itaque a cœnobio Cassini Epiphanorum diebus, quinta sabbati haud procul in prædium ejusdem cœnobii ea deveniunt die : susceptique sunt a duobus fratribus quos pridie illinc hac de causa reverendissimus pater miserat : dumque illic quietis gratia pernoctarent, superveniunt eis nocturnam synaxim agentibus duo fratres, missi a S. Benedicto cum piis muneribus, capsula scilicet reliquiarum ac brevi epistola, etc.

Capsula illa reliquiarum, quæ eburnea est, ostenditur apud S. Maurum Fossatensem juxta Parisios : epistolam sepultam cum S. Mauro, juxta ipsius desiderium et voluntatem, aliqui testantur.

APPENDIX

AD OPERA S. P. BENEDICTI.

SCRIPTA SUPPOSITA.

EPISTOLA SANCTI BENEDICTI

AD SANCTUM REMIGIUM RHEMORUM ANTISTITEM MISSA.

Dominico sacerdoti Remigio, et frater et conservus in Christo Jesu, cœnobialis vitæ humilis cultor Benedictus, æternæ benedictionis munus.

Sanctissimo tuo congratulans profectui (sacerdos Regis summi), quia summi capitis membra sumus, quod mihi deesse sentio in me, totum (laus Deo) possidere me credo in te. Ecce quod mea peccata fieri prohibuerunt, tuæ auctoritatis sacerdotalia habent merita : et desinant amodo circa me rumores hominum, cum apud te constet omnium esse perfectionem virtutum. Hanc captivam et ab antiquo hoste obsessam, tuæ delego celsitudini ; quatenus pro ejus liberatione sacram hostiam offerre Deo debeas, et meam gravitatem victoria ipsa non minimum lætifices. Vale, sacerdotum Christi lepidissime calcule.

Cum vero signatis litteris idem hospitibus valefaceret, proprium nuntium cum illis in Galliam destinavit, qui beato Remigio tantæ humilitatis munus offerret. Cumque Rhemensium urbem intrarent, et sanctus Domini pontifex tanti patris apices providisset, lacrymis uberrimis profusus, in hæc verba prosilivit : Gratias tibi, Christe Redemptor clementissime, qui nostra tempora tanta sublimasti gloria, ut in speciali famulo tuo Benedicto tota te per orbem magnificet Ecclesia. *Surrexitque continuo gloriosus archimandrita Remigius, et episcopali se infula more solito trabeavit : atque oblaturus Deo sacrificium, ecclesiam concitus intravit. Cumque miserabilis illa parentum solatio in ecclesiam venisset, versipellis vafer ille per os puellæ hæc verba invitus protulit : O sacerdos Remigi, noli adversus Benedictum gloriari : quia non per tuum imperium, sed per ejus humilitatem exire cogor. His dictis, liberata est mulier : et omnes qui audierunt dederunt gloriam Deo, qui est mirabilis in sanctis suis et benedictus in sæcula.*

Epistolam hanc una cum miraculo in fine epistolæ contento affert Hincmarus Rhemensis antistes, successor sancti Remigii et Vitæ ipsius scriptor antiquissimus : florebat siquidem tempore Caroli Magni ante annos octingentos. Et quamvis in testamento S. Remigii quod est apud Brissonium in suis formulis, ipse miraculum istud sibi ascribat de curata filia cujusdam nobilis nomine Benedicti, non abnuimus multis, siquidem potest ascribi miraculum illud, primo quidem et præcipue missæ sacrificio, secundo sancti Remigii ardentissimis precibus, tertio et humilitati sancti Benedicti, quam mirum quantum præ se fert tota hæc epistola, ut et tota vita et doctrina ipsius. Quod si adhuc irrepsisse huc in re errorem ob similitudinem nominis Benedicti, suspiceris, cur non potius arrideat conjectura opposita : fuisse scilicet horum nominum convenientiam occasionem aptissimam sancto Remigio agnoscendi divi Benedicti, cujus sanctitatis fama undique volabat, maxime autem in Gallia nostra per sanctum Romanum, qui sancto Patri sanctæ conversationis habitum dederat ; cui cum esset dictum divinitus ut illis parceret locis, quia alter amicus aderat, in Galliam venerat : ubi monasterium Fons Regis nominatum ædificabat in territorio Antisiodorensi, tempore quo sanctus Maurus in Galliam venit, teste Adrevaldo Floriacensi qui florebat anno
A 890. *Lib.* I *de Miraculis S. Benedicti, cap.* 8. *Eamdem epistolam affert appendix Chronici Casinensis, et Arnoldus Uvion Ligni Vitæ lib.* I, *qui et ait eam sæpe diversis in locis impressam. Eam vidi excusam una cum Regula et ipsius explicatione facta per cardinalem Turrecremata, anno* 1517.

SERMO SANCTI BENEDICTI

In mortem S. Placidi.

Sicut patris est gaudere in suorum profectibus filiorum, ita et filiorum est augmentum patris sua lucra reputare. Quapropter noveritis dulcissimum et amantissimum filium meum Placidum, martyriali trabea adornatum, migrasse ad Dominum. Jam enim meis interioribus oculis ejus immaculatam hostiam et Deo beneplacentem deduxi in alta cœlorum. Hunc nempe, quo illum a patre suo suscepi, memineram esse mortalem, nec fefellit opinio. Nunc non est quod
B conquerar, habeo in quo Deo gratiam agam : quia semper optavi ut de fructu cordis mei omnipotenti Deo sacrificium offerretur. Nihil enim hoc sacrificio habui pretiosius, nihil amabilius, nihil charius : elegit namque Placidus pro Christo momentaneam mortem, et pervenit ad eum, in cœlesti solio ad dexteram Patris regnantem. Ob id enim Christus pro omnibus mortuus est, ut nos non nobis, sed Christo viveremus. Grates autem omnium refero Redemptori, quia ingratus esse non possum. Congaudendum enim mihi est, quod talem discipulum habuerim, non dolendum quod amiserim. Nam illud munus fecit, hoc debitum est : functus sum famulatu Placidi discipuli mei quandiu Deus voluit, et post, qui dedit recepit. Quod naturæ communis fuit, Placidus pro Christo posuit, et quod singularis est gratiæ, meruit. Cur autem ego doleam mihi Placidum filium meum ereptum, cum ob salutem nostram Deus Filio suo non parcens, pro nobis omnibus tradidit illum? Quis unquam exceptus
C est a conditione moriendi, qui non est exceptus a conditione nascendi? Non ergo Placidum defleam filium, quem scio transisse de morte ad vitam. In illius namque morte gaudendum est, non dolendum, quia illam pro veritate gustavit. Nam cur ego te, Placide, fili charissime, defleam, qui mihi sic ereptus es, ut omnium esses? Non enim perdidisti usum naturæ, sed commutasti, ante corpore separabilis a Deo existens, nunc individuus cum Deo permanens : felicia verba quæ in te expendi! felices labores quos in te sustinui! Dum viveres mecum, non te Tertulli patricii patris tui amor a me divellere potuit : nec ipse mihi unquam patrem prætulisti, usquequo ad æternam vitam migrasti.

Sermonem istum videre potes apud Surium, tom. VII, *in Vita S. Placidi, quæ ascribitur Gordiano S. Benedicti discipulo ; eumdem affert appendix Chronici Casinensis, in fine epistolæ missæ a Siculis ad S. Benedictum, et citatur ab Arnoldo Uvion-Ligni Vitæ, lib.* I *cap.* 1. *Conjecturam probabilem facit eum esse S. Be-*
D *nedicti, ultra supradictas auctoritates, convenientia styli illius cum stylo sermonis præcedentis habiti in discessu S. Mauri, qui a multis auctoribus antiquis S. Benedicto ascribitur.*

OBSERVATIO CRITICA IN OPUSCULUM SUBSEQUENS.

Hoc sequens opusculum non pro vero fetu magni S. Benedicti vendere præsumimus, quamvis id ad calcem Regulæ Benedictinæ, jam anno 1595, Arnoldus Wion typis mandare curaverit, quod etiam postea Patres congregationis Bursfeldensis, anno 1610, Parisiis præstiterunt, atque Cistercienses suis statutis inseruerunt; imo et illud magnæ Patrum Bibliothecæ inscribere voluerunt editores Lugdunenses. Nam celeberrimus Mabillonius de epistolis ad S. Remigium loquens, altum silentium de hoc opusculo observat, neque epistolas illas ut veras et genuinas existimat, etiamsi S. Benedicti A *sermonem in discessu S. Mauri habitum agnoscat, sed aliis verbis proferat. Hinc etiam clarissi. Calmetius hoc opusculum S. Benedicto Anianensi abbati attribuit, cujus quidem ardens observantiæ monasticæ zelus maxime enituit, in scribenda Regularum monasticarum Concordia. Utut sit, antiquissimum est monasticæ disciplinæ monumentum, dignumque proin ut inter codicis Holsteniani additamenta numeretur, cum ejus antiquitatem satis superque probent tot doctorum virorum testimonia ad calcem opusculi apposita.*

ORDO MONASTICUS

S. P. BENEDICTO ATTRIBUTUS.

Qualiter fratribus in monasterio religiose ac studiose conversari, ac Domino militare oportet.

Imprimis nocturnis horis, cum ad opus divinum de lecto surrexerit frater, primum signum sibi sanctæ crucis imponat, per invocationem sanctæ Trinitatis; deinde dicit versum, *Domine, labia mea aperies;* postea psalmum: *Deus, in adjutorium*, cum *Gloria Patri.* Tunc provideat sibi frater corporeæ necessitatem naturæ, et sic ad oratorium festinet, psallendo psalmum: *Ad te, Domine, levavi animam*, usque ad finem, cum summa reverentia et cautela intrans, ne alios orantes impediat: et profectus in locum congruum, effundat preces in conspectu Domini, magis corde quam ore: ita ut illius vox vicinior sit Deo quam sibi: et tunc referat gratias Deo, dicendo:

Gratias tibi ago, omnipotens Deus, qui me dignatus es in hac nocte custodire; deprecor immensam clementiam tuam, ut concedas mihi venturum diem sic peragere in tuo servitio cum humilitate et discretione, quatenus tibi complaceam. Amen.

Tunc omnes sint parati, stantes in loco suo in choro per ordinem, ut cum signum novissimum cessaverit, cum summa humilitate et honestate referant laudes Deo in conspectu angelorum, et si forte alicui frequens tussis aut phlegma evenerit ex pectore aut naribus, post dorsum projiciat, aut juxta latus. Caveat autem curiose ut infirmis fratribus non vertatur in nauseam; sed semper, quod spuitur, pedibus conculcetur: ut dum ad orationem curritur, vestimenta eorum non sordidentur. Quod omnibus locis eis observandum, sive sint in ecclesia, sive in refectorio, sive in portica, et in omni loco et conventu, ut, quod spuitur, pedibus conculcetur.

Post expletionem vero nocturnæ laudis, in illo intervallo, summum silentium fiat, tam in voce quam in incessu, sive sono alicujus rei: ut liceat unicuique sine alterius inquietudine, peccata Domino confiteri, et veniam, et remissionem pro ipsis flendo postulare.

Cum vero inchoante aurora diei signum insonuerit, omnes festinent cum humilitate cordis, quasi ad Deum clamantes, ac misericordia sibi placabilem factum, matutinis laudibus prompta voluntate, vocum modulis, nec nimis producte, nec multum correpte, cum summa gravitate et honestate officium persolvere divinum: et hac autem matutina laude summum et præcipuum silentium fiat in orando vel loquendo.

Convenientes vero fratres ad primam, postquam completum fuerit ipsum officium, ante psalmum quinquagesimum, donent confessiones suas vicissim, pariter supplici voto pro se certatim orantes. Hoc expleto veniant omnes ad capitulum, et conversi ad orientem, salutent crucem et cæteris fratribus se undique humilient, similiterque faciant in omni conventu. Post recitata nomina sanctorum, quorum festa crastina dies excipiet, surgentes pariter dicant versum: *Pretiosa*, quem sequatur oratio a priore; deinde versus: *Deus, in adjutorium.* Tribus vicibus, cum B *Gloria Patri.* Surgentes iterum, dicant versum *Respice, Domine, in servos tuos*, cum *Gloria Patri.* Post hunc versum sequatur oratio a priore, *Dirigere et sanctificare, Domine*, etc.

Post hæc, qui culpabilis est, veniam postulet, et secundum modum culpæ, vindictam recipiat; et tam in claustro quam in quolibet conventu vel loco, veniam postulet frater, ante dominum abbatem, vel præpositum, aut decanum, aut quemlibet de senioribus: cum enim dixerit senior, Quæ est causa? frater ille qui veniam postulat, respondeat, Mea culpa, domine; si vero aliud quodcunque dixerit, judicetur exinde culpabilis. Postea dicatur a domino abbate vel cæteris, a quibus obedientia est facienda, quidquid est necessarium, et utile fuerit in communi monasterii: frater qui veniam postulat pro culpa, quanto plus se humiliat, et culpabilem asserit, tanto misericordius et levius a priore judicetur, necesse est enim ut omnes negligentias nostras, vel cogitationum, vel linguæ, vel operis, in præsenti vita per C humilem confessionem et humilitatem semper judicemus, ut non post mortem nos reos faciant.

Surgentes a capitulo, atque ad opera exeuntes, simul omnes circumstantes dicant versum, *Deus, in adjutorium*, etc. *Gloria Patri*, et orationem dominicam, flectentes genua. Post orationem dominicam, dicat prior: *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* Et respondentibus omnibus: *Qui fecit cœlum et terram*, vadant omnes simul aut separatim ad opus injunctum sibi, custodientes silentium, decantent psalmos, aut *Pater noster*, bini aut singuli, juxta id quod congruum est, nihil aliud loquentes: nisi forte de ipsa arte necessarium fuerit dicere, quod dicatur caute.

Cum ad opus divinum horis canonicis auditum fuerit signum (sicut continet Regula), relinquant statim quidquid in manibus est, sic tamen ut non pereat: et tunc conveniant simul omnes ad ostium oratorii, aut certe sint parati ad obedientiam, et di- D cant versum: *Benedictus es, Domine Deus, quia audivisti me, et consolatus es me*, tribus vicibus, priore incipiente, subjungentes, *Gloria Patri*, flectentes genua; oratione completa, surgant et dicat prior: *Misereatur nostri omnipotens Deus*, et respondeant omnes, *Amen.*

A calendis Octobris usque ad Pascha, tertia hora hoc faciant: a Pascha autem usque ad calend. Octobris, hoc hora sexta et nona fiat.

Omni tempore, in ecclesia summum silentium teneatur, excepto hoc quod ad aures Dei pertinet: et nullus ex fratribus alium puro nomine aliquando audeat appellare, sed (sicut decet) seniores minores, suos fratres nominent, juniores vero seniores suos nonnos, quod est paternæ reverentiæ; abbas autem dominus et pater ab omnibus vocetur.

Juramentum aliud nemo proferat, nisi *crede mihi*, sicut in Evangelio legimus Dominum Samaritanæ affirmasse : aut *certe*, aut *sane*.

Si frater increpetur a priore qualibet de causa, aut ab alio quolibet, etiam minore, statim cum summa velocitate in faciem suam cadens veniam postulet : quia hæc humilitas Deo exhibetur, non homini, et si ex corde fiat, indulgentiam promerebitur.

Oportet autem ante omnia ut obedientes sibi invicem sint, et ipsa obedientia (si recto corde omnino Deo offertur), ipsa est quæ ducit ad vitam : citius enim exauditur una oratio obedientis, quam decem mille contemnentis.

Cum vero sibi obviant fratres, ubique dicat junior seniori, *Benedicite;* si junior sedeat, transeunte seniore, surgat ; et si senior voluerit sedere, junior non sedeat, nisi jussus. Si deprehensus fuerit frater aliquis invidiam, iram, aut tristitiam in corde retinere, statim corripiatur, ut emendetur, et quot dies hoc confiteri neglexerit, tot dies pœniteat, et si humiliter responderit, pœnitentiam postulaverit, cum venia judicetur.

Cum autem domnus abbas, aut certe aliquis ex senioribus, alicui ex fratribus aliquod opus præceperit, suscipiat junior cum summa honestate jubentis imperium, et sit auris parata ad audiendum, ac si divinitus dicatur, sint pedes recti, manus expeditæ ad faciendum opus, et humiliato capite dicat, *Benedicite.*

Egredientes de domo aut de conventu, dicant, *Benedicite*, etiamsi solus sit : quia Dominus ubique præsens est, unicuique postulanti paratus reddere rationem.

Si aliquid in cellario, vel refectorio, vel coquina, vel quolibet alio loco frater neglexerit, statim sine ulla mora currat ad veniam postulandam : et si talis est res quam neglexerit, manu teneat, in terram prostratus veniam postulando de eo quod egerit.

Caveant a sæculari et superfluo risu, et a frequenti locutione cum amicis sæcularibus, si tamen necesse fuerit. Ubi aliter esse non poterit, non loquatur quisquam solus cum sæculari, nisi præsentibus et audientibus aliis fratribus, de quorum fide certa sit fiducia. Et hoc maxime in juvenibus observetur : mens enim quæ Deo servire cupit, sæcularium locutionem et conversationem contemnere et derelinquere debet.

Non vadant infra monasterium passim, ubicunque voluerint, nisi obedientia uniuscujusque exigat, vel licentiam impetraverint.

Nullum opus, etiamsi bonum videatur, sine jussione agere præsumant, nihil dare aut accipere, sine jussu abbatis : nec habere proprium, nisi quod abbas dederit aut permiserit; non debet aliud unicuique in cibo, et potu, vel vestimento dari, quam Regula præcipit : qui autem plus habere desiderat, occasionem contra se occulti hostis nostri excitare non pertimescit.

Nullus alteri aliquid præteritum vel turpe peccatum improperet; si senior viderit juniorem delinquere, corripiat eum inter se et ipsum solum, semel, secundo et tertio de levioribus tantum culpis : quia a gravioribus, si contingat aliquid perpetrari, statim secundum Regulam emendetur : et qui alium vult castigare, leviter solidare studeat secundum qualitatem neglecti, quia sæpe fractura membri deterius frangitur, quæ incaute ligatur. Pro immundis vero cogitationibus, et nocivis vel ineptis locutionibus, semper ad confessionem recurratur : humiliter sibi invicem respondeant fratres.

Hora canonica, audito signo, cito ad orationem recurratur, et non contendant de aliquo : quod si contigerit, qui prius tacuerit sapientior reputetur.

Ante horam vel post horam, nihil cibi percipiant : exceptis infirmis et infantibus, quorum imbecillitas a priore consideranda est.

Non detrahat quis, aut detrahenti consentiat. Pa-

A cem inter se seminent fratres, non discordiam sæcularium : fabulæ longe sint ab eis.

Statutis horis, non negligant opera manuum agere, quia virtus est animæ et corporis : cæteris autem horis, lectioni vacent : et si fieri potest, in uno loco aut in claustro sedeant, ut invicem se videntes coarctentur, et sub silentio legant, et ne alius ad alium jungatur, nisi necessitas exposcat ; id ipsum tamen sine inquietudine alterius fiat. Æstivo tempore unusquisque ad proprium locum pergat, cum summa cautela, et sine alterius perturbatione aut legat aut dormiat.

Nullus ex fratribus suum aliquid dicat aut rem aliquam aut membrorum corporis, sed semper nostrum; hoc solum oportet dicere proprium, mea culpa ; omnia quæ Deus donat nobis communia esse debent, excepto peccato, quia ex nostra fragilitate est.

Providendum magnopere est ut jussum domini abbatis de quacunque re impleatur sollicite, quia

B hæc eadem obedientia, si recte perficitur, non illi ministratur qui præcipit, sed Deo ; et si forte negligatur (quod absit), qui deliquerit, cito recurrat ad indulgentiam postulandam.

Quando in choro ad psallendum stant, consona voce et corde psallant, et illi incipiant versum, qui præ cæteris utilius possint, ut ad primam vel secundam syllabam cæteri convenire possint pronuntiantes voce.

Ad horam vero refectionis post expletionem exspectent in ecclesia psallentes in choro; cum audierint cymbalum, ordinate et sine ullo strepitu, festinent lotis manibus introire refectorium, salutantes crucem, versis vultibus ad orientem, et sedeant omnes ad mensam, singuli ordine suo, cum omni silentio. Nullusque præsumat quidquam accipere cibi aut potus, ante domnum abbatem; ipse autem abbas non tardet accipere. Cum autem accipiunt panem, dicant frater fratri, *Benedicite*, et respondeant : *Dominus*, et similiter faciant de potu, cum primum

C biberint. De cæteris pulmentis, quæ sunt in mensa, non est necesse amplius benedictionem petere.

Antequam incipiant cibum sumere, petat lector benedictionem, et incipiat legere, et nullius ibi vox audiatur, nisi solius legentis, nisi forte pro ædificatione aliquid brevius dicatur. Postea vero quidquid pulmenti ex coquina ministratur, qui ministrat, a novissimo incipiat, et usque ad domnum abbatem ministrando perveniat, et tunc sonent cymbalum tacite, et dicant fratres : *Benedicite*, æqua voce, et producte. Data benedictione in communi, exspectent (sicut, jam diximus) ut abbas prius accipiat, postea singuli dicentes : *Benedicite.*

Quando benedicunt cibum, aut potum, aut aliud, non sedendo, sed stando benedicant : si autem cum talibus mixtum fuerit, cellarius facit modice signum ad ministrum, et statim surgant juvenculi ad miscendum, et totos calices impleant potu aquæ mensura, et stent ordinati, sicut sunt conversi : tunc cellarius

D iterum sonet cymbalum tacite, et dicant fratres una voce, producte, *Benedicite*, et data benedictione a priore, frater junior, qui dat calicem in manu sedentis, caput inclinet humiliter : cum vero impletum fuerit opus miscendi, inclinet se in circuitu ad omnes fratres, sic quoque ad mensas suas. Poma autem et quælibet nascentia terræ, quæ cruda sunt, sive hora prandii, sive æqualiter cum alio cibo. In mensa, antequam fratres veniant, aut sedeant, a cellario unicuique fratri partiantur : et statim post alium cibum, illa ad mensam adjuncta comedantur. Quo expleto statim finiatur lectio, et surgentes a mensa dicto versu, sinister chorus exeat prior ordinate dexter vero posterior, novissime autem domnus abbas, psallentes psalmum, *Miserere mei, Deus, secundum*, etc., distincte et non festinanter. Cum introierint oratorium, psallentes inclinent se usque ad *Gloriam* : ad *Gloriam* vero, flectant genua, et post

orationem dominicam surgentes, vadunt cum silentio A vadant ad dormitorium, et dum ad proprium lectum secundum quod tempori congruit.

Post vesperas autem, hora competenti facto signo omnes conveniant in capitulo, et legatur Scriptura quæ ædificet audientes, quantum hora permittit; finita lectione, surgant omnes pariter, et domnus dicat abbas : *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, et omnes respondeant : *Qui fecit cœlum et terram*, et cum silentio et reverentia intrent ad *completorium*, et orent cum intentione mentis, et dent confessiones suas ad alterutrum, et sic incipiant *completorium*.

Expleto vero officio, summum silentium teneant : et ore et corde fiant orationes secretæ, et recordationes peccatorum, cum gemitu et lacrymis, et fletu : sine suspirio, ita ut alteri nullus noceat. Tunc agat gratias Deo, ita referendo : *Gratias tibi ago, omnipotens æterne Deus, qui me per tuam sanctam misericordiam in hac die custodire dignatus es; deprecor immensam clementiam tuam, ut concedas mihi hanc noctem sine ullo peccato, aut impedimento Satanæ, cum dulci et pudica requie pertransire, ut matutino* B *veniente tempore pure et strenue surgens tibi Deo meo laudes referre valeam.* Et sic cum magna cautela vadant ad dormitorium, et dum ad proprium lectum frater accesserit, dum se collocat, dicat psalmum : *Deus, in adjutorium*, totum *Gloria*, et postea dicat versum : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis*; et sic muniat se signo sanctæ crucis, et dormiat in Domino. Amen

Ita vetus quoddam ms. Cassinense, cujus exemplar ab ipso originali extractum mihi communicavit R. P. Jacobus du Brevil, monachus S. Germani a Pratis : quod quidem ms. hujusmodi ordinationes S. Benedicto ascribit : quia repertæ sunt in fine Regulæ quam S. Benedictus propriis manibus scripsit, et S. Mauro, cum ad Gallias eum mitteret, tradidit : quas D. Petrus Venerabilis nonus abbas monasterii Cluniacensis, cum apud majus monasterium Turonense in eadem Regula (quæ pro reliquis ibi servabatur) invenisset, rogavit sibi transmitti. Ita ms. Quod si ita sit, credendum est hujusmodi ordinationes valde esse antiquas. Et si non sint S. Benedicti, fuisse saltem antiquissimi nostræ Galliæ cœnobii pias et sanctas constitutiones, quas propterea Fr. Arnoldus Wion una cum Regula curavit imprimendas Venetiis, anno 1593 apud Juntas.

MONUMENTA QUÆDAM

S. P. BENEDICTI OPERIBUS ANNECTENDA.

ALBERICI DIACONI

SERMO IN SANCTAM SCHOLASTICAM.

PROLOGUS.

Tempore quo Justinus senior Romanæ reipublicæ C jura moderabatur, beatissimæque Joannes memoriæ summæ sedis et vita et doctrina pontifex dignissimus habebatur, sanctus vereque per omnia apostolicus Benedictus pater in sinibus Occidentis effulsit; cujus incomparabilem sanctitatem, virtutes magnificas, stupenda signa, ortus et occidens, meridies cum aquilone, miratur. Huic soror fuit nominis proprietate Scholastica, in schola Christi sub sancti Spiritus magisterio ab infantiæ tempore in sanctimoniali habitu conversata; femina quæ et jejuniis continuis, et orationibus crebris, et vigiliis indefessis, et compunctionis prærogativa, et lacrymarum gratia, earum inter quas ei conversari concessum est, nulli penitus visa est exstitisse secunda. Et ut ejus virtutes innumeras verbis claudam paucissimis, Benedicto D exstitit quam sanguine tam etiam sanctitate germana. Hæc igitur et moribus et pedibus secuta fratrem, ex voluntate et consensu ejusdem, in vicinia Casini montis stationem fixit; ubi etiam, sicut in sequentibus erit liquidum, vitam sanctissimam morte celeberrima consummavit. Studuit autem illuc veniens obnixis fratrem precibus flagitare, quatenus ei de totius anni summa, diem saltem unam dignaretur concedere, in qua videlicet eum loco constituto adire, atque cum eo de fide, de spe, de Dei dilectione ac proximi confabulari liceret. Annuit piis germanæ petitionibus sanctus frater, locumque in ipso montis vergentis descensu, in quo ad honorem ejusdem virginis ecclesiam posteri fabricarunt, ad id negotium habilem judicavit; ad quem videlicet et virgini non nimis esset laboriosus ascensus, et sibi a monasterio non multæ esset elongationis descensus. Ad hunc igitur locum quoadusque præsens anima corpus rexit virgineum, et virgo annis singulis die constituta ascendit, et Benedictus choro semper comitatus discipulorum descendit. Dieque illa in rerum spiritualium sermocinatione consumpta, refectisque vergente sole cum gratiarum actione corporibus, illa ad cellam virginum, iste ad habitaculum monachorum redibat.

INCIPIT SERMO.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Simile est regnum cœlorum decem virginibus quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ : quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. Et reliqua. *Matth.* XXV, 1.

Audistis, fratres charissimi, cœlorum regnum decem virginibus, quæ, acceptis lampadibus, sponso et sponsæ exierunt obviam, comparatum. Audistis earumdem virginum alias quidem vitio fatuitatis inertes, alias vero prudentiæ virtute solertes. Audistis fatuas, acceptis lampadibus, secum oleum non

sumpsisse; prudentes vero secum et lampades, et in vasis oleum habuisse; sponsoque moras faciente diutinas, et fatuas et prudentes pariter obdormisse. Media vero nocte de adventu sponsi clamore facto, omnes simul ad aptandas lampadas surrexisse; exstinctisque oleo deficiente lampadibus, virgines fatuas ad venditores olei a prudentibus destinatas; eisque proficiscentibus, quæ paratæ erant ad convivium nuptiale cum sponso pariter ingressas; fatuisque clauso ostio redeuntibus, vocesque supplices ut sibi janua aperiri deberet ingeminantibus, voce sponsi in hæc eis verba protinus fuisse responsum: *Amen dico vobis, nescio vos.* Finitaque parabola, clausula est continuo admonitionis illata, dicente Domino: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.*

Volo in auribus vestris, fratres mei, similitudinis hujus profunda mysteria, quanto absque obscuritatis caligine valeo, compendio brevitatis transcurrere, ut post in sanctæ virginis Scholasticæ laudibus, cujus hodie migrationem ad cœlestia colimus, moras congruas licenter valeamus habere. Scitis, fratres dilectissimi, hanc esse fidei catholicæ regulam, ut Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres astruat esse personas, et ita unamquamque harum personarum singulatim Deum perfectum habeat, ut totæ tres pariter non tres Deos, sed unum duntaxat Deum et corde ad salutem credi, et ore ad justitiam doceat confiteri. Igitur unitas deitatis trinitati personarum conjuncta numerum conficit quaternarium; completurque quinarius numerus cum credimus exinanitionem Verbi Dei qua semetipsum exinanisse legitur, *formamque servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*, seque ipsum humiliasse, obedientiam Patri exhibens *usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus sedet ad dexteram majestatis in excelsis, unde venturus est judicare vivos et mortuos.*

Quoniam igitur orthodoxa et apostolica fides hæc est, qua in personis tribus unitas creditur deitatis, et qua Verbum caro factum generis humani salutem creditur operatum per carnem, rectissime et convenientissime omnes qui hanc supputationis quinariæ tenent fidem, numero quinario designantur. Virgines etiam vocantur aptissime, qui ab hac fidei integritate nullo dividi schismate, nulla potuerunt infectione hæreseos violari. Sed quoniam hæc fides in aliis, juxta Jacobum, dilectionis operibus vacans mortua est, in aliis, juxta Paulum, per dilectionem operari non cessat, in utrisque partibus quinquepertita fides numerum denarium consummavit. Quinque igitur prudentes virgines commodissime illi accipiuntur, in quibus fides numero designata quinario justitiæ operibus per dilectionis affectum incessanter invigilat. In quibus vero hæc ipsa fides operatur quidem fortassis quæ pertinere ad justitiam videantur, sed ipsa

A opera magis ex adeptione alicujus temporalis quæstus, quam ex intentione prodeunt charitativi affectus, hi tales et virgines dicuntur, et quinque, propter intemeratam compunctione quinaria significatam fidem; et fatuæ tamen propter insipientem et ineptam operationis intentionem. Quod autem charitate et dilectione carentes, multa quæ esse justitiæ videantur valeant operari, et ex eis nullum penitus consequantur emolumentum salutis, Vas electionis liquidissime protestatur, cum scribit: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.*

Hoc est igitur illud oleum quod fatuæ virgines in vasis, id est in receptaculis interioris hominis non

B habent, unde et fatuæ nuncupantur. Per oleum vero propterea charitas figuratur, quoniam sicut oleum semper liquoribus universis quibus admiscetur supersidet, ita charitas virtutibus universis præminet. Unde et Doctor gentium de charitate locuturus præmittit: *Ostendam*, inquiens, *vobis eminentiorem viam, fratres.* Et post plura de laude charitatis commemorata, hæc intulit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc; major autem his est charitas.* Hoc est itaque, fratres dilectissimi, oleum quo lucente operationes videlicet sanctæ prudentium virginum confotæ magni lucem fulgoris emittunt. Hujus olei nutrimentum quia lucernæ, id est operationes virginum fatuarum non habent, tametsi in præsenti minime videantur exstinctæ, lucent tamen

C in discursione districti examinis exstinguendæ. Hæ virgines universæ sponso et sponsæ occursuræ parantur, quoniam quinquepertita credulitas ea spe ab universis tenetur, ut post emensum vitæ spatium, sponsi Christi sponsæque ejus, quæ est cœlestis Hierusalem, gratulabundi omnes conspectibus præsententur.

Sed dum sponsus moram facit, dormitant virgines omnes et dormiunt, quoniam dum suspendit examen judex, vitæ hujus cursum omnes incipiunt, et metiuntur incœptum. Dormitare enim est, vitæ cursum incipere, dormire vero semel cœptum metiendo transcurrere. Quod autem dormitionis nomine hujus vitæ valeat significari decursus, Psalmistæ instruimur auctoritate dicentis: *Dormierunt somnum suum, et*

D *nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Omnes viri divitiarum somnum suum dormiunt, cum per hujus adhuc vitæ spatia gradiuntur. Sed tunc non dormiunt, sed dormierunt de eis dicitur, cum jam per mortem eis vitæ cursus finitur. Et tunc in manibus suis nihil inveniunt, quoniam hic omnes quas frustra congregarunt divitias reliquerunt. Hic ergo somnus dum a virginibus fatuis prudentibusque percipitur, ut sponso omnes maturent occurrere, clamor nocte mediante auditur. Sæculum præsens, fratres mei, comparatione futuri nox dicitur; quoniam *hic*, juxta Apostolum, *videmus per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; et hic ex parte cognoscimus, tunc autem cognoscemus sicut et*

cogniti sumus; quando videlicet *veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et cum laus erit unicuique a Deo.*

Nocte igitur hac mediante, nocte hac nondum expleta, nondum consummata, vox auditur clamosa, ut in advenientis occursum sponsi omnes se virgines deberent præparare. Iste est, fratres dilectissimi, clamor qui Isaiæ Domini præceptione injungitur dicentis ad eum: *Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Jerusalem, exalta, noli timere; dic civitatibus* Judæ, *Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur.* Item ad eumdem clamat: *Ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.* Audistis, fratres, in clamore prophetæ verbis aliis, sed sensu non alio, *Ecce sponsus venit; ecce*, inquit, *Deus vester; ecce*, inquit, *Dominus in fortitudine veniet.* Audistis quod prophetæ illud etiam injungatur, ut vociferetur et clamet, Exite obviam ei, cum ei voce dominica imperatur ut annuntiet populo suo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum, et cætera plurima quæ sequuntur. In quibus profecto omnibus nihil aliud agitur, nisi commonitio quæ venienti sponso exire virgines obviam hortatur. Iste clamor, fratres, dum in hujus sæculi nocte dormimus, in auribus nostris per legem agitur, per psalmos agitur, per prophetias agitur, per Evangelia agitur, per Epistolas apostolicas agitur, per expositiones et commonitiones Patrum orthodoxorum agitur. Omnium hic est clamor, hæc est vociferatio omnium, *Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Ecce venit, prope est, jam aderit, exite, obviate, occurrite. *Hora est jam de somno surgere;* nunc enim prope est nostra salus quam cum credidimus. *Nox præcessit, dies appropinquavit, abjiciamus opera tenebrarum, induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.*

Surgunt ad hunc clamorem virgines et prudentes et fatuæ, lampadas aptant, ad operationes se præparant; deest oleum virginibus fatuis, deest eis dilectionis affectus, deest intentio charitatis, desunt misericordiæ viscera quæ ea in districto examine misericordiam faciant promereri. Oleum a misericordia accipit vocabulum; ἔλεος enim Græce, Latine misericordia dicitur, et propterea congrue per oleum misericordia figuratur. Neque aliud existimetis, fratres charissimi, modo me dicere, aliud prius ex ore meo vestris in auribus sonuisse. Videri enim fortasse quibuslibet potest diversum, quod prius per oleum dixi debere charitatem intelligi, modo per oleum misericordiam dico significari. Nunquam, fratres mei, misericordiæ visceribus charitas, nunquam misericordia affectu poterit dilectionis carere. Non poterit igitur oleum typus existere charitatis, ut non etiam typus pariter existat misericordiæ. Et non poterit figuram misericordiæ gerere, et figuram charitatis pariter non habere. Cum igitur per oleum charitas figurari dicitur, simul etiam figurari per oleum miseri- A cordia intelligitur. Et cum per oleum dicitur misericordia designari, oportet necessario dilectionem per oleum designatam intelligi.

Hoc igitur oleum non habent virgines fatuæ, et plerumque recognoscunt se non habere, carent miserationis, carent dilectionis affectu, seque eo carere intelligunt. Unde ad virgines prudentes confugiunt, sibique ab eis de earum dari oleo deprecantur. Intelligunt nonnunquam reprobi opera sua aut non recta esse, aut nequaquam ex recta intentione procedere. Intelligunt et compunguntur; sed quia secus viam seruntur et temporales sunt, ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Veniunt fatuæ ad prudentes, lucernas suas exstingui clamitant, dari sibi oleum flagitant, quia nonnunquam B compuncti reprobi ad sanctos viros confugium faciunt, atque ea quæ videntur operari bona, ex non bona intentione procedere propria contestatione fatentur. Commendant se charitati, commendant se dilectioni eorum, commendant se precibus, commendant se misericordiæ eorum visceribus. Hoc est ab eis oleum petere, hoc est ex eorum fomento suas velle lucernas ardere. Sed quid virgines prudentes responderunt, audistis: *Ne forte*, inquiunt, *non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis.*

Dicunt hoc aliquotiens, fratres, timoratæ, dicunt hoc humiles animæ, respondent eis qui earum se precibus, earum se orationibus satagunt commendare: vix orationes nostræ, vix preces, vix obsequia C quæ exhibemus Deo, nobis ipsis sufficiunt: vix sumus tales qui pro nobis ipsis audiri digni inveniamur: non sunt orationes nostræ, non sunt famulatus nostri servitia ante Deum tanti, ut per ea possint alii promereri salutem: nolite in precibus nostris, quæ nullius momenti existunt, spem ponere: ipsi pro vobis potius laborare studete. Oleum, ut ipsi confitemini, non habetis; olei venditores plurimos invenire potestis. Venditores olei, venditores misericordiæ, pauperes sunt, quoniam dum ipsis misericordiam impertimus, et ipsi a Domino misericordiam promeremur. Ipsique sunt qui de mammona iniquo nobis amicitiæ vinculo copulati, in æterna nos recipiunt tabernacula. Et in qua mensura metimur eis, in eadem remetietur nobis. Ad hos igitur ite, eos vobis amicos D facite, eis non vanitatis intentione, ut hactenus, sed spe olei, spe divinæ misericordiæ consequendæ, de mammona vestro iniquitatis tribuite; certi et inambigui, quoniam mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.

Audiunt prudentium consilia fatuæ, eunt ut olei faciant emptionem. Sed illis euntibus sponsus venit, intrat cum paratis ad nuptias, janua obseratur. Quid est eunt? Decernunt, statuunt, disponunt. Decernere, statuere, disponere aliquid animo, ire est. Dicuntur ut oleum emerent isse, non dicuntur emisse. Eunt, sed non emunt, quia statuunt, sed non faciunt, spondent, sed non implent, pollicentur, sed non exercentur, pro-

telant, procrastinant, differunt. Fatuis ad olei emptionem euntibus, prudentibus vero de eo quod in vasis habebant oleo lucernas aptantibus, sponsus venit; quoniam reprobis bona semper facere differentibus, et electis indesinenter eis insistentibus, judex per mortem et hos et illos ad examen accersit, et electis per mortem assumptis in gloria, per mortem nihilominus reprobis clauditur, nunquam eis ultra in perpetuum aperienda janua. Illa enim hora jam illis adest de qua alibi Veritas loquitur : *Veniet*, inquiens, *hora in qua nemo potest operari*. Præteriitque jam eis tempus placitum, et salvationis dies, de quo Dominus ore prophetico, *tempore*, ait, *placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tibi*. Unde in vacuum ingeminant voces clamoris, quibus tempus exactum est exauditionis; diciturque eis, *Amen dico vobis*, *nescio vos*. Negat eas in vita illa, quæ in hac eum vita, etsi non verbis, tamen operibus negaverunt. Quod autem Dominus verbis astrui, factis valeat denegari, palam est prædicatoris egregii testimonium, quod de quibusdam recta docentibus, et a pravis non secedentibus protulit in hæc verba : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. Ad quid vero totius series similitudinis tendat, sequens confestim admonitionis clausula manifestat, inferente Domino ac dicente : *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.*

Explanatione lectionis evangelicæ succincta brevitate decursa, ad laudes, ut in ipsis statim exordiis repromisimus, virginis cujus a nobis dies colitur natalitius, nostri sese continuo transferat sermonis articulus; illudque nobis primo contueri sit studium, nihil eorum omnino defuisse Scholasticæ, quæ ex relatione dominica prudentes edidicimus virgines habuisse. Virginitate namque omnimoda claruit, quæ præter communem virginitatem fidei, carnis etiam pudicitiam intemerata animi puritate servavit. Prudens exstitit quæ in rerum finibus figens oculos, bona sibi indefessa perpetuitate providit. Lucernam sponso occursura succendit, quæ ad Christi visionem anhelans, actionum sanctarum lucem solis fulgidiorem radiis circumquaque dispersit. Oleum accepit in vasis, in receptaculis animi fomentum piæ semper tenuit charitatis. Per cujus videlicet charitatis vim intimam tantum Scholastica valuit, ut miri exhibitione prodigii, qua lacrymans cœli faciem pluviis irrigavit, fratris sanctissimi voluntati obsisteret, eumque ad fratres quem disposuerat reditum, cœlo pro ea dimicante, aggredi prohiberet. Parata igitur accensis lampadibus venienti sponso obviam die hodierna exivit, atque lætabunda cum ipso ad nuptiales epulas introivit.

Cujus artus regens corporeos quantæ exstiterit mansuetudinis anima, orbi Deo revelante innotuit, quando corporis egredi jubetur ergastulo, cum videlicet in specie avis carentis felle cœli penetrare secreta fraternis est obtutibus demonstrata. Dicuntur et aliæ, fratres charissimi, columbæ proprietates existere, quarum mysteria sacratissimæ virgini dignissime possunt et verissime coaptari. Perhibetur A hæc avis libentius et frequentius in petræ foraminibus nidum ædificare, perhibetur nil vivum comedere, perhibetur non rostro, non unguibus sese, sed alarum motione defendere, perhibetur in volando societatem amare, perhibetur oculos lippientes habere, solisque volans adversa radiis non posse accipitrem obvium lucida contemplatione videre; unde dicitur consueta insidere arbori secus decurrentium aquarum fluenta plantatæ, oculosque quos radiis nequit objectare solaribus, in aquas defigere, et imagine speculata in aquis, in sui properantis direptionem accipitris dolos et impetus declinare. Illud vero, fratres mei, quis nesciat, columbarum cantum nihil aliud quam gemitum esse?

Harum omnium proprietatum mysteria si in Scho- B lastica, fratres charissimi, speculemur, causæ nobis patebunt plures cur divinæ sapientiæ visum fuerit egressam corpore virginis animam in columbæ specie fratris conspectibus revelare. Nidificavit igitur columba nostra in foraminibus petræ, quæ videlicet omnem salutis vitæque suæ fiduciam in Christi statuit passione ac morte. Petram vocari Christum Vas electionis vos docuit. Hæc vero petra eo tempore forata est, quando in cruce clavis ferreis pedibus est manibusque confixa. Foramen petræ hujus illud etiam exstitit, quo latus ejus miles lancea infixa aperuit. In his igitur foraminibus nidum sibi Scholastica statuit, quia per ista æternæ sibi in cœlestibus mansionis spem inambiguam collocavit. In his foraminibus nidum statuit, quoniam ea salvationis suæ causas C existere certæ fidei credulitatem gestavit. In his, inquam, foraminibus nidum statuit, in quo nimirum se tutissimam ab animarum accipitre diabolo conservavit. Nihil vivum columbæ nostræ cibus fuit, quæ Apostolum audiens carnem suam cum vitiis et concupiscentiis mortificare sategit. Non se abs quolibet unguibus, non rostro, sed alarum sola protectione defendit, quæ mala nesciens pro malis rependere, sola sese ab adversantibus omnibus Dei proximique dilectione munivit. In volando societatem dilexit, quæ secum ad cœlestia quascunque potuit trahere procuravit. Oculos lippientes habuit, quæ in hac vita cum Paulo per speculum et in ænigmate vidit. Arbor secus decurrentes aquas plantata, cujus insidere cacumini columba hæc consueverat, Christus Dominus D est, in cujus capite, quod utique Deum esse testatur Apostolus, sedem sibi firmissimam ac munitissimam stabiliebat. Hæc arbor, juxta vatem psalmographum, secus decursus est plantata aquarum, quoniam quidquid de ipso fideles credunt, satis firmatum est auctoritatibus Scripturarum. *Aqua* enim *profunda*, inquit sapientissimus hominum, *verba ex ore viri*, *et torrens inundans fons sapientiæ*. In has aquas obtutus figens venientem accipitrem deprehendit, quia Scripturis intenta sacris, hostis versipellis insidias conspiciens declinavit. Cantus columbæ nostræ gemitus fuit, quæ actionis propheticæ imitatrix, in suo gemitu laboravit, et per singulas noctes lavit lectum, stratum lacrymis irrigavit, atque a voce gemitus ejus

adhæserunt ossa pelli ejus. Ut autem ad extremum, fratres mei, virginem sacratissimam verbis paucissimis et sufficientissimis commendemus, Benedicti soror exstitit quam sanguine tam etiam sanctitate.

His in laudes virginis compendiosa brevitate decursis, ad exhortationem vestram, fratres dilectissimi, redeamus. Illam lectionis evangelicæ clausulam iterum atque iterum vestris et auribus et mentibus ingerentes : *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Vigilate, fratres, cohortor, suadeo, moneo; vigilate, quoniam migrationis vestræ et diem non nostis, et horam ignoratis. Currite dum lucem habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Operamini dum vacat, dum licet, dum sententiam suspendit judex. Veniet enim hora in qua nemo poterit operari. Hortamur cum Apostolo ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce dies salutis.* Quærite igitur, fratres mei dilectissimi, Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Honor amittitur? recuperari potest. Amittitur dignitas? recuperari potest. Amittuntur opes? recuperari possunt. Innumera sunt quæ amissa possunt recuperari. Tempus operandi, tempus pœnitendi, tempus Deo placendi, si semel amittitur, nunquam in sempiternum ultra recuperatur. Quod adhuc nobis liceat ad Deum converti per pœnitentiam, fratres dilectissimi, scimus; sed utrum usque ad vesperam hæc nos licentia maneat, ignoramus. Scientes igitur, dilectissimi, quoniam patientia Dei ad pœnitentiam nos adducit, non *secundum duritiam nostram et cor impœnitens thesaurizemus nobis iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique juxta opera sua.* Vigilate igitur, fratres dilectissimi, vigilate; quoniam et diem nescitis, et horam ignoratis. *Beati servi illi*, ait Veritas, *quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes! Amen dico vobis quoniam super omnia bona sua constituet eos.* Quorum bonorum nos participes faciat Christus Jesus Dominus noster, cui cum Patre et vivifico Spiritu potestas, dominatio et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

IN SS. PAULI ET STEPHANI ABBATUM REGULA

VETERUM TESTIMONIA.

S. Benedictus Anianæ abbas in Concordia regularum sæpissime affert testimonia ex Regula Pauli et Stephani, sive, ut pag. 388 et 619 : *Ex Regula sanctorum Pauli et Stephani*, quam etiam *solius* Stephani et *sancti* Stephani nomine aliquando citat.

Smaragdus abbas Expositione Regulæ S. Benedicti, cap. 23 : *De hoc capitulo Paulus et Stephanus abbates ita scripserunt :* Si quis alterum, etc., ut cap. 36.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Etiamsi ignoremus patriam et statum horum duorum SS. virorum, neque ad notitiam monachorum pro quibus hæc regula composita est pervenire valeamus, tamen videntur vixisse in aliqua regione ubi frumenta ruri et in campis excutiebantur, quemadmodum apud Italos et Hispanos moris est. Existimat sæpe laudatus Calmetus hos sanctos hanc suam regulam scripsisse circa tempora S. Benedicti. Hoc unum certum est, quod exsertis verbis S. Augustinus laudetur ibidem, cap. 14, atque Scriptura sancta citari soleat juxta Vulgatam antiquam, non secundum S. Hieronymi versionem. Adeoque difficile erit præscribere his sanctis determinatam ætatem; quamvis illi hujus Regulæ veri sint auctores sub quorum nomine et illam citat S. Benedictus abbas Anianæ in sua Concordia regularum.

SS. PAULI ET STEPHANI ABBATUM REGULA AD MONACHOS.

CAPITULA.

1. *Primum de timore Dei et charitate mutua puri cordis et unanimitate habenda.*
2. *Quales circa juvenes esse debent seniores.*
3. *Qualiter circa seniores se juvenes debeant exhibere.*
4. *Ut ab opere Dei nullus nisi permissus discedat.*
5. *Ut initium versus in choro incipiatur ab uno.*
6. *Ut jugiter pronuntietur per choros.*
7. *De modo psallendi et seniorum arbitrio.*
8. *Ut cantantes non dormitent.*
9. *Ut cantantium et orantium nullus vel temiter fabulis occupetur.*

telant, procrastinant, differunt. Fatuis ad olei emptionem euntibus, prudentibus vero de eo quod in vasis habebant oleo lucernas aptantibus, sponsus venit; quoniam reprobis bona semper facere differentibus, et electis indesinenter eis insistentibus, judex per mortem et hos et illos ad examen accersit, et electis per mortem assumptis in gloria, per mortem nihilominus reprobis clauditur, nunquam eis ultra in perpetuum aperienda janua. Illa enim hora jam illis adest de qua alibi Veritas loquitur: *Veniet*, inquiens, *hora in qua nemo potest operari*. Præteriitque jam eis tempus placitum, et salvationis dies, de quo Dominus ore prophetico, *tempore*, ait, *placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tibi*. Unde in vacuum ingeminant voces clamoris, quibus tempus exactum est exauditionis; diciturque eis, *Amen dico vobis*, *nescio vos*. Negat eas in vita illa, quæ in hac eum vita, etsi non verbis, tamen operibus negaverunt. Quod autem Dominus verbis astrui, factis valeat denegari, palam est prædicatoris egregii testimonium, quod de quibusdam recta docentibus, et a pravis non secedentibus protulit in hæc verba: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. Ad quid vero totius series similitudinis tendat, sequens confestim admonitionis clausula manifestat, inferente Domino ac dicente: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam*.

Explanatione lectionis evangelicæ succincta brevitate decursa, ad laudes, ut in ipsis statim exordiis repromisimus, virginis cujus a nobis dies colitur natalitius, nostri sese continuo transferat sermonis articulus; illudque nobis primo contueri sit studium, nihil eorum omnino defuisse Scholasticæ, quæ ex relatione dominica prudentes edidicimus virgines habuisse. Virginitate namque omnimoda claruit, quæ præter communem virginitatem fidei, carnis etiam pudicitiam intemerata animi puritate servavit. Prudens exstitit quæ in rerum finibus figens oculos, bona sibi indefessa perpetuitate providit. Lucernam sponso occursura succendit, quæ ad Christi visionem anhelans, actionum sanctarum lucem solis fulgidiorem radiis circumquaque dispersit. Oleum accepit in vasis, in receptaculis animi fomentum piæ semper tenuit charitatis. Per cujus videlicet charitatis vim intimam tantum Scholastica valuit, ut miri exhibitione prodigii, qua lacrymans cœli faciem pluviis irrigavit, fratris sanctissimi voluntati obsisteret, eumque ad fratres quem disposuerat reditum, cœlo pro ea dimicante, aggredi prohiberet. Parata igitur accensis lampadibus venienti sponso obviam die hodierna exivit, atque lætabunda cum ipso ad nuptiales epulas introivit.

Cujus artus regens corporeos quantæ exstiterit mansuetudinis anima, orbi Deo revelante innotuit, quando corporis egredi jubetur ergastulo, cum videlicet in specie avis carentis felle cœli penetrare secreta fraternis est obtutibus demonstrata. Dicuntur et aliæ, fratres charissimi, columbæ proprietates existere, quarum mysteria sacratissimæ virgini dignissime possunt et verissime coaptari. Perhibetur A hæc avis libentius et frequentius in petræ foraminibus nidum ædificare, perhibetur nil vivum comedere, perhibetur non rostro, non unguibus sese, sed alarum motione defendere, perhibetur in volando societatem amare, perhibetur oculos lippientes habere, solisque volans adversa radiis non posse accipitrem obvium lucida contemplatione videre; unde dicitur consueta insidere arbori secus decurrentium aquarum fluenta plantatæ, oculosque quos radiis nequit objectare solaribus, in aquas defigere, et imagine speculata in aquis, in sui properantis direptionem accipitris dolos et impetus declinare. Illud vero, fratres mei, quis nesciat, columbarum cantum nihil aliud quam gemitum esse?

Harum omnium proprietatum mysteria si in Scho- B lastica, fratres charissimi, speculemur, causæ nobis patebunt plures cur divinæ sapientiæ visum fuerit egressam corpore virginis animam in columbæ specie fratris conspectibus revelare. Nidificavit igitur columba nostra in foraminibus petræ, quæ videlicet omnem salutis vitæque suæ fiduciam in Christi statuit passione ac morte. Petram vocari Christum Vas electionis vos docuit. Hæc vero petra eo tempore forata est, quando in cruce clavis ferreis pedibus est manibusque confixa. Foramen petræ hujus illud etiam exstitit, quo latus ejus miles lancea infixa aperuit. In his igitur foraminibus nidum sibi Scholastica statuit, quia per ista æternæ sibi in cœlestibus mansionis spem inambiguam collocavit. In his foraminibus nidum statuit, quoniam ea salvationis suæ causas C existere certæ fidei credulitatem gestavit. In his, inquam, foraminibus nidum statuit, in quo nimirum se tutissimam ab animarum accipitre diabolo conservavit. Nihil vivum columbæ nostræ cibus fuit, quæ Apostolum audiens carnem suam cum vitiis et concupiscentiis mortificare sategit. Non se abs quolibet unguibus, non rostro, sed alarum sola protectione defendit, quæ mala nesciens pro malis rependere, sola sese ab adversantibus omnibus Dei proximique dilectione munivit. In volando societatem dilexit, quæ secum ad cœlestia quascunque potuit trahere procuravit. Oculos lippientes habuit, quæ in hac vita cum Paulo per speculum et in ænigmate vidit. Arbor secus decurrentes aquas plantata, cujus insidere cacumini columba hæc consueverat, Christus Dominus D est, in cujus capite, quod utique Deum esse testatur Apostolus, sedem sibi firmissimam ac munitissimam stabiliebat. Hæc arbor, juxta vatem psalmographum, secus decursus est plantata aquarum, quoniam quidquid de ipso fideles credunt, satis firmatum est auctoritatibus Scripturarum. *Aqua* enim *profunda*, inquit sapientissimus hominum, *verba ex ore viri*, *et torrens inundans fons sapientiæ*. In has aquas obtutus figens venientem accipitrem deprehendit, quia Scripturis intenta sacris, hostis versipellis insidias conspiciens declinavit. Cantus columbæ nostræ gemitus fuit, quæ actionis propheticæ imitatrix, in suo gemitu laboravit, et per singulas noctes lavit lectum, stratum lacrymis irrigavit, atque a voce gemitus ejus

adhæserunt ossa pelli ejus. Ut autem ad extremum, fratres mei, virginem sacratissimam verbis paucissimis et sufficientissimis commendemus, Benedicti soror exstitit quam sanguine tam etiam sanctitate.

His in laudes virginis compendiosa brevitate decursis, ad exhortationem vestram, fratres dilectissimi, redeamus. Illam lectionis evangelicæ clausulam iterum atque iterum vestris et auribus et mentibus ingerentes : *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Vigilate, fratres, cohortor, suadeo, moneo; vigilate, quoniam migrationis vestræ et diem non nostis, et horam ignoratis. Currite dum lucem habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Operamini dum vacat, dum licet, dum sententiam suspendit judex. Veniet enim hora in qua nemo poterit operari. Hortamur cum Apostolo ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce dies salutis.* Quærite igitur, fratres mei dilectissimi, Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Honor amittitur? recuperari potest. Amittitur dignitas? recuperari potest. Amittuntur opes? recuperari possunt. Innumera sunt quæ amissa possunt recuperari. Tempus operandi, tempus pœnitendi, tempus Deo placendi, si semel amittitur, nunquam in sempiternum ultra recuperatur. Quod adhuc nobis liceat ad Deum converti per pœnitentiam, fratres dilectissimi, scimus; sed utrum usque ad vesperam hæc nos licentia maneat, ignoramus. Scientes igitur, dilectissimi, quoniam patientia Dei ad pœnitentiam nos adducit, non *secundum duritiam nostram et cor impœnitens thesaurizemus nobis iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique juxta opera sua.* Vigilate igitur, fratres dilectissimi, vigilate; quoniam et diem nescitis, et horam ignoratis. *Beati servi illi*, ait Veritas, *quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes! Amen dico vobis quoniam super omnia bona sua constituet eos.* Quorum bonorum nos participes faciat Christus Jesus Dominus noster, cui cum Patre et vivifico Spiritu potestas, dominatio et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

IN SS. PAULI ET STEPHANI ABBATUM REGULA

VETERUM TESTIMONIA.

S. Benedictus Anianæ abbas in Concordia regularum sæpissime affert testimonia ex Regula Pauli et Stephani, sive, ut pag. 388 et 619 : *Ex Regula sanctorum Pauli et Stephani*, quam etiam *solius* Stephani et *sancti* Stephani nomine aliquando citat.

Smaragdus abbas Expositione Regulæ S. Benedicti, cap. 23 : *De hoc capitulo Paulus et Stephanus abbates ita scripserunt :* Si quis alterum, etc., ut cap. 36.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Etiamsi ignoremus patriam et statum horum duorum SS. virorum, neque ad notitiam monachorum pro quibus hæc regula composita est pervenire valeamus, tamen videntur vixisse in aliqua regione ubi frumenta ruri et in campis excutiebantur, quemadmodum apud Italos et Hispanos moris est. Existimat sæpe laudatus Calmetus hos sanctos hanc suam regulam scripsisse circa tempora S. Benedicti. Hoc unum certum est, quod exsertis verbis S. Augustinus laudetur ibidem, cap. 14, atque Scriptura sancta citari soleat juxta Vulgatam antiquam, non secundum S. Hieronymi versionem. Adeoque difficile erit præscribere his sanctis determinatam ætatem; quamvis illi hujus Regulæ veri sint auctores sub quorum nomine et illam citat S. Benedictus abbas Anianæ in sua Concordia regularum.

SS. PAULI ET STEPHANI ABBATUM REGULA AD MONACHOS.

CAPITULA.

10. *Ut dicta prima nullus se in lecto recubitet.*

11. *Ut meridiano tempore unusquisque in suo lecto dormiat mediante tempore definito.*

12. *Ut opus divinum cum disciplina in operatione decantent.*

13. *Ut qua hora communicandum est, omnes qui intra cellam sunt unam, studeant esse præsentes.*

14. *Ut decantentur quæ jussa sunt cantari.*

15. *De his qui psalmos discunt, ut dictatoribus delegati observent.*

16. *Ut accepta a minoribus ex more reddantur ad mensam.*

17. *Ut nullus supra statutum modum in cibo vel potu præsumat.*

18. *Ut reficientes cum quiete audiant quæ leguntur.*

19. *Ut ad mensam nullus sibi peculiariter aliquid comedendum procuret.*

20. *Ut nullus se a mensa deputata migret in aliam.*

21. *Ut calix superfundens non misceatur.*

22. *De vicibus ministrorum.*

23. *Si de ordine juniorum quisquam a ministerio fuerit segregatus.*

24. *Ut nullus de assignato præsumat alterius.*

25. *Ut hi quibus custodia commissa est, devota* A *charitate deserviant, nec ipsi econtra improbe contristentur.*

26. *Ut in cellario et artificum officinis nullus importune non jussus audeat intrare.*

27. *Ut de rebus alterius nullus sibi ad utendum præsumat, nec inter se liceat commutare*

28. *De vestimentis et lectualibus servandis.*

29. *Nisi de usu prioris nullus tonsuret.*

30. *De eo quod alio perdente alter frater invenerit.*

31. *De his qui qualemcunque artem discere voluerint.*

32. *Ut in pistrino, vel ad omne opus terrenum unusquisque prompte occurrat.*

33. *De labore præteriti temporis, et quod nec his qui negligentes sunt quidquam de necessariis subtra-* B *ctum sit.*

34. *Ad orationem ut consueta amittatur pigritia.*

35. *De ferramentorum in operatione custodia.*

36. *Ut peccantem nullus tegat.*

37. *Ab immoderato joco et risu abstinendum.*

38. *Ut aliis litigantibus non commisceat alter.*

39. *Ut nullis causis extraneis quisquam se inferat.*

40. *Ut contra rusticorum pravos excessus nullus humana virtute se audeat vindicare.*

41. *Quod et Patrum regulæ legantur assidue.*

I. Imprimis ergo hortamur, ut timorem Dei et mutuam charitatem et unanimitatem omnes in bonis studiis habeamus.

II. Seniores junioribus affectum paternum impendant: et cum imperandi necessarium fuerit, non tumenti animositate et clamosis vocibus, sed fiducialiter tranquilla simplicitate et auctoritate bonæ vitæ ad peragendam communem utilitatem quæ fuerint opportuna injungant.

III. Juniores senioribus sincera subjectione obediant, nec tumenti cervice in quocunque respondeant, aut fastidienti animo et negligente aure imperantibus obedire detrectent; sed unanimiter et concorditer tam in spiritali opere quam in terreno labore omnes fideli intentione occurrant.

IV. Nulli liceat absque prioris permissu ab opere Dei discedere, sed quem causa manifesta compulerit, oratione a priore sperata et concessa discedat. Nec bini aut terni, sed singillatim exeuntes orationem sperent: ita ut qui sani sunt protinus revertantur; qui vero infirmi ex permissu redeant ad cubile.

V. Initium versuum psallentium in choro priores qui in eis stant incipiant; aut si eis adversatur infirmitas, hi incipiant quibus jusserit Pater. Quibus incipientibus mox omnes, si potest fieri, in prima aut secunda syllaba pariter unanimiter et uno ore subjungant: ut non sit dissonantia cantantium, quæ maxime ab inordinato initio, et quodammodo contentiosa varietate solet accidere.

VI. Juniores, et maxime qui adhuc psalmos discere meditantur, per choros ex ordine et sine negligentia dictent: ita ut ab eo loco a quo adhuc minores ignorant, hi juniores qui jam Psalterium finierunt, per ordinem sibi in dictando succedant; ut omni tempore pronuntiandi usus non desit.

C VII. Psallendi quoque modus, si possibile est, omni tempore cum temperamento nobis tenendus est: ut nec nimium protracte, nec supra modum correpte, sed, ut dictum est, temperata semper modulatione dicatur. Servato tamen ut secundum voluntatem et arbitrium prioris, cui semper considerandi et perpendendi tempus, horam, causam per omnia imminet, sive protrahi, sive accelerare justo considerationis judicio jusserit, ad ejus nutum, sive etiam elevatius, sive humilius voluerit, consona tamen quasi ex uno ore voce dicatur. Nec quisquam præsumat absque prioris permissu, vel elata vocis extollentia, quæ sæpius inflationis jactantiam et arrogantiam elationis minus cautis generat, aut turbulenta festinatione temperamenti modum excedere, vel D mutare. Nec prior concessam considerationis licentiam in usu absque certa necessitate audeat usurpare: sciens se Domino redditurum rationem, qui dixit: *Psallite sapienter* (*Psal.* XLVI).

VIII. Somnus, cum opus Dei dicitur, cum Dei adjutorio omnino a nobis fugandus est: timentes illud Prophetæ: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter* (*Jer.* XLVIII). Et illud: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (*Psal.* LXXV).

IX. Nulli liceat tempore quo opus Dei canitur, qualibet occasione sermonem contra alium fratrem proferre, nisi seniori tantum; cui sine dubio solent causæ cujuscunque rei aut ordinandæ, aut corrigendæ, nonnunquam emergere

X. Mane dicta prima nullus se in lecto recubitet; excepto die dominico, aut festis diebus, in quibus vigiliarum labore et præteriti diei solito amplius fatigati paululum post primam, qui ex vobis voluerint, membra ponant in lectulis. Quod non omni tempore id ipsum, sed tantum æstivis mensibus liceat; reliquo vero omni tempore per singulos dies mox unusquisque post primam, dum acceptæ minoribus emendantur, calceet se, et paratus sit ad signum quod per sonum tabulæ fieri solet: quatenus omnes sine tarditate, ad agnoscendum imminentis diei futurum opus, in locum conveniant deputatum.

XI. Æstatis tempore nulli liceat meridie præter in suo lectulo dormire, nisi forte jubente priore ad nubila pro custodia areæ extra suum lectulum dormiat. In campo vero, quando messis colligitur, si meridie dormire licuerit, non divisi, sed in uno loco aut duobus locis dormiant. Quia non est incognitum quantum mali ex hac occasione diabolus fecerit. Tempora vero in quibus, si vacaverit, meridie dormiendum nobis est, a die iduum Maiarum usque in diem iduum Septembrium observemus.

XII. Opus Dei, quod per diem in quocunque loco operantes fratres per horas constitutas dicent, cum disciplina et timore Dei consona voce dicatur: non prout unusquisque operis excusatione aut occupatione voluerit obruere. Nec præsumendo junior ante seniorem prosiliat, et immatura festinatione procedat; et divinum opus, quod cum timore agendum est, per inordinatam audaciam insipienter et non sapienter psallatur. Tali enim consuetudine jam infectæ mentes et fauces aliquorum fratrum, ad consonantiam intra oratorium nisi cum magno commotionis freno non queunt retineri. Ut ergo hoc usurpationis vitium abjiciatis a vobis, charitatis simplicitate hortamur: talium enim Deus omnium exauditor est: *Ipse misit angelum suum, et tulit me de ovibus patris mei* (*Psal.* CLI, *juxta LXX*).

XIII. In hora qua sanctum corpus et sanguinem Domini communicaturi sumus, præsentes esse festinemus ad dicendum: *Libera nos a malo:* præter quos certa causa, cum notitia senioris, non sinit esse præsentes. Omni modo cavendum est ne sanctum corpus et sanguinem indigne ad judicium sumamus.

XIV. Nullus præsumat responsoria vel antiphonas, quæ solent aliqui composito sono, pro suo libitu, et non ex canonica Scriptura assumpta canere, in congregatione ista vel meditari vel dicere. Nec ab adveniente hospite sine jussu prioris quidquam talium rerum aliquis audeat meditari; ne peregrinis varietatum doctrinis, et quodammodo deliramentorum suavitatibus irretiti, simplicitatis et veritatis maturitatem fastidiant; et per cantilenæ sonos levitatis et otiositatis compedibus illigati, aut de congregatione avolare diabolo suadente festinent; aut intra monasterium inflati quasi singulari scientia cunctos despiciant. Oportet autem nos unam et simplicem apostolicam et patrum nostrorum imitari doctrinam, et gratia stabiliri, cor moresque subdere disciplinæ, A et ea cantare debemus quæ, sicut beatus Augustinus dicit, ita scripta sunt, ut cantentur: quæ autem non ita scripta sunt, non cantemus. Nec alio modo quam quo ipse Dominus jussit per prophetas et apostolos suos manifestari ea hominibus, debent a nobis in laude ipsius dici: ne quæ cantanda sunt in modum prosæ et quasi in lectionem mutemus, aut quæ ita scripta sunt ut in ordine lectionum utamur, in tropis et cantilenæ arte nostra præsumptione vertamus. Si enim sacrificium Deo confessionis et laudis offerre debemus, quomodo ipse præcepit sibi offerre, a nobis Dominus magis obedientiæ quam victimarum sacrificium quærit; nec cantilenæ artificiorum studio, quantum observantia mandatorum et cordis munditia delectatur.

B XV. His qui litteras vel psalmos discunt, illis observent ad excipiendum, quibus fuerint deputati: qui pro eis aut de negligentia arguendi sunt, aut in eorum eruditione et studio approbandi. Si autem discedens dictator per se deputare neglexerit, ad Patrem revertatur is qui excipit, ut ipse deputet pro absente, qui ei dictare debeat. Dum absens revertetur, ad suum redeat dictatorem.

XVI. Accepta in hora refectionis omni tempore ab his qui ea quotidie de psalmis accipiunt, reddantur ad mensam primam fratrum ex more. Qui meditari neglexerit, et non reddiderit, nec manducet usque ad horam refectionis venturi diei.

XVII. Nulli liceat supra statutam consuetudinem, sive in potu, sive in cibo præsumere, nisi prioris C permissu: cui ordinandi et considerandi facultas est; ita ut si gravi operatione fatigatis fratribus supra consuetudinem oportet quidquam adjungi, annuente et permittente priore, et non quolibet præsumente, hoc ipsum fieri liceat.

XVIII. Reficientes cum gratiarum actione et timore Dei lectiones audiamus. Non cum contentione, et murmuratione, et indignatione, et clamosis vocibus, et strepitu pedum, et sono vasorum, donum Dei, sed cum charitate et quiete, et dulcissimo disciplinæ freno sumamus: metuentes Israelitarum exempla carnalium (*Num.* XI), quibus manducantibus ad saturitatem angelorum panem (*Psal.* LXXVII), et coturnicum carnes usque ad nauseam, ore repleto murmurantibus ira Dei ad exterminandum dirigitur. D

XIX. Nulli fratrum liceat vel pomum, vel quodcunque olerum ad condimentum, vel aliud aliquid, ad usus suos quasi peculiari apparatu in mensam ad manducandum deferre: ne parvissima occasione aut rancor inter fratres de injustitia aut horrendus aditus peculiaris aperiatur studii; sed quæcunque harum rerum donante Deo a quolibet inventa fuerint, cellario fideliter contradantur, ut ipso distribuente, vel per menses singulos, vel prout cuique opus fuerit, ministrentur.

XX. Nullus præsumere audeat de ea mensa in qua comedere scriptus est, transire ad aliam; nec liceat cuiquam alterum ad se de alia mensa venientem ad-

manducandum suscipere: sed unusquisque in mensa deputata comedat; ita ut si in mensa major pars fratrum absens fuerit, residui usque ad tres in numero ad suam sedeant. Infra autem hunc numerum remanentes in alia mensa comedant, secundum ordinem deputatum.

XXI. Nulli liceat pincernarum calicem sic implere, ut transfundatur. Sed nec cuiquam liceat, ut si ei ab infrunito ministro transfundens oblatus fuerit, accipere: sed cum moderatione implere debet, et competenter: dicente Apostolo: *Omnia vestra honeste et secundum ordinem fiant* (*I Cor.* XIV).

XXII. In omnibus obsequiis et ministeriis, in quibus fratres juniores sibi vicissim succedunt, unusquisque bona voluntate susceptam hebdomadam vicis suæ in quolibet ministerio hilariter absque murmuratione cum gratia Dei impleat. Quod si ita contingat ut is qui suscepit quodlibet obsequium, in alia utilitate, vel itinere, aut necessitate infirmitatis occupetur, vicem ejus qui in loco post ipsum in ordine esse videtur adimpleat, et si defuerit, tertius, sive quartus et quintus ab eo præsens et vacans inventus fuerit, ejus obsequium repræsentet: ut ordo ministerii dispositus, quod charitatis et devotionis amore exhibetur mutuo, conservatus nullo modo perturbetur.

XXIII. Si in ipso juniorum ordine, qui sibi in ministeriis singulis per vices succedunt, talis forsitan persona in ordine misceatur, qui judicio senioris debeat a vice ministerii removeri, nullus eum audeat provocare; nec ei per jocum stimulum suspicionis et confusionis impingat.

XXIV. Nulli liceat de cellario quidquam, vel de quacunque artificum officina, vel ferramentum, vel quamcunque rem, quæ singulis fratribus ad custodiendum assignata est, præsumere pro suo arbitrio: nisi forte aut tanta causa absentiæ aut infirmitatis ejus, cui qualibet parte cura commissa est, coarctaverit, ut, jubente abbate, aut certe ipso permittente, cui assignatum est, ab alio contingatur.

XXV. Hi quoque, quibus in singulis rebus custodia commissa est, convenienti devotione et charissima humilitate, quæ necessaria sunt, sine mora et fastidio jubente seniore ministrent: nec per superbam inflationem differendo, occasiones faciant querelarum, per quas murmuratio contra eorum laborem qui nobis in assignatis rebus charitate deserviunt non debet excitari.

XXVI. Nulli liceat tam in cellario quam in singulis officinis artificum improba et importuna absque senioris jussu audacia introire: quia et communem utilitatem valde impedit hæc præsumptio, et ipsis artificibus rancorem animorum ex superflua importunitate impingit.

XXVII. Nulli liceat vel vestimentum, vel calceamentum, aut tabulas, vel cujuscunque rei parvissimæ tam novum, quam vetus quidquam, quod alii fratri datum fuerit, prava præsumptione contingere ad utendum. Nec inter se fratribus liceat, ut id quod A de communi quisquam acceperit, nisi permissu prioris, cum alio fratre, quasi peculiari amore mutuare: ne hac occasione nascatur amor illicitus. Sed unusquisque, quod ei charitatis distributione datur, hoc libens et bona voluntate accipiat, et ad utendum delectetur habere.

XXVIII. Vestimenta vel lectualia nullus sibi lavare audeat, absque oratione et permissu prioris.

XXIX. Nullus fratrum audeat tonsurari sine oratione abbatis; nec alia tonsura quisquam, nisi nobis solita, tonsurari affectet: exceptis infirmis, quos dictante medico pro humore contrario pressius forsitan expedit tonsurari.

XXX. Si quis invenerit, quodcunque illud est, quod alter frater perdidit, vel intra cellam, vel foris, B non apud se uno die, vel, si possibile est, una hora retineat: sed in loco deputato quod invenerit ponat; et qui perdidit in eo loco requirat: ut non patiatur errorem et laborem qui perdidit quærendi per singulos.

XXXI. Nulli liceat ad discendam qualemcunque artem absque oratione senioris, vel cui ab eo ordinandi et disponendi concessa est potestas, suo ausu præsumere; nisi hi tantum qui in singulis artibus prioris judicio suo ordine cum orationis gratia deputantur. Sed neque ad meditandas litteras, vel psalmos, aut lectiones quisquam ex sua quasi potestate præsumat; et præbendum spiritali bono superbiæ malum, et dissolutæ voluntatis arbitrium, et peculiare studium operetur. Sed si quis per bonam C voluntatem qualemcunque artem terrenam, vel in spiritalibus rebus super id quod a nobis quotidie traditur, discere concupiscit, charissima humilitate sibi concedendum a priore exspectet. Et si ei concessum fuerit, accepta oratione sic quod cupit incipiat. Cui etsi denegatum fuerit, quia forte ei non expedit, gaudens, et non tristis permaneat. Sed nec cuiquam liceat absque prioris notitia et jussione alii litteras vel qualemlibet artem occulte et quasi furtim ostendere. Quod si quis præsumpserit, geminæ culpæ, hoc est, et furti et superbiæ sine dubio subjacebit.

XXXII. Magnopere autem ab omnibus est cavendum ne aut in pistrino, aut in quacunque manuum operatione, aliquis fratrum pigre et non inter primos D occurrat.

XXXIII. Nam adhortatio laborandi, quæ hactenus cum tanto temperamento a nobis charitati vestræ insinuata est, ab illa apostolica beati Pauli (*Ephes.* IV) instantia tantum est debilitata et remissa, quantum est et differentia personarum. Cum ille nobis jubeat hactenus manibus laborare, ut habeamus unde tribuere possimus necessitatem patienti: nos diximus, ut vel quod nobis sufficiat laboremus. Ille dicit, seipsum in fame et siti, in frigore et nuditate nocte et die suis manibus laborasse, ut sibi et qui cum eo erant necessaria non deessent (*II Cor.* XI; *I Thess.* II; *II Thess.* III): nos econtra duplicia habentes in nostris usibus vestimenta et calceamenta,

et quotidiani victus de domo Dei ad saturitatem plenissimum apparatum, hortamur ut otium non ametis, sed per sincerum unanimitatis consensum unusquisque ut prævalet, sic laboret. Ille præcepit : *Qui non laborat, non manducet* (*II Thess.* III); nos fragilitatem nostram in vobis pensantes, nulli vestrum, qui hactenus subdola et lubrica voluntate laborare fideliter distulistis, de necessariis rebus a fidelium fratrum ordine quidquam subtraximus : patienter hactenus tolerantes, ut non vinceremur a malo, sed vinceremus malum in bono (*Rom.* XII).

XXXIV. Hoc scientes, fratres, quia otiosus corpore monachus mente a sordidis cogitationibus nunquam esse poterit otiosus, dicente Salomone : *In desideriis est omnis otiosus* (*Eccli.* XXXIII). Et iterum : *Multa mala excogitat otiositas*. Abjecto ergo a se, qui hucusque talis fuit, hoc vitio, promptus ad omne opus accurrat : quia scriptum est : *Non oderis laboriosa opera, et rusticationem ab Altissimo creatam* (*Eccli.* VII), ut donante Domino de propriis laboribus, et rebus quotidianis et necessariis abundemus, et his quos amor spiritalis ad visitandos nos invitat, possimus convenienti mediocritate occurrere : aut quos gravis urget necessitas, debito ministerio valeamus de proprio labore servire, quia Dominum Redemptorem nostrum, *Beatius esse dare quam accipere* (*Act.* XX), certum est præcepisse.

XXXV. Euntes in qualecunque opus, ferramenta necessaria is qui inter ipsos vadit prior a custode ferramentorum mane annumerata suscipiat, et uni de minoribus, ex his qui cum eo ituri sunt, quem ad hoc idoneum viderit custodienda assignet : quo opere completo ab ipso sollicite ipse recipiat, et custodi contradat; ut nihil depereat oblivione solita et negligentia plurimorum.

XXXVI. Si quis alterum in quacunque parte viderit illicitum quidquam vel sermone vel opere facientem, et priori distulerit publicare, cognoscat se esse nutritorem peccati, et per omnia æqualem peccanti. Et quia et animæ suæ et illi est quem tegit durissimus inimicus, ex hoc apud Deum, qui mala odit, et apud cunctam fraternitatem exsecrabilis et infidelis habebitur : quia per abundantiam malitiæ noluit prodere, ut corrigere potuisset, errantem; et odio disciplinæ dilexit malitiam, et *adstitit omni viæ non bonæ* (*Psal.* XXXV).

XXXVII. Propterea cavenda est omnibus nobis joci et risus immoderata luxuria, per quam plerumque amarissima inter fratres nascuntur scandala. Nec debet ex hac re occasio discordiæ provenire, per quam etsi non nasceretur litigium, cavendus tamen nobis erat ad ædificationem sermo non pertinens. Et scientes quia et de otioso sermone ratio Domino est reddenda. Nam risum supra modum quis nesciat indisciplinationis et levitatis esse januam, per quam A perniciosos cibos miseræ animæ diabolus subtiliter subministrat?

XXXVIII. Si unus provocatus ab altero contra vetitum, respondens ad contentionem causam perduxerit, nullus se in eorum contentione, id est in aliena causa permisceat : ne inter fratres quasi diversarum partium studia litigantium nutriantur; nisi forte is senior, qui inter eos discordiam mitigando pacis verba cum moderatione et disciplina et sincera fide interserat.

XXXIX. Nullus præsumat in qualibuscunque causis alienis, sive parentum, sive carnalium, vel quibuscunque mundanis occasionibus se miscere præter jussionem prioris : quem plerumque pauperum et oppressorum lacrymæ permovent, ut aut apud judices, aut apud quos necessarium fuerit, precator B accedat. Nec amplius quam jubetur vel sermonem audet directus præsumere. Scriptum est enim, ut *nullus militans Deo implicet se negotiis sæcularibus : ut illi placeat cui se probavit* (*II Tim.* II). Et si necessaria, hoc est monasterii negotia, quæ nobis valde onerosa sunt, fugere cupimus et vitare, quanto magis aliena et quæ extra monasterii utilitatem sunt, abhorrere debemus et fugere?

XL. Nullus vestrum contra rusticorum rabiem et pravos excessus, quos plerumque contra nos diabolo armante exercent, propria se audeat virtute, aut brachio humano repugnante defendere, cum noster defensor solus Deus sit, et patrocinium beatorum apostolorum atque omnium sanctorum Dei.

C XLI. Regulæ quoque Patrum ideo nobis assidue leguntur, ut eorum sanctis exhortationibus interiorem accommodantes auditum, et disciplinæ concipiamus amorem dulcissimum, et Domino per omnia adjuvante vitæ ipsorum exempla sequamur. Propter quod festinandum nobis est, ut a nostris mentibus tepor excludatur inolitus. Nam et hæc quæ vobis per singula præsenti loquimur scriptura, non in sugillatione sanctorum et beatissimorum Patrum regulæ ausu temerario ad vos proferenda præsumpsimus; sed ea tantum specialiter ex eorum constitutionibus vobis litteris ingerenda curavimus. Plenitudo autem sanctæ conversationis, et spiritalis vitæ perfecta doctrina in eorum sanctorum Patrum regulis nobis quotidie recitatur, quorum et probata vita divino D munere et docendi est attributa auctoritas.

Deus autem omnipotens, qui pacis auctor est, qui solus potest facere unanimes habitare in domo, aptet vos omnes ad faciendam voluntatem suam : faciens in nobis quod placeat coram se per Jesum Christum Dominum nostrum; et hujus adhortationis et commonitionis semen in vestro corde per gratiam sancti Spiritus plantet et foveat, et ad maturam bonorum operum perfectionem perducat, Amen; et nobis remissionem peccatorum condonans in æterna requie cum sua pace custodiat. Amen

DE S. FERREOLO EPISCOPO EJUSQUE REGULA

VETERUM TESTIMONIA.

Gregorius Turon. Hist. Franc. lib. VI, cap. 7 : *Eo tempore Ferreolus Ucetiensis episcopus, magnæ vir sanctitatis, obiit, plenus sapientia et intellectu : qui libros aliquos epistolarum, quasi Sidonium secutus, composuit.*

S. Benedictus Anianæ abbas hanc quoque S. Ferreoli episcopi Regulam sæpius laudat, et maximam ejus partem in Concordiam regularum transtulit.

Smaragdus etiam multa ex ea affert ad Expositionem Regulæ S. Benedicti.

Joan. Trithemius, lib. de Proprietate monachorum, cap. 5 : *Denique in Regula cœnobii sancti Ferreoli episcopi et martyris decimo capitulo sic scribitur :* Illud etiam statui debere prospeximus, *etc.*

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

S. *Ferreolus Uzetensis in Occitania episcopus, circa annum* 558 *monasterium pro monachis construxit, quod etiamnum a suo nomine* Ferreolacense Cœnobium *nuncupatur. Pro monachis ergo hujus cœnobii hanc præsentem Regulam conscripsit piissimus pontifex, triginta novem capitibus contentam, quam Lucretio Dicensi episcopo dedicavit, ejusque censuræ subjecit. Multa habet ab aliis antiquis regulis diversa, nec illarum mentionem facit. Præsertim hoc singulare videtur, quod capite 38 præcipiat ut abbas culinæ inserviat tribus solemnioribus monasterii festis; nimirum in Nativitate Domini, in Paschate, atque in festo S. Ferreoli martyris, qui fuit patronus monasterii.*

PRÆFATIO REGULÆ S. FERREOLI EPISCOPI.

Domino sancto et cæterorum comparatione sanctissimo, ac socio apostolorum, Christique discipulo, Lucretio papæ Ferreolus episcopus.

Hortatus quondam operante Deo, in una devotione accensus, in qua servorum Dei habitaculum ipsa sibi divinitas collocaret, ipse terra obtuli aliam terram conferens. Quod deputo sanctæ congregationi, hoc mei donari saluti credo : ut in unum more apum religiosorum turba collecta, dum pro meis p'ene peccatis orationum suarum flores offerant, quam dulcia in intercessione mella conficient. Et quoniam necesse fuit novo huic populo velut jugum novæ legis imponi, non quo eorum colla deprimerem, sed ut mentium cervices potius inclinarem; regulam quæ ab eis pro lege servetur, licentia a vobis tam petita quam accepta, conscripsimus. In qua si quid severitate durum, si quid remissione mollissimum judicio scientiæ adjudicaveritis, censuram manus vestræ pagina melius in quo diligetur placitura recipiet. Ut hoc multo magis gloriæ detur, quod digna inventa est regula, quam per vos correxistis, fugiendo a facie verecundiæ. Si vero, ut credo, judicium amoris operam verum infligere dignetur correctione litteræ, quidquid demum ineptum lectio incastigata protulerit, liberum a culpa erit erroris, cum libellum vestræ me constat subdidisse censuræ. Mihi tamen orandum est, ut imprimis Deo, deinde vobis illud placeat quod scripsimus, et illis quibus hæc servanda mandamus. Ut in nomine Domini Jesu Christi obedientes in omnibus divinis præceptis, æterna ab eis præmia, et gloria sine fine, bonæ tamen vitæ empta pretio vindicetur, præstante Domino ac Deo nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, dominatur et regnat in sæcula sæculorum, Amen.

S. FERREOLI UCETIENSIS EPISCOPI REGULA AD MONACHOS.

Regulæ principium de his quæ observanda, monachis Ferriolacensis monasterii statui institutor; orans, ut adjuvante Domino hi filii quos fide Domino genui, hæc tota animi et sancta intentione servantes, optimo perfectoque vitæ cursu cœlo, ut scriptum est, vim faciant, et mansiones præparent dignis se habitatoribus præparatas. Sicque fiat ut, sequendo Agnum quocunque ierit, ad hoc præsentia contemnant, ut futura diripiant.

CAPUT PRIMUM. *De obedientia.*

Primum ut monachus, quem proprie manet multas in se virtutes ædificare, obedientiæ in se collocet fundamentum : ut impleat illa quæ B. Apostolus nos admonet observanda, quando præcepit dicens : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes; hoc enim expedit vobis* (*Hebr.* XIII).

CAP. II. *De reverentia, quanta servatur.*

Ut abbati omnimodis reverentia a cunctis amore servetur; ut et amor ostendat concordiam, et timor noverit disciplinam. Recte enim timetur ut dominus,

et amatur ut pater, cui sanctæ congregationis grege commisso animarum proprie cura mandatur : quem sollicitudo commissa quotidie per illud iter, quod est inevitabile morituris, aut trahit ad pœnam, aut perducit ad gloriam; dicente Scriptura : *Cui plus commendatur, utique plus ab eo exigitur* (*Luc.* XII). Similiter etiam aperiente nobis Evangelio per similitudinem parabolæ veritatem, ubi legitur quinque servo talenta Dominus tradidisse; et quia superlucratus alia quinque, a Domino meretur audire : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis mihi, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV).

Cap. III. *De charitate.*

Tertio in loco propter ipsum etiam sacratum numerum Trinitatis, matrem omnium virtutum inserendam putavimus charitatem : quam Apostolus tali ante omnes virtutes laude prosequitur : *Charitas non agit perperam : charitas nunquam excidit* (*I Cor.* XIII); et iterum : *Charitas cooperit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV). Huic ergo præcepto monachis convenit inhærere, ita ut multi secundum beatum Apostolum unum corpus efficiantur in Christo (*I Cor.* XII), et impleatur in illis quod lectio Actuum apostolorum, quasi omnibus exemplo præmisso, specialiter tamen Religiosorum oculis anteponit : *Erat illis cor unum et anima una* (*Act.* IV). Et illud in libro Psalmorum : *Deus, qui habitare facis unanimes in domo* (*Psal.* LXVII). Cavendum est ergo per omnia monacho ne aliquid simultatis aut odii vel corde gerat, vel opere proferat, vel ira victus ostendat : propter illud quod dicit Apostolus : *Ira enim viri justitiam Dei non operatur* (*Jac.* II); et illud sapientissimi Salomonis : *Ira in ventre requiescit stulti* (*Eccl.* VII); nec non et illud Apostoli : *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia* (*Ephes.* IV).

Cap. IV. *Ne ulla mulier in monasterium ingrediatur.*

Illud namque statuendum opportune credimus, ut nulla penitus mulier ad monasterium, etiamsi pro dilectione expetere videatur, accedat. Similiter eam etiam religiosis feminis vel puellis, ne qua forte excusatio minus intelligentibus relinquatur, accedendi licentiam amputamus : quia non potest habitatio in longum esse secura, inimico proximo, vel hoste vicino : præsertim cum in dubium veniat, quis hoste publico et secreta pugna vincatur : ubi jam nihil aliud quam aut vincere sit aut perire. Sed longe a monasterio, quemlibet fratrum evidens causa colloquium cum feminis duntaxat honestis habere compulerit, sciente vel permittente abbate, et adhibitis testibus, id est, junctis secum duobus ex fratribus, accipiant licentiam colloquendi : ita tamen ut abbas causam de qua collocutio exstiterit, non ignoret.

Cap. V. *De eo qui monachus esse vult, qualiter recipiatur.*

Si quis veniat religionem expetens monasterium intraturus, nisi elapso prius anni circulo; vel certe, A si abbati visum fuerit aliquantulum temperare, antequam sex mensium dierum numerus compleatur, monachorum contubernio non jungatur : ut in tanto spatio ignorantibus qualis sit futurus ostendat; et diuturna observatione clarere possit, si quid secum crudelitatis attulerit. At vero quando prius ad monasterium venit, et recipi se in numero postulat monachorum, interrogetur utrum liber sit : nec abbati prima cum satisfecerit, subsecuta responsio adjiciat : si nulla præter devotionis causam compulsus monasterium duxerit expetendum. Post hoc monasterii regula abbatis ei jussione legatur : ut imposterum nihil novum vel inusitatum, aut si discessurus prætereat; aut si mansurus, agnoscat. Vicinam tunc monasterio cellulam, dum pernoctatum tempus observat, accipiat, B victumque quotidianum a monasterio, si inter reliquos operetur, exspectet : lectioni ante omnia et orationi dans operam, ut dignetur eum ille omnipotens scrutator animæ cognitorque secretæ familiæ suæ meritis sacræ congregationis annumerare, et fiat, sicut scriptum est, *unus grex et unus Pastor* (*Joan.* X).

Cap. VI. *Ut nullus monachus vel clericus retinendus recipiatur.*

Monachum omnino sive clericum alterius loci vel monasterii recipi sub qualibet causa nolumus, interdicimus, prohibemus : prospicientes talia studia charitatis, ne novum aliquod forte scandalum surgentes inducant. Dicit enim Scriptura : *Quidquid tibi non vis, alii non feceris* (*Tob.* IV). Hinc enim plerumque C non tantum inter abbates, sed etiam inter monasteria lites insanabiles oriuntur; dum unus nititur defendere quem suscepit, alter revocare quem perdidit : et ad extremum, nisi reddatur illi petitori petitus, et isti restauratio recepti placaverit injuriam acceptam, quam potest, fit, ut non secundum beatum Apostolum (*Rom.* XII), vincant in bono malum, sed utique mali vincantur uno malo. Attamen nec illud prætereundum censuimus, ut si forte alterius loci, ut supra dixi, monachus sive clericus scripta abbatis vel episcopi sui deferat, in queis manifeste probetur, non propter vitia cavendus, sed propter charitatem Dei missus, ipse tantum socius fieri congregationis obtineat. Si tamen credi ullo modo potest, bono suo quemque velle exspoliari, et alium D sua nuditate vestiri.

Cap. VII. *De murmuratione sive detractione monachorum.*

Ut nullius in congregatione murmur seu detractio, quod familiarissimum habent monachi, contra abbatem aut quemlibet alium de fratribus audiatur : ne ira Dei, quæ sæpe ob hanc culpam miserabilem populum condemnavit, in perditionem similiter murmurantium turbæ excitetur : et terram repromissionis, quam nos recte accipimus locum futuræ beatitudinis, perdat murmuratio propria, quæ debeatur sponsione divina. Hic enim damnandos hujus vitii sectatores psalmus annuntiat : *Detrahentem adversus*

proximum suum occulte, hunc persequebar (*Psal.* c). Et iterum arguens Apostolus dicit: *Susurrones, detractores, Deo odibiles* (*Rom.* I). Et iterum, *Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes, et os illorum loquitur superbiam* (*Jud.* I).

CAP. VIII. *De superbia vel elatione vitanda.*

Ut elatio superbiaque monachis omnino vitentur, ne jactantia cadat sui, propter Deum sublimitas deponatur. Abjectio et humilitas grandis altitudo est. Alias vero quid erit reliquisse sæculum, si a se ejus non absciderit vanitatem? Quid solitariam elegisse vitam, si intrinsecus tumeat corde? Quid humile inest profectus in capite, si cito a se hæc mala non rejiciet, qui vult invenire quo cadat, cavens terribile illud Scripturæ divinæ: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*I Pet.* V). Et illud: *Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc simul non edebam* (*Psal.* C). Et illud Apostoli non obliviosus auditor, qui dicit: *Hoc scitote, quia in novissimis diebus instabunt tempora periculosa; et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi* (*II Tim.* III), et reliqua quæ sequuntur.

CAP. IX. *De invidia.*

Invidiam, quod est maximum vitium, ante omnia monachus foribus mentis excludat, nec patiatur virginitatem animi occulto livore corrumpi: ne in mente sua bonum semen sparsum enecet adulterina permixtio. Sed stet semper quasi fortis in acie, repugnans scuto charitatis armis invidiæ; et inde maxime superet invidum, quia non superatur invidia: non ignorans Scripturam, quæ dicit: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum* (*Sap.* II). Imitantur autem eum qui sunt ex parte ejus.

CAP. X. *De eo, ne aliquid proprii sibi monachus vindicet.*

Illud etiam statui debere præcepimus, ut nullus monachorum aliquid sibi proprium absque societate fratrum audeat vindicare; ita ut etiam in his quæ sua sunt nihil amplius credat sibi juris esse quam cæteris. Quia cum se ipsum alterius subdidit potestati, omnia secum in alienam potestatem transmisit. Quidquid ergo secum rerum detulerit, expetito consortio monachorum, ac ubi corpori congregationis membrum factus adhæserit, statim cognoscat omnia in communionem transiisse, et hoc tantum judicet proprium, quidquid cum fratribus possederit indivisum. Nam et lectio Actuum apostolorum tempore surgentis Ecclesiæ taliter fideles Christi vixisse commemorat: *Nullus*, inquit, *ex bonis suis dicebat aliquid suum esse; sed erant illis omnia communia* (*Act.* IV).

CAP. XI. *Ut nullus monachus litteras ignoret.*

Omnis qui nomen vult monachi vindicare, litteras ei ignorare non liceat. Quin etiam psalmos totos memoriter teneat: neque se quacunque excusatione defendat, quominus sancto hoc studio capiatur. Si-

A militer etiam his qui pastores pecorum, ut est moris, de congregatione mittentur, curæ erit vacare psalmis ut cæteri: ne in id quod majus est minores inveniantur, et in confusionem sui illud eis aptetur exemplum: *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei* (*I Cor.* II).

CAP. XII. *Ut psalmi cunctis diebus in ordine psallantur.*

Ut omni tempore psalmi usque ad finem Psalterii in ordine decantentur: sibi tamen secretius propter propriam mercedem; excepto publico psallendi cursu dominico, quantum per singulos dies, Deo tamen scienter laudes offerat occulta ruminatione. Similiter etiam convenerit oratione subjuncta noctibus psalmorum frequentia vigilare, ut impleatur illud: *In*
B *die clamavi et nocte coram te* (*Psal.* LXXXVII); et illud: *In lege ejus meditabitur die ac nocte* (*Psal.* I).

CAP. XIII. *De vigiliis.*

Quotiescunque vigilia nocturna propter exorandum Deum, aut devotione petitur, aut festivitate debetur, nullus monachorum, præter ægritudinem certam aut necessitatem, si præsens fuerit, absens esse præsumat. Ne interiori tædio gravius laborare consuescens vivente carne spiritalis anima moriatur: sed potius promissi illius cupidus quærere simul et invenire contendat, qui dixit: *Diligam eos qui diligunt me: et qui mane vigilant ad me invenient me* (*Prov.* VIII). Et in psalmo etiam continetur: *Tunc quærebant eum, et convertebantur, et ante lucem veniebant ad eum*
C (*Psal.* LXXVII). Nam ut quotidie ad matutinas omnes omnino surgant, si non censetur superfluum, commonemus: ad nocturnas vero cunctis diebus ita omnes celeriter pariterque consurgant, ut cunctis simul concurrentibus nullus inveniatur venisse posterior. At vero qui contrarius huic deprehenditur statuto, tot diebus solus jejunet, quot horis cum fratribus vigilare non voluit.

CAP. XIV. *De vestimentis monachorum.*

Vestimenta supersufficientia monachus non requirat: qui non amplius quam quod ad quotidianum usum abbas necessarium viderit, consequatur; dicente Domino ad discipulos: *Neque duas tunicas habeatis* (*Luc.* VII): quas duas tunicas intelligere debemus non numero, si propter hiemem necessariæ
D esse videntur, sed supra usum si reservatæ fuerint, computari. Super ergo si quid fuerit, putabitur alienum: dum quidquid possessor avarus includit, magis utitur arca quam dominus: quod ut vitetur, maximus nobis beatus Apostolus testis assurgit, qui dicit: *Habentes victum et vestitum his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa, et inutilia, et nociva: quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix omnium malorum est cupiditas: quam appetentes, naufragaverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge: sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei: apprehende vitam*

A *æternam, in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula irreprehensibile, usque in adventum Domini nostri Jesu Christi* (*I Tim.* VI). Studete ergo, fratres, ut quod ad unum hominem, id est, ad Timotheum scribitur, ab una congregatione servetur.

CAP. XV. *Ut in monasterio nullus baptizetur.*

Baptizari in monasterio parvulos tractavimus necessarium non esse, sicut in reliquis monasteriis observatur; neque monacho ullo loco de lavacro sancto filios cujuslibet excipere: ne parentibus illius, ut fieri solet, illicita paulatim vel turpi familiaritate jungatur. Quod si quis præsumpserit, ut transgressor regulæ corrigatur.

CAP. XVI. *Ut cellam separatim præter abbatem nullus habeat.*

Cellam singularem, præter abbatem, neque ad manendum, neque ad alium quemcunque usum, ulli habere liceat monachorum. Artifices tamen ad operandum tantum habeant, hi nihilominus quibus abbatis ordinatione conceditur: nam totam congregationem mansio et domus una concludat. Illos vero quos corporea fragilitas debilitat, cognita sibi infirmitate languor obsederit, dum vigorem pristinum corporis integritate sumunt, deputata intra monasterium et non nisi congrua mansione a congregatione interim separentur: ut celerius salutem conferat ipsa quæ fit a congregatione remotio.

CAP. XVII. *Ut præpositum vel formarium monachi sub abbatis potestate habeant.*

Sub abbate personam strenuam et disciplinam valde amantem, qui dignam curam præpositi nomenque suscipiat, decrevimus pro solatio abbatis institui: ut honor illi minus sit onerosus, dum labore diviso a duobus quotidiana sollicitudo suscipitur. Et ideo æquum erit ut cum jussione abbatis ei veneratio et obedientia exhibeatur. Nam et post ipsum quem supra diximus præpositum, qui in bonis sit forma, statuimus regularem formare formarium: ut facilius adjutorio isto subjuncto abbas, cui nomen Pater est, uberes fructus metat de perfectione dulcium filiorum, ambo tamen sub potestate abbatis cum reliquis atque inter reliquos se esse cognoscant.

CAP. XVIII. *De passionibus martyrum quæ inveniri possunt, ut tempore suo desidia non impediente legantur.*

Gesta martyrum, id est passiones sanctorum fidelium, quædam compaginata studio et sermone digesta sunt, tempore quo nobis diem migrationis eorum anni meta cursus sui legibus repræsentat, recenseri in oratorio audientibus cunctis omnino decernimus: ut non otiose prætereat dies, atque ut reliquis similis habeatur; quem sicut tunc illustravit constantia martyris, ita nunc commendet memoria passionis.

CAP. XIX. *Ut in manibus monachi frequens sit lectio.*

Propter pigras mentes quorumpiam excitandas, quibus sæpe generat lectio divina fastidium, ita ut magis otio eligant occupari, quam de Scripturis sanctis salutem bibere, ut spiritualiter inardescant, addi omnino placuit, ut unusquisque monachus, sive intra monasterium seu foris aliquid operis faciat, a lectione divina ne una quidem die se patiatur transire jejunum. Seu cum cessaverit manus ab opere, colatur anima lectione: audientibus cunctis monita beati Pauli ad Timotheum discipulum, dicentis: *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ* (*I Tim.* IV). Et iterum: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia:*
B *ut perfectus sit homo Dei, ad omne bonum paratus* (*II Thes.* III).

CAP. XX. *De vagis sive fugitivis monachis.*

Vagari per loca monachum sicut non decet, ita non convenit; ne in quocunque vitio captus sæculi delectatione elabetur, ut redeat ad vomitum suum: dum recidiva animi voluntate mundi vetus contemptor, novus quidam amator assurgens, a via salutis distortus exorbitet. Quapropter id definivimus observandum, ut præter illos qui pro utilitate monasterii ab abbate huc illucque habere jubentur excursus, nullus egredi monasterium loco alio moraturus absque voluntate abbatis pro qualibet re vel necessitate præsumat, ne ad eum respiciat quod Apostolus de
C adolescentioribus viduis scribens dicit: *Simul autem et otiosæ discunt circuire domus; non solum otiosæ, sed etiam verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet* (*I Tim.* V). Et ideo qui prætermissa sententia aliqua contrarietate discesserit, in tantum ut ejus inveniatur fuisse transgressor; spatio illo temporis quo monasterio defuit computato, duplici dierum numero jejunet, et condemnatione mulctetur; cibi modum, vino quotidie abnegato, qualem abbas imposuerit, habiturus. Fugitivum vero monachum, deserentem disciplinam et perdentem se, velut contemptorem placuit revocare.

CAP. XXI. *Ut frater fratri manus non injiciat.*

Ut monachus in monachum ira inflammatus, quod est turpissimum, manus injicere non præsumat, præter
D illos ad quos pertinet correctionis vel nosse modum, vel tenere judicium; ne uno peccante cæteris præsumendi crescat audacia, et ita disciplinæ ordine confuso, irruptaque lege vivendi, ipsius sacræ religionis per singulos jura perdantur. Quapropter quisquis taliter incontinens manibus invenitur, ita ut nesciat ab illicitis temperare: manus illæ, quæ erexit in proximum, per longum tempus non solum jejunio, sed etiam operis assiduitate lassentur; ut deinceps ad Deum leventur in oratione, non cum furore extendantur in fratrem. Dandam tamen veniam decernimus, juxta ut abbas moderari voluerit, postulanti: si pœnitentia præmissa etiam dum deprecatur reatus sui, faciem lacrymarum effusione rigaverit.

CAP. XXII. *Ut a convicio atque maledicto monachi abstineant.*

Ut convicium sive maledictum ex ore monachi non procedat, neque lingua impatientiæ excitatione soluta effrenatum quid ministret ostiis labiorum, sed commotus ira, ut est humanitatis, dicat: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (*Psal.* CXL). Adjungat et illud: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea* (*Psal.* XXXVIII): habens illud Apostoli ante oculos suos: *Quia neque maledici regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI). Si quis ergo in his indomitus mente proruperit, triginta diebus ab omnium fratrum colloquio habeatur alienus: donec cognoscens se tantummodo in congregatione solitudinem incurrisse, veniam eligat postulare.

CAP. XXIII. *Ut jurare monachus et desinat et desistat.*

Ut jurandi consuetudo ad integrum, si fieri potest, de monachorum interlocutione tollatur; ut etsi secundum humanam fragilitatem minus forsitan possunt mendacii cavere peccatum, possint saltem damnandum vitare perjurium. Quos rogo simul atque commoneo, ut studeant in usum habere verba sacra, ne unquam sint necessaria sacramenta. Quemadmodum enim hujus vitii debeant omnes vitare flagitium, beato apostolo monente didicimus; ait enim: *Nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum. Sit autem verbum vestrum, est est, non non: ut non sub judicio decidatis* (*Luc.* V). Et illud similiter Scripturæ divinæ: *Vir multum jurans replebitur iniquitate, et non discedet de domo illius plaga* (*Eccli.* XXIII). His namque magnis atque evidentissimis documentis etiam lectio Evangelii, quæ est maxima plenitudo, similiter attestatur, dicente Domino ad discipulos: *Audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Hierosolymam, quia civitas est magni Regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, est est, non non; quod autem his abundantius est, a malo est* (*Matth.* V). Sufficiat ergo nos propria inserenda monita exemplis docuisse vitanda.

CAP. XXIV. *Ut monachus raro rideat.*

Conveniens etiam hoc credo monachis, ut risu, etsi non assidue, frequenter tamen abstineant. Unde si exemplum legens fratrum quisque requiret, hoc solum ei sufficiat, quia Dominum nostrum Jesum Christum, Evangelio teste (*Joan.* XII), flevisse legimus, risisse nescimus; tristatum fletibus, risibus non solutum. Attamen, ne quispiam dicat nullum nos præter hoc habere testimonium lectionis, Salomonem dicentem audiat: *Risus dolore miscebitur; et extrema gaudii luctus occupat* (*Prov.* XIV). Et iterum: *Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Cor sapientis, ubi tristitia est: et cor stultorum,* A *ubi lætitia* (*Eccl.* VII). Et iterum: *Stultus in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacite subridebit* (*Eccli.* XXI). Quicunque ergo ille in congregatione constitutus, ut assolet, aut mente juvenis aut ætate risibus, joca non fugerit, quid aliud nisi publicanum commutat ex monacho? qui in civitatibus amplius populosis hanc sibi tantum operam deputant, vacare jocis, plausibus et cachinnis. Specialiter tamen hoc cunctos moneo, servandum mando atque constituo, ut quotiescunque lectio animabus Dei deditis opportuna in ecclesia vel in refectorio, aut quolibet in loco publice recitatur, nullus risu aut moveatur aut moveat. Similiter etiam eo tempore fabulas fugiendas esse cognoscant. Quod si quis non custodierit præsenti denuntiatione commonitus, triduani cum B jejunii multatio castiget. Quod triduum neminem volumus sub uno adimplere jejunio, ne in aliquo discretionis careat disciplina: sed tria jejunia vespertina jubemus quotidie refectione distingui. Hoc etiam de reliquis jejuniis, quibus regulæ culpabiles corriguntur, statuimus observari: ita tamen si in reo quolibet monacho abbas superbiam duritiamque non viderit.

CAP. XXV. *Ut turpiloquium monachus omnino fugiat.*

Turpiloquium amore pudicitiæ sit monacho turpe proferre vitando verba luxuriæ, quæ ut mentem excitant, ita corpus inflammant. Ait enim beatus Apostolus: *Deponite malitiam, blasphemiam, turpem sermonem, de ore vestro* (*Colos.* III). Interrogo ego, fratres, C quid ille minus facit adultero, cujus communicat lingua peccato? Quid luxuriæ minus exercuit, qui os castum sermonis corruptione fœdavit? Et ut hanc spurcitiam cunctis etiam cavere metus damnationis imponat, statuimus hujus culpæ reum communicationem dominicam, vel osculum fratrum sex anni mensibus non habere.

CAP. XXVI. *Ut quotidie usque ad tertiam monachi legant.*

Ut usque ad horam diei tertiam in omni tempore lectioni monachus tam senior quam extremus vacare procuret, et sic demum in reliqua parte diei deputati operis cura succedat, præter ægrotos tantum, quibus D imponi hoc supra propriam voluntatem, vel potius virtutem communis infirmitas non permittit. Nam et hi quibus fructuum colligendorum tempore ab abbate fuerit imperatum, ut matutinis horis operis aliquid vel laboris exerceant, hac lege non tenebuntur: neque huic definitioni putabuntur exstitisse contrarii, cum imperata sibi utilitatis causa compleverint. Etenim moris est agricolis ut vix reddito adhuc mane arida frumenta, non nisi deciduo madida facta rore, succidant, ut lætam minus segetem facilius fervoribus insecutoribus eripiant, dum in exordio diei blandi aeris temperamenta custodiunt. Sæpe enim ex industria factum scio, ut dubia adhuc luce, priusquam, ut dicere possumus, orbe solis ardor ebiberit redactam in manipulos segetem, ignei jubaris flammas

cum fructibus messura ejus evaserit. Hoc ergo etiam a monachis qui operi insistunt, ut superius diximus, fuerit observatum, non erunt pronuntiandi pro compendio operis regulæ transgressores.

CAP. XXVII. *Ut ante tertiam nullus monachus manducet aut bibat.*

Ut ne quis de monachis, præter infirmos, antequam hora diei tertia compleatur, quamvis supervenientis cujuslibet proximi vel amici gulæ potius exquisita occasio fulciatur, manducare vel bibere aut rogans præsumat, aut rogatus, illo duntaxat tempore quo jejunia solita remissione solvuntur. Post hanc vero horam deliberationem comedendi usque ad sextam, si vel amicus ejus vel stomachus permittit, extendat. Sed in hac refectione unum vel duos fratres socios sibi, et quærat et faciat, ut, dum videtur, ista communicatione atque humanitate sit publicus, non appareat furtive suppositus

CAP. XXVIII. *Ut monachus quotidie operis aliquid faciat.*

Monachum, absque certis solemnitatibus vel manifesta ægritudine, diem sine operatione transigentem a convivio decernimus excludendum, jubente beato Apostolo : *Qui non laborat non manducet.* Secuturas tamen excusationes inutilium prævidemus, et propterea modum ponimus otiosis. Dicturus est enim unus ex talibus : Ego non possum operari, quia amisso robore juventutis sum ad omnia senex invalidus; alius : Neque ego possum, quia sum infirmitate jam fractus; dicturus est etiam tertius, si potuerit inveniri : Non possum etiam ego, quia laborum me assiduitas contrivit, itinerum longitudo quassavit, fortitudinem mihi abstulit sollicitudo commissa, virtutem meam actio exspoliavit imposita. Sed his quasi contrarius sermo rationis occurrat, revincens eos et dicens : Ut quis non valet insistere operi, det promptius operam lectioni : quicunque agrum non excolit, Deum dupliciter colat; et inter reliqua etiam hanc quærat artem, ut paginam pingat digito, qui terram non præscribit aratro. Nullus ergo, si quominus opera faciat, putet causam justæ excusationis afferre : quia qui, ut supra diximus, agriculturam exercere non valet, legere, scribere, quod est præcipuum opus, piscium etiam providere capturam, rete texere, calceamenta fratribus præparare vel reliqua, quæ similia sunt, facere atque implere potest. Quisquis ergo ex his omnibus non elegerit, quo occupetur opere, famem cum improperio sustinere contentus sit.

CAP. XXIX. *Ut monachus parce loquatur.*

Ut loquendi temperantiam monachus in omni collocutione teneat : propter quod dicit Scriptura : *In multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.* X). Et iterum in Evangelio : *Noli multum loqui, sicut ethnici* (*Matth.* VI). Habetur etiam in psalmo : *Vir linguosus non dirigetur super terram* (*Psal.* CXXXIX). Et ideo quisquis ille frater, sint pauci sermones tui. Nec hoc tantum, sed etiam taciturnitatem tibi præsentia abbatis vel etiam alterius senioris imponat : ita ut nisi interrogatus ab eo vel jussus silentium irrumpere non præsumas, obediens Scripturæ, quæ dicit : *Priusquam audias, ne respondeas; et in medio seniorum noli te injicere* (*Eccli.* XI). Quod etiam in convivio apertissime pronuntiamus esse servandum.

CAP. XXX. *Ut abbas absque voluntate sua nihil operis faciat.*

Ut abbas si non operetur ut cæteri, nemo audeat reprehendere : quia lectioni eum magis vacare convenit, qua quotidie cæteros doceat, qua commissos eruditos reddat, qua cunctos sancta semper admonitione componat. Studere tamen eum oportet, ut quoties codex manibus non tenetur, secundum vires suas reddat se in qualibet fratrum operatione communem : ut etsi otiosum quicunque dicere non audet, fastidiosum tacendo non murmuret.

CAP. XXXI. *Ut monachis tunica linea uti non liceat.*

Ut monachus quamlibet delicati corporis linea ad nuda corporis non utatur : quia incongruum est ut carnem, quæ semper vitio naturæ superbit, mollibus foveat indumentis, et ei quasi minus validæ blandiatur; quæ quotidie in expugnationem animæ novus quidam præliator ac fortissimus commovetur. Etenim toties reparat vires contra animam bellatura, quoties aliquid velut rebelle mancipium remissionis acceperit. De hoc namque certamine beatus Apostolus dicit: *Caro concupiscit adversus spiritum* (*Gal.* V). Et iterum : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII). Et iterum : *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me, et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII). Et iterum : *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificetis, vivetis* (*Rom.* VIII). Quicunque ergo vitam illam diligit, carnem conterat morituram; et in tantum eam quotidiano luctamine arduis quibusdam vinculis disciplinæ, velut impiger semper debellator afficiet, ut adversum animam de modica quidem remissione confligat, secutus Apostoli magisterium vel exemplum, ita dicentis : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* IX).

CAP. XXXII. *Ut vestimenta monachorum odores non habeant exquisitos.*

Vestimentorum fragrantiam vel nimium propter elationem nitorem monachus studeat non habere : sed sequens melius Apostolum dicentem : *Bonus odor sumus Jesu Christi* (*II Cor.* II), colorem etiam in his album, vel nimis rufum, per quem sæpe species corporis ad perniciem suam videntibus commendatur, vitet ac habere non ambiat : ne et jactantiæ suæ secum testimonium ferat; et, quod adsit, dum corpus vestimentis cito consumendis adornare temporaliter elaborat, de animæ, si qua æterna esse

poterant, ornamentis non curet. Etenim ista facientes taliter Scriptura divina castigat : *In amictu vestimentorum ne glorieris, et in die gloriæ noli extolli* (*Eccli.* XI). De calceamentis vero reliquorum vos tenere statuimus consuetudinem monachorum. Sed et hoc curandum est, ut pes ita sit ligamentis temperatius vinculatus, ut non jactantiæ signo multos astrictus habeat, sed sanctius vinculo laxiori follescat : ut in omnibus simplicitas sanctitate socia commendet Deo, quem ejus amore possessum, probatum sæculi viderit contemptorem.

CAP. XXXIII. *Ut monachi lecta singulariter habeant.*

Ut duo, quamlibet proximi vel amici, propter secretam orationem, quæ melius ad Dominum nullo teste dirigitur, ut animo et uno lecto non teneantur: ut majorem licentiam orandi credat sibi mens compuncta concessam, dum neminem vigiliæ suæ aut testem pertimescat, aut judicem. Vigilando ergo, orando atque psallendo curet unusquisque minimam noctis somno cedere portionem ; ut non decipiatur ab inimico, qui est liber a socio : quia omnino non potest cubile proprium nisi vigilans vindicare. Imitandum etiam videtur quod propheta nobis sub quadam admonitione decantat : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo* (*Psalm.* VI). Et iterum : *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Domino* (*Psalm.* CXXXIII). Et illud : *Memor fui in nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam* (*Psalm.* CXVIII). Hoc ergo ut devotus quisque vacatione concessa utilius possit implere, strati sui, ut supra diximus, erit solus ipse possessor, habens secum meliori commutatione pro dormitorio fratrem Dominum vigilantem.

CAP. XXXIV. *Ut monachus non venetur.*

Inter cæteras mundi delectationes noverit sibi monachus venationem exercere prohibitum, nec habendum cum feris periculosum sine utilitate certamen : cum scire potius debeat vitia pro bestiis esse mactanda. Et ideo non eum consuetudo loci, vicinitas opportunitasque silvarum, pervius etiam vel facilis ascensus montis, concava vallium, secreta nemorum, densa terrarum tam infructuosi laboris opus subire sollicitent. Oportet enim ut memor Apostolicæ sententiæ damna religioni non inferat, ita monentis, ut *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat apud Deum* (*Ephes.* IV). Bonum ergo vitæ suæ cursum cursibus vanis perire judicet, et se damnosum caveat; ne postponens monachum, ferarum et ipse captione capiatur, et sæcularibus desideriis irretitus, venator agrestium bestiarum adversarii fiat et ipse venatio. Sed soli Deo vacandum congaudeat, quem expetit; illi serviendum jugiter, quem elegit : sciens quod taliter præcepto evangelico convenimur : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV). Et alibi : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (*Psalm.* XXVI). Studebit ergo, prætermissis omnibus, qualiter ipsi omni servitio placeat jugiter : A ut faciat illum regni sui participem, quem totum suum videt esse cultorem. Attamen nec illud putavimus omittendum, ut si forsitan feræ, quæ sunt violentiores, quærenti proprio labore victum insidientur in fructibus, eas pro damnis tantum fructuum vindicandis, canum sævitia opportune deterreat, quas potius effugare quam persequi delectetur; ut non venationis, sed fructuum magis amator appareat.

CAP. XXXV. *Ut monachus nec poma tangere absque ordinatione præsumat.*

Quicunque monachus cujuslibet generis pomum inordinatus hærens adhuc arbori suæ tantum edacitatis causa decerpserit, vel si terra collapsum, seu reliquorum fructuum, ut assolet, primitias ausus fuerit gulæ incontinentia violare, veluti Adæ primo B homini similis, simili quoque castigata edacitate jejunio digne pœniteat; quasi ad vicem paradisi convivio putetur indignus. Et nisi prius omnium fratrum remissione consequatur veniam, venire non permittatur ad mensam ; quia justum est, ut cunctorum indulgentiam postulet, qui omnibus quod erat commune subtraxit. Cunctis ergo studendum est, ut omne quod in escam constat hominis deputatum, si alicui ex fratribus accipere vel etiam invenire contigerit, priusquam aut mensæ inferat, aut cellario tradat, omni fide conservet intactum; vitans ne communem omnibus cibum gustu sibi ipse furetur; et cum nullus illi comes adhæreat, ad perdendam tamen innocentiam, vel ad exercendam prædam sit illi gula pro socio. Quapropter erit congregationi semper C una proprietas, ita ut cuncta omnium, et omnia sint cunctorum.

CAP. XXXVI. *Ut abbas manumittere mancipium monasterii non præsumat*

Mancipium monasterii liberum facere abbas absque consensu omnium monachorum licentiam non habebit, nisi ut tradat cunctis fratribus in præsenti ejus meriti vel ætatis de propria facultate vicarium : quia non potest multorum servus unius ad ingenuitatem remissione transire, nec libertus fieri, quem omnes unanimiter non absolvunt, cum manifestum sit, illum tot dominos habere, quot monachos.

CAP. XXXVII. *De eo, qualiter abbas conversari debeat.*

Ut abbatem cunctis quibus præest monachis strenuitas quidem, sed mansuetudo, et potius vita comD mendet, ita ut magis sanctum illum timeant, quam severum : et plus in eo metuant quod meritis est primus, quam quod honore primarius. Habeat enim in correctione modum, et in familiaritate temperamentum : eritque in cunctis ita moribus dispensatus, ut blandimento vocet, terrore castiget; faciens se ab omnibus, eo quod vitia oderit, plus amari. Tota enim ejus conversatio erit quasi positum fundamentum, ut in eo superædificetur quisquis imitatione illius optat Deo meritis proximare. Nullus ab ipso erit potestate, sed ratione damnandus : nec tamen quispiam illi ita familiaris, ut cæteris plus præsumat; neque ita offensus, ut ad veniam expleta con-

tritione non redeat. Convenerit namque illi omnes timere, qui timetur ab omnibus, totoque studio atque industria providere, ne aliquis ex his quos regendos propria cura suscepit, adverso quolibet casu discedat ex numero. Et ideo plurimis medicamentis necesse est illum monachorum subvenire languoribus, et ægritudinibus mentium remedium curæ spiritalis inferre: hoc est, si superbum viderit, jugi exhortatione porrigat humilitatis potionem; si iracundum, patientiæ illi offerat unguentum; si mendacium sectantem, veritatis ministret antidotum, beati in hoc ipsum Apostoli monitis excitatus, qui dicit : *Attende tibi et doctrinæ, insta in illis : hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt* (*II Tim.* IV). Et iterum ad Timotheum : *Formam habe sanorum verborum quæ a me audisti in fide et dilectione in Christo Jesu* (*II Tim.* I). Et iterum : *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ; ministerium tuum imple* (*II Tim.* IV). Similiter et beatus Petrus scribit : *Seniores qui in vobis sunt obsecro, consenior et testis Christi passionum, et ejus quæ incipiet revelari gloriæ socius, pascite qui in vobis est gregem Dei* (*I Petr.* V). Et addidit : *Neque quasi dominantes in clero, sed forma estote gregi; ut cum apparuerit princeps pastorum, percipiatis illam floridam et immarcescibilem gloriæ coronam.* Jeremias quoque sanctissimus in persona Domini ait : *Dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos scientia et doctrina* (*Jer.* III). Et iterum : *Hæc dicit Adonai Dominus ad pastores Israel : Nunquid semetipsos pascunt pastores?* Et adjungit : *Ob hoc, pastores, audite verbum Domini, hæc dicit Adonai Dominus : Ecce ego ipse ad pastores, et requiram oves meas de manibus eorum* (*Ezech.* XXXIV). Dominus vero idem in Evangelio Petrum apostolorum principem si se amaret interrogans adjungit : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Manifestum ergo est, frater quisque ille præesse videris monachis, magnum tibi per honorem onus impositum; ita ut cum dignitate sis primus, desudes omnium pondere sarcinatus. Propter quod recti itineris curre semitam, quæ ad cœlum perducit; et ire ostende gregi inoffensum callem, et sanctitatis eum quoque passibus antecede : atque ita stude, ut non erret quicunque te ducem gradibus imitationis insequitur; ut videaris apostolicæ monita sententiæ complesse, quæ habet : *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate* (*I Tim.* IV). Et iterum : *Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis* (*II Tim.* II). Hunc itaque tibi, abbas, titulum, ut prætermissum te Regulæ sermone non doleas, sicque unum te ex congregatione cognoscas, quasi peculiarius annotamus : monentes, seu coram Deo obsecrantes ut hæc omnia ferventi studio servans, etiam cætera propter exemplum, quæ reliquis sunt dicta, custodias.

CAP. XXXVIII. *Quibus temporibus abbas coquinæ observet, similiter et lavandis pedibus.*

Abbas tribus per annum vicibus, id est, die natalis A Domini, similiter primo Paschæ, nec non in festivitate peculiaris patroni, sancti ac beatissimi venerandi semper martyris Ferreoli, aut certe quidem ad quorum nomina sanctorum idem locus consecratus fuerit, coquinam cibos congregationi paraturus introeat; ibique suscepto junioris ministerio serviendo mensis humilitatis formam ministret in ferculis; sanctæ huic abjectioni se libenter inclinans, quæ majorem illum producit cæteris, dum reddit æqualem. Tantum enim magis in cunctis ejus potestas accipit, quantum ad inferiora ministerii parilitate descendit. Lavare vero pedes fratrum, sive etiam peregrinorum, divinum imitatus exemplum, sæpius studebit; implens dominicum mandatum, et tradens monachis operibus potius quam verbis exemplum. Nam et Do- B minus in Evangelio discipulis ait : *Si ego lavi vestros pedes Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* (*Joan.* XIII). Abbatem ergo ista facientem, atque in hujus tituli observatione communi omnes monachi sequacibus animis imitentur : in tantum, ut temporibus dispositis vicibusque discretis de ciborum præparatione solliciti serviant sibi invicem, atque alterutrum sub æqualitate ministerii dominentur.

CAP. XXXIX. *Castigatio monachorum de multis excessibus.*

Multis hic titulus monitis negligentias monachorum castigare suscepit. Nec tam personas exigit damnare, quam culpas. Mundos ergo illos et velut defecatos a C vitiorum omnium reddat inquinamento amor sanitatis, ambitio perfectionis, exspectatio veritatis, promissio gloriæ, perennitas vitæ, et illa, quam credimus, habitatio cum auctore; de qua sic dicit Apostolus : *Rapiemur in nubibus obviam Domino, et sic semper cum Domino erimus* (*I Thess.* IV).

Correctionis igitur sermo ad eos qui inter fratres jurgia seminant hic est : ut si a via tam perversa fides non traxerit, non tantum sententia abbatis, sed etiam cunctorum odio feriantur, donec consuetum errorem relinquant. De quibus Lucas evangelista Dominum dixisse commemorat : *Impossibile est ut non veniant scandala : væ autem illi, per quem veniunt : melius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et projiciatur in mare* (*Luc.* XVII).

D Ad illos vero qui, post correctionem impugnantes judicia seniorum, nituntur excusare peccatum, et non ad pœnitentiam recordatione delicti, sed ad duritiem indignationis nimium migraverint, respicit ista sententia, ut quandiu a præposita intentione revocentur, et tumorem mentis manifesta emendatione deponant, secundum arbitrium abbatis arduæ omnino subjaceant disciplinæ, quia non dixerunt : *Peccatum meum ego agnosco* (*Psalm.* L) : sed dixerunt, quod in Isaia propheta de rebellibus legitur : *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccatum suum, dicens, Quid feci* (*Jer.* VIII)

Illi namque qui se prioribus anteponunt, et aliorum loca non erubescunt vitio elationis invadere,

ac præceptis dominicis contradicunt, quibus ita jubetur : *Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister : et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus* (*Matth.* xx), abbatis vel etiam reliquorum increpatione confusi, ad locum proprium quem reliquerant revocentur : quos ad majorem gradum tardius decernimus promoveri, ne addita dignitate radicata in eis præsumptio convalescat.

Illud itaque statuimus, ut, ad mensam fratribus congregatis, de his quæ apponuntur nemo alterius aut præsumat aut rapiat portionem, ne frequentius cæteris manum paropsidi importunus immergat, propter illud Apostoli : *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est* (*I Cor.* xi). Et iterum : *Esca ventri, et venter escis : Deus autem et hunc et has destruat* (*I Cor.* vi). Et iterum : *Non est regnum Dei esca et potus : sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto* (*Rom.* iv). Et iterum : *Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri* (*Rom.* xvi). Et iterum : *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum* (*Phil.* iii). Legimus etiam in psalmo, quod longe etiam a monachis : *Adhuc esca eorum erat in ore ipsorum et ira Dei ascendit in eis* (*Psalm.* lxxvii). Quicunque ergo hujusmodi transgreditur statutum, abbatis judicio constabit, quantis jejuniis mensæ violentia judicetur.

De ebrietate vero superfluum puto monachum commoneri : cum, vel si parum vini accipiat, a præposita corporis contritione declinat. Attamen quia latere monachos non poterit quod Apostolus Timotheo scribit, dicens : *Vino modico utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates* (*II Tim.* iii): quantum eis, secundum vires monasterii, per singulos dies jussu vel dispensatione abbatis vini offertur, accipiant, et amplius penitus non requirant. Hoc etiam de reliquis stipendiis statuimus observandum. Nam ebrietatem illis etiam qui sæculo vacant prohibitam Scripturæ testimoniis approbamus, scribente Apostolo Ephesiis : *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.* v). Nec non et Propheta : *Væ qui fortes sunt ad bibendum vinum, et potentes ad miscendam siceram* (*Isai.* v). Et iterum : *Væ qui consurgunt mane, et sectantur siceram : qui exspectant vesperam, ut vino æstuent.* Et ideo monachum si ebrium, quod dici nefas est, videri aliquando contigerit, zelans illi plenus ira præcipio, ut triginta diebus a vini potatione suspendatur : quatenus anima infusione congesta digestione hoc spatio vacuetur.

Illos igitur monachos, quos vel unius diei finis A discordes invenerit, qui usque ad vesperam lites trahunt, et ante non excludunt odium, quam sol cognoscat occasum; qui dicenti Apostolo : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* iv), per inobedientiam contradicunt, statuimus tandiu abstinentia macerandos, quandiu ad veram se concordiam ultronea satisfactione convertant. Quibus post longum scandalum pacificare in occulto non liceat, ne aliquid fictum puritas charitatis admittat : sed sit eorum reconciliatio publica, quorum fuit discordia manifesta. Fratribus ergo cunctis coram astantibus veniam invicem postulent : quia uterque reus diuturna simultate notatur, dum aut unus indulgentiam petere destitit, aut alter rogari desiderans non dimisit. Et ideo iste impius, ille remansit impœnitens : B hic damnandus post iram, ille post culpam. Propterea offensus iste iram in contemptu Evangelii non retineat; sed cito ad illud recurrat exemplum : *Dimittite, et dimittetur vobis* (*Luc.* vi). Et illud Apostoli : *Induite vos, sicut electi Dei et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam : sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos* (*Col.* iii). Ille vero qui injuriam intulit, hujuscemodi exemplo velociter terreatur : *Facit Dominus judicium injuriam patientibus* (*Psal.* cxlv). Et alibi : *Quæ seminaverit homo, hæc et metet* (*Gal.* vi).

Furti scilicet conscium, si adhuc vocare monachum possumus, quasi adulterum, secundum flagello C subdi, et magna censeri afflictione jubemus; dantes illi unam cum fornicante sententiam, quia et ipse luxuriatus est cum furaretur. Similes enim eos non incongrue dicimus, quos in sacra lectione pariter positos invenimus. Dicit ergo Dominus per Prophetam : *Non est scientia Dei super terram* (*Ose.* iv). Et paulo post : *Furtum et adulterium inundaverunt.* Et iterum in psalmo : *Si videbas furem simul, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas* (*Psal.* xlix). Legimus etiam in Evangelio Dominum dixisse : *Fornicationes, furta*; et nec moratus addidit : *Hæc sunt quæ coinquinant hominem* (*Matth.* xv). Ex his profecto intelligere possunt horum scelerum servi quia, sicut æqualiter his dominantur vitia, æqualiter debetur et pœna.

D Et ne aliquid, dulcissimi in Christo fratres, de his quæ suprascripta sunt per oblivionem sitis negligentes, cunctis in unum positis semel ea in triginta diebus relegite, hoc est, in calendis.

DE TARNATENSI MONASTERIO EJUSQUE REGULA

VETERUM TESTIMONIA.

Jos. Simler. descript. Vallesiæ lib. i : *Sub Octoduro ad sinistram Rhodani hi viculi sequuntur, Juviana, Servantia, Verosa, mox Tarnadæ oppidum. Tarnadæ autem Antoninum secuti oppidum hoc nominamus : veterum plerique Agaunum nominarunt. Exstant hoc loco vetustissimæ inscriptiones, quæ antiquitati testimonium perhibent. Hoc loco a Maximino imperatore legio Thebæa, cujus dux erat Mauritius, propter confessionem nominis Christi cæsa est. Ab eorum martyrio annis circiter 220 cum locus hic apud Burgundos, qui in his regionibus dominabantur, magnæ venerationi esset, Sigismundus rex Burgundiorum, Maximi Genevensis, Theodori Sedunensis et aliorum episcoporum, oratione impulsus, eodem loco in honorem martyrum cœnobium celebre construxit; oppidulum Tarnadæ juxta positum mœnibus ampliatis cœnobio conjunxit : ab eo tempore*

Tarnadæ nomen obsolevit, et nunc vulgo ad S. Mauritium nuncupatur.

Marius ep. Aventicen. Chron. ad an. Christi 515: *Florentio et Anthemio consulibus monasterium Acauno a rege Sigismundo constructum est.*

A Regulam vero Tarnatensem sæpissime citat S. Benedictus Anianensis abbas in Concordia regularum; et Smaragdus in Comment. ad Regulam S. Benedicti; item Trithemius lib. de Propr. monachorum, cap. 5.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Hæc præsens Regula scripta est pro monachis in monasterio Tarnatensi sive Tarnadensi habitantibus, circa cujus situm inter eruditos haud minima est disceptatio; nam Mabillonius in Annalibus Benedictinis existimat hoc monasterium non differre a prioratu Ternanensi aut Tarnayensi, inter Lugdunum et Viennam sito: dum ex Simlero citato aliisque magni nominis historicis constet illud juxta Rhodanum fuisse positum. In confesso enim est, Tarnadæ oppidum sub Octoduro ad sinistram Rhodani aliquando exstitisse satis celebre, ab antiquis Agaunum nominatum, ob ejusdem nominis rupem, in cujus radicibus exstructum erat. Hinc monasterium nominatur aliquando Tarnatense, aliquando Augiense, et sæpius Cœnobium S. Mauritii appellatur, ob patrocinium illius S. martyris cujus sacro nomini et illud dicatum erat; nam in hoc ipso loco S. Mauritius, Thebææ legionis dux, cum suis militibus a Maximino imperatore martyrium passus est, in cujus igitur sacram memoriam, ad instantiam quorumdam piorum episcoporum, Sigismundus, Burgundiorum rex, hoc monasterium erexit circa annum 515, prout allata testimonia perhibent. Regula ergo hæc forsan non nisi 70 anno sæculi sexti litteris mandata fuit; existimat enim Calmetus, Tarnatenses monachos hanc Regulam compilasse, secundum laudabiles consuetudines in monasterio jam usitatas, atque ejus auctorem sive compilatorem vixisse circa finem sæculi sexti, imo eumdem esse, qui S. Lupicini Vitam scripsit, mandante S. Marino Lirinensi abbate. Nec quidem admirari debemus, quod hoc monasterium gubernatum fuerit ab initio absque aliqua regula scripta, nam hoc primis monasticæ vitæ sæculis commune fuit, quod monachi viva voce et exemplo abbatis et Patris monasterii gubernarentur, quemadmodum de Lirinensi in Galliis, Hyensi apud hodiernos Scotos et Lindisfarnensi in Northumbria aperte constat. Interea hæc Tarnatensis disciplina, saltem quoad perpetuam in choro psalmodiam, etiam ad alia Gallicana cœnobia transiit, præsertim postquam S. Apollinarius, Tullensis abbas, hujus monasterii curam susceperat circa annum B *579, prout ex Fredegario ad annum 24 Guntrammi discimus. Nec sane magni refert quod eminentissimus Norisius in sua Pelagianæ hæresis Historia existimet quædam hujus Regulæ capita cum ipsa S. Augustini Regula pro virginibus scripta magnam habere connexionem, cum illis temporibus tanta exstiterit ubique vitæ monasticæ unitas, ut diversæ scriptæ regulæ in præcipuis materiis non differrent, sed solum ab invicem discreparent in aliquibus ritibus et cæremoniis cuilibet loco et communitati propriis. Hinc, nobiliores scriptores, imo ipse laudatus Norisius, agnoscunt hanc Tarnatensis monasterii Regulam 23 capitulis constantem nunquam pro canonicis regularibus compositam fuisse, sed solis monachis adaptatam; nondum enim tales canonici in Ecclesia exorti sunt.*

REGULA MONASTERII TARNATENSIS.

CAPUT PRIMUM. Si quis fidei ardore succensus, renuntians sæculo, monasterium magna dispositione elegerit expetendum, noviati ejus non confestim licentia tribuatur intrandi; sed primum studiosius indagetur, utrum voluntarie, an necessitate aliqua coactus advenerit, aut si nulla servitutis conditione obnoxius teneatur. Quod cum ad abbatis notitiam præposito nuntiante pervenerit, uni de senioribus deputatus tandiu jubeatur advenientibus deservire, quousque devotio ejus fuerit patientia teste demonstrata. Sequitur, ut informetur disciplinis regularibus, et quæ facere debeat, quibusque eum conveniat servire cognoscat: deinceps omnis regulæ constitutio relegatur, et ad comprobandam obedientiam ejus, dura ei et aspera præcepta mandentur, nihil in proprietate de his quæ secum exhibuit habiturus. Sed si ejus votum tale est, ut quæ sua monasterii usibus conferre desideret, oblationem ejus ad integrum devotio sincera commendet, et super altare statuat; unde reposci aliquid sacrilegium judicatur. Si pecora cujuslibet generis ad monasterium commigraturus adduxerit, ab abbate pretium consequatur, cui de eodem pretio faciendi quod voluerit non negetur. Quæ si abbas noluerit comparare, cui voluerit vendere permittatur; aut, quod melius est, præposito vendenda committat: pretium vero ipsum, C ut jam dictum est, ab eo cujus res fuerant, dispensetur, dummodo in ejus nihil potestate resideat. Nefas est enim ut qui decipulam hujus sæculi intendit evadere, reservet unde eum infestatio diabolica valeat irretire. Clientem vero, et famulum, aut parentem secum exhibens, si postulet in consortio religionis admitti, simili examinatione probatum fratribus convenit aggregari: et qui fuerat ei ante in servitute subjectus, frater est in Domini positus servitio computandus: quia *apud Deum*, ut Apostolus docet, *nulla est acceptio personarum* (*Col.* III). Ille tamen qui de humili conditione est in germanitatis æqualitate susceptus, non aliquo elationis tumore superbiat; sed per humilitatem in eo quæ bona sunt convalescant: et non solum ei cui æqualis D effectus est, sed fraternitati omni, ut verus famulus Christi, cum pietate et humilitate deserviat. Quia sicut is, qui major esse videbatur in sæculo, per humilitatis affectum frater vocatur ex Domino; ita ille sui memor conditionem suam, non altiora petendo despiciat, sed testimonio humilitatis exaltet, ut apud Deum inveniat gratiam. Et nisi expleto anno nullus mutare habitum permittatur. Sed si poscentis fuerit tanta compunctio, ut hoc sibi supplicatione assidua exigat non negari, quod uni fideliter poscenti conceditur, non quasi licitum habeatur. Vesti-

menta quoque secum delata, quæ primi anni usus non valet expendere, redacta in pretium cui abbas præceperit, tribuantur: quia cum alia meruerit indumenta, priores exuviæ in sua non erunt potestate, ut exterioris hominis immutatio cum interioris profectu plena ratione conveniat. Nihil de his quæ perceperit ei sit licitum commutare, nec pro abjectione viliora, nec pro commodo meliora, sed qualiacunque fuerint attributa, cum gratiarum actione suo tantum usui vindicabit.

Cap. ii. Nulli liceat sequestratam eligere mansionem, nec armariolum, aut aliquid simile, quod pecularius claudi possit, permittatur quasi proprium vindicare. Viam solus, nisi comitatus fratris contubernio, non assumat. Revertentes ea quæ foris agi viderint, referre non audeant, nisi illa tantum quæ ædificent audientes. Posito seniore vereatur junior in præsumptionem loquacitatis erumpere: sed, ut sæpe contingit, si simplicioris naturæ fuerit senior, tunc junior quæ ei præcepta fuerint, exsequatur. Festivitate qualibet celebrem monachum, nisi permissum, non licebit expetere, quia orantem secretius palam Dominus, Evangelio adstipulante, est pollicitus se auditurum (*Matth.* vi).

Cap. iii. Si quis vero a fratribus in quocunque negotio ad civitatem, aut ad castellum, sive ad vicum seniore imperante dirigitur, nisi ad illum, quo destinatur, non præsumat accedere. Spiritalem se fieri patrem sine abbatis imperio nullatenus acquiescat; sed si causa tantæ necessitatis exstiterit, aut cujuscunque fidelis personæ precibus inclinatus interdicta non valet effugere, quod contradicenti cognoscitur impositum, charitatis intuitu est omnimodis admittendum.

Cap. iv. Cum extranea muliere collocutiones absque testibus canonum auctoritate legitima prohibentur; matrum etiam et germanarum fabulis eos misceri secretius nullatenus concedatur: ne in ipsa novitate militiæ constitutos sæculari præsumptione subvertant. Et non a majore concessa licentia nullus qualibet parte discedat. Navigium etiam ad ulteriorem ripam sine imperio senioris transvehere non præsumat: nec capillos barbamque succidat, aut funiculum vel quodlibet aliud facere audeat, nisi hoc relaxatio senioris admittat. Vespertinis et nocturnis horis quibus fratres alii conquiescunt, qui a mansione aut lectulo suo deesse cognoscitur, corripientibus senioribus castigetur: et in ipsa quiete positus alter alteri non loquatur.

Cap. v. Qui signo dato, ad opus Dei vel ad quæcunque opera tardius venerit, exclusus pro reatu tanti facinoris confundatur. Pro qualibet etiam culpa quamlibet aspera fuerit increpatione correptus, respondere nefas judicet arguenti, sed humiliando se emendationem delicti doceat secuturam: quia Deus humilibus daturum se gratiam repromisit (*I Petr.* v). Cum eo qui pro admissa culpa ab orationis vel a mensæ consortio removetur, præter eum qui ejecti fratris amaritudinem doctrinæ et charitatis possit A admixtione dulcare, nullus audeat conferre sermonem.

Cap. vi. In vigiliis, dum lectiones cunctis residentibus releguntur, vel quando orationi incumbunt, intrandi aut exeundi facultatem sibi nullus æstimet fuisse concessam. Qui vero communis necessitatis causa compellitur, psallentibus aliis sine cujusquam reatus timore discedat, continuo ad opus quod agitur reversurus. Et qui aliis orantibus vel psallentibus fabulari præsumpserit, non solum fraternitati, sed etiam divinitati reum se esse non dubitet. Illud est etiam studendum, ne somnum manus otiosæ invitent: atque ideo hæc erunt opera in vigiliis facienda, quæ mentem non occupent, aut gravent operantis auditum, sed quæ soporis possint repellere B torporem. Orationi autem et verbo Dei nihil est præponendum. Dominica vero nocte, pro reverentia resurrectionis dominicæ, manuum opera conquiescant: quod et certis solemnitatibus convenit observari.

Cap. vii. Meditantibus etiam fratribus nulli liceat rebus se aliis implicare; nec liberum judicet a schola, vel ubi meditantur fratres, discedere. Qui vero in hac præsumptione proruperit, excommunicationi, ut dignum est, subjacebit. Cellulam alterius, præter abbatem et præpositum, nisi dato signo est illicitum introire: quia ipsis tantum conceditur fratrum secreta cognoscere, et qualiter se unusquisque agat, occulta inspectione perquirere. Et ubi artifices operantur, absque suprascriptis personis, nullus præsumat accedere. Advenientibus quoque nihil C præter humilitatis affectum et debitum famulatum junior exhibebit, et curam habere de causa, qua venerit, quandoque reversurus sit, non præsumat, quia hoc seniorum sollicitudo, non juniorum præsumptio, debet inquirere.

Cap. viii. Increpare junior non audeat seniorem; sed si extra regulam aliquid fieri, aut factum esse cognoscit, abbati est aut præposito reservandum: ut correctione regulari, quod reprehenditur, corrigatur. Quæcunque ab aliquo absque testibus admittuntur, si ad abbatis notitiam pervenerit, secretius emendetur: si omnibus innotuerit, coram omnibus est reus admissi criminis arguendus. Qui cogitationum impugnationes consolationis suæ causa secretius confitetur, non oportet eum despici, nec aliis publicari, D sed quantum in se est, blanda exhortatione foveri. Qui aliis secreta meditatione psallentibus inconvenienter fuerit locutus, regulariter arguatur. In quocunque ergo opere aut meditabuntur quæ sancta sunt, aut certe silebunt. Ad mensam loqui specialiter, nisi qui interrogatus fuerit, non præsumat. Quod vero necessarium victui fuerit, præpositum decet agnoscere: et quod secundum consuetudinem deest, secretius jubeat ministrari. Sedentes ad mensam lectionem quæ legitur cum silentio audiant: si vero defuerit persona lectoris, ad instar cibi sanctarum Scripturarum meditatio ruminetur: ne escam tantum corpus accipiat, sed et verbo Dei anima pascatur esuriens. Orationibus vacate horis et tempo-

ribus institutis; psalmis et hymnis cum Dominus A exoratur, ea plantentur in corde, quæ proferuntur in voce. Arator stivam tenens Alleluia cantet; sudans messor psalmis se avocet; et dum palmitem curvum tondet vinitor falce, aliquid Davidicum canat. Hæc sint vestra carmina; hæc, ut vulgo aiunt, amatoriæ cantiones: hæc pastorum sibilus; hæc instrumenta culturæ. De his, quæ hujus sæculi homines agunt, nihil curæ sit monachis; sed meditatio cordis eorum in timore Domini sit intenta.

Cap. ix. Omni tempore duabus horis in die spirituali meditationi vacabunt. Æstatis vero tempore matutinis ex more completis, et prima dicta, omnes opera quæ jubentur assumant. Deinde tertia celebrata, ad expedienda quæ suscepta fuerant, revertantur: nec collocutione quarumcunque fabularum B sæcularium occupentur; nisi fortasse hoc proferat sermo relatoris, quod animam ædificet audientis. A sexta quoque hora usque ad nonam vacent quieti vel etiam lectioni. Post horam vero nonam, aut in horto, aut ubi poscit utilitas, usque ad horam lucernarii omnes in unum solatium commodabunt. Hiemis vero tempore, matutinis vel prima transactis, omnibus usque ad tertiam vacare conceditur lectioni. Qua consummata, gratanter quod eis injunctum fuerit, implere festinent, ut jam dictum est, usque ad horam lucernarii. Hi vero qui deputati esse videntur culturæ, hac observatione constringi pro operis assiduitate non possunt: sed ut tempus exegerit, aut labor eorum opera injuncta monstraverit, sic consideratione præpositi gubernentur, binis et C ipsi horis lectioni nihilominus vacaturi. Quando messes et vindemiæ colliguntur, bis in die, id est hora sexta et duodecima, refectionem accipiant. Quarta vero vel sexta feria ita moderari opera debent, ut, si fieri potest, statuta jejunia non omittant. Sed universa, prout utilitas aut labor exegerit, ita senioris judicio disponantur. Nemo tamen extra monasterium manducet aut bibat: hoc enim Regulæ non recipit disciplina, ut vel poma vilia resumantur: aquam ipsam ante refectionem legitimam bibere non præsumant.

Cap. x. Quando panes faciunt, vel in omni ministerio corporali, laborem suum mutuo relevabunt; et quamlibet cuicunque operi esse videantur intenti, orandi et psallendi tempora non omittant: ut dum D escas eligunt præparare carnales, spiritaliter verbo Dei et bonæ conscientiæ meditatione pascantur. De quo tamen opere nullum deesse convenit, nisi quem retentat infirmitas; aut quem præpositus in alia causa præceperit occupari. Ad cellarium vero talis ordinetur abbatis judicio, vel consilio seniorum, non qui voluntates aliquorum, sed necessitates omnium cum timore Domini et fratrum dilectione consideret: cui tamen, absente præposito, concors obedientia præbeatur; et ubi utilitas poposcerit, solatium non negetur.

Cap. xi. Provisores monasterii tales oportet eligi, vel ordinari, qui alios ædificare vitæ suæ probentur exemplo; quique eleemosynam monasterio deputatam, vel ea quæ a fratribus colliguntur, summa cura pro Domini timore conservent. Quia si creditam sibi famulorum Dei negligit servare substantiam, sicut ait quidam Patrum, lædit Deum, et dispergens eam, rationem est Domino redditurus. Quæ vero ipsis fuerint pro Dei amore donata, in oblatione monasterii adjuncta omni congregationi proficiant. Qui apostolicam vitam optamus eligere, cur quasi propria vindicemus, quæ novimus continuo peritura?

Cap. xii. Hortulanus ita debet constitui, ut et præpositi et cellarii solatio sublevetur. Et quia olerum beneficiis cellariæ juvantur expensæ, oportet ut secundum dispensationem cellarii expendantur pariter et colantur. Ferramenta quoque omnia, et reliqua utensilia ab utraque persona convenit custodiri: ita tamen ut unicuique quod consignatum fuerit, cum diligentia et summa strenuitate custodiat; et nullus de alterius cella quod ad eum non pertinet, sine voluntate ejus in cujus datum est potestate, præsumat auferre. Quod qui facere nefanda auctoritate præsumpserit, quia pro minimis rebus scandala generare non metuit, omni congregationi reus esse, dum prætermittit Regulam, doceatur. Nec quis sibi diei opus eligat faciendum, quod tamen constare debet in arbitrio senioris, ut quod utile perspexerit judicio suo imperet faciendum. Nullus murmurando aliquid faciat, ne quorum sequitur exemplum, consequatur exitum. Nulli liceat ad parentes frequentius commeare: illi tamen personæ, quæ de proximorum salute probatur esse sollicita, certis quibusque temporibus requirendi aditus relaxetur. Quem tamen vehementer cavere decipulam sæculi convenit; ne dum alios putat posse acquirere, seipsum a Domino faciat alienum.

Cap. xiii. Ad convivium nuptiale nullus accedat: ne per lasciviam sæcularium quæ sunt sæculi recognoscat; et, quod absit, ad mundi hujus vitam, etsi non corpore, animo revocetur, sicut dixit beatissimus Cyprianus: *Adulterium dum videtur, et discitur* (*Ephes.* ii). Qui joculare aliquid vel risui aptum in conventu fratrum proferre præsumpserit, vel qui cum junioribus verba otiosa narrare voluerit, aut habere amicitias ætatis infirmæ, increpationi, ut dignus est, subjacebit. Si quis qualibet invenerit, inventa non celet, et cognoscenda non occultet. Quod si reperta unius diei spatio convincitur retentasse, furti contagio se maculatum esse cognoscat. Si quis eum, qui districtionem monasterii non ferens, fugam meditari agnoverit, si non statim prodiderit, perditionis illius participem se esse non dubitet; et tandiu est a conventu fratrum sequestrandus, quandiu ille valeat revocari. Si quis hæc non omni virtute studuerit Domino placitura servare, et semel ac secundo correptus non emendaverit, reprehensa juxta ætatis formam convenit vindicari.

Cap. xiv. Hæc sunt quæ in monasterio constituti pro Dei amore et timore convenit observare. Propter

quod in unum estis pro timore Domini congregati, A oportet ut in domo Domini unanimes habitetis, et sit vobis anima una, et cor unum in timore Domini pervigilans; nihilque habere vos proprium reputetis, sed sint vobis cuncta communia, quæ vobis abbatis imperio dispensentur, non æqualiter omnibus, sed sicut ratio dispensationis, aut causa infirmitatis exegerit; unicuique tamen, secundum quod opus fuerit, tribuatur: sicut in Actibus apostolorum legimus: quia *erant illis omnia communia, et distribuebatur unicuique, sicut cuique opus erat* (*Act.* IV). Qui enim aliqua habuerint in sæculo, quando expetere monasterium meruerint, libenter tradant omnibus profutura; studentes, ut cum dimiserint facultatem, ipsam simul concupiscendi exuant voluntatem: et cum dimittitur possessio, abjiciatur et passio. Qui B autem non habuerunt, turpe est ut quærant quæ se non recolunt reliquisse. Et non ideo æstiment se felices, quia invenerunt in monasterio quod foris invenire non poterant: nec superbiant, quod sociantur eis, ad quos ante accedere pro divitiarum ubertate, aut pro natalium splendore non poterant: sed sursum cor habeant, et quæ sunt caduca vel cursu celeri peritura non quærant. Ubi autem divites humiliantur, pauperes non inflentur: ne incipiant monasteria utilia plus esse divitibus, quam egenis. Nam et illi qui locupletes videbantur in sæculo, fratres ad sanctam societatem ex paupertate venientes non fastidiose suscipiant: sed talium personarum societate et contubernio gratulentur. Nec ob hoc extollantur, si ad juvandas fraternitatis expensas quam- C cunque facultatum suarum particulam contulerint; et inde postmodum cadant, unde prius ascendere cupiebant. Quid prodest opes dispergere, et pauper fieri pauperibus erogando, si anima misera superbior efficiatur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo? Omnes ergo in unanimitate perstantes honorate in vobis Deum, cujus templa effici meruistis. Imprimis diligamus Deum tota virtute animi, deinde proximum: ista enim nobis sunt præcepta specialiter data. Abbati post Deum impendatur honor, et reverentia reservetur: præposito, sicut Dei servos decet, plena dilectio et concors obedientia commodetur.

CAP. XV. In oratorio præter orandi et psallendi cultum penitus nihil agatur, ut nomini huic et opera D jugiter impensa concordent: ut si aliquis præter constitutas horas Domino supplicaturus ingreditur, votum suum occupatio aliena non tardet. Nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum. Carnem vestram mortificate per abstinentiam, domate jejuniis atque vigiliis; animam vero vestram nitore bonæ conversationis abluite.

CAP. XVI. Si attenuatus abstinentia frater non valuerit jejunia suscepta portare, nisi prandii hora completa, aliquid accipere judicet indecorum. Illi vero qui incommodo detinentur, et designatas horas non possunt custodire, licite concedatur; percipiant quando possunt. Nec debet aliis molestiam generare, si largior illis fuerit victus impensus; qui in conversatione sæculari sumptuosius tractabantur; atque ob hoc non beatiores æstiment se videri, quos facit aut natalium mediocritas, aut consuetudo alia fortiores. Nec feliciores judicent quibus in infirmitate præstatur quod sanis pro observantiæ rigore subtrahitur: et si eis quos parentes delicatius aluerunt victus aut vestimenta largius tribuantur, non ob hoc debet commoveri fraternitas, quod fortioribus corpore pro constitutione regulæ denegatur, quod illis charitatis consideratione tribuatur: quia debet esse respectus quanta amore religionis contempserint, cuique se abjectioni divina inspiratione submiserint. Nec debet supra memorata præsumptio paucis impensa ab universitate quasi canonica reputari. Æquum namque non est, ut in beata habitatione, ubi inclinantur divites, pauperes erigantur. Sane inæqualitate constricti, ita sunt tractandi, ut vires incommoditate confectas velocius præstatio larga corroboret: nec in infirmitate manentibus discretionem victus afferat distantia personarum. Qui tamen cum integram fuerint virtutem corporis assecuti, consuetudinariis habenis abstinentiæ teneantur; quia decet famulos Dei boni operis consuetudinem non minuere, sed augere.

CAP. XVII. Non sit notabilis habitus vester, nec intendatis vestibus placere, sed moribus. Cum autem proceditis, simul incedite. Cum ad optatum locum, custodiente Domino, perveneritis, in unum fraternitas cuncta subsistat. In incessu, in statu, in omni corporis motu nihil indecens videatur, quod intendentis offendat aspectum; sed illis operam date, quæ vestræ conveniunt sanctitati.

CAP. XVIII. Oculi vestri, si in quacunque parte porrecti, vultum incurrerint feminarum, animus tamen Deo deditus nulla concupiscentiæ macula polluatur. Procedentes ergo, quia non prohibemini, nec valetis contemplationem effugere feminarum, appetere tamen et ab ipsis appeti velle crimen est. Nec solo tactu et affectu, sed aspectu quoque concupiscentia incurritur feminarum: nec statuatis habere vos oculos pudicos, si geratis animos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Qui autem in femina libidinis conscia convertit aspectum, non æstimet latere quod mens peccatis gravata concepit. Sed fac certum esse quod lateat, ut a nullo prorsus homine videatur, quid de illo facit inspectore, quem secreta non fallunt, quem occulta latere non possunt? Ille ergo vir sanctus Deo timeat displicere, cui fidelem famulum se cupit ostendere: cogitet, ne animo suo feminas male placituras insinuet: metuat eum omnia videre, cui humanus actus nihil valet occulere. Illius ergo timor præsens jugiter habeatur, de quo scriptum est: *Abominatio est Domino defigens oculum* (*Prov.* XVI). Quando ergo simul estis in ecclesia, aut in quocunque loco, ubi esse possint præsentes et feminæ, singuli de omnibus curam gerentes vestram studiose pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, adhibita hujuscemodi solli-

citudine, vos dignabitur custodire. Et si hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo vestrum quis adverterit, statim monete, ut de proximo corrigatur. Nec se putet malevolum, quando hoc indicat; et ideo debet publicari qui ejusmodi est, ne in deterius crescat. Si vero admonitus emendare neglexerit, abbati est indicandum, ut ab ipso emendatoriam subeat disciplinam. Si autem nec sic emendaverit, quasi ovis morbida a vestra societate projiciatur, ne exemplo suo alios perdat, ita enim de cupiditatis vitio est inquirendum, ut cum hoc vitio agnoscitur quis laborare, castigetur a plurimis, cum dilectione proximi et odio vitiorum.

Cap. xix. Qui vero litteras vel munuscula cujuscunque accipere præsumpserit, si non statim, a quo accepit, et quæ accepit publicaverit, districtioni B severissimæ subjacebit. Illa vero quæ transmissa sunt, peregrinis et ignotis deputabuntur, aut certe incendio cremabuntur. Sane si quis suis filiis, vel aliqua ad se necessitudine pertinentibus aliquid contulerit, in rem communem redactum, cui necessarium fuerit tribuatur. Si vero cui transmissum est, abbas præceperit dari, tanquam reliqua fidelium munera cum gratiarum actione percipiet. Observandum est etiam ne interioris animæ sordes contrahat vestis mundæ nimius appetitus. Quapropter secundum præpositi sunt ordinationem lavandæ. Quæ tam simplici erunt et nativo colore procurandæ, ne disparilitas vestium nutriat arrogantiæ vitium: et ita sunt indigentibus tribuendæ, ne vitio avaritiæ reservatæ, providendis singulis detur audacia. Si quis vero his negligenter C expetenda putaverit, præpositi sit cura, ut interversor rerum monasterialium corrigatur. Ante omnia procurantes, ut lites nullas habeatis; si autem diabolo instigante factæ fuerint, celeri satisfactione sanentur; et inde proferantur remedia, unde facta sunt vulnera; nec occidat sol super iracundiam vestram. Consuetudinem jurandi abjicite. Sit sermo vester, est est, non non (*Ephes.* iv); quia, sicut Dominus ait: *Quod his abundantius est, a malo est* (*Matth.* v).

Cap. xx. Feminæ vestrum non frequentent habitaculum, sed cum pro devotione sua, vel pro amore religionis vestræ expetierint monasterium, non eis concedatur interiores monasterii januas introire, sed D in oratorio, aut in hospitali domo reddatur illis honor et gratia: non exspectationis causa, sed pro constitutione regulæ vel monasterii disciplina.

Cap. xxi. Infirmitatibus quoque, vel aliqua inæqualitate laborantibus satis fidelis et strenua debet persona præponi; quæ et ægrotis cum pietate serviat, et monasterialem disciplinam regulariter custodiat, et quæ conveniunt infirmis, rationabiliter expendat.

Cap. xxii. Qui cellario vero vel codicibus præpo- A nuntur, sine murmuratione serviant fratribus. Codices qui extra horam petierint, non accipiant; et qui apud se habuerint amplius quam constitutum est, retinere non audeant. Hæc in nomine Christi agentes, scitis vos proficere, et cum suavitate et quiete in monasterio perdurare. Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos verba dura compellit, etiamsi in ipsis modum excessisse vos fortasse sentitis disciplinæ; non a vobis exigitur, ut veniam postuletis: ne apud eos quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Tamen petenda venia est ab omnium Domino, qui novit etiam eos quos plus justo forte corripitis, quanta benevolentia diligatis. Charitas enim, de qua scriptum est, *quia non quærit quæ sua sunt* (*I Cor.* xiii), etiam hic intelligitur custodiri: quia dum alienam nituntur humiliare superbiam, quantum desiderant non possunt humiliari personas. Quia non carnalis, sed spiritalis inter vos debet esse dilectio; et ideo de omnium salute diligentius cogitate: quia de commissis sibi animabus unusquisque redditurus est Domino rationem.

Cap. xxiii. Præposito specialiter obediatur, multo magis abbati, qui vestrum omnium curam gerit, quia qui illos spernit, spernit eum qui dixit: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* xvii). Ut ergo cuncta ista serventur, et si quid servatum non fuerit, non negligenter prætereatur, sed emendandum corrigendumque curetur, ad præpositum præcipue pertinebit; ut ad abbatem, cujus est apud vos major auctoritas, referat, quod modum vel vires ejus excedit. Ipse vero qui vobis præest, non se æstimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem; honore coram vobis prælatus sit, coram Deo subditus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes: disciplinam libens habeat, metum imponat. Et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus amari appetat, quam timeri: semper cogitans Deo se pro vobis redditurum rationem. Unde vos magis obediendo non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini; qui inter vos quantum in loco superiori, tantum in periculo majori versatur.

Donet Dominus ut observetis hæc omnia cum dilectione tanquam spiritalis pulchritudinis amatores, et bono Christi odore de bona conversatione fragrantes: non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Ut autem vos in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur. Et ubi vos inveneritis ea quæ scripta sunt facientes, agite Deo gratias, bonorum omnium largitori: ubi autem sibi quisque vestrum videat aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro; orans ut debitum dimittatur, et in tentationem non inducatur.

DE CUJUSDAM PATRIS REGULA

VETERUM TESTIMONIA

S. Benedictus Anianæ abbas in Concordia Regularum sæpissime hanc Cujusdam Patris Regulam ad

monachos scriptam laudat, ut et aliam ad virgines: quamvis ipse eas non distinguat, sed utramque promiscue Regulam Cujusdam appellet, vel Regulam Cujusdam Patris, ut cap. 8, § 7, et alibi.

A **Smaragdus quoque monachus, in commentario ad Regulam S. Benedicti, subinde ex hac Cujusdam Patris Regula testimonia affert.**

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Sub hoc obscuro titulo duplicem habemus Regulam, unam pro viris, alteram pro sacris virginibus, nec ullius auctorem scimus; quamvis unus idemque utramque Regulam scripserit. Et quidem, sub hoc etiam incerto titulo, S. Benedictus Anianus in sua Regularum Concordia, atque Smaragdus hanc Regulam sæpius citare solent; prout hic notavit Holstenius. Asperior autem reliquis hæc regula 32 capita complectens, præsertim in monachos inobedientes vel murmurantes; imo perpetuum jejunium præcipiendo, aliaque præcepta durissima filiis suis imponendo. Hinc sæpe laudatus Calmetus existimat illam a monachis Scotis olim usitatam, præsertim in monasterio de **Benchor,** ***ubi S. Columbanus educatus erat; cum S. ille abbas eamdem divini officii distributionem monachis suis Luxoviensibus præscribat. Et quidem hanc Regulam pro Scotis monachis scriptam agnoscimus; ibidem enim rigida Scotorum disciplina continetur, quæ omnibus hodiernæ Scotiæ et Hiberniæ cœnobiis communis erat, adeoque non unico specialis. Quisquis enim ordinem monasticum in monasterio Culrosensi olim usitatum rite attendat, tunc inveniet longe ante S. Comgelli et S. Columbani tempora hanc rigidam disciplinam apud Scotos monachos viguisse. Sic ex vita S. Kentigerni, olim monachi Calrosensis, et postea in Scotia episcopi Glasguensis discimus, illum nutrivisse 900 monachos solo pane et aqua, nec lacticinia adhibuisse, nisi diebus dominicis et festivis. Deinde Angli boreales in Lindisfarnensi cœnobio a Scotis monachis Christiano dogmate et monastica vita instructi, ab esu carnium et vini ac cerevisiæ potu abstinebant, solo lacte aqua mixto contenti, donec Ceolulfus rex Northumbriæ, ibidem factus monachus, suis confratribus moderatum vini et cerevisiæ usum procuravit. Pari modo discurrendum est de perpetuo jejunio ubique apud ipsos usitato, prout ex laudato ordine monastico Culrosensi omnino patet. Adeoque mirum non est, quod Ratramnus Corbeiensis monachus, sæculo nono contra Græcos scribens, perpetuum Scotorum monachorum jejunium commemoret; cum S. Columbanus in sua Regula, cap. 3, præcipiat:*** **Ut cibus sit vilis et vespertinus monachorum.... Ergo quotidie jejunandum est, sicut quotidie orandum est.**

B ***Cum igitur certum sit, in omnibus Scotorum monachorum cœnobiis rigidissimam vivendi normam olim excultam fuisse; sic hanc præsentem Regulam S. Columbæ, monachorum Scotorum patriarchæ, ascriberem, qui unus et unicus inter plures vitæ monasticæ legislatores archimandrita appellari potest; ut pote centum monasteriorum conditor, et cunctæ disciplinæ monasticæ per hodiernam Scotiam et Hiberniam, si non auctor, saltem reparator. Iste enim est archimandrita ille de quo S. Columbanus cap. 7 Regulæ ait:*** **Sub uno archimandrita mille abbates esse,** ***quibus duodenarius psalmorum numerus quaternis vigiliis nocturnis communis erat. Nec in dubium vocari potest quin inter tot Columbina monasteria apud horrida montium juga plerumque sita, quædam in ades***

C ***sterilibus locis erecta sint, ut vix grana frumenti pro alimento sufficerent, et sic promiscuum lacticiniorum usum admittere debuit Regula, quemadmodum et pro potu ordinario lac aquâ mixtum, prout cap. 22 conceditur, et etiamnum hodie in sterilibus hodiernæ montanæ Scotiæ regionibus practicatur. Adeoque veritati proximum est, quod hujus Regulæ auctor exstiterit S. Columba, abbas Hijensis cœnobii, et monachorum Scotorum verus patriarcha et archimandrita, de quo ven. Beda in sua Historia ecclesiastica scribit, multaque in ejus discipulorumque laudes profert.***

REGULA CUJUSDAM PATRIS.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

I. Caveat lector bonus, ne suo sensui obtemperet Scripturas, sed Scripturis sanctis obtemperet sensum suum. Calix passionis amarus est, sed omnes morbos penitus curat. Calix passionis amarus est, sed tamen prior bibit medicus, ne bibere dubitet ægrotus. Oportet namque illum qui alterius vulnera mederi cupit, ab omni languoris morbo alienum sanumque subsistere. Nullo alio vitio diabolus monachum perdit, ac trahit ad mortem, quam cum eum neglectis seniorum consiliis suo judicio defensionique conspexerit confidere.

D II. Primum omnium Deus timendus et diligendus est ex totis viribus (*Luc.* x) : et proximus magnopere diligendus est, secundum mandatum Domini

III. Deinde virtus obedientiæ expetenda est, et secundum vires uniuscujusque exercenda est : et ad primum verbum senioris omnes, qui audierint ex fratribus, assurgere oportet : et qui non surrexerit, veniam petat, et pœniteat, quantum judicaverit senior; et impleat quod jussus est, licet durum videatur. Obedientia usque ad mortem facienda est, secundum exemplum Domini, obedientis Patri usque ad mortem (*Phil.* II). Et unumquemque oportet fratri suo servire, sicut abbati proprio vel patri : sicut

Apostolus dicit : *Servite invicem in timore Christi* (*Ephes.* v). Et iterum : *Omnia vestra cum charitate fiant* (*I Cor.* xxxvi).

IV. Si quis frater inventus fuerit inobediens abbati, sive œconomo, sive alicui ex fratribus, mittendus est in carcerem, et pœniteat quantum judicaverit senior. Si autem post examinationem carceris reprobus invenitur, semel et bis, iterum atque iterum, abscindendus est ab omni fraternitatis corpore, secundum mandatum Domini dicentis : *Expedit enim tibi ut pereat unum de membris tuis, quam totum corpus tuum eat in gehennam ignis* (*Matth.* v) : et quia *modicum fermentum totam massam corrumpit* (*I Cor.* v).

V. Non omnibus præsente abbate vel œconomo obtemperandum, quia unus non occurrit ad omnes : sed tamen unusquisque fratri seniori obedire contendat, sicut Domino. Quidquid facit proximo suo, Domino facere non ambigat.

VI. Si quis frater murmurans inventus fuerit, hic ipse mittendus est in carcerem, et opus ejus abjiciatur. Pœnitentiam agat secundum examen senioris. Si permittatur ei, satisfaciet : si autem hoc frequenter facit, ejiciendus est de monasterio.

VII. Ad primum verbum discussionis senioris, sive œconomi, sive alicujus fratris, venia petenda est : et tandiu in terra prostratus donec senior discussionem consummaverit. Si autem senior discussionem iteraverit, et ipse veniam iterare debet. Si quis tardior ad veniam inventus fuerit, sive aliqua verba religioni contraria, sive pro excusatione delicti sui protulerit, mittendus est in carcerem ; et pœniteat secundum quod judicaverit senior, usquequo corrigatur. Si autem obstinatus invenitur, separandus est a fratribus.

VIII. Mendacium, et juramentum, sive verbum otiosum per omne corpus fraternitatis damnandum est. Si quis ex fratribus, cum quo aliquid horum inventum fuerit, mittendus est in carcerem, et pœniteat usquequo a vitio corrigatur : quia *os quod mentitur occidit animam* (*Sap.* I) : et Dominus in Evangelio juramentum prohibuit, dicens : *Ego autem dico vobis, non jurare omnino* (*Matth.* v). Et iterum : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii* (*Matth.* xII). Et Apostolus dicit : *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat : sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus* (*Ephes.* IV). Si quis ex fratribus post examinationem carceris cavere hæc vitia non poterit, ejiciendus est a fratribus, et damnandus est.

IX. Si quis iracundus inventus fuerit ex fratribus, reus erit in concilio gehennæ ignis, nisi pœniteat, ut vulnera putrefacta castigatione, scilicet ignis medicamento, exurenda sunt : et tumidum vulnus spiritalis ferri sectione utatur : id est, capitalia et mortalia crimina, quæ ducunt ad mortem, oportet dure curari et emendari, usquequo corrigatur, et sanus fuerit, secundum judicium abbatis sive œconomi.

X. Si quis ex fratribus dixerit verbum de fratre, illo non audiente, vel absente, si non ad laudem et dilectionem illius pertineat, hic tanquam blasphemator judicandus est : et petat a Deo veniam protinus, et confiteatur fratri hoc quod de illo locutus est. Si autem iterare inventus fuerit, mittendus est in carcerem, et pœniteat dure, usquequo discat illud quod Apostolus dixit : *Sermo conditus sit sale* (*Coloss.*, IV). Excusatio delicti ante veniam non oportet ab omnibus fratribus; post veniam oportet.

XI. In abstinentia ciborum unam regulam observari oportet ab omnibus fratribus, præter senes, et infirmos, sive infantes; et una mensura sit in omnibus : id est, ab hora nona usque ad horam alteram a cibis temperandum est. Nec ante, sive post mensam, quæ communiter ad cœnam fratribus apponitur, aliquid ori indulgendum est, nisi infirmitas, sive differentia ætatis sive corporis, aliquid coegerit. Sed neque ad saturitatem edendum est. Caro et vinum, sive potus, in quo fit ebrietas, refutanda sunt monachis, nec suscipienda, quibus pro Christo crucifixus est mundus, et ipsi mundo. Et ferias monacho non esse super terram, nisi modicum in adventu fratrum, tanquam Christi, lectior fuerit cibus gratia charitatis. Verumtamen abstinentia tegenda est, ne jactantiæ vitio decidamus in lapsum : quod præ omnibus vitiis gravissimum est.

XII. Nihil quærere debemus ex his quæ ad sæculum pertinent, præter quotidianum panem nostrum, et breve vestimentum, quo induamur. Hæc ipsa sine sollicitudine a nobis requirantur; ne inveniamur aliquando de regno Dei non cogitare, et dicatur de nobis : *Hæc omnia gentes requirunt* (*Matth.* vI). Verumtamen monachos semper oportet laborare, et sine sollicitudine vitam suam transigere : omnia quæcunque laboraverint, excepto, ut supra diximus, pane exiguo et vestimento, pauperibus distribuant. Cura pauperum semper facienda est, et omnia nostra cum charitate fiant; et sine charitate infructuosa sunt apud Deum opera nostra.

XIII. Arbitrio uniuscujusque senioris relinquendum est, unde annuum panem monasterio suo provideat : si ex sarculo aut bubus, ut aliquibus mos est, sicut nobis; aut artificiis, sive negotiis, sive ex conductione mercedis, sive ex quolibet opere.

XIV. Non magnopere curandum est quomodo unusquisque laboret, sed quomodo unusquisque vivat. Quomodo res et ratio et situs loci unicuique permiserit, semper laborandum est, et lex Dei, quæ sive visibilia sive invisibilia continet, observanda est : et nihil ex mandatis Dei, sive magnum sive minimum, prætereundum est : *Quia qui transgreditur unum, factus est omnium reus* (*Jac.* II).

XV. Propositum monachi quod promisimus, ex toto corde et ex tota dilectione exercendum est et faciendum : quod in tribus abrenuntiationibus consistit. Primo omnino omnes facultates nostras respuere debemus; et omnes divitiæ mundi alienæ esse a nobis noscuntur. Deinde in secundo loco, omnia vitia carnis et animæ relinquenda sunt et cavenda ;

et omnis ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia auferatur a vobis, cum omni malitia (*Ephes.* IV). Tertia igitur abrenuntiatio est, hæc omnia quæcunque videntur, sive in cœlo, sive in terra, sive in mari, seu et in omnibus creaturis Dei, non solum nihil ex his assimilare Domino debemus, sed omnia etiam illa inferiora nostri arbitrari a nobis oportet : qui ut pote nos ultra illa ad cœlorum regna, et ad ipsius Domini notitiam extendimus. Et ideo his sanitati sentientibus, et mox transeuntibus non magnopere intendimus; secundum quod Apostolus dicit : *Omnia quæ videntur temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt* (*II Cor.* IV).

XVI. Silentium in omnibus sectandum est, et tacendi disciplina per omnia facienda est; maxime autem juxta missam et mensam : sed in omnibus nihil loquendum est, nisi quod necessitas poposcerit. Si quis præter hanc disciplinam cum clamore et acerbiore sermone responderit, notetur usquequo corrigatur. Si autem hoc vitio curari non poterit, ejiciatur ab unitate fratrum.

XVII. Nihil possidendum tanquam proprium, et specialiter inter monachos; sed sint eis omnia communia. Qui autem dixerit : Meum est hoc, aut illud, peccavit coram Deo; nisi tantum per obreptionem sermonis, sed pro hoc ipso tamen veniam petat a Deo, et caveat de reliquo, et ne iterare audeat. Si quis ex hoc vitio existat insanabilis, expellendus est ab universis fratribus : quoniam vitium philargyriæ gravissimum est præ omnibus vitiis, *et radix omnium malorum est philargyria* (*I Tim.* VI).

XVIII. Si quis ex fratribus lugubriori lapsu, id est, fornicationis, ceciderit, ejiciendus est de congregatione fratrum, et usque ad diem mortis, sive in alia regione, pœniteat. Sorores igitur raro videndæ sunt, et frequenter loqui ad eas velle prohibemus; ne occasionem inveniamur dari infirmis. Beneficia tamen et munificentiam præstare illis ex toto corde præcipimus : quoniam sunt membra Christi, et matres Domini; et per virginem nos redemit Christus. Sed tamen per fidelissimos et probatissimos donaria mittenda sunt illis, ut evitetur occasio maledicti, gratia hominum pessimorum.

XIX. Non quisquam congregationi fratrum præesse permittendus, nisi qui obediendo didicerit ea quæ aliis præcipi debeant : sed si forsan in Scripturis sanctis satis sufficienter instructus est, tamen si factorum gestis adhibeat fidem, id est, ea quæ docet, opere compleverit, humilitatem ex charitate, patientiam et mansuetudinem ostendendo, et voluntatem senioris implendo, et omnia mandata Domini agendo.

XX. Si quis ex senioribus, sive is qui abbas nuncupatur, voluptuosus existat, et ebriosus, et dives; et qui huic sæculo conformatur, id est, in curribus et in equis de loco ad locum discurrat, hic non solum principatu fratrum indignus est, verum etiam homicida animarum judicandus est : et alius monasterio ejus præesse constituatur. Sin vero non po-
A terint, monachi ab illo exeant, et ille excommunicetur. Si vero pœniteat, subdat se sub manibus senioris, et servituti se subjiciat, donec probaverit is qui præest.

XXI. Monachos in curribus et in equis discurrere, præter infirmos, sed debiles et claudos, non permittimus. Si autem hoc fecerint, alieni sint ab unitate fratrum.

XXII. Fratribus, quibus habitatio in sterili terra, id est, absque pane, et sunt in montanis et fructuosis, modicum lactis permittimus cum aqua mixtum. Habitare autem monacho uno cum feminis, id est, cum matribus et sororibus, non permittimus.

XXIII. Quomodo nos obedire ei oportet, qui nos ad opus mandati cohortatur? Sicut infans obtemperat nutrici, sive quæ ad ubera sua eum invitat; imo si quid promptius et celerius, pro eo quod multum pretiosior vita futura quam præsens, obedire usque ad mortem oportet.

XXIV. Quomodo seniorem oportet fieri ad fratres? Tanquam si nutrix foveat parvulos suos, diligens et confortans singulos; et viam perfectionis eis aperiat; et ipse procedat in omni perfectione, et sanctitate cordis et corporis; et sine ulla exceptione personarum omnes pariter et sincera dilectione, tanquam natos proprios, ex toto corde diligat. Si vero viderit aliquem illorum mandatum Domini præterire, non ira erga eum moveatur, sed commiseratione et compassione; secundum illum qui dixit : *Quis infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* XI)? Si vero negligens in his quæ ad usus corporis et animæ pertinent, sine dubio subjicietur illi sententiæ, quæ dicit : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere* (*Matth.* XXV) : et ea quæ sequuntur. Et, *maledictus homo qui facit opera Dei negligenter* (*Jer.* XLVIII).

XXV. Si quis ex senioribus et abbatibus iracundus inventus fuerit, notetur usque corrigatur. Si vero ab hoc vitio insanabilis fuerit, ab imperio fratrum destruendus est, quoniam sive juste, sive injuste, irasci non oportet.

XXVI. Si quis seniori suo detraxerit, non seniori detrahit, sed Domino, cui opus facit senior. Si vero frequenter faciat, abscindatur a fraternitate ac sollicitudine fraterni corporis. Si vero pœniteat, remittenda sunt peccata sua. *Detrahentem*, inquit Propheta, *secreto proximo suo, hunc persequebar* (*Psal.* C).

XXVII. Si quis inventus fuerit in aliquo spernere seniorem suum, non hominem spernit, sed Deum, et reliqua. Si quis hoc faciat, pœniteat, et reconciliabitur seniori suo. Et omnia quæcunque senior præceperit, secundum mandatum Domini explenda sunt.

XXVIII. Si quis ex fratribus negligens inventus fuerit erga supellectilem monasterii, hic reus sacripeculii judicandus est. Si quis viderit, usque in die

adjuvari et corrigi præterierit, hic tanquam neglector et perversor sacræ substantiæ judicandus est. Quoniam oportet unumquemque laborare, et considerantius agere erga substantiam monasterii, ut ipse esset omnium dominus, et omnibus dominetur. Et iterum per nimiam humilitatem tanquam alienum se existimet, et ut nihil præter quotidiana ex ea requirat paximatia.

XXIX. Si quis ad vocem compulsoris, sive invitantis ad aliud quodcunque, non statim surrexerit, hic inobediens reus est. Petat veniam ad Deum, et iterare non præsumat. Quoniam oportet unumquemque ad primam vocem invitantis assurgere; velut carbo ignis ardentis ascendisset super eum. Si autem obedientia hæc non fuerit, quam dicimus, mortua est, et non acceptabilis apud Deum. *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV). Cum gaudio semper operandum est: *Gaudete in Domino, justi, et semper decet collaudatio* (*Psal.* XXXII). Et iterum Apostolus dicit: *Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete* (*Phil.* IV). Si autem triste aliquid oblatum fuerit a nobis in donis Dei, non erit acceptabile apud Deum.

XXX. Tribus conventibus diei, totidemque noctis tempore in ecclesia conveniendum: tres psalmi in unoquoque conventu diei canendi sunt? duodecim vero in nocturnis conventibus cantabuntur, præter illam missam quæ celebratur ortu solis. Orationes vero et duæ lectiones, una de Veteri Testamento, et alia de Novo, in singulis noctis conventibus dicendæ sunt. In his vero conventibus, id est, sabbati et dominicæ, usque ad gallorum cantus, missa celebranda est: et quomodo vires uniuscujusque sufferre potuerint, excubiæ peragendæ sunt.

XXXI. Is vero qui ad primum psalmum in die non occurrit, in conventum fratrum non recipietur; sed postea in publico veniam petat. Si vero frequenter hoc faciat, confutabitur usque dum corrigatur. In noctis tempore usque ad secundum psalmum dilatio præbetur.

XXXII. In diebus vero dominicis eucharistia semper accipienda est ad remedium peccatorum: sed cum puro corde et omni sanctitate cordis et corporis oportet nos accedere ad corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Amen.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Hujus Regulæ auctor est incertus, quamvis sacræ antiquitatis mangones illam hactenus pro prima S. Augustini Regula venditaverint, ejusque S. doctoris antiquis operum editionibus interpolare ausi fuerint. Hodie enim omnes eruditi consentiunt, S. Augustinum nullam aliam Regulam scripsisse, nisi unam ad Virgines, *quam Holstenius in hujus codicis tertia parte adducit, de qua igitur suo loco plura dicemus. Interea brevis est hæc Regula, novem articulos solummodo continens, generalia quædam præcepta circa statum monasticum tradens, haud aliunde dicta Consensoria monachorum, nisi quia communi omnium in illo monasterio præsentium consensu promulgata fuerit; prout ex exordio colligimus. Antiquitatem autem ejusdem satis denotat, quod auctor citare soleat S. Scripturam juxta antiquam Vulgatam, non vero secundum S. Hieronymi versionem.*

REGULA CONSENSORIA MONACHORUM.

I. Communi definitione decrevimus apud nos, quod nunquam postmodum ab ullo poterit infringi.

Residentibus nobis in monasterio in nomine Domini nostri Jesu Christi omnibus placuit, secundum apostolicam traditionem, unum sentire et communiter possidere; sicut scriptum est: *Unum sentientes in Domino* (*Act.* II). Et nemo quidquam proprium vindicet: sed sicut scriptum est in Actibus apostolorum: *Habentes omnia communia, et nemo quidquam suum esse dicebat* (*Ibid.*), quod et nobis scriptum est. In Domino ergo jure observationis et legis nos teneamus, et in eo usque in finem permaneamus: quoniam scriptum est: *Qui permanserit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X).

II. Si quis autem venire desiderat ad congregationem fratrum, qui in unum esse videntur, non ignorans Evangelii dictum, quo dixit: *Vendat omnia sua, eroget egenis et pauperibus* (*Matth.* XIX). Et iterum: *Abneget semetipsum sibi, et tollat crucem suam, et sequatur Christum* (*Luc.* IX). Et ne tractet in corde suo de victu, aut vestimento, et cæteris, quæ necessaria sunt corpori, ipso Domino in Evangelio præmonente et dicente: *Nolite cogitare dicentes: Quid edetis, aut quid vestiemini? hæc enim gentes cogitant. Scit enim Pater vester, quia horum omnium indigetis. Quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis* (*Matth.* VI).

III. Verumtamen antequam statuat esse in monasterio, probet propositum fratrum atque exemplum, et ipse probetur in omni conversatione ab illo qui prior est, et cæteris consentientibus: propter illud quod Propheta docet et admonet, dicens: *Amicum noli cito comprobare.*

IV. Sed si contigerit ut aliquis ex qualibet causa necessitatis a monasterio fuerit abstractus, ne vel mente concipiat secum aliquid ferre de his omnibus quæ in monasterio fuerint; sive etiam quæ secum aliquando attulerat; sive ea quæ cum fratribus acquisierit, quia scriptum est: *Vir mutabilis in lingua incidet in mala* (*Prov.* XIII). Et iterum, ut nullum

omnino de fratribus secum provocet: ne magis destructor quam ædificator monasterii judicetur; propter illud quod scriptum est: *Qui non est mecum, contra me est: et qui mecum non congregat, dispergit* (*Matth.* XII). Et quicunque provocatus ab aliquo de monasterio voluerit abscedere, aut redarguat provocantem, aut indicet abbati, cui utique de his quæ in commune decrevimus nihil est subtrahendum, quia scriptum est: *Pacifici sint tibi multi; sed unus ex mille sit tibi consiliarius* (*Eccli.* VI)

V. Jugiter hæc quæ scripta sunt cum summa diligentia observanda sunt ab abbate usque ad omnes fratres. Aut si quis ab aliquo doctrinam audierit, præterquam in monasterio consecutus est ab eo cui se credidit, hanc aut non suscipiat, aut eam non subtrahat doctori, quia scriptum est: *Omne quod manifestatur lux est* (*Ephes.* V). Si enim bona fuerint, collaudanda sunt; si vero prava, reprobanda.

VI. De his autem fratribus qui in unitate consistunt, si quis subito adversus alterum altercatus fuerit semel, sed secundum Evangelium, ei liceat exorare. Si autem noluerit se emendare, ille cui injuria irrogata est, cum post primam vel secundam correptionem non revocaverit contumacem, denuntiet et illud abbati: ne per taciturnitatem et ille et frater suus periclitentur; sicut Propheta ait: *Qui occultat inimicitiam instruit dolum* (*Prov.* XXVI).

VII. Si vero, ut fieri solet, incursio repentina supervenerit aut hostilitas, ut impossibile sit fratribus in unum fugam petere, propter insectationem inimicorum, et postmodum Deo favente evaserint, et potuerint pervenire ubi abbatem esse cognoverint, velut filii ad patrem festinare debebunt. Nec ullo modo poterunt separari, quos divina charitas sociavit: quia cautum est: *Perfecta dilectio foras mittit timorem* (*I Joan.* IV).

VIII. Si quis autem, quod superius diximus, causa necessitatis detineat id quod a monasterio secum portaverit, necesse habebit ubi abbas suus est illud perferre, quia non poterit proprie retinere quod per pactum ad omnes pertinet, et Deo utique est consecratum. Sed si cogitaverit de his aliquid retinere, contradictor Apostoli esse videtur, qui ait: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem vos diligatis* (*Rom.* XIII).

IX. Omnia ergo quæ in isto libro continentur, omnes fratres observent atque subscribant, quia unum in Domino esse desiderant. Verum propter illos ista sunt cauta, qui in omnibus stabiles esse noscuntur.

LECTORI.

Consensoriæ monachorum, quam sacræ antiquitatis mangones hactenus pro Regula S. Augustini venditarunt, aliud veteris Regulæ fragmentum subjungo, quod itidem sub Augustiniano nomine delitescit, a quo doctissimi gravissimique viri jure merito id jampridem abjudicarunt. Nam Augustinum nonnisi unam regulam, eamque virginibus scripsisse certum est, quam nos infra suo loco exhibemus. Tertiam vero illam, de Vita eremitica ad sororem, longius ab Augustini ævo styloque abesse res ipsa indicat, et nos B. Aelredi Rievallensis in Anglia abbatis esse certo scimus, qui circa annum Christi 1150 vixit. Fors faveat, ut hujus quoque fragmenti auctor vel ætas certioribus indiciis innotescent.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Quæ de superiori regula diximus, et huic applicari possunt; quia auctor incertus est, et male hæc regula S. Augustino, tanquam secunda *ejus, attribuitur. Quinque tantum articulos continet, quorum primus circa officii divini dispositionem plerumque versatur, ubi auctor vesperas a* lucernario *distinguit, ad quod officium ordinat unum psalmum et unum responsorium, tres antiphonas et tres lectiones, quam officii divini distributionem videtur ex S. Cæsarii et S. Aureliani Regulis desumpsisse. Unde existimat reverendissimus Calmetus in suis Observationibus criticis, hanc regulam scriptam fuisse pro aliquibus monasteriis Galliæ vel Hispaniæ ad mare Mediterraneum sitis. Interim hic notari velim, hoc tempus dictum* lucernarium, *nostrarum vesperarum tempori convenire, nec per illud intelligi* completorium *a S. Benedicto inventum, quasi totius divini officii complementum; et ideo illo peracto in monasteriis Benedictinis nullus audebat loqui vel publice legere; cum tamen juxta Regulam monachi post* lucernarium *in unum conveniebant, et publicas lectiones audiebant.*

ALIA REGULA INCERTI AUCTORIS.

I. Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus (*Deut.* VI); deinde proximus (*Matth.* XVIII): quia ista præcepta principaliter nobis sunt data. Qualiter autem oporteat nos orare vel psallere, describimus: id est, in matutinis dicantur psalmi III, LXII, VI et LXXXVIII, cum debitis antiphonis, versibus et responsoriis. Ad primam et tertiam dicantur sui psalmi, antiphonæ duæ, lectiones duæ. Simili modo ad sextam et nonam dicantur sui psalmi, cum debitis responsoriis et antiphonis. Hoc idem in vesperis et completorio servetur. Ad lucernarium autem psalmus unus, responsorium unum, antiphonæ tres, lectiones tres. Et tempore opportuno post lucernarium, omnibus sedentibus, legantur lectiones. Nocturnæ autem orationes mense Novembri, Decembri, Januario et Februario, antiphonæ duodecim, psalmi sex, lectiones tres; Martio, Aprili, Septembri, Octobri, antiphonæ decem, psalmi quinque, lectiones tres; Maio,

Junio, Julio et Augusto, antiphonæ octo, psalmi quatuor, lectiones duæ.

II. Operentur a mane usque ad sextam, et a sexta usque ad nonam vacent lectioni; et ad nonam reddent codices. Et postquam refecerint, sive in horto, ubicunque necesse fuerit, faciant opus usque ad horam lucernarii. Nemo sibi aliquid vindicet proprium, sive in vestimento, sive in quacunque re : apostolica enim vita optamus vivere (*Act.* II *et* IV). Nemo cum murmure aliquid faciat, ut non simili judicio murmuratorum pereat. Fideliter obediant : patrem suum post Deum honorent; præposito suo deferant, sicut decet sanctos. Sedentes ad mensam taceant, audientes lectionem; si autem aliquid opus fuerit, præpositus eorum sollicitus sit. Sabbato et dominica, sicut consuetudo est, qui volunt, vinum accipiant.

III. Si opus fuerit ad aliquam necessitatem mitti, duo eant. Nemo extra monasterium sine præcepto manducet neque bibat, non enim hoc ad disciplinam pertinet monasterii. Si opera monasterii mittantur A fratres vendere, sollicite caveant ne quid faciant contra præceptum; scientes, quoniam exacerbant Dominum in sanctis suis. Si aliquid emant ad necessitatem monasterii, sollicite et fideliter, ut servi Dei, agant.

IV. Otiosum verbum apud illos non sit. Mane ad opera sua sedeant; post orationem tertiæ eant ad opera sua; non stantes fabulas contexant, nisi forte aliquid sit pro utilitate animæ : sedentes ad opera, taceant, nisi forte necessitas operum exegerit ut loquatur quis.

V. Si quis autem non omni virtute, adjuvante misericordia Dei, hæc conatus fuerit implere, sed contumaci animo despexerit : semel atque iterum commonitus, si non emendaverit, sciat se subjacere disciplinæ monasterii, sicut oportet. Si autem talis B fuerit ætas ipsius, etiam vapulabit. Hæc in nomine Christi fideliter et pie observantes, et vos proficietis, et nobis non parva lætitia erit de vestra salute. Hæc sunt quæ ut observetis præcipimus in monasterio constituti.

ADMONITIO IN SEQUENTEM ORDINEM ROMANUM.

Veteri Calendario Romano et Liturgiæ Gallicanæ expositioni (a) *subjicere libet antiquum Ordinem Romanum, ad usum monasteriorum ab annis circiter mille accommodatum, cujus antiquitatem probat non solum codicis Morbacensis, a quo illum accepimus, character annos minimum* 900 *repræsentans, sed etiam varii ritus qui in ea præscribuntur, qui jam dudum et in Romana Ecclesia et in Galliarum monasteriis, quibus usui fuisse videtur, obsoleti sunt. Imprimis est illud quod festum* C *de conceptione B. Virginis, qua incarnatum Dei Verbum annuntiante angelo in utero suscepit, hebdomada ante natale Domini celebrari præscribit : quem ritum commendat concilium Toletanum* x, *anno* 656 *celebratum, tanquam per diversas jam mundi partes observatum, servantque hactenus Ecclesiæ Mediolanensis et Toletana. Nec minus antiquitatem spirat ordo sacrorum librorum in nocturnis vigiliis legendorum, quo prophetas post Epiphaniam, non epistolas Apostoli, legendos decernit, id quod alio in codice Morbacensi annorum minimum mille præscriptum reperimus. Eamdem antiquitatem repræsentare existimamus ritum post communionem annuntiandi a diacono ventura festa, qui nullibi nobis aliquando præscriptus occurrit.*

Porro cum plura notatu digna hoc in ordine videantur, illud præsertim singulari consideratione ponderandum est, quod orationes post oblationem dicendæ secrete nullo alio audiente *recitandæ præscribuntur, qui locus sufficere debet ad refutandos nonnullos novitatum amatores, qui contra universalis Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, propria auctoritate integram missam, secretas orationes canonemque ipsum eodem vocis sono, hoc est alte pronuntiant. Nam quod respondent variis antiquisque auctoribus secretas et canonem sub* silentio *recitari præscribentibus, quod, inquam, aiunt, silentium, apud illos cantui tantum, non altæ voci opponi, omnino falsi convincitur, ut nullus sit amplius effugiendi locus, cum* SECRETE NULLO ALIO AUDIENTE *ante annos mille in Ecclesia Romana aliisque ipsius ordinem sequentibus hæc dicerentur.*

(a) Quæ scilicet opuscula *Antiquo Ordini* quem hic excudimus præmissa sunt in Thesauro Marteniano ex quo illum expressimus. In illo autem Ordine orthographiam et syntaxim manuscripti servare debuimus. EDIT.

ANTIQUUS ORDO ROMANUS

AD USUM MONASTERIORUM,

AB ANNIS CIRCITER MILLE ACCOMMODATUS EX MS. CODICE MORBACENSI.

IN NOMINE DEI SUMMI INCIPIT BREVIARIUM ECCLESIASTICI ORDINIS,

Qualiter in cœnobiis fideliter Domino servientes, tam juxta auctoritatem catholicæ atque apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, quam et juxta dispositionem Regulæ S. Benedicti missarum

solemniis, vel natali sanctorum, sive officiis divinis anni circuli die noctuque, auxiliante Domino, debeant celebrare, sicut in sancta ac Romana Ecclesia sapientibus ac venerabilibus Patribus traditum fuit.

Primitus enim in Adventum Domini cum omni officio divino a kalendis Decembris incipiunt celebrare, et in ipsa nocte initiantur legi ad vigilias Esaiam prophetam usque in Natalem Domini, semper a capite rependendum ipsum legantur. Deinde una ebdomada ante Natale Domini de [a] conceptione S. Mariæ incipiunt canere. In ipsa vero ebdomada quarta et sexta feria seu et sabbato stationes publicas faciunt, et omnes jejunium faciant, et missarum solemniis cum omni officio divino de ipso ordine pertinentem celebratur. In ipso vero sabbato sacerdotes et cæteri ministri Ecclesiæ, si necesse fuerit, ordinantur. Si autem et vigiliæ venerint natalis Domini sabbato præcedente hebdomata, omnem celebrationem vel ordinationem quam diximus usque in sabbatum consummantur. In ipsa autem ordinatione sacerdotum præter quatuor tempora anni, nullatenus ordinatur. Id est primum ver, quod est ebdomata prima mensis primi Martii : ita tamen si ipsa ebdomata infra Quadragesima contigerit. Deinde requiritur aliud tempus æstatis, quo i venit mense 4 Junii, quod sequitur ebdomata prima post Pentecostem. Sequitur tertium tempus autumni, quod est mensis septimi Septembrii, quod agitur tertia ebdomata ipsius mensis. Inde sequitur quartum tempus anni hiems, quod est mensis decimi, December sicut supra diximus. Hoc est ebdomata prima ante Natale Domini ordine quo diximus quarta et sexta feria seu sabbato celebrantur.

Gesta [b] S. Eugeniæ vel ejus commemorationem pridie Natalis Domini tantum ad vigiliis celebrantur. Matutinis vero de supradicto die pridie Natalis Domini ejus missa hora tertia cantatur et celebratur. Ipsa vero die nisi forte dominica contigerit omnes publicum jejunium faciant, et hora nona vigilia Natalis Domini missas celebrant, et *alleluia* minime canuntur. Omni vero tempore quando jejunium faciunt, et hora nona missas celebrant, nec *Gloria in excelsis Deo* nec *alleluia* canuntur. In ipsa vero vigilia Natalis Domini in cœnobiis monachorum nocte supervenientе paululum requiescunt; deinde surgentes temporius, celebrant sicut decet vigilia Domini. Id est expletis novem psalmis cum antifonis seu novem lectionis de humeliis S. Augustini vel papæ Leonis aut S. Grigorii cum responsoriis, et finiunt vigilia, deinde secuntur matutinæ cum antefonis. Expletis vero matutinis, præparantur se qualiter missas celebrare debeant; et [c] ut gallus cantaverit : mox cum omni

A decore vel ordine sacerdotum ad missas ingredientur. Expleta vero missarum solemnia, communicent omnes, et in ipsa nocte ad missas semper *Gloria in excelsis Deo, alleluia* pariter canunt. Deinde mox luce super veniente, procedunt ad [d] aliam ecclesiam, et similiter celebrantur aliam missam sicut et prius. Similiter iterum competente hora diei procedant ad ecclesiam, et celebrant missas sacræ Nativitatis Domini. Unam postquam gallus cantaverit, aliam mane prima, tertiam in die, sicut mos est, in honore sanctæ Trinitatis celebrantur, sicut S. Gregorius in humiliis suis loquitur dicens : *Quia missarum solemnia ter hodie celebraturi sumus; ita et nos oportet ut similiter sanctæ Nativitatis Domini diem in Trinitatis numero missarum solemnia celebremus.*

B Modus autem vel ordo in agendis missarum solemniis tam ipsius diei, quam et omnium principalium festivitatum talis esse videtur. Cum autem hora appropinquaverit, ut missas introeant, ingrediuntur sacerdotes et levitæ in sacrarium, induent se vestibus, cum quibus missas celebrare videntur. Ordinantur per ordines, sicut mos est, ipsas oblationes reverenter ad sedem suam, et iterum lavet manus. Item in monasterio ubi non ingrediuntur feminæ, postquam primitus sacerdos lavaret manus, ingrediuntur sacerdotes cum levitis in sacrarium, et accipient oblationes, et procedant de sacrario, et offerentur super altare, canentibus interim fratribus offerturia. Deinde vero accedens sacerdos ante altare, et accipiens proprias oblationes elevatis oculis et

C manibus cum ipsis ad cœlum orat ad Dominum, et ponet eas super altare. Similiter offerat et vinum. Diaconi vero vadant retro sacerdotum, et ordinantur super ordinem. Subdiaconi autem ambulant retro altaris, et statuuntur per ordinem. Sacerdotes autem stent in ordine suo ante altare. Tunc vero sacerdos dextra lævaque aliis sacerdotibus postulat pro se orare; et inclinans vultum ad terram, dicat orationem et [e] secrete nullo alio audiente, nisi tantum ut venerit ad hoc verbum *Per omnia sæcula sæculorum*, et dicant omnes *Amen*. Statim dicat *Dominus vobiscum*. Deinde dicit *Sursum corda*. Deinde *Gratias agamus Domino Deo nostro*, et ingrediatur in præfationem, ita ut ab omnibus pene audiatur. Deinde cum venerit ut dicat *Adorent Dominationes*, omnes sacerdotes vel

D levitæ inclinent vultum ad terram. Cum autem pervenerit ut dicat *Supplici confessione dicentes Sanctus*, inclinent iterum diaconi, clerus, cum omni populo.

[a] Hic locus de activa conceptione B. Virginis qua Verbum divinum in utero operante Spiritu sancto concepit, intelligendus est.

[b] S. Eugeniæ memoriam III idus Septembris olim recolebant Cassinenses monachi una cum SS. Prothi et Hyacinthi.

[c] Hic non obscure indicat primam in Natali Domini missam in primo galli cantu circa mediam noctem celebratam fuisse, quod præscriptum in pluribus iisque antiquis Sacramentorum libris reperimus, ac demonstravimus in libro de Antiqua ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis, pag. 88.

[d] Hinc colliges tres in Natali Domini missas non in una, sed in diversis ecclesiis celebratas fuisse, quod alias a nobis probatum est.

[e] Hic locus egregie confirmat ea quæ in libro I de Antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 4, art. 8, n. 5, diximus de secretis et canone missæ sub silentio pronuntiandis.

Proclamantibus vero cum magna reverentia et tremore *Sanctus*, incipit sacerdos canonem dissimili voce leniter. Ipsi vero presbyteri, diaconi, subdiaconi semper permanent inclinati usque in eo loco ubi dicant, *Nobis quoque peccatoribus*, et mox ut veniret ad hoc verbum *propitio ac sereno vultum respicere digneris*, inclinato capite sacerdos ante altare suppliciter deprecans usque dum dicit, *ut quotquot ex hac altaris participatione*. Cum autem surrexerint subdiaconi, unus ex ipsis venit, et accipit patenam ab acolytho, et revertetur in ordine quo steterat, et tenens eam ante pectus suum usque dum dixerit *Omnis honor et gloria*. Sacerdos vero cum venerit ut dicat *per ipsum et cum ipso* elevat oblationes proprias de altare, et mittit in ore calicis, tenente ipso calice a diacono, sublevans eum modice usque dum dixerit *Per omnia sæcula sæculorum, amen*. Sacerdotes vero et diaconi usque in istum locum semper manent inclinati, præter tantum diaconus qui ipsum calicem sublevatur. Subdiaconus autem qui patenam tenet, tradat eam ad ipso verbo diacono, ubi dicit *omnis honor et gloria*; et ille tenet eam usque dum finiatur oratio dominica, et porriget eam sacerdoti. Sacerdos vero post orationem dominicam oratione subsecuta, accipiens oblationes et ponat eas in patenam, et frangat modicum de ipsa oblatione, et mittat in calicem ter faciendo crucem, et dicat *Pax Domini sit semper vobiscum*, et faciat populus pacem. Deinde vero sacerdotes confrangant ipsas oblationes super altare, si necesse fuerit. Diaconi vero juxta altari, tenente subdiacono ante ipsis patenam, et [a] confrangant ipsas oblationes, canentibus interim fratribus *Agnus Dei*. Deinde communicent sacerdotes et levitæ in ordine suo. Postea quidem accipiens diaconus calicem in dextera parte altaris, elevans eum in manibus suis, pronuncians natalitia sanctorum in ipsa hebdomada venientia, ita dicendo: *Illa feria veniente, natale est S. Mariæ, aut confessoris, vel alius sancti* cujus evenerit, secundum martyrologium. Et respondent omnes *Deo gratias*. Post hæc canentibus interim antifona ad communionem, communicantibus iis omnibus, dat orationem sacerdos, et dicat diaconus *Ite, missa est*. Respondentibus omnibus *Deo gratias*, et completum est: Post hæc revertetur sacerdos ad sacrarium cum ministris ecclesiæ, vel omni ornatu, sicut prius exierit; et exuant se vestibus cum quibus jam missarum solemnia celebraverunt, et consummata sunt omnia.

Post nativitatem vero Domini usque in octabas, præter sanctorum festivitatibus, omne officium divinum tam in die quam in nocte de ipsa die natalis Domini est canendum. Octabas Domini in omni officio divino nocte et die, ordine quo in natali Domini in omnibus observatur. Deinde usque in Theophania, præter dominicis diebus vel nataliciis sanctorum, de cotidianis diebus canetur. Pridie Theophaniæ [b] jeju- A nium publicum faciant, et hora nona missa celebrentur, et medio noctis tempore ingredientur ad vigilias, psalmos quoque vel lectiones vel responsoria de ipso die canentes tantum de muneribus Magorum et baptismo. De nuptiis vero quæ factæ sunt in Chanan Galilææ, octabas Theophaniæ celebrantur. Omne ebdomada usque in octabas Theophaniæ canuntur. Missa vero Theophaniæ ordine quo diximus natale Domini secuntur. Postea quidem, die secundo, mense Februo, quod est IV nonas ipsius mensis, celebrantur cum magno decore vel accensis multis luminibus purificationem B. Mariæ, quando obtulit Dominum Jesum Christum in templo, et accepit eum B. Simeon in ulnis suis, et benedixit Deum.

Post nativitatem vero Domini usque quindecim B diebus ante initium Quadragesimæ Isaïam atque Jeremiam et Ezechiel et Daniel, seu et XII prophetas minores cum expositionibus eorum legantur. Epistolæ vero Pauli apostoli omni tempore in posterioribus lectionibus in die dominica ad vigilias legantur. Tractatus vero S. Hieronymi, Ambrosii, vel ceterorum Patrum, ut ordo poscit, legantur. In tempori veris, hoc est quindecim diebus ante initium Quadragesimæ, quinque libri Moysi, cum Hiesu Nave et Judicum atque Rut usque quindecim dies ante Pascha. Inde vero librum Isaïæ prophetæ et Lamentationes Hieremiæ, Osee et Zachariæ unde ad passionem Christi convenit. In diebus autem Paschæ epistolæ apostolorum et Actus atque Apocalypsis usque Pentecostem. A Pentecostem vero libri Regum et Para- C lippomiuon, deinde Salomonis libri, Job, Tubiæ, Judit, Ster atque Machabæorum usque calendas Decembris.

In vigiliis omnium apostolorum et ceterorum sanctorum pluralium omnes jejunium faciunt. Et hora nona natale eorum prævenientes absque *Gloria in excelsis Deo* et *alleluia* missarum solemnia celebrantur, et ipsa nocte ad vigilias passiones eorum vel gesta leguntur. Quod si in Dominica natalitia venerint tam in adventu Domini quam et omni tempore, psalmi cum eorum passionibus, vel gestis cum responsoriis vel antefonis de istis pertinentibus canuntur. Si autem gesta eorum minor fuit, quod IX lectionibus sufficere non possit, in tribus tantum posteribus lectionibus leguntur, et octabæ eorum cum respon- D soriis vel antefonis suis, missarum solemniis, sicut et in die primo festivitates eorum ita celebrantur. Quod si in eorum octavas natale sanctorum venerit, præcedente die octavas eorum celebrantur per auctoritatem sanctæ Regulæ. Omni tempore diebus dominicis legitur lectio S. Evangelii secundum tempus quo fuerit, et sequitur hymnum *Te Deum laudamus*, et versum cum *Kyrie eleison* et finiuntur Vigiliæ. Matutinis vero laudibus diebus dominicis, præter Quadragesimæ cum *Alleluia* sunt canendi. Una autem

[a] Hinc colliges non minores oblatas pro populi communione olim consecratas fuisse, sed maximas; quas diaconi in plures particulas confringebant.

[b] Jejunium olim in vigilia Epiphaniæ a fidelibus observatum fuisse singulari libello demonstravit olim Johannes *Des Lions*, decanus ecclesiæ Silvanectensis adversus prophanas quorumdam superstitiones, qui hanc diem potationibus insumunt.

ebdomata ante natale Domini ex conceptione B. Mariæ incipiunt celebrare.

Hoc autem quod super scribi debuimus septuagesimo die ante Paschæ tamen dominica ingrediente Septuagesima apud eos celebrant. Hoc enim faciunt pro reverentia tantæ festivitatis, vel pro eruditionem populi, et per numerum dierum cognoscant adpropinquare diem sanctum Paschæ, et præparet se unusquisque secundum devotionem et virtutem suam, qualiter ad ipsum sanctum diem cum tremore et reverentia, contrito corpore et mundo corde perveniunt, et non solum septuagesima, sed et sexagesima, quinquagesima, quadragesima, tricesima, vicesima, decima et octaba semper per ipsum ordinem celebrantur, ut quantum plus cognoverint adpropinquare diem sanctum Paschæ redemptionis nostræ, tanto amplius ab omni inquinamento carnis vel immunditia se abstineant, ut digni sint communicare corpus et sanguinem Domini. Monachi vero et Romani devoti vel boni Christiani a quinquagesima, rustici autem et reliquum vulgus a quadragesima.

Primum autem jejunium IV et VI feria post Quinquagesima, id est una ebdomada ante Quadragesima apud eos publice agitur. Inde vero prima ebdomata in Quadragesima iterum IV et VI feria seu et sabbato stationes publicas faciant, et jejunium cum XII lectionibus in ipso sabbato consumantur. Et si fuerit ipsud sabbatum de Martio mense, ordinationem sacerdotum faciant. Si autem in alia ebdomata vel tertia quando pontifex judicaverit, iterum IV et VI feria seu et sabbato cum XII lectionibus sicut prius ordinare videntur, et ordinantur qui ordinandi sunt.

A Quinquagesima vero incipiente usque quinto decimo die ante Pascha jam diximus ad vigilias Eptaticum leguntur et responsoria inde canuntur. Quod si inde responsoria minus habuerint, quadragesimalis responsoria canantur. In matutinis vero laudibus Dominicis a Quadragesima incipient, id est *Miserere mei Deus.* Inde sequatur psalmus centesimus XVII, cum antefonis tam de Prophetis quam de Evangelio canentur. Et a XV die ante Pascha lectiones vel responsoria et antefonæ cum versibus de passione Domini incipiant celebrare. Quinta vero feria ante Pascha, id est cœna Domini ad missas antefona ad introitum non canuntur, apostolum et Evangelium non legatur, nec responsorium cantatur, nec salutat presbyter, id est *Dominus vobiscum*; nec pacem faciant usque in sabbato sancto. Sed cum silentio ad missas ingredientur. Et in ipsa nocte in vigilia parasceven, id est VI feria non canuntur, *Gloria*, nec *Kyrie eleison*, nec signum pulsaverit, usque, in sabbato sancto ad vigilias. In parasceven autem, quod est VI feria passio Domini, hora nona colliguntur omnes in ecclesiam, et legantur duæ lectiones, quas in capitulare vel in sacramentario commemorat cum responsis suis, et legatur passio Domini secundum Johannem, et dicantur illas orationes a presbytero, quas in Sacramentario commemorat. Post unamquamque orationem admonentur omnes a diacono. Dicat *Flectamus genua*: ita prosternent se omnes in terra cum lacrymis vel contritionem cordis. Oratione facta, iterum admonentur a diacone ut surgant, et dicat diaconus, *Levate.* Expletas autem ipsas orationibus, dicat presbyter, *Oremus.* Et dicat orationem, *Præceptis salutaribus moniti*, cum oratione dominica, et sequitur oratio, *Libera nos, quæsumus, Domine.* Et accipit diaconus corpus et sanguinem Domini, quod ante die cœna Domini remansit et consecratum fuit, et ponet super altare, et communicant omnes corpus et sanguinem Domini, cum silentio nihil canentes. Et in ipsa nocte lumen in ecclesia non accenditur, sed absconditur, ut non ab omnibus videatur, usque in sabbato. His expletis ingrediuntur ad vesperas, et ipsa nocte omnes devoti monachi vel viri venerabilis et religiosi abstinentes se ab omne delicia corporale, ut præter tantum panem et aquam cum aceto mixtum non sumentes cibum. Cui autem Dominus [a] virtutem dederit pertranseunt sine cibo, usque in vigilia Paschæ in sabbato sancto, hora nona diei ingrediuntur ad vigilias.

Primitus enim induunt sacerdotes una cum diaconibus vestibus cum quibus vigilias celebrantur, et procedunt de sacrario levitæ tantum cum subdiaconibus duo et duo juxta se adhærentes, sine luminibus accensis, canentibus interim fratribus lætania. Ut autem ad altare venerint stantes in ordinis suis, ille qui cereum benedici debet, stans in medio postulans eos pro se orare, et faciens crucem super cereum, et accipiens a subdiacono lumen quod in parasceve absconsum fuerit, et accenso cereo dicit, *Dominus vobiscum.* Respondent omnes, *Et cum Spiritu tuo.* Deinde dicit, *Oremus*, et dicit orationem primam. Deinde dicit, *Dominus vobiscum.* Respondent omnes, *Et cum Spiritu tuo.* Iterum dicit, *Sursum corda.* Respondent *Habemus ad Dominum.* Iterum dicit, *Gratias agamus Domino Deo nostro.* Respondent, *Dignum et justum est.* Vel omnia sicut in sacramentorum commemorat. Benedicto autem cereo, revertentur in sacrario. Deinde procedent sacerdotes de sacrario cum diaconibus juxta ordines suos cum accensis cereis de ipso lumine cum turabulis thimiamatum. Iterum canuntur lætania. Ipsa autem expleta, stantibus vero et dat sacerdos orationem retro altare, sicut mos est. Et sedentibus sacerdotibus in ordinis suis, et ingredientur ad legendum. Post unamquamque lectionem dat sacerdos orationem, sicut in Sacramentorum commemoratur. Expletis vero lectionibus, cum canticis eorum et benedictionibus, revertentur omnes ministri ecclesiæ in sacrarium cum accensis

[a] Huic voto favet concilium Quini-sextum can. 89. *Dies salutiferæ passionis in jejunio, et oratione, et cordis compunctione peragentes fideles, usque ad mediam magni sabbati noctem jejunare oportet.* Et Regula Magistri, cap. 58 decernit, ut qui præter infantes infirmos et senes, die Parasceves cibi aliquid gustare voluerit, benedictione quæ cibis impenditur privetur.

cereis, expectantes horam qua ad missas ingredi debeant. Cum autem stella in cœlo apparuerit, statim iterum incipiunt tertio lætania, et procedunt de sacrario sicut ante fecerunt cum cereis accensis vel turabulis. Expleta autem lætania, incipiat abbas aut presbyter qui missas celebretur, *Gloria in excelsis Deo*, Hoc finito, legatur lectio Apostoli et cantetur, *alleluia*, *Dominus regnavit*. Tractum qualem volueris, et legatur lectio Evangelii, aut episcopus, aut presbyter legatur. Ad communionem cantetur, *Agnus Dei*, et complebuntur omnia missarum solemnia ordine sicut reliquis diebus Dominicis. Et in ipsis VII diebus Paschæ, et in omni officio divino, ita agatur sicut et diem sanctum Paschæ præter tantum psalmum de unamquemque die psalluntur semper cum *alleluia* et usque quinquagesimo die a Pascha, quod est Pentecotem, tam psalmi quam responsoria cum versibus et antefonis omnes cum *alleluia*, sunt canendi. Ascensione vero Domini, cum omni officio divino de ipsa die pertinente sicut reliquis diebus dominicis celebrantur. Responsorium vero vel ant fon.r, usque in sabbato Pentecosten de ascensione Domini, canuntur. Sabbato Pentecosten omnes jejunium faciunt, et omne officio divino tam et lectiones quam et baptismum ordine quod diximus in sabbato sancto celebrantur. Tanto hora septima incipiente ingrediuntur ad vigilias vel missarum solemniis, ut hora nona diei expleta omne consumentur. Diem sanctum Pentecosten, si ut et diem sanctum Paschæ celebrantur. Ipsa vero ebdomata post Pentecosten a IV et VI feria seu sabbato jejunium faciunt, et missarum solemnia cum omni officio, sicut et in Sacramentorum commemorat, celebrantur. Octavas antem Pentecostes sicut et dominica præcidente ita celebrentur. Post hos vero dies anni circulus quæ adventum Domini præter natalitia sanctorum, vel quod commemoravimus, tam psalmi quam responsoria, vel antifonæ et matutinis et vespertinis laudibus de cotidianis diebus canuntur. Agenda vero mortuorum ad vigilias, psalmi quoque et lectiones cum responsoriis vel antefonis in matutinis laudibus sine *alleluia*, de ipsis est canendum. Ad missas eorum *Gloria in excelsis Deo* nec *alleluia* cantatur, et consummata sunt omnia.

INDEX

IN REGULAM S. P. BENEDICTI

A

B

C

D

E

M

P

T

U

V

X

Z

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

JOANNES PAPA II.

AGAPETUS PAPA I.

SYLVERIUS PAPA.

S. LAURENTIUS NOVARIENSIS.

S. P. BENEDICTUS.

FINIS TOMI SEXAGESIMI SEXTI.

20

25